
NAZIONALE
13
11 K
11



R. P. IOSEPHI
GIBALINI
E SOCIETATE IESV
THEOLOGI
SCIENTIA CANONICA
ET HIEROPOLITICA:
Opus nouum, in tres Tomos partitum;

In quo singula, quæ toto corpore iuris Pontificij sparsa sunt, ad certa, & indubitata principia reducuntur; & ex illis innumeræ quæstiones, ad forum tum internum, tum externum pertinentes, facilè, & solidè, quamvis non semper ex vulgi sensu, explicantur. Priuati Galliæ mores, ac iura cum Romanis conciliantur: vniuersa denique moralis Theologia, ex certis, & constantibus scholasticæ principijs, Patrum sensu, & ecclesiasticis legibus docetur.

TOMVS PRIMVS.




LVGDVNI,
Sumptibus Laurentij Arnaud, & Petri Borde.

M. DC. LXX.

CVM APPROBAT. ET PRIVILEGIO.





ILLVSTRISSIMO, REVERENDISSIMÓQVE

D. DOMINO CAMILLO

DE NEVFVILLE ARCHIEPISCOPO, & Comiti Lugdunensi, Galliarum Primati, Regiorum Ordinum Commendatori Lugdunensium, Segusianorum, ac Bellojocensium Proregi, &c.



I penès sacros Flamines semper fuit sacrarum Legum ratio, PRIMAS EXCELLENTISSIME, *næ ego forem planè sacrilegus, si alteri, quàm Tibi meam hanc Scientiam Canonicam inscriberem? Proluseram diu antè huic Operi, dum Tractatus varios de Irregularitatibus, Censuris, clausurâ Monialium, negotiatione Lugdunensi, Simonia, vsuris, aliísque rebus similibus edideram: nunc demùm ad fontem applico, rerúmque istarum omnium caput, & scaturiginem aggressus, quæ sparsa nullo ordine, indigestáque prodière, in tam multis támque variis Theologiæ moralis voluminibus, reduco ad apicem, certísque legibus coërceo; cùm ad scientiæ normam, tam amplam dicendi, scribendíque materiam colligo. Et sanè, cùm vaga sint admodùm mortalium mentes, naturâ suâ liberæ, non leuis fuit opera definire certis spatiis, quæ fermè indefinita sunt, tótque conscientiæ casus, vt prona est labi hominum indoles, vnâ veluti manu erigere. Tuum erit,* PRIMAS EXCELLENTISSIME, *vt limatissimi iudicij es, statuere an finem assecutus sim. Id enim mihi vnum semper propositum fuit meis in studiis, vt dum Gregi regendo, & Prouinciæ administrandæ totum te*

ã 2 tradis,

tradis, tuæ vni vacarem gloriæ, tibi meam omnem operam, omnésque vigilias consecrarem. Nec sanè aliunde mihi patrocinium ambitiosius, certiorémve scriptis meis perennitatem poteram accersere, quàm tuo ex nomine, quod cœlo charum, Musis amicum, Regi fidum, acceptum populis, venerandum omnibus semper fuit. Quippe Solis instar cœlo semper affixus, terris latè spargeris, & ex alto dignitatis tuæ vertice ima suspicis, nec tamen despicis. Partiris te sic omnibus, vt omnium cùm sis, vix tuus esse possis. Quis enim, quæso, Te sacris in adytis diuinis addictum mysteriis, altaribúsque affusum conspiciat, quin Dei totum Te esse asserat? Quis in lustranda Diœcesi, quæ vsque adeò latè patet, tam accuratum, támque assiduum cernat, quin Gregi vni intentum Te esse tantùm pronuntiet? Quis obeuntem videat, absente fratre, Proregis munera tam impigrè, tam laudabiliter, qui Te simul non proferat vni Regi attendere, regiáque negotia vnicè pertractare? Quis demùm oris affabilitatem, suauitatem morum, occupatam clientibus domum, ciuibus redundantia Palatij tui atria, cellas, conclauiáque circumspiciat, qui te populi parentem non prædicet, neque res alias versare existimet, quàm ciuicas, & vrbanas? Maximæ mentis est, & humanâ maioris, Primas Excellentissime, *sic inuigilare singulis, sic cunctis se diuidere, vt vni rei affixa videatur: voluunt enim & singulæ suos orbes singulos cœlestes illæ mentes, penès quas orbis imperium est, & cœlestium moderatio motuum. Diuina igitur tua est, & supra conditionem mortalium in rebus agendis sagacitas, & prouidentia, quam sequi velint plurimi, nemo assequi possit. Hanc ego venerabundus suspicio, laboribúsque meis præclaram mercedem accessisse credidero, si sustineas tam amplo nomini meas inscribi vigilias, quas imposterùm seruatas velim, vt scilicet intelligant quicumque mea scripta olim perlegerint, quot ego tibi nominibus pridem addictus sim, quem in soluendis grauioribus, extricatioribúsque Scientiæ Canonicæ nodis tam sæpè admiseris prudentiæ tuæ testem. Viue ergo & vale diu,* Primas Excellentissime, *bonorum omnium votis, Dei gloriæ, Regis obsequiis, Regni splendori, vtilitati publicæ, securitati Prouinciæ, tranquillitati Ciuium, Gregis solatio, Societatis nostræ patrocinio, & Ecclesiæ totius denique bono.*

Amplitudini Tuæ

Addictissimus cliens & obsequentissimus
IOSEPHVS GIBALINVS
è Societate Iesv.

AD

AD

IOSEPHVM GIBALINVM
Ode.


EV prisca Patram Relligio iacet!
Vix vmbra restat postama gloria,
Et triste virtutis cadauer
Inferias petit insepultum.
Humana pejor gens ruit in nefas,
Et prona labi, surgere nescia,
Instat ruinis, & caduco
Ire parat malè falsa gressu.
IOSEPHE, *pronam casibus erigis,*
Monstras eundum quà sit, & arbiter
Æqui verendus flexuosos
Ire vetas sine lege calles.
Diuina pandis iura perennibus
Mansura chartis, & tabulas Deo
Authore dignas eruditis
Codicibus, foliisque mandas.
Iustiniani legibus adjicis
Consulta Patram, Pontificum minas,
Responsa Doctorum, & Senatus
Sensa sacri, patriosque ritus.
Quot monstra figis? quot rea cladium
Portenta damnas? quot latebras subis,
Et cordis abstrusos recessus
Verticibus reseras solutis.

Non ille ferro scindere vincula
Ausus sagacem quæ fugerent manum;
Sic fata lusit, vt resolait
Implicitos, GIBALINE, *nodos.*
Libris inhæres assiduus, manu
Versas diurnâ, nox vigilem videt
Pallere chartis, & tenaci
Excubias properare penso.
Nil te moratur canitie rigens
Hyems senectæ; nil dubio pede
Tentanda tellus, is, redisque,
Et stadiis opus vnas vrges.
Demitte curas: non tibi ferreum
Natura corpus finxit, vt improbo
Labore frangas, & seniles
Nulla quies reparet ruinas.
Viuaciori mente quis vltima
Ætatis annos, & senio graues
Rugas coëgit pertinaci
Obsequio retinere curas?
Desiste tandem, desine viribus
Vti caducis: sat tibi nominis
Ars longa scribendi parauit,
Viue tibi, satis est laboram.

CLAVDIVS FRANCISCVS MENESTRIER.

ODE AD LIBRVM.

V*Ises gemeatis littora Bosphori,*
Vises cruentos Sauromatas procul,
Te fabulosus quondam Hydaspes
Docte liber Tanaïsque poscet.
Tu norma morum, tu fidei iubar
Partúsque, totum fers Capitolium. &
Christi trophæis restituto
Iura doces metuenda mundo.
Non te renidens coccineo beat
Membrana succo, non minio nitens
Alata, sed leges verenda,
Et Latij Canones Senatûs
Clarant fecundis vsque laboribus
Acrem recessus eruere abditos
Scientiarum, masculisque
Grande sophos trutinare verbis.
Proh quantus ibis! pérque manus virûm
Perque ora latè, cum bonus auream
Monstrabit Astræam, & vetustos
Christiadum reuocabit annos.

Mox te sonabunt ardua pulpita,
Te Casuistarum agmina concinent,
Te fractus Ægæis procellis
Poscet opem, auxiliúmque præsens
Mercator eheu pallidus, omnium
Medela fiet Inclyta vulneram:
Ægrasque sanabis piorum
Non humilis panacea mentes.
At ecce sternunt ad superos iter,
Almámque fratres laudis adoream
Tibi reportant, ex eodem
Orta micant soboles parente.
Ignotus Orbi scilicet haud venis,
Sed clarus altis pignoribus, pater
Famâ pererrauit remotas
Illecti tuus, GIBALINVS, *oras.*
Macte & beatis auspiciis liber
Magni CAMILLI, *hoc præsidio potes*
Et tempus, & Manes, & ipsos
Inuidiæ superare fines.

ã 3 APPRO

APPROBATIONES.

NOs infrà scripti Societatis IESV Theologi legimus tres Scientiæ Canonicæ Tomos à R.P. IOSEPHO GIBALINO eiusdem Societatis Theologo compositos fidémque facimus in illis non modò nihil contineri quod ab Ecclesiæ sanctorúmque Patrum doctrinâ & placitis abhorreat, sed etiam omnia tam acutè tam solidè támque dilucidè pertractari vt & Theologiæ & iuris vtriusque studiosis vsui fore maximo non dubitemus. Lugduni pridiè nonas Martias ann. 1670.

FRANCISCVS A SANCTO RIGAVDO.
IOANNES GAVTHEROT.
PETRVS VIOLLET.

Reuerendo admodùm Patri IOSEPHO GIBALIN
Societatis IESV Theologo
BEDIANVS MORANGE *Doctor, & socius Sorbonicus, æternos annos.*

QVAM Illustrissimus Ecclesiæ Princeps CAMILLE DE NEVFVILLE Archiepiscopus, & Comes Lugdunensis, Galliarum Primas iamdudum statuit communis operis, laborisque inter nos societat. m, dum sanctis Ordinum electionibus à Pontificatûs ipsius primordiis simul continuè eidem assidemus, in percurrendáque longo visitationis cursu integra Diœcesi Lugdunensi, tanto Præsuli successiuis annis collaborauimus. Eandem mutui laboris communionem ampliùs iam repetere videmur vbi SCIENTIAM CANONICAM, & HIEROPOLITICAM tu Auctor peritissimus scribis: ego verò eandem selectus à te Censor lego, & euoluo. Vt verò seueriori à me examine dogmata tua, quæ certò varia, multiplicisque generis ibidem habentur expendi voluisti; quin imò pro annosi, venerandíque senis auctoritate, quâ polles, iussisti, ne vlla in re offendiculo esse possint, mitto ad te notulas eorum, quæ meo iudicio,& sicuti de meo ipsius opere fieri vellem, vel addi, vel ad arctiorem praxim redigi, vel omitti penitùs vellem, ne præclarum tuum opus vel à leuiori heterodoxi cuiusdam dogmatis vmbra penitùs remoueatur. Quas quidem censuræ meæ notulas à te sæpiùs expetitas vbi seruaueris,integrum *Scientia Canonica*;Opus egregiâ methodo elaboratum,pluribus grauiorum auctorũ sententiis locupletatum,& doctissimis sententiis passim refertum,in publicum commodum vulgari debere toto animo iudico.Lugduni Kal.Mart.1670. Vale.

NOTVLÆ
In hoc Opus, ex iudicio Censoris.

TOm.1. *lib.3.c.7.pag.*326.inhæreatur doctrinæ Vasquesij,& doctrina Sanchez de Confessario minùs probabilem opinionem suadente, explodatur.

Ibid. pag.334. pœnitens qui sequitur opinionem, probabilem. addendum, *bona fide. & ex quiete conscientia: non verò ex vlla affectatione.*

Ibid. potest pœnitentis etiam dispositi differre prudenter absolutionem Confessarius, nec tunc peccat grauiter, nisi agat malitiosè,nec iniuriam facit Sacramento: cùm enim non concedatur absolutio,non est tunc iniuria,nec irreligio vlla,vt loquitur Auctor.

*Ibid.Confect.*7. Explodatur opinio Henriquez dicentis non teneri pœnitentem confiteri peccatum quod probabiliùs scit esse mortale, modò simpliciter probabile sciat esse mortale: quia non est illud tutum in praxi.

De opinione probabili illud affectatur, eam dici probabilem, quam multi graues auctores sequuntur, licèt plures contrariam teneant.

*Ibid.Confect.*7.*pag.*336. teneatur pœnitens explicare circumstantias intra eandem speciem aggrauantes.

Ibid. *quia cùm teneamur subycere clauibus Ecclesia peccata venialia.* Dicendum, *Non aliquando teneamur.*

Fatetur Auctor *ibid.* quòd Henriq. *lib.5. de pœnit. cap.4. sub fin.* existimat teneri pœnitentem in periculo mortis sequi opinionem probabiliorem.

*Lib.3.Confect.5.pag.*358. sequatur subditus explicationem à Prælato legis pontificiæ, licèt Prælatus, & subditus simul errent inuincibiliter: quia tenetur subditus immediatè obsequi Prælato Immediato, maximè postquàm ipsi aperuit, quantùm potuit, se existimare Pontificem aliud iussisse.

Lib.3.Cap.VII.§.2.*pag.*311. licèt videatur licitum esse probabilem opinionem secundùm omnes, quibus explicatur circumstantias, sequi speculatiuè, non posse, & cauendum in praxi, quia vix tutum videtur.

Falsum mihi videtur Doctorem posse existimare perpensis accuratè rationibus in vtramque partem, suam opinionem singularem, esse opinionem probabiliorem communi, eò quòd ratio præualere debeat auctoritati: nam in praxi auctoritas multorum tutior est,cùm præsumantur non carere quoque ratione, nec res asserere,nisi rationi nitantur. Verùm quidem est quòd omni auctoritati præualeret ratio Doctoris, si constaret eius rationem, quâ singularem opinionem tuetur, esse veram rationem: sed cùm nullatenùs id liquidò constet, præualere semper debet in praxi contraria auctoritas plurium.

Falsum mihi est aliquando opinionem vnius tantùm viri docti constituere opinionem probabilem, maximè ex principiis Auctoris, qui contendit quòd liceat tutò sequi opinionem probabilem relictâ probabiliori. Non enim videtur, fas esse vnios tantùm opinioni hærere reiectis & spretis sententiis aliorum.

*Lib.*1.*c.*3.*p.*94. non potest dici Religiosorum ordo supremus in hierarchia initiatorum, nisi impropriissimè: nec possunt verè dici consecrari à Sacerdotibus, nisi valdè impropriè.

FACVL

FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS SOCIETATIS IESV in Prouincia Lugdunensi.



AVLVS SVFFREN Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunensi, iuxta priuilegium eiusdem Societatis à Regibus Christianissimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1606. Ludouico XIII. 14. Februarij 1611. & Ludouico XIV. nunc regnante 23. Decembris 1650. concessum, quo Bibliopolis omnibus prohibetur ne libros ab eiusdem Societatis hominibus compositos absque superiorum permissione imprimant: permitto LAVRENTIO ARNAVD, & PETRO BORDE, vt librum cui inscriptio est, *R. P.* IOSEPHI GIBALINI *è Societate IESV Theologi Scientia Canonica, & Hieropolitica: Opus nouum in tres Tomos partitum* (à tribus eiusdem Societatis Theologis recognitum) *in quo singula, quæ toto corpore iuris Pontificij sparsa sunt, ad certa & indubitata principia reducuntur, & ex illis innumeræ quæstiones ad forum tum internum, tum externum pertinentes, facilè, & solidè, quamvis non semper ex vulgi sensu, explicantur. Priuati Galliæ mores, ac iura cum Romanis conciliantur: vniuersa denique Theologia ex certis, & constantibus Scholasticæ principiis, Patrum sensu, & Ecclesiasticis legibus docetur*, ad sex primos annos imprimere, ac liberè diuendere possint.

PAVLVS SVFFREN.

ARGV



ARGVMENTVM
OPERIS.



ÆREBIS, mi Lector, ad tam illustrem Operis nostri frontem; & vereor vt existimes me, splendido Scientiæ Canonicæ nomine, candori tuo voluisse imponere: quod quàm longè absit à meo ingenio, perspectâ instituti ratione, ipse comperies.

Sacrarum legum & Iuris, quo Ecclesia regitur, notitiam enodantis officij Christiani controuersiis, atque conscientiæ, religionis, morumque quæstionibus explicandis, apprimè necessariam esse nullus non experitur. Cùm enim ad eas Regulas, morum nostrorum sanctitatem exigere nos oporteat; neque tantùm foro externo deseruiant, & simulatæ cuidam Politiæ: nemo sanè ipsarum rudis, & ignarus, de christianis officiis, & Religione rectè sentiet, aut pronuntiabit: sed plurima aut peccabit ipse, aut aliis peccandi suâ inscitiâ auctor erit. Eâque de causâ sacrorum non modò præsides, sed & alios omnes, qui curandorum regendorúmque animorum prouinciam, siue alienis imperiis, siue suâ sponte, & vrgente charitate susceperunt, ad paternarum Regularum, & Canonum studium vehementer hortantur prisci æui sanctissimi Patres, atque œcumenicæ Synodi suo loco adducendæ. Iam enim præcelsæ illæ mentes ex harum legum ignorantiâ, omnis Ecclesiasticæ disciplinæ, quæ illis maximè continetur, collapsionem, Religionis interitum, & christianæ sanctitatis extinctionem sapientissimè præsagiebant.

Verùm hanc cognitionem paratu difficilem omninò faciunt implexa quædam eius obscuritas, incertitudo, quæ dubium perpetuò, ac fluctuantem animum habet in retinendâ, dandáve assensione; labor improbus in immensâ, & nullis ferè coërcitâ finibus, parandâ disciplinâ, & demùm ea, quâ molestum adeò studium respergitur, insuauitas.

Et quidem implicatissimam esse hanc Scientiam testantur tot elaborata hactenùs Glossemata, summæ, apostillæ, additiones, repetitiones, relectiones, resolutiones, Consilia, Lecturæ, methodi, breuiaria, institutiones, compilationes, aliísque nominibus innumeris editi commentarij, quibus tamen non dissipatas esse huius notitiæ tenebras, & explicatas difficultates quotidiè querimur, ab iisque omnia magis disputata fuisse, quàm probata. Vndè fit vt nihil ferè certi nobis reliquerint: quod non modò contrariæ diuersorum auctorum sententiæ; sed vnius, eiusdémque secum puebiliter pugnantis, & dissentientis, inconstantes opinationes manifestum faciunt: hæretque plerumque animus, cùm nullis momentis rationum in alterutram partem inclinetur, & nonnulli solo Doctorum numero, alij nominis splendore, & illustri auctoritate; alij studio eius, cuius obsequiis sese mancipauere adducti, potiùs quàm rationum pondere, quid opinandum sit definiant. Quod quàm turpe sit, nemo non videt: cùm non tam quid verum sit, quàm quid aliquis dixerit, inquirant: in eámque, propè dixerim, insaniam quidam deuenerint, vt nihil non probabiliter dictum existiment, quod aliquis Doctor typis mandarit, atque ita omnes ineptias, & deliramenta somniantium scriptorum probare nos velint, nempè, inquiunt, hæc omnia in arbitrio humano sunt, poterántque à Legislatore aliter sanciri, si libuisset, neque alia legis ratio, quàm condentis legem voluntas sollicitè quærenda est.

Iam verò quàm graues molestiæ vorandæ sunt in tot textibus, Glossis, & rubricis memoriæ commendandis, ac Doctorum euoluendis commentariis? Audi enim Cardin. Florent. *in Clem.1. de Magistris, & ex* illo Caccialupum *de methodo studendi in vtroque iure, docum.5. Scholari*, inquiunt, *in iure studenti conuenit memoriæ mandare textus & Glossas sine quibus frustrà laborat ad subtilitates quas non possit iure probare. Doctor autem indiget multis libris, & si fieri posset, omnium qui scripserint; vt ex multis possit dicere veriora.* Et *docum.7. sub finem* consulit Caccialup. titulos de verborum significatione, & de Regulis iuris, qui in vtroque iure scripti habentur, condiscere. Quam felici verò in hanc rem opus fuerit reminiscendi vi,

quàm

quàm assiduo labore in immensis voluminibus versandis: quàm denique acri ingenio in probandis verioribus sententiis, & inter quisquilias paucis aliquot gemmis legendis? Hinc solemne istud quinquennium apud Iuris Ciuilis (cuius hac in re par causa est cum Canonico) studiosos, quorum primo anno nouus Iustinianus, altero edictalis, tertio Papinianista, quarto demùm, & quinto Colorita dicitur, quasi post tantum temporis vix aliquo iuris colore tingi incipiat, atque, vt loquitur Caccialup. Docum. 8. *Iam sciat colorare verba casibus legitimis arcanis ipsi reseratis, sciat vti legum citationibus congruenter; quod est potissimum rectè adaptans omnibus similibus.* Itaque tam ardua est ista cognitio, vt vix exacto quinquennio sciat aliquis leges, aut canones proferre.

Ex quibus mirum profectò videri non debet tam insuaue, & insipidum reddi hoc studium; cum inter vepreta, & crebras scriptorum citationes, easque plerumque falsas, aut ex aliena fide, aut contra ipsorum auctorum institutum mens perpetuò versetur; neque quicquam occurrat, quod illud importuni laboris tædium, & temporis atque operæ iacturam condiat. Quare vix singulis sæculis paucos aliquot reperire est, qui vbi totam ætatem maligno labore contriuerint, ad exiguam aliquam iuris peritiam deuenerint; quos etiam si penitiùs paulò introspicias vnâ plurimorum voluminum lectione præstare videbis, vt non immeritò permulti neglectâ, ac propè desperatâ illustriori iuris cognitione, forenses tricas, ac iudiciorum praxim, quæ rei nummariæ vna vtilis est, cogitandam esse suadeant, causati aliam omnem hac in parte cognitionem immensis curis, nullo compendio, nullâ certitudine comparari.

Quæ quatuor propositæ difficultatis capita ex eo mihi proficisci videntur, quòd qui cognitionem istam nobis tradiderunt; illam vt artem quandam forensem habuerint, in eoque suam omnem collocarint operam, vt in quosdam titulos, & veluti fasciculos nullo alio ordine constitutionum Ecclesiasticarum lacinias direxerint neque aliud ferè quæsierint, quàm quod proximus cortex verborum complecteretur, tam insulsè quandoque, vt mirari satis non possis doctos homines tam splendidè somniasse. Inde verò subortæ sunt perpetuæ ambages, & tricæ infinitæ, immensus labor in nocturnâ diurnâque commentariorum volutatione, & tot sententiis, ac Doctorum nominibus inferciendâ memoriâ. Inde incertitudo, & inconstantia opinionum; cùm nullis rationibus, quibus legum necessitas, aut æquitas ostendatur, adductis, mens nullo certo loco consistere queat. Inde denique insuauitas, quâ aspergitur animus, cùm in mediis perpetuò tenebris, & assensionis, dissensionísque reciprocantibus fluctibus versari se deprehendat, nullo alio, quàm innumeris Doctorum nominibus, & textuum citationibus fatigati crebri compendio.

Quare his omnibus incommodis (ni fallor) occurreret, atque dispersâ caligine, & assensionum dubietate, paratu facilem ac suauem redderet nobilissimam istam cognitionem qui illam inter scientias collocaret, & methodo scientificâ, per certa principia, & conclusiones ex illis deductas explicaret. Quod vnum molior hoc Opere: animus enim est ita totam Canonum, & Iuris Ecclesiastici, ac politiæ tractationem complecti, vt quidquid eius immenso ferè continetur ambitu, & maximè quæ in toto Corpore Iuris sparsa vagantur, ad certa atque indubitata principia reuocem, atque ex illis singularum deinde quæstionum explicationes eliciam. Quod quantâ luce, quantâ scientiæ certitudine, quàm aptè, & cohærenter, quàm nullo labore, quanto temporis compendio, quàm suaui animi, veritati cognitæ adhærescentis iucunditate futurum sit, nemo non videt.

Scio equidem viros aliquot eruditos, non tam consilium meum improbare, quàm damnare temeritatis. Existimant enim frustrà certis, constantibus, & immutabilibus principiis illigari, quæ ex mero hominum arbitrio aliter, atque aliter institui, & fieri rectè potuissent; neque alias aut naturas, aut proprietates, & causas habuerunt, quàm Principum imperantium nutus, ac consilia. Præterquàm quod cùm tota ista tractatio circa singularia versetur (disputat enim de singulis actionibus in indiuiduo, atque vt reipsa cum his, aliisque adiunctis eliciuntur) scientiæ dignitatem assequi non potest: huius enim obiectum vniuersale & æternum est, atque demùm cùm singula indiuidua dissimilia inter se sint, & actiones ac casus singulares, de quibus singulę quoque excitantur controuersiæ, additis, vel detractis, aut mutatis circunstantiis, inuicem differant ad vniuersalem doctrinam, vniuersaliáque principia reuocari non possunt, cùm rationibus dissitis, & dissimilibus nulla valeat esse ratio, ac natura communis. Pluraque alia disputant, quibus Scientiæ Canonicæ nomen ex vocibus inuicem pugnantibus, componi concludant. Non placet tamen cum his viris acriùs hoc Operis prælusio contendere, & te diutiùs (mi Lector) ad

vestibulum morari. Commodior erit in interioribus exedris huic disputationi locus. Hoc vnum tantùm à te flagito, ne præiudicata illa vulgi atque etiam virorum illustrium hanc cognitionem è scientiarum albo educentium, opinatio minùs facilem, & æquum te nobis exhibeat & ne ante perlustratas ædes de ipsarum ignobilitate, vel compositione pronunties.

Mihi certè dubium nunquam fuit, etiam rebus quæ hominum consilio instituuntur, vbi semel institutæ sunt suas esse naturas, & proprietates, suósque etiam constantes effectus. Et quamvis multa aliter sanciri potuissent: cùm tamen quæ sancita sunt rationi consentiant; hæc ipsa sanctionum cum ratione consensio, concludi ex aliquo certo principio, & constanti poterit: imò etiam quod contrariæ quoque sanctiones statui aptè potuerint docebit euidens aliqua ratio. Quid verò positâ semel eâ lege faciendum sit; quidve in singulis casibus, atque circunstantiis sequatur, æquè, ni fallor, demonstrabit ratio: neque enim hæc omnia pendent ampliùs ex hominum arbitrio, sed ex ipsa naturali ratione. Possunt quidem Principes legem aliquam condere: vt verò cum recta ratione consentiat, aut dissentiat, efficere non possunt. Non diffitemur sicut plurima hominum arte fiunt, ita in politiis ex communi ciuium institutione plurima enasci. Verùm, vt arte facta suas deinde naturas, & proprietates, atque regulas, quibus aptè, & probè fiant, sortiuntur independenter à voluntate atque consilio artificis, qui ita has regulas excogitauit, vt ab eo non nanciscantur suam aptitudinem. Nam quantumvis vellet esse ineptas has regulas; aptæ tamen essent ad hoc opus: & licet eniteretur alias quasdam aptas esse, ineptæ tamen perpetuò manerent. Nec secùs varia hominum instituta moralia, & politica, existunt quidem hominibus ita edicentibus, ab iis tamen suas deinde naturas, & proprietates minimè retinent. Neque enim facere illi possunt, ne, aut rectè instituta non fuerint, aut certas quasdam proprietates non obtineant, quamvis alia quædam sanciant.

Quidni igitur licebit hæc omnia ad constantes quasdam causas & principia reuocare? Adde in Iure Ecclesiastico plerumque Ius naturale, aut diuinum explicari dumtaxat: & plurima, quæ semel instituta sunt, vix mutari posse. Denique cùm detur scientia aliqua moralis, quæ suas habeat demonstrationes morales, & non physicas, quidni etiam Cognitio Canonica suas habere poterit apodixes, à quibus scientiæ & ipsa dignitatem accipiat, quamvis aliquo fortassis discrimine, quod inter Theologiam, atque alias quoque scientias, inter quas plurimum interest, admittere cogimur? Quæ paucis à me commemorata sunt vt suscepti consilij calumniam ex parte diluerem, prolixiorem disputationem opportuniori in loco daturus. Nihil est, igitur, quod fraudem suspiceris, mi Lector, ac ambitioso nomine Scientiæ Canonicæ tuam gratiam eblandiri me voluisse existimes: nam scientiam sanctè polliceor; nouam, aut veterem tui iudicij, & arbitrij fuerit. Totius intereà Operis ichnographiam habeto.

Distri

Diſtributio Operis.

TOTVM OPVS IN VARIAS PARTES PRO EIVS AMPLITVDINE diuidere cogimur: prima eſt,

SCIENTIA CANONICA;
& Hieropôlitica in vniuerſum:

De eius exiſtentia, natura, ſubiecto, materia, & iure multiplici, quod conſiderat principiis, & locis.



SERIES
CAPITVM ET QVÆSTIONVM,
quæ in hoc primo Volumine continentur.



LIBER I. ISAGOGICVS.

De existentia, & natura Scientiæ Canonicæ & Hieropoliticæ. *pag.* 1



LIBER II.

De obiecto remoto, siue subiecto Scientiæ Canonicæ, & Hieropoliticæ, Ecclesia nimirùm. p.55

Omni



LIBER III.

De Materia Scientiæ Canonicæ & Hiropoliticæ; siue de multiplici iure quod considerat & imprimis de iure naturali. *pag.* 147

Expo

CAPVT VII.

Expo



LIBER IV.

De iure positiuo diuino & humano. pag. 363.

CAPVT I.

CAPVT II.

CAPVT III.

CAPVT IV.

CAPVT IV.

CAPVT V.

CAPVT VI.

CAPVT VII.

CAPVT VIII.

CAPVT IX.

V. Con

AVCTOR LECTORI.

MOnitum te atque etiam rogatum velim, amice Lector, ne Auctori adſcribas opificum errores, qui & crebriores, & craſſiores paſſim irrepſerunt in duo præſertim prima volumina. Sicubi itaque quidpiam mendoſè legendum occurrerit, id, ſapiens Lector, diligentiori lectione ſupplebis.



LIBER



LIBER PRIMVS ISAGOGICVS DE EXISTENTIA, ET NATVRA SCIENTIÆ Canonicæ & Hieropoliticæ.

NOVAM vel veterem, nouâ methodo, scientiam tibi traditurus, primùm, An reipsa existat eiusmodi aliqua scientia, qualisve ea sit, quærere debeo, ne splendido nomine, chimæram vestire videar; quod si veram & non commentitiam duntaxat, imò & præstantissimam esse scientiam demonstrauero, neque te in ea perdiscenda studij, neque me in explicanda laboris, quamvis diuturni & improbi pœnitere oportebit. Nouæ igitur huius scientiæ existentiam, naturam & proprias Affectiones explicare aggredior hoc priori libro.

CAPVT PRIMVM.

De Existentia scientiæ Canonicæ.

QVÆST. I. *De nomine scientiæ Canonicæ & Hieropoliticæ.*

QVÆST. II. *An existat aliqua scientia Canonica & Hieropolitica.*

REI de qua disputamus existentiam supponere, aut de illa primùm quærere nos oportet, cùm non-entis nulla possit haberi cognitio, vel disputatio moueri. Quæstio igitur de existentia rei, cæteris omnibus præponi debet, ex Aristotele 2. *Posteriorum, text.* 32. Eúmque esse legitimum tradendæ doctrinæ ordinem pluribus ostendit Stephanus Bubalus *in commentationibus Angelicis, in art.* 1. *quæst.* 50. 1. *part. S. Thomæ*, à quo nos discedere non debemus, ne ipso initio nostræ huius scientiæ à scientifica methodo aberremus.

QVÆSTIO PRIMA.

De nomine scientiæ Canonicæ.

De voce Canonis, num. 1.
Vocis etymon & varia significatio, n. 2.
Est mensura, mensuratio, mensuratum & Regula, num. 3.
Vectigal & pensio, n. 4.
Catalogus sacrorum librorum, n. 5.
Canon Missæ, n. 6.
Matricula Clericorum, n. 7.
Dictica sacra, n. 8.
Lex Ecclesiastica vnde, & cur. n. 9.
Nomen scientiæ Canonicæ, vnde, & cur. n. 10. & 11.
Nomen scientiæ Hieropoliticæ, n. 12.

1 DVO nomina damus huic nostræ scientiæ quam molimur; vtriusque rationes non erit difficile reddere.

2 Nam vocem Canon, κανών, ab Hebræo *Kaneh* קנה deriuari voluit Vossius, reddique à LXX. interpretibus κάλαμον, & καλαμίνον calamum, qui est Arundo; Ex qua cum olim fuerint tibiæ, vt habet Pollux, pro tibia quoque vsurpatur, sicut & pro pennis quibus scribimus, quia iis eam in rem vtebantur Ægyptij, vnde Martial. *lib.* 14. *Epigr.* 38.

Dat chartis habiles calamos, Memphitica tellus:
Texantur reliqua tecta palude tibi.

Sensus est calamis Ægyptiis scribi oportere, cæteris tecta muniri, illis tamen Cnidios præfert Plin. *lib.* 14. *cap.* 36. de calamo Mæandri in calamum Arundinalem verso, nota est fabula apud Seruium *ad Ecclog.* 5. *ad illud, ne calamis solum æquiparas.* Calamus igitur

arundo est, de cuius erymo, vide plura apud Vossium, qui etiam ab Hebraica voce deducere tentat; quidquid statuas, non est improbabile ab Hebræo *Kanech*, vt diximus deduci cannam, & à canna canonem. Cum enim canna recta sit, eâ vsi sunt veteres, vt esset recti mensura, sicut & calamo: & κανὼν significat aliquando κάλαμον μίτον nempe circa quem fila inuoluunt textores, vti interpretatur Scholiastes Homer. *Iliad.* 4 Vulgò quoque cannam, Arundinem, & calamum, confundunt, sed non bene. Nam canna maior est calamo, & minor arundine. Vnde Col. *lib.* 4. *cap.* 32. *Ea est Arundineti senectus, cùm vel exaruit situ, & inertia plurium annorum, vel ita densatum est, vt gracilis & cannæ similis arundo prodeat.* Græcis est κάννα, quod Hesych. Eustath. & alij exponunt ψίαθος, tegetem, stoream, mattam. Ouid. 6. *Fastorum.*

——Plaustróque morantes
Sustulit in plaustro scirpea matta fuit.

Est verò ψίαθος propriè planta, ex quâ tegetes confici solent, Canna & Κάννα ab Hebræo, vti monuimus *Kanech* קנה à Canna quoque deriuare poteris canere quod canna & calamo, canere soliti sint Agricolæ, idque verius quàm quod aliqui arcessunt ἀπὸ τοῦ χαίνειν *Hiare*, nempe ab Æolico Aoristo χάνον τῷ ἔχανον, quia Æoles & augmentum & aspirationem fugiunt, vti quid barbarum: verùm grande discrimen est inter hiatum & cantum. Sed omissis his Grammaticorum dissidiis circa canonis deriuationem, siue ab Hebraica voce, siue à Latina canna.

3 Certum est primò vsurpatum esse canonem, pro mensura & recti regula. Vnde ipse Paul. 2. ad Corinth. 10. 13. *Nos in immensum gloriabimur, sed secundum mensuram regulæ quâ mensus est nobis Deus*, κατὰ τὸ μέτρον τοῦ κανόνος οὗ ἐμέρισεν ἡμῖν ὁ Θεὸς μέτρου. & vers. 15. *Spem autem habentes crescentis fidei vestræ in vobis magnificari secundum regulam nostram in abundantiam*, ἐν ὑμῖν μεγαλυνθῆναι κατὰ τὸν κανόνα ἡμῶν εἰς περισσείαν. & sequenti vers. 16. *Non in aliena regula in ijs quæ præparata sunt gloriari*, οὐκ ἐν ἀλλοτρίῳ κανόνι. Perpetuò igitur vsurpat Paulus canonem pro regula & τὸ μέτρον τοῦ κανόνος, dimensionem ex regula factam dicit, hoc est, non temere, vel nulla adhibita mensura, sed exquisitam & exactam ad regulam & κανόνα, qua voce Græci, Latinique significant regulam ad quam omnis generis mensores, vt Agri mensores, Architecti, Pictores, Scribæ & cæteri artifices operis sui rationes exigunt. μέτρον vocat Paul. ipsam διαμέτρησιν dimensionem, quam Deus quasi ad regulam exigeret, & ipsi Apostolo limites eius præterire & Pseudo-Apostolis in illam inuadere nefas sit, húncque sensum Pauli contextus ipse indicat. Itaque μέτρον significat tum illud quo metimur quidpiam, vt regulam, vlnam, decempedam, modium, cyathum, tùm ipsam metiendi rationem, siue dimensionem, διαμέτρησιν & denique, illud ipsum quod nobis admensum est, vt dum iugerū, agri modium frumenti dicimus: Quæ tria sæpius etiam designantur nomine canonis, qui est regula quâ quid metimur, & ad quam dimensionem ipsam exigimus & denique illud quod ad mensum est & regulatum Κανὼν igitur propriè regula est, ad quàm exiguntur longitudines, sicut ad perpendiculum κάθετον altitudines, ad normam γνώμην Anguli. Atque ex hac propria canonis significatione, plures alia per metaphoram & translationem sunt vsurpatæ, Cicero ad Tyron. *qui* Κανὼν *scriptorum meorum, esse solet.* & in trutinis pars quæ in scapi & iugi medio, instar linguæ constitit, & libramentum, ostendit κανὼν dicitur, nos examen vocamus; Imò ipsa trutina κανὼν est Aristophani in Ranis, Regula & virgulæ quibus clypeos tenebant κανόνες nominantur ab Homero *Iliad.* θ. Carebant enim adhuc fibularum vsu Chrysost. *in Epist. ad Ephes.* clathros cauearum, quibus feræ clauduntur, κανόνας vocat quæ nimirum virgis rectis conficiantur.

4 Quia verò regula aliquid certum, constans, atque immutabile est, cùm regula non possit esse obliqua, vel non recta. Tributum & vectigal ordinarium, immutabili forma, & eodem tenore quod inferri ærario debebat, & nunquam imminuebatur, canonem nominarunt, vti colliges ex *l. fin. C. de canon. largitio.* quo etiam nomine vocatur pensio, quæ ab Emphyteuta domino præstatur, vt habes *in eodem Cod.* quia erat constituta certa, & stata regula, quam in eiusmodi præstationibus & maximis tributis & indictionibus seruari oporteret, vt certus vini, frumenti, argenti, & rerum aliarum modus penderetur; ne foret infinita illatio, *l. modius C. de susceptorib. & Arcar. & C. de Cano. frum. vrbis Romæ.* Itaque Canon publicus dictus est anniuersaria pensitatio, functio, collatio, præstatio, quæ à Prouincialibus, populo Romano, Constantinopolitano, Alexandrino, quotannis gratis & sine pretio pendebatur qui canon annonariis speciebus constabat, frumento, vino, carne, oleo, quæ omnia ostendimus in opere *de rerum humanar. negotiatione lib* 2. *cap.* 2. *art.* 3 *n.* 10. & *art.* 1. *n.* 1. quare *Canonicarij* erant palatini qui mittebantur in prouincias ex scrinio Canonum ad exigendos titulos fiscales: mittebantur verò vel à Comite domorum vel à Præposito sacri Cubiculi, vel à Comite priuatorum: quæ omnia fusius ex Cassiodoro, & aliis veterum monumentis ostendimus *capu.* 2. *cit. art.* 15. *num.* 3.

5 Sacrorum librorum Catalogus quia eorum inuiolabilis est authoritas & ad ipsos tanquam ad certissimam normam exiguntur dogmata christiana, dictus est canon & libri in eo recensiti Canonici hoc est in Canone scripti.

6 Est & κανὼν λειτουργίας nos Canonem Missæ dicimus quia in eo est legitima & regularis sacramenti confectio, vti obseruat VValfred. Strabo *de rebus Ecclesiast. cap.* 21. & Microlog. *lib. de Ecclesiast. cap.* 12. qui addit dici quoque orationem & actionem, quia tunc conficiuntur Sacramenta & gratiarum actiones redduntur: quin & potuit dici canon quia ordo ille & ritus consecrandi sacramenta nunquam mutatur vti ait Vigilius P. R. *Epistola ad Eutherum* cap. 5. *ordinem quoque precum, neque in celebritate Missarum nullo nos tempore, nulla festiuitate, significamus habere diuersum, sed semper esse eodem tenore oblata Deo munera consecrare*: & post paolò vocat *canonicam precem: quapropter & ipsius canonica precis titulum direximus, quem Deo propitio & Apostolica traditione accepimus*; Canonis quoque voce vtitur S. Gregorius XXV. annis Vigilio posterior *l.* 7. *Regist. Indict.* 3. *ep.* 63. illi enim obiiciebatur quod orationem dominicam post canonem recitari statuisset hæreticorum morem sequutus Optatus *lib.* 2. *contra Parmenian.* legitimum nominauit quod nos dicimus canonem in Sacramentorum confectione.

7 Catalogus & matricula Clericorum qui in aliquam Ecclesiam admittebantur, vt illi in certis gradibus & ministeriis deseruirent, vocabatur *canon* & illi inscripti dicuntur à Nicæna Synodo ἐν τῷ κανόνι ἐξεταζόμενοι quos si suam Ecclesiam vel parrochiam deserant iubet Synodus can. 16. ad illam redire, atque ab aliis Ecclesiis recipi prohibet, & priuari communione ἀκοινωνήτους εἶναι nisi repetant propriam Ecclesiam & si ab alio quopiam ordinentur non consentiente proprio Episcopo ordinationem nullam esse vult: ἄκυρος ἔστω ἡ χειροτονία erant itaque plures species Clericorum quorum aliqui in certæ cuiusdam Ecclesiæ canone & matricula scripti erant, alij nequaquam, de quibus alius erit disserendi locus.

Index

8 Index prætetea Episcoporum quorum nomina recitabantur intet missarum solemnia, dicebatur canon; quia in ea parte missæ quam canonem, vt monui, vocamus tecitabantur, & si contra fidem peccassent vel non numerabantur in canone vel etiam ab eo eradebantur, quod à Romanis Pontificibus sæpius factum fuisse in causa Patriarcharum Constantinopolitanorum hæreticorum produnt annales.

9. Denique Canonis vocem vsurpant ad significandas leges quibus aliquid cerri præscribitur, quæque sint regula & norma ad quam facta omnia exigenda sunt vt recta & proba censeantur, quamuis autem ea vox leges quascumque in ea signatione designare possit, cum omnes regulæ sint politiæ alicuius, & normam ragendi rempuhlicam contineant, communi tamen vsu ad leges Ecclesiasticas fere restricta est ea vox, quia eiusmodi legibus & Canonibus, *reuerentia intemerata custoditur & seruatur*, vt loquitur Leo *epist. 61. ad Maximum Antiochenum*, & Gregor. *lib. 11. epist. 44. Canonum manet incolumis atque intemerata semper authoritas*, illi siquidem oon hunc aut nouissimè sunt instituti sed à veteribus patribus ipsisque adeo Apostolis Ecclesiis traditi, quare Athanas. epistola ad orthodoxos: *οὐ γὰρ νῦν κανόνες καὶ τύποι ταῖς ἐκκλησίαις ἐδόθησαν, ἀλλ' ἐκ τῶν πατέρων ἡμῶν καλῶς καὶ βεβαίως παρεδόθησαν.* Causam vero cur constitutiones Ecclesiasticæ Canones potius quam leges fuerint appellatæ reddere mihi videtur Ioannes Scholasticus Patriarcha Constantinopolitan. præfatione in suam collationem Canonum, ex discrimine politiæ Ecclesiasticæ & ciuilis. Cum enim Apostoli & cæteri deinceps Pontifices pascendam Ecclesiam ex gentibus & Iudæis coactam suscepissent, non existimarunt æquum esse grauiores pœnas cædis & vulnerum in delinquentes sancire, & vt ipse loquitur, *τοὺς πλημμελοῦντας αἰχίζειν*, verberibus fœdare Homerica phrasi *Iliad. β. ἀεικέσι πληγῇσιν*, vti faciunt leges ciuiles, sed potius delinquentes emendare, & ad bonam frugem reducere statuerunt, atque vt faciliùs suauiùsque Christianam & Ecclesiasticam disciplinam continerent, communi quodam consensu in suis Synodis leges quasdam & regulas, non ciuiles sed diuinas, de iis quæ agenda aut non agenda forent composuerunt, *νόμους τινὰς καὶ κανόνας, οὐ πολιτικοὺς ἀλλὰ θείους περὶ τῶν πρακτέων εἰ μὴ πρακτέων.* ea ratione vitam & mores cuiusque emendantes, & probos ac rectos efficientes, *τὸ ἑκάστου βίον καὶ τρόπον ἐπανορθούμενοι*, atque ita eos qui recta incedebant via fulciebant, & qui deuiarent corripiebant reducebántque.

10 Ex hac vltima Canonis significatione quamuis minus propria sit, communi tamen omnium consensu oominamus nostram hanc scientiam canonicam, hoc est, scientiam Canonum siue regularum Ecclesiasticarum, quibus regitur Ecclesia, sic enim absolutè nomen Canonis, & regulæ vsurpant PP. *κατὰ τὴν τῶν κανόνων τάξιν; παρὰ τὴν κανόνων ἀκολουθίαν*, in Conc. Ephesin. Chalcedon. atque alibi sæpius, aliquando tamen adducit vocē Ecclesiæ vt Conc. Ephes. action. 11. dum PP. citant denuo Ioannem Antiochenum, *ἔξω πάσης ἀκολουθίας ἐκκλησιαστικῆς κανόνων*, præter omnem Ecclesiasticam consequentiam Canonum, quia iam satis sæpéque citatus fuerat, neque Canones vlteriorem citationem requirebant, & Euagrius *histor. lib. 2. cap. 2.* agens de iis quæ à Dioscoro Alexandrino, *κατὰ τῆς τῶν κανόνων τάξεως καὶ τῆς ἐκκλησιαστικῆς καταστάσεως*, contra Canonum ordinem & Ecclesiasticam disciplinam commissa erant; aliàs iubent in Synodis PP. recitari canones nullâ voce additâ vti passim in Concil. Chalcedonensi *actione 3. 4. 11. & 13.* eodem modo Latini regulam vsurparunt vel absolutè vel addito nomine Ecclesiasticæ. Sic Episcopi Prouinciæ Pisidiæ *in Synodica ad Leonem Imperatorem, tom. 2. Concil. general.* Eos qui Timothæo damnato, ab Ecclesia scientes commuoicarant extraneos ab Ecclesia, indicant, *secundum consequentiam regularem*, sine vlla spe restitutionis & afferunt *regulam* 83. quæ ex canone IV. Concil. Antiochen. & Episcopi Europæ prouinciæ in sua etiam Synodica eos qui in locum damnatorum suffecti fuerant & ordinati præter Ecclesiasticam consequentiam indignos iodicant suo gradu. Agapit. Episcopus Rhodi in sua epistola iure merito damnandum, & ab ordine clericali remoueri vult, *qui sanctorum Canonum sanctiones vastaris*, vocari tamen vult vt Ecclesiasticarum sanctionum consequentia custodiatur. Dionys. exiguus in epistola quam codici canonum Ecclesiasticorum præfixit, ait se regulas Nycænæ Synodi, & aliarum deinceps ordine digessisse. Hincmar. Remens. Archiep. *opere LV. capitul. ad Hincmar. Laudunensem*, citat plures Canones nomine duntaxat regulæ addito oumero quo recensebantur in corpore iuris, ex quibus, aliisve locis quæ passim occurrent certum est nomen canonis & regulæ, apud Græcos & Latinos passim vsurpatum esse, vel absolutè, vel cum aliqoo addito ad significandas leges quibus Ecclesia ex Syoodorum decretis regebatur.

Non iniuria igitur scientiam quæ politiam & disciplinam Ecclesiasticam Canonibus & regulis, vti loquuntur Patres, contentam explicat, Canonicam absolutè nominamus; cum de Canonibus agat & disserat, qua etiam ratione ius Ecclesiasticum, ius Canonicum vulgò dicimus, vt à iure ciuili & politico distinguamus, oec dissimili ratione pars quædam Mathematicorum dicitur *κανονικὴ*, & Aristophan. Plutarch. atque Eusebius *κανόνας χρονικοὺς* habent. Dices denominationem illam scientiæ Canonicæ nimis vagam & indeterminatam esse, cum æque de Canonibus temporum, aut numerorum, aut sacrorum librorum, aut Clericorum Ecclesiæ vel liturgiæ aliisve eiusmodi legibus, atque de Ecclesiasticis regulis accipi valeat, nisi addatur quidpiam quo vaga illa significatio ad aliquid certum de quo tractatur determinetur, vti fit quando dicuntur *Κανόνες χρονικοί*, & pars Mathematicorum dicitur *Κανονικὴ*, statim enim intelligitur agi de regulis & Canonibus in temporum recensiona seruandis vel in Arithmetica, aut Geometria circa mensuras terrarum & numerorum supputationē & quando de sacrorum librorum canone aut Clericorum matricula vel missæ Canone id ex aliquo addito dignoscitur, at verò cum nomen scientiæ Canonicæ absolutè pronuntiatur æque de canonica Mathematica, aut Chronologica, aliáve quapiam, atque de Ecclesiastica poterit intelligi; adiiciatur igitur oportet aliquid scientiæ Canonicæ inscriptioni, qoo significetur disseri de Canonibus & regulis Ecclesiasticis. 11

Respondeo in primis huius nominis significationē ex ipso antiquo & vulgari vsu ad certam materiam nempè Ecclesiasticam disciplinam quam dirigunt canonā determioari, sicut quādo dicimus ius canonicum ex communi vsu, ius Ecclesiasticum designamus, & quando nominatur absolutè *Κανονικὴ* de parte quadam mathematica nos loqui intelligitur. Deinde nouum non est vt species aliqua nomen commune totius generis sibi vindicet tanquam proprium; & ne à scientiis & disciplinis abeamus, Mathesis si ipsam naturam & vim nominis attendamus *πάντα μαθήματα*, siue omnes disciplinas comprehendit, qua ratione vocem illam *μαθηματῶν* accepit Sextus Pirrhonius, cum libros 10. aduersus mathematicos scribit, neque enim tam aduersus Arithmeticam & Geometriam disputat, quam Grammaticem, Historiam, Poëticem, Practicam,

Rhetoricam, Aſtrologiam, Iudiciariam, Muſicam, Logicam, Ethicam, & tamen matheſis ex recepto vſu ſignificat, eam diſciplinam quæ conſiderat *τὸ ποιὸν ἢ πηλίκον* quale & quantum ſiue vno verbo quantitatem à materia ſingulari & ſenſibili abſtractam. Sumit verò ſibi nomen genericum diſciplinæ non vti vult Plato in Mennone quia cum omnium diſciplinarum facile reminiſcamur, præcipuè tamen iſtarum; quæ videtur eſſe quoque ſententia Procli *in priorem librum Euclidis*, cum ait nullo ſtudio æque in matheſi habere locum æternarum cogitationum *ἀνάμνησιν*, *ſed quod nugamentum* pridem reiectum eſt contra veterem qui ſcientiam nihil aliud eſſe quam *ἀνάμνησιν* arbitrabatur. Itaque verius videtur has diſciplinas mathematicas nominatas fuiſſe, quia quoodam ſolæ primò diſcebantur antequam ad philoſophiam naturalem vel ciuiles animum applicarent, vel *κατ' ἐξοχὴν* nomen *μαθήσεως* retinuerant, propter certam & conſtantem demonſtrandi rationem: denique quidquid de huius nomenclationis ratione ſtatuatur, nomen genericum huic ſpeciali diſciplinæ tributum eſt. Quidni igitur nomen ſcientiæ canonicæ de diſciplina & cognitione Canonum Eccleſiaſticorum præcipuo quodam iure vſurpabitur cum illæ Eccleſiaſticæ regulæ iam diu Canones nullo addito vocentur, & quoties de aliis Canonibus vt temporum vel numerorum loquimur, quidpiam adiici ſoleat quo ab aliis diſtinguantur vt dum dicuntur *κανόνες χρόνικοι*, aut inter partes arithmeticas vna Canonica nominatur: nam ſtatim apparet illam ad numeros aut geometriam pertinere, ſcientia igitur canonica quam aggredimur eſt ſcientia de diſciplina Eccleſiaſtica, ſiue de Canonibus quibus regitur Eccleſia, ſiue ſcientia de iure Canonico, eiuſve ſcientifica expoſitio atque hactenus de hoc nomine ſcientiæ Canonicæ quod nouum videri non debet.

12 Alterum nomen quod donamus huic ſcientiæ eſt *Hieropolitica* quod ſatis apertum eſt cum doctrinam totius ſacræ & Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſignificet ſicut cum Theologi nominant hierarchiam cæleſtem & Eccleſiaſticam ſacrum quendam principatum qui inter angelos, atque etiam in Eccleſia exercetur; ita nos ſacram politiam, quâ regitur Eccleſia hieropolitiam dicimus, & ſcientiam quæ ad illam hieropolitiam pertinet: *πολιτεία* enim & *πολίτευμα* eſt Ciuitatis ſtatus, gubernatio, publica inſtitutio, atque etiamnum regimen ſiue conuerſatio ne modo ab Ariſtotele *lib. 3. & 4. politic.* ea vox vſurpatur, ſed etiam à noſtris authoribus Suïdas verbo *βίος πολιτεία καθαρωτέρα* ſtatus, conuerſatio purior: Nazian. oſtendit æqualem eſſe vim baptiſmatis collati à quocumque & licet baptizator *βαπτιστὴς* excellat adminiſtratione *τῇ πολιτείᾳ, περιέχῃ*, Chryſoſtom. qui rectè ſe gerunt vt decet Euangelij ſtatum *τὴν κατὰ τὸ εὐαγγέλιον πολιτείαν κατορθοῦσι* & alibi *εὐσεβείας ἄσκησιν* & *κατὰ τὸ εὐαγγέλιον πολιτείαν* ſalus igitur ſcientiæ ordinandæ gubernandæque ciuitatis hieropolitica dicitur ab Ariſtotele, Platone aliiſque paſſim. Ita ſcientia adminiſtrandi Eccleſiam quæ ſacra quædam ciuitas eſt, vt alibi monuimus, hieropolitica iure dici potuit vnde eiuſdem ſcientiæ dignitas colligitur, de illa enim dici poteſt quod de ciuili politia dixit Iſocrat. *πολιτεία ψυχὴ πόλεώς ἐστι τοσαύτην ἔχουσα δύναμιν, ὅσην ἔχει ἐν σώματι φρόνησις*, hæc enim cognitio mens eſt & anima Eccleſiæ quæ ſine rege admodum perturbari poterit.

QVÆSTIO II.

An detur ſcientia Canonica & Hieropolitica.

HÆc quæſtio videri poterit inutilis & ſupernacanea, ſi ſcientiæ nomen latiùs vſurpemus pro quacumque cognitione & diſciplina, vti facimus hoc loco; vtrum vero iſta cognitio verè & propriè dicta ſcientia exiſtat, quæ per veras demonſtrationes & *ἀποδείξεις* procedat, quæſtio eſt maioris operæ; quam ſequenti capite fuſius explicabimus. In acceptione verò vulgari & communi ſcientiæ quæ omnes habitus intellectuales indicat, quæſtio iam definita manet; cum nemo iure negare poſſit exiſtere aliquam cognitionem Canonum, ſicut & ſcientiam Eccleſiaſticæ politiæ vel diſciplinæ, & ſanè ſtudium quod veteres perpetuò adhibuere in cognoſcendis & perquirendis eiuſmodi Canonibus & regulis, vt ex illis controuerſias Eccleſiaſticas dirimerent quod ſæpiùs ſe facere profitentur, Synodi, Collectiones Synallogæ Canonum frequentes, vt faciliùs innoteſcerent & haberentur veluti ad manum, & denique publicæ ſcholæ inſtitutæ in Academiis ad docendum ius canonicum, ſatis euidenter oſtendunt dari doctrinam aliquam canonicam quæ ſi inutilis eſſet, fruſtra & doceretur & diſceretur, denique ex toto hoc opere quod molimur apertè conſtabit exiſtere cognitionem aliquam & ſcientiam canonicam, quæcumque tamen illa ſit, quod ſequenti capite quærendum eſt neque in eius exiſtentia probanda diutiùs immorari nos oportet.

CAPVT II.

De natura ſcientiæ Canonicæ & Hiero-politicæ.

NATVRAM habituum & potentiarum non poſſumus explicare, niſi ipſarum obiecto explicato, cum eſſentialem ordinem ad illud includant ab eoque ordine ſpecificentur & eſſentialiter in ſe conſtituantur, atque ab aliis habitibus & potentiis differant, quæ eſt conſtans philoſophorum omnium ſententia, quare non poſſumus naturam & eſſentiam ſcientiæ Canonicæ explicare niſi nobis prius de eius obiecto conſtet. Sit itaque.

QVÆSTIO

QVÆSTIO I.

De obiecto Scientiæ Canonicæ.

CVm vix vllus cognitionem istam Canonicam tamquam veram scientiam hactenus babuerit aut explicarit, sed omnes fere contenti fuerint diuersos Canones colligere & ad vniuersalia quædam capita reducere, quod iam olim factum fuisse in paratitlis diximus alibi, non laborarunt in inuestigando totius & vniuersalis Scientiæ Canonicæ & Hieropoliticæ certo quodam obiecto, quare varias Doctorum opiniones pro more de hac quæstione referre non possumus, cum tamen plures & diuersæ esse possint. Nam aliqui dicunt obiectum & materiam huius scientiæ esse res omnes & actiones de quibus feruntur ipsi Canones: Alij esse ipsam Ecclesiam quam velut politiam & sacram rempublicam contemplatur & dirigit, eiusque partes singulas considerat: Alij esse ipsum ius Canonicum siue ipsas regulas & Canones quibus regitur Ecclesia: Alij personas & res Sacras, atque iudicia quæ de ipsis exercentur; Ioannes Imola *in proœm. decretal.* voluit esse rem Ecclesiasticam de cuius acquisitione, retentione, consetuatione, alienatione disputat, sicut & de vita & moribus secundum Ecclesiæ præscriptum in diuinis & sacris ministeriis instituendis.

Notationes ad Intelligentiam quæstionis.

1 Ponendum in primis est ex Sancto Thoma 12. *q* 1. *art.* 1 & aliis locis quæ congessit Capreol. *q. 4. prologi. art. 2. c. 3.* obiectum cuiuslibet habitus & potentiæ, aliud esse materiale, aliud formale: materiale est illud ipsum ens quod ab habitu & scientia consideratur præcisè & in se ipso spectatur: formale est illud ipsum ens secundum rationem, per quam habet vt à tali scientia consideretur, v. g. in obiecto Physicæ, quod est corpus naturale vt naturale, ratio materialis est corpus naturale: formalis vero est illa naturalitas quæ indicatur reduplicatione *vt naturale*; Naturalitas enim est ratio propter quam corpus naturale spectatur à Physica, neque illi sub vlla alia ratione conuenit, itaque obiectum materiale & formale non sunt duo obiecta distincta, sed est duplex veluti ratio in eodem obiecto, quæ denominationem istam præbet. Ex analogia compositi naturalis in quo materia est aliqoid indeterminatum & indifferens ad varias formas suscipiendas, forma est id quod vagam illam materiam restringit, & ad certum quoddam entis genus contrahit, quia vt dicitur *lib. 2. de anima textu.* 26. forma dat esse rei, vt sit & vt vna sit, cum igitur aliqua res est indifferens vt diuersarum scientiarum cognitionem terminet, est obiectum materiale, sic linea spectat ad Geometriam & perspectiuam: Operationes mentis ad Logicam & animasticam: Angeli motores ad physicam, & primam philosophiam, corpus naturale ad Physicam & medicinam, quare omnes illæ Res ob sui indeterminationem dicuntur obiecta materialia: formale verò obiectum est illud quod materiale vagum & fluctuans ad vnum quidpiam restringit, seu potiùs est medium vel modus sub quo consideratur tale ens vti notat Zabarella *lib. 3. de natura Logica cap.* 18. Ita visuale restringit lineam ad opticam. Ex duabus igitur istis rationibus materiali & formali fit vnum obiectum, hæc autem ratio formalis vti aduertit Capreol *in q. 4. prologi. art. 1. cap. 3.* Ferrar. *in cap. 4. lib. 1. contra gentes §. sciendū.* Caiet. 1. *p. q. 1. art. 3. §. ad euidentiam*, atque ex illis recentiores deinceps, maximè Gill. *lib. 1. tract. 3. cap. 1. &* Fasolus *in 1. p. q. 1 art. 7. dub. 3.* duplex est nempe *formalis qua & propter quam* seu *qua*, aut vt loquitur Capreol. *formale quod, & formale quo.* Ratio formalis quæ est ratio constitutiua obiecti in esse, quod principaliter & primario scientia contemplatur siue illud esse sit substantiale obiecto; seu accidentale, vt visualitas in linea, quæ est subiectum optices, ac proinde hæc ratio formalis dat suo obiecto tum primario cui est intrinseca, tum reliquis omnibus quæ habent attributionem ad primarium vt possint terminare cognitionem, vt quod; vnde appellatur à Caietano ratio constitutionis obiecti vt res est, ab aliis verò ratio terminatiua. Nihilominus hæc ratio *formalis qua*, nondum complet obiectum vt obiectum est, seu vt scibile est, cum possit à pluribus habitibus attingi, vt patet in Deitate quæ est ratio formalis nostræ Theologiæ, & Beatorum & fidei, debet igitur amplius determinari per vlteriorem aliam rationem, quam appellant *qua* seu *propter quam*, vel vt loqoitur Molina 1. *p. q. 1. art. 2. disp.* 1. medium mouens ad assentiendum determinat enim vltimò habitum vt tendat in omnia sua obiecta, ac ipsammet rationem formalem *qua* sub certa ratione assensus, ac proinde ratio formalis *qua* dicitur etiam aliquando *ratio materialis* quia est iterum determinabilis per vlteriorem veluti formam, quæ constituit obiectum in ratione scibilis, licet enim sit ipsi aliquando extrinseca vt res est, & de ea tantum denominatiuè dicatur, est tamen illi intrinseca quatenus scibile est: hoc explicat S. Thomas *q* 24. *de verita. art.* 8. *ad* 4. in obiecto visibili, nam color est ratio formalis *quæ*, lux vero ratio *qua* vel *sub qua*: color enim primo quidem & per se videtur non tamen nisi mediante lumine.

Obseruandum præterea est rationem hanc Motiuam posse sumi dupliciter, primò materialiter prout est quoddam tale principium & medium quod mouet ad assensum, secundò formaliter prout sobstat tali & tali lumini; & quidem primo modo non specificat obiectum, sed tantum secundo modo, quia idem motiuum materiale diuerso modo appellatum gignit diuersos assensus, vt vides in opinione & scientia quæ gigni possunt ex iisdem præmissis, sed diuerso modo cognosci, euidenter nempè & probabiliter tantum, ratio est quia intellectus non fertur in Conclusionem absolutè vt propositio est, sed vt illatio, & vt habet habitudinem ad præmissas ex quibus deducitur & ad quas totus assensus tandem resoluitur, & obiectum non fœcundat quodammodo intellectum ad partum cognitionis nisi per antecedentem sui notitiam; ex se enim indifferens est ad quamlibet cognitionem, sed ex diuersitate seminis sequitur partium diuersitas; qua de causa Caiet. hanc rationem motiuam appellat rationem *sub qua*, qua voce nos disputationis causa abstinuimus. Hinc sequitur rationem hanc motiuam specificare habitum & potentiam, non vero rationem terminatiuam seu subiectiuam, seu rationem *quæ*: quia à priori ratione *sub qua* obiectum habet vt sit motiuum potentiæ & actuum respectu 2

actus eliciri, & ea posita scibilitate actiua, vt sic dicam, poteſt generare diuersas notitias specie, & ea sublata non potest, cum ab ipsa tantum aut secundum ipsam pendeat actus a potentia, & non secundum aliam, quare secundum eam terminat actionem quam facit potentia, ab ea igitur sumetur distinctio actuum atque ipsum obiectum constituet in ratione scibilis, etiamsi in ratione rei sit tantum eius passio vt dicebat Caietan.

Præter has duas rationes formales *qua & qua* siue *propterquam* constituitur vulgò & alia tertia, quam dicunt *sub qua*, licet veteres duas illas posteriores comprehendant in ratione motiua: est verò ista ratio formalis, *sub qua*, conditio quædam ex parte obiecti sine qua non posset mouere potentiam, nec eius actum terminare: Eiusmodi, sunt in scientiis naturalibus abstractiones diuersæ quæ neque in se ipsis attinguntur, neque sunt motiuæ assensuum sed tantum, vt dixi, conditiones ex parte obiectorum vt huius aut alterius cognitionis actum terminare possint.

3 Obseruandum tertiò. Est obiectum quod ex formali & materiale coalescere diximus iterū diuidi in totale, & partiale; Totale est illud ad quod omnia de quibus habitus vel scientia tractat referuntur aliquo modo, vel vt principia, vel vt cōclusiones, vel vt proprietates, vel vt accidentia, diciturque tale obiectum adæquatum, Alensis 1. *p. q. 1. memb. 3.* vocat *materiam de qua secundum essentiam.* Ocham *q. 3. principali & q. 3. annexa quæ est ordine 9. circa finem, primum primitiua perfectionis.* Petrus à Tarantas. Apud Carthas. *in 1. q. 4. subiectum intentionis.* Bonauen. *q. 1. radicale.* alij *specialiter & principaliter intentum*, quia nempe ratione sui & non alterius venit in considerationem; alij vulgò *subiectum attributionis*, quia cætera omnia vt iam dixi considerantur tantum quatenus habent attributionem ad illud & ideo Gregor. *q. 4. prologi art. 2. §. nunc dicendum primum primitiuæ communionis vel prædicationis.* S. Thom. in 5. *Metaph. Lectione* 7. & Syluest. 1. *p. conf. q. 4. art. 16. commune* nominant Partiale verò obiectum, est aliqua pars obiecti totalis. v. g. corpus naturale est obiectum totale Physicæ, Cœlum verò Elementa, & alia eiusmodi corpora sunt obiecta partialia. Partiale iterum subdiuiditur in principale & minus principale Illud est nobilissimum quod in scientia tractatur vt in Metaphysica Deus.

4 Obseruandum est quartò in notitiis practicis finem & obiectum formale esse idem. Obiectum verò totale & adæquatum, quod diximus constare & ratione formali & materiali, debere coalescere ex materia & fine qui tamquam forma inducatur in illam materiam, sicut in omnibus artibus contingit, quæ in suam materiam seu subiectum inducunt aliquam formam, vt statuarius figuram Alexandri in marmor; quod subiectum non male Zabatella *lib. 1. de natura Logicæ cap. 15.* nominat subiectum in quo; illud porrò opus quod & ex materia & forma ipsi ab artifice inducta exurgit, est opus artis & eius subiectū totale, in eo siquidem distinguntur ars & scientia præcisè sumpta, & à cognitione merè contemplatiua quod ipsa faciat suum obiectum, non verò aliæ cognitiones; seruanda nihilominus est analogia inter scientias practicas & quoscumque alios habitus practicos siue artes, neque enim ratio scientiæ pugnat cum ratione praxis vt iterum mouebimus capite sequenti.

Quod verò dixi finem & Obiectum confundi in notitiis practicis statim apparebit, si distinguas duplicem finem cum Zabarell. *lib. 1. de natura Logicæ cap 15.* & Gillio *lib. 1. tract. 5. cap. 3. n. 2. & 3.* Alter finis est Internus, primus proximus & Immediatus, quem videlicet ex se, naturaque sua primò & principaliter intendit habitus, siue actualiter siue aptitudinaliter quod fusiùs disputat Gill. hic autem finis interdum distinguitur ab operatione qua acquiritur, vt in artibus factiuis hoc est quæ relinquunt aliquod opus post se, in architectonica v. g. domus differt ab ædificatione, quamquam ipsamet operatio & ædificatio dici possit finis, sed minus propriè cum sit via ad finem, aliquando verò non distinguitur ab ipsa operatione, vt in Ethica actio honesta, in musica sonus, in nautica nauigatio.

Alter finis est externus & remotus, diciturque externus, quia non fit ab ipsa arte, licet ab ea intendatur. v. g. in architectonica habitatio commoda, est finis, cum re vera ab illa intendatur, non fit tamen ab architectonica illa habitatio, & ideo dicitur ipsi esse externa. Hic porrò finis duplex est iterùm, vnus per se intentus ab arte, vt habitatio domus in domifactoria, scissio in fabricatiua gladij: non tamen actualiter intendi debet sed virtualiter tantum. v. g. qui gladium fabricatur aptum ad scindendū dicitur intendere scissionem, licet nihil de illa cogitet. Alter finis remotus & externus arti, est ille qui intenditur ab artifice non ab arte per se v. g. lucrum in eo qui discit aut docet physicam vt lucellum ex ea doctrina capiat. Hi fines externi & remoti inutiles sunt ad specificandum habitum, itaque de solo fine interno loquor cum aio finem coïncidere cum obiecto formali in habitibus practicis, quod ostenditur. Primò quia Aristoteles *lib. 6. Ethic. cap. 4.* ait artem esse circa generationem & productionem, nempe operis; vbi vt vides assignat pro obiecto & materia circa quam versatur ars, ipsum opus; atqui illud etiam finis est cum per se intendatur ab arte, simili ratione obseruat Niphus in *lib. 1. de interpret. Aristotel.* semper initio suorum librorum vocare obiectum, intentionem & finem, quod videlicet ad illud tota intentio dirigatur.

2. Distinctio specifica cognitionum petitur ab obiectis, atqui Notitiæ speculatiuæ & practicæ differunt solummodo penes fines, quod vna videlicet intendat dumtaxat rem cognoscere, ac proinde res cognita est eius obiectum, & finis eius cognitio; practica verò intendit prætereà facere, vnde opus, est eius obiectum & finis, idque constat Inductione omnium artium, in quibus clarum est fines esse eorum obiecta formalia, & vt medicinæ sanitas, architectonicæ domus.

Ex quibus omnibus probatum manet, quod initio dixeram obiectum adæquatum in practicis constare materia & fine in eam per artem inducto, cum ea sit ratio obiecti adæquati, vt ex materiali & formali, quod in his notitiis esse finem ostendimus, coalescat quod & ipsum manifestum facit Inductio; Ideircò enim corpus sanum, est obiectum adæquatum medicinæ, quia ea inducit sanitatem in animal, sanitas autem est eius finis; & actio honesta humana est obiectum moralis philosophiæ, quia in actiones humanas ea ipsa suis præceptis inducit honestatem. Denique non potest notitia practica facere suum obiectum nisi ponendo formale in materiali quod formale diximus esse finem. 5

Solutio quæstionis Propositæ.

His Paulò fusiùs obseruatis non difficile fuerit verum & proprium obiectum scientiæ canonicæ assignare; quod si de obiecto adæquato loquamur, Dico esse veram Religionem & diuinum cultum Christianam vel institutionem Ecclesiæ in sacris Christianis, & diuino cultu, Religionisque actionibus præstandis vel demum Institutionem actuum humanorum circa res diuinas & humanas ex religionis regulis; finis 6

verò

verò est veræ religionis institutio, promotio & conseruatio; vel etiam potest dici obiectum illud adæquatum esse actionem religiosam & Deo cultum verè christianum exhibentem; hæc enim omnia Synonima mihi sunt, nimirum vera religio, siue diuinus cultus Christianus & actio religiosa ad eam enim instituit & dirigit Ecclesiam scientia canonica siue potius eam actionem facit.

7 Hanc porrò assertionem sic demonstro in notitiis practicis, qualem esse scientiam canonicam supponimus modò, & capite sequenti docebimus, finis & obiectum coïncidunt quod in notatis probatum fuit; atqui finis internus, proximus, principalissimus, per se & ex natura sua scientiæ canonicæ, est actio verè religiosa & diuinus cultus, dixi finē proximū, non remotū, quia licet ad ipsum tandem ordinetur finis proximus, cum tamen finis remotus non fiat ab habitu practico, illum non specificat; sicut etiam in speculatiuis, obiectum remotum non tribuit speciem & essentiam habitui, deinde agn de fine interno, qoi per se proximè intenditur, imò & fit ab habitu practico, qui vti monuimus facit suum obiectum, quod proinde aliud non est quam eius opus, siue operatio, vti fuit explicatum; finis autem externus & remotus non fit ab habitu à quo tantum remotè respicitur, aut intenditur, quod etiam monuimus. Iam verò finem internum proximum, principalissimum, & per se intentum scientiæ Canonicæ & hieropoliticæ esse actionem verè religiosam, demonstrandum nobis restat. Quod facio inprimis ex fine administrationis siue iuris quo regitur Ecclesia, cuius iuris scientia canonica explicatio quædam est, omnis enim regiminis primarius finis præcipuaque intentio est vt Communitas quam regit, finem ad quem instituta est assequatur, cum enim in finem suas omnes leges & Instituta accommodare debet, cum enim politia sit vti definit Aristoteles *lib. 3. politic. cap. 4. alias 6.* ordinatio ciuitatis imperiorum, tum eius maximè qood potestatem habet omnium maximam *πόλεως τάξις τῶν τε ἄλλων ἀρχῶν καὶ μάλιστα τῆς κυρίας πάντων*, mala esset illa ordinatio & gubernatio quæ non pcomoueret ciuitatem ad finem ad quem instituta est, & quem intendit. Inde idem Aristot. *eod. lib. 3.* diuidit Politias in rectas, & non rectas prout bonum Communitatis procurant & ad finem intentum promouent. & *cap. 6.* rectam politiam definit quæ communem vtilitatem spectat, siue penes vnum, siue penes plures, aut etiam penes multitudinem & Populum sit Imperium; si enim proprium & non commune bonum spectatur ab aliquibus politiis illæ vero profectò non rectæ sunt, sed *παρεκβάσεις* digressiones, & aberrationes quædam, à fine nimirum qoem sibi præfigere debent: omnis enim Communitas & societas boni alicuius assequendi causa instituta est, vt ait Aristoteles *lib. 1. politic. c. 1.* Ciuilis autem societas quæ omnium præstantissima est *πάντων κυριωτάτη*, & cæteras omnes complectitur in bonum omnium præstantissimum ferri debet, vt ait *ibid. eod. cap.* bonum vero illud omnium præstantissimum *κυριώτατον πάντων* contendit esse felicitatem *lib. 7. cap. 1.* Idcirco siquidem ait non posse tradi scientiam de optima Ciuitate & politia, nisi prius quæratur quæ sit optima vita & beatitudo *τίς αἱρετώτατος βίος*. quare postmodum quærit *lib. 7. politic.* in quo consistat illud benè viuere, siue optima vita & fœlicitas Ciuitatis, & tandem contra veteres collocat Principalius in bonis animi, in cæteris autem tanquam in Instrumentis, vel ornamentis quibusdam, ita vt debeat esse maior excessus in virtute & actione studiosa ac intellectuali; mediocris verò possessio bonorum externorum: & deinde *cap. 2.* Cum iam constet illam esse optimam politiam, per quam omnes optimè agunt, & beatè viuunt, vlterius quærendum esse monet quænam sit optima vita & præferenda, an philosophica, peregrina, & contemplatiua, an ciuilis & actuosa, debet enim optimus vir, & optima Politia ad optimum istorum dirigere intentionem, & post agitatam pluribus de optima vita controuersiam, expensis veterum sententiis tandem concludit *cap. 13.* fœlicitatem Politiæ, esse operationem & vsum virtutis, ac proinde eam optimam Rempublicam siue Politiam existere in qua homines virtutis studiosi fiunt, siue quæ habet omnia necessaria ad illum optimæ & beatæ vitæ finem consequendum, quod obtinebit, non si sit aut bellica, aut protensis Imperij finibus latiùs dominetur, sed si habeat bonorum externorum sufficientiam, & in ea vigeant studiosa opera: In idque legislatoris & viri politici totam curam incumbere debere. Ex his omnibus efficitur politiæ atque adeo scientiæ Politicæ finem internum & principalissimum esse assequutionem finis, & bonum propter quod instituta est communitas quam regit, cum sua gubernatione ad illud bonum ipsam promouere omninò debeat, in eoque vniuersa eius versari, vti monebat Philosophus.

Iam verò Ecclesiam esse communitatem, eamque nobilissimam nemo dubitat de ea *tom. 2. fusius agemus,* 8
Obseruabimusque quod iam anticipare hoc loco cogimor. Illam duobus modis spectari posse, primò materialiter, quatenus est quædam hominum communitas ad præsentis vitæ naturalem finem, pacem & commoditatem ordinata; atque vt sic cum aliis communitatibus etiam infidelium conuenit, similemque illis politiam postulat. Secundò formaliter vt est Christiana, & ad animæ salutem, atque ad vitam æternam consequendam destinata, atque adeo spiritualis quædam & supernaturalis Respublica, & vnum corpus eadem fidei professione iisdemque sacramentis sub vno capite Christo eiusque Vicario colligatum. Ex qua duplici consideratione nascitur in eadem Ecclesia plurima diuersitas, vt suo loco dicemus, & maximè doplicis politiæ ac iuris quo regitur. Nam leges & Ius quæ sanciuntur Ecclesiæ, vt quædam communitas est ad bonum & finem naturalem ordinata, finem illum duntaxat attendunt, & materiam ac media illi fini proportionata, & eiusmodi leges dicuntur ciuiles & politicæ, iúsque ex illis natum ciuile quoque nominatur; leges verò Ecclesiæ vt quædam spiritualis respublica est, & vt ad finem & fœlicitatem supernaturalem tendit, non feruntur nisi intentione religionis, & diuinæ Iustitiæ, habentque bonum animæ pro fine atque adeo pro materia, aliquid ad finem illum ordinatum, dicuntúrque Ecclesiasticæ & ex iis nascitur ius Ecclesiasticum, quod & canonicum vocant, ex eo qood leges ex quibus nascitur, canonicæ dicantur, iuris igitur Ecclesiastici sioe Canonici finis primarius est religio Christiana, quam vnam attendit vt per eam tamquam per medium non modò maximè Idoneum, sed etiam vnicum, Ecclesiam ad beatitudinem supernaturalem promoueat, cum eam obtinere nequeat nisi religiosis actibus quod totum fusiùs iterum docebimus. *lib. 3. cap. 1. q. 9. §. 1.* Ex quibus, sic colligo; finis internus & proximus Scientiæ Canonicę est idem qui iuris canonici, (quod explicat & tradit) atqui illius iuris finis est Religio siue actio religiosa, & diuinus cultus, ergo Religio est finis proximus Scientiæ Canonicæ quod probare intendebamus.

2. Idem demonstratur ex analogia cum scientia morali, cuius obiectum assignabant virtutem Stoïci, quos 9
sequitur Cicero *lib. 1. offic.* Sic enim interpretatur quod ille de loco vocat honestum, Plato verò boni ideam; alij humiuem, quatenus secundum animam sanari potest.

test. Buridanus hominem prout est caput fœlicitatis S. Thomas actionem humanam quæ est medium ad consequendam fœlicitatem, quod alij explicant actionem humanam prout rationi consentanea est, & ad vltimum finem refertur vnico verbo dixeris actionem honestam: in quam sententiam aliæ omnes ferè conueniūt, ideóque nos illam in ea disciplina tradēda sequuti sumus, cum finis internus eius scientiæ sit rectitudo & honestas actionum, quibus fœlicitatem consequimur, quámque honestatem moralis scientia inducit in actionem humanam, quæ est eius obiectum materiale, atque ita ex illa actione humana tanquam materiali, & honestate tanquam formali exurgit obiectum adæquatum quod nominamus actionem ornatam honestate, quam scientia moralis sua directione producit, atque ita facit suum obiectum quod est proprium habitus practici, cuiusmodi est scientia moralis, simili prorsus ratione scientia canonica habet pro obiecto suo adæquato actionem religiosam & diuinum cultum, quem vnum intendit, vt per illum diuinam amicitiam, & fœlicitatem supernaturalem assequatur. Itaque finis ipsius internus est Religiositas, quam in primis actionibus humanis quæ sunt eius obiectum materiale, ex quo & formali quod est Religiositas, vel honestas religionis coalescit obiectum adæquatum, nempe actio religiosa quam facit, vti & cæteri habitus practici qui habent pro obiecto suum opus, vel operationem vti fuit explicatum in notatis. Non dicitur autem scientia canonica inducere veram honestatem religionis in actionem humanam quasi eam præsupponat tanquam materiam præiacentem, sicut neque scientia moralis inducit honestatem virtutis in actionem humanam præuiam & præsuppositam, sed quia vterque hic habitus instituit quo pacto actio humana dum elicitur honesta vel religiosa eliciatur, moralis quidem vt eliciatur consentanea rectæ rationi, ac proinde fiat honesta, & ad vltimum finem naturalem beatitudinem referatur, vel saltem referibilis sit, nam posset esse humana, & tamen non honesta. Imò & dissentanea rationi atque adeò inhonesta & ab vltimo fine materiali auertens: Scientia verò canonica facit suis regulis suaque directione vt actio humana quæ irreligiosa esse posset, & a fine vltimo supernaturali auocans operantem, verè religiosa sit; & ad eum finem nos promouens; cum enim actiones humanæ, quo nomine intelligimus actiones liberas, sint erroribus & obliquitatibus obnoxiæ, ac proinde dirigibiles ab intellectu qui voluntati liberè operanti facem præfert, dum voluntas lumen intellectus, & rectæ rationis dictamina circa materiam aliquam sequitur in operando, facit operationem rectam & honestam illius virtutis honestate, quam ipse intellectus & ratio tunc sequendam proponit & intellectus ac ratio quæ tunc dirigit operationem illam voluntatis, dicitur ipsi etiam honestatem imprimere. Idem dicendum est de habitu intellectuali qui intellectum & rationem ad eiusmodi directionem iuuat aut illuminat, & qui vna cum intellectu & ratione agit & voluntatem dirigit, atque actionem voluntatis suo modo efficit actionem honestam illa honestate peculiari qua carere poterat aut etiam caritura erat, itaque actio illa quæ tali honestate, mediante lumine talis habitus intellectualis perficitur & quodammodo informatur, nominatur materia; & honestas quam sortitur ex directione illius, habitus, forma; quidquid enim vagum & indeterminatum est ad plures rationes siue morales, siue physicas suscipiendas, materia nominatur, & quicquid determinat, forma, quia non oportet in omnibus eiusmodi compositis, quæ neque habitualia, neque integrantia & physica sunt existere entitates distinctas, sufficit enim si sint diuersæ rationes quæ diuersas formalitates entitatiuè indistinctas forment, quod innumeris exemplis in gradibus essentialibus, aliisque tum diuinis tum creatis rebus & actionibus demonstrari posset. Dicimus igitur scientiæ canonicæ obiectum adæquatum esse actionem religiosam quod ex materiali & formali constatur, vti cætera omnia habituum & potentiarum obiecta adæquata. Materiale hoc loco est actio humana; formale est Religiositas, siue honestas Religionis & diuini cultus, quam actioni illi scientia canonica modo explicato imprimit, sicut scientia moralis inducit actioni humanæ virtutis honestatem; atque ita actio religiosa est, & finis internus, & obiectum adæquatum & opus scientiæ canonicæ, quæ est habitus practicus; sicut actio honesta est quoque finis internus, obiectum adæquatum & opus Ethicæ vt diximus.

10 In hoc obiecto quod assignamus scientiæ canonicæ proprietates omnes essentiales obiecto reperiuntur, eas affert Scotus *q. 1. vniuersal.* nempè vt sit ens reale, quia non-ens non cadit sub scientiam, 2. sit vnum aliqua saltèm vnitate, ita vt vna definitione explicari possit, quia ab obiecti vnitate sumitur vnitas scientiæ & habitus ex 1. *poster. textu* 40. 3. vt suo ambitu contineat quidquid in scientia tractatur, quod est scientiæ adæquari, denique habeat aliquas proprietates & passiones demonstrabiles, aut saltem aliquid loco proprietatum, vt notat Ruu. *q. 6. Logicæ.* Deus enim qui est obiectum Theologiæ nullas habet veras proprietates vti demonstrauimus 1. *part.* Hæc verò omnia reperiri in obiecto nostræ scientiæ canonicæ statim apparet, actio siquidem religiosa vel diuinus cultus Christianus, non est aliquid fictum & chimæricum, sed verum ens reale, est quoque aliquid vnum vt vides, sicut actio humana moralis honesta: cum religiositas siue honestas Religiositatis & diuini cultus sit vna aliqua ratio communis & generica; complectitur etiam quidquid in scientia canonica tractatur, omnia enim vel sunt ipsæ religiosæ actiones, & diuini cultus exhibitiones internæ externæve, vel personæ ad eum cultum præstandum regendúmve destinatæ, vel res ad eum pertinentes, vel regulæ & canones quibus tanquam instrumentis producitur religiositas & dirigitur diuinus cultus, vel subiectum quod in actionibus religiosis ne aberret dirigitur, quod est ipsamet Ecclesia: percurre cætera quæ toto iure pontificio continentur, & à scientia canonica explicantur, statim videbis habere ordinem ad religionem, vel connexionem aliquam cum illa; denique plurima de Religione demonstrari posse constabit ex toto opere.

11 Ex his habes actionem humanam capacem religiositatis esse materiam siue obiectum materiale scientiæ canonicæ; Religiositatem verò esse obiectum formale, obiectum verò totale siue adæquatum ex materiali & formali compositum, esse actionem religiosam quæ simul est finis internus & opus huius scientiæ, finem verò remotum & vltimum qui non fit ab ipsa scientia, sed ab illa vltimò respicitur esse supernaturalem beatitudinem, tum huius vitæ, tum futuræ, quam Religio consequitur: Canones & regulas quas tradit esse instrumenta quibus actionem religiosam efficit, siue Religiositatem in actionem humanam inducit, hæc enim actio non modo est ad illam honestatem indifferēs, sed irreligiositatis quoque capax est, & formā honestati Religionis oppositam facilè suscipit, nisi certis quibusdam regulis dirigatur, vt constat ex omnibus defectibus veræ Religioni oppositis & falsis Religionibus. Has verò regulas tradit scientia canonica, quas veras & certas esse demonstrat, docétque quænam actio

actio sit verè religiosa tum quoad proprium honestatem, tum quoad cultum etiam externum de quo magnam partem agunt Canones, quare cum tota in explanandis Canonibus, tradendis Regulis & componendis inter se singulis Ecclesiæ partibus occupetur, Canones & ius quod illis traditur, dici merito possunt materia huius Scientiæ; subiectum verò eius vti iam monui est Ecclesia, quam his suis Regulis administrat & ad veram Religionem instituit, cuiusque partes omnes componit, & sicut scientia Ciuilis siue Politica habet pro subiecto Politiam siue Ciuitatem cuius instituendæ & Regendæ ars & scientia est politica, finem verò beatam & fœlicem Ciuitatis vitam atque statum; Obiectum adæquatum actionem honestam & virtutem per quam solam suum illum finem assequatur, pro materia verò ius & leges quibus & virtutem atque honestam actionem obtinet, à Ciuitate, & finis beatæ vitæ comparatur; quæ omnia ex Aristot. *lib. politic.* & Plato. *Dialog. de Republica & legib.* facilè fuerit accuratius legenti obseruare. Ecclesia verò quam hæc scientia ad veram Religionem instituit est eius, vti iam monui, subiectum.

QVÆSTIO II.

An scientia Canonica sit vera & propria Scientia? n. 1.
Partitio scientiarum à Platone n. 2.
An Scientia Canonica sit vera Scientia numero 3.
An iurisprudentia sit scientia n. 4.
Scientia Canonica est vera Scientia numero 5.
Demonstratur vt & de iurisprudentia numero 6.
Obiecta aduersus Iurisprudentiam n. 7.
Aduersus Scientiam Canonicam n. 8.
An sit ars n. 9.

1 PLato In politico sic omnes Scientias partitur, vt altera sit agens πρακτικὴ altera cognoscens γνωστικὴ ad quam refert Politicam quòd non robore sed animo & cognitione ad suum munus obeundum vtatur politicus, ac proinde non sit actuosa scientia, sed γνωστικὴ. Hæc verò cognoscens iterum diuiditur in κριτικὴν quæ solo iudicio constat, qualis est Arithmetica quæ iudicium tantum de numeris fert, quam vulgò speculatiuam simpliciter appellamus, & in ἐπιτακτικὴν quæ præter iudicium habet imperandi potestatem, qualis est Arithmetica. ἐπιτακτικὴ. Rursum diuiditur in ἐπιτακτικὴν simpliciter & αὐτεπιτακτικὴν quæ per se imperat & summo imperio præest, atque hæc est propria Politici qui cæteris omnibus in republica quandam imperandi facultatem habentibus antestat.: huius autem administrationis subiectum & materiam habet politicus animalia, & id quidem animal quod est maximè aptum ad societatem, id est hominem, ideo politice est ἀγελαιοτροφικὴ quod cæteris regendis præsit, deinde post variam animalium diuisionem & ipsorum tegiminis species tandem tradit esse ἀνθρωποτροφικὴν hominum pascendorum, rationem & artem: & sane reges sæpius & pastores populorum dicuntur, & pastoritia ars, rudimentum regiæ.

Ex qua Platonis recitatione sequitur politicam esse dumtaxat artem quandam non verò scientiam propriè dictam & non nisi quatenus omnis habitus cognoscitiuus scientiæ in ampliori significatione dicitur.

Vidatur enim verò eadem esse ratio scientiæ Canonicæ quæ politicæ, cùm licèt differant subiecto & fine; vna siquidem dirigit communitates spirituales ad beatitudinem supernaturalem, altera Rempublicam humanam etiam Christianam ad finem tantùm naturalem, & non nisi per media naturalia; licèt politica Christiana, etiam suo modo attendat beatitudinem, sed alia longe ratione, vti dicemus *lib. 2. & 3.* modus tamen procedendi, non est magis scientificus in vna, quàm in altera, neque discrimen sufficiens reddi potest, cur potius sacra politica, quæ est scientia Canonica, quæque Canones ecclesiasticos explicat, sit potius propria scientia quàm politica merè humana, & scientia legalis quæ leges Ciuiles exponit; cur denique sacram & Ecclesiasticam iurisprudentiam inter veras & propriè dictas scientias potius numerabimus, quàm Iurisprudentiam ciuilem. Politicam autem inter artes se cognoscentes numerat Plato, vt dixi: Et iurisprudentiam ciuilem artem non scientiam esse voluerunt nobiles prudentes iuris, vt Ant. Fab. *in iurisprud. Papinianea tit. 1. princ. a illat. 6.* qui negat propriè scientiam vel propriè artem esse quod etiam tuetur Christophorus Ebenius *in libris de principiis iuris* si vocem Scientiæ eo sensu capiamus, quo Philosophi, dum quærunt an Logica, Philosophia, & aliæ eiusmodi artes, sint veræ scientiæ, ideóque Maiores nostros artis & scientiæ nomine abstinuisse & iurisprudentiam appellasse: quia in æstimandis rerum omnium quæ aguntur vel dicuntur circumstantiis prudentia consistit. Iurisprudentia verò versatur circa æquitatem quæ nullis certis Regulis definiri potest, sed pro rerum atque circumstantiarum varietate alia atque alia est, quare de his quæ in æquitate consistunt, neque in perpetuum, neque generaliter, & in vniuersum definiri potest *l. de Accessionibus 14. D. diuers. tempor. præst. L. mora 32. D. de vsur.* Ratio est quia illa omnia magis in facto quam in iure consistunt, quæ proinde variabilia & incerta sunt *l. 3. §. eiusdem D. de testibus, l. si ex plag. 52. §. in Cliuo. D. ad legem Aquiliam. l. 1. §. Omnis. D. ad l. Cornel. de sicariis.* Atqui propriæ scientiæ obiectum debet esse æternum non autem contingens & variabile, & propterea vniuersale, cum omnia indiuidua & singularia variabilia, & contingentia sint. Ex quibus concludit Faber *Illat. 6. citata* fieri non posse, vt ius in certam artem redigatur & multò minus, vt quod est scientiæ maximè proprium certis demonstrationibus concludatur. Addit tamen Faber. Artem & scientiam non malè dici iurisprudentiam quoniam habet sua principia, ex quibus quid saltem mero & summo iuri sit consentaneum aut contrarium certè sciri potest, quâ in re non videtur loqui satis consequenter, vt statim ostendam. Atqui hæc omnia quæ affert Faber hoc loco, æquè pugnant in scientiam Canonicam, siue Sacram, iurisprudentiam, quæ & ipsa æquitatem, & ius in rebus sacris ac religiosis actionibus considerat, constituitque ex variis circumstantiis locorum ac temporum, vti enim monui in præfatione operis, disputat de singulis actionibus in indiuiduo atque vt reipsa cum his, aliisque adiunctis eliciuntur, quæ cum inuicem differant, singula enim indiuidua dissimilia inter se sunt, ad vniuersalem doctrinam, vniuersaliaque principia reuocari non possunt; rationibus enim

enim dissitis, & dissimilibus nulla valet esse ratio & natura cummunis. Adde omnia quæ ab hac nustra scientia atque à ciuili iurisprudentia tractantur, ex mero hominum imperio pendere, & aliter atque aliter institui potuisse, ac rectè fieri; neque alias aut naturas aut proprietates aut causas habere, quam Principum imperantium nutus ac consilia, quæ proinde frustra certis, & constantibus atqoe immutabilibus principiis illigari tentabimus. Zabarella *lib. de naturalis scientiæ constitut. cap.* 3. ait Iurisperitiam iudiciariam vt loquitur neque scientiæ neque artis aut prudentiæ rationes habere, sed esse quamdam simplicem peritiam quam quis callere possit absque vlla scientia etiam moralis cognitione. Ocham. *quodlib.* 2. *quæst.* 14. ait esse meram legum recordationem & vocat moralem positiuam; quia omnia sunt iuris tantum positiui de quo nulla possit esse certa ac demonstratiua notitia.

3 Nihilominus scientiam Canonicam siue sacram Iurisprudentiam vel sacram politiam esse veram, & propriè dictam scientiam contendo cum pluribus viris eruditis qui idem quoque non immerito affirmant de scientia legali & iurisprudentia ciuili, siue politia atque scientia administrandæ Reipublicæ vt Cotasius *de arte iuris* 1. *parte cap.* 14. Ludouicus Pelleus *in confutatione omnium quæ obyci solent aduersus naturam scientiæ iuridicæ* de scientia verò Canonica Turrecremata *in proemio decreti quæst.* 2. idem affirmat quod demonstratur. Primò ex eius obiecti scibilitate, habitus enim qoi de suo obiecto veras, & necessarias proprietates demonstrat, & conclusiones certas ex principiis per se notis syllogisticè deducit, est scientificus vti fusius demonstrat Ocham *quodlib.* 2. *quæst.* 14 probans Ethicam esse veram scientiam; atque ex ipsa definitione scientiæ constat apud omnes; atqui scientia Canonica plurima demonstrat de actiune religiosa, quam docet hoc aut illo modu esse faciendam ad beatitudinem acquirendam & ad diuinam amicitiam, & iustitiam, quæ sunt fines etiam iuris Canonici vti ostendam *lib.* 3. Demonstrat etiam quænam sit vera, quæ falsa Religio vel superstitio, aliaque eiusmodi plura: vera igitur & propria scientia existit.

4 Habitus qoi habet certa & vniuersalia principia ex quibus elicit conclusiones, quæ incertæ esse non possunt cum ex certis præmissis per formam syllogisticam necessariò deducantur, scientificus & demonstratiuus est, vt patet. Atqui sacra & ciuilis iurisprudentia, habet eiusmodi principia ex quibus syllogisticè procedit, nihil igitur ipsis deest ad veram scientiæ rationem, minorem in qua sola est tota difficultas, de iurisprudentia ciuili probat ipse Ant. Fab. dum ostendit illam non malè artem & scientiam dici, maximè quia principia iurisprudentiæ habent naturalem rationem, & æqoitatem neque fieri potest vt vnquam ab æquitate abhorreant, vel quæ ab illis pendent, non sint æquitati consentanea. Vnde non sine causa inuehitur acrius in Leguleios qui se prudentes iuris venditant, cum tamen rationem Legis ignorent, vt enim ait Celsus *l. Sacra* 17. *D. de legibus.* Scire leges nun est verba earum tenere sed vim & & potestatem qnod ignorata legis ratione fieri non potest. Doletque Faber. miseram æui nostri sortem in quo pletique omnes laborant in quærendo quid ab aliis frequentiore calculo traditum aut probatum sit; negligunt verò scire quid tradendum probandumve fuerit, neque quidquam prosit infœlici litigatori habere sibi fauentem expressam Papiniani sententiam, si frequentior imperitorum schola à Papiniano dissentiat. Cum quæ eiusmodi imperiti Legulei vrgentur vt eorum quæ à prudentibus iuris constituta sunt, vel errorum quos contra Veterum mentes inuita iurisprudentia sequuntur aut inuehunt, rationem reddant, hoc vnum respondent; non omnium quæ à maioribus constituta sunt reddi rationem posse *leg. non omnium* 10. *D. de legib.* Sed iodè non sequitur eorum nullam esse rationem, quâ maiores persuasi sunt, sed quia illa nos latet & obscurior est, quod maximè contingit, quando res constituta, est meri iuris positiui, quod aliter æquè constitui poterat, rectè tamen, & rationabiliter constitueretur, sicut rationabiliter constitutum fuit, quod constitutum est, quia vtramque partem probæ rationes persuadent, neque satis apparet cur vnam potius partem maiores elegerint potius quam oppositam, quam tamen rationabiliter quoque eligere potuerant. In his igitur sapienter dixit Iulianus, non omnium quæ à maioribus constituta sunt reddi posse rationem, satisque nobis esse debere, quod iam constituta fuerint, & iam recepta quamvis aliter, vt monui, prudenter constitui potuissent. Neque quidqoam amplios inquirendum est. Causam reddit *in sequenti lege vigesimoprimo.* Neratius quia alioquio multa in his quæ certa sunt subuerterentur, quod omoino & absurdum, & periculosum foret: quare Plato legum mutationem Reipublicæ damnosam & periculosam esse dicèbat, cum illæ, sint columnæ quibus tota politià innititur. Et sanè si statim atque non apparet ratio legis tamdiu receptæ, statim eam refigere & contrariam sancire liceret, omnia nutarent in Republica, & nihil certi, propter inconstantes legum mutationes haberemus. Quare Paulus *in leg.* 23. *D. de legibus* minime id est non facilè mutanda esse monet quæ certam interpretationem habuerunt, licet & aliter quidpiam tunc statuere fas fuisset: in illo igitur veluti rationum conflictu nisi maior quædam, & euidens Reipublicæ vtilitas vrgeat, vix recedendum est ab eo iure, quod diu & semper æquum visum fuit, & rationi, quæ nobis ius illud mutandi nunc occurrit, præbabenda est maiorum authoritas, qui & ipsi ratione ducti sunt quamuis ea nobis non appareat, neque satis perspiciamus cur aliquid statuerint, cuius contrarium prudenter velle potuissent, debemusque existimare id sanciuisse quod ea tempestate variis ex causis æquius esse existimarunt: sic quæri posset cur legitima olim esset quarta portio portionis ab intestato contingentis, potius quam tertia aut quinta. Aut cur hodie sit triens, aut semis pro numero liberorum *ex nouella* 18. *de Triente, & semisse.* Cur quinque liberis existentibus maior sit legitima singulorum quam si quatuor tantum restarent, habent enim quinque semissem, qui si quatoor tantum essent non nisi trientem haberent. Cur in testamento septem testes adhibeantur, non quinque aut sex, cur in codicillis quinque, potius quam sex aliaque eiusmodi in nomera, quæ ita constitura sunt vt aliter constitui potuerint. Nam si olim constiturum esset vt quinta vel tertia pars foret legitima, quæri etiam posset cur non potius quarta constituta esset atque ita in cæteris, quare cum non appareat vlla nobis ratio

propter

propter quam vnum potius quam aliud definitum fuerit, non modo dandum aliquid est maiorum authoritati, sed etiam quæ ab illis sancita sunt, & cùm longo vsu recepta, non facilè conuellenda sunt, sed potius retinenda, quia quamuis, vti dixi, eiusmodi veterum ratio non satis appareat, cum tamen in contrarium nihil afferatur, non possumus iure suspicari quidpiam à veteribus illis prudentibus temere, & sine ratione fuisse statutum, sed eam rationem si occulta est penitus inquirere nos oportet.

5 Quod idem dicendum est in iure quod commentitium nominat Paul. *l. si pœna 20. D. de pœnis*, non quod sit aut falsum aut mendax vt malè aliqui interpretantur aut vt Budæus *fictitium*. Sed quia nulla lege aut Principum edicto sancitum & constitutum est ex solo longiori vsu, & consuetudine receptum Græci dicunt παλαιωματῶδες, & commentitia iura ἐπείσακτα τοῦ πρῶτον ἐνδομυχῶς, quod nos consuetudinarium nominamus, & Sueton. in Claudio cap. 21. *Ex antiquitate repetitum, Spectacula*, inquit *complura magnificàque edidit non vsitata modo ac solitis locis, sed & commentitia, & ex antiquitate repetita, & vbi præterea nemo ante eum*, hoc inquam ius moribus absque vlla lege de ipso lata receptum non destituitur firma ratione, quæ eius æquitatem vel iniquitatem demonstret, ac proinde vel retinendum vel tollendum, aut emendandum esse doceat: neque enim quidquid sine lege recipitur sine ratione seruatur, quod videmus in exemplo quod affert Paulus in *citata l. 20.* ait enim commentitio iure receptum esse, vt pœna alicui irrogata non transeat ad hæredem: rationémque eius iuris statim reddit, quia pœna constituitur in emendationem, quæ mortuo eo in quem constituitur, videtur necessariò deficere, sapientérque Tertullian. *lib. 2. aduersus Marc. Iustitia non genus, sed personas iudicat.* Idem in cæteris omnibus quæ non scripto iure sed consuetudine inducta sunt, verum est quorum omnium reddi potest aliqua ratio quâ docentur vel iure vel iniuria inducta esse.

6 Dices plusculа primùm per errorem contra ius & rationem inducta esse, & diuturna deinde consuetudine confirmata, atque etiam aliquando rebus iudicatis probata, ius aliquod constituisse, illúdque firmum quodque in dubium reuocari non possit: igitur iurisprudentia de eo iure seruando errabit, & plurimum à vera scientia quæ certas habet demonstrationes aberit.

Respondet Anton. Fab. *in illatione 8. citata, & principio 2. tit. 1.* illud ius per errorem inductum & iamdiu receptum ius nihilominus esse, neque eius quærendam esse rationem cum errore inductum sit, & contra rationem neque à iudice in dubium vocari posse, illi tamen sicut & bono iurisconsulto vnum illud solatium superesse vt caueat ne ad consequentias producatur, & in similibus causis obtineat, *l. quod verò 14. l. quod non ratione 39. D. de legibus.* Sed hæc viri eruditi responsio non videtur satisfacere: nam fatetur ius cum errore, & contra rationem sola temporis diuturnitate induci posse, quasi diuturnitas vsus errorem abstergat, & faciat esse consentaneum rationi quod dissentaneum est, & rectum quod semper obliquum fuit. Fieri quidem potest vt quod vno tempore erroneum erat, & contra rationem statutum, deinde statutis circunstantiis, & rerum statu, rationi consentaneum euadat. Et tunc non erit ius per errorem inductum, sed omninò diuersum & quod per iniuriam statutum fuerat, nunc iure manet constitutum sublato omni errore, qui initiò fuerat commissus, neque video quomodo bonus iudex & iurisconsultus suo muneri & religioni satisfaciant, si iudicent ex iure quod erroneum, & per errorem inductum esse scitur, licet illud ad consequentias & causas similes non extendant: ipsorum enim iudicium & sententia iure dumtaxat erroneo nixa non potest non esse erronea: sicut linea quæ dirigitur ad regulam curuam & obliquam, non potest esse recta. Iste verò iudex pronuntiat sententiam, quam cognoscit erroneam, in iure quippe erroneo sibi noto fundatam. Ergo & ipse errat & improbè atque imprudenter in ea causa iudicat. Respondeo igitur ius consuetudinarium inductum duplici ratione erroneum esse initio potuisse. Primò quia contra rationem & æquitatem naturalem inductum fuit, vt occulta latrocinia & stupra, aut idololatria aliaque eiusmodi scelera apud barbaras nationes. 2. quia contra aliquam legem positiuam, & ius siue constitutum siue receptum fuit, atque ita prima consuetudinis inductio fuit violatio legis alicuius, & iuris constituti. Primus error non potest facere ius, neque vllo temporis lapsu emendari, quare neque à iudice, neque à Iurisconsulto aut alio quopiam probari potest, eaque consuetudo improba tollenda omninò est, & non ferenda quod si emendari nequeat nunquam secundum illam iudicandum est, vt dicemus alibi de legibus permissiuis agentes, at verò error qui committitur in inducenda consuetudine contra ius aliquod merè humanum, & positiuum diuturnitate temporis tolli potest: quia violatio legis contra quam inducta est consuetudo, cessat quando quidem lex desinit sensim obligare, & antiquatur: quod maximè verum est quando consuetudo inducitur de re de qua ferri poterat lex eaque iusta, tunc enim consuetudo facit ius & veteres leges expungit vti fusius dicemus *lib. 6.* vbi de iure non scripto & consuetudinario, quo casu ius istud erroneum non est, datúrque ratio quæ eius consuetudinis & noui iuris æquitatem ostendat, ac proinde seruandum omninò est. Quæ verò afferebat Fab. non esse procedendum ad consequentias & similes casus, ex eo quod contra rationes iuris receptum est, non probant quod videbatur velle hîc author, nimirum ius errore inductum siue erroneum ius esse, & seruandum, sed dumtaxat id, quod in aliquo casu ex quadam æquitate receptum est contra iuris præcisam rationem, non esse ad consequentias aut similes casus, eiusdem æquitatis prætextu producendum, vti interpretatur ipsemet Fab. *l. 14. D. de legibus, & l. 39.* alioquin æquitatis prætextu totum ius facilè subuerteretur, nihilque illo foret incertius, quare nihil contra rationes iuris recipiendum est, æquitatis etiam obtentu, nisi tam euidens alioquin futura sit iniquitas, vt summum ius, summa futura sit iniuria, quia quamuis potior debeat esse æquitatis, quam iuris constituti ratio *l. placuit 8. cap. de iudic.* illa tamen æquitas vbi stricto, & summo iuri opponitur, æstimari debet ex aliqua ratione naturali à viro prudente & sensato, nec quisque debet se meliorem, & prudentiorem æquitatis arbitrum æstimare, quàm fuerint, iuris sapientissimi conditores, & sanè æquitas quæ persuadet seruaram iuris rationem omittendam aliquando, aut etiam violandam esse, tam occulta non est vt à prætore vel prudentibus non videatur, & ab vno dumtaxat aduertatur qui ita pro arbitrio ius subuertet, & suam illam æquitatem ad infinitas consequentias, & similes casus, magna rerum omnium & maximè iudiciorum perturbatione atque in plurium iniuriam temerariò producat. Quare quod dixit Celsus *in l. 39. citata*, id quod non ratione, sed errore inductum est, & deinde

consuetudine

consuetudine obtentum, in aliis similibus non obtinere, non ostendit errore induci ius, etiam consuetudine confirmatum, vti sapienter explicat eam legem Io. Faber. tum quia eiusmodi consuetudo quamvis longa non potest vincere rationes *l. 2. C. quæ sit longa consuet.* tum quia si faceret ius, obtineret non tantum in causis similibus specie, sed etiam traheretur ad consequentias, & causas tantum genere similes *l. de quibus* 32. *D. eod.* Vult igitur Celsus consuetudinem non ratione, sed errore primum inductam, comperto deinde errore non solum ad consequentias produci non debere, sed neque in similibus casibus in quibus antea obtinuit, quæ enim prius obtinuerunt & seruata sunt non reuocantur sicut neque quæ e seruo qui per errorem liber & prætor putabatur, decreta sunt annullantur *l. 3. D. de offic. prætor.* non quod error faciat ius, sed vti diximus *lib. 6. de negotiatione* quia pertinet ad publicam vtilitatem vt facta durent, quæ fieri prohibentur vti dicitur *l. 3. citat. & l. patre furioso* 8. *D. de his qui sunt sui vel alieni iuris.* & præterea vt succurratur iis qui iusto & probabili errore sunt decepti, quelis error est publicus & communis *l. 3. §. 1. D. ad* S.C. *Macedon.* & *l. cum quidam* 30. *§. dicitur D. de acquir. hered.*

Dices *Paul. in l. 3. §. vltimo D. de suppellect. legat.* ait errorem ius facere. R. loqui Paulum de errore facti & imperitia quæ facit, vt plerique errorem pro iure accipiant: agit enim de imperitia testatoris qui candelabrum argenteum in argento numerat non in suppellectile, qui tamen error pro iure erit. Nam si is qui hoc errore ducitur argentum legauerit, legato continebatur candelabrum argenteum, si suppellectilem legauerit non continebitur, inquit Cuiac. *lib.* 10. *obseruat. cap.* 13 *sub fin.* sic Plinius *epist. 4. Bonis heredibus defunctorum voluntates intellexisse pro iure est & Basilica sic verba Pauli reddunt* Καὶ ἡ πλάνη γὰρ τ̃ χρωμένου νόμον ποιεῖ. Voluntas igitur testatoris ius facit, licet ea voluntas ex aliquo ipsius errore proficiscatur.

Maneat igitur ex hactenus disputatis nullum esse ius sine ratione, quæ proinde demonstrari potest, & ex aliquo certo atque constanti principio deduci, vnde necessario efficitur iurisprudentiam, & scientiam legalem, veram, & propriam scientiam existere cum veras & formales demonstrationes habeat.

Quæ omnia veriora multò sunt in Scientia Canonica & Sacra iurisprudentia cuius, & obiectum scibile est, nempè actio Religiosa de qua plurima demonstrari possunt, vt monui, & certe atque indubitata principia sunt cum ex fide & diuino iure, tum ex lege naturali, ex quibus certas, & euidentes conclusiones deducit in quibus neque ratione materiæ neque ratione formæ reperitur error.

7 Quæ afferuntur ab aduersariis vt à dignitate veræ Scientiæ nostram hanc Canonicam excludant, confutata manent ex superiori disputatione. Primum erit obiecti contingentia, cum actio religiosa pendeat ab humana libertate, & poni vel non poni pro libertate valeat: alterum erat iuris Canonici & Regularum mutabilitas, ac proinde principiorum incertitudo cum sæpè regulæ ac Canones mutentur, refigantur, innouentur, & vniuersa disciplina Ecclesiastica varietur, quod ipsa experientia docet; vnde necessario sequitur totius istius scientiæ, & disciplinæ incertitudo. Verum iam ostendimus actionem religiosam constituere obiectum æternum, illudque vnum, quamvis enim eiusmodi actio pendeat à libera voluntate quoad existentiam, non vero quoad essentiam vt ait Sylu. 1. *par. conflati q. 5. dub. 1. ad* 2. potest enim libera voluntas actionem Religiosam exercere, aut non exercere pro arbitrio, si tamen eam exercere velit, debet, vt ea verè religiosa sit, agere ex præscripto, & regulis Scientiæ Canonicæ: quod idem contingit in omni humana & morali actione, cum enim libera sit, & libere eliciatur pendet quoad suam existentiam à voluntate quæ potest illam non ponere, si tamen operari velit, debet consentaneè rectæ rationi, & ex Regulis Ethicæ operari alioqui malè operatur: neque magis actio moralis, & religiose pendet quoad suam essentiam ab operante, quam quodlibet aliud opus ab agente: non pendet enim ab illo quod habeat talem naturam & essentiam, sed solum vt producatur. Idcirco dicuntur essentiæ rerum esse ab æterno, non quod ab æterno existant, sed quia semper verum fuit talem rem habere talem essentiam, & secundum illam debere produci, alioquin non producetur illa res, sed alia quæpiam diuersa, eodemque sensu merè possibilia quæ numquam existent suam propriam essentiam habent quæ possibilis est, & quæ potest produci, & quamvis docuerimus alias rerum possibilitates atque etiam impossibilitates esse è diuina omnipotentia, quæ potest producere gradus entis qui inter se sunt essentialiter compossibiles, siue in vnum totum essentiale coalescere possunt, & alios qui inter se sunt essentialiter incompossibiles, non potest tamen efficere vt essentia vnius alicuius rei non sit illius essentia, sed alterius cuiuspiam v.g. animal rationale non sit essentia hominis, equi & hinnilitas sit essentia capræ non equi, quamvis posset hominem non producere neque equum. Simili ratione actio religiose & aliæ similes habent suas essentias certas & inuariabiles, atque etiam immutabiles honestatis propriæ, & cum suis causis & principiis connexiones independenter ab homine operante, quamuis quoad existentiam sint, quid contingens. Verum essentia effectus vt iam monui non pendet à causa productiua ipsius, siue necessario, siue liberè & contingenter operetur, cum modus operandi non mutet essentiam effectus, nisi diuersam omninò producat, qui tunc suam quoque habebit essentiam immutabilem & è suo producente independentem nisi quoad esse id est existere non est porrò actio religiosa quoad suam existentiam, sed quoad suam essentiam obiectum scientificum, quod commune est pluribus aliis obiectis scientificis, quæ quoad suam existentiam contingentia sunt vti videmus in Physicis nam quoad suam existentiam possunt esse & non esse, quæ tamen considerata secundum suam essentiam & naturam, habent stabilitatem, & necessitatem quamdam sunt obiecta scientificæ Physicæ, quod obseruet S. Thom. *in 6. Ethic. l. 1. in fine.* Vnde concludit rationem moralem eo modo spectatam esse obiectum veræ scientiæ, qualem contendit esse Ethicam; quæ est etiam ratiocinatio *Scot. 4. 4. prologi ad 2. primæ quæstionis litera A. A.* Denique passim docent philosophi obiectum scientificum solam necessitatem complexam exigere, quæ nimirum est in subiecto quod habeat proprietates necessaries de ipso demonstrabiles, non verò requirere necessitatem incomplexam per quam ita existat vt non possit non existere. Sic enim paucissima forent obiecta scientifica, & paucissimæ scientiæ. Omnis autem vera & propria essentia habet necessitatem complexam, quia habet necessarias proprietates de ipsa tanquam de subiecto demonstrabiles, cum, neque essentia sine proprietatibus queat reperiri, neque veræ proprietates sine essentia à qua fluunt, & quæ proinde causa ipsarum est siue virtualis tantum, si sint entitatiuè indistinctæ, siue actualis si sint illi additæ entitates: vtroque enim modo demonstrabiles sunt à priori

&

& per veram causam per ipsam nimirum essentiam: nam etiam per causas virtuales, vt in diuinis proprietatibus, inter quas licet non sit ordo rei, est tamen ordo cognoscibilis, dari veras demonstrationes agnoscunt Theologi, quamuis Gilli. *lib.1. tract.4.c.4.* materiales tantum esse dicat, & non formales, eò quod careant euidentia, nitantúrque tantum principiis reuelatis, & semper, & eodem æquali lumine procedant, cum tamen omnis demonstratio procedat ex notioribus; demonstratio quidem *propter quid*, ex notioribus natura, demonstratio *quia*, ex notioribus nobis. Fasolus tamen *1. part. in art.8. quæst.1.* nihil deesse putat ad formales demonstrationes, cum ad eas non requiratur semper euidentia, sufficiátque certitudo. Verùm quidquid statuatur de ea quæstione quæ mihi videtur esse tantum de nomine. Certum omnibus est, omnem veram essentiam quæ habet veras & necessarias proprietates de ipsa demonstrabiles, esse etiam obiectum scientificum, & veram scientiam terminare atque specificare posse. Actionem porrò religiosam sicut & actionem moralem habere veram & propriam essentiam, atque adeò veras proprietates de ipsa demonstrabiles nemo negabit opinor, & vbi de Religione disputabimus *tomo 2. huius operis*, constabit amplius.

8 Ad id verò quod obiiciebatur solam hanc disciplinam Canonicam ex hominum instituto pendere & mutabilem esse sicut & leges de ipsa latas.

Respondimus in præfatione huius operis etiam res quæ hominum consilio instituuntur, vbi semel institutæ sunt suas habere naturas & proprietates, suósque etiam constantes effectus, & quamuis multæ aliter atque aliter sanciri potuissent vbi tamen quæ sancita sunt rationi consentiont, hæc ipsa sanctionum cum ratione consensio, concludi ex aliquo certo, & constanti principio poterit: immò si contrariæ sanctiones deinde ferantur veteribus rescissis, sapienter id fieri potuisse, aut etiam debuisse docebit firma, & euidens aliqua ratio; quid verò posita semel ea lege faciendum sit, quidve in singulis casibus & circunstantiis præstandum demonstrabit quoque ratio ex illo constanti principio, legi iustæ parendum esse, quandiu eius obligatione validè non soluimur, denique hæc omnia instituta & sancita perseuerante institutione & lege, non pendent amplius ex hominum arbitrio, sed ex naturali ipsa ratione. Possunt quidem Principes legem condere, vt verò illa cum recta ratione consentiat aut dissentiat efficere non possunt: nam sicut arte-facta fiunt quidem, & excogitantur ab homine, suas tamen deinde naturas & proprietates atque regulas quibus aptè & probè fiant, sortiuntur independenter à voluntate & consilio artificis, qui ita eas regulas excogitauit, vt ab eo non nanciscantur suam aptitudinem, nam quamuis vellet esse ineptas eas regulas, aptæ tameo essent ad hoc opus, & licet eniteretur alias quasdam aptas esse, ineptæ tamen perpetuò manerent, nisi emendarentur aut opus immutaretur; simili modo varia hominum instituta moralia, religiosa, politica, existunt quidem hominibus ita edicentibus; ab iis tamen suas deinde naturas & proprietates minimè retinent, neque enim facere illi possunt, vt rectè instituta non fuerint, aut certas quasdam proprietates non obtineant, quamuis alia quædam sanciant. Fatemur quidem interdum politiam, & disciplinam externam Ecclesiasticam, canonibus ac legibus Ecclesiasticis variatis, mutatam fuisse, inconcussa tamen fide, ac religione, quam vnam etiam illa mutatione promouet Ecclesia, quámque variationem variis de causis grauissimæ rationes sapientissimè persuadent, vt finem illum suum Religionis & diuini cultus facilius obtineat, vt enim dixit Tulli. epist.9. ad Lentulum, *nunquam præstantibus in republica gubernanda viris laudata est in vna sententia permansio; sed vt nauigando tempestati obsequi artis; etiamsi portum tenere non queas, cum verò id possis mutata velificatione assequi, stultum est eum tenere cum periculo cursum quem ceperis, potius quàm eo commutato quo velis tandem peruenire*, denique cùm leges, & Canones totáque exterior disciplina sit tantum, vt iam monuisse me memini, media & instrumenta quibus scientia Canonica, & sacra Politia suum finem, & opus exequitur, nempè religionem, & diuinum cultum, quod opus eiusdem obiectum esse superiori quæstione demonstrauimus, non magis ex mutatione legum & canonum mutatur aut incertum redditur obiectum scientiæ Canonicæ, quàm opus arte-factum ex mutatione, & variatione instrumentorum quibus perficitur: eadem enim domus, statua, aut pictura fiet, quamuis sua instrumenta mutent, expoliant, nouáque excogitent Polycletus, Apelles, aliique artifices.

Hoc vnum superest obiiciendum nobis quod ratio artis videatur omninò conuenire scientiæ Canonicæ. 9
Est enim ars collectio præceptorum ad vnum scopum finémque vitæ humanæ vtilem, directorum scientia verò canonica est quoque collectio quædam Regularum ad diuinum cultum præstandum vtilium. Illi igitur nihil ad veram artem deerit: quod enim aliqui volunt effectum aliquem externum, ac sæpè permanentem, necessarium non est ad veram artis rationem. Respondeo tameo definitionem artis allatam, esse definitionem habitus practici qui deinde diuiditur in artem, scientiam practicam, prudentiam. Verum quidem est artem sæpius habere materiam & opus externum id tamen non est omnino necessarium, non negamus tamen nomen artis esse vniuersalius, & aliquando tribui licet minus propriè, ipsis etiam scientiis, vt in vulgato liberalium artium indice in quo ipsæ Mathematicæ recensentur, qua etiam ratione moralis scientia dicitur ars circa vitam, & ars honestæ vitæ à Sexto Empyrico *lib. 3. Pyrrhonic. hypotip. cap. 24. in opere aduersus Mathemat. sub fine*, Seneca *epist.95.* Lactant. *lib.3.c.15.* & Aug. *lib.19. de Ciuit. cap.3.* alias obiectiones quæ fieri solent fusiùs affert & diluit Putæus *tract. ea de re nuper laudato.*

CAPVT III.

De Proprietatibus, & Affectionibus scientiæ Canonicæ & Hieropoliticæ.

QVÆST. I. *An scientia Canonica sit practica an speculatiua.*

QVÆST. II. *An sit supernaturalis.*

QVÆST. III. *An sit vna & quâ vnitate.*

QVÆST. IV. *An alicui scientia subalternetur.*

QVÆST. V. *De scientia Canonica vtilitate, & dignitate.*

Cum ex essentia fluant necessariò proprietates cognita natura scientia Canonica, non difficile fuerit eius proprietates dignoscere, earum verò cognitio necessaria prorsus est ad plenam, & integram eius essentia cognitionem sit igitur.

QVÆSTIO I.

An scientia Canonica sit practica vel speculatiua.

Quid sit praxis n.1.2.3.4.5.& 6.
Quid speculatio n.7. & 8.
Subiectum notitia practica n.9.
An sint differentia essentiales scientiarum n.10.11.12.13. & 14.
Scientia Canonica est simpliciter practica n.15.
Obiecta diluantur n.16.& 17.

1 HAnc controuersiam definire vix licet nisi prius constituamus quænam sit ratio praxis & speculationis qoare paucis illam explicare placet.

Praxis igitur est quælibet actio naturæ Rationalis à recta ratione dirigibilis prout dirigibilis. Dixi quamlibet actionem siue factiua sit siue actiua tantum prout voces illas distinguit Arist. qui aliquando per actionem intelligit eam quæ nullum relinquit opus post se, qualis est Cytharizatio vel saltatio; aliquando sumit pro actione immanenti, aut pro ea quæ regulabilis est moraliter, factionem autem sumit quandoque pro actione quæ relinquit aliquod opus post se, aliàs pro transeunte, aliàs pro ea quæ artificiosè regulabilis est. Quocumque itaque modo voces istæ vsurpentur ab Aristotele qua de re consulo Vasq. 1. *par. disp.* 8. *cap.* 6. illas omnes hoc loco complector sicut & actiones intellectus non solum voluntatis contra Scotum *qui q.* 4. *prologi* definit praxim actum alterius potentiæ ab intellectu naturaliter posteriorem intellectione, & natam elici conformiter rationi rectæ ad hoc vt sit rectus, cui consentit Durand. *ibid. q.* 6. *n.* 5. *&* 19. & Tolet. *q.* 1. *proemiali Logica* quos omnes confutant Fonseca *lib.* 2. *met. cap.* 8. *q.* 2. Gillius *lib.* 1. *tract.* 6. *cap.* 1. *n.* 4. *Molin.* 1. *p. q.* 1. *art.* 4. *disp.* 1. & alij passim. Quia actus intellectus est dirigibilis per regulas artis, & actus regulans intellectiones non minori ratione dici debet practicus, quàm is qui regulat actum voluntatis. Neque iuuat Scotum quod vulgo afferri solet ex *lib.* 3. *de anima textu* 49. intellectum fieri extensione practicum: nam neqoe illud apud Arist. ita legitur, neque aliud significat quam intellectum practicum extendi ad alium actum, quem regulat & dirigit.

2 Complector etiam actus voluntatis cum imperatos contra Scotum *q.* 1. *prologi* §. *primo igitur dico*. Cadunt enim sub electionem, ac proinde regulabiles sunt: tum elicitos contra Caiet. qui putat dictamen rationis quo dicit voluntati quidpiam esse faciendum, aut omittendum, non esse practicum, neque proinde actum ex illa directione elicitum esse praxim, verum nullus negat dictamina prudentiæ Synderesees, & consultationis esse practica.

3 Comprehendo quoque actus voluntatis circa finem, quia sunt obnoxij defectibus, & errori. Ago verò de fine non clarè cognito, quare amorem patriæ falsò dixit esse praxim Molina. 1. *p q.* 4. *disp.* 1. quem confutat Gill. *tractatu citato* c. 2. *n.* 8. deniq; comprehendo actionem internam, & externam contra Capreol. *q.* 2. *prologi, a.* 1. *concl.* 2. qui id negat de externa.

4 Dixi 2. in definitione praxeos actionem naturæ rationalis, vt cóplecterer non modo actiones hominis, sed & Angelorum, atque ipsius etiam Dei quibus omninò conuenit nomen, & ratio praxeos. Excludo verò brutorũ opera, quæ non propriè agunt, sed agũtur vt obseruat Arist *lib.* 6. *Ethic. c.* 2. *&* *lib.* 1. *mag. moral. c.* 12

5 Dixi 3. Actionem dirigibilem à recta ratione, non intelligo autem per rectam rationem, moralem tantũ, sed etiam artificiosam, vt vocant; id est regulas, & præcepta artis, quibus debet conformari actio, contra eos qui negant cantum, & saltationem esse praxes, si considerentur vt diriguntur ab arte, & non à prudẽtia.

6 Hinc verò sequitur actum practicum esse naturâ sua posteriorem aliquo actu intellectus, cum eum supponat tanquam sui directiuum, vel actu dirigentẽ.

Sequitur 2. Eumdem actum practicum esse natura sua contingentem: quæ enim determinata sunt, non indigent regula: neque enim nutritio v.g. in homine est praxis, immo moralem indifferentiam & libertatem exigunt in actu practico Fonseca *lib.* 6. *Metaph. cap.* 1. *q.* 5. & Suar. *disp.* 44. *Metaph. sect.* 13. Gillius autem *tract. cit. cap.* 2. solam contingentiam sicut & Mendoza *disp.* 5. *de anima sect.* 2. Quia actus qui fit per habitum artis ab amente, non est liber & tamen est praxis, cùm dirigatur à cognitione practica. Responderi tamen posset illum habitum ex natura sua ordinari ad actum liberum, & eiusmodi opera fieri potius ex assuetudine quadam, & vi phantasiæ quam intellectus dirigentis, sicut contingit in brutis opus aliquod ab homine edoctis. Placet itaque distinctio Gillij actus elicitos & imperatos voluntatis debere esse liberos, vt sint praxes, in reliquis sufficere si sint contingentes, & habeant rectitudinem artificiosam, licet morali careant: duæ enim illæ rectitudines distinctæ sunt & separabiles inter se, immo artificiosa non supponit neque requirit necessario moralem, & ad illam ex se non ordinatur cum absque ea sæpius consistat hactenus de praxi.

7 Speculatio est actio intellectus quæ natura sua se ipsa contenta est, atque in sola rei consideratione conquiescit, nec vlterius progreditur, aut ex se dirigitur ad aliquam operationem vlteriorem; speculabile verò est quod eiusmodi intellectiua actione, & contemplatione attingitur, ex qoibus.

8 Colliges 1. Quid sit notitia practica, est enim illa quæ respicit praxim vel tanquam finem in quem ordinatur, respicit siquidem opus, licet illud aliquando non sequatur: vel tanquam effectum quem regulat immediatè, ideoq; circa eiusmodi actionem habet rationem aliquam causæ saltem directiuæ. Sic exemplatum dicitur effectus exemplaris, & mensuratum effectus mensuræ, neque opus est vt actu dirigat sufficitque si sit directiua: nam mensura non desinit esse mensura, licet actu non mensuret quãuis reuera cùm actu dirigit, fiat quodammodo magis propriè & actu practica ideoq; S. Thom. 1. *par. q.* 14. *a.* 6. eiusmodi notitiam vocat simpliciter practicam & *q.* 16. *ar.* 3. *ad* 2. negat in Deo dari Ideas actu, sed tantum habitu respectu merè possibilium. Addidi porrò eiusmodi notitiã debere esse immediatè directiuam: quia non sufficit vt aliqua notitia quæ immediatè regulet, deducatur ex illa, alioquin falsò dixisset Arist. *lib.* 1. *poster. text.* 30. quasdam scientias practicas subalternari speculatiuis, conclusiones enim notitiæ subalternantis ex quibus deducuntur conclusiones scientiæ practicæ, subalternatæ, essent speculatiuæ. Denique notitia practica respicit praxim vt obiectum, quia tendit in aliquid operabile, prout est operabile, id est modo operabili, siue considerat modum, quo opus factibile est, non autem ipsum tantum opus; quas duas cognitiones seiungi posse mihi certum videtur quidquid contra nitatur Mendo. *disp.* 11. *de anim. sect.* 1. §. 6.

9 Quæri verò potest an notitia ista practica & directiua debeat esse in eo qui exequitur opus per ipsam regulatum.

℟. Id minimè necessariũ videri. Nam reuera Architectus

tectus dirigit ſua notitia practica inferiores artifices quare notitia cauſæ ſuperioris directiua operis extra proprium ſubiectum, vel ob impotentiam eius, vel ob imperfectionem quam in eiuſmodi ſubiectum tale opus inueheret, verè practica dicenda eſt, neque officit Ariſtot. dum 6. *Met. text.* 1. *&* 7. *Met. text.* 25. dixit principia praxeos eſſe in artifice, non autem contemplationis eſſe in contemplante, & *lib.* 5. *text.* 3. vocat ſcientiam practicam potentiam, quaſi ſcientia non potentis operari, practica non ſit; non obeſt inquam quia vult tantum Ariſtoteles in mente artificis eſſe omnia requiſita ad directionem operationis.

10 Colliges 2. notitiam practicam & ſpeculatiuam diſtingui penes obiecta formalia, & fines intrinſecos ac eſſentiales; itaque notitia practica tendit ex ſuo fine ad opus, ſeu in obiectum operabile prout operabile, ſiue ſciens ſibi præfigat eiuſmodi ſcopum, ſiue non. Speculatiua verò tendit in obiectum ſpeculabile, aut ſi tendat in operabile, tendit modo non operabili ex eo quod ſiſtat in ſola veritatis cognitione, quamuis fortaſſe ſciens ſuam notitiam aliò dirigat; eiuſmodi enim fines ſcientis extrinſeci ſunt, & accidentales, ac proinde non diſtinguunt per ſe notitias.

11 Ex his colliges 3. Scientiam diuidi adæquatè in practicam & ſpeculatiuam, nullámque eſſe poſſe partim practicam, partim ſpeculatiuam, etiamſi in aliis habitibus hæ duæ rationes poſſint ſimul reperiri vti fusè probat Salas 1. 2. *diſp.* 7. *ſect.* 2. *num.* 17. & Gilli. *tract. cit. cap.* 7. v. g. in habitu fidei tum diuinæ, tum humanæ. Plurima ſiquidem non modo credenda, ſed & facienda reuelata ſunt, & multæ actiones ab habitu fidei diriguntur, ipſéque Ariſtot. vnum eundémque intellectum diuidit in ſpeculatiuum, & practicum, diuina item cognitio & practica & ſpeculatiua ſimul eſt. Ratio diſcriminis euidens eſt quia in fide, & aliis habitibus qui nituntur motiuo extrinſeco iſtæ duæ differentiæ, ita ſunt accidentariæ, vt nullo modo cum rationibus formalibus ipſorum neceſſariò connexæ ſint; quod oſtenditur à poſteriori, ſublatâ enim agibilitate, aut ſpeculabilitate obiecti fidei, non diſſoluitur ratio fidei vt patet. Quare cum hæ differentiæ non ſint incompoſſibiles ex natura ſua, neque quidquam reperiatur in his habitibus à quo ſumant incompoſſibilitatem, nihil vetat illas ſimul eſſe. At verò in ſcientiis naturalibus, rationes iſtæ, licet ſint accidentariæ, ſunt tamen veluti quædam appendices rationum formalium, & cum illis neceſſariò connexæ, quare ſublata agibilitate tollitur ratio notitiæ practicæ, & ſublata ſpeculabilitate tollitur notitia ſpeculatiua ſaltem conſequenter; ideóque in ſcientiis ſunt oppoſitæ, & illas adæquatè diuidunt contra recentiores qui Logicam & Ethicam practicas & ſpeculatiuas ſimul faciunt, licet dicant eſſe ſimplices qualitates. Loquor enim de habitibus partialibus, ex quibus totalis coaleſcit, concedo ſiquidem in totali aliqua ſcientia poſſe admiſceri concluſiones aliquas, v. g. practicas, quæ generent habitum practicum: Vnde ratione diuerſorum habituum partialium quibus ea ſcientia conſtabit, dicetur ſimul practica & ſpeculatiua, vt plurimi de Theologia cenſent, quo in caſu nulla erit difficultas. Noſtra verò ſententia authorem ſine dubio habet Ariſtotelem qui vbique ſcientiam in ſpeculatiuam, & practicam tanquam in duo membra oppoſita partitur, & ſatis eam confirmat inductio quâ conſtat nullam dari ſcientiam naturalem ita mixtam ratione finis ſui. Ratio enim Suar. *ſect.* 13. *citata*, *num.* 20. ſi quid probat æquè de omnibus habitibus atque de ſcientiis concludit.

12 Obiicies 1. Differentiæ contradictoriæ oppoſitæ, aut contradictiones inuoluentes, & adæquatè diuidentes idem genus, non poſſunt reperiri in eadem ſpecie, v. g. nullum poteſt dari animal rationale, & irrationale ſimul, quia cum differentia ſit forma eſſentialis communicabit ſubiecto ſuum effectum formalem, atqui vna ex his differentiis dicit negationem alterius: ergo ſubiectum habebit ſimul formam & negationem eius. At verò ratio practici & ſpeculatiui ſunt differentiæ contradictoriæ oppoſitæ: nam eſſe ſpeculatiuum includit negationem practici, & viciſſim ratio practici negat rationes ſpeculatiui, & adæquatè diuidunt genus habitus vti conſtat ex Ariſtot. ergo non poſſunt ſimul reperiri in eodem habitu.

Reſpondeo negando minorem quia ratio practici & ſpeculatiui non ſe ſe mutuò excludunt, niſi reduplicatiuè ſumantur, id eſt, praxis formaliter quatenus praxis excludit ſpeculationem, quatenus ſpeculatio eſt, ideóque licet vnus habitus non poſſit eſſe adæquatè ſpeculatiuus, & adæquatè practicus, neque etiam ſub eadem ratione practicus & ſpeculatiuus, poterit tamen, niſi quidpiam aliunde obſtet, eſſe inadæquatè ſpeculatiuus & practicus; ſed diuerſa ratione: quia iſtæ differentiæ poſitiuæ ſunt, & vna non eſt præcisè negatio alterius, neque etiam diuidunt adæquatè genus habitus. Ariſtoteles autem loco citato partitur dumtaxat habitus ſcientificos in ſpeculatiuos & practicos, ex quibus non licet, vt dixi ad omnes alios habitus argumentari hac in parte.

13 Obiicies 2. idem obiectum non poteſt pertinere ad eundem habitum ſub ratione operabilis, & non operabilis, finis quoque non poteſt eſſe ſola ſpeculatio, & non ſola ſpeculatio, ſed praxis, denique idem actus non poteſt eſſe ſimul ſpeculatiuus & practicus quæ tamen omnia neceſſariò concedenda eſſent ſi idem habitus poſſit eſſe ſimul ſpeculatiuus, & practicus.

Reſpondeo idem obiectum quod ex ſe indifferens eſt ad ſpeculationem, & praxim, quatenus continet principia ſpeculabilia, pertinere ad habitum ſpeculatiuum, quatenus verò regulabile eſt per antecedentes operationes, eſſe practicum. Quare ſi ratio formalis cui ſubſtat obiectum ad vtramque hanc conſiderationem ſe extendat, poterit dari habitus vnus qui tale obiectum ſecundùm ſe totum attingat. Ad verò id quod obiiciebatur de fine, Reſpondeo iſtos fines eſſe inadæquatos, qui cum præterea non ſint eſſentiales non diuerſificant ſpecie habitus. Actus etiam non fiet inde ſimul practicus & ſpeculatiuus cum ſit inadæquatus, quamquam duas illas rationes in eodem actu incompoſſibiles contendant Salas, & Mendoza *diſp.* 11. *de anima*, *ſect.* 4. neque ego actus repugnarim.

14 Colliges 3. practicum & ſpeculatiuum non eſſe differentias eſſentiales, ſed accidentales tantum. Ita Mulina 1. *p. q.* 1. *art.* 4. *diſp.* 2. Vaſq. *ibid. diſp.* 9. *cap.* 3. Fonſeca *lib.* 6. *Met. c.* 1. *ſect.* 6. *q.* 5. contra Suar. *diſp.* 44. *Metaph. ſect.* 13. *n.* 47. & Gilli. *lib.* 1. *tract.* 5. *c.* 7. aliqui verò vt effugiant difficultatem aiunt eſſe modos intrinſecos, ſed reſtat inquirere, an iſti modi ſint eſſentiales an accidentarij dumtaxat, Faſol. 1. *p. q.* 1. *art.* 4. *dub.* 4. *n.* 35. nihil definit circa ſcientias naturales.

Probatur tamen noſtra concluſio à Valentia 1. 2. *diſp.* 5. *quæſt.* 3. *puncto* 2. *ad* 3. *difficultat.* vel hæ differentiæ ſunt ſpecificæ vel genericæ, non ſpecificæ quia habitus ſpeculatiui & practici differentes ſpecie

infimas, in eo tamen conueniunt, quod sint speculatiui aut practici: non etiam genericæ quia ipsæ non includuntur formaliter in inferioribus, & tamen speculatiuum & practicum reperiuntur formaliter in differentiis vltimis scientiarum, deinde differentiæ superiores debent diuidi per alias sibi proportionatas, & subalternas vt constat, & tamen ratio practici & speculatiui non ita diuiditur, vt patet.

2. Operabilitas & non operabilitas sunt rationes accidentariæ obiecto scientifico, & illi iam constituto adueniunt, ergo non possunt specificare scientias, id enim fieri debet per rationem formalem specificatiuam obiecti vt obiectum est, vnde soluit quod obiicitur, sublatâ speculabilitate, aut agibilitate tolli notitias speculatiuas, & practicas. Respondeo enim tolli tantùm consequenter non primò & per se sicut sublatâ abstractione tolluntur scientiæ. Et tamen Gillios negat abstractiones esse differentias essentiales: præterquam quod licet à notitiis tolleretur ratio speculatiuæ aut practicæ, maneret tamen eiusdem speciei atque antea, quia tamen rationes istæ sunt, vt dixi, appendices quædam rationum formalium & cum illis necessariò connexæ, licet illis sublatis tollantur consequenter notitiæ, & ratione ipsarum fiat recta diuisio inde tamen non sequitur esse differentias essentiales quod contendimus hoc loco.

An scientia Canonica sit practica.

15 His explicatis facilis erit definitio positæ quæstionis. An scientia Canonica sit speculatiua, an practica: in qua quæstione tot possunt esse sententiæ, quot alias recensuimus in simili quæstione de Logica, & de morali quarum prior dirigit actiones mentis, posterior actiones homanas & morales, faciúntque eas actiones rectas, vel in veritatis inquisitione, vel in honestate virtutis; eadem ratione qua nostra scientia Canonica dirigit actionem humanam & religiosam, ne in diuino cultu aberret. Ideóque de omnibus istis scientiis eodem modo philosophandum omninò est.

Dico igitur scientiam Canonicam esse simpliciter practicam, quia non consistit in sola cognitione sui obiecti, nimirum actionis humanæ religiosæ, sed illam dirigit, & modo nuper explicato facit, quæ ratio est propter quam Aristot. Ethicem & practicam facit pluribus locis, vt *lib. 2. Ethic. cap. 2. lib. 10. cap. 9.* atque alibi sæpius non enim speculatur dumtaxat actiones morales, sed dat regulas quibus honestæ fiant, totámque suam cognitionem dirigit ad eam honestatem inducendam, isque est eius finis intrinsecus, immediatus, & principalissimus. Idem planè de politia dicendum est; cùm tota tendat in dirigendis ciuibus ad beatitudinem assequendam, siue tota sit in procurando bono communi Reipublicæ, ad idque sua omnia instituta, & leges dirigat, & vel pars ipsius moralis sit, vel illi omninò coniuncta. Scientia verò Canonica non alium finem internum, immediatum, & principalissimum habet quam Religionem, quam procurat & promouet suis canonibus & Regulis, quámque vno verbo dirigit, neque aliò quam ad einsmodi directionem tendit, quis verò dicat legum cognitionem quæ ad actiones ciuiles dirigendas atque ad continendam totius Reipublicæ administrationem, & politiam tendit, non esse practicam, & sanè tum Plato, tum Aristoteles initio quæstionis superioris addocti illas ea de causa inter artes numerabant.

16 Obiicies scientiam Canonicam considerare plurimas quæ sunt merè speculabilia: disputat enim de natura Religionis, & actuum ipsius, déque pluribus aliis quæ ad practicam scientiam non pertinent, cum practicabilia non sint vt de quibusdam fidei obiectis, de quibus, aliisque pluta in discursu huius operis. Ergo saltem ex ea parte speculatiua dicenda erit, & quodammodo mixta, cum rationes practicæ & speculatiuæ participet saltem ratione diuersorum obiectorum in quæ tendit, quæque considerat, qua de causa mixtam vt ita dicam speculatiuarum & practicarum notitiarum in Ethica quæ de natura virtutum etiam speculatiuè agit, agnoscunt Gregor. *q. 5. prologi, art. 2. sub fin. & art. 4. conclus. 2.* Salas *2. 2. tract. 1. disput. 1. num. 17.* Pauonius *disp. 1. q. 2. prop. 2.* Respondeo iam me docuisse in notatis differentias speculatiui & practici diuidere adæquatè scientias naturales, saltem consequenter ac proinde nullam eiusmodi scientiam posse esse simul practicam, & speculatiuam. Deinde quod attinet ad Ethicam cum omnes notitiæ quas habet de virtutibus & aliis eiusmodi spectent ad operationem, neque traduntur ad nudam cognitionem in qua Ethica ex sua natura & fine intrinseco conquiescit, tota illa notitia propria practica est, vt vidit Aureol. *in 1. dist. 35. art. 3.* & Albertus *in 1. Ethic. tract. 1. cap. 4.* quidni etiam dicas has subtiliores disputationes, & speculationes quæ in tractandis scientiis etiam practicis interdum interseruntur, pertinere ad alios habitus à quibus Ethica, v. g. vel scientia nostra Canonica mutuo accipit vt illis vtatur ad finem suum prosequendum, dirigendos videlicet mores, & actiones honestas, vel religiosas, vt enim sapienter dixit Seneca *epist. 121.* disputans de natura & origine morum scrutanda. *Cum quæritur quare hominem natura produxerit, quare prætulerit animalibus cæteris, longè me iudicas mores reliquisse, falsum est: quomodo enim scies qui habendi sint nisi quid homini sit optimum inueneris, nisi naturam eius inspexeris. tunc demum intelliges quid faciendum tibi, quid vitandum sit, cum didiceris quid naturæ tuæ debeas*, & *epist. 106.* in eos qui ista disputationis tantum causa disputant, *non vitæ, sed schola discimus*, atque alias sæpè in istas inutiles quæstiones quibus vt loquitur subtilitas vanissima agitatur, inuehitur in *epist. 82. & 117. 48. & 49.* ex quibus vides totam illam cognitionem ad praxim referendam esse, alioquin non pertinere ad hanc scientiam inutiliterque ad eam adhiberi. Quare si ad praxim referantur à scientia à qua adhibentur, non faciunt idcirco eam scientiam speculatiuam, sed potiùs eiusmodi speculationes ex fine interno scientiæ quæ illis ad praxim, & directionem vtitur, iam fieri practicas quamdio ab ea scientia vsurpantur.

Obiicies Theologiam esse scientiam simul practicam & speculatiuam, vt docet S. Thom. *1. p. q. 1. art. 4.* & passim omnes eius discipuli in eum At. Molin. Vasq. *disp. 8. & 9.* Gilli. *lib. 1. tract. 5. à cap. 9.* Valentia, Fasol. aliique quia eius obiectum quod est Deus, habet plures veritates speculabiles; plura etiam eius obiecta secundaria notitias practicas generant vti facilè constabit inductione, idcircò docent laudati DD. Theologiam vtramque illam rationem participare, cum non sint oppositæ vti diximus, quod difficile intellectu non est, si in scientia composita ex pluribus habitibus partialibus, alij enim erunt practici, alij speculatiui, omnes tamen eiusdem speciei, & Theologia totalis formaliter practica & speculatiua, principalius tamen speculatiua dicetur à primario eius obiecto, quod si eam facias vnam simplicem qualitatem, erit eminenter practica, & speculatiua. Quidni igitur dicemus scientiam Canonicam æquè esse simul practicam, 17

&

& speculatiuam, cum eius obiectum nempè actio Religiosa cuius naturam considerat, sit speculabile, actiones deinde siue modi atque regulæ quibus Religionem, & diuinum cultum procurat, siot obiecta secundaria agibilia, quæ tamen propter attributionem quam habent ad primarium obiectum cum illo conuenire possunt in vnitatem obiecti scientifici, quia ea vnitas non debet esse vniuoca neque generis so species sufficitque vnitas analoga, & attributionis, vt videmus in medicina quæ habet pro obiecto & fine intrinseco sanitatem, pro obiectis secundariis animal, medicamenta & alia quæ habent attributionem ad sanitatem quæ omnia considerantur à Medicina; ideóque dicitur dumtaxat analogicè vna. Eiusmodi porrò vnitas analoga videtur reperiri quoque posse ratione obiecti primarij & secundarij quorum licet aliqua sint operabilia alia agibilia, conuenire tamen poterunt in ratione analoga obiecti, quia vnum erit primarium alia secundaria, denique scientia Canonica vel est simplex vna qualitas vel multiplex ratione particulatium habituum ex quibus coalescit quo casu nihil impediet quominus aliqui ex his partialibus habitibus sint practici alij speculatiui qui conflent vnum totalem eo modo quo q. 3. sequenti explicabimus: quod si sit vnus simplicissimus habitus vnaque qualitas erit eminenter practicus & speculatiuus habitus vti dicebamus cum communi sententia de Theologia si supponatur esse simplex qualitas.

Respondeo discrimen esse inter Theologiam & scientiam Canonicam, cuius discriminis rationes ostendi initio in notatis, dum docui praxim, & speculationem in scientiis naturalibus esse quasdam appendices differentiarum formalium, & essentialium, ideoque diuidere adæquatè scientias naturales quia per se requiruntur ad rationem constitutiuam obiecti eiusmodi habituum, quia si ab illis obiectis præscindatur speculabilitas aut agibilitas iam tota ratio eiusmodi obiectorum & habituum, non primò quidem & per se, sed consequenter tollitur, vti fuit explicatum, deinde principia speculatiua habent terminos essentialiter diuersos, & generantes notitias diuersas à notitiis terminorum agibilium; in notitiis porrò euidentibus quales sunt scientiæ naturales, tota tandem resolutio fit in apprehensione terminorum, idcóque iudicia ex illis elicita, sumuntur ex ratione formali obiecti, ac proinde si sunt diuersa supponunt quoque diuersitatem formalem in obiecto. Quando autem conditiones speculabilitatis & agibilitatis tenent se dumtaxat ex parte obiecti materialis, sub eadem ratione formali posse conuenire non negamus, vti contingit in habitibus qui procedunt per medium extrinsecum; in his enim nihil prohibet diuersas istas rationes simul reperiri, vti nuper ostendebam: quare cum Theologia vti iam monui, habeat obiectum, cuius aliæ veritates sunt speculabiles aliæ agibiles, nihil impedit quominus diuersas notitias gignat, alias quidem speculabiles alias agibiles propter secundaria obiecta quæ continet. At verò scientia canonica habet obiectum agibile & illud non nisi modo agibili considerat, totámque considerationem, & notitiam de eius natura, & proprietatibus refert ex fine intrinseco ad actionem. omnia item obiecta secundaria quæ ad illud primarium attributiones habent, agibilia sunt & non referuntur ad primarium, nisi in ratione agibilis, & quatenus est operabile, seu opus faciendum. Sic enim considerantur canones & regulæ vt ex earum directione rectè fiat actio religiosa. Nihil igitur est vnde rationem speculatiui vt differentiam oppositam rationi practici sumamos, quandoquidem tota illa speculatio quæ in obiecto scientiæ Canonicæ reperitur est quid practicum cum tendat in directiones praxis & operis ponendi ex eiusmodi speculatione honestatis quod vt vides non reperitur in obiecto primario & formali Theologiæ quod est Deus, cuius consideratio potest esse & speculatiua duntaxat, & aliquando practica si solos & præcisos atque internos & immediatos istarum cognitionum fines attendamus. An verò scientia canonica, si sit habitus totalis coalescere valeat ex habitibus partialibus quorum alij sunt speculatiui alij practici quæremus q. 3.

Obiicies omnem scientiam saltem naturalem, & euidentem certam esse, cùm procedat ex notioribus, 18
& per veram causam vel effectus proximos ac reciprocos. Eiusmodi verò non est scientia canonica cùm plerumque in eius syllogismis altera præmissa sit aliqua propositio reuelata, aut ex tali deducta; Altera verò sit dumtaxat moraliter certa, v. g. hostia consecrata, & exhibita in Missa est adoranda; ista verò est consecrata: ergo est adoranda. Maior est de fide, minor est solum moraliter certa, atqui conclusio sequitur deteriorem partem vti Logici demonstrant: Respondeo nos de euidentia & certitudine scientiæ canonicæ fusè *q. vlt.* disputaturos.

QVÆSTIO II.

An scientia Canonica sit supernaturalis.

Ratio dubitandi. n. 1. 2.
Est scientia naturalis. n. 3.
Probatur. n. 4. 5.

RAtio dubitandi, est quia scientia canonica vtitur 1
pluribus principiis fide reuelatis neque enim respicit cultum Dei, solum vt authoris naturæ, sed vt fide cogniti, v. g. cum docet Trinitatem personarum diuinarum eodem, & æquali cultu colendam esse; dum inuocationem singularum personarum, dum Christo homini Deo adorationem præstandam. Adde & Sacramentorum à Christo institutorum confectionem, sacrarum personarum deputationem, cæremoniarum & sacrorum rituum institutionem, Ecclesiæ Christianæ quam regit, à Christo fundationem & infinita alia quæ fidem supponunt; immo, & de ipsa fide disputat hæc scientia. Quare primaria eius principia immò, & ipsum primarium eius obiectum, actio nimirum Religiosa, ipsum quoque ius diuinum in vtraque scriptura traditum, quo & Ecclesiam dirigit, & suas deinde regulas metitur, sunt aliquid supernaturali lumine fidei cognitum, atque reuelatum, cum igitur habeat & obiectum primarium, & principia plura supernaturalia, ipsa quoque supernaturalis erit, vti quondam nos disputabamus de Theologia cum Fonseca 6. *Metaph. c. 1. q. 6. sect.* 8. Fasolo 1. *p. q.* 1. *art.* 2. *disp.* 13. Molin. *ibid. q.* 1. *art.* 2. *disp.* 1. §. *diximus*, vbi diuinam vocat, & communem esse suam sententiam affirmat, & *disput.* 4. *ad* 4. Gilli. *lib.* 1. *tract.* 4. *cap.* 12. qui veteres dabit: Ratióque videtur manifesta: nam assensus cuius ratio formalis est supernaturalis, est etiam supernaturalis; atqui ratio assensus Theologici, & Canonicæ scientiæ est supernaturalis, nimirum propositio aliqua reuelata; in qua argumentatione tota difficultas est in probanda maiore præmissa, quæ tamen inde probatur, quod supernaturalitas assensus peti dumtaxat possit vel ab obiecto, vel à motiuo; non

petitur vero semper ab obiecto, quandoquidem fides aliquando versatur circa obiecta mere naturalia, vt eum credimus veram esse historiam Hebræam à Mose scriptam. Restat igitur vt supernaturalitas illius assensus, sit à motioo supernaturali; atqui scientia canonica habet principia supernaturalia, eiusque assensus fundatur in propositione fide reuelatâ, quæ proinde reddet illum assensum æquè supernaturalem. v.g. Trinitatem personarum esse summo cultu & æquali eodemque inter se adorandam, sic demonstrar. Deus est summe adorandus, singulæ personæ Trinitatis sunt Deus: ergo singulæ sunt summo cultu adorandæ. Rursus qui habent æqualem, immo & eandem excellentiam & maiestatem vno eodemque cultu enlendi sunt, atqui singulæ personæ Trinitatis habent eandem excellentiam & maiestatem, cum habeant eandem omnino essentiam, in quibus aliisve innumeris discursibus, qui fiunt à scientia canonica, formale motiuum assensus est propositio reuelata, & fide credita; vt vides, ac proinde supernaturale. Igitur & totus assensus supernaturalis erit, atque adeo scientia & habitus ad talem assensum eliciendum inclinans.

2 Dices habitus scientiæ canonicæ acquiri nostris actibus & modo naturali vti docet experientia, quod non contingit in cæteris habitibus supernaturalibus, qui per se infundi debent, & non acquiruntur & producuntur nostris actibus, ad eos enim eliciendos potentia est incomplera sine habitu, aut aliquo auxilio supernaturali illam eleuante & complente.

Respondeo & fateor intellectum ad eliciendos actus & assensus scientiæ canonicæ, de quibus agimus debere eleuari lumine fidei, vbi tamen illo semel collustratus est, habet omnia sufficientia ad eliciendum actum illum & assensum, qui proinde non prærequirit in sua potentia suum habitum à quo compleatur ad operandum, vti contingit in cæteris actibus supernaturalibus, qui oriuntur ab habitibus per se infusis, quos vulgo Theologi docent non posse suis actibus augeri, vel primò produci, quia supponunt potentiam omninò incompletam ad eos actus, & materialiter tantum non actiue concurrentem ad habitus infusos; falsum tamen est quod existimant aduersarij qualitatem supernaturalem essentialiter, & per se infusam conuerti: nam in sententia communi Thomistarum species angelicæ sunt per se infusæ, negant siquidem Angelum posse illas desumere ab obiectis, & nihilominus sunt naturales Angelo, cum eius naturam & exigentiam non excedant; cur igitur aliquid acquisitum non poterit esse supernaturale, sicut aliquid per se infusum est naturale. Non est etiam opus vt omnia principia effectus supernaturalis, sint supernaturalia, vti patet in omnibus actibus vitalibus ordinis supernaturalis, qui eliciuntur ab intellectu & voluntate, quæ sunt potentiæ naturales, & vitali ac naturali modo eliciunt suos actus vitales, etiam supernaturales, non ex propriis dumtaxat viribus sed auxilio, & principio supernaturali adiutæ & eleuatæ à quo principio suam supernaturalitatem hauriunt illi actus, potest igitur effectus supernaturalis prodire à causa naturali agente cum principio supernaturali illam complente & eleuante. Quamvis igitur in Syllogismo tum Theologico, tum canonico vna præmissa sit naturalis, atque etiam tota forma syllogistica, quia tamen altera præmissa, est supernaturalis, atque adeo motiuum assensus supernaturale existit, totus ille assensus lumine fidei illustratus, & à priocipio supernaturali elicitus in ordinem quoque supernaturalem traducitur, & eleuatur.

Nihilominus quidqold de Theologiæ supernaturalitate quam negat Granad. 1. p. disp. 5. & Arrubal. disp. item 5. cap. 4. Koninck de actibus supern. *disput. 4. numer.* 117. Vasq. 1. *p. disput.* 1: *num.* 9. Turrian. 2. 2. *disputat.* 44. *dub.* 2. 9. *Si habitus*, statuas, existimo scientiam canonicam omnino naturalem esse quamvis in quibusdam suis demonstrationibus & syllogismis alteram præmissam fide acceptam & reuelatam supponat vti asserebar obiectio, tota tamen conclusio naturalis est & habitus quem illa gignet, naturalis, quod non negabunt opinor authores qui eandem naturalitatem agnoscunt in actu & habitu Theologico. Probatur quia eiusmodi assensus canonicus & conclusio produci potest à sola potentia naturali & naturaliter vi sua naturali & non eleuata aliquo auxilio supernaturali, nam vt aliquis actus sit verè supernaturalis procedere debet ex vi agente supernaturali & modo supernaturali in eum influente, neque sufficit vt actus requirat aliquod principium supernaturale, nisi effectiuè ab illo, modo supernaturali agente pendeat; alioquin non diceror propriè supernaturalis nisi admodum impropriè & per quandam denominationem, aut secundum aliquem modum extrinsecum, nisi ex se se, & ex suæ perfectionis natura postulet principium effectiuum à quo immediatè producatur, & vim habeat agendi supernaturalem, ex illaque vi tunc agat, siue quòd modo supernaturalj agat in eius actus productione; quia non sufficit ad effectum supernaturalem vt eius aliquod principium sit supernaturale, nisi modo quoque supernaturali in eiusmodi effectum influat, talemque influxum ille effectus ex sua natura postulet, eo quod nequeat alio modo, & à causa naturali, & naturaliter agente produci; alioquin effectus qui à causa infinita produceretur esset infinitus, quod non est nisi illa causa infinitè influat siue per influxum virtutis infinitæ & qui ab alia causa quam infinita prodire non possit & quæ tunc necessario suam illam vim infinitam exerat, sine qua talis effectus non prodiret simili ratione vt aliquis effectua dicatur propriè & secundum substantiam supernaturalis, non sufficit vt habeat causam aliquam supernaturalem, nisi illa agat qua supernaturalis est siue modo supernaturali, qui vires omnes naturales super: & quod ostendit Kon. *disp. 4. cit. n.* 109. ex sculptore cui Deus infudisset artem sculpendi supernaturalem, & quæ superaret omnem artem naturalem quæ numquam eum perfectionis gradum attingeret: si ille sculptor ex sua illa arte sculperet aliquam statuam, modo cæteris communi, siue quam alij sua exquisita arte, naturali tamen possent æmulari, eiusmodi sculptura licet ab arte supernaturali prodiisset non esset tamen supernaturalis, cum viribus artis naturalis fieri posset, quia licet ab arte supernaturali facta esset, non tamen ab illa supernaturaliter agente. Non sufficit igitur causam esse supernaturalem ad effectum supernaturalem nisi illa causa supernaturali modo agat.

Demonstrandum verò restat in Syllogismo canonico in quo aliqua præmissa, aut etiam ambæ sunt reuelatæ, atque diuina & supernaturali fide creditæ, conclusionis assensum qui ex eiusmodi præmissa supernaturali pendet, non pendere ab illa modo supernaturali; siue præmissam illam supernaturalem non agere in consequendam & conclusionem, nisi modo prorsus naturali & non supernaturali, quod etiam in discursu theologico contingit, neque enim discursum canonicum quoties vtitur præmissis de 4

fide

fide & reuelatis, distinguo hac in patre à vero discursu theologico, cùm in modo procedendi & in principiis tum formalibus, tum materialibus eo casu conueniant, ideoque discursus illi Canonici vel sint omninò Theologici, vel parum omninò ab ipsis differant, cùm in vtrisque sint eadem principia tum formalia tum materialia: formalia quidem forma syllogistica & iudicium de bonitate consequentiæ; materialia, vero præmissæ reuelatæ proxime vel remotè. Principia verò formalia cum sint communia omnibus aliis scientiis & discursibus, non facient istum de quo agimus, supernaturalem, vt vides, ac proinde assensus conclusionis in scientia siue discursu Theologico vel Canonico dici nequit actus supernaturalis nisi ratione motiui materialis supernaturalis, nempè assensus præmissarum de fide. Inde vero non sequi supernaturalitatem ostendit Arrubal *disp. 5. 1. p. cap. 4* quia id etiam contingeret quando altera præmissa foret de fide, & altera probabilis dumtaxat, atque ita assensus opinatiuus esset supernaturalis, quod nemo dixerit, quia cum actus opinatiuus possit esse falsus, actus supernaturalis posset etiam esse falsus. Neque dicas requiri idem lumen eumdemque habitum ad assensum præmissarum, & conclusionis, sicut idem habitus inclinat ad amorem finis, & mediorum, quia media non amantur nisi propter extrinsecam bonitatem finis, à qua redduntur amabilia, vnde actu simul attinguntur: at verò conclusio terminat cognitionem per intrinsecam suam intelligibilitatem à qua redditur intrinsece cognoscibilis, quia tamen illa obscura est, non apparet nobis nisi per connexionem cum medio termino, & per assensum principiorum & præmissarum. siue illæ immediatè cognoscantur, sintque prima principia, siue ad vlteriora reducantur, sufficitque vt illis intellectus assentiatur, vt ex connexione extremorum conclusionis cum ipsa, iudicet de bonitate consequentiæ, & demum assentiatur firmiter conclusioni tanquam veræ. Quare assensus principiorum & præmissarum est quidem virtualiter in conclusione, non tamen formaliter quasi terminet assensum conclusionis in se id enim facit conuenientia & identitas prædicati cum subiecto per figuram syllogisticam directa, ratione connexionis, quam habent illa duo extrema cum medio termino in præmissis, cum quo termino identificari ostendit forma syllogistica, ac proinde inter se, ex communi certoque illo principio, quo tota forma syllogistica innititur. Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, ex quibus vides assensum conclusionis Theologicæ, vel Canonicæ, licet supponat assensum præmissarum de fide, esse nihilominus totum in se naturalem, illasque præmissas non aliter influere in conclusionem, quam influant aliæ præmissæ, in aliis syllogismis scientiarum mere naturalium, nempè instar obiecti formalis, aut manifestatæ veritatis, ex qua deinde deducitur alia in conclusione. Obiecto enim sibi clare proposito necessario assentitur intellectus quod amplius explicat Konnink *disp. 4. citat. de actibus supernaturalibus n. 115. & 116.*

5 Confirmatur immò & demonstratur à priori vt aliqua cognitio sit vere supernaturalis, debet intellectus indigere eleuatione à superiore aliqua causa ad eliciendam eiusmodi cognitionem, quam suis natiuis viribus elicere non valet. Atqui positis assensibus præmissarum etiam fide diuina creditarum, intellectus non indiget vlla noua eleuatione & motione, neque tenetur vllam accipit, ad assentiendum conclusioni, sed illum actum propria vi, semine principiorum & præmissarum veluti fœcundatus ex se se producit sicut ager qui commisso sibi aliunde semine, propria deinde virtute in segetem erumpit: igitur assensus eiusmodi conclusionis supernaturalis non est. In hac ratiocinatione sola minor probanda est, cùm reliquæ propositiones certæ & notæ sint. Suppono verò, quod vulgò docent Logici ad assensum conclusionis duo maximè necessaria esse, nempè assensum præmissarum & iudicium siue formale siue virtuale de bonitate consequentiæ, habito verò illo præmissarum assensu, vndecumque habeatur siue ex fide siue ex Theologia, siue aliunde, & iudicio de bonitate consequentiæ intellectus naturaliter & ex propriis viribus assentitur conclusioni in quacumque materia, immò ad illum assensum determinatur necessitate tum contradictionis tum contrarietatis siue specificationis & exercitij, vti aliàs docuimus in Logicis, cum eo casu intellectus ne quidem suum assensum suspendere aut aliò cogitationem auertere valeat. Vti enim sapienter arguit Gili. *lib. 1. tract. 2. cap. 3. n. 4.* tota difficultas quam patitur intellectus in assensu discursiuo, oriri tantum potest vel ex ignoratione principiorum & motiui quo ducitur vel ex ignoratione bonitatis consequentiæ; atqui ignorantia principiorum tollitur per ipsorum cognitionem, vel naturalem si sint naturalia, vel supernaturalem fidei si sint Reuelata & lumine diuino cognoscantur: bonitas autem consequentiæ lumine naturali cognoscitur euidenter. Quid igitur impediet quin iis assensibus & iudiciis positis, Intellectus ex suâ vi naturali absque noua eleuatione vel lumine, & motione superioris ordinis, assentiatur conclusioni, cum ad eiusmodi assensum necessariò determinetur, vt dixi. Et sanè quoties posito quodam principio sequitur euidenter aliqua conclusio, qui illud principium admittit, videtque euidenter alterius ex eo principio consecutionem, necessariò determinatur ad assensum illius consecutionis, quamdiu non retractat principium ex quo videt euidenter deduci eiusmodi conclusionem siue consequutionem. neque indiget superiori lumine ad actum ad quem ex prioribus assensibus necessariò determinatur, vt patet. Positis autem assensibus præmissarum de fide & bonitate consequentiæ, intellectus naturali suo lumine intuetur aut intueri saltem potest euidentiam consequentiæ, atque formare hanc conditionalem euidentem, si hæc principia sunt vera, hæc quoque conclusio vera est: atqui principia vera sunt, vti mihi ex fide constat, ergo conclusio vera est, neque aliud potest concludere quamdiu principiorum & præmissarum assensum non retractabit, neque profectò indiget nouo lumine distincto à lumine principiorum, sed illis semel positis eorumque assensu, ad eliciendum conclusionem suapte sponte fertur & necessitatur. Vides itaque actum istum tum Canonicum tum theologalem immediatè procedere ex ratione & discursu humano, conflato tamen ex assensibus ordinis diuini, non habere principium supernaturale nisi ratione præmissarum, quod principium non concurrit immediatè ad eliciendum assensum conclusionis, qui proinde in se est omninò naturalis, licet priorē alium actum supernaturalē præsupponat; & sicut Philosophus vbi præbuit assensum suis principiis, virtute illorū suapte deinde vi assentitur conclusioni; ita in Canonico syllogismo, positis assensibus de fide circa præmissas, absque nouo lumine & auxilio supernaturali, intellectus virtute talium præmissarum præbet naturaliter assensum conclusioni. Scientia igitur Canonica, licet in plerisque suis demonstrationibus præmissas & principia quæ sunt motiua materialia assensus mutuetur à fide & reuelatione, est nihilominus naturalis, cùm naturaliter inferat conclusionem

in ea demonstratione, ipsique assentiatur eodem modo qun ceteræ scientiæ naturales suas conclusiones inferunt & demonstrationes conficiunt ex principiis ab aliis scientiis acceptis vt à Metaphysica vel Mathematica à quibus sæpius præmissas in Physicis demonstrationibus desumit ipsemet Aristoteles: neque propterea eæ demonstrationes desinunt esse Physicæ & ab habitu Physico, licet si totum syllogismum consideremus, ad illum secundum aliquas propositiones & principia materialia concurrat lumen Mathematicæ, ita scientia Canonica ad demonstrationes suas indiget aliquando, præmissis à fide vel Theologia acceptis, quibus positis suam demonstrationem conficit, cuius conclusio est omninò naturalis, pertinetque ad scientiam Canonicam, licet aliquæ præmissæ à superiori aliquo habitu acceptæ, vel superiori lumine cognitæ fuerint: cum verò essentia demonstrationis consistat, vti supponimus ex Logicis, in conclusione, eaque in nostro casu sit prorsus naturalis, habitus à quo ipsa procedit, naturalis omninò dicendus erit. Quare scientia Canonica naturalis censenda est, quamvis ab aliis scientiis in eo differat quod sæpius habeat principia materialia superioris ordinis, & superiori lumine fidei aut Theologiæ cognita, ac proinde licet structura syllogismi, eiusque conclusio sit omninò naturalis, si tamen secundum omnes suas partes, quibus necessario constat, consideretur, sæpius secundum aliquas ipsarum, sit supernaturalis, indigeatque supernaturali lumine vt assentiatur propositionibus ex quibus deinde naturali suo lumine conclusiones eliciet & demonstrationes conficiet. An verò in huiusmodi demonstrationibus euidentia & certitudo quæ ad rationem scientiæ naturalis exiguntur reperiatur, docebimus, *q. vltima*, vti iam monuimus.

QVÆSTIO III.

An scientia Canonica sit vna & quâ vnitate.

1 TRiplex vnitas in scientia Canonica sicut & in cæteris considerari potest: prima sumitur ex completa ratione in genere integro & perfectæ scientiæ, vnde fit vt non habeat rationem partis integrantis respectu alterius, vt cum ea compleat vnam integram rationem scientiæ: ratio est quia vnitas dicit completam rationem eius formæ secundum quam rès dicitur vna, & indiuisionem habet in plura secundum eandem rationem; quia negatio vel defectus complementi formæ secundum quam res dicitur vna siue diuisio in plura participantia complete eandem formam, obstat vnitati: vt igitur scientia sit vna hac vnitate, debet habere vnam & completam rationem in ratione certæ scientiæ, non verò incompletam duntaxat, ratione cuius vnam cum alia scientiam efficiat.

Vt verò hæc vnitas scientiæ ex completa ratione scientiæ desumpta, secundum quam non est pars integrans alterius, intelligatur, supponendum est ex Arist. 1. *posterior. cap.* 23. Scientiam esse vnam quæ est de vno obiecto, & eius partibus: quare si totum vnum aliquod subiectum considerat, omnesque eius partes, saltem sub eadem ratione communi, & vt aliqui volunt abstractione, vna erit: si verò vnam tantum subiecti partem attingat, non erit nisi scientia partialis, & cum aliis cognitionibus reliquas subiecti partes considerantibus vnam scientiam conficiet, quæ, vt vides, ex multis partibus integrabitur: singulæ verò eiusmodi partes totalis scientiæ, non obtinebunt completam & integram rationem scientiæ. Hæc vnitas, & integritas scientiæ, sicut & eius complementi defectus desumi debet ex vnitate subiecti. Nam vel totum illud, omnesque eius partes considerat scientia, vel eius tantum aliquam partem attingit: si totum attingat, erit vna scientia, vti dicebat Aristoteles, si verò vnam aut alteram subiecti partem considerat, non erit nisi scientia quædam partialis, quæ cum aliis partibus in vnam scientiam completã coalescit, itaque hæc vnitas scientiæ sumitur ab eius integritate & completa ratione scientiæ circa primarium & adæquatum eius obiectum. Quare consideranda sunt diuersa genera partium subiecti scientifici, & aliorum habituum: quædam enim sunt integrantes, vt in subiecto Physicæ, quod est corpus naturale vel mobile, materia & forma quæ illud componunt: aliæ sunt subiectiuæ quæ eidem rationi genericæ obiecti scibilis subijciuntur, sicut species generi, cuius rationes participant. Partes integrantes subiecti, quæ terminant notitias integrantes, vnam scientiam integram constant, non verò partes subiectiuæ: nam licet participent rationem genericam alicuius notitiæ, & attingant idem obiectum sub eadem abstractione, vel scibilitate generica, quia tamen sunt diuersæ inter se specie infima, necessariò terminant notitias quoque specie diuersas, quæ proinde habent completam rationem scientiæ, neque sunt partes integrantes illius: neque enim species infima dicitur pars integrans generis, aut indiuiduum speciei, quamvis rationes generis & speciei participent: sic homo est pars subiectiua animalis, & Petrus hominis, non sunt tamen integrantes; quasi animal integretur ex homine & equo, & homo ex Caïo & Sempronio: ex hac igitur distinctione partium integrantium, & subiectiuarum subiecti cognoscibilis & scientifici, sumitur distinctio notitiarum, & scientiarum alicuius obiecti: quæ enim notitiæ aliquas tantum eius subiecti partes considerant, sunt tantum partes integrantes sciẽtiæ subiecti illius, & non habent in se completam rationem scientiæ, neque proinde vnitatem formæ qua in esse scientiæ integræ constituuntur: quæ verò notitiæ partes subiectiuas obiecti primarij attingunt, sunt notitiæ specie diuersæ, & in sua ratione completæ; quamuis superiori rationi genericæ subijciantur, quare partiales notitiæ de forma & materia cor-

poris

potis naturalia, non sunt cópletæ in genere scientiæ, sed partes integrantes Physicæ, cùm attingant partes integrantes primarij ipsius obiecti. At verò Arithmetica & Geometria sunt veræ ac propriæ scientiæ integræ, & completæ in sua specie, non verò integrantes scientiæ Mathematicæ in communi. Quia quantitas prout abstrahit à materia sensibili, singulari, & vniuersali, est quidem ratio generica obiecti scibilis, ac proinde terminat vnam genericam rationem scientiæ, quam Mathematicam nominamus: quia verò numerus & magnitudo sunt partes subiectiuæ quantitatis in ratione scibilitatis, quam specie diuersam habeor, terminant quoque diuersas scientias specie, nimirum Arithmeticam & geometriam, quæ sunt partes subiectiuæ Mathematicæ, atque completæ in in sua specie & non partes dumtaxat integrantes eadem ratione, quia obiectum Metaphysicæ, nimirum eius abstrahens à materia sensibili, est vnum specie infima in ratione scibilis, & non vnum tantum genere: notitiæ quæ agunt de substantiis separatis, aut de summo genere entis, non sunt partes subiectiuæ Metaphysicæ, sed integrantes, atque adeo non sunt completæ in se ratione scientiæ, sed cum aliis vnam scientiam integrant. Quoties igitur ens aliquam habet rationem generis in ratione scibilis, illi prout abstrahit à particularibus rationibus scibilitatis, necessariò conuenit communia aliqua ratio scientiæ siue vniuoca siue Analoga sit, cui subijciuntur aliæ scientiæ tanquam species in se completæ, considerantque idem obiectum sub specialibus rationibus scibilitatis sub eodem communi genere, & non sunt partes integrantes totalis scientiæ, vt sæpius dixi, sed subiectiuæ: quando verò obiectum non habet partes subiectiuas in ratione scibilis, quia habet vnam tantum scibilitatem specie infima, notitiæ quæ diuersas illas, partes attingunt sub vna eademque scibilitate infima, non sunt nisi partes integrantes scientiæ totalis, quæ per diuersas illas partiales notitias, subiecti sui partes integrantes attingit, atque ex diuersis illis partialibus notitiis in vnam integram & completam scientiam illius obiecti coalescit ita fusè Gilli. *lib. 1. tract. 6. c. 1.*

2 Altera vnitas scientiæ est vnitas specifica, generica siquidem communis est, ac proinde non est perfectè vna, quandoquidem diuiditur in plura rationem illam communem participantia, ideoque est vna & multiplex vt docent Logici. Vna formaliter in se, sed multiplex in inferioribus in quibus per diuersas differentias contrahitur & reipsa multiplicatur. Dari verò plures scientias speciei infimæ diuersas suppono contra Mirandulan. *lib. 13. monomach. q. 3. a. 3.* qui volebat vnam tantum esse scientiam, quam deinde patiamur in plores, perspicuitatis tantum gratia quæ opinatio statim reijcitur ex distinctione quæ inter diuersas notitias reperitur, & inter quas nullam connexionem assignare licet, vt vides inter Mathematicam & Ethicam, vel Logicam. Adde diuersas rationes formales, & motiua propter quæ scientiæ suis conclusionibus assentiuntur. Varium modum quo in obiecta tendunt, diuersa principia quibus innititur: quæ omnia diuersas scientiarum naturas arguunt quam sufficientissimè: neque Mirandulanus quidquam affert ad illam scientiæ vnitatem adstruendam, quod non facilè diluatur, & loca quæ summo studio collegit ex Aristotele id profectò non ostendunt, difficilis quidem & intricatus est textus ille *lib. 2. metaph. cap. 4.* bis verbis *quare & entis quotquot sunt species, vnius scientia generis est, & specierum species contemplari.* Verùm intendit tantum Philosophus ostendere scientiam considerare omnes species sui obiecti in ratione illa generica, non autem secundum rationes particulares, vt optimè vidit Suares *disp. 1. Metaph. sect. 2. n. 21.* & patet ex ipso contextu quem clarè explicat Fonseca in commentariis: intendit enim probare dari aliquam scientiam, quæ omnia entia quatenus entia sunt, & sub illa ratione consideret, ad quod ostendendum assumit hoc pronuntiatum, cuiusque generis & sensus est, & scientia. Sic vna grammatica voces omnes considerat, id est sicut datur vnus sensus qui tendit in quodlibet genus sensibilis, ita datur vna scientia quæ tendit in vnum scibile genere, sicut grammatica quæ omnes voces, & literas speculatur, & sicut visus non tendit in colores quatenus hanc aut illam perfectionem dicunt sed quatenus sunt visibiles, ita scientia tendit in diuersas species obiecti, quatenus sub vno genere sunt. Sic Metaphysica, vt obseruat S. Thom. *ibid. lect. 1. littera B.* licet antiqua translatio quam sequitur, valdè intricata sit hoc loco, vt & illa Bessarionis, considerat omnes substantias vt sunt entia, non verò vt talis, aut talis naturæ in particulari. Denique versio Perionij apud quem hic liber tertius est, videtur satis perspicua, vt & illa Fonsecæ quam initio retulimus in *omni porrò Genere* ait Perionius, *& sensus vnus est vnius & scientia veluti grammatica cum vna sit, omnes cognoscit & profitetur quocirca vnius artis est eius quod est, tum species omnes tum formarum formas cognoscere.* Nihil igitur nobis officit hic textus Aristotelis cuius è contrario plorima dicta quæ nobis fauent, collegit Dondinus *in lib. 1. de anima comment. 30. digressione 3.* Constat itaque plures esse scientias specie diuersas.

Sed controuersia est vnde tandem desumatur illa differentia & vnitas specifica, & quidem fatentur omnes hauriendam esse ab obiecto, & ideò Aristoteles *1. Posterior. textu 43.* dixit illam scientiam vnam quæ est vnius generis, *& lib. 3. de anima textu 37.* diuidit scientias & sensus pro ratione rerum & obiectorum. Item *lib. 4. Metaph. text. 20.* pertinere vult ad eandem scientiam agere de ente, & eius speciebus, causam reddit S. Thom. quia scientia nihil aliud est quam motus quidam rationis à principiis notis in cognitionem ignoti; omnis verò motus sumit suam differentiam ex 5. Physico, à termino ad quem qui in scientia est obiectum. 3

Insulsè tamen aliqui dixerunt tot esse scientias, quot sunt obiecta singularia, & conclusiones: nam maxima similitudo siue conformitas, quæ est inter cognitiones diuersarum conclusionum, & modum quo variæ notitiæ diuersa obiecta materialia attingunt, satis ostendunt frustra multiplicari scientias specificè secundum multiplicitatem obiectorum, alioquin essent innumeræ, è contrario verò non licet ex qualibet communitate, & conuenientia obiectorum, vnitatem scientiæ ioferre; alioquin esset tantum vna vti volebat Mirandulan. videndum itaque est quâ tandem ratione inoestiganda sit hæc differentia. Varias sententias dabit Salas *1. 2. disp. 7. sect. 6.* qui tandem concludit solum Deum & Angelos nosse quomodo scientiæ differant inter se & quam singulæ extensionem, & latitudinem habeant, ego existimarim multa pendere ex significatione vocum quare.

Obseruandum est id circa quod versatur scientia, varijs nominibus appellari. Dicitur enim 1. compositum ab Auerroë, quia constat principiis componentibus. 2. Genus ab Aristotele *lib. 2. posterior. text. 25. & lib. 4. metaph. textu, 2.* Vbi etiam nominat speciem, nomine autem generis Fonseca illo loco Metaphysicæ intelligit subiectum scientiæ, vt res est. Sic enim potest plores rerum species complecti: nomine verò speciei, subiectum vt scibile est, quia ex diuersitate scibilium quatenus scibilia sunt sumitur diuersitas specifica 4

ſpecifica ſcientiarum. 3. dicitur Obiectum proportione quadam ad animæ potentias ex S. Thoma 1. *par. q. 1. art. 2.* 4. ſubiectum quia ſubſtat toti ſcientiæ, & eſt veluti baſis omnium concluſionum quæ in illo eliciantur: licet Durand. *q. 5 prologi n. 5.* Capreol *ibidem q. 9. concluſ. 2.* Vaſq. 1. *par. diſp.* 10. *cap.* 1. Gilli, *lib. 1. tract. 3. cap. 1. n. 1.* nonnihil diſtinguant inter ſubiectum & obiectum; quod obiectum ſit id quod obijcitur cognoſcendum, ſeu id quod primò & per ſe ac propriè ſcitur, talis porrò eſt concluſio quæ in ſcientia cognoſcitur quia idem eſt cognoſci & obijci cognitioni; ſola autẽ concluſio cognoſcitur, igitur & ſola obijcitur. Subiectum eſt id de quo aliquid probatur & concluditur, eſtque aliquid incomplexum debetque habere conditiones quas nuper illi aſſignauimus, de quibus etiam Vaſq. *diſp. citat.* quidquid tamen ſit de eiuſmodi diſtinctione, vſus inualuit vt obiectum & ſubiectum nullo diſcrimine paſſim vſurpentur.

5 Repetendum præterea eſt quod explicuimus *cap. ſuperiori a.* 1. & monet S. Thom. 1. *p. q. 1. a. 3.* & 1. 2. *q. 1. à 1.* duplex eſſe obiectum. Materiale vnum, formale alterum, non quod iſta duo ſint entitate diuerſa, ſed quod obiectum ex duabus rationibus materiali ſcilicet & formali coaleſca. Obiectum materiale itaque eſt ipſa res ſecundum ſuam naturam ſpectata, quæ quia à diuerſis habitibus attingi poteſt, dicitur materialis, quod ſit veluti materia indifferens, & indeterminata vt hunc vel illum habitum terminet, eam verò determinat ratio formalis, & reſtringit obiecta particularia ad vnum certum habitum, vt ab eo ſolo ſecundum eam rationem conſiderentur. Quare de illa ratione formali tota eſt difficultas. Illa porrò ratio formalis triplex ſtatui ſolet quod *quæſt. 2. citata* nuper monuimus 1. eſt ratio formalis, *qua* 2. *propter quam* vel *qua* vel *per quam* 3. *ſub qua* Omnes vero hæ rationes vnam tantum rationem formalem adæquatam & completam conſtant, vt ait Gilli. *lib 1. tract. 3. cap. 2. num. 1.* formalis *qua* eſt ratio formalis cognita ſeu terminatiua eſtque ratio conſtitutiua obiecti in ratione obiecti, ſiue forma & ratio in obiecto ob quam ab illa ſcientia attingitur, quæ ſiue ſit intrinſeca obiecto in eſſe rei, ſiue accidentalis, eſt tamen eſſentialis in eſſe obiecti, quod oſtendebamus in eſſe viſuali, quod accidentarium eſt lineæ, vt linea eſt, & ſanabile in corpore, vt corpus eſt, non tamen vt linea eſt obiectum opticæ, & corpus medicinæ: hancque duplicem rationem obiecti vt res eſt, & vt ſcibile eſt obſeruauit etiam Ferrarienſ. *lib. 2. contra gent. cap. 4. §. ſecundum quod.* Hæc ratio formalis ſufficit quidem ad diuerſitatem ſpecificam obiecti, ſi completa ſit, quia tamen completa non eſt, & requirit rationem *ſub qua* ideo vocatur quodammodo materialis, & ſe tenet ex parte obiecti materialis. Ratio formalis *per quam* vel *propter quam* ſunt motiua propter quæ habitus fertur in obiectum. Ratio denique formalis *ſub qua*, omiſſis varijs explicationibus, eſt aliqua conditio ſub qua obiectum illud ſcientia conſiderat, & ſine qua non conſideraret perficitque atque complet rationem formalem *qua* v. g. in obiecto viſus reperitur 1. corpus quod videtur, eſtque obiectum materiale: deinde color, nihil enim videtur niſi coloratum, aut lucidum, & eſt obiectum formale *Quod* aut ratio formalis *qua* aut etiam *propter quam*, color enim eſt ratio propter quam corpus terminat actum potentiæ viſiuæ: ſed quia corpus coloratum etiam quà coloratum cognoſcitur ab aliis potentiis, intellectiua ſcilicet & imaginatiua, addenda eſt vlterior ratio nempè viſibilitatis, quæ reſtringat ad potentiam viſiuam. Attingit enim viſus corpus coloratum non qua corpus eſt, neque qua coloratum, viride, vel rubrum, ſed qua viſibile eſt. Simili ratione in obiecto ſcientifico ratiocinandum eſt, hanc porrò rationem *ſub qua* ſeu conditionem ponunt aliqui vulgò in abſtractione obiecti à materia quod vt intelligas.

Aduerte cum, S. Thom. *in libr. Boet. de Trinitate q. 5. a. 1.* & refert Capreol. *q. 3. prologi art. 1. concluſ. 3.* 6
obiecto ſpeculabili duo maximè conuenire, vnum ex parte intellectus ſiue potentiæ ſpeculatricis, alterum ex parte ſcientiæ. Primum eſt immaterialitas: cum enim intellectus ſit immaterialis, nihil poteſt cognoſcere niſi ad modum entis immaterialis: alterum neceſſarium ex parte ſcientiæ, eſt neceſſitas eſſendi. Scientia ſiquidem eſt de æternis & neceſſariis, omne autem neceſſarium quà tale eſt, immobile quoque eſt, quia omne quod mouetur, poteſt eſſe & non eſſe, vel ſimpliciter, vel ſaltem ſecundum quid: vnde fit vt obiectum ſcientificum debeat eſſe abſtractum, præciſum & ſeiunctum à motu & materia. Triplex verò eſt abſtractio nempè ſingularis, ſenſibilis, & intelligibilis pro diuerſitate materię à qua fit abſtractio. Prima fit à materia ſingulari, & non tamen à ſenſibili: quia ſingularia præter ſuam corruptibilitatem, & infinitatem non poſſunt eſſe obiecta ſcientiarum. Fit autem hæc abſtractio, dum res non conſiderantur, vt conſtant hac aut illa materia indiuidua, ſed ſolum in vniuerſum, vt compoſita ex materia & forma ſuis qualitatibus & proprietatibus affecta, quomodo abſtrahit Phyſica.

2. Abſtractio fit à materia ſenſibili, & non à materia intelligibili, materia verò intelligibilis eſt quantitas vt docet S. Thom. *in cap. 23. lib. prim. poſter.* & fuſiſſimè Daudin *lib. 3. de anima digreſſio. 37.* idcircò Mathematicæ quia conſiderant quantitatem, dicuntur quidem abſtrahere à materia ſenſibili, ſed non ab intelligibili: quantitas autem dicitur à nobis materia intelligibilis, quia eodem ferè modo concipitur à nobis, quo materia, aut quia conſideratur à Mathematico veluti ſeparata à materia, quam ſeparationem vel ſeparationis ſtatum non ſortitur niſi per intellectum.

Tertia abſtractio omnium maxima eſt abſtractio à materia ſingulari, ſenſibili & intelligibili, eſtque propria Metaphyſicæ quæ ſpeculatur rationes formales entis, & ſubſtantias ſeparatas ab omni prorſus genere materiæ, plures alias aſtractiones addit Toletus *in cap. 23. lib. 1. poſter.* quas, quia vix vſui ſunt lubens omitto: non poſſum, tamen præterire eam quam Bann. 1. *par. q. 1. art. 3. conclu. 3.* induxit tanquam neceſſariam ad conſtituendum obiectum Theologicum, nimirum abſtractionem ab omni potentialitate, ſine eiuſmodi enim abſtractione negat illam facturam eſſe diſtinctionem inter Theologiam & Metaphyſicam; haberent ſiquidem eandem abſtractionem à materia, poſita verò hac abſtractione ab omni potentialitate, quæ ſolius Theologiæ propria eſt, ſtatim apparet magnum diſcrimen inter illam & Metaphyſicam propter diuerſam longè abſtractionem ſub qua ſua obiecta conſiderant iſti duo habitus; potentialitatem verò ſortiri rationem materiæ computatam cum actu puro, ſub qua ratione, Deum ſuum obiectum conſiderat Theologia, nemo dubitat; cum ipſi etiam Patres dicant aliquando omnia præter Deum eſſe corporea; quia nempè ſunt immixta potentiæ paſſiuæ, qua Deus & omnia quæ in ipſo ſpeculamur, ita carent, vt ne quidem aliquid ſub ea ratione concipere poſſimus, ſed omnia per modum actus primi & puri in illo intelligere debeamus, quod fuſius 1. *part.* quondam demonſtrauimus, & olim, ſi Deus annuerit in noſtra Theologia Areopagitica

proſeque

prosequemur huius quartæ abstractionis necessitatem etiam in Theologia vt distinguatur à Metaphysica pluribus reiicit Gilli. *lib. 1. tractat. 3. cap. 10.* ostenditque ad eam diuersitatem sufficere distinctinnem luminis naturalis & supernaturalis, sub quibus isti habiuus sua obiecta quamvis aliquando eadem & sub eadem abstractione, considerant: nostrum non est ad eam disputationem digredi; tu si voles diligentissimum accuratissimumque doctorem consule.

7 Quia porrò passim ex diuersa abstractione diuersitatem scibilitatis obiecti desumunt DD. aduerte scibilitatem in obiecto sumi posse dupliciter. Primò vt importat tantum denominatiunem quandam extrinsecam obiecti à scientia, aut potentia cognoscente, quæ circa illud versari potest 2. provt est aliquid in ipso obiecto prius omni actu scientiæ & intellectus versantis circa illud: quæ scibilitas hoc proprio modo sumpta, nihil aliud est quam ipsa entitas obiecti, non nudè in se spectati sed provt mouet ipsam potentiam cognoscentem, hoc aut illo modo; potentiæ siquidem cognoscitiuæ creatæ non possunt exire in actum, nisi prius ab obiecto moueantur, quod faciunt per vicariam sui speciem & quasi semen, & per simplicem notitiam ad cognitionem complexam t nam per speciem intelligimus ptimam apprehensionem terminorum, pet quam ducimor & mouemur ad iudicium, ac per medium & motiuum in iudicio præmissarum inclusum ad consequentiam & conclusionem. Obiectum igitur provt vario modo mouet intellectum dicitut scibile, ita vt scibilitas sit ratio quædam in obiecto, quod mouet potentiam, quare diuersificatur obiectum in ratione scibilis pro variis motiuis: quæ causa est propter quam eadem entitas ad diuersas quandoque scientias pertineat quia scilicet diuersis motiuis agit in intellectum: atque vt omnia vno verbo complectar, scibilitas est proportio quædam obiecti ad intellectum, quem idcircò ad sui cognitionem mouet hanc proportionem aut scibilitatem à diuersis luminibus videtur sumere Caiet. *1. p. q. 1. art. 3. §. ad euidentiam* & Conimbric. *in cap. 23. primi poster. q. vni.* Sed præterquam quod hæc lumina, valde metaphysica sunt, & plane fictitia, cum illa illustrent obiectum, non possunt illi conferre scibilitatem intrinsecam: nam non illustrant nisi dum actu scitur, & cognoscitur. Debet autem supponi prius scibile & cognoscibile ad quod deinde cognoscendum intellectus indiget maiori aut minori lumioe, naturali aut supernaturali, provt obiecti cognoscibilitas ex sua natura requirit: quare primarium obiectum Theologiæ, cùm non sit cognoscibile nisi Superiori & diuina reuelatione, tale lumen postulat in intellectu ad cognoscendum, & per illud distingui Theologiam à cæteris scientiis natutalibus, quæ eo sublimiori lumine non indigent, sapientet voluetunt antiquiores Theologi, quos dabit Gilli. *lib. 1. tract. 3. cap. 10. n. 5.* Vnde tamen non sit lumen conferre cogooscibilitatem, & scibilitatem obiecto cum non se teneat ex parte obiecti sed potentiæ, quæ ad illam obiecti scibilitatem nequit attingere suo natiuo lumine, atque etiam notitia terminorum, quia vel eos non penetrat vel si penetrat eorum connexionem inter se non videt, ac proinde nequit vel illis assentiri, vel ex ipsis quidquam certi colligere. Itaque hæc lumina diuersi ordinis non dant scibilitatem obiectis, licet distinguant aliqua ratione scientias, quæ lumine supernaturali illustratæ certa quædam obiecta cognoscunt, ab iis quæ defectu eius luminis, quo carent, non possunt eadem obiecta, licet sub eadem abstractione posita attingere; inde enim non sequitur diuersa scibilitas in obiecto, sed potentiæ imbecillitas. Maneat igitur quod iam monui scibilitatem esse perfectionem quandam intrinsecam connotantem aliquid extrinsecum, actum scilicet intellectus versantis circa tale obiectum, diciturque vulgò scibilitas fundamentalis, à Gillio autem *lib. 1. tract. 3. cap. 2. n. 9.* scibilitas actiua propter vim quam habet mouendi intellectum.

Iam verò vt veniamus ad quæstionem initio propositam: Vnde sumenda sit Vnitas specifica notitiæ, certum est non desumi ab obiecto materiali, neque à formali quod nisi sit completum, neque à scibilitate sumpta pro denominatione extrinseca, sic enim est posterior actu, quem proinde specificare non potest, neque à diuerso lumine, vti iam ostendi, dum se teneat ex parte intellectus, & non illustrer obiectum, nisi dum actu cognoscitur, neque etiam à variis principiis nisi aliter explicetur; quidquid dicat Ruuius, cùm multæ scientiæ habeant eadem principia, & omnia tandem ad paucissima, eaque metaphysica reduci possint, quare illa erit vna tantum scientia, ceteræ verò eius tantum partes integrantes, vti initio quæstionis huius monebamus. Plurimi igitur volunt vnitatem specificam scientiarum sumendam esse ab abstractione, quod merito reiiciendum putauit Mendoza *disput. 1. metaph. sect. 6.* Nam primò aliquæ scientiæ nullam habent eiusmodi abstractionem, vt Logica, & moralis. 2. Multæ scientiæ habent eandem abstractionem, quæ tamen diuersæ inter se sunt & singulæ vnius speciei infimæ, neque vna est pars integrans alterius, vel alicuius tertiæ quam constant, sed solum sunt partes subiectiuæ communis cuiusdam scientiæ genericæ, quam participant, cuiusque sunt species vt homo & equus animalis id videmus in Geometria & Arithmetica; vtraque siquidem à materia singulari, & sensibili, & non ab intelligibili abstrahit, vtraque est diuersæ speciei infimæ, & pars subiectiua, non integrans Mathematicæ, vti nuper monebamus. 3. Iam ostendimus Theologiam & metaphysicam esse diuersas scientias, licet agant ex eadem abstractione, quandoquidem quarta illa ab omni potentialitate & à Banne inducta iam reiecta fuit. 4. Abstractio per se requisita ad obiecti scibilitatem necessariò debet conuenire subiecto conclusionis demonstrabilis à scientia, & toti illius subiecto siue subiecto adæquato, alioquin daretur obiectum materiale sine formali: quia abstractio requisita vt dixi, ad scibilitatem obiecti non pertinet ad rationem formalem *que*, sed ad rationem *propter quam* aut *sub qua* inter quas rationes illud interest quod sufficiat rationem *qua* conuenire obiecto primario, cum scientiæ non tractent de secundariis nisi per attributionem ad primarium, at verò ratio *propter quam* & *sub qua* necessariò inesse debent toti subiecto adæquato, quod primarium & secundarium simul complectitur & sanè si secundarium illis duabus rationibus è formalibus destituatur, iam non ad illam scientiam, sed ad quampiam aliam pertinebit, aut aliquod obiectum sine ratione obiectiua scientiæ terminabit illius actum quod quis dicat, tunc enim non esset per se, sed per accidens ratio obiectiua, qoæ siquidem per se talis est, non potest non inesse obiecto terminanti actum scientiæ: Et sicut nihil potest esse sub certo genere rerum cui non conoeniat ratio essentialis talis generis propria, neque etiam quidpiam poterit esse sub certo genere & specie scibilis si careat propria ratione scibilitatis illius generis vel speciei. Si igitur propria ratio scibilitatis obiectiuæ constituatur per diuersas abstractiones, quidquid certam & propriam scibilitatem habebit, illius quoque propriam abstractionem sortiri debebit, & quidquid continebatur sub obiecto scibili, siue primario, siue secundario alicuius scientiæ, sub propria quoque illius abstractione sumi & considerari debebit quod totum confirmat inductio, nihil enim venit in considerationem

nem alicuius scientiæ naturalis, quin propriæ illius abstractioni subsit, sic mathematici agunt de quantitate secundum se considerata, & non contracta ad materiam sensibilem, neque Physicus agit de singularibus aut Metaphysicus de materia constantibus, ex quibus tandem omnibus conficitur abstractionem propriam obiecti principalis, si sit ratio formalis *sub qua* siue ratio constitutiua scibilitatis extendi oportere ad omnia obiecta per se terminantia actum scientiæ, vel habitus, & non solum in primario obiecto reperiri, quod cum non fiat & aliquando plurima obiecta secundaria in adæquato comprehensa, non participent abstractionem obiecti principalis, sequitur necessario abstractionem nō esse rationem formalem *sub qua*, neque diuersarum scibilitatum cum quibus reperitur, constitutiuam, ab eaque non sumi sufficienter vnitatem specificam scientiarum, quod vnum nobis probandum erat.

9 Dicendum itaque scientias specificari à diuersa scibilitate fundamentali & actiua, quam assertionem omnes reipsâ sequuntur, licet verbis dissentiant, & scibilitatem aliunde sumant quam nos, ab abstractionibus scilicet, lumine, varietate principiorum, alisque causis quas modo reiecimus. Volumus siquidem esse quandam peculiarem & propriam obiecti perfectionem ob quam habet vt certo modo moueat intellectum, indeque oritur diuersitas motiuorū scientiæ à quibus voluit specificari S.Thom. pluribus locis apud Capreol *q. 3. prologi art.* 1. cum tamen vbique S.D. dicat obiectū considerandum esse in ratione scibilis. Sunt autē à nobis plures alij quos enumerat & sequitur Gilli. non nego tamen cognosci à posteriori differentiam scientiarum per abstractiones, & diuersa media siue motiua. Ita Aristoteles *lib. 6. metaph. textu* 20. *& lib.* 1. *de anima text.* 17. ex numero abstractionum illas distinguit, & *lib. 7. physico text.* 17. *&* 18. ait hanc conclusionem, terra est rotunda, pertinere ad Mathematicum & physicum ob diuersa media; sed quia illa media si sumantur materialiter diuersis scientiis vsui esse possunt, tandem resolui debent ad obiecti scibilitatem, quæ talia media & motiua exigit. Atque ita nostra sententia dum dissidentes opiniones conciliat singularum difficultates euitat. Denique existimarim varias abstractiones de quibus egimus vsui plurimum esse ad differentias genericas scientiarum inter se quibus plures specie infimæ subiiciuntur, quæ licèt eandem abstractionem participent, sunt tamen inter se distinctæ, sicut equus & homo sub genere animalis.

10 Tertia vnitas quæ in scientiis considerari potest est vnitas entitatiua, an videlicet sit vna simplex qualitas & entitas, an vero componatur ex pluribus partialibus quæ inclinent intellectum ad diuersas specie conclusiones quæ inter se connexionem essentialem habent in ordine ad vnum aliquod subiectum.

Et quidem scientiam esse entitatem quandam, & qualitatem indiuisibilem & simplicem, neque ex partialibus compositam, eandemque entitatiue immutatam inclinare ad diuersas vti dixi conclusiones, docent vulgò Thomistæ quos latè refert Salas 1. 2. *disp.* 5. *sect.* 1. *n.* 8. eosque sequitur *num.* 10. qua simili ratione de augmento extensiuo habituum circa noua obiecta ad quæ inclinant potentiam; cum antea non inclinarent, iidem Thomistæ aliique ratiocinantur. Nam Suar. *disp.* 44. *metaph. sect.* 1. *assert.* 3. *n.* 27. *&* 37. id concedit in habitibus voluntatis, quos idcirco distinguit ab habitibus intellectus, quod priores illi extendantur indiuisibiliter ad diuersa obiecta quod fatetur quoque Salas *disp.* 5. *sect.* 2. *n* 35. eandem, verbi gratia, indiuisibilem virtutem Religionis inclinare ad actus orandi vouendi & cæteros; quoad habitus verò intellectuales iterum distinguit Suar. Si enim sunt habitus euidentes, v. g. scientia, accipiunt augmentum extensiuum per additionem partialium habituum, qui inclinant ad diuersas specie conclusiones, & idem habitus principiorum non inclinat ad omnia principia: Si vero habitus intellectuales ineuidentes sint, vt fides, & opinio, vult illos indiuisibiliter & sine vlla sui mutatione aut additione nouæ entitatis inclinare ad actus specie diuersos, eadem planè ratione qua habitus voluntatis. Ratio discriminis est quia habitus voluntatis tendunt quidem ad diuersa obiecta materialia. Sed sub eadem ratione formali, & motiuo à cuius vnitate sumi debet vnitas habitus, ideóque habitus non debent multiplicari propter actus, qui respiciunt eandem honestatem formalem; quod idem dicendum de habitibus intellectualibus ineuidentibus qui vnum motiuū habent, vt in fide, dicentis authoritas. At verò habitus scientificus non potest sine aliqua sui mutatione inclinare ad diuersas conclusiones quia tendit ad illas sub diuersis motiuis & rationibus formalibus, ac proinde vt extendatur ad noua obiecta nouas partes acquirere debet.

Hanc sententiam validè impugnat Vasq. 1. 2. *disp.* 80. *cap.* 3. & Mendoza *disp.* 16. *de anima sect.* 4. *subsect.* 3. 1. Quia constat eumdem habitum voluntatis non inclinare ad omnia obiecta vnius virtutis intra illius vt ita dicam ambitum: nam qui temperans est circa potum sæpe intemperans est circa cibum, vel tactum, & venerea; & licet centies repetat actus circa potum, non acquiret tamen facilitatem circa voluptates cibi aut tactus: idem in virtute Religionis iustitiæ, & cæteris experimur. Cum igitur de nouo habitus sit expeditior circa vnum obiectum, procul dubio debet mutari. Quod idem apparet in intellectu, fit enim exercitatione actuum prudentiæ promptior, ad rectè iudicandum de iis ad quæ prius tardior erat, par itaque ratio est horum habituum, & scientificorum. 11

2. Habitus isti indiuisibiles intendi non poterunt, quin intendantur secundum totam extensionem, id est in ordine ad omnes actus & obiecta ad quæ inclinare possunt, vt fatetur Suar. *n.* 37. quia illi habitus etsi latitudinem habeant, sunt tamen indiuisibiles quoad extensionem, quare quando aliquis intenditur, intenditur consequenter, & necessariò secundum totam extensionem, atqui contrarium experimur. Nam quamtumvis intendatur habitus Religionis circa orationem, non intenditur circa vota ergo non est indiuisibilis circa illa obiecta, alioquin idem simplex habitus esset simul intensus & remissus, quod impossibile fatetur Suar. *n.* 37.

3. Ratio Suaris petita ab vnitate obiecti formalis in quo conueniunt diuersa obiecta materialia, nihil concludit ad hanc indiuisibilitatem inuehendam: quia vt obseruat Vasq. *cap.* 4. & Mend. §. 28. habitus non sunt necessarij in voluntate vt feratur in honestatem abstractè sumptam, sed vt iuuetur in superanda difficultate, quam sentit circa hanc aut illam honestatem in materia singulari contractam, vnde virtus definitur ab Aristotele habitus electiuus, electio verò non versatur circa bonum in communi, sed in indiuiduo ad quod facilè aut difficulter afficimur: Quare licet sit eadem ratio formalis honestatis, si noua tamen & diuersa est difficultas, necessarius erit nouus habitus, aut aliquid addendum erit habitui præexistenti.

4. Possent simul esse duo habitus contrarij summè intensi: adulter enim qui in restituendis alienis fortunis religiosissimus est, habet habitum iustitiæ, quod

fatentur

fatentur aduersarij etiam circa vxorem alienam ; qui habitus æque intensus est circa illud obiectum, atque circa pecunias ex Suare, & tamen idem ille habet habitum iniustitiæ, valde intensum circa alienam vxorem. Ad hæc omnia argumenta respondet Suarez,nouam difficultatem circa aliquod obiectum otiri in voluntate non ex defectu extensionis habitus, sed quia intellectus melius ad vnum quam ad aliud dispositus est, sicut etiam appetitus,& phantasia, ceteræque potentiæ quæ deseruiunt voluntati, in quibus gigni nouos habitus concedit Suar. Verum inde tollitur necessitas ponendi habitus in voluntate, tota siquidem facilitas aut difficultas circa eius actus,reijci poterat in potentias ipsi deseruientes.Deinde potest intendi habitus,aut nouus acquiri in appetitu,& tamē manebit eadem difficultas in voluntate.Frustrà igitur confugit Suarez ad habitus Phantasiæ & appetitus. Probatur autem antecedens.Eliciatur actus alicuius virtutis ex fine malo, & illi vehementissimè cooperetur appetitus, tunc gignetur habitus in appetitu,nihil anim refert vtrum actus eius sit honestus an turpis, modo tendat in bonum sensibile, non enim attingit rationem formalem virtutis, voluntas tamen non comparabit facilitatem circa actum illius virtutis.Quis enim dicat habitum vitiosum concurrere ad actus virtutis. Respondet Secundò Suar.actum vnum esse natura sua faciliorem alio,vnde licet agens æqualiter inclinetur ad vtrumque,vnum tamen facilius eliciet quam alterum : sed inde maximè probatur opus esse noua extensione aut habitu ad difficultatem illam Vincendam quam præiacens habitus non sustulit.

12 Denique quæ Suar. nobis objicit non vrgent vt dum ait habitus infusos respicere indiuisibiliter diuersa obiecta,vt patet in fide & charitate,igitur & acquisiti præstabunt.Quidquid enim statuas de antecedente,quod negat Vasq; concedit verò Sal, *disp.6. sect. 1. nu. 15*.Nego consequentiam. Quia habitus infusi sunt veluti potentiæ, quæ diuersa omnia obiecta respiciunt, at verò habitus acquisiti sunt tantum virtutes conferentes facilitatem potentiæ circa varios actus, neque possunt in se immutati augere facilitatem, quàm prius minorem conferebant.

13 Quare alij hanc extensionem habituum, & scientiarum componunt ex multis partibus simul vnitis: sicut in qualitatibus materialibus Ruu. *quæst. 4. proæm Logica ad* 2. cui consentiunt & alij moderni apud Suar. *disp.44. Metaph.sect.1 1.num.19*. & Salam *disp.5.sect.1. in 2. opinion.* quæ sententia videtur inintelligibilis cum istorum habituum,qui qualitates spirituales sunt, eorum subiecta spiritualia quoque, & indiuisibilia existunt : deinde vel istæ partes de nouo additæ differunt specie ab aliis, & sic vniri nequeunt ad compositiones vnius qualitatis, vel differunt solo numero, & sic vna pars nihil aliud faciet quam altera.

14 3. Vasq. *disp. citata cap. 5.* & Salas *loco etiam proximè citato* dicunt extensionem hanc fieri per acquisitionem noui modi realis, quem aliqui comparant modo quo anima coextenditur corpori, & Angelus oco; verum cum nouus iste modos tollat difficultatem quæ remanserat circa aliquod obiectum, est formaliter nouus habitus & non tantum prior modificatio; quandoquidem habitus nihil al[...] est,quam qualitas inclinans potentiam ad actus [...] les iis à quibus genitus est. Vel igitur tota vi[...] natiua erat in prima entitate, & ita poterit [...] ad omnia obiecta ; vel acquiritur de n[...] quod illam virtutem confert , dicer[...] tus, & non tantum modus deind[...] aliquando habitua Religionis [...]

ad vouendum. Estvè modus habitus facilitans eandem potentiam ad orandum, quando facilitas vouendi posterius acquiritur quàm facilitas orandi quisnam ex illis habitibus vel facilitatibus erit modus alterius habitus.

4. Igitur dicendum est habitum extensiue crescere per productionem nouorum habituum partialium differentium specie, ac proinde esse tantum vnum per quandam coordinationem : qui sensu vocauit Aristoteles dispositionem quæ est ordo habentis partes, neque propterea excluditur à Cathegoria in qua collocatur per partiales habitus, qui sunt veræ & simplices qualitates : omne enim compositum ex aliquo simplici & indiuisibili coalescit, ne abeatur in infinitum. Modus etiam loquendi vulgaris quo dicimus vnam scientiam, vnam Logicam, vnam temperantiam, non officit, neque enim significamus vnitatem speciei infimæ, prætetquam quod omnia obiecta istarum infimarum specierum conueniunt tandem in aliqua ratione formali superiori, atque adeo omnes isti partiales habitus vnum veluti totalem conflant, coordinatione quidem vnum, & præterea vnitate specifica subalterna, siue vnitate communi inferioribus partialibus habitibus ; atque hæc nostra sententia sic explicata vitat omnes aliarum difficultatea, neque suis caret authoribus. Nam ipsam Suar. *sect. 11. n. 45. art. 56.* admittit in habitibus euidentibus intellectus vt scientiis, & in omnibus Aureol. *quæst. 3. prologi art. 4.* vbi ponit diuersas temperantias pro potu & cibo atque Fusius Sal. *disput. 5. cit. sect. 1. num. 5.* probabilem quoque existimat Azor. *lib. 3. cap. 23. quæst. 3. & 4.* clarè verò affirmat Mendoza *loco nuper adducto. §. 33.* Tolet. *quæst. 5. proœmiali Logica Concl.* 2. satisque probata manet aliarum sententiarum confutatione quæ minus commodè hoc augmentum extensiuum exponunt. 15

Quoties igitur in aliquo obiecto nouo exurget difficultas à præcedenti habitu insuperabilis, dari debebit nouus habitus partialis ad illam superandam. Hæc autem insuperabilitas apparet quando ex repetitione eorumdem actuum, & intensione habitus præexistentis non redditur potentia magis propensa ad nouum obiectum. Non est verò quod probent nouas otiri difficultates circa obiecta materialia, licet subsint eidem motiuo, & rationi formali ; nam quando nihil aliud esset illa ipsa difficultas quam admittebat Suar. ob diuersitatem boni sensibilis, refunditur in voluntatem, quæ quamuis foret expedita ad Varios actus ex natura sua, nihilominus propter Sympathiam & coniunctionem cum corpore, participat difficultates potentiarum corporearum ob multiplicitatem sensibilium bonorum ad quæ fertur appetitus inferior, & secum abripere nititur voluntatem, quæ dum blandæ illius, & pellacis potentiæ Lenociniis velut incantatur, plurimum laborem in se ipsa frænanda patitur, etiam intra idem motiuum virtutis. Adde habitum non specificari præter [...] ab eodem obiecto formali à quo actus [...] aliog[...] es a[...] essent eiusdem speciei, sed [...] nem difficultatis, sicut [...] quod supponimus arduita[...] pories igitur noua diffi[...] in obiecto à præexi[...] ones eque fuerit nouo [...] ab. Ex quibus paulo [...] eundem con[...] bus, qui ad diuer[...] e, quia habitus qui [...] inclinat [...] 16

infima, in eo tamen conueniunt, quod sint speculatiui aut practici: non etiam genericæ quia ipsæ non includuntur formaliter in inferioribus, & tamen speculatiuum & practicum repetiuntur formaliter in differentiis vltimis scientiarum, deinde differentiæ superiores debent diuidi per alias sibi proportionatas, & subalternas vt constat, & tamen ratio practici & speculatiui non ita diuiditur, vt patet.

2. Operabilitas & non operabilitas sunt rationes accidentariæ obiecto scientifico, & illi iam constituto aduenìunt, ergo non possunt specificare scientias, id enim fieri debet per rationem formalem specificatiuam obiecti vt obiectum est, vnde soluit quod obiicitur, sublatâ speculabilitate, aut agibilitate tolli notitias speculatiuas, & practicas. Respondeo enim tolli tantùm consequenter non primò & per se sicut sublatâ abstractione tolluntur scientiæ. Et tamen Gillius negat abstractionem esse differentias essentiales: præterquam quod licet à notitia tolleretur ratio speculatiuæ aut practicæ, maneret tamen eiusdem speciei atque antea, quia tamen rationes istæ sunt, vt dixi, appendices quædam rationum formalium & cum illis necessariò connexæ, licet illis sublatis tollantur consequenter notitiæ, & ratione ipsarum fiat recta diuisio inde tamen non sequitur esse differentias essentiales quod contendimus hoc loco.

An scientia Canonica sit practica.

15 His explicatis facilis erit definitio positæ quæstionis. An scientia Canonica sit speculatiua, an practica: in qua quæstione tot possunt esse sententiæ, quot alias recensuimus in simili quæstione de Logica, & de morali quarum prior dirigit actiones mentis, posterior actiones humanas & morales, faciúntque eas actiones rectas, vel in veritatis inquisitione, vel in honestate virtutis; eadem ratione qua nostra scientia Canonica dirigit actionem humanam & religiosam, ne in diuino cultu aberret. Ideóque de omnibus istis scientiis eodem modo philosophandum omninò est.

Dico igitur scientiam Canonicam esse simpliciter practicam, quia non consistit in sola cognitione sui obiecti, nimirum actionis humanæ religiosæ, sed illam dirigit, & modo nuper explicato facit, quæ ratio est propter quam Aristot. Ethicem & practicam facit pluribus locis, vt *lib.* 2. *Ethic. cap.* 2. *lib.* 10. *cap.* 9. atque alibi sæpius non enim speculatur dumtaxat actiones morales, sed dat regulas quibus honestæ fiant, totámque suam cognitionem dirigit ad eam honestatem inducendam, isque est eius finis intrinsecus, immediatus, & principalissimus. Idem planè de politia dicendum est, cùm tota tendat in dirigendis ciuibus ad beatitudinem assequendam, sine tota sit in procurando bono communi Reipublicæ, ad idque sua omnia instituta, & leges dirigat, & vel pars ipsius moralis sit, vel illi omninò coniuncta. Scientia verò Canonica non alium finem internum, immediatum, & principalissimum habet quam Religionem, quam procurat & promouet suis canonibus & Regulis, quámque vno verbo dirigit, neque aliò quam ad eiusmodi directionem tendit, quis verò dicat legum cognitionem quæ ad actiones ciuiles dirigendas atque ad continendam totius Reipublicæ administrationem, & politiam tendit, non esse practicam, & sanè tum Plato, tum Aristoteles initio quæstionis superioris adducti illas ea de causa inter artes numerabant.

16 Obiicies scientiam Canonicam considerare plurima quæ sunt merè speculabilia: disputat enim de natura Religionis, & actuum ipsius, déque pluribus aliis quæ ad practicam scientiam non pertinent, cum practicabilia non sint vt de quibusdam fidei obiectis, de quibus, aliísque plura in discursu huius operis. Ergo saltem ex ea parte speculatiua dicenda erit, & quodammodo mixta, cum rationes practicæ & speculatiuæ participet saltem ratione diuersorum obiectorum in quæ tendit, quæque considerat, qua de causa mixturam vt ita dicam speculatiuarum & practicarum notitiarum in Ethica quæ de natura virtutum etiam speculatiuè agit, agnoscunt Gregor. *q.* 5. *prologi, art.* 2. *sub fin. & art.* 4. *conclus.* 2. Salas 1.2. *tract.* 1. *disput.* 1. *num.* 17. Pauonius *disp.* 1. *q.* 2. *prop.* 2. Respondeo iam me docuisse in notatis differentias speculatiui & practici diuidere adæquatè scientias naturales, saltem consequenter ac proinde nullam eiusmodi scientiam posse esse simul practicam, & speculatiuam. Deinde quod attinet ad Ethicam cum omnes notitiæ quas habet de virtutibus & aliis eiusmodi spectent ad operationem, neque traduntur ad nudam cognitionem in qua Ethica ex sua natura & fine intrinseco conquiescit, tota illa notitia prorsus practica est, vt vidit Aureol. *in* 1. *dist.* 35. *art.* 3. & Albertus *in* 1. *Ethic. tract.* 1. *cap.* 4. quidni etiam dicas has subtiliores disputationes, & speculationes quæ in tractandis scientiis etiam practicis interdum interseruntur, pertinere ad alios habitus à quibus Ethica, v. g. vel scientia nostra Canonica mutuo accipit vt illis iuuetur ad finem suum prosequendum, dirigendos videlicet mores, & actiones honestas, vel religiosas, vt enim sapienter dixit Seneca *epist.* 121. disputans de natura & origine morum scrutanda. *Cum quæritur quare hominem natura produxerit, quare prætulerit animalibus cæteris, longè me iudicas mores reliquisse, falsum est: quomodo enim scies qui habendi sint nisi quid homini sit optimum inueneris, nisi naturam eius inspexeris, tunc demum intelliges quid faciendum tibi, quid vitandum sit, cum didiceris quid naturæ tuæ debeas*, & *epist.* 106. in eos qui ista disputationis tantum causa disputant, *non vitæ, sed scholæ discimus*, atque alias sæpè in istas inutiles quæstiones quibus vt loquitur subtilitas vanissima agitatur, inuehitur in *epist.* 81. *&* 117. 48. *&* 49. ex quibus vides totam illam cognitionem ad praxim referendam esse, alioquin non pertinere ad hanc scientiam inutilitérque ad eam adhiberi. Quare si ad praxim referantur à scientia à qua adhibentur, non faciunt idcirco eam scientiam speculatiuam, sed potiùs eiusmodi speculationes ex fine interno scientiæ quæ illis ad praxim, & directiones vtitur, iam fieri practicas quamdiu ab ea scientia vsurpantur.

Obiicies Theologiam esse scientiam simul practicam & speculatiuam, vt docet S. Thom. 1. *p. q.* 1. *art.* 4. & passim omnes eius discipuli in eum Ar. Molin. Vasq. *disp.* 8. *&* 9. Gilli. *lib.* 1. *tract.* 5. *à cap.* 9. Valentia, Fasol. aliique quia eius obiectum quod est Deus, habet plures veritates speculabiles; plura etiam eius obiecta secundaria notitias practicas generant vti facilè constabit inductione, idcircò docent laudati DD. Theologiam vtramque illam rationem participare, cum non sint oppositæ vti diximus, quod difficile intellectu non est, si sit scientia composita ex pluribus habitibus partialibus, alij enim erunt practici, alij speculatiui, omnes tamen eiusdem speciei, & Theologia totalis formaliter practica & speculatiua, principalius tamen speculatiua dicetur à primario eius obiecto, quod si eam facias vnam simplicem qualitatem, erit eminenter practica, & speculatiua. Quidni igitur dicemus scientiam Canonicam æquè esse simul practicam, 17

&

& speculatiuam, cum eius obiectum nempè actio Religiosa cuius naturam considerat, sit speculabile, actiones deinde siue modi atque regulæ quibus Religionem, & diuinum cultum procurat, sint obiecta secundaria agibilia, quæ tamen ptopter attributionem quam habent ad primarium obiectum cum illo conuenire possunt in vnitatem obiecti scientifici, quia ea vnitas non debet esse vniuoca neque generis in species sufficitque vnitas analoga, & attributionis, vt videmus in medicina quæ habet pro obiecto & fine intrinseco sanitatem, pro obiectis secundariis animal, medicamenta & alia quæ habent attributionem ad sanitatem quæ omnia considerantur à Medicina; ideóque dicitur dumtaxat analogicè vna. Eiusmodi porrò vnitas analoga videtur reperiri quoque posse ratione obiecti primarij & secundarij quorum licet aliqua sint operabilia alia agibilia, conuenire tamen poterunt in ratione analoga obiecti, quia vnum erit primarium alia secundaria, denique scientia Canonica vel est simplex vna qualitas vel multiplex ratione particularium habituum ex quibus coalescit quo casu nihil impedier quominus aliqui ex his partialibus habitibus sint practici alij speculatiui qui conslent vnum totalem eo modo quo q. 3. sequenti explicabimus: quod si sit vnus simplicissimus habitus vnaque qualitas erit eminenter practicus & speculatiuus habitus vti dicebamus com communi sententia de Theologia si supponatur esse simplex qualitas.

Respondeo discrimen esse inter Theologiam & scientiam Canonicam, cuius discriminis rationes ostendi initio in notatis, dum docui praxim, & speculationem in scientiis naturalibus esse quasdam appendices differentiarum formalium, & essentialium, ideoque diuidere adæquatè scientias naturales quia per se requiruntur ad rationem constitutiuam obiecti eiusmodi habituum, quia si ab illis obiectis præscindatur speculabilitas aut agibilitas iam tota ratio eiusmodi obiectorum & habituum, non primò quidem & per se, sed consequenter tollitur, vti fuit explicatum, deinde principia speculatiua habent terminos essentialiter diuersos, & generantes notitias diuersas à notitiis terminorum agibilium; in notitiis porrò euidentibus quales sunt scientiæ naturales, tota tandem resolutio fit in apprehensione terminorum, ideóque iudicia ex illis elicita, sumuntur ex ratione formali obiecti, ac proinde si sunt diuersa supponunt quoque diuersitatem formalem in obiecto. Quando autem conditiones speculabilitatis & agibilitatis tenent se dumtaxat ex parte obiecti materialis, sub eadem ratione formali posse conuenire non negamus, vti contingit in habitibus qui procedunt per medium extrinsecum; in his enim nihil prohibet diuersas istas rationes simul reperiri, vti nuper ostendebam: quare cum Theologia vti iam monui, habeat obiectum, cuius aliæ veritates sunt speculabiles aliæ agibiles, nihil impedit quominus diuersas notitias gignat, alias quidem speculabiles alias agibiles propter secundaria obiecta quæ continet. At verò scientia canonica habet obiectum agibile & illud non nisi modo agibili considerat, totamque considerationem, & notitiam de eius natura, & proprietatibus refert ex fine intrinseco ad actionem, omnia item obiecta secundaria quæ ad illud primarium attributionem habent, agibilia sunt & non referuntur ad primarium, nisi in ratione agibilis, & quatenus est operabile, seu opus faciendum. Sic enim considerantur canones & regulæ vt ex earum directione rectè fiat actio religiosa. Nihil igitur est vnde rationem speculatiui vt differentiam oppositam rationi practici sumamos, quandoquidem tota illa speculatio quæ in obiecto scientiæ Canonicæ reperitur est quid practicum cum tendat in directiones praxis & operis ponendi ex eiusmodi speculatione honestatis quod vt vides non reperitur in obiecto primario & formali Theologiæ quod est Deus, cuius consideratio potest esse & speculatiua duntaxat, & aliquando practica si solos & præcisos atque internos & immediatos istarum cognitionum fines attendamus. An verò scientia canonica, si sit habitus totalis coalescere valeat ex habitibus partialibus quorum alij sunt speculatiui alij practici quæremus q. 3. 18

Obiicies omnem scientiam saltem naturalem, & euidentem certam esse, cùm procedat ex notioribus, & per veram causam vel effectus proximos ac reciprocos. Eiusmodi verò non est scientia canonica cùm plerumque in eius syllogismis altera præmissa sit aliqua propositio reuelata, aut ex tali deducta; Altera verò sit dumtaxat moraliter certa, v. g. hostia consecrata, & exhibita in Missa est adoranda, ista verò est consecrata: ergo est adoranda. Maior est de fide, minor est solum moraliter certa, atqui conclusio sequitur deteriorem partem vti Logici demonstrant: Respondeo nos de euidentia & certitudine scientiæ canonicæ fusè *q. vlt.* disputaturos.

QVÆSTIO II.

An scientia Canonica sit supernaturalis.

Ratio dubitandi. n. 1. 2.
Est scientia naturalis. n. 3.
Probatur. n. 4. 5.

Ratio dubitandi, est quia scientia canonica vtitur pluribus principiis fide reuelatis neque enim respicit cultum Dei, solum vt authoris naturæ, sed vt fide cogniti, v. g. cum docet Trinitatem personarum diuinarum eodem, & æquali cultu colendam esse; dum inuocationem singularum personarum, dum Christo homini Deo adorationem præstandam. Adde & Sacramentorum à Christo institutorum confectionem, sacratum personarum deputationem, cæremoniarum & sacrorum rituum institutionem, Ecclesiæ Christianæ quam regit, à Christo fundationem & infinita alia quæ fidem supponunt; immo, & de ipsa fide disputat hæc scientia. Quare primaria eius principia immò, & ipsum primarium eius obiectum, actio nimirum Religiosa, ipsum quoque ius diuinum in vtraque scriptura traditum, quo & Ecclesiam dirigit, & suas deinde regulas metitur, sunt aliquid supernaturali lumine fidei cognitum, atque reuelatum, cum igitur habeat & obiectum primarium, & principia plura supernaturalia, ipsa quoque supernaturalis erit, vti quoodam nos disputabamus de Theologia cum Fonseca 6. *Metaph. c. 1. q. 6. sect.* 8. Fasolo *1. p. q. 1. art. 1. disp.* 13. Molin. *ibid. q. 1. art. 1. disp. 1. §. diximus*, vbi diuinam vocat, & communem esse suam sententiam affirmat, & *disput. 4. ad* 4. Gilli. *lib. 1. tract. 4. cap. 12.* qui veteres dabit: Ratióque videtur manifesta: nam assensus cuius ratio formalis est supernaturalis, est etiam supernaturalis; atqui ratio assensus Theologici, & Canonicæ scientiæ est supernaturalis, nimirum propositio aliqua reuelata; in qua argumentatione tota difficultas est in probanda maiore præmissa; quæ tamen inde probatur, quod supernaturalitas assensus peti dumtaxat possit vel ab obiecto, vel à motiuo, non 1

petitur vero semper ab obiecto, quandoquidem fides aliquando versatur circa obiecta mere naturalia, vt cum credimus veram esse historiam Hebræam à Mose scriptam. Restat igitur vt supernaturalitas illius assensus, sit à motiuo supernaturali; atqui scientia canonica habet principia supernaturalia, eiusque assensus fundatur in propositione fide reuelatâ, quæ proinde reddet illum assensum æquè supernaturalem. v.g. Trinitatem personarum esse summo cultu & æquali eodemque inter se adorandam, sic demonstrat. Deus est summe adorandus, singulæ personæ Trinitatis sunt Deus: ergo singulæ sunt summo cultu adorandæ. Rursus qui habent æqualem, immo & eandem excellentiam & maiestatem vno eodemque cultu colendi sunt, atqui singulæ personæ Trinitatis habent eandem excellentiam & maiestatem, cum habeant eandem omnino essentiam, in quibus aliisve innumeris discursibus, qui fiunt à scientia canonica, formale motiuum assensus est propositio reuelata, & fide credita; vt vides, ac proinde supernaturale. Igitur & totus assensus supernaturalis erit, atque adeo scientia & habitus ad talem assensum eliciendum inclinans.

2 Dices habitus scientiæ canonicæ acquiri nostris actibus & modo naturali vti docet experientia, quod non contingit in cæteris habitibus supernaturalibus, qui per se infundi debent, & non acquiruntur & producuntur nostris actibus, ad eos enim eliciendos potentia est incompleta sine habitu, aut aliquo auxilio supernaturali illam eleuante & complente.

Respondeo & fateor intellectum ad eliciendos actus & assensus scientiæ canonicæ, de quibus agimus debere eleuari lumine fidei, vbi tamen illo semel collustratus est, habet omnia sufficientia ad eliciendum actum illum & assensum, qui proinde non prærequirit in sua potentia suum habitum à quo compleatur ad operandum, vti contingit in cæteris actibus supernaturalibus, qui oriuntur ab habitibus per se infusis, quos vulgo Theologi docent non posse suis actibus augeri, vel primò produci, quia supponunt potentiam omninò incompletam ad eos actus, & materialiter tantum non actiue concurrentem ad habitus infusos; falsum tamen est quod existimant aduersarij qualitatem supernaturalem essentialiter, & per se infusam conuerti: nam in sententia communi Thomistarum species angelicæ sunt per se infusæ, negant siquidem Angelum posse illas desumere ab obiectis, & nihilominus sunt naturales Angelo, cum eius naturam & exigentiam non excedant; cur igitur aliquid acquisitum non poterit esse supernaturale, sicut aliquid per se infusum est naturale. Non est etiam opus vt omnia principia effectus supernaturalis, sint supernaturalia, vti patet in omnibus actibus vitalibus ordinis supernaturalis, qui eliciuntur ab intellectu & voluntate, quæ sunt potentiæ naturales, & vitali ac naturali modo eliciunt suos actus vitales, etiam supernaturales, non ex propriis dumtaxat viribus sed auxilio, & principio supernaturali adiutæ & eleuatæ à quo principio suam supernaturalitatem hauriunt illi actus, potest igitur effectus supernaturalis prodire à causa naturali agente cum principio supernaturali illam complente & eleuante. Quamvis igitur in Syllogismo tum Theologico, tum canonico vna præmissa sit naturalis, atque etiam tota forma syllogistica, quia tamen altera præmissa, est supernaturalis, atque adeo motiuum assensus supernaturale existit, totus ille assensus lumine fidei illustratus, & à principio supernaturali elicitus in ordinem quoque supernaturalem traducitur, & eleuatur.

Nihilominus quidquid de Theologiæ supernaturalitate quam negat Granad. 1. p. disp. 5. & Arrubal. disp. item 5. cap. 4. Koninck de actibus supern. *disput.* 4. *numer.* 117. Vasq. 1. *p. disput.* 1. *num.* 9. Turrian. 2. 2. *disputat.* 44. *dub.* 2. §. *Si habitus*, statuas, existimo scientiam canonicam omnino naturalem esse quamvis in quibusdam suis demonstrationibus & syllogismis alteram præmissam fide acceptam & reuelatam supponat vti asserebat obiectio, tota tamen conclusio naturalis est & habitus quem illa gignet, naturalis, quod non negabunt opinor authores qui eandem naturalitatem agnoscunt in actu & habitu Theologico. Probatur quia eiusmodi assensus canonicus & conclusio produci potest à sola potentia naturali & naturaliter vi sua naturali & non eleuata aliquo auxilio supernaturali, nam vt aliquis actus sit verè supernaturalis procedere debet ex vi agente supernaturali & modo supernaturali in eum influente, neque sufficit vt actus requirat aliquod principium supernaturale, nisi effectiuè ab illo, modo supernaturali agente pendeat: alioquin non dicetur propriè supernaturalis nisi admodum impropriè & per quandam denominationem, aut secundum aliquem modum extrinsecum, nisi ex se se, & ex suæ perfectionis natura postulet principium effectiuum à quo immediatè producatur, & vim habeat agendi supernaturalem, ex illaque vi tunc agat, siue quòd modo supernaturali agat in eius actus productione; quia non sufficit ad effectum supernaturalem vt eius aliquod principium sit supernaturale, nisi modo quoque supernaturali in eiusmodi effectum influat, talemque influxum ille effectus ex sua natura postulet, eo quod nequeat alio modo, & à causa naturali, & naturaliter agente produci; alioquin effectus qui à causa infinita produceretur esset infinitus, quod non est nisi illa causa infinitè influat siue per influxum virtutis infinitæ & qui ab alia causa quam infinita prodire non possit & quæ tunc necessario suam illam vim infinitam exerat, sine qua talis effectus non prodiret simili ratione vt aliquis effectus dicatur propriè & secundum substantiam supernaturalis, non sufficit vt habeat causam aliquam supernaturalem, nisi illa agat qua supernaturalis est siue modo supernaturali, qui vires omnes naturales superat: & quod ostendit Kon. *disp.* 4. *cit. n.* 109. ex sculptore cui Deus infudisset artem sculpendi supernaturalem, & quæ superaret omnem artem naturalem quæ numquam eum perfectionis gradum attingeret: si ille sculptor ex sua illa arte sculperet aliquam statuam, modo cæteris communi, siue quam alij sua exquisita arte, naturali tamen possent æmulari, eiusmodi sculptura licet ab arte supernaturali prodiisset non esset tamen supernaturalis, cum viribus artis naturalis fieri posset, quia licet ab arte supernaturali facta esset, non tamen ab illa supernaturaliter agente. Non sufficit igitur causam esse supernaturalem ad effectum supernaturalem nisi illa causa supernaturali modo agat. 3

Demonstrandum verò restat in Syllogismo canonico in quo aliqua præmissa, aut etiam ambæ sunt reuelatæ, atque diuina & supernaturali fide creditæ, conclusionis assensum qui ex eiusmodi præmissa supernaturali pendet, non pendere ab illa modo supernaturali; siue præmissam illam supernaturalem non agere in consequentiam & conclusionem, nisi modo prorsus naturali & non supernaturali, quod etiam in discursu theologico contingit, neque enim discursum canonicum quoties vtitur præmissis de fide 4

fide & reuelatis, distinguo hac in parte à vero discursu theologico, cùm in modo procedendi & in principiis tum formalibus, tum materialibus eo casu conueniant, ideoqoe discursus illi Canonici vel sint omninò Theologici, vel parum omninò ab ipsis differant, cùm in vtrisque sint eadem principia tum formalia tum materialia: formalia quidem forma syllogistica & indicium de bonitate consequentiæ; materialia, vero præmissæ reuelatæ proxime vel remotè. Principia verò formalia cum sint communia omnibus aliis scientiis & discursibus, non facient istum de quo agimus, supernaturalem, vt videa, ac proinde assensus conclusionis in scientia siue discursu Theologico vel Canonico dici nequit actus supernaturalis nisi tatione motiui materialis supernaturalis, nempè assensus præmissarum de fide. Inde vero non sequi supetnaturalitatem ostendit Atrubal *disp. 5. 1. p. cap. 4* quia id etiam contingeret quando altera præmissa foret de fide, & altera ptobabilis dumtaxat, atque ita assensus opinatiuus esset supernaturalis, quod nemo dixerit, quia cum actus opinatiuus possit esse falsus, actus supetnaturalis posset etiam esse falsus. Neque dicas requiri idem lumen eumdemque habitum ad assensum præmissarum, & conclusionis, sicut idem habitus inclinat ad amorem finis, & mediorum, quia media non amantur nisi propter extrinsecam bonitatem finis, à qua redduntur amabilia, vnde actu simul attinguntur: at verò conclusio terminat cognitionem per intrinsecam suam intelligibilitatem à qua redditur intrinsece cognoscibilis, quia tamen illa obscura est, non apparet nobis nisi per connexionem cum medio termino, & per assensum principiorum & præmissarum. siue illæ immediatè cognoscantur, sintque prima principia. siue ad vlteriora reducantur, sufficitque vt illis intellectus assentiatur, vt ex connexione extremorum conclusionis cum ipsis, iudicet de bonitate consequentiæ, & demum assentiatur firmiter conclusioni tanquam veræ. Quare assensus principiorum & præmissarum est quidem virtualiter in conclusione, non tamen formaliter quasi terminet assensum conclusionis in se id enim facit conuenientia & identitas prædicati cum subiecto per figuram syllogisticam directa, ratione connexionis, quam habent illa duo extrema cum medio termino in præmissis, cum quo termino identificari ostendit forma syllogistica, ac proinde inter se, ex communi certoque illo principio, quo tota forma syllogistica innititur. Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, ex quibus vides assensum conclusionis Theologicæ, vel Canonicæ, licet supponat assensum præmissarum de fide, esse nihilominus totum in se naturalem, illasque præmissas non aliter influere in conclusionem, quam influant aliæ præmissæ, in aliis syllogismis scientiarum merè naturalium, nempè instar obiecti formalis, aut manifestatæ veritatis, ex qua deinde deducitur alia in conclusione. Obiecto enim sibi clare proposito necessario assentitur intellectus quod amplius explicat Konink *disp. 4. citat. de actibus supernaturalibus n. 115. & 116.*

5 Confirmatur immò & demonstratur à priori vt aliqua cognitio sit vere supernaturalis, debet intellectus indigere eleuatione à superiore aliqua causa ad eliciendam eiusmodi cognitionem, quam suis natiuis viribus elicere non valet. Atqui positis assensibus præmissarum etiam fide diuina creditarum, intellectus non indiget vlla noua eleuatione & motione, neque reuera vllam accipit, ad assentiendum conclusioni, sed illum actum propria vi, semine principiorum & præmissarum veluti fœcundatus ex se producit sicut ager qui commisso sibi aliunde semine, propria deinde virtute in segetem erumpit: igitur assensus eiusmodi conclusionis supernaturalis non est. In hac ratiocinatione sola minor probanda est, cùm reliquæ propositiones certæ & notæ sint. Suppono verò, quod vulgò docent Logici ad assensum conclusionis duo maximè necessaria esse, nempè assensum præmissarum & iudicium siue formale siue virtuale de bonitate consequentiæ, habito verò illo præmissarum assensu, vndecumque habeatur siue ex fide siue ex Theologia, siue aliunde, & iudicio de bonitate consequentiæ intellectus naturaliter & ex propriis viribus assentitur conclusioni in quacumque materia, immò ad illum assensum determinatur necessitate tum contradictionis tum contrarietatis siue specificationis & exercitij, vti aliàs docuimus in Logicis, cum eo casu intellectus ne quidem suum assensum suspendere aut aliò cogitationem auertere valeat. Vti enim sapienter arguit Gill. *lib. 1. tract. 2. cap. 3. n. 4.* tota difficultas quam patitur intellectus in assensu discursiuo, oriri tantum potest vel ex ignoratione principiorum & motiui quo ducitur vel ex ignoratione bonitatis consequentiæ; atqui Ignorantia principiorum tollitur per ipsorum cognitionem, vel naturalem si sint naturalia; vel supetnaturalem fidei si sint Reuelata & lumine diuino cognoscantur: bonitas autem consequentiæ lumine naturali cognoscitur euidenter. Quid igitur impediet quin iis assensibus & iudiciis positis, Intellectus ex suâ vi naturali absque noua eleuatione vel lumine, & motione superioris ordinis, assentiatur conclusioni, cum ad eiusmodi assensum necessariò determinetur, vt dixi. Et sanè quoties posito quodam principio sequitur euidenter aliqua conclusio, qui illud principium admittit, videtque euidenter alterius ex eo principio consecutionem, necessariò determinatur ad assensum illius consecutionis, quamdiu non retractat principium ex quo videt euidenter deduci eiusmodi conclusionem siue consequutionem, neque indiget superiori lumine ad actum ad quem ex prioribus assensibus necessariò determinatur, vt patet. Positis autem assensibus præmissarum de fide & bonitate consequentiæ, intellectus naturali suo lumine intuetur aut intueri saltem potest euidentiam consequentiæ, atque formare hanc conditionalem euidentem, si hæc principia sunt vera, hæc quoque conclusio vera est: atqui principia vera sunt, vti mihi ex fide constat, ergo conclusio vera est, neque aliud potest concludere quamdiu principiorum & præmissarum assensum non retractabit, neque profecto indiget nouo lumine distincto à lumine principiorum, sed illis semel positis eorumque assensu, ad eliciendum conclusionem suapte sponte fertur & necessitatur. Vides itaque actum istum tum Canonicum tum theologalem immediatè procedere ex ratione & discursu humano, conflato tamen ex assensibus ordinis diuini, non habere principium supernaturale nisi ratione præmissarum, quod principium non concurrit immediatè ad eliciendum assensum conclusionis, qui proinde in se est omninò naturalis, licet priorē alium actum supernaturalē præsupponat; & sicut Philosophus vbi præbuit assensum suis principiis, virtute illorū suapte deinde vi assentitur conclusioni; ita in Canonico syllogismo, positis assensibus de fide circa præmissas, absque nouo lumine & auxilio supernaturali, intellectus virtute talium præmissarum præbet naturaliter assensum conclusioni. Scientia igitur Canonica, licet in plerisque suis demonstrationibus præmissas & principia quæ sunt motiua materialia assensus mutuetur à fide & reuelatione, est nihilominus naturalis, cùm naturaliter inferat conclusionem in

in ea demonstratinne , ipsique assentiatur eodem modo qun ceteræ scientiæ naturales suas cnnclusinnes inferunt & demonstrationes conficiunt ex principiis ab aliis scientiis acceptis vt à Metaphysica vel Mathematica à quibus sæpius præmissas in Physicis demonstrationibus desumit ipsemet Aristoteles : neque propterea eæ demonstrationes desinunt esse Physicæ & ab habitu Physico, licet si totum syllogismum consideremus , ad illum secundum aliquas propositiones & principia materialia concurrat lumen Mathematicæ , ita scientia Canonica ad demnnstrationes suas indiget aliquando, præmissis à fide vel Theolngia acceptis , quibus positis suam demonstrationem conficit, cuius concluun est omninò naturalis, pertinetque ad scientiam Canonicam , licèt aliquæ præmissæ à superinri aliqun habitu acceptæ, vel superiori lumine cognitæ fuerint : cum verò essentia demonstratinnis consistat , vti supponimus ex Lngicis, in conclusinne, eaque in nostro casu sit prorsus naturalis, habitus à qun ipsa procedit, naturalis omninò dicendus erit. Quare scientia Canonica naturalis censenda est, quamvis ab aliis scientiis in eo differat quod sæpius habeat principia materialia superioris nrdinis , & superiori lumine fidei aut Theologiæ cognita , ac proinde licet structura syllogismi , eiusque conclusio sit omninò naturalis, si tamen secundum nmnes suas partes, quibus necessario constat , consideretur , sæpius secundum aliquas ipsarum, sit supernaturalis , indigeatque supernaturali lumine vt assentiatur prnpositionibus ex quibus deinde naturali sun lumine cnnclusiones eliciet & demnnstratinnes conficiet. An verò in huiusmodi demnnstrationibus euidentia & certitudo quæ ad rationem scientiæ naturalis exigantur reperiatur, docebimus. *q. vltima*, vti iam mnnuimus.

QVÆSTIO III.

An scientia Canonica sit vna & quâ vnitate.

Vnitas integralis scientia n. 1.
Vnitas specifica scientia n. 2.
Vnde illa sumatur n. 3.
Notationes soluenda difficultati n. 4. & 5.
Duplex obiectum scientia n. 5.
Quid sit ratio formalis obiecti scientifici. n. 5.
An scibilitas petatur ab abstractione à materia n. 6.
Quid sit scibilitas in obiecto n. 7.
Vnde tandem sumatur n. 8. & 9.
Vnitas entitatiua scientia quid sit n. 10. 11. 12. 13. 14. 15. & 16.
An scientia Canonica sit vna vnitate integrali n. 17. & 18.
Non est pars Theologia n. 18.
An sit pars scientia moralis n. 19.
Scientia Canonica est vna integra & completa Scientia n. 20. & 21.
Scientia Canonica est vna specie infima n. 22.
De vnitate entitatiua scientia Canonica n. 25.

1 TRiplex vnitas in scientia Canonica sicut & in cæteris considerati potest : prima sumitur ex cnmpleta ratinne in genere integro & perfectæ scientiæ, vnde fit vt non habeat rationem partis integrantis respectu alterius, vt cum ea compleat vnam integram rationem scientiæ : ratin est quia vnitas dicit completam rationem eius formæ secundum quam res dicitur vna , & indiuisionem habet in plura secundum eandem ratinnem; quia negatio vel defectus complementi formæ secundum quam res dicitur vna siue diuisio in plura participantia complete eandem formam, obstat vnitati : vt igitur scientia sit vna hac vnitate, debet habere vnam & cnmpletam rationem in ratione certæ scientiæ , non verò incompletam dumtaxat , ratione cuius vnam cum alia scientiam efficiat.

Vt verò hæc vnitas scientiæ ex completa ratinne scientiæ desumpta , secundum quam non est pars integrans alterius , intelligatur , supponendum est ex Arist. 1. *posterior. cap.* 23. Scientiam esse vnam quæ est de vnn obiecto , & eius partibus : quare si totum vnum aliquod subiectum considerat , omnesque eius partes , saltem sub eadem ratione communi , & vt aliqui vnlunt abstractione , vna erit : si verò vnam tantum subiecti partem attingat, non erit nisi scientia partialis, & cum aliis cognitionibus reliquas subiecti partes considerantibus vnam scientiam conficiet, quæ, vt vides , ex multis partibus integrabitur : singulæ verò eiusmodi partes totalis scientiæ, non obtinebunt completam & integram rationem scientiæ. Hæc vnitas, & integritas scientiæ, sicut & eius cnmplementi defectus desumi debet ex vnitate subiecti. Nam vel totum illud , nmnesque eius partes considerat scientia , vel eius tantum aliquam partem attingit : si totum attingat, erit vna scientia, vti dicebat Aristoteles , si verò vnam aut alteram subiecti partem considerat , non erit nisi scientia quædam partialis , quæ cum aliis partibus in vnam scientiam completá coalescit , itaque hæc vnitas scientiæ sumitur ab eius integritate & cnmpleta ratione scientiæ circa primarium & adæquatum eius obiectum. Quare consideranda sunt diuersa genera partium subiecti scientifici, & alinrum habituum : quædam enim sunt integrantes, vt in subiecto Physicæ, quod est corpus naturale vel mobile, materia & forma quæ illud componunt : aliæ sunt subiectiuæ quæ eidem ratinni genericæ obiecti scibilis subijciuntur , sicut species generi , cuius rationes participant. Partes integrantes subiecti, quæ terminant notitias integrantes , vnam scientiam integram conflant , non verò partes subiectiuæ : nam licet participent rationem genericam alicuius notitiæ , & attingant idem obiectum sub eadem abstractione , vel scibilitate generica , quia tamen sunt diuersæ inter se specie infima, necessariò terminant notitias quoque specie diuersas , quæ proinde habent completam rationem scientiæ , neque sunt partes integrantes illius : neque enim species infima dicitur pars integrans generis, aut indiuiduum speciei, quamvis rationes generis & speciei participent : sic homo est pars subiectiua animalis , & Petrus hominis , non sunt tamen integrantes ; quasi animal integretur ex homine & equn, & homo ex Caïo & Sempronin : ex hac igitur distinctione partium integrantium, & subiectiuarum subiecti cognoscibilis & scientifici , sumitur distinctio notitiarum, & scientiarum alicuius obiecti : quæ enim notitiæ aliquas tantum eius subiecti partes considerant , sunt tantum partes integrantes sciẽtiæ subiecti illius, & non habent in se completam ratinnem scientiæ , neque proinde vnitatem formæ qua in esse scientiæ integræ cnnstituuntur : quæ verò notitiæ partes subiectiuas obiecti primarij attingunt, sunt notitiæ specie diuersæ , & in sua ratinne completæ; quamuis superinri rationi genericæ subijciantur , quare partiales notitiæ de forma & materia corporis

potis naturalis, non sunt cõpletæ in genere scientiæ, sed partes integrantes Physicæ, cùm attingant partes integrantes primarij ipsius obiecti. At verò Arithmetica & Geometria sunt veræ ac propriæ scientiæ integræ, & completæ in sua specie, non verò integrantes scientiæ Mathematicæ in commuuni. Quia quantitas prout abstrahit à materia sensibili, singulari, & vniuersali, est quidem ratio generica obiecti scibilis, ac proinde terminat vnam genericam rationem scientiæ, quam Mathematicam nominamus: quia verò numerus & magnitudo sunt partes subiectiuæ quantitatis in ratione scibilitatis, quam specie diuersam habent, terminant quoque diuersas scientias specie, nimirum Arithmeticam & geometriam, quæ sunt partes subiectiuæ Mathematicæ, atque completæ in in sua specie & non partes dumtaxat integrantes eadem ratione, quia obiectum Metaphysicæ, nimirum eius abstrahens a materia sensibili, est vnum specie infima in ratione scibilis, & non vnum tantum genere: notitiæ quæ agunt de substantiis separatis, aut de summo genere entis, non sunt partes subiectiuæ Metaphysicæ, sed integrantes, atque adeo non sunt completæ in se ratione scientiæ, sed cum aliis vnam scientiam integrant. Quoties igitur ens aliquam habet rationem generis in ratione scibilis, illi prout abstrahit à particularibus rationibus scibilitatis, necessariò conuenit communis aliqua ratio scientiæ siue vniuoca siue Analoga sit, cui subijciuntur aliæ scientiæ tanquam species in se completæ, considerantque idem obiectum sub specialibus rationibus scibilitatis sub eodem communi genere, & non sunt partes integrantes totalis scientiæ, vt sæpius dixi, sed subiectiuæ: quando verò obiectum non habet partes subiectiuas in ratione scibilis, quia habet vnam tantum scibilitatem specie infima, notitiæ quæ diuersas illas, partes attingunt sub vna eademque scibilitate infima, non sunt nisi partes integrantes scientiæ totalis, quæ per diuersas illas partiales notitias, subiecti sui partes integrantes attingit, atque ex diuersis illis partialibus notitiis in vnam integram & completam scientiam illius obiecti coalescit ita fusè Gilli. *lib. 1. tract. 6. c. 1.*

2 Altera vnitas scientiæ est vnitas specifica, generica siquidem communis est, ac proinde non est perfectè vna, quandoquidem diuiditur in plura rationem illam communem participantia, ideoque est vna & multiplex vt docent Logici. Vna formaliter in se, sed multiplex in inferioribus in quibus per diuersas differentias contrahitur & reipsa multiplicatur. Dari verò plures scientias speciei infimæ diuersas suppono contra Mirandulan. *lib. 13. monomach. q. 3. a. 5.* qui volebat vnam tantum esse scientiam, quam deinde partiamur in plures, perspicuitatis tantum gratia quæ opinario statim reijcitur ex distinctione quæ inter diuersas notitias reperitur, & inter quas nullam connexionem assignare licet, vt vides inter Mathematicam & Ethicam, vel Logicam. Adde diuersas rationes formales, & motiua propter quæ scientiæ suis conclusionibus assentiontur. Varium modum quo in obiecta tendunt, diuersa principia quibus innititur: quæ omnia diuersas scientiarum naturas arguunt quam sufficientissimè: neque Mirandulanus quidquam affert ad illam scientiæ vnitatem adstruendam, quod non facilè diluatur, & loca quæ summo studio collegit ex Aristotele id profectò non ostendunt, difficilis quidem & intricatus est textus ille *lib. 2. metaph. cap. 4.* his verbis *quare & entis quotquot sunt species, vnius scientiæ generis est, & specierum species contemplari.* Verùm in eo dit tantum Philosophus ostendere scientiam considerare omnes species sui obiecti in ratione illa generica, non autem secundum rationes particulares, vt optimè vidit Suares *disp. 1. Metaph. sect. 5. n. 21.* & patet ex ipso contextu quem clarè explicat Fonseca in commentariis: intendit enim probare dari aliquam scientiam, quæ omnia entia quatenus entia sunt, & sub illa ratione consideret, ad quod ostendendum assumit hoc pronuntiatum, cuiusque generis & sensus est, & scientia. Sic vna grammatica voces omnes considerat, id est sicut datur vnus sensus qui tendit in quodlibet genus sensibilis, ita datur vna scientia quæ tendit in vnum scibile genere, sicut grammatica quæ omnes voces, & literas speculatur, & sicut visus non tendit in colores quatenus hanc aut illam perfectionem dicunt sed quatenus sunt visibiles, ita scientia tendit in diuersas species obiecti, quatenus sub vno genere sunt. Sic Metaphysica, vt obseruat S.Thom. *ibid. lect. 1. litera B.* licet antiqua translatio quam sequitur, valdè intricata sit hoc loco, vt & illa Bessarionis, considerat omnes substantias vt sunt entia, non verò vt talis, aut talis naturæ in particulari. Denique versio Perionij apud quem hic liber tertius est, videtur satis perspicua, vt & illa Fonsecæ quam initio retulimus in *omni porrò Genere* ait Perionius, *& sensus vnus est vnius. & scientia veluti grammatica cum vna sit, omnes cognoscit & profitetur quocirca vnius artis est eius quod est, tum species omnes tum formarum formas cognoscere.* Nihil igitur nobis officit hic textus Aristotelis cuius è contrario plurima dicta quæ nobis fauent, collegit Dondinus *in lib. 1. de anima comment. 30. digressione 3.* Constat itaque plures esse scientias specie diuersas.

3 Sed controuersia est vnde tandem desumatur illa differentia & vnitas specifica, & quidem fatentur omnes hauriendam esse ab obiecto, & ideò Aristoteles 1. *Posterior. textu 43.* dixit illam scientiam vnam quæ est vnius generis, *& lib. 3. de anima textu 37.* diuidit scientias & sensus pro ratione rerum & obiectorum. Item *lib. 4. Metaph. text. 20.* pertinere vult ad eandem scientiam agere de ente, & eius speciebus, causam reddit S. Thom. quia scientia nihil aliud est quam motus quidam rationis à principiis notis in cognitionem ignoti; omnis verò motus sumit suam differentiam ex 5. Physico, à termino ad quem qui in scientia est obiectum.

Insulsè tamen aliqui dixerunt tot esse scientias, quot sunt obiecta singularia, & conclusiones: nam maxima similitudo siue conformitas, quæ est inter cognitiones diuersarum conclusionum, & modum quo variæ notitiæ diuersa obiecta materialia attingunt, satis ostendunt frustra multiplicari scientias specificè secundum multiplicitatem obiectorum, alioquin essent innumeræ, è contrario verò non licet ex qualibet communitate, & conuenientia obiectorum, vnitatem scientiæ inferre; alioquin esset tantum vna vti volebat Mirandulan. videndum itaque est quâ tandem ratione inuestiganda sit hæc differentia. Varias sententias dabit Salas 1. 2. *disp. 7. sect. 6.* qui tandem concludit solum Deum & Angelos nosse quomodo scientiæ differant inter se & quam singulæ extensionem, & latitudinem habeant, ego existimarim multa pendere ex significatione vocum quare.

4 Obseruandum est id circa quod versatur scientia, variis nominibus appellari. Dicitur enim 1. compositum ab Auerroë, quia constat principiis componentibus. 2. Genus ab Aristotele *lib. 2. posterior. text. 25. & lib. 4. metaph. textu, 2.* Vbi etiam nominat speciem, nomine autem generis Fonseca illo loco Metaphysicæ intelligit subiectum scientiæ, vt res est. Sic enim potest plures rerum species complecti: nomine verò speciei, subiectum vt scibile est, quia ex diuersitate scibilium quatenus scibilia sunt sumitur diuersitas

specifica

specifica scientiarum. 3. dicitur Obiectum proportione quadam ad animæ potentias ex S. Thoma 1. *par. q.* 1. *art.* 2. 4. subiectum quia substat toti scientiæ, & est veluti basis omnium conclusionum quæ in illo eliciuntur: licet Durand. *q.* 5 *prologi n.* 5. Capreol *ibidem q.* 9. *conclus.* 2. Vasq. 1. *par. disp.* 10. *cap.* 1. Gilli, *lib.* 1. *tract.* 3. *cap.* 1. *n.* 1. nonnihil distinguant inter subiectum & obiectum; quod obiectum sit id quod obijcitur cognoscendum, seu id quod primò & per se ac proprie scitur, talis porrò est conclusio quæ in scientia cognoscitur quia idem est cognosci & obijci cognitioni; sola autē conclusio cognoscitur, igitur & sola obijcitur. Subiectum est id de quo aliquid probatur & concluditur, estque aliquid incomplexum debetque habere conditiones quas nuper illi assignauimus, de quibus etiam Vasq. *disp. citat.* quidquid tamen sit de eiusmodi distinctione, vsus inualuit vt obiectum & subiectum nullo discrimine passim vsurpentur.

5 Repetendum præterea est quod explicuimus *cap. superiori a.* 1. & monet S. Thom. 1. *p. q.* 1. *a.* 3. & 1. 2. *q.* 1. *à* 1. duplex esse obiectum. Materiale vnum, formale alterum, non quod ista duo sint entitate diuersa, sed quod obiectum ex duabus rationibus materiali scilicet & formali coalescat. Obiectum materiale itaque est ipsa res secundum suam naturam spectata, quæ quia à diuersis habitibus attingi potest, dicitur materialis, quod sit veluti materia indifferens, & indeterminata vt hunc vel illum habitum terminet, eam verò determinat ratio formalis, & restringit obiecta particularia ad vnum certum habitum, vt ab eo solo secundum eam rationem considerentur. Quare de illa ratione formali tota est difficultas. Illa porrò ratio formalis triplex statui solet quod *quæst.* 2. *citata* nuper monuimus 1. est ratio formalis, *quæ* 2. *propter quam* vel *qua* vel *per quam* 3. *sub qua* Omnes vero hæ rationes vnam tantum rationem formalem adæquatam & completam conflant, vt ait Gilli. *lib* 1. *tract.* 3. *cap.* 2. *num.* 1. formalis *quæ* est ratio formalis cognita seu terminatiua estque ratio constitutiua obiecti in ratione obiecti, siue forma & ratio in obiecto ob quam ab illa scientia attingitur, quæ siue sit intrinseca obiecto in esse rei, siue accidentalis, est tamen essentialis in esse obiecti, quod ostendebamus in esse visuali, quod accidentarium est lineæ, vt linea est, & sanabile in corpore, vt corpus est, non tamen vt linea est obiectum opticæ, & corpus medicinæ: hancque duplicem rationem obiecti vt rescit, & vt scibile est obseruauit etiam Ferrariens. *lib.* 2. *contra gent. cap.* 4. §. *secundum quod.* Hæc ratio formalis sufficit quidem ad diuersitatem specificam obiecti, si completa sit, quia tamen completa non est, & requirit rationem *sub qua* ideo vocatur quodammodo materialis, & se tenet ex parte obiecti materialis. Ratio formalis *per quam* vel *propter quam* sunt motiua propter quæ habitus fertur in obiectum. Ratio denique formalis *sub qua*, omissis variis explicationibus, est aliqua conditio sub qua obiectum illud scientia considerat, & sine qua non consideraret perficitque atque complet rationem formalem *qua* v. g. in obiecto visus reperitur 1. corpus quod videtur, estque obiectum materiale: deinde color, nihil enim videtur nisi coloratum, aut lucidum, & est obiectum formale *Quod* aut ratio formalis *quæ* aut etiam *propter quam*, color enim est ratio propter quam corpus terminat actum potentiæ visiuæ: sed quia corpus coloratum etiam quà coloratum cognoscitur ab aliis potentiis, intellectiua scilicet & imaginatiua, addenda est vlterior ratio nempè visibilitatis, quæ restringat ad potentiam visiuam. Attingit enim visus corpus coloratum non qua corpus est, neque qua coloratum, viride, vel rubrum, sed qua visibile est. Simili ratione in obiecto scientifico ratiocinandum est, hanc porrò rationem *sub qua* seu conditionem ponunt aliqui vulgò in abstractione obiecti à materia quod vt intelligas.

Aduerte cum, S. Thom. *in libr. Boet. de Trinitate q.* 5. *a.* 1. & refert Capreol. *q.* 3 *prologi art.* 1. *conclus.* 3. obiecto speculabili duo maximè conuenire, vnum ex parte intellectus siue potentiæ speculatricis, alterum ex parte scientiæ. Primum est immaterialitas: cum enim intellectus sit immaterialis, nihil potest cognoscere nisi ad modum entis immaterialis: alterum necessarium ex parte scientiæ, est necessitas essendi. Scientia si quidem est de æternis & necessariis, omne autem necessarium quà tale est, immobile quoque est, quia omne quod mouetur, potest esse & non esse, vel simpliciter, vel saltem secundum quid: vnde fit vt obiectum scientificum debeat esse abstractum, præcisum & seiunctum à motu & materia. Triplex verò est abstractio nempè singularis, sensibilis, & intelligibilis pro diuersitate materię à qua fit abstractio. 6
Prima fit à materia singulari, & non tamen à sensibili: quia singularia præter suam corruptibilitatem, & infinitatem non possunt esse obiecta scientiarum. Fit autem hæc abstractio, dum res non considerantur, vt constant hac aut illa materia indiuidua, sed solum in vniuersum, vt composita ex materia & forma suis qualitatibus & proprietatibus affecta, quomodo abstrahit Physica.

2. Abstractio fit à materia sensibili, & non à materia intelligibili, materia verò intelligibilis est quantitas vt docet S. Thom. *in cap.* 23. *lib. prim. poster.* & fusissime Dandin *lib.* 3. *de anima digressio.* 37. idcircò Mathematicæ quia considerant quantitatem, dicuntur quidem abstrahere à materia sensibili, sed non ab intelligibili: quantitas autem dicitur à nobis materia intelligibilis, quia eodem ferè modo concipitur à nobis, quo materia, aut quia consideratur à Mathematico velutì separata à materia, quam separationem vel separationis statum non sortitur nisi per intellectum.

Tertia abstractio omnium maxima est abstractio à materia singulari, sensibili & intelligibili, estque propria Metaphysicæ quæ speculatur rationes formales entis, & substantias separatas ab omni prorsùs genere materiæ, plures alias abstractiones addit Toletus *in cap.* 23. *lib.* 1. *poster.* quas, quia vix vsui sunt lubens omitto: non possum, tamen præterire eam quam Bann, 1. *par. q.* 1. *art.* 5. *conclu.* 3. induxit tanquam necessariam ad constituendum obiectum Theologicum, nimirum abstractionem ab omni potentialitate, sine eiusmodi enim abstractione negat illam facturam esse distinctionem inter Theologiam & Metaphysicam; habetent siquidem eandem abstractionem à materia, posita verò hac abstractione ab omni potentialitate, quæ solius Theologiæ propria est, statim apparet magnum discrimen inter illam & Metaphysicam propter diuersam longè abstractionem sub qua sua obiecta considerant isti duo habitus; potentialitatem verò sortiri rationem materiæ computatam cum actu puro, sub qua ratione, Deum suum obiectum considerat Theologia, nemo dubitat; cum ipsi etiam Patres dicant aliquando omnia præter Deum esse corporea; quia nempè sunt immixta potentiæ passiuæ, qua Deus & omnia quæ in ipso speculamur, ita carent, vt ne quidem aliquid sub ea ratione concipere possimus, sed omnia per modum actus primi & puri in illo intelligere debeamus, quod fusius 1. *part.* quondam demonstrauimus, & olim, si Deus annuerit in nostra Theologia Areopagitica prolecque

prosequemur huius quartæ abstractionis necessitatem etiam in Theologia vt distinguatur à Metaphysica pluribus reiicit Gilli. *lib.* 1. *tractat.* 3. *cap.* 10. ostenditque ad eam diuersitatem sufficere distinctionem luminis naturalis & supernaturalis, sub quibus isti habitus sua obiecta quamvis aliquando eadem & sub eadem abstractione, considerant: nostrum non est ad eam disputationem digredi; tu si voles diligentissimum accuratissimumque doctorem consule.

Quia porrò passim ex diuersa abstractione diuersitatem scibilitatis obiecti desumunt DD. aduerte scibilitatem in obiecto sumi posse dupliciter. Primò vt importat tantum denominationem quandam extrinsecam obiecti a scientia, aut potentia cognoscente, quæ circa illud versari potest 2. prout est aliquid in ipso obiecto prius omni actu scientiæ & intellectus versantis circa illud: quæ scibilitas hoc proprio modo sumpta, nihil aliud est quam ipsa entitas obiecti, non nudè in se spectati sed prout mouet ipsam potentiam cognoscentem, hoc aut illo modo; potentiæ siquidem cognoscitiuæ creatæ non possunt exire in actum, nisi prius ab obiecto moueantur, quod faciunt per vicariam sui speciem & quasi semen, & per simplicem notitiam ad cognitionem complexam: nam per speciem intelligimus primam apprehensionem terminorum, per quam ducimur & mouemur ad iudicium, ac per medium & motiuum in iudicio præmissarum inclusum ad consequentiam & conclusionem. Obiectum igitur prout vario modo mouet intellectum dicitur scibile, ita vt scibilitas sit ratio quædam in obiecto, quod mouet potentiam, quare diuersificatur obiectum in ratione scibilis pro variis motiuis: quæ causa est propter quam eadem entitas ad diuersas quandoque scientias pertineat quia scilicet diuersis motiuis agit in intellectum: atque vt omnia vno verbo complectar, scibilitas est proportio quædam obiecti ad intellectum, quem idcircò ad sui cognitionem mouet hanc proportionem aut scibilitatem à diuersis luminibus videtur sumere Caiet. 1. *p. q.* 1 *.art.* 3 *.§. ad euidentiam* & Conimbric. *in cap.* 23. *primi poster. q. vni.* Sed præterquam quod hæc lumina, valde metaphysica sunt, & plane fictitia, cum illa illustrent obiectum, non possunt illi conferre scibilitatem intrinsecam: nam non illustrant nisi dum actu scitur, & cognoscitur. Debet autem supponi prius scibile & cognoscibile ad quod deinde cognoscendum intellectus indiget maiori aut minori lumine, naturali aut supernaturali, prout obiecti cognoscibilitas ex sua natura requirit: quare primarium obiectum Theologiæ, cùm non sit cognoscibile nisi Superiori & diuina reuelatione, tale lumen postular in intellectu ad cognoscendum, & per illud distingui Theologiam à cæteris scientiis naturalibus, quæ eo sublimiori lumine non indigent, sapienter voluerunt antiquiores Theologi, quos dabit Gilli. *lib.* 1. *tract.* 3. *cap.* 10. *n.* 5. Vnde tamen non fit lumen conferre cognoscibilitatem, & scibilitatem obiecto cum non se teneat ex parte obiecti sed potentiæ, quæ ad illam obiecti scibilitatem nequit attingere suo natiuo lumine, atque etiam notitia terminorum, quia vel eos non penetrat vel si penetrat eorum connexionem inter se non videt, ac proinde nequit vel illis assentiri, vel ex ipsis quidquam certi colligere. Itaque hæc lumina diuersi ordinis non dant scibilitatem obiectis, licet distinguant aliqua ratione scientias, quæ lumine supernaturali illustratæ certa quædam obiecta cognoscunt, ab iis quæ defectu eius luminis, quo carent, non possunt eadem obiecta, licet sub eadem abstractione posita attingere; inde enim non sequitur diuersa scibilitas in obiecto, sed potentiæ imbecillitas. Maneat igitur quod iam monui scibilitatem esse perfectionem quandam intrinsecam connotantem aliquid extrinsecum, actum scilicet intellectus versantis circa tale obiectum, diciturque vulgò scibilitas fundamentalis, à Gillio autem *lib.* 1 *.tract.* 3 *.cap.* 2. *n.* 9. scibilitas actiua propter vim quam habet mouendi intellectum.

Iam verò vt veniamus ad quæstionem initio propositam: Vnde sumenda sit Vnitas specifica notitiæ, certum est non desumi ab obiecto materiali, neque à formali quod nisi sit completum, neque à scibilitate sumpta pro denominatione extrinseca, sic enim est posterior actu, quem proinde specificare non potest, neque à diuerso lumine, vti iam ostendi, dum se teneat ex parte intellectus, & non illustret obiectum, nisi dum actu cognoscitur, neque etiam à variis principiis nisi aliter explicetur; quidquid dicat Ruuius, cùm multæ scientiæ habeant eadem principia, & omnia tandem ad paucissima, eaque metaphysica reduci possint, quare illa erit vna tantum scientia, ceteræ verò eius tantum partes integrantes, vti initio quæstionis huius monebamus. Plurimi igitur volunt vnitatem specificam scientiarum sumendam esse ab abstractione, quod merito reiiciendum putauit Mendoza *disput.* 2. *metaph. sect.* 6. Nam primò aliquæ scientiæ nullam habent eiusmodi abstractionem, vt Logica, & moralis. 2. Multæ scientiæ habent eandem abstractionem, quæ tamen diuersæ inter se sunt & singulæ vnius speciei infimæ, neque vna est pars integrans alterius, vel alicuius tertiæ quam constant, sed solum sunt partes subiectiuæ communis cuiusdam scientiæ genericæ, quam participant, cuiusque sunt species vt homo & equus animalis id videmus in Geometria & Arithmetica; vtraque siquidem à materia singulari, & sensibili, & non ab intelligibili abstrahit, vtraque est diuersæ speciei infimæ, & pars subiectiua, non integrans Mathematicæ, vti nuper monebamus. 3. Iam ostendimus Theologiam & metaphysicam esse diuersas scientias, licet agant ex eadem abstractione, quandoquidem quarta illa ab omni potentialitate & à Banne inducta iam reiecta fuit. 4. Abstractio per se requisita ad obiecti scibilitatem necessariò debet conuenire subiecto conclusionis demonstrabilis à scientia, & toti illius subiecto siue subiecto adæquato, alioquin daretur obiectum materiale sine formali: quia abstractio requisita vt dixi, ad scibilitatem obiecti non pertinet ad rationem formalem *qua*, sed ad rationem *propter quam* aut *sub qua* inter quas rationes illud interest quod sufficiat rationem *qua* conuenire obiecto primario, cum scientiæ non tractent de secundariis nisi per attributionem ad primarium, at verò ratio *propter quam* & *sub qua* necessariò inesse debent toti subiecto adæquato, quod primarium & secundarium simul complectitur & sanè si secundarium illis duabus rationibus è formalibus destituatur, iam non ad illam scientiam, sed ad quampiam aliam pertinebit, aut aliquod obiectum sine ratione obiectiua scientiæ terminabit illius actum quod quis dicat, tunc enim non esset per se, sed per accidens ratio obiectiua, quæ siquidem per se talis est, non potest non inesse obiecto terminanti actum scientiæ: Et sicut nihil potest esse sub certo genere rerum cui non conueniat ratio essentialis talis generis propria, neque etiam quidpiam poterit esse sub certo genere & specie scibilis si careat propria ratione scibilitatis illius generis vel speciei. Si igitur propria ratio scibilitatis obiectiuæ constituatur per diuersas abstractiones, quidquid certam & propriam scibilitatem habebit, illius quoque propriam abstractionem sortiri debebit, & quidquid continebatur sub obiecto scibili, siue primario, siue secundario alicuius scientiæ, sub propria quoque illius abstractione sumi & considerari debebit quod totum confirmat inductio, nihil enim venit in consideratio-

nem

nem alicuius ſcientiæ naturalis, qoin propriæ illius abſtractioni ſubſit, ſic mathematici agunt de quantitate ſecundum ſe conſiderata, & non contracta ad materiam ſenſibilem, neque Phyſicus agit de ſingularibus aut Metaphyſicus de materia conſtantibus; ex quibus tandem omnibua conficitur abſtractionem propriam obiecti principalis, ſi ſit ratio formalis *ſub qua* ſiue ratio conſtitutiua ſcibilitatis extendi oportere ad omnia obiecta per ſe terminantia actum ſcientiæ, vel habitua, & non ſolum in primario obiecto reperiri, quod cum non fiat & aliquando plurima obiecta ſecundaria in adæquato comprehenſa, non participent abſtractionem obiecti principalis, ſequitur neceſſario abſtactionem nō eſſe rationem formalem *ſub qua*, neque diuerſarum ſcibilitatum cum quibus reperitur, conſtitutiuam, ab eaque non ſumi ſufficienter vnitatem ſpecificam ſcientiarum, quod vnum nobia probandum erat.

9 Dicendum itaque ſcientiaa ſpecificari à diuerſa ſcibilitate fundamentali & actiua, quam aſſertionem omnes reipsâ ſequuntur, licet verbis diſſentiant, & ſcibilitatem aliunde ſumant quam nos, ab abſtractionibus ſcilicet, lumine, varietate principiorum, aliiſque cauſis quas modo reiecimus. Volumus ſiquidem eſſe quandam peculiarem & proptiam obiecti perfectionem ob quam habet vt certo modo moueat intellectum, indeque oritur diuerſitas motiuorū ſcientiæ à quibus voluit ſpecificari S.Thom. pluribus locis apud Capreol *q. 3. prologi art.* 1. cum tamen vbique S.D. dicat obiectū conſiderandum eſſe in ratione ſcibilis. Sunt autē à nobis plures alij quos enumerat & ſeqoitur Gilli. non nego tamen cognoſci à poſteriori differentiam ſcientiarum per abſtractiones, & diuerſa media ſiue motiua. Ita Ariſtoteles *lib. 6. metaph. textu* 20. *& lib. 1. de anima text.* 17. ex numero abſtractionum illas diſtinguit, & *lib. 7. phyſico. text.* 17. *&* 18. ait hanc concluſionem, terra eſt rotunda, pertinere ad Mathematicum & phyſicum ob diuerſa media; ſed quia illa media ſi ſumantur materialiter diuerſis ſcientiis vſui eſſe poſſunt, tandem reſolui debent ad obiecti ſcibilitatem, quæ talia media & motiua exigit. Atque ita noſtra ſententia dum diſſidentes opiniones conciliat ſingularum difficultates euitat. Denique exiſtimarim varias abſtractiones de quibus egimus vſui plurimum eſſe ad differentiaa genericas ſcientiarum inter ſe quibos plures ſpecie infimæ ſubiiciuntur, quæ licèt eandem abſtractionem participent, ſunt tamen inter ſe diſtinctæ, ſicut equus & homo ſub genere animalis.

10 Tertia vnitas quæ in ſcientiis conſiderari poteſt eſt vnitas entitatina, an videlicet ſit vna ſimplex qualitas & entitas, an vero componatur ex pluribus partialibus quæ inclinent intellectum ad diuerſas ſpecie concluſiones quæ inter ſe connexionem eſſentialem habent in ordine ad vnum aliquod ſubiectum.

Et quidem ſcientiam eſſe entitatem quandam, & qualitatem indiuiſibilem & ſimplicem, neque ex partialibus compoſitam, eandemque entitatiue immutatam inclinare ad diuerſas vti dixi concluſiones, docent vulgò Thomiſtæ quos latè refert Salas 1. 2. *diſp.* 5. *ſect.* 1. *n.* 8. eoſque ſequitur *num.* 10. quia ſimili ratione de augmento extenſiuo habituum circa noua obiecta ad quæ inclinant potentiam; cum antea non inclinarent, iidem Thomiſtæ alijque ratiocinantur. Nam Suar. *diſp.* 44. *metaph. ſect.* 1. *aſſert.* 3. *n.* 27. *&* 37. id concedit in habitibus voluntatis, quos idcirco diſtinguit ab habitibus intellectua, quod priores illi extendantur indiuiſibiliter ad diuerſa obiecta quod fatetur quoque Salas *diſp.* 5. *ſect.* 2. *n* 35. eandem, verbi gratia, indiuiſibilem virtutem Religionia inclinare ad actus orandi vouendi & cæteros; quoad habitus verò intellectuales iterum diſtinguit Suar. Si enim ſunt habitus euidentes, v. g. ſcientia, accipiunt augmentum extenſiuum per additionem partialium habituum, qui inclinant ad diuerſas ſpecie concluſiones, & idem habitus principiorum non inclinat ad omnia principia: Si vero habitus intellectuales ineuidentes ſint, vt fides, & opinio, vult illoa indiuiſibiliter & ſine vlla ſui mutatione aut additione nouæ entitatis inclinare ad actus ſpecie diuerſos, eadem planè ratione qua habitus voluntatis. Ratio diſcriminia eſt quia habitus voluntatia tendunt quidem ad diuerſa obiecta materialia, Sed ſub eadem ratione formali, & motiuo à cuiua vnitate ſumi debet vnitas habitus, ideóque habitua non debent multiplicari propter actus, qui reſpiciunt eandem honeſtatem formalem; quod idem dicendum de habitibus intellectualibus ineuidentibus qui vnum motiuū habent, vt in fide, dicentis authoritas. At verò habitus ſcientificus non poteſt ſine aliqua ſui mutatione inclinare ad diuerſas concluſiones quia tendit ad illas ſub diuerſis motiuis & rationibus formalibus, ac proinde vt extendatur ad noua obiecta nouas partea acquirere debet.

Hanc ſententiam valide impugnat Vaſq. 1. 2. *diſp.* 11
80. *cap.* 3. & Mendoza *diſp.* 16. *de anima ſect.* 4. *ſubſect.* 3. 1. Quia conſtat eumdem habitum voluntatis non inclinare ad omnia obiecta vnius virtutis intra illius vt ita dicam ambitum: nam qui temperans eſt circa potum ſæpe intemperans eſt circa cibum, vel tactum, & venerea; & licet centies repetat actus circa potum, non acquiret tamen facilitatem circa voluptates cibi aut tactus: idem in virtute Religionia iuſtitiæ, & cæteria experimur. Cum igitur de nouo habitus ſit expeditior circa vnum obiectum, procul dubio debet mutari. Quod idem apparet in intellectu, fit enim exercitatione actuum prudentiæ promptior, ad rectè iudicandum de iis ad quæ prius tardior erat, par itaque ratio eſt horum habituum, & ſcientificorum.

2. Habitus iſti indiuiſibiles intendi non poterunt, quin intendantur ſecundum totam extenſionem, id eſt in ordine ad omnes actus & obiecta ad quæ inclinare poſſunt, vt fatetur Suar. *n.* 37. quia illi habitus etſi latitudinem habeant, ſunt tamen indiuiſibiles quoad extenſionem, quare quando aliquis intenditur, intenditur conſequenter, & neceſſariò ſecundum totam extenſionem, atqui contrarium experimur. Nam quantumvis intendatur habitus Religionis circa orationem, non intenditur circa vota ergo non eſt indiuiſibilis circa illa obiecta, alioquin idem ſimplex habitus eſſet ſimul intenſus & remiſſus, quod impoſſibile fatetur Suar. *n.* 37.

3. Ratio Suaris petita ab vnitate obiecti formalis in quo conueniunt diuerſa obiecta materialia, nihil concludit ad hanc indiuiſibilitatem inuehendam: quia vt obſeruat Vaſq. *cap.* 4. & Mend. §. 28. habitus non ſunt neceſſarij in voluntate vt feratur in honeſtatem abſtractè ſumptam, ſed vt iuuetur in ſuperanda difficultate, quam ſentit circa hanc aut illam honeſtatem in materia ſingulari contractam, vnde virtus definitur ab Ariſtotele habitua electiuua, electio verò non verſatur circa bonum in communi, ſed in indiuiduo ad quod facilè aut difficulter afficimur: Quare licet ſit eadem ratio formalis honeſtatis, ſi noua tamen & diuerſa eſt difficultas, neceſſarius erit nouus habitus, aut aliquid addendum erit habitui præexiſtenti.

4. Poſſent ſimul eſſe duo habitus contrarij ſummè intenſi: adulter enim qui in reſtituendis alienis fortunis religioſiſſimus eſt, habet habitum iuſtitiæ, quod

fatentur

fatentur aduersarij etiam circa vxorem alienam; qui habitus æque intensus est circa illud obiectum, atque circa pecunias ex Suare, & tamen idem ille habet habitum iniustitiæ, valde intensum circa alienam vxorem. Ad hæc omnia argumenta respondet Suarez, nouam difficultatem circa aliquod obiectum oriri in voluntate non ex defectu extensionis habitus, sed quia intellectus melius ad vnom quam ad aliud dispositus est, sicut etiam appetitus, & phantasia, ceteræque potentiæ quæ deseruiunt voluntati, in quibus gigni nouos habitus concedit Suar. Verum inde tollitur necessitas ponendi habitus in voluntate, tota siquidem facilitas aut difficultas circa eius actus, reijci poterat in potentias ipsi deseruientes Deinde potest intendi habitus, aut nouus acquiri in appetitu, & tamē manebit eadem difficultas in voluntate. Frustrà igitur confugit Suarez ad habitus Phantasiæ & appetitus. Probatur autem antecedens. Eliciatur actus alicuius virtutis ex fine malo, & illi vehementissimè cooperetur appetitus, tunc gignetur habitus in appetitu, nihil enim refert vtrum actus eius sit honestus an turpis, modo tendat in bonum sensibile, non enim attingit rationem formalem virtutis, voluntas tamen non comparabit facilitatem circa actum illius virtutis. Quis enim dicat habitum vitiosum concurrere ad actus virtutis. Respondet Secundò Suar. actum vnum esse natura sua faciliorem alio. vnde licet agens æqualiter inclinetur ad vtrumque, vnum tamen facilius eliciet quam alterum: sed inde maximè probatur opus esse noua extensione aut habito ad difficultatem illam Vincendam quam præiacens habitus non sustulit.

12 Denique quæ Suar. nobis obijcit non vrgent vt dum ait habitus infusos respicere indiuisibiliter diuersa obiecta, vt patet in fide & charitate, igitur & acquisiti præstabunt. Quidquid enim statuas de antecedente, quod negat Vasq; concedit verò Sal. *disp. 6. sect.* 1. *ar.* 15. Nego consequentiam. Quia habitus infusi sont veluti potentiæ, quæ diuersa omnia obiecta respiciunt, at verò habitus acquisiti sunt tantum virtutes conferentes facilitatem potentiæ circa varios actus, neque possunt in se immutati augere facilitatem, quàm prius minorem conferebant.

13 Quare alij hanc extensionem habituum, & scientiarum componunt ex multis partibus simul vnitis: sicut in qualitatibus materialibus Ruu. *quæst.* 4. *proœm Logica ad* 2. cui consentiunt & alij moderni apud Suar. *disp.* 44. *Metaph. sect.* 11. *num.* 19. & Salam *disp.* 5. *sect.* 1. *in* 2. *opinion.* quæ sententia videtur inintelligibilis cum istorum habituum, qui qualitates spirituales sunt, eorum subiecta spiritualia quoque, & indiuisibilia existunt: deinde vel istæ partes de nouo additæ differunt specie ab aliis, & sic vniri nequeunt ad compositiones vnius qualitatis, vel differunt solo numeru, & sic vna pars nihil aliud faciet quam altera.

14 3. Vasq. *disp. citata cap.* 5. & Salas *loco etiam proximè citato* dicunt extensionem hanc fieri per acquisitionem noui modi realis, quem aliqui comparant modo quo anima coextenditur corpori, & Angelus loco; verum cum nouus iste modus tollat difficultatem quæ remanserat circa aliquod obiectum, est formaliter nouus habitus & non tantum prioris modificatio; quandoquidem habitus nihil aliud est, quam qualitas inclinans potentiam ad actus similes iis à quibus genitus est. Vel igitur tota vis inclinatiua erat in prima entitate, & ita poterit impellere ad omnia obiecta; vel acquiritur de nouo, & ita quod illam virtutem conferret, dicetur verus habitus, & non tantum modus deinde cum acquiritur aliquando habitus Religionis facilitans potentiam ad vouendum. Estvè modus habitus facilitans eandem potentiam ad orandum, quando facilitas vouendi posterius acquiritur quàm facilitas orandi quisnam ex illis habitibus vel facilitatibus erit modus alterius habitus.

4. Igitur dicendum est habitum extensiue crescere per productionem nouorum habituum partialium differentium specie, ac proinde esse tantum vnum per quandam coordinationem: quo sensu vocauit Aristoteles dispositionem quæ est ordo habentis partes, neque propterea excluditur à Cathegoria in qua collocatur per partiales habitus, qui sunt veræ & simplices qualitates: omne enim compositum ex aliquo simplici & indiuisibili coalescit, ne abeatur in infinitum. Modus etiam loquendi vulgaris quo dicimus vnam scientiam, vnam Logicam, vnam temperantiam, non officit, neque enim significamus vnitatem speciei infimæ, præterquam quod omnia obiecta istarum infimarum specierum conueniunt tandem in aliqua ratione formali superiori, atque adeo omnes isti partiales habitus vnum veluti totalem constant, coordinatione quidem vnum, & præterea vnitate specifica subalterna, siue vnitate communi inferioribus partialibus habitibus; atque hæc nostra sententia sic explicata vitat omnes aliarum difficultates, neque suis caret authoribus. Nam ipsam Suar. *sect.* 11. *n.* 45. *art.* 56. admittit in habitibus euidentibus intellectus vt scientiis, & in omnibus Aureol. *quæst.* 3. *prologi art.* 4. vbi ponit diuersas temperantias pro potu & cibo atque Fusius Sal. *disput.* 5. *cit. sect.* 1. *num.* 5. probabilem quoque existimat Azor. *lib.* 3. *cap.* 23. *quæst.* 3. & 4. clarè verò affirmat Mendoza *loco nuper adducto*. §. 33. Tolet. *quæst.* 5. *proœmiali Logica Concl.* 2. satisque probata manet aliarum sententiarum confutatione quæ minus commodè hoc augmentum extensiuum exponunt. 15

Quoties igitur in aliquo obiecto nouo exurget difficultas à præcedenti habitu insuperabilis, dari debebit nouus habitus partialis ad illam superandam. Hæc autem insuperabilitas apparet quando ex repetitione eorumdem actuum, & intensione habitus præexistentis non redditur potentia magis propensa ad nouum obiectum. Non est verò quod probem nouas oriri difficultates circa obiecta materialia, licet subsint eidem motiuo, & rationi formali; nam quando nihil aliud esset illa ipsa difficultas quam admittebat Suar. ob diuersitatem boni sensibilis, refunditur in voluntatem, quæ quamuis foret expedita ad Varios actus ex natura sua, nihilominus propter Sympathiam & coniunctionem cum corpore, participat difficultates potentiarum corporearum ob multiplicitatem sensibilium bonorum ad quæ fertur appetitus inferior, & secum abripere nititur voluntatem, quæ dum blandæ illius, & pellacis potentiæ Lenociniis velut incantatur, plurimum laborem in se ipsa frænanda patitur, etiam iuxta idem motiuum virtutis. Adde habitum non specificari præcisè ab eodem obiecto formali à quo actus, alioquin omnes actus essent eiusdem speciei, sed addere nouam conditionem difficultatis, sicut spes differt ab amore, quod supponat arduitatem in obiecto amato. Quoties igitur noua difficultas specifica reperietur in obiecto à præexistenti habitu insuperabilis, toties opus fuerit nouo habitu vel totali, vel saltem partiali. Ex quibus paulo fusius disputatis dicendum est scientiam totalem constare ex pluribus partialibus habitibus, qui ad diuersas specie conclusiones inclinant, quia habitus qui 16

inclinant ad obiecta formalia specie, diuersa non possunt esse eiusdem speciei, cùm ab illo ordine & tendentia specificentur. Atqui ita se habent habitus ad diuersas conclusiones intra eandem scientiam totalem inclinantes: manifestum enim est plures v. g. demonstrationes Physicas esse specie diuersas; quare cum quælibet demonstratio producat suum habitum, quælibet diuersum producet; neque satis est quod respiciant sua obiecta sub vna quadam ratione formali, quia quærimus rationem formalem vltimam, neque etiam satisfacit quod Ruui. *q. 4. proœmiali* respondet concatenationem principiorum ad hanc simplicitatem inuehendam sufficere; quia etiamsi principia aliquam inter se dependentiam habeant, sunt tamen diuersæ speciei, & producunt facultates diuersæ speciei, quia vincunt difficultates diuersas, quare ad speciem infimam & partialem stabiliendam nihil facit quamquam iuuent ad scientiam totalem.

Hæc porrò vnitas veluti specifica scientiæ totalis, quæ constat ex concatenatione plurium habituum, peculiariũ sumitur ex connexione quam habent inter se in ordine ad subiectum circa quod versatur scientia totalis, siue illa connexio desumatur à dependentia, & ordine ad subiectum totale, siue in speculatiuis ab abstractione cuilibet propria, & in practicis ab ordine ad finem, siue à connexione principiorum, quorum alia ab aliis dependeant, siue ex quolibet alio capite, modo illa connexio partialium habituum in ordine ad aliquod subiectum sit illis aliquo modo essentialis, & non merè accidentaria, neque aliud volunt Mendoza & Suar. allati.

17 Hac triplici vnitate scientiæ stabilita & explicata, videndum restat quænam ex illis in scientia nostra Canonica reperiatur. Et quidem quod attinet ad vnitatem integritatis scientiæ, videri poterit scientia Canonica esse incompleta in ratione scientiæ & dumtaxat pars Theologiæ, quæ latius patet & plures partiales habitus continet qui vnam compleant scientiam: nam aduertit Durand. *q. 1. prologi n. 6. 7. 8.* & alij deinceps Theologiam in vniuersum præcipuas facultates complecti, nempè eam qua assentimur principiis reuelatis: deinde eam qua principia reuelata explicantur, defenduntur & probantur, & denique illam quæ ex principiis reuelatis conclusiones deducit, quidni addemus & quartam facultatẽ quæ de operibus Christianis & religiosis disputat, traditque regulas ad diuinum cultum & omnia pietatis officia, circa quæ disciplina Ecclesiastica versatur, & de quibus feruntur Canones; quam Theologiæ partem scientiã Canonicã dicimus. Verùm respondeo istas facultates & habitus non posse conuenire in vnam rationem formalẽ etiam totalem, sed suas habere proprias & distinctas, quæ vnam totalem tanquã eius partes essentiales vel integrantes, conficere non possunt, ac proinde Theologiæ nomẽ illis propriè conuenire non posse. Sed per ampliationem dumtaxat minus propriam quatenus de Deo & diuinis aliqua tandem ratione disputant, quod quatuor illos habitus consideranti statim apparet, nã primus ille quo principiis reuelatis assentimur est ipsissima fides, quam esse vnum habitum cum nostra scientia Theologiæ nemo dixerit, quamuis aliquando à sanctis patribus fides eiusque sermo Theologia nominetur, vt à Cyrilio *lib. 1. adu. Iulian. circa med. vbi.* doctrinam adeo reuelatã & non humano studio quæsitam dicit Theologiam, quod & facit Basili. *hom. 1. in Hexhabem.* Deinde habitus qui principia à Deo reuelata variè explicat & aduersus calumnias defendit, Theologia quidem nec impropriè nominatur à Doctoribus Nyssen. *in vita Mosis* comparat illam monti in quẽ Moses conscendit ad quẽ multitudo conscendere nequit, sed solum ad radices accedere: quia plebei ad fidem quidẽ perueniunt sed non ad sublimiorem illam consummatamq; notitiam. Hic tamen habitus probatiuus & defensiuus articulorum fidei non habet propriè vllam vnitatem formalem ac specificã, sed solum materialem contra quam velit Durand. *q. 4. prologi n. 5. 6. & 11.* & Aureol. *ibid. q. 4. art. 4. prop. 2.* quia vnitas formalis vti sæpius monuimus ex Arist. & S. Th. sumenda est ex principiis & ratione motiua assensus: atqui principia quibus vtitur hæc Theologia, non conueniunt sub vna ratione, cùm sint rationes probabiles Philosophicæ, similitudines, exẽpla, & alia eiusmodi quæ pertinent ad diuersas scientias, neque possunt dare vnam rationem specificam, nisi fortassis coadunentur sub vna aliqua ratione formali superiori quæ hoc loco nequit assignari. Neque dicas cũ Aureolo adunari sub ratione veritatis reuelatæ ad quam explicandam & defendendam assumuntur, quia Ratio sub qua principia sumi debent, vt vnam rationẽ formalem constituant, debet peti ex ipsis principiis, & pertinere ad motiuum assentiendi conclusionibus, quod motiuum in ipsis principiis continetur, quod non continget hoc casu. Nam reuelatio siue veritas reuelata quæ probatur, tenet se ex parte conclusionis quæ probatur, non ex parte motiui quo probatur, quare sub ea reuelatione non adunantur principia ad constituendum vnum motiuum assensus, quia conclusio fingi nequit motiuum assensus sui ipsius in demonstratione; hæc igitur Theologia non habet vnitatem formalem, sed materialẽ tantum, quatenus est de veritatibus complexis fide reuelatis, siue contineantur scriptura Canonica, siue aliunde habeãtur fide diuina, quod idem dicendum de habitu declaratiuo v. g. Scripturæ Canonicæ. Nam ea expositio ex multis diuersisq; notitiis omninò disparatis pẽdet, quæ inter se non cohærent, nisi in obiecto materiali, nimirum ipsa sacra scriptura quam interpretatur. Cum igitur hic habitus Theologicus eo modo sumptus non habeat vnitatem aliquam formalem, vides scientiam Canonicã eius partem integrantem non esse habitûs qui ex principiis reuelatis conclusiones deducit, qui est maximè propriè Theologicus, est quidem vnius speciei infimæ vti demonstrauimus alias initio primæ p. S. Th. verùm eius pars integrans nequit esse scientia Canonica, quæ & ipsa speciei quoque infimæ est, vti ostendam statim, & proinde non potest esse pars integrans alterius scientiæ, quæ est diuersæ speciei infimæ, cum præsertim non conueniant in vna aliqua ratione formali, quod ostendit diuersitas principiorum & motiuorum assentiendi in vtraque illa notitia quæ principia, & motiua vti modo argumentabar, ad scientias disparatas pertinent, vti contingit hoc loco.

Dices scientiam Canonicam plurima Theologica tractare. Eorum indicem benè longum annotatis singulia decreti locis texuit Turrecremata præfatione suorũ commentariorũ in decretum ad Callist. III. P. R. agit nimirùm de Trinitate diuinarum personarum & earũ proprietatibus, de fide, & iis quæ credenda sunt; de spiritus Sancti à Patre & filio processione, de diuina præscientia & prædestinatione, de Angelis, de hominis creatione & lapsu, de Incarnatione verbi, de Incarnati passione, de sacramentis ab eo institutis, de virtutibus Theologicis, & aliis eiusmodi, quæ partem Theologiæ cõprehendunt. Quidni igitur scientia quæ hæc omnia pertractat, dici poterit Theologiæ pars, eiúsq; ambitu contineri? Quia tamen totam illam suã cognitionẽ dirigit ad opus, nimirũ Religionis & diuini ac Christiani cultus honestatẽ atque ad Sanctitatem Ecclesiæ procurandã, mores deniq; Christianorũ cõponẽdos & exornandos est practica scientia vti documus *q. 1. hoc capite.* Itaq; Theologiæ gemina pars constituenda erit, prima cõsistit in Dei rerumq; diuinarũ contẽplatione 18

ex

ex fidei principiis elicita quæ proinde est speculatrix & quam absolutè Theologiam nominamus. Altera verò quæ totam diuinorum cognitionem non nisi ad opus vsurpat, est practica & scientia Canonica dicitur, eò quòd ex illa sua contemplatione regulas & Canones regendæ Ecclesiæ & disciplinæ religiosæ instituendæ condat.

Respondeo in primis hoc eodem argumento concludi posse notitiam hanc Canonicam esse partem Ethicæ, cum vt *ibidem* ostendit Turrecremata totam ferè Philosophiam moralem complectatur, agátque de omnibus virtutibus quæ ad componendos ornandosque Christianos mores conferunt,& omnium hominum conditioni regulâ vitæ, & disciplinæ tribuat, & plurima alia disputet quæ non sunt partes vnius tātum alicuius scientiæ, sed plurium disparatarum ex quibus sua principia & regulas assumit, neque coneuniūt in vna ratione formali Theologiæ,vt videmus.

a. Malè volunt aduersarij scientiam Canonicam esse partem practicam Theologiæ, quæ vnà cum speculatrice vnum habitum scientificum conficiat. Ostēdi siquidem *q.* 1. *hoc capite* practicum & speculatiuum esse in scientiis differentias essentiales, vel talium differentiarū quasdam appendices, quæ simul in eodem habitu scientifico reperiri nequeant, debebunt igitur aduersarij hoc loco agnoscere duas scientias distinctas diuersæ speciei, quarum vna non sit pars alterius, siue integrans, siue subiectiua, nisi fortè faciant suum aliquod genus Theologiæ, quod diuidant primò in Theologiam nostram & beatorum, quæ sine dubio propter euidentiam & ineuidentiam motiui differunt specie ; deinde nostram iterum abstrahunt ab speculatrice quam vulgò,vti monui, Theologiam absolutè nominamus, & distinguant à practica quæ sit scientia Canonica diuersæ prorsus speciei à priori : verùm tunc non erit pars alterius, cùm habeat totam suam & integram essentiam in sua specie completam, atque ita non obtinent, quod quærebant aduersarij nimirum scientiam Canonicam non habere integritatem & vnitatem rationis formalis scientiæ, sed esse partem integrantem alterius, nimirum Theologiæ. Adde idem dici posse de Christiana iurisprudentia ciuili, quam eodem modo facerent partem practicam Theologiæ, quandoquidem plurima Theologica vt de summa Trinitate, fide, baptismo, hæreticis & aliis similibus tractat, vt videbis in Codice Iustinianeo & Theodosiano.

19 a. Videri poterit hæc scientia Canonica pars dumtaxat moralis Philosophiæ & cum ipsa vnam specie conflare scientiā, quod videtur sentire Turrecremata *in proœm. Decr.q.*3. vbi illā vult partim Ethicæ partim Theologiæ supponi & subalternari. Verùm de subalternatione *q.proxima*,dicemus,nunc de ratione partis, quam negamus conuenire scientiæ Canonicæ respectu Philosophiæ moralis,quamuis enim & ipsa de moribus disputet & suam cognitionem ad sanctitatem dirigat, non tamen vna , & eadem scientia cum illa est, aut eius tantum pars : cum alium longe, eumque nobiliorem finem habeat quam Philosophia Ethica. Finis autem in practicis , quod initio monuimus & *cap.*2. *q.*1. est obiectum formale , quod cùm sit diuersum in istis notitiis , vna non potest esse pars alterius in ratione essentiali & constitutiua. Deinde notitia Canonica habet plurima diuersa principia, & motiua assentiendi quæ etiam superiori lumine cognosci debent,vt patet,cùm sæpius procedat ex reuelatis ; vnitas autem scientiæ ex vnitate principiorum & motiui assentiendi sumi debet,quod iam sæpius ex Aristot. & S.Thom.monemus. Vides autem principia assentiendi & motiua quæ & materialiter & formaliter naturalia sunt in morali Philosophia non posse conuenire in vnam rationem formalem cum principiis, & motiuis assentiendi scientiæ Canonicæ quæ materialiter saltē sunt supernaturalia superiorique lumine sæpius indigent. Itaque scientia Canonica & Philosophia moralis non possunt in vnam formalem scientiam conuenire, vt vna sit pars integrans in ratione scientiæ alterius, sed quamlibet habere suam scientiæ rationem in se completam , & integram; possunt tamen habere idem nomen Analogicè commune cùm vtraque circa mores instituendos versetur , sed longè diuerso modo , fine, principiis , & rationibus qua eadem ratione distingui debet notitia Canonica à Ciuili iurisprudentia , quæ licet vtraque Rempublicam etiam Christianam instituat , & legibus temperet ac proinde vnam tantum scientiam,& artem constare dici possent quæ ex duabus notitiis coalesceret , quarum neutra esset in se completa,sed pars iurisprudentiæ, vnaque sacra altera ciuilis diceretur , cum tamen & fine atque adeo obiecto formali & principiis , & lumine & mediis prorsus differant, in vnam, quod toties dixi rationem formalem conuenire non possent sed singulæ ti scientiæ sunt completæ omninò in ratione scientiæ sunt, & non pars aut compars alterius.

Ex quibus tandem omnibus demonstratur à priori 20 ista vnitas & integritas scientiæ Canonicæ in ratione scientiæ. Nam nulla scientia quæ speculatur, & considerat omnes passiones aut veritates demonstrabiles,de aliquo subiecto sub vna ratione formali, & cæteris scientiis non communi habet rationem partis integrantis alterius, sed est omninò completa in genere scientiæ : id verò totum conuenit nostræ scientiæ Canonicæ. Completam igitur & integram Rationem scientiæ continet : maior manifesta videtur ex ipsis terminis , quia scientia non potest dici partialis, siue pars integrans , nisi quia non agit de toto aliquo obiecto scibili; sed aliqua tantùm eius parte,siue integrante,siue subiectiua,vti *n.*1. diximus; siue non agit de omnibus passionibus alicuius subiecti cognoscibilibus sub vnica ratione formali scibilitatis,cùm enim non adæquet sua cognitione totam scibilitatē subiecti sub illa vna ratione formali,sed vnam tantū eius partem attingat, non potest esse nisi scientia partialis : Quoties verò cognoscit & speculatur omnes veritates demonstrabiles de aliquo subiecto scibili,idque sub vna ratione formali, cæteris non communi adæquat totam scibilitatem subiecti sub ea ratione formali scibilitatis,& non solùm agit de aliquibus partibus seorsim sumptis, sed de toto subiecto,& eius partibus eorúmq; proprietates considerat ; non potest igitur habere rationē solius partis integrantis in genere scientiæ; quæ erat prima propositio nostri syllogismi.Eiusmodi verò esse scientiam Canonicam inde ostenditur, quòd nulla possit assignari veritas de Religione,& diuino cultu , aut sacris quibuscumq; actionibus ad diuinum cultum ex principiis reuelatis cognitū , & debitum ad dirigendum, per attributionē pertinentibus demōstrabilis,quæ non spectet ad cognitionē scientiæ Canonicæ,quamque ipsa non consideret,ex illaque opus Religionis dirigat,neque id sibi vlla alia scientiā tanquā propriè deposcit.Nam si alia scientia quampiā ex his veritatibus de Religione diuina,& aliis ad illum pertinentibus consideret,id non facit sub eodē lumine neque ex iisdē principiis & motiuis,neq; ex eodē fine, vt patet. Alioquin cognitio quam ipsi etiā Ethnici lumine naturali de cultu diuino & religione habuere, eiusdem rationis & speciei cum ea, quam Christiani habent & ex qua diuinum cultum instituunt , censeri deberet,quod nemo, opinor,existimarit,& tamen plurima materialiter communia habent istæ cognitiones, sed quia diuersa principia, & fines habent formaliter & toto genere sæpius diuersæ sunt.

2. Vna scientia totalis & adæquata correspondet vni obiecto scibili perfecto & integro in genere scibilis, atqui nostra scientia Canonica respondet omni veritati scibili de diuina religione per lumen fidei & diuinæ reuelationis, ergo est integra in ratione scientiæ,& non incompleta : maior manifesta videtur & probatur ab Aureolo *q. 4. prologi art.* 1. Nam sicut se habent conclusiones ad esse scibile, ita & habitus earumdem conclusionum ad esse scientiæ , quare conclusiones sunt partes vnius scibilitatis integræ atque perfectæ , ideoque qualibet ipsarum, si non sit completa obiectiua , habitus ab ipsis productus non erit etiam integer in ratione scientiæ ; si autem ex parte obiecti sumatur integra, & adæquata scibilitas conflata ex veritatibus omnibus de illo subiecto sub propria ratione formali cognoscibilibus, habitus ei adæquatè respondens, erit integer & perfectus in ratione scientiæ. Minor verò primi nostri syllogismi æquè euidens est , cùm scientia Canonica disputet de omnibus omninò, quæ ad Religionem , diuinum cultum, omnia sacra, & disciplinam Ecclesiasticam quoquomodo pertinent, sub vna ratione formali Religionis ex diuina reuelatione & lumine fidei in lege Christiana debitæ; habitus igitur qui totam istam sui obiecti scibilitatem adæquat , integer & perfectus in ratione scientiæ existit.

21 Secunda vnitas scientiæ , est vnitas & indiuisio in plures species infimas scientiæ : est verò scientia Canonica vna & simplex specie infima : quod enim magno consensu concedunt DD. quos enumerat & sequitur Gilli. *lib.1. tract. 6.cap.1. n.8.* de Theologia, esse vnam speciem infima, id ipsum potiori iure concessissent de scientia Canonica , si de ea controuersiam excitassent : Nos verò facilè demonstramus, quis scientia illa habet vnitatem specificam, & non genericam dumtaxat , cuius subiectum in ratione scibilis habet vnicum modum specificum mouendi potentiam , & terminandi eius actus : id verò habet scientia Canonica. Maior probata fuit *superius* vbi ostendimus vnitatem specificam scientiæ petendam esse à specie scibilitatis , quæ complectitur rationem formalem *quæ , per quam & sub qua* ex quibus tribus exurgit tandem tota scibilitas, quæ est certa quædam perfectio obiecti per quam modo sibi peculiari monet potentiam , qui modus cognoscibilitatis non est communis cæteris obiectis. Quæ scibilitas obiectiua quoties vna est specie infima , quia nulli alij obiecto communis est , neque plures alias scibilitates tanquam partes subiectiuas continet, vnam speciei infima notitiam constituit, vel terminat. Quod ipsum dicunt S.Thom. & Aristoteles dum ad vnitatem scientiæ postulant vnitatem subiecti, & principiorum ad quæ conclusiones tandem reducantur, eaque prima principia ordinariè sunt definitiones subiecti & primæ passionis : quare subiectum scientificum proprias & cum nullo alio ente communes passiones habere debet , vti obseruat Aristoteles. Nam si aliis quoque subiectis communes sunt , plures scientias terminabunt, aut vnam sed genericam. Sic de quantitate sunt plures species scientiarum Mathematicarum ; de qualitate verò nulla est specialis scientia,nisi de figura quatenus modus quidam quantitatis est : quia quantitas à materia sensibili abstracta habet proprias passiones , non verò qualitas quæ est passio entis mobilis, atque etiam separatæ subiecta; quare terminat Philosophiam naturalem, & Metaphysicam. Neque sufficit quòd subiectum scientificum habeat proprias passiones , vt vnam separatam & diuersam speciei scientiam constituat : nam homo passiones sibi cum nullo alio ente corporeo communes habet, & tamen non constituit vnam scientiam sed partialem Philosophiæ naturalis. Est igitur opus vt præterea habeat modum proprium mouendi cognitionem siue propriam scibilitatem, quæ adæquatè attingatur à scientia. Iam verò scientiam Canonicam habere proprium scibile, quod adæquatè attingat, quæ erat minor primi nostri syllogismi , patet ex omnibus quæ de obiecto huius scientiæ diximus *cap. 2. q. 1.* est enim actio religiosa vel ipsa religio & diuinus cultus, quæ & passiones demonstrabiles habet & propriam rationem formalem *quæ, per quam & sub qua* consideratur , & attingitur : atque adeò propriam scibilitatem , quam totam & adæquatè attingit scientia Canonica quæ idcircò vna est specie infima.

Restat tertia scientiæ vnitas , quæ est entitatiua & excludit pluralitatem partialium habituum , qui ad obiecta materialia diuersa inclinent, estque simplex vna qualitas. Hanc vnitatem *superius* rejecimus à scientia totali, & modo à scientia Canonica remouemus propter illas ipsas rationes , propter quas in scientia totali habituali eiusmodi vnitatem, vel simplicitatem entitatiuam negauimus quas facile fuerit huic notitiæ peculiari accommodare ; neque necesse est nouas in hanc causam adducere, vel inquirere. 23

QVÆSTIO IV.

An scientia Canonica sit alicui subalterna.

Quid sit subalternatio scientiarum. num. 1. 2. & 3.

Conditiones propriæ subalternationis. n.4. & 5.

An scientia Canonica alicui alteri subalternetur. n.6.

Variæ sententiæ. ibidem.

Eligitur sententia negans & probatur. n.7. 8. & 9.

Impropria tamen eius aliqua subalternatio conceditur. n.10.

An sit pars aliqua Theologiæ. n.11.

An Moralis Christianæ n.12.

VNam scientiam alteri subalternari, id est sub altera collocari certum est: quod tribus modis fieri potest vti obseruat Durand.*q.7.prolog.* Primò quidem ratione finis,quando finis vnius est sub fine alterius ; quod duobus etiam modis contingit. Primò practicè dum scientia superior assignat finem inferiori; qua ratione frænofactiua subalternatur equestri , & equestris militari *ex lib 6. Ethicorum.* Secundò speculatiuè quando superior finem inferioris contemplatur , nullo tamen in eam imperio : sic Ethica subest Physiologiæ,quæ disputat de intellectione, in qua hominis fœlicitatem collocat Ethica. 1

2. Subalternatio fit ratione principiorum. Quia principia vnius scientiæ probantur à superiori ostensiuè : sic chirurgica subalternatur Geometriæ,quia illud principium Chirurgicū,vulnera circularia difficiliùs coharent, & sanantur,demonstratur à Geometria, ex eo quòd latera circuli,cùm longiùs distet,difficiliùs coalescunt. 2. Principia inferioris probantur à superiori per deductionem ad impossibile. Sic Arithmetica principium illud Geometricum , diameter nequit commensurari costæ , demonstrat , quia sequeretur vnitatem 2

vnitatem commenſurari numero. Hunc verò ſubalternationis modum ſolum eſſe proprium exiſtimat Caietan. 1. *part. quæſt.* 1. *art.* 2. & Valent. *ibidem diſp.* 1. *quæſt.* 1. *punct.* 3. §. 2. Verùm ſi ſola ſit eiuſmodi ſubordinatio principiorum, non ſufficiet: nam eiuſmodi dependentia oritur ex ſubordinatione obiectorum, ex
2 eo enim quòd ſcientię habeant obiecta diuerſa, habent & principia diuerſa. Primum ſiquidem Principium eſt natura obiecti, aut ſaltem prima proprietas ab illo fluens, vt obiectum eſt.

3 Tertia ſubalternatio contingit ratione ſubiecti, vel obiecti, quando obiectum vnius eſt ſub obiecto alterius, quod contingere poteſt dupliciter, 1. Eſſentialiter ſi ſubiectum inferioris ſcientiæ ſit ſpecies obiecti ſuperioris, quo caſu nulla eſt ſubalternatio, nam eadem ſcientia diſputat de genere & ſpecie, de animali, & equo ac homine, vt monet Vaſq. 1. *p. diſp.* 6. *num.* 8. Et accidentaliter quando notitia inferior reſtringit obiectum ſuperioris aliquo accidente, atque hæc eſt vera & legitima ſubalternatio, quam ſic definies. Subalternatio eſt dependentia inferioris ſcientiæ à ſuperiori ſecundum obiectum, quod à ſuperiori recipit, differentia tantum accidentali contractum, & ſimul habet pro principiis concluſiones ſuperioris. Scientia ſuperior dicitur ſubalternans, inferior ſubalternata, quæ demonſtrat proprietates ortas ex ſubiecto ſuperioris alicuius ſcientiæ, differentia accidentali contracto per principia, quorum veritas à ſubalternante demonſtratur. Ex quibus conditiones veræ, & propriæ, ſubalternationis colliges de quibus plura Gilii. *lib.* 1. *tractat.* 6. *cap.* 5. 1. Eſt vt ſubalternans, & ſubalternata habeant idem obiectum materiale & formale; quod probatur ex Ariſtotele qui *primo libro poſteriorum* cùm negaſſet tranſitum inter ſcientias quæ habent diuerſa obiecta illum conceſſit in ſubalternis, quod in ipſis ſit idem quodam modo obiectum.

4 2. Conditio eſt, vt obiectum ſubalternantis contrahatur aliqua differentia accidentali à ſubalternata probatur ex Ariſtotele *lib.* 1. *poſterior. text.* 30. Ait enim ſubiectum ſcientiæ ſubalternæ debere eſſe alterum, id eſt non omnino idem, ſed aliquo modo diuerſum, nam ſi eſſet omninò diuerſum nulla eſſet ratio cur vna ſubalternaretur alteri: ſi omninò idem, eſſet vna eademque ſcientia non duplex: hæc autem differentia accidentalis non debet eſſe proprietas aliqua obiecti immediatè ab ipſo fluens, ſed extranea aut, vt alij loquuntur, determinatio diſtrahens, quæ ſcilicet non ſiſtat intra fines ſubalternantis, & eius obiecto nouam ſcibilitatem conferat.

3. Conditio eſt vt ex illo obiecto ſic contracto noua ſcibilitas oriatur & abſtractio, ac denique nouæ proprietates, quæ neque à ſolo accidente contrahente, neque à ſolo obiecto contracto orirentur, ideo de linea alba vel nigra non datur noua ſcientia, ſed de linea viſuali, quia ex ea pullulant quædam peculiares paſſiones, quæ ex linea nigra vel alba non oriuntur. Hæc tamen noua conditio non affert nouam abſtractionem ſimpliciter obiecto, ſed tantum illud veluti fermentat addita quadam mixtura abſtractionis alienæ. Sic viſuale abſtrahit aliquo modo lineam à Geometrica abſtractione, & ei aliquid de Phyſica adijcit, ſenſibilitatem nempè ſiue viſualitatem, quo ſenſu dixit Ariſt. *lib.* 2. *Phyſico. text.* 20. perſpectiuam conſiderare lineam quatenus naturalis eſt quod eius videlicet abſtractio iam non ſit purè Mathematica, ſed quodammodo vergens ad Phyſicam. Neque dicas non dari ſcientiam de ente per accidens, cuiuſmodi eſt obiectum ſcientiæ ſubalternatæ ex nobis. Reſpondeo enim differentiam accidentalem contrahentem obiectum ſcientiæ ſuperioris & ſubalternantis non eſſe accidens obiecto in ratione ſcibilis, & obiecti, ſed tantum in ratione entis & rei.

Quarta conditio ſubalternationis eſt, vt ſcientia ſubalternata non probet ſua principia, ſed accipiat probata à ſubalternante ſic perſpectiuus hanc concluſionem, obiectum viſibile quo remotius eſt, eò minus apparet, probat principio Geometrico apud Euclidem *lib.* 1. *propoſit.* 21. duorum angulorum ab eadem baſi procedentium, ille minor eſt, qui longius diſtat. Hinc opticus ſic argumentatur, quæ ſub minori angulo videntur, minora videntur, ſed quæ longius diſtant, ſub minori angulo videntur: ergo minora videntur. Aduerte tamen hanc dependentiam principiorum talem eſſe oportere, vt principia in vna ſcientia immediatè probentur, quæ deinde tanquam probata aſſumat altera, neque ſufficit quod vna clarius altera obſcurius cognoſcat, ſi vtraque ea immediatè demonſtret. 5

Hinc Ruui. *tract. de ſubalternat. num.* 38. Suar. *diſp.* 1. *Metaph. ſect.* 5. *numero* 25. dicunt ſcientiam ſubalternatam eſſe tantum ſcientiam quadam continuatione cum ſubalternante, & nullam habere intra proprios terminos, & limites demonſtrationem à priori, ſed tantum à poſteriori ſiue *Quia*: quandoquidem, ſua principia vt alibi probata aſſumit, indeque ſequitur practicam non poſſe ſubalternari ſpeculatiuæ, neque ſpeculatiuam practicæ. Quia non poſſunt continuatione fieri vna, neque habere obiecta accidentario tantum diuerſa.

Dices ex Ariſtotele *lib.* 1. *prior. cap.* 10. mechanica ſubalternantur ſtereometriæ, id eſt illi parti Geometriæ quæ corpora ſolida ſpeculatur, ergò ſcientia practica ſubalternari poteſt ſpeculatiuis.

Reſpondeo duplicem eſſe ſtereometriam, vna eſt practica, altera ſpeculatiua, de priore loquitur Ariſtoteles: illa etiam aliquando quædam principia ſpeculatiua mutuatur, quia quandoque affines ſcientię quodam veluti iure vtuntur, & inuicem ſibi commodant accipiuntque ſua principia.

Dices 2. Medicina practica eſt, & tamen ſubalternatur Phyſicæ, quam ſpeculatiuam eſſe conſtat. Reſpondeo duo in medicina reperiri. Primum eſt cognitio corporis humani, herbarum, lapidum & eiuſmodi aliorum, quorum virtutes inquirit: Eaque cognitio prorsùs Phyſica eſt. Secundum ſunt præcepta de componendis exhibendiſque Pharmacis, hæc cognitio partus quidam Phyſicæ eſt; nam ex eo quod cognoſcit corporis humani variam temperiem, hunc illumve morbum ex talis humoris abundantia naſci, & qua vi polleant herbæ, cæteraque medicamenta, iubet hoc Pharmacum ſic parari ad hanc qualitatem retundendam, exhalandam, vel amollendam: vnde colligitur tantum impropria quædam ſubalternatio, ex eo quod ſcientiæ ſpeculatiuæ & practicæ ſe ſe mutuò iuuent, ſed de ea non diſputant Philoſophi, ſicut neque de partiali quàm inter concluſiones practicæ & ſpeculatiuæ ſcientiæ inueniri poſſe non negarim. Agimus verò hoc loco de vera & propria atque totali ſubalternatione, quærimuſque an ſcientia Canonica, quam explicamus ſubalternans vel ſubalternata ſit, an verò vtraque illa conditione careat.

Et quidem Turrecremata *quæſt.* 4. *in proœm.* illam partim Theologiæ, partim morali ſubalternari cenſuit, eo quod quaſdam concluſiones reſoluat in principia ſcientiæ moralis, vt conſtat ex his quæ de Iuſtitia differit, alias autem concluſiones dependenter 6

à Theologia colligat, vt ex his quæ tradit de diuinis deque ipsamet Religione, quæ eius finis est, statim apparet.

Hi adde ex communi DD. sensu iurisprudentiam subalternari morali Philosophiæ ita Salas. 1. 2. *tract.* 14. *initio* vbi adducit Tullium. *lib.* 1. *de legibus* qui ait iuris disciplinam ex intimis Philosophiæ visceribus hauriendam esse: idem censet Piccolom. *in introduct. cap.* 10. Ange. *lib.* 2. *de virtutibus in prologo* qui, alijque volunt rationem ferendarum legum ex disciplina morali petendam esse, & qui eius rudes, iuri ciuili addiscendo incumbunt, perinde facere ac eos qui itineri se dant nullo sibi viæ termino & fine præscripto, vel qui riuulum neglecto fonte sectantur. Et quia scientia subalternata si per se se sumatur, & absque continuatione ad scientiam subalternantem à qua sua principia, vt loquitur Seneca *ep.* 88. mendicat, scientia non est, ita neque iurisprudentiam à morali Philosophia seiunctam nomen scientiæ mereri aut retinere posse, quod idem ex iuribus confirmat Constantinus Rogerius *tractat. de summo bono in præf. n.* 1. *&* 2. Soto *q.* 3. *præmial. Logicæ*. Atqui sæpius diximus scientiam Canonicam esse sacram iurisprudentiam: Igitur sacræ & Christianæ morali, quæ pars quædam Theologiæ est, subalternabitur.

7 Existimarim tamen scientiam Canonicam neque Theologiæ neque morali etiam sacræ, & Christianæ propriè subalternari. Ratio ex superius disputatis euidens est, quia ad veram & propriè dictam subalternationem scientiarum requiritur, vt scientia subalternata habeat quidem idem subiectum cum subalternante, sed illud aliqua differentia accidentali contrahat, ex qua contractione nascantur nouæ quædam passiones, & noua scibilitas. Deinde debet scientia subalternata habere pro suis principiis conclusiones scientiæ subalternantis, in cuius prima principia tandem fit tota & vltima resolutio, & denique scientia subalternata non est scientia nisi continuatione quadam cum subalternante, quæ singula ex Aristotele, S. Thoma, & communi DD. superius probata sunt. Non reperiuntur verò ista in scientia Canonica respectu sacræ Theologiæ, & moralis Christianæ. Nam in primis non habet idem subiectum cum illis, quod differentia accidentali contrahat. Theologia siquidem vti docuimus 1. *p.* habet primarium, & adæquatum obiectum Deum vt Deum; at verò scientia Canonica diuinum cultum, quæ duo obiecta maximè differunt, vt vides, neque posterius contrahit prius: moralia verò Christiana habet pro obiecto, & fine honestam actionem Christianam, at verò scientia Canonica honestatem diuini cultus & Religionis, & si lubet omnia sacra. Omnis autem actio virtutis & honesta, sacra & Religiosa non est, si propriè loquamur, ac proinde hæc duo obiecta diuersas constituent scientias quarum vna non subalternabitur alteri. Sicut enim Geometria & Arithmetica constituunt duas species Mathematicæ non subalternatas inter se, quamuis vtraque consideret quantitatem, ideóque sub genere Mathematicarum comprehendātur. Quia vna considerat quantitatem discretam, altera continuam, neque vna contrahit obiectum alterius, licet quælibet vnius obiecti generici partem subiectiuam attendat. Licet igitur honestas Religionis sit species actionis honestæ, non idcircò notitia quæ honestatem Religionis speculatur, subijcitur illi scientiæ quæ vel de honestate tantum virtutis in vniuersum disputat, vel de aliqua certa eius specie. Sicut licet Metaphysica disputet de ente & de eo tradat principia vniuersalissima, non est tamen subalternans respectu cæterarum omnium scientiarum inferiorum, quæ nequidem eius species dici solent, aut possunt; ita licet moralis consideret in vniuersum actionem humanam honestam, non propterea scientia quæ honestates aliquas particulares, quæ & naturas specificas habent diuersas, & differentes scibilitates, dici poterunt subalternæ illi scientiæ vniuersali de honestate & & turpitudine actionum humanarum. An verò dici queant partes subiectiuæ statim monebo.

8 Quod attinet ad principia quæ à subalternante scientia probata mendicat subalternata, scientia quidem Canonica resoluit suas conclusiones sæpius in principia reuelata, sed illa vt vides mutuatur à fide & licet illorum explicationem, intelligentiam & defensionem accipiat à Theologia non propterea dici potest illi subalternari, sicut neque aliis scientiis naturalibus à quibus & probationes, & rationes mutuatur, alioquin ipsa etiam Theologia pluribus eiusmodi scientiis subalternabitur, immò & omnes scientiæ naturales Theologiæ subalternabuntur, cùm ab illa lucē ad veritates naturales prius nobis ignotas hauriamus, vt de existentia accidentium sine subiecto, & aliis plerisque constat. Supponit igitur scientia Canonica principia reuelata pleraque, & alia tum à Theologia tum ab aliis quibusdam scientiis probata, sumat ad suas conclusiones demonstrandas; neque propterea ipsis subalternatur, vt enim hæc principiorum ab alia scientia mutuatio subalternationem arguat, debent esse prima principia obiecti illius, quæ sunt definitio vel prima passio illius quæ à subalternante scientia demonstrata fuit.

Quod autem dixi de principiis quæ scientia Canonica mutuò accipit aliquando à Theologia, idem dicendum est de iis quæ etiam accipit à morali ex quibus non poterit quoque argui subalternatio; quamquam vix vlla alia principia possit accipere à morali nostra scientia Canonica, quam ea quæ spectant ad naturam honestatis in vniuersum, aut etiam naturam singularem virtutum: eam enim notitiam supponit vt eam deinde diuino cultui & Religioni aptet atque ad finem supernaturalem ordinet, quod non sufficit ad subalternationem, alioquin non modo scientia Canonica sed ipsa etiam Theologia quæ *in* 2. *parte S. Thomæ*; de virtutibus & vitiis tum in vniuersum tum in singulari disputat, subalternaretur morali etiam Aristotelicæ à qua tum naturam, & definitionem vitiorum & virtutum tum actus, & proprietates mutuatur.

9 Denique requirebam ad subalternatiuas ex communi DD. sensu vt scientia subalternata sit duntaxat scientia continuatione quadam cum subalternante, à qua si diuelleretur, scientia non foret: quæ conditio non reperitur in scientia Canonica respectu Theologiæ & Philosophiæ moralis; cùm enim scientia Canonica habeat subiectum diuersum ab illarum subiectis, illudque habeat passiones demonstrabiles, vti ostendimus *cap.* 2. *q.* 1. & sæpius indicauimus *toto isto capite*; statim apparet ipsam esse distinctam & diuersam scientiam ab illis & non tantum continuatione quadam cum ipsis, cùm omnia quæ ad constituendam singularem vnam scientiam necessaria sunt, contineat: quod fusissimè docuit *cap.* 4. *superiori*.

10 Non negarim tamen scientiam Canonicam dici posse aliqua ratione minus propriè subalternari tum Theologiæ tum Philosophiæ morali, neque aliud voluisse videtur Turrecremata, quæ enim affert de iis quæ Philosophia moralis ad ornandos mores tractat, sicut & scientia Canonica, quæ etiam attingit plurimas

materias

materias de quibus agit Theologia, probant dumtaxat communionem aliquarum materiarum inter illas, ex qua affinitate, subalternatio quædam impropria fingi poterit, impropria, inquam, quia cum eiusmodi affinitas inter omnes ferè scientias & artes reperiatur; sapienter enim dixit Tertullian. *lib. de idololatria nulla ars non alterius artis aut mater aut partus est*, inter omnes etiam concedenda erit ea subalternatio, & ea quæ suppeditabit alteri materiam, dicetur subalternans sed admodum impropriè vt vides.

11 Dici etiam posset scientia Canonica, esse pars quædam tum Theologiæ tum moralis Christianæ: Theologiæ quidem quatenus ipsa non modo Deum tanquam primarium obiectum respicit, sed etiam quidquid per attributionem ad illum pertinet, siue Ens diuinum vt multis ostendit Gillius. Diuinus autem cultus & Religio ad Ens diuinum reduci potest, atque adeò partem quandam materialem Theologicæ considerationis constituere, quæ pars dicetur scientia Canonica, cum eo tamen discrimine quod consideratio Theologica speculatiua est, Canonica verò omninò practica, atque adeo à Theologica ita distincta vt in vnam scientiam conuenire non possint: quare non nisi impropriè pars Theologiæ dicetur, nisi vti alias monui Theologiam sumamus latiùs pro sermone quocumque de Deo, rebus diuinis, & faciamus genus quoddam analogum ad sermones & considerationes speculatiuas & practicas quæ deinde in suas species sub diuidantur.

12 Quod attinet ad philosophiam moralem Christianam, eius pars dici non omninò malè poterit scientia Canonica, eadem ratione qua iurisprudentiam partem eiusdem philosophiæ dicunt Aureol. 4. 1. *prologi in respons. ad obiecta 4. loco Bann. in prologo ad quæst. de Iustit. & iure conclus.* 2. Baptista Posseuin. *dialogo 4. de honore* innuitque Aristot. dum *lib. 10. Ethicor. sub fin.* ait ad scientiam moralem pertinere rationem ferendi leges, cum ex eodem habitu quo legislator legem fert iurisconsultus pronunciet quid hic & nunc siue in singulis circunstantiis ex eadem lege faciendum sit. Cum verò scientia Canonica, sacra quædam iurisprudentia sit quod sæpius monuimus, quidni & pars sacræ philosophiæ moralis dicetur? Exponit enim nobis & sacræ politiæ regulas & disciplinæ ecclesiasticæ canones, quid ex illorum præscripto in singulis actionibus præstandum appareat, Quare moralis Christiana, qua parte sacra considerat & attendit, scientiam Canonicam hoc est cognitionem sacrorum canonum, & regularum circa actiones, personas & res sacras complectetur.

QVÆSTIO V.

De dignitate, & vtilitate scientiæ Canonicæ.

Vtilitas & necessitas scientiæ Canonicæ 1. 2. 3. *Eiusdem dignitas* 4.

1 VTilitatem scientiæ Canonicæ negarunt pauci quidam apud Turrecremata *in proœm. decreti. q. 1.* Volunt enim philosophiam naturalem, & sacram scripturam sufficere ad hominis perfectionem; atque adeò omnem aliam esse inutilem & superfluam. Nam philosophia instruit intellectum & affectum maximè cum scriptura diuina & virtutum exempla suppeditat ad mores informandos, quod si præterea necessaria sit aliqua alia scientia, Theologia de fide & Religione subtilius diffusiúsque quàm scientia Canonica disputat, ciuilis autem iurisprudentia dirimendis litibus dijudicandísque controuersiis satis superque erit.

2 Verùm huius nostræ scientiæ Canonicæ non vtilitatem modo sed & necessitatem probat Turrecremata *loc. cit.* 1. Ad damnationem hæresum & fidei expositionem & tuitionem quam Concilia generalia tradunt in suis canonibus quos scientia Canonica exhibet, & explicat 2. Valde ad morum informationem, tradit enim præcepta ad Religionem, pietatem, & sanctimoniam omnem atque diuinam humanamque iustitiam 3. facit ad distinctionem & ordinem & graduum & Ministrorum Ecclesiæ, quæ cum domus Dei sit ordinata esse debet, omnesque lites & contentiones quas vel effrenis cupiditas vel honorum ambitio posset excitare, præscindere debet, quod scientia Canonica regulas & dispositiones singulorum graduum & ordinum præd finiens præstat neque vlla alia scientia perfectam doctrinam ordinum & officiorum Ecclesiasticorum tradit 4. Denique confert ad plurimas quæstiones resoluendas quæ inquit Turrecremata in constitutionibus Pontificum sunt apertæ & illucidatæ.

3 Quæ afferebantur ab aduersariis nihil omninò efficiunt: falsum enim est philosophiam perficere intellectum humanum sufficienter, cum non excedat cognitionem naturalem eamque pluribus obnoxiam erroribus, relinquit ideóque indigemus & Theologia & scientia Canonica quibus instruamur circa Dei notitiam & eius cultum ac Religionem. Sacra verò scriptura morum quidem illustria tradit exempla, atque etiam regulas vniuersales, quid verò in singulis actibus tenendum sit, & quid ad singulos gradus, officia & ministeria nouæ legis seruandum sentiendumve sit, non explicat, quod tamen distinctè tradit scientia Canonica: quod etiam Theologia subtilius fusiusque disputet de fide, de sacramentis aliisve de quibus agit scientia Canonica non propterea ista inutilis censenda est, tum quia de pluribus aliis tractat de quibus Theologia silet, tum quia illa ipsa tractat alia ratione quam Theologia quæ in vna veritatis contemplatione sistit. Canonica vero inquit Turrecremata in ordine ad actionem regiminis, & occurrentium quæstionum nimirum singularium casuum solutiones & Christiani populi quietem intendit: denique sicut licet iurisperitiam definiat Vlpian rerum diuinarum humanarumque notitiam, non tamen Theologiam antiquam existimabat esse superfluam, voluit enim dumtaxat Iurisconsultum diuinas humanasque res aliquatenus nosse, exactè verò scite iustum iniusto quid intersit, qua ratione etiam Quintilian. oratoria vitam cum rerum humanarum diuinarumque scientia coniunctam esse dixit, hoc est neque eam scientiam plenè possidere neque eius plane exortem esse. Sic doctor canonicus neque Theologiæ rudis esse debet, non tamen apprime eam callere, & non nisi quantum ad disciplinam ecclesiasticam tuendam regendamque necessarium est, denique quod volebant scientiam ciuilem sufficere ad sedandas lites, & diiudicandas controuersias, atque adeo Canonicam videri superfluam, sapienter responder laudatus Cardinalis in scientia ciuili *nec diuinorum ministeriorum dispositionis doctrinam, nec dubiorum fidei declarationem, nec ecclesiasticorum determinationem sufficienter tradi*, &c. si quæ eiusmodi tradat, illud à sanctorum patrum canonibus & Ecclesiæ doctrina mendicare, ideoque ad pleniorem horum omnium notitiam comparandam necessariam esse scientiam Canonicam.

His omnibus addó eam ipsam vtilitatem quam fidei explicandæ, tuendæ, ornandæ, & propagandæ & toti denique Ecclesiæ confert Theologia, vti differit

S.Thom. 1. *part. q.* 1. *art* 1. Vaſq. *ibidem diſp.* 1. *&* 3. aliique commentatores & fuſius Gillij. *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 2. cæteriique paſſim aduerſus nouatores, qui ſcholaſticam, & vt ita dicam bellatricem Theologiam quam ſibi infenſam experiuntur, probris appetunt, & ex orbe chriſtiano exulare vellent, eandem inquam quoad mores & diſciplinam ſacram conferre Eccleſiæ ſcientiam Canonicam, quæ proinde non habuit alium ortum quam Eccleſiæ incunabula: nam & in lege veteri erat ſcientia præceptorum circa ſacra & cærimonias, & iudicia, quæ præcepta erant ſine dubio canones & regulæ earumque peritia ad ſynagogæ & veteris Eccleſiæ regimen omninò neceſſaria erat. Quare vbi in aliquo caſu non conſtabat de aliqua eiuſmodi regula, aut de eius mente conſulendus erat ſummus Pontifex qui ipſos explicaret & diuinum oraculum ſollicitaret, aut ſapientes & DD. inquirendi erant; ipſo verò ſtatim naſcentis chriſtianæ Eccleſiæ exordio, cum leges de diſciplina eccleſiaſtica conſtitutæ fuerint, vt conſtat ex prohibitione comedendi ſanguinis & ſuffocatorum, aliiſque, neceſſaria fuit in miniſtris Eccleſiæ notitia canonum illorum, quam & plebi traderent vt ſancitas leges ſeruarent. Sanè quod ab ipſo naſcentis alicuius Reipublicæ ortu conſtitutum fuit, perpetuóque ſeruatum fuit inutile cenſeri non debet, ſed omninò neceſſarium. Denique ſicut nulla vnquam Reſpublica ſine certis quibuſdam legibus conſtitit, ita neque ſine illarum legum notitia exquiſita, quam peritiores aliqui ſibi compararent, & alios docerent, cum enim vt dicemus alibi, leges caſus omnes comprehendere nequeant, neque ipſa per ſeſe ſola dubia omnia, & controuerſias, quæ variis ex cauſis & adiunctis excitari poſſunt ſoluere, opuſque plerumque ſit interprete, neceſſaria eſt legum illarum peritia ad mentem legiſlatoris peruadendam, & in ſingulis caſibus obligationem cognoſcendam, neque eſt quod in re adeo clara & quam omnes omnino Reſpublicæ ſeruant probanda, diutius immoremur, quin immo ex hoc gentium omnium Vſu, & ſcientiæ legalis neceſſitate eius dignitatem iure meritò arguimus.

4 Sanè ſcientiam politicam omnium Dominam & Imperatricem dixit Ariſt. *lib.* 1. *Ethic. ad Nicomac. cap.* 1. quærit enim cuius ſcientiæ & facultatis ſit ille finis vltimus, & ſummum bonum quod quærendum eſſet ibidem ait, reſpondetque eſſe facultatis anteriorum omnium principis ac Dominæ τῆς κυριωτάτης καὶ μάλιστα ἀρχιτεκτονικῆς illa autem inquit videtur eſſe politica τοιαύτη δ' ἡ πολιτική rationem reddit philoſophus quia decernit quænam ſcientiæ, quo fine, quibus modis, & quandiù in ciuitatibus tradi, debeant. Deinde quia cæteræ omnes, nobiliſſimæ licet artes & ſcientiæ, illi ſubiectæ ſunt vt στρατηγική, οἰκονομική, ῥητορική, & tamen illæ præ reliquis omnibus in honore habeantur ἐντιμοτάτας τῶν δυνάμεων, denique quia omnibus facultatibus practicis vtitur & quid ab illis agendum quid non agendum ſit ſancitis legibus præſcribit, eiuſque fine reliquarum omnium fines continentur. Eſt enim ſummum bonum non hominis tantum, ſed & commune ciuitatis, quod maius omninò eſt vnde ex philoſophi mente Ethica comprehenditur nomine politicæ, vult enim illo *lib.* 1. *Ethic. cap.* 1. vel ex partitione Perionij *cap.* 2. agere, & reipſa ibi agit de ſummo bono, & tamen monet ſolius eſſe politicæ agere de ſummo bono: verum de mente Ariſtotelis plura *cap. ſequ.* nobis modo ſufficit colligere ſummam ſcientiæ politicæ dignitatem, quæ ſapientiæ humanæ parens, legum magiſtra, principum & legum ſcientia à magnis quondam viris dicta fuit ἐπιστήμη καὶ δύναμις βασιλική; & τῆς ἀνθρωπίνης κοινωνίας συνεκτικόν coagulũ & nexus humanæ ſocietatis ἐπιστήμη πάντων, ἐπιτακτική Scientia directiua cæterarum. Hæc omnia ornamenta potiori iure in ſcientiam Canonicam, quæ eſt ſacra iuriſprudentia & politia Eccleſiaſtica cadunt, vti ſingula expedenti conſtabit; cui etiam competunt quæ de philoſophia morali tradunt paſſim veteres recentioreſque DD. quorum pleraque diligenter ſuo more collegit Theophyl. Rainaud. *in prologo diſciplina moralis* §. 1. Dicam vno verbo hanc eſſe ſapientiam diuinarum humanarumque rerum notitiam de qua Tulli. *lib.* 5. *Tuſculan. & lib.* 1. *de offic.* in qua, vt loquitur hoc poſtremo loco, continetur Deorum & hominum communitas & ſocietas inter ipſos. Et mox *Etenim cognitio contemplatioque natura manca quodammodo atque inchoata ſit ſi nulla actio rerum conſequatur. Ea autem actio in hominum commodis tuendis maximè verſatur.* quæ omnia quadrant in ſcientiam Canonicam, quæ Deum inter & homines ſocietatem ac communionem, quæ Religione fouetur, procurat & ſine qua ipſamet Theologia manca & ſterilis videretur: quare illam definire poſſumus eadem ratione qua veram philoſophiam Plato *in Timeo & lib.* 5. *de Republ.* ἐπιστήμην τοῦ ὄντος, καὶ τῶν ὄντων καὶ τῶν γενομένων, ſcientiam eius quod eſt & eorum quæ ſunt & quæ fiunt, quandoquidem totam diuinorum notitiam ad Religioſam actionem dirigit quare & ſapientia dicenda eſt huius habitus nobilitatem pluribus commendat Turrecremata *in Epiſtola ad Callixtum* & *in proœm. Decret. q.* 6. ex eius ſubiecto, fine tum intrinſeco tum extrinſeco vel remoto, neceſſitate, cauſis omnibus, & effectibus quæ omnia toto hoc opere demonſtrabimus.

CAPVT IV.

Methodus docendæ diſcendæve ſcientiæ Canonicæ.

QVÆST. I. *Methodus ſcientia Canonica?*

QVÆST. II. *Quis ſit idoneus ſcientia Canonica doctor?*

QVÆST. III. *quis ſit idoneus auditor ſcientia Canonica?*

QVIA ſcientiæ Canonicæ materia latiſſimè patet, & plurima quæ diſparata prorſus videntur, continet opus eſt accurata methodo in ea tradenda diſcendáve ne facilè per deuia inutiliter erremus: ideóque methodum quam ſectari nobis viſum eſt, hoc aditu placuit aperire, ne te per anfractus & Labyrintheos flexus aliquando duci ſuſpiceris, & inuitus ducem ſequaris. Quare tibi in primis totum ius Eccleſiaſticum & Canonicum quod explicandum ſuſcepimus, quantum eſt, ponimus ob oculos: deinde qua methodo & ordine illud ſcientifico more ſimus expoſituri & & quæ poſſent occurrere difficultates ac controuerſias certè & ſolidè definituri, ac denique veram ſcientiam, non autem tantum forenſem, aut Indicem ſolum canonum in communia capita digeſtorum tradituri.

QVÆSTIO

QVÆSTIO I.

Methodus tradendæ scientiæ Canonicæ.

1 METHODUS vulgò dicitur compendium quoddam, quod nobis suppeditat facilem ac breuem comprehensionem eorum omnium, quæ in quavis disciplina tractantur, ducta metaphora à viæ compendio quo breui tempore ducimur eò quò tendimus. Propriè tamen sic definiri potest. Methodus, *est recta ratio*, siue *ordo rerum tractandarum*, ordo dicitur *Secundum prius & posterius dispositio*: cum autem quædam priora sint naturâ siue ordine generationis, siue perfectionis: quædam priora secundum nos id est, notiora nobis, duplici fuit opus methodo quarum altera à prioribus naturâ progrederemur, alterâ à prioribus secundum nos.

2 Diuiditur methodus in popularem & doctrinalem: ista est *qua tractandis & inueniendis scientiis idonea est.* Popularis methodus est *quâ quisque appositè ad suum finem assequendum, & quod voluerit persuadendum vtitur.* Et hæc etiam est methodus prudentiæ quæ non alias patitur leges quàm quas variis positis circumstantiis, recta ratio & cuiusque prudentia præscribit.

3 Methodus doctrinæ diuiditur communiter in methodum *diuisionis*, seu *resolutionis*, methodum *compositionis*, & methodum *definitionis*, nec posse vllam aliam assignari methodum hac ratione probant aliqui: quia cùm in omni methodo ab aliquo extremo sumendum sit exordium, alioquin non seruaretur rectus ordo, extremum autem sit, vel simplicissimum, vel compositum, vel definitio, methodus omnis erit vel diuisionis vel compositionis, vel definitionis.

4 Methodus diuisionis siue resolutionis est ea, quâ progredimur à magis compositis ad simpliciora verbi g. Si hominem diuidas in partes heterogeneas, hoc est quæ sunt diuersæ rationis cum toto, vt caput, collum, brachia, & illas deinde iterum partiaris in homogeneas, hoc est quæ sunt eiusdem rationis cum diuiso, in carnes scilicet, ossa, neruos; atque has tandem in quatuor elementa è quibus componuntur. Eiusmodi autem resolutio ad hæc capita reuocatur, vel enim progredimur ab effectibus ad causas, vt à Conclusione ad principia, vel à toto ad partes, vel à generalioribus ad minus generalia, vel denique à fine ad ea quæ sunt ad finem seu ad media. Errant enim qui putant progressum ab effectu ad causas esse methodum compositionis: natura enim compositionem imitatur, & tamen progreditur à causis ad effectus. Methodus compositionis est omnino contraria, quâ videlicet à simplicioribus ad magis composita progredimur, vt si explicaturi naturam hominis ab elementis ordiremur. Quot modis autem fiat compositio, constat ex methodo resolutionis: Si enim contrarius fiat progressus, vt à Causis ad effectus, à principiis ad conclusiones, à minus vniuersalibus ad vniuersaliora, denique à mediis ad finem, dicemur sequi methodum compositionis.

5 Methodus definitionis est in qua posita definitione, quæ constat ex enumeratione omnium partium, singulas partes sigillatim explicemus: per definitionem autem non intelligitur definitio generis subiecti, vt vulgo putatur, sed ipsius scientiæ aut artis. Hac methodo Galenus vsus est in arte medendi tradenda: vbi enim Medicinam definiuit salubrium insalubrium & neutrorum, deinde quæ salubria, insalubria, & neutra essent seorsim docuit, sicque totam artem absoluit.

Cæterùm licèt hæc diuisio methodi sit communiter recepta tamen potius est vsu, quàm ratione Confirmata. Quare probabilius est duplicem duntaxat methodum constituere; resolutionis nempè & compositionis: quis enim non videt resolutionem fieri, dum partes definitionis explicantur, vt in exemplo à Galeno sumpto, explicante quænam, & quot sint salubria, insalubria, & neutra, tunc enim progrediendum est ab vniuersalioribus ad specialiora, quod est maximè proprium resolutionis.

6 Quod si quænam istarum methodorum ad praxim reuocanda sit, quæras. Respondeo distinguendum esse nam vel scientiæ in quibus vtendum est methodo, inueniendæ, & addiscendæ sunt proprio marte; vel disciplina, & ab alio tradendæ: si tradendæ, modò hanc, modò illam methodum sequi debemus. Natura enim quam tanquam exemplar nobis proponimus, modo progreditur ordine compositionis, vt à partibus ad totum, modo resolutionis vt à generalioribus ad minus generalia: prius est enim naturâ animal homine, aut leone. Hinc fit vt vtramque methodum sequamur in scientiis: sic Aristoteles methodo compositionis & resolutionis in Logica tradenda vsus est, dum agit de simplicibus terminis *in cathegoriis*, & de propositionibus *in libris de interpretatione*, ante argumentationem; tum methodum resolutionis sequitur dum prius de argumentatione quàm de syllogismo disputat, deinde syllogismum in suos species diuidit, de iisque agit sigillatim vt de demonstratiuo, topico captioso quod si omnia complecti velimus quæ ad perfectam alicuius rei comprehensionem pertinent, proposito genere explicandum in primis erit an sit, quid sit, quas partes & causas habeat, quale sit, & propter quid. Deinde explicanda sunt quæ illi quoquo pacto connexa sunt, etiam si contraria videantur, denique diuidendum erit in suas species, in quarum tractatione eadem seruanda erit methodus quæ in superiori genere.

7 Rursum quæres quandonam hæc vel illa methodo vtendum erit. Respondeo naturæ ordinem quoad fieri poterit perpetuò retinendum esse. Idcirco totum vniuersale prius explicandum est quàm eius partes: in toto verò integrali partes debent antecedere quia distincta totius integrantis cognitio, ignotis partibus haberi nequit. Cæterùm ne vocum affinitate decipiaris, obseruа hæc duo maximè distingui, nempe ordinem doctrinæ, & viam doctrinæ: nam ordo doctrinæ nihil aliud est, quam illa methodus per quam res secundum priùs & posterius traduntur; sed via doctrinæ est modus pertractandi rem quampiam. Idcircò hæc via aliquando est scientifica & demonstratiua,

tiua, cùm in illa dantur demonstrationes; aliquando fit tantùm per definitionem, & diuisionem, cùm sola explicatione vel leui probatione propositum argumentum pertractatur, aliquando est historica, quando narrantur dumtaxat, quæ gesta sunt.

8 Quod attinet ad methodum inueniendæ scientiæ illa non est semper eadem cum ea, qua traduntur scientiæ iam inuentæ: nam in inuentione scientiarum progredimur semper in singularibus à quibus primam haurimus rei notitiam, deinde notiones vniuersales efformamus, postea iterum ad singulares delabimur, & donec tandem inuenerimus ea quæ ad constitutionem alicuius scientiæ vel artis satis esse videbuntur. Hæc methodus vocatur *collectionis* quæ frequentissima est apud Platonem; quia Socrates se nihil scire fatebatur. Vnde cogebatur eadem semper methodo vti, quæ incipientibus, quærentibus, & inuenientibus primùm occurrit, atque hanc inueniendæ scientiæ methodum & progressum operosum & longiorem esse, cùm perpetuò reflexionis actu indigeat, nemo non videt. Cùm enim scientia iam reipsa sit, & propriè non fiat ab homine, sed ab illo vi ratiocinationis & ingènij eruatur, & velut in publicum & lucem producatur, non tota simul sed sensim, ideoque excogitari, perfici, & certis regulis constitui dicatur, plurima & constanti cogitatione opus omninò habent isti, quos nos scientiarum authores & inuentores nominamus, quod nos aliàs illustri exemplo inuentionis Logicæ, quam aliqui Zenoni Eleati, alij Aristoteli, saltem quod ad eius perfectionem, & certas regulas quibus vtitur, iure merito tribuunt, ostendebamus, supposità verissimâ doctrinâ August. *lib. 2. de doctrina Christ. c.* 32. vbi ait veritatem connexionum in propositionibus non institutam sed animaduersam fuisse ab hominibus & notatam, vt eam possint discere vel docere. *Nam* inquit, *est in rerum ratione perpetua, & diuinitùs instituta: Sicut enim qui narrat ordinem temporum, non eum ipse componit & locorum situs, aut naturas animalium, vel stirpium, vel lapidum qui ostendit, non res ostendit, ab hominibus institutas: & ille qui demonstrat sydera, eorumque motus, non à se vel ab homine aliquo rem institutam demonstrat: sic etiam qui dicit cum falsum est, quod consequatur, necesse est vt falsum sit quod praecedit, verissimè, neque ipse facit vt ita sit, sed tantum ita esse demonstrat.* & cap. 35. *scientia definiendi, diuidendi atque partiendi, quamquam etiam rebus falsis plerumque adhibeatur, ipsa tamen falsa non est neque ab hominibus instituta sed in rerum ratione comperta. Non enim quia & fabulis suis eam Poeta, & opinionibus erroris sui vel falsi Philosophi, vel etiam heretici, hoc est falsi, Christiani adhibere consueuerunt, propterea falsum est, neque in definiendo neque in diuidendo aut partiendo aliquid complectendum esse, quod ad rem ipsam non pertinet aut aliquid quod pertinet prætereundum, hoc verum est, etiamsi ea quæ definiuntur aut distribuuntur vera non sint, nam & ipsum falsum definitur cum dicimus falsum esse significatum rei non ita habentis ve definitur siue aliquo alio modo, quæ definitio vera est quamuis verum falsum esse non possit. Possumus etiam diuidere dicentes duo esse genera falsi, vnum eorum quæ omninò esse non possunt: alterum eorum quæ non sunt quamuis esse possint. Nam qui dicit septem & tria vndecim esse, id dicit quod omninò esse non potest: qui verò dicit Kalendis v.g. Ianuari, pluisse tametsi factum non sit, id tamen dicit quod fieri potuerit: definitio igitur & diuisio falsorum potest esse verissima quamuis falsa ipsa, vtique vera non sint* Quæ omnia paulò fusiùs adduxisse placuit ex Augustino, vt videas scientiarũ inuentionem esse scientiæ iam in rebus existentis animaduersionem, & notationem ab homine factam, quod in scientia veritatis connexionum definiendi & diuidendi, quæ est ipsamet Logica, ostendit Augustin. quam tamen maximè humani ingenij partum existimarunt Philosophi, cùm in excogitandis & tradendis certis regulis, quibus de veritate connexionum nobis certè & scientificè constare possit, tota consistat, illas tamen iam in rerum natura præfuisse contendit Augustin. & non institutas sed animaduersas & notatas dumtaxat ab homine. Vnde sanè sequitur eas regulas certas necessarias & æternas esse ac proinde scientiam de illis esse de æternis & necessariis atque adeò veram & propriè dictam scientiam. Quod eodem iure dici debet de Regulis & Canonibus sacris quos scientia Canonica explicat, licet enim sancitæ fuerint eæ regulæ ab Ecclesia, illæ tamen potius animaduersæ, & notatæ sunt quam institutæ, cùm ratio recta illas aptas & idoneas esse religioni, & diuino cultui, atque animarum saluti promouendis aduerterit, ac deinde Ecclesiæ pro sua authoritate seruandas esse constituerit, quo dumtaxat sensu dicuntur esse ab Ecclesia institutæ, neque illa institutio pugnat cum ipsarum necessitate, & immutabilitate. Neque facit vt sint idoneæ, aut non sint idoneæ quamdiu eandem essentiam retinent. Ac proinde quin scientia Canonica non sit vera scientia, æquè ac Logica quæ tradit Regulas ad operationes mentis rectè faciendas siue dirigendas: qua simili ratione scientia Canonica tradit & explicat regulas ad actiones religiosas honestè, & in ordine ad æternam salutem faciendas: Neque aliâ ratione dicitur à nobis noua scientia, quàm quia methodo scientifica, quod vix alij, vel non nisi admodum pauci fecerant, traditur, in eaque via scientifica & ordine, proceditur et si in scientia inuenienda, seruanda est eadem methodus, quæ in aliis scientiis inueniendis, operosæ nimirùm & continuæ reflexionis, quod vt iam monebam, ostendebamus in Logica dum illam doceremus, quia in ea inuentione necessarium fuit obseruare omnes actus intellectus, vt de illis præcepta, & regulæ tradi possent. Videndum enim fuit quinam ex actibus præteritis fuissent vitiosi, qui recti, vt inde conficerentur regulæ quibus reliqui deinceps dirigerentur, immunesq; fierent ab errore. v.g. definiuit Plato hominem, *animal bipes.* interpellauit Diogenes, obiecitque etiam Auem quamlibet esse animal bipes, vt igitur se emendaret Plato, addidit *Implume*: deinde vel proprio ingenio, vel quopiam alio mouente aduertit needum rectam esse definitionem, immò & falsam, quod natura, quam explicat definitio, sit aliquid positiuum, *implume* verò aliquid negatiuum; dicit enim carentiam plumarum, emendauit igitur se se Plato, & posuerit, *admiratiuum, homo est animal bipes admiratiuum.* Sed iterum istam definitionem excutiens vidit admiratiuum esse quid posterius, & ab aliquo priori fluens; admiratio enim oritur ex nouitate rei ad quam cognoscendam opus est ratiocinio & comparatione rei præsentis cum præteritis, Igitur ratiocinatio prior est admiratione at qui nihil est in re prius naturà, quare obliterato admiratiuo suffectum est *rationale homo est animal bipes rationale.* Sed Platoni iam quartò se supra suum actum reflectenti occurrit *bipes*, non esse essentiam hominis, quia qui pedibus truncatus est, aut qui plures duobus habet, verè est homo; quare tollenda fuit particula *bipes*, & superfuit tandem hæc definitio. *Homo est animal rationale.* Deinde eiusmodi definitio comparata cum plurimis indiuiduis longa inductione, vt sciretur an illis omnibus conueniret, & an & ipsa essent animalia rationalia; Iterùm percurrenda fuere alia animalia ab homine vt cognosceretur an alteri quàm homini competeret allata definitio indeque, apparuit illam esse bonam: cuius bonitatis deinde causæ inquirendæ fuere,

hanc Logicam Regulam fecerunt ad rectitudinem definitionis opus est gradu aliquo communi, & alio restringente ad id solum quod definitum est quos deinde gradus nominarunt genus & differentiam & ita procedendum fuit concinnandis reliquis Logicæ partibus, & regulis directiuis operationum mentis, vnde colligebamus opus fuisse actu reflexo ad operosam Logicæ inuentionem. Illud ipsum porrò dicẽdum est de inuentione Regularum moralium, sine quibus operationes honestæ dirigerentur, atque etiam de Regulis politicis & sacris. Posito enim fine tum sacræ tum profanæ politiæ, atque actionibus quibus illa constabat, videndum fuit habita ratione personarum, locorum, temporum, & rerum quænam actiones vsurpari honestè & vtiliter ad acquirendum finem propositum, deberent, quænam verò omittendæ, imò & vitandæ, expendendæ fuêre omnes & singulæ circumstantiæ, indequa formatæ sunt Regulæ, atque etiam aliquando imperatæ legibus & canonibus, qui aliud non sunt quam regulæ cum obligatione illas seruandi vt leges: siquidem præter directionem actiuam quam habent regulæ, afferunt obligationem illas sequendi, quam non imponunt regulæ quæ duntaxat dirigunt & non obligant: hanc porrò methodum in ferendis legibus seruari à legislatoribus videbimus fusius *lib. 5.*

9 Atque his in vniuersum de varia scientiarum methodo paucis explicatis, quæ fusius disputant Carpentar. *digress. in Alcinoum.* Zabarella *libris duobus prioribus de methodis, & in duobus item libris apologia* videndum nobis hoc operis initio superest quis modus & ordo quæve methodus in scientia Canonica tradenda nobis seruandus sit, illam enim cognitionem præmittendam esse tradenti aut etiam discenti scientiam monet sine dubio Aristoteles *Cum lib. 2. Metaph. cap. 3. text. 55.* reprehendit eos qui scientiam simul & scientiæ modum quærunt; itaque præcognoscendum est primò quis in ea scientia pro subiecta materia modus tenendus sit, an exquisitus & accuratus vt in Mathematicis, an minus accuratus & subtilis, siue quæ via doctrinæ tenenda sit, an scientifica & demonstratiua, an simplex & leuis probatio; nuper enim monuimus viam doctrinæ, siue modum tractandi idem esse. 2. Quærendam est quænã methodus an resolutionis, an compositionis seruanda sit; denique quis ordo in immẽsa materia explicanda & pertractanda sequendus. viam enim & ordinem doctrinæ distinguebamus paulò antè cùm Auerroë quamuis in quæstionis Epigraphe hæc omnia nomine methodi complexi simus: quod igitur ad viam doctrinæ siue ad modum tractandi pertinet.

10 Videtur mihi ille ipse in scientia Canonica tenẽdus esse, quem Aristoteles in disciplina morali tradenda tenuit, nimirùm accuratum quidem sed faciliorem, & magis popularem pro subiecta materia quæ sæpe non patitur illam subtilitatẽ quam requirunt Mathematicæ, & aliæ scientiæ, quæ magis abstractæ sunt ab omni materia tum sensibili tum intelligibili. Quamvis enim omnis scientia abstrahat ab aliqua materia saltem sensibili, cum sit de æternis & necessariis, atque adeò vniuersalibus, qualia non sunt sensibilia & materialia, quæ semper & singularia & contingentia sunt, non tamen æqualis est omnium scientiarum à materia abstractio vti explicuimus *cap. 2. q. 1. & 2.* cùm etiam ab illa abstractione diuersitatem specificam scientiarum aliqui desumant, quæ igitur habent obiectum longius à materia remotum, siue altius supra illam euectum, subtiliorem & superiorem disserendi modum exigunt; aliæ pinguiores vt ita dicam & quodammodo magis materiales, magis humilem & depressum quamvis accuratè, sed pro ratione subiectæ materiæ sapienter eum monet Aristoteles. *lib. 1. Ethic. cap. 7.* subtilitatem illam enucleatam non peræque in omnibus requiri τὴν ἀκρίβειαν μὴ ὁμοίως ἐν ἅπασιν ἐπιζητεῖν sed in singulis pro subiectæ materiæ ratione ἀλλ' ἐν ἑκάστοις κατὰ τὴν ὑποκειμένην ὕλην, & provt docendi via ac ratio patitur quod exemplo Geometræ ac fabri explicat, vterque enim angulum rectum quærit, sed non eodem modo de illo disputat, faber quidem quatenus operi suo vsui est. Itaque quærit quomodo reperiendus & formandus, & cur in ea operis parte constituendus sit, quidve inde commodi & incommodi in reliquum opus proueniet quorum omnium rationem reddit ex suæ artis regulis quæ certæ sunt & etiam demonstrabiles. Geometra vero quærit quid sit angulus qualis sit, eius naturam, & proprietatem plurimaque alia circa illum demonstrat in quibus inuestigandis non laborat faber quia geometræ finis vt ibidem ait Aristoteles est contemplatio veri, fabri verò opus: quare in eius cognitione, & rerum aliarum notitia quatenus ad opus referuntur sistit, neque ad alia subtiliora circa ipsorum naturam & proprietates digreditur. Cum igitur moralis philosophus in actione potius quam in contemplatione consistat vt fusius ostendit idem Aristoteles *lib. 2. cap. 2.* quid mirum si à ratione tractandi subtiliori abstineat vt enim subtiliter ipse disputabat *cap. 7. lib. 1.* non est æqualiter in omnibus causa quærenda, sufficitque in pluribus demonstrasse rem esse, & ita esse vti contingit in principiis quorum causæ non inquiruntur vlterius, sed ipsa esse cognoscuntur vel inductione vel sensu vel consuetudine quadam ἐθισμῷ τινι vel alio quopiam modo; ea vero principia inquirenda sunt provt singulorum natura patitur dandaque in primis in notitiis docendis opera vt benè definiantur, quia eiusmodi definitio magnum momentum affert ad ea quæ deinde explicanda consequuntur & plurimæ controuersiæ illo principio cognito facilè dirimuntur; atqua adeo videtur *principium esse plusquàm medium totius*, δοκεῖ πλεῖον ἢ τὸ ἥμισυ τοῦ παντὸς εἶναι ἡ ἀρχή. At verò primum principium est rem ita esse hoc est rei definitio. Ex hac philosophi ratiocinatione vides quid ipse velit cum subtiliorem tractandi modum ab artibus & notitiis practicis atque adeo à morali philosophia reiicit, non enim propterea negat esse scientias aut habere demonstrationes, cum ex certis principiis certas conclusiones deducant & demonstrent, sed negat circa sua principia & illarum naturas ac causas, vbi de principio semel constiterit, subtilius disputare; cum enim ad opus & actionem ferantur, vbi ipsis de certo aliquo principio constiterit, licet nihil ampliùs de huiusmodi principij causis inquirant, ex illo tamen demonstrationem practicam certo & verè conficient & ex illa suum opus & actionem dirigent, sicut faber qui nouit in aliqua operis parte ad eius concinnitatem & requisitam symmetriam seruandam, collocandum esse angulum rectum, licet nihil de natura illius anguli vlterius contempletur, rectè tamen & prudenter operabitur si angulum rectum in ea parte efficiat, sic Moralis qui temperantiæ definitionem supponit & certam habet, ex præcognita deinde illa definitione circa particulares actiones temperatè aget, atque syllogismum practicum conficiet, quamvis non penetret cur natura temperantiæ talis sit, quasve habeat causas. Rationem reddit Aristoteles *cap. 7. cit.* quia si hæc cognitio, & subtilior inquisitio circa principia notitiarum practicarum requireretur, prolixius multò essent tractandæ illæ scientiæ & perpetuò ad externa quædam digrediendum foret, & τὰ πάρεργα τῶν ἔργων πλείω γίγνηται, nimirum æquarent vel superarent ipsa ἔργα, & accessiones

cessiones atque ornamenta maiora ipsismet operibus, vt si quis ciuilem tractans ad incidentes quæstiones philosophicas, aut theologicas digredeterur longius. Cum itaque scientia moralis vt ait *lib.2.cap.2.* Aristoteles nō sit cognitionis causa [illegible], sed actiones non enim quid sit virtus quærimus vt cognoscamus, sed vt boni fiamus, & tota cognitio ad actionem honestam dirigenda sit, non est opus nisi vt certum principium honestatis in quacumqoe actione & virtute habeamus; neque circa eiusmodi de quo nobis constat, subtilius inquirendum est, sed ad actionis genus de quo quærimus aptandum est, quod fit, singulas actionis illius circumstantias expendendo, & ad positum principium tanquam ad veram honestatis regulam exigendo: hoc porrò principium non semper demonstratur, immò neque demonstrari semper potest, vti contingit in primis principiis, quæ si prima verè sunt, nihil se prius habent quo probentur, sed vel penetratione sola terminorum quæ statim ostendit veritatem connexionis huiusmodi terminorum absque vllo alio modo assensus, vel inductione, exemplis, aliáve ratione probantur, vti monebat Aristoteles: ex eo deinde principio suas conclusiones practicas demonstratiuè & scientificè elicit intellectus v. g. actionem ita factam esse honestam temperatiæ, iustitiæ aut fortitudinis; neque ad rationem scientiæ opus est vt ipsa demonstret sua principia, aut vtatur perpetuò primis omninò principiis & indemonstrabilibus: alioquin sola Metaphysica scientia foret, nam omnia cæterarum scientiarum naturalium principia ad vniuersalia illa, eaque perpauca, quæ à Metaphysica traduntur, & non demonstrantur nisi ipsa fere explicatione terminorum, reduci possunt, maneat igitur in notitiis maximè practicis viam doctrinæ siue modum eas tradendi non esse exquisitæ cuiusdam subtilitatis, & enucleatæ, sed pro subiecta materia vti ostendit Aristoteles *in Ethica*, eo quod non debeat subtiliùs suorum principiorum, vbi de illis certo constiterit, causas inquirere, & eorum naturas perscrutari; quod tamen rationem scientiæ non excludit: ex disputatis porrò hoc loco vides libros Ethicos inter Acroamaticos & non exotericos & externos accenseri quod sapiēter censuit Ammonius sed & apud Laertium libri politici de politica acroasi inscripti leguntur, ipseque Aristoteles in Ethicis & politicis allegat interdum libros exotericos tanquam omninò diuersos, vt *lib.* 1. *Ethic.cap.*13. *lib.6.cap.4.lib.3.polit.cap.4.lib.7.cap.*1.*lib.*2.*moralis*, Eudem.*cap.*5.quod tamen aliqui negant quia ex communiori sententia libri acroamatici sunt qui accuratam tractationem continent, Exoterici verò qui minùs diligentem & accuratam, sed leuem & plebeiam vt aduertunt Conimbri. *in proœm. de physico auditu q.*5.*art.*4. Fonseca 1.*metaph.cap.*2.*proœmij.* Pereri. *lib.*1.*physiol. cap.*10. Budæus *in Comment. linguæ Græcæ* Petrus Victori *lib.7. variar. lection.cap.*18. Gifanius, & Lamb. *in* 1.*Ethic. cap.*13. aliique recentiores atque è veteribus Tulli. *lib.5.de finib.* Aulus Gelli. *lib.*20.*cap.*5. Plotarch. *in Alexand.* Simplicius *lib.4.physic. textu* 87. Eust. 6. *Ethic cap.*4. Aristoteles verò vti initio retulimus negat in Ethicis necessariam esse illam accuratam tractandi subtilitatem quam ex communi sententia sermones acroamatici requirunt, & plebeia contentos esse, sed iam monui philosophum negare duntaxat eam certitudinem, & subtilitatem exquisitam necessariam esse in Ethicis, & politicis, quam in mathematicis & aliis quibusdam scientiis reperimus, non negat tamen eam quam materia tractanda patitur, & quantum illa patitur modo explicato qualem & nos in scientia Canonica, quæ sacra politia est, præstabimus hancque illius tractandæ viam sectabimur.

11 Neque enim de principiis & aliis quibus innititur nobis erit agendum, alioquin ad quæstiones non modo Theologicas perpetuò digrederemur, immo & per omnes alias scientias sæpius vagaremur, cum plurium illarum materias in ordine ad suum proprium finem nonnunquam attingat, & ab illis principia suarum regularum mutuo accipiat. Satis vero illi esse debet si de principiis, quibus in suis demonstrationibus vtitur, ipsi certo constiterit, neque eorum causas subtilius aut contentiosius inquirere tenentur, quia verò hæc scientia immensam quandam materiam habet, nempè iura, quæ de infinitis rebus quidpiam constituunt, quorum æquitatem & rectum vsum demonstrat, eaque proinde de diuersis rebus statuunt, diuersa habent principia, quorum essentia & existentia siue certitodo non eodem modo probantur neque ipsamet eodem modo cognoscuntur, & non debent a scientia temere & sine aliqua ratione tanquam certa supponi, ideitcò diuersis omninò probationibus vti cogitur hæc scientia, & diuersa ac multiplici via doctrinæ procedere, modo ex principiis reuelatis, modo ex recepto vsu, alias ex sapientum sensu & authoritate, modo ex iure naturali aliàs ex iure gentium aliàs ex iure diuino positiuo, aliàs ex sacris immò & ciuilibus legibus; itaque via doctrinæ huius est modo demonstratiua & scientifica, modo expositiua & declaratiua rei duntaxat, modo coniecturalis modo denique historica ex rerum gestarum narratione.

12 Hæc igitur erit noster tractandi modus. seu viæ doctrinæ principia videlicet nostra, & propositiones vniuersaliores in singulis materiis, ex quibus deinde singulares conclusiones scientificæ eliciantur constituemus tanquam certa atque vt volebat Aristoteles, tem ita esse constituemus & definiemus tanquam vniuersale in illa materia principium verum, & certum, eamque principij positi veritatem & certitudinem vario genere probationum, prout eius natura patietur, firmiter stabiliemus siue ex fide, siue ex ratione naturali, siue ex morali, siue ex politia aliisque modis quibus aliqua veritas certo nobis constare poterit; atque idcirco quædam ratiocinia paulò subtiliora afferre cogemur inuiti potius, quam volentes, & ne necessaria probatione, eaque firma nostram doctrinam destituamus, quàm vt contentionis causa & altercandi animo disputemus. Neque pugnabimus cum Aristotele, qui locis adductis enucleatam subtilitatem non requirit, & Platonem non obscurè notat, qui exquisitum illum tractandi modum in ciuili scientia postulabat, nam & nos eo non vtemur, nisi necessitas stabiliendi nostri principij & firmandæ veritatis nos coget, aut aduersariorum qui sibi subtiliores videbuntur, frangenda erit peruicacia deinde parciores in istis erimus neque omnes ita vagandi occasiones arripiemus vt in vnius scientiæ doctrina, cæteras omnes æquè complectamur atque si singulas distinctè explicandas suscepissemus, quod aliqui faciunt qui vno tractatu omnes materias vellicant potiùs quàm explicant, & sæpius de præcipua materia, cuius expositionem pollicentur, pauca, aut nihil fere dicunt, neque institutum iter tenent sed per omnia palabundi errant, nullo ordine, nullo consilio, atque à via cæpta discedentes auia & inuia temerario sectantur. Quare ne simili cæcitate peccemus, si quando digredi cogamur in viam statim redibimus imitabimurque Aristotelem qui in morali tractatione similes aliquas digressiones non refugit, sed paucas & breues, longioresque in proprium cuiusque materiæ tractatum reiicit.

13 Potest & hoc loco excitari illa controuersia de qua cum Aristone Stoico disputat Seneca *Epist.* 94. & 95. an moralis scientia per dogmata, vel vt interpretatur Seneca,

neca, decreta & scita an verò per præcepta docenda sit: scita vel dogmata vocat vniuersalia quædam effata quibus tota hominis vita informatur, & quæ ad omnes humanas actiones, omniáque honestatis officia pertinent, v. g. sola virtute beatam vitam parari, honestatem amplectendam esse, vbique turpitudinem fugiendam, sapientes nullo affectu commoueri, & cætera huiusmodi: præcepta verò singulas vitæ humanæ partes, singulas actiones, singuláque officia informant distinctè & singillatim, atque adeo ad minuta quæque descendunt, ex illisque de honestate & turpitudine singulari, & indiuiduarum actionum deinde pronunciamus, singulorúmque officiorum, cum quibúsque personis regulas distinctè præscribimus: vt quomodo vir cum vxore, pater cum liberis, dominus cum seruis, & vicissim versari debeant. Aristo quidem modum illum dogmaticum præferebat: quia semel informatus animus vniuersalibus dogmatibus & axiomatibus, illis deinde ad singula, & in omni materia vtitur, *& qui se ad totam vitam instruxit, non desiderat particulatim admoneri, doctus in totum, non quomodo cum vxore, aut filio viueret, sed quomodo benè viueret, vt hoc est, quomodo cum vxore ac liberis viuat*, quod ipsum familiari exemplo demonstrat eius, *qui iaculari discit, destinatum quidem locum captat & manum firmat ad dirigenda quæ mittit, verùm cum hanc vim de disciplina, & exercitatione percepit quocumque vult illa vtitur, didicit enim, non hoc aut illud ferire, sed quomodocumque vult illa vtitur.* Aliunde tamen sectanda videntur esse dogmata vniuersalia, nisi per præcepta deinde descendant ad particulares actiones: & quidem præcepta singularia ab vniuersalibus, aut sponte deriuari debent, vt vim babeant, & pectus alte peruadant: & dogmata vt debent vti efficacia sint, & ad præcepta applicari, alioquin vana, & inutilia sunt, éstque euidens ratio, cum enim vita honesta consistat in actionibus honestis, viuere enim est agere, & honestè viuere, est honestè in omnibus & singulis agere, cúmque actio semper sit in singularibus, per præcepta quoque singularia, & singularis honestatis dirigi debet, & sanè nullus est mente & ratione præditus, qui vniuersaliora illa, & communia dogmata honestatis non comprehendat, sunt enim quædam principia communia quorum notitia sola perceptione terminorum percipitur, & tamen cum illa sua vniuersali notitia turpissimè viuunt, quod ipsum deprehendimus in ipsis Stoïcis & cæteris philosophis, qui præter illas primas honestatis notitias à naturâ ipsa quodammodo insitas, alias plures non minus vniuersales labore & disciplina sibi compararant, de quibus & subtiliter disserebant, neque tamen ex illis suas actiones dirigebant, & perpetuò atque grauissimè contra honestates particulares peccabant: id ipsum videmus in omnibus actibus, in quibus notitiæ vniuersales inutiles sunt, nisi ad singularia descendant, alioquin sola cognitione, & artis notitis fieremus summi & periti artifices. Sapienter igitur Senec. *epist. 95. hoc interest inter decreta philosophiæ, & præcepta, quod inter elementa & membra, hæc ex illis dependent, ista & horum causa sunt*, & omnium: immò aliquando, saltem rudioribus, præcepta sine dogmatibus prosunt, vt enim ibidem monet Seneca, antiqua sapientia, nihil aliud quam facienda, & vitanda præcepit: & tunc longè meliores erant viri, denique dogmata vti superius monebamus, præceptis ad actionem indigent Senec. *ep. 94. nam quamuis argumentis collectum sit, quæ bona, quæ mala sint, nihilominus habent præcepta partes suas: & prudentia iustitia, officiis constant, officia autem præceptis disponuntur*, addit dogmata esse semina rerum honestarum animis ingenita, quæ præceptis & admonitione exsuscitantur, sicut scintilla leui flatu. *Omnium*, inquit, *honestarum rerum semina animi gerunt quæ admonitione excitantur non aliter, quam scintilla flatu leui adiuta ignem suum explicat*, atque vt paucis omnia complectar contemplationem institutio tradit, actionem admonitio. Nos igitur in hac doctrina vtramque viam tenebimus *δογματικὴν & παραινετικὴν*, & vt aliqui reddunt apud Lipsium *lib. 5. manuduct. ad Philosoph. dissic.* 12. decretoriam & præceptoriam, primò siquidem statuemus decreta quædam vniuersalia certa, & fixa, quorum nullum sine scelere prodi possit, vti decretum describit Cicero *lib. 4. academico. quæst.* 1. ex illis deinde præcepta ad singulares actiones eliciemus. & particulares quæstiones in singulis casibus definiemus, atque in his duobus consistet noster isque perpetuus tractandi modos, qui & scientificus est, & nobis in cæteris nostris operibus solemnis hactenus fuit.

14 Venio ad methodum doctrinæ quam in vniuersum duplicem tantum esse compositionis, & resolutionis tandem constituebamus, si quæ enim alia tertia sit, ex prioribus duabus potius mixta est, quàm noua. Et quidem methodus compositiua, siue compositionis scientiis speculatiuis est accommodata, quia cum eiusmodi scientiarum finis sit cognitio & contemplatio obiecti in qua sistit & conquiescit, obtento nempè iam suo fine, non potest ab ea cognitione, quæ vltima est in executione, licet prima sit in intentione, sumi exordium. Quare omninò à simplicioribus inchoandum est quæ est methodus compositiua, itaque docet Zabarella *lib. 1. de methodo, c. 7.* & Picolomin. *in introduc. cap. 25. & 24.* habemus huius rei illustre exemplum apud Ioann. Cyparissiolam qui suum opus inscripsit, *ἔκθεσιν στοιχειώδη ῥήσεων θεολογικῶν*, quod Franc. Turrianus eius interpres & commentator vertit expositionem materiariam eorum quæ à Theologis de Deo dicuntur, obseruátque Ioannem vsum esse verbo philosophico *στοιχειώδης* quod Arist. *lib. 5. Metaph.* explicauit ea quibus omnes disciplinæ tanquam communibus vtuntur, omnes enim habent principia, caussas, elementa, & vbi docuit quot modis accipiatur principium, quot iterum modis causa, ait *στοιχεῖα* propriè vocari, quæ insunt primo, & non sunt in alias species diuidua, illa veteres Latini dixerunt elementa, quomodo literæ dicuntur elementa syllabarum, quia in illis primò insunt tanquam eorum materia, & in alias species non sunt diuiduæ, pari ratione primæ demonstrationes quæ in pluribus demonstrationibus insunt inquit Arist. *eo loco*, demonstrationum elementa vocantur. Addit elemēta *στοιχεῖα* dici quoque non quidem propriè, sed translatè ea, quæ maximè generalia sunt, quia vnumquodque inquit vnum est, & simplex, & in multis aut in omnibus, aut in quamplurimis inest, & *lib. 7. sub fin.* id esse elementum in quod res diuiditur insitum, quale est syllabæ A ipsum & B, quia igitur Cyparissiola suas decades partitus est in generalia, & vnamquamque decadem componit ex partibus suo ordine, quæ sunt *στοιχεῖα* elementa, & materia ipsius decadis, idcirco hanc methodum rectè vocauit expositionem *στοιχειώδη* elementariam, vel meliore & antiquiore vocabulo materiariam, qua ratione S. Thomas illud Dionysij *cap. 4. de diuinis nominibus, ἀρχὴ στοιχειώδης* vetus interpres vertit principium elementarium, ipse verò Turrian. interpretatur materiale, vides igitur Theologicam tractationem quæ maximè contemplatiua est explicari methodo elementa-

ria, siue materiaria, & incipere à simplicibus qualia sunt elementa ac proinde esse methodum compositiuam.

15 In practicis notitiis proceditur methodo resolutoria, quia incipiendum est ab illis quæ sunt propinquiora, & de ipso fine, & deinde de mediis ad illum obtinendum, v.g. Architectus primo sibi proponit finem quem obtinere vult, nempe domum habitandam, deinde cogitat de proximis eius partibus fundamento, parietibus & tecto, & demum de ligno, lapidibus, cœmento, tegulis, & aliis, ex quibus componuntur priores illæ partes, & à quibus incipit executio operis, quæ cessat vbi domus perfecta est, ab ea tamen initium sumit operatio, naturáque ipsa docet primùm cogitandum esse de fine, deinde de mediis ad finem obtinendum, à quibus etiam inchoanda est praxis & operatio. Ille verò processus est methodus resolutiua, quamuis S.Thom. *in lib. 1. Ethic. lect. 3.* videatur aliter, quam ferat communis vsus philosophorum, accepisse voces progressus resolutiui & compositiui. Nam methodum qua Physicus progreditur à simplicissimis, in quæ corpus naturale resoluitur, vocauit resolutiuam, eum tamen ex hactenus dictis compositiua existat, ea verò methodus quæ à fine progreditur ad media, vti contingit in practicis, dicitur à S. D. compositiua vt videas harum vocum acceptionem non perpetuam, & constantem semper fuisse, nos communiores vsurpabimus & methodum resolutiuam dicemus in qua à fine ad media progredimur, qualem tenuit Arist. in tradenda morali, quam esse scientiam practicam nemo dubitat, orsus enim est à fine nempè fœlicitate, de qua primò disputat, inde progressus est ad actus liberos in vniuersum, denique ad actus honestos & singulas virtutes quæ sunt media obtinendæ fœlicitatis.

16 Nos in nostra scientia Canonica, licet practicam ipsam esse dixerimus, vtemur methodo modo compositiua, modo resolutiua pro diuersa materia diuersorum tractuum, quos eiusmodi scientia complectitur; rebus siquidem tractandis accommodanda est tractationis methodus, quæ proinde vnica esse non potest, quare si vniuersam scientiam Canonicam consideres mixta erit illius methodus: nã singulas eius partes modo compositiua, modo resolutiua, naturam siquidem imitati debemus vt præfati sumus, quæ non semper à simplicibus ad composita procedit, neque à compositis ad simplicia, sed modò vno vtitur progressu, modò altero prout opus quod elaborat, postulat, aut ea cognitio qua illud considerat, facilius certiúsque ducit, quare dicebamus certiorem commodiorémque methodum esse naturæ ipsius, & ordinis quem tenet, æmulam.

17 Restat ordo seruandus à nobis siue scientiæ Canonicæ in præcipuas suas partes & tractatus distributio, & quis primo, quis secundo, aut tertio loco explicandus sit: qui deinde singuli tractatus suis quoque partibus prioribus, & posterioribus constant. Hic porrò ordo diuersus à tractatoribus iniri solet.

Nam primò aliqui non alium seruant, quàm vt singula canonis capita, & continua serie, prout à Gratiano in decreto, & ab aliis collectoribus in decretalibus occurrunt, variis notis, glossematis, & commentariis explicent: quam rationem tenuit eruditissimus Antonius Faber *in opere rationalium in pandectas*, qui ordo & prolixior est, & minus scientificus, quamvis accuratus, vt qui singula expendat, sed non sine fastidio ac nausea, cùm eadem sæpè recurrant.

Secundo alij prosequuntur quidem singulos decreti ac decretalium titulos sed quæ sub illis reseruantur in epitomen, & quam aptissimam possunt seriem reuocant, subdita tantum ratione connexionis eorum quæ tractantur, vnde canones omnes qui de eadem re agunt; sub vno titulo collocant, & præterea concinnant, qui ordo hoc habet commodi, quod sub vno conspectu exhibeat quidquid de aliqua materia constitutum fuerit, verùm cum ad varios & diuersos titulos plures canones referri queant, oneratur memoria lectoris dumtaxat, & non acquiquiritur perfecta ac scientifica rerum cognitio. Tertiò alij vnum aut alterum titulum explicandum suscipiunt, in quem tractatus aliquos instituunt ad quos magnam partem totius iuris canonici reuocant, quod sine aliqua perturbatione fieri nequit, & plurima vel intacta, vel non satis explicata relinquuntur. Quartò, alij ἀκολουθίαν, quamdam & connexionem titulorum totius iuris in decreto, & decretalibus traditi instituunt, quæ connexio neque scientifica plerumque est, neque intimam doctrinam quæ in singulis titulis latet, aperit, éstque dumtaxat Rubricatum expositio potius, quàm ipsiusmet iuris. Quintò, Renatus Chopinus in periocha sui operis de sacra politia, illam trimembrem facit. Prima inquit μοναστικὴ singularis priuatim clerici ciuilis habitus vitæque ratio politica, vocatione, & ordinatione ad Ecclesiasticas præfecturas aspirans. Secunda κανονικὴ, qua clerico iam ad publicum Ecclesiæ magistratum euecto præscribit sacræ iurisdictionis modum, ne quid Herarchæ in iudiciis decernant contra sanctissimos canones qui summis Principum tribunalibus recepti sunt, néve in regij fori contemptum aliquid moliatur. Tertia οἰκονομικὴ peculiaris, hoc est sacrarum facultatum politica dispensatio, quæ tempestiuè procuret ministrorum Christi alimoniam, corporúmque humanorum sustentationem, ingeniosa quidem est ista partitio, verum non adæquat totam scientiam Canonicam, & ferè agit tantum de personis Ecclesiasticis, quoad ipsorum electionem ad sacerdotium, & beneficia, déque iurisdictione fori & iudicis, atque bonorum externorum administratione, cum plurima alia tractanda sint à scientia Canonica etiam circa ipsas personas, de quibus tantum agit Chopinus: nam nihil attingit de sacris ipsarum functionibus, & nihil dicit de aliis clericis, qui beneficiarij non sunt, & qui numero illos superant.

6. Alij ex diuisione actionis religiosæ, quæ vti diximus *cap. 2. quæst. 3.* Est primarius, vltimus, & adæquatus finis scientiæ Canonicæ, partitionem scientiæ Canonicæ desumere iure merito sibi videntur. Cùm enim omnia quæ tractantur in ea scientia, tractentur in ordine ad illum finem, & vt illum obtineat, non immeritò ex illo fine, eiúsque consideratione reliquorum omnium quæ in ea tractantur consideratio, & partitio desumenda esse videtur. Cùm igitur actio religiosa, & diuinus cultus priuata vel publica sit, siue priuatim vel publicè exerceatur, & vtraque à scientia Canonica consideretur, sit vt duas huius scientiæ partes habeamus: vnam veluti monasticam, alteram politicam. Prima agit de actionis religiosæ honestate, déque variis eius speciebus, ipsarúmque natura, quæ semper eadem est; eandémque retinet honestatem, siue priuatim, siue publicè exerceatur. Publica verò Religio & diuinus cultus ad politicam pertinebit: & sanè 18

omnibus

omnibus publicatum rerum moderatoribus & legiſlatoribus illa pars politiæ præcipua ſemper fuit, & de illa primo loco leges ſanciuerunt. Hæc igitur pars politica ſcientiæ Canonicæ de iis omnibus quæ ad diuinum cultum & Religionem publicam pertinent diſputabit, deque omnibus cærimoniis & toto externo apparatu de quo etiam à profanis & gentilibus plurima præſcripta habemus. Et quia hoc inter Religionem publicam & priuatam intereſt, quòd hæc à quolibet exerceri poſſit; publica verò non niſi à certis miniſtris ad id munus initiatis, idcircò iſta politia Sacrada perſonis quoque Sacris & Religioſis tractabat, ſi quæ etiam circa Sacra ſuboriantur controuerſiæ de illis iudicare debebunt Sacri miniſtri, & pro authoritate pronunciare. Cúmque plurima committi aduerſus Religionem ſoleant, neque violatæ Religionis crimina tolerari impunè debeant, ad eiuſmodi cauſas dijudicandas & crimina ponienda forum aliquod excitandum eſt, quod in omni planè Republica ſeruatum legimus, illud ad hanc politiam pertinebit, ſicut & ad leges de Religione ferendas. Denique cùm olim alia fuerint Sacra domeſtica, quæ domi & in laribus propriis fiebant, alia magis publica quæ in fanis & templis ſpectante ciuium multitudine, maiori pompa & apparatu celebrantur, hodie quoque in Republica Chriſtiana Religionem veluti domeſticam eſſe oportet, & à familiis ſingulis, piis actionibus Deum coli; quorum domeſticorum veluti Sacrorum cura ad familiæ principes, ſiue Patrem-familias pertineat, quem idcircò veluti Epiſcopum domi ſe gerere monebat Ambroſius. Scientia Canonica quæ hanc domeſticæ Religionis partem conſiderabit, dicetur œconomica; quia inſtituet ſingulas familias de Religione & qualem in ea re præſtare ſe debeant maritus, vxor, liberi ſerui, non modò ne quid domi contra diuinum cultum committatur, & ſi quid eiuſmodi contingat emendetur, ac puniatur, ſed etiam vt à ſingulis opera Religionis & pietatis debitè exerceantur, & ne quidpiam in publicæ pietatis, iniuriam à domeſticis fiat: Quare pluribus ſcriptis pietatis & Religionis leges circa priuatas familias præſcriptæ ſunt, & modi inſtituendi ſanctas familias traditi. Cum igitur nemo dubitare poſſit quin Religio & diuinus cultus diſtribui iure poſſit in priuatum, domeſticum, & publicum ſiue ciuilem ac politicum, concedere quoque debet ſcientiam, quæ diuinum cultum habeat pro fine, & obiecto primario, qualis eſt Canonica rectè diuidi poſſe in Monaſticam, œconomicam, & politicam 1. pars agit de Religione eiuſque actibus qui à ſingulis ſeorſim fieri & debent & poſſunt; œconomica diſputabit de Religione domeſticâ & de ſingulis officiis pietatis perſonarum, quæ domum & familias componunt & quænam ſint ea officia, & quomodo à ſingulis rectè exerceri debeant ac poſſint præſcribere.

Tertia politica de publica Religione de perſonis Sacris, iudiciis & cauſis circa illam excitatis diſſeret, & iudicabit atque ita habebimus ſcientiam Canonicam trimembrem nempè monaſticam, œconomicam, & politicam: nam & de illis omnibus ſancti Canones, & Conſtitutæ regulæ à quibus hæc ſcientia Canonica nominata eſt, quod conſtabit in operis decurſu. Atque hæc diuiſio cuipiam placere poterit quia & non incommoda videtur, & imitatur diuiſionem ſcientiæ moralis Ariſtotelicæ in monaſticam, œconomicam & ciuilem, quam diuiſionem probarunt veteres omnes & Recentiores Euſtrat. *in proœm. Ethicor.* Albert. *ibid. in lib.* 1. *Ethic. tract.* 3. *R.P. Ioſeph. Gibalinus de Scient. Can.* *cap.* 1. D. Thom. *ibid. lect.* 1. Ammon. *in Cathegor. & præf. in Iſagogem Porphyrianam* Foxius *lib.* 1. *compend. Ethic. cap.* 1. Iauell. *initio Ethic.* & alij paſſim immo eandem partitionem eſſe ex Platonis mente tradit Alcinon. *cap.* 3. quam & ratio euidens demonſtrat. Sicut enim triplex eſt actio humana honeſtatis capax, priuata nimirum cuiuſque, domeſtica, & ciuilis quas omnes informat Philoſophia moralis, triplex quoque ac tripartita debet eſſe ea Philoſophia, quarum prima priuatam hominis vitam informet, ſecunda domeſticam, tertia ciuilem. Prima dicitur monaſtica & traditur ab Ariſtotele in Ethicis ad Nicomachum & aliis *ad Eudemum ac magnis moralibus.* Secunda œconomica inſcribitur & explicatur *in opere ſeparato œconomicorum* Tertia demùm quæ actionem ciuilem totamque mentem informat, *in* 8. *libris politicarum tractatur* hoc Ariſtotelicæ moralis ſcientiæ exemplo Canonica noſtra tripartita erit, prima quidem monaſtica aget de Religione, eius natura, diuerſis ſpeciebus, & actionibus tum internis tum externis ſicut Ariſtoteles, in morali poſt explicatum finem ad quem tendit omnis actio humana, agit de honeſto, libero & voluntario; deinde de ſingulis virtutibus quæ ſunt actiones liberæ & honeſtæ, quibus ſolis finis humanarum omnium actionum fœlicitas, obtinetur. Secunda œconomica agit de officiis eorum quæ domum componunt, & actionibus honeſtis quibus ſuum finem proſequitur; quod idem faciet œconomica Canonica, quæ diſputabit de legibus & officiis quæ Sacræ leges familiis, & perſonis ex quibus coaleſcunt, ſtatuunt. Denique politica pars moralis Philoſophiæ omnium nobiliſſima totam politiæ doctrinam complectitur, ſicut, & politica Canonica Sacram politiam vniuerſam, de qua etiam ſacræ leges & Canones, quos hæc ſcientiæ pars elucidat, primò & per ſe in politiam Eccleſiaſticam feruntur. Commoda porrò exiſtimata eſt hæc diuiſio eaque de cauſa Ariſtotelem, Platoni, aliiſque veteribus, qui de re morali ſcripſerunt, præfert Carpentarius, *ad cap.* 20. *Alcino n.* 1. veteres enim illi plura ſparſim & confusè de moribus tradiderunt, quæ Ariſtoteles ad vnum Corpus reuocauit, & ordinatè atque ſcientifica methodo explicuit, atque ad praxim accommodatius, vt comparanti veterum ſcripta cum Ariſtotelicis de hac ipſa materia conſtabit fragmenta veterum exhibet, per plura Stobæ. *in ethic. cap.* 2. vt Philonis Lariſſæi, & Eulori Alexandrini, Academicorum; Stoïcorum verò moralem Philoſophiam Barlaam Gazycenus opere, quod inſcripſit moralem Philoſophiam ſecundum Stoïcos *tom.* 14. *Bibliotheca Colonienſ.* Iuſtus Lipſ. *in manuductione*, Nicolaus Damaſcenus morum Philoſophiam dedit in opere quod inſcripſit, *de officijs & interiori pulchritudine*, teſte Simplicio *ad cap.* 37. *Epitecti*; Breuiculum quoque Philoſophiæ moralis platonicæ dabit Alcin. *cap.* 20. denique qui de officiis ſcripſerunt vt Tullius & alij antiquiores, quos ipſe adducit, de moribus ſine dubio tractarunt; nominatus quoque in hoc genere ſcriptionis fuit Epit. apud hos tamen omnes magna eſt in eiuſmodi doctrina tradenda perturbatio, & obſcuritas, ſi ad Ariſtotelis Philoſophiam componatur; vt nihil dicam de Poëtis quos primos de moribus diſputaſſe exiſtimauit Patricius *lib.* 2. *de Regno tit.* 2. & Pherecidem auditorem Pythagoræ primum auſum eſſe verſuum nexu repudiato conſcribere *paſſiuis verbis ſoluto loquatu, libera oratione* ait Apulei. *lib. ſecundo floridor.* illi enim adſtricti lege verſuum quamuis aliquot honeſtatis præcepta ſcriberent non tamen perfectam de moribus tractationem

scribere nobis voluerunt: quare mirum non est si obscuriores aliquando sint, & nonnihil confusi, ac perturbati, cum igitur ordo Aristotelicus in scientia morali tractanda omnium præstantissimus habitus sit, & commodissimus, atque etiam, quod modo quærimus; scientificus. Similis ordo in scientia Canonica docenda commodus, & scientificus existimandus erit.

19 Mihi tamen non omninò probari potest, hæc partitio, quia prima, illa & pars quam monasticam dicere liceret, quæque de Religione, eiúsque natura, causis, effectibus, & speciebus dissereret, vel nihil ab œconomica, & a politica differret, vel ad aliam scientiam quàm Canonicam pertineret, quia eadem est natura virtutis, siue domi, siue publicè, siue solitariè exerceatur, alioquin probanda esset illa præter omnium mentem, & Angelii diuisio *in prologo lib. 1. de virtutibus*, monasticam priuatæ cuiuslibet informationi, ethicam omnium hominum communi iuri præscribendo, œconomicam iuri domestico, & politicam iuri politico laborare, quam diuisionem, idcircò reiiciunt passim DD. quia Ius commune omnibus, non aliud est quam quod commune est omnibus, & non vni solùm ciuitati proprium pari ratione cum Religio, & diuinus cultus, maximè quoad actus internos, & magnam partem quoad externos, tum in singulis, tum in communi eiusdem naturæ sit, non est separanda scientia, quæ de illa tractat in monasticam, domesticam & ciuilem, cum eadem singulis, & ciuibus præscribatur, quoad actus verò externos, cum aliqui sint qui seorsim à singulis cum eisdem cerimoniis fieri non possint, illi non differunt natura, sed apparatu, & adiunctis duntaxat quibusdam, & interdum postulant certos ministros, cùm alij ipsos exercere nequeant, de quibus poterit tradi peculiaris tractatio: verum & illa in vniuersali, & priori tractatione de Religione, eius actionibus, & causis præiuisse debuerit, deinde si explicatio de sacris hisce & initiatis ministris à priori tractatione, quàm monasticam dici volebant, sumenda foret, bimembrem tantùm haberemus scientiæ Canonicæ diuisionem, cuius prima pars ageret de iis quæ sacræ leges circa diuinum cultum sanciunt: Secunda pars de personis quæ diuino cultui promouendo, curando & exercendo destinantur, déque earum muniis, obligationibus, ac potestate. Verùm vtraque illa tractatio politica dici deberet, neque vlla ratio afferri poterit. Cur prior tractatio de Religione, & eius natura monastica dicenda foret.

Dices, idem obiici posse in solemnem scientiæ moralis Aristotelicæ diuisionem, quam omnes agnoscunt, cùm virtutes & actiones honestæ, de quibus Monastica disputat, & quæ ad ciues, atque ad singulos pertineant, & ad eundem finem; nimirum fœlicitatem, & summum bonum, de quo idcirco statim initio quærit Aristoteles, obtinendum tendant.

Respondeo alias longè esse actiones honestas quæ à singulis seorsim sumptis exiguntur, alia officia quæ à personis familiam constituentibus, alia quæ à ciuibus, & à magistratibus exercentur, & diuersas in illis omnibus attendi honestates, quæ ex variis circumstantiis, modis, & personis ita variantur, vt mutatione aliqua istorum adiunctorum deficiant ab honestate debita, & requisita, atque adeò degenerent in vitia, cùm Religionis honestas eadem in omnibus sit siue priuata, siue politica, siue domestica, vt ita dicam, existat: quamuis in quibusdam personis aliquando sit maior, aut minor obligatio, aut etiam potestas eas exercendi, vnde non videtur esse ratio sufficiens scientiam quæ de exercenda Religione, eius honestate, & causis disputat, partiendi in monasticam, œconomicam & politicam vti contingit in morali quæ de honestate humanæ actionis disputat. Est enim triplex humana actio, priuata scilicet, domestica & ciuilis quæ singulæ propriæ & diuersæ honestatis capaces sunt, illáque informari debent, quod facit scientia moralis quæ ideò rectè triplex constituitur, pro triplici actione quam dirigit, & quam propria ipsi honestate informandam suscipit.

Alium itaque Aristotelis *in libris Politicorum*, ordinem sectari, etiam in nostra scientia Canonica placet, quandoquidem & ipsa sacra politia est, cum sit τάξις τῆς πόλεως, nimirum Ecclesiæ quæ ciuitas quædam est, ordinatio, vti πολιτείαν ἢ πολίτευμα, definit Aristoteles. Ipse igitur incipit a ciuitate & eius partibus, quare *lib. 1.* eas enumerat, & inter se distinguit, agit igitur de domo, familia, vico, vicinia, viro, vsore, coniugio, hero, seruo, seruili imperio, arte quæstuaria, re vxoris, & paterno imperio. Deinde quærit quænam sit optima gubernandi forma, & præstantissima πολιτεία, quare *lib. 2.* proponit varias Reipublicæ formas quas præstantissimi quique Philosophi descripserunt, & deinde *lib. 3. & 4.* de præcipuis disceptat, & quæ probandæ vel improbandæ sint quod & prosequitur *lib. ..* de causis præterea mutationum quæ in politiis accidunt *lib. 5.* disseruerat, denique *lib. 7. & 8.* de optimo gubernandi statu, & optima politia ex proprio sensu philosophatur, & quibus in rebus optima & beatissima ciuium vita collocanda sit, quare *lib. 7.* agit de ratione vrbium condendarum, de ædificiis publicis, de ciuibus, & eorum institutione, de matrimonio contrahendo, liberis alendis, & educandis, & *lib. 8.* de puerorum institutione, déque artibus quibus informari debeant, hac itaque Aristotelica methodo licebit sacram quoque & Ecclesiasticam politiam tradere, & primo quidem de Ecclesiæ ciuitate eiúsque partibus aget deinde de eius gubernanda ratione 5. de eius Senatu, magistratibus & iudiciorum ratione quod præstitit Aristoteles *lib. 4. sub finem*. Nam sine illis contineri Respublica non potest, quæcumque tandem eius regendi forma constituitur, demum de omnibus quæ ad ciuium Ecclesiasticæ Reipublicæ optimam vitam, & beatam conferunt disputabitur, & de omnis generis ciuium Christiana institutione, vti tractat Aristotel. *lib. 7. & 8.* de quibus ferè omnibus sancitas ab Ecclesia leges habemus. Hic igitur ordo commodus videri poterit & facilis cum de Ecclesia primum disserat, deinde de eius gubernanda ratione, & demum de singulorum ciuium institutione pro ratione status ætatis, & conditionis in ordine ad fœlicem, & beatam Ecclesiæ vitam, ad quæ tria capita quidquid toto iure Ecclesiastico continetur reducere non fuerit operosum. Nihilominus sua quoque habet incommoda hic ordo & plura vel ieiunè nimis in qualibet parte huius diuisionis tractare cogeremur, vel eadem sæpius obtrudere, v.g. in prima parte de Ecclesiæ ciuitate, & eius partibus, si omnia quæ ad singulas partes pertinent pertractemus, totam pæne scientiam Canonicam trademus: quod idem fiet in Secunda parte de ratione gubernandi. Quia cum ad eam pertineant omnes sacri magistratus, si de iis eorumque muniis differamus, nihil ferè tractandum supererit, cum de illis ferè latæ sint omnès leges Ecclesiasticæ, quarum explicatio 20

explicatio

plicatio præcipua materia scientiæ Canonicæ existit. Deinde demus eam partitionem commodam esse, neque enim hac in re funem contentiosum ducere placet, restabit tamen quærendum quo ordine singulæ illæ partes distinctè tradendæ erunt, vt scientificè procedatur ne inter se perturbentur, aut misceantur non sine fastidio legentium & vt immensa illa prolixitas, cuius hanc notitiam omnes accusant, atque importuna rerum earumdem, legum & statutorum iteratio vitetur, & compendium temporis faciamus, nullo rerum & doctrinæ dispendio; quod operosum in hac rerum Sylua tractanda fatentur periti omnes.

21 Communior diuisio est in tractatum de personis, rebus, & actionibus; qua ratione Iustinian. Totam Iurisprudentiam diuisit, eamque diuisionem *toto lib. 1. institution.* prosequitur; eandem tradit Caius *in l. 1. D. de statu homin.* Rerum nomine intelliguntur tum adquirendæ tum alienandæ, quod amplius explicat Imperator *initio lib. 2. videamus* inquit, *de rebus quæ vel in nostro patrimonio, vel extra patrimonium nostrum habentur.* Vt facilè appareat, & contractus, & obligationes, & testamenta & alias omnes acquirendarum rerum rationes hoc verbo comprehendi. Per actiones intellige iudiciales disceptationes, & iudicia tum priuata, tum publica quibus quis ad iudicium agitur, siué ergo apud Prætorem bonorum possessio, aliave decreta, aut iudicia petuntur, siue, apud iudices, Recuperatoresve res sit, ea pars iuris ciuilis in qua de his rebus statuitur, actiones dicuntur. Quare legis actiones dicebantur olim formulæ à iurisconsultis conceptæ, quibus ex lege XII. Tabul. agi posset, idcirco falluntur qui in hac diuisione nomine actionis facta dictave interpretantur. Simili itaque ratione iuris Canonici partitionem plerique tradunt in personas, res, & actiones, quamquam Anton. Augustin. vt vocis ambiguitatem tolleret, actiones in iudicia commutauit, & tripartitam fecerit notitiam Canonicam de personis, rebus, & iudiciis: non videtur igitur esse commodior iuris Canonici tractandi ratio quam si eam quæ ab omnibus ferè iurisconsultis in interpretando iure ciuili tenetur, æmuletur.

22 Verùm non eo fine hanc iuris partitionem Caius & Iustinianus attulere, vt ostenderent nullam aliam esse iuris docendi, aut discendi commodiorem rationem, quam si de his tribus separatim tractetur, sed quia nulla pars iuris est nullus contractus, nullum negotium, nulla actio, nullum iudicium in quo tractando, si loci simul non incurrant, quod sapienter vidit Duaren. *lib. 1. disput. 5.* idque satis indicat imperator, cum ait, *parum est ius nosse si personæ quarum causa constitutum est ignorentur*, nempè frustra de rerum adquisitionibus, & iudiciis disseritur, si personarum ius ignoretur, neque enim seruorum eadem quæ liberorum, aut pupillorum eadem, quæ puberum, aut filiorum familias eadem, quæ Patrum fam. aut mulierum eadem quæ virorum; aut Magistratuum eadem quæ priuatorum ratio est. Itaque si iudicium constitutum sit, & postuletur à iudice vt suum cuique reddat, qui finis iuris est, litigatorum personas primum nôsse oportet, vt dent rem de qua disceptetur, postremo iudicem ex quo personas primum, res secundum, actiones tertium locum obtinere intelligitur, quia posito iudicio & rem de qua litigetur, & personas quæ litigēt, nosse oportet & si res contrahatur, emendo v.g. aut locando, personas contrahentes nosse necesse est, personæ autem sine iudiciis esse non possunt vel commentatur Hotman. qui & obseruat Tribonianum qui verba illa institutionum retulit ex Hermogeniano, illa contorsisse, neque fideliter retulisse. Cùm Hermogenian. dixerit parum est nosse *ius reliquum* nimirum quod ad res & iudicia pertinet, *si personarum ius ignoretur.* quæ verba sententiam perspicuam reddunt, & nihil faciunt ad rationem docendi, discendiue iuris, neque ex illis benè colligitur in scientia politica primùm tractandum esse de personis, tum de rebus, & actionibus. Quare neque, nos in tractanda scientia Canonica partitionem illam sequi cogimur, & seorsim de rebus, de personis, & actionibus agere, sed solum inde sequitur in iudiciis Canonicis non modo res de quibus controuertetur, sed etiam personas, quæ disceptent esse oportere, immò & de illis deque ipsarum iure priori loco dicendum esse, vti enim dixit Donatus *in Adelphis II. 4.* omne quod geritur aut in rebus est, aut in personis, aut in attributis earum, neque de re aliqua Sacra, neque de Canonibus sancitis disserere possumus nisi constet de personis ad quas ea res pertinet, & quibus vel à quibus & de quibus rebus sanciantur illi Canones: vnde fit vt, vix trium istorum tractationes separari inuicem valeant.

Vides igitur diuersas istas rationes tractandi scientiam Canonicam sua incommoda, æquè ac commoda habere, tuum erit quem libuerit ordinem tenere, modo & vniuersam scientiam complectatur, & perturbationem atque earumdem rerum iteratam molestamque repetitionem vitet, & denique perspicuus atque scientificus existat. Mihi placuit ex singulis hactenùs allatis aliquid libare, omniumque commoda colligere, & incommoda fugere.

Totam igitur hanc scientiam in quatuor sectiones præcipuas siue Tomos partior. I. Tomo naturam & existentiam scientiæ Canonicæ eiusque proprietates aliaque consueta scientiarum prolegomena imprimis trado, deinde cum in iure Ecclesiastico enucleando tota hæc scientia occupetur, de Ecclesia eiusque partibus exemplo Aristotelis qui in politicis priori loco, vt nuper monebamus, agit de ciuitate paucis & in vniuersum disputabo & sanè Ecclesia est tum scientiæ Canonicæ, tum iuris Canonici subiectum vt constat ex *cap. 2.* illud igitur præcognosci oportet antè explicationem iuris quo ipsa regitur, tertio loco de ipso iure Ecclesiastico in vniuersum disseram quæ sit eius natura an vnum aliquid simplex an ex pluribus aliis iuribus conflatum an cum aliis consentiat, vel dissentiat, an illa excludat vel vel complectatur an sit vnum aut multiplex, quis eius author, & conditor quænam eius obligatio & quanta, quænam eius & scientiæ Canonicæ, vniuersalia & certa principia existant; ad extremum locos ex quibus argumenta sua depromit hæc scientia, perscrutabimur. Itaque primum hunc tomum inscribo, de existentia & natura, subiecto, materia scientiæ Canonicæ, eiusque principiis, ac locis. Nam cùm vniuersaliora præmitti debeant tanquam principia singularium, hæc omnia quæ modo enumerauimus præcognosci oportet vt lucem affundamus reliquis tractatibus qui magis singularia attingunt. 23

Tomo II. ago de Religione & diuino cultu atq; omnibus actionibus & obseruationibus sacris cùm enim finem totius sacræ & Ecclesiasticæ politiæ statuerimus Religionem, & diuinum cultum, quem vnum curat ac promouet ideoque finem & obiectum scientiæ canonicæ dixerimus esse honestatem actionis Religiosæ, siue actionem Religiosam, cùm in notitiis practicis qualem esse scientiam canonicam ostendimus, finis & obiectum coincidant, deque primario fine & obiecto priori loco tractandum sit methodo 24

scientificâ procedenti de Religione quoque nobis ipso initio tractationis disputandum est, atque de toto diuino cultu variisque actionibus ad illum pertinentibus, hoc est sacris: quandoquidem illas omnes scientia canonica debita honestate informat, & vt ritè fiant instituit, de iisque sancitos canones & leges explicat atque illis opposita vitia vel defectus aperit: quare fusior est ista tractatio, vt patet quæ 1. Religionis omnes actus tum internos tum externos in se spectat, 2. eos qui vel à Christo, vel ab Ecclesia instituti sunt vt sacramenta, sacrificium christianum, 3. peculiares ritus & cæremonias, omnemque sacrum & Religiosum apparatum, atque, vt vno verbo dicam, totam obiecti canonici amplitudinem complectitur.

25 Tomo III. de sacris & Religiosis personis, quæ, perficiendis sacris actionibus initiatæ sunt, & vel sacra omnia moderantur, vel Religioni peculiari ratione vacant, & demum de vniuersa Hierarchia ecclesiastica disputabimus. Hoc ordine imprimis agemus de natura hierarchiæ ecclesiasticæ 2. de potestate hierarchica 3. de personis in quibus reperitur & singulis gradibus hierarchicis de earum functionibus, priuilegiis impedimentis, obligationibus, & cæteris eiusmodi: denique forum Ecclesiasticum ac iudicia canonica exponemus. Hunc itaque tomum de sacris ac religiosis personis atque vniuersa hierarchica ecclesiastica foro ecclesiastico & iudiciis canonicis inscribimus.

26 Tomo IV. Res ecclesiasticas complectimur, hoc est bona ecclesiastica tum mobilia, tum immobilia & reditus vndecumque proueniant, nempè oblationes, decimas, prædia, ditiones, iura varia temporalia & cætera eiusmodi deque horum omnium authoribus acquisitionibus, alienationibus & vsu differemus huic tomo titulum de rebus & bonis ecclesiasticis præfigimus.

27 Quia verò conciliorum sacri canones, & Pontificum decreta quibus totum ius ecclesiasticum maximè continetur, non vno loco sed sparsim toto hoc opere adducentur & explicabuntur prout materia quæ tractabitur, & de qua istæ Leges feruntur, postulabit, quod nostro quidem instituto satis foret, cùm omnia ex eiusmodi sacris legibus & certo iure definiamus, rationes quæ conditores legum persuaserunt afferamus, veramque sententiam eiusmodi sacrarum legum ex earum causis, atque variis adiunctis demonstremus; nihilominus quia plures aliquorum canonum explicationem, & sententiam, quærere seorsim possunt, quibus molestum, & importunum foret vnum aliquem canonem proprio loco in quo adductus est quærere, prius enim eum scire oporteret de qua materia agat in qua operis parte & loco adducatur & præterea cum ad plures materias vnus & idem canon nonnunquam pertineat, & ad illas explicandas afferatur, illæ omnes etiam quærendæ forent & denique cum aliquando vno tantum loco lex adducatur, alibi verò fusius explanetur, aliquando etiam ab aliis dissentire videtur cuius antinomiæ explicatio necessaria est ad extundendum verum & legitimum canonis sensum, hærebitque lector vbinam quærenda sit eiusmodi conciliatio; & quia aliquando ex his canonibus vnus vno loco adducetur alius alio, neque vbique: eius repugnantiæ & dissidij mentio fiet: nam quoties allegatur aliqua lex omnia quæ ad illam pertinent, explicari non solent sed solùm quatenus subiecta materia postulat, ad hæc igitur aliáve quamplura incommoda vitanda atque ad Compendium temporis laborisque lectoris, dabimus sub finem Tomi primi totius iuris ideam, œconomiam & analysin: Deinde vltimo loco subiiciemus V. tomum in quo difficiliores omnium conciliorum canones & Pontificum decreta perpetuis notis, & breuibus scholiis elucidabimus indicatis locis in quibus fusius reliquo opere de illis egimus. In primis igitur trademus vniuersales regulas easque certas istis canonibus & decretis intelligendis idoneas vel etiam necessarias; 2. dabimus omnium canonum & decretorum seriem & ἀκολουθίαν vti loquũtur sæpius PP. seruato conciliorum ordine vti factum videmus in versione Dionysij exigui annotatis in singulis quæ notanda apparebunt: complectemur quoque conciliorum etiam prouincialium canones, eadem ratione temporis. Non describemus tamen integros canones, neque attingemus, nisi eos qui vel ratione rei constitutæ, vel ratione temporis, vel ratione vocum vel ratione contrarij vsus aliave de causa expositione & luce aliqua indigebunt, quod ipsum circa decreta & constitutiones Pontificum præstabimus. 3. omnium canonum & decretorum indicem texemus in quo singulos ad certos titulos & summa capita reuocabimus & eos omnes qui inter se consentiunt vel dissentiunt indicabimus, atque ita habebimus paratitla. Denique leges ciuiles consentientes vel dissentientes cuique canoni apponemus, eaque ratione νόμον canonem eúmque accuratum tibi pollicemur. Hunc porrò tomum V. notarum perpetuarum vel scholiorum in omnes Conciliorum difficiliores canones & Pontificum decreta titulo donamus. Habes nisi mihi nimium blandior exquisitam totius scientiæ canonicæ partitionem, quæ vniuersam quanta quanta est illius materiam complectitur, perspicuo & commodo ordine quem expansum in synopsi tradita in operis totius exordio consulas.

QVÆSTIO II.

Quis sit idoneus scientiæ canonicæ discipulus & auditor.

Delectus habendus n. 1.
Natales & patria n. 2.
Ætas quænam commodior n. 3. & 4.
Literæ quales n. 5.
Grammatica ibid.
Critice n. 6.
Polymathia n. 7.
Historia eiusque partes. ibid.
Dialectica n. 8.
Philosophia moralis ibid.
Religio n. 9.
An Theologi. ibid.
Modus & ordo studendi n. 10.
Corrasij ibid.
Duareni n. 11.
Leuncalauij n. 12.
Noster n. 13.
Exercitatio. n. 14.

DVo quæro hoc loco primum quibus rebus instructum esse oporteat eum qui scientiæ canonicæ studio se addicit, secundum quo ordine et ratione huic studio vacare debeat.

Sapien

Sapienter omninò Theognides apud Themistium *orat.* 1. queritur in cæteris disciplinis & opificiis tantam adhiberi diligentiam seligendis idoneis tyronibus, & tamen temerè ac sine delectu ad studium philosophiæ maximè moralis, de ea siquidem loquitur, admitti, vol*ique* ipsius generis & educationis magnam in istis tyronibus haberi rationem quandoquidem etiam in certaminibus Olympicis parentes & genus certaturi, indicandum erat, quod si sordidum & illiberale genus esset reiiciebatur, neque existimat Themist. Sordidum, & seruile stirpis vitium idoneum esse philosophiæ eo quod aliquid illiberale impressum animis relinquat, quod à philosophiæ dignitate plurimùm abhorreat itaque magnam in deligendis & admittendis Auditoribus diligentiam impendebat Pythagoras; quibus sublimem suam philosophiam eiusque sacra mysteria committeret quod testatur Lysides *Epist. ad Hipparchum*. Sed hoc præuium examen debet præcipuè fieri circa indolem, ingenium, & mores. Rationem videtur mihi idoneam afferre Clemens Alex. *lib.* x. *Stromat. cap.* 3. Quod in disciplinis docendis non sufficiat sola doctoris eruditio, & opera, plurimaq; conferre debeat auditor vti & ad sphæræ ludum non satis est aliquem mittere sphæram, nisi alter numerose illam excipiat ex sphæræ legibus, simili ratione nulla est optimæ doctrinæ vtilitas nisi ad sit eius qui discit susceptio conueniens, debetque omninò esse aliqua cognatio & veluti Sympathia inter discipulum & doctorem ad disciplinæ profectum : nam vt ait Clem. *eo loco* Aridæ stupæ faciliùs accenduntur, cum iam paratæ sint ad suscipiendā flammam & lapis Herculeus ferrum trahit propter cognationem, lachryma succini festucas attrahit, & electrum paleas : denique terra fertilis adiouat ad seminum deiectionem, siue potius ad sementis commissæ prouentum vberem. Et Seneca *epist.* 112. *Non qualibet insitionem vitis patitur si vetus & exesa est, si infirma gracilisque aut non recipiet surculū aut non alet, nec applicabit sibi, nec in qualitatē eius naturamque transibit.* Itaque *Solemus supra terram præcidere vt si non responderis, tentari possit secunda fortuna, & iterum repetita infra terram inseratur.* Quæ omnia ostendunt non esse quemlibet promiscue, ac sine delectu ad philosophiam moralem ac ciuilem admittendum & multò minus ad sacram politiam & scientiam canonicam expendendumque esse quænam existat soli indoles, cui hanc diuinam sementem mandet, quænam sit qualitas; & natura vitis aut arboris, cui surculos hic aureus inserendus inoculandusque est.

2 Volebat igitur primo Theognides *orat. citatâ* etiam genus & stirpem spectari, & sordidum ac illiberale reiiciebat : Verùm quamvis non diffiteamur natales plurima conferre ad indolem & ingenium, liberalem ac sordidum animum, maximè cùm humillimum eiusmodi genus, humilis quoque & sordida educatio consequatur, quæ similes mores pariat, & plurimùm videmus vnà cum labe sanguinis morum quoque ad posteros deriuari quod fusius illustrat. Tiraq. *in l.* 7. *connubialem* cum tamen ex humillimo genere magni, & illustres viri quandoque prodeant, quod pluribus ostendit Tiraquell. *cap.* 4. *de nobilitate*, eaque de causa tritum fit illud ex virtute ac moribus quærendam esse nobilitatem, potius quàm aliunde, quod eo capite demonstrat Tiraqu. atque *cap.* 21. & Iuuen. *Satyr.* 8. in Plancum qui Drusorum sanguine tumentem & se Cecropidem iactantem ridet, quod alij ex infima plebe tum militiæ, tum in foro clarerent eloquentia & egregiis factis dum ipse instar stipitis & lapidis nihil egregium ageret.

——Tumes alto Drusorum sanguine, tanquam
Feceris ipse aliquid propter quod nobilis esses
Vos humiles, inquit, vulgi pars infima nostri
Quorum nemo queat patriam monstrare parentis
Ast ego Cecropides : viuas & originis huius
Gaudia longa feras tamen ima plebe Quiritem
Facundum inuenies. Solet hic defendere causas
Nobilis indocti, veniet de plebe togatâ
Qui Iuris nodos & legum ænigmata soluat
Hic petit Euphratem Iuuenis, domitique Batani
Custodes aquilas armis industrius, at tu
Nihil nisi Cecropides truncoque simillimus hermæ
Nullo quippe alio vincis discrimine, quam quod
Illi marmoreum caput est, tua viuit imago.

Quare non est quod ratione vilioris gentis, & originis à disciplina Philosophica & Canonica quempiam arceamus, nisi & humili quoque ingenio, moribusque abiectis sit, alioquin reponere iure poterit cum Anacharsi, cum illi quod Scytha esset obijceretur τῷ γένει, ἀλλ' οὐ τῷ τρόπῳ genere quidem Scytha sumat non moribus apud Stobæ. *serm.* 84. vel vt refert Laërtius mihi quidem patria dedecori est, tu verò patriæ; sapienter enim Flauius Vopiscus in Aureliano de eius humili genere agens, *nec tamen magnorum Principum virtus summa sciendi est* (Sic enim lego non vt veteres Codices habent *virtutibus.*) *vbi quisque sit genitus se qualis, in Republica fuerit, an Platonem magis commendat quod Atheniensis fuerit, quam quod vnicum sapientiæ lumen illuxerit, an eo minores inueniuntur Aristoteles Stagyrita, Eleatesque Zenon, aut Anacharsis Scytha, quod in minimis nati sunt viculis, cum illos ad cælum omnes philosophiæ virtus extulerit*, & Ambros. *lib. de paradiso cap.* 4. *Animaduerte quod extra paradisum factus est, homo, intra paradisum mulier : vt aduertas quod non loci nobilitate sed virtute vnusquisque gratiam comparat sibi denique extra paradisum hoc est in inferiore loco vir factus melior inuenitur*, & illa quæ in meliori loco hoc est in Paradiso facta est *inferior inuenitur*.

Sicut de loco ista, de ætate discipuli quærendum esse volunt : Iuuenes enim ab hac disciplina remouent 3
Arrian. *lib.* 3. *cap.* 6. Musonnis *lib. de exercitio apud Stobæum serm.* 19. Lysides *in Epist. ad Hypparchum superius laudata*, cæterique passim veteres atque ipsemet qui instar omnium nobis est, Aristotel. *lib.* 1. *Ethicor. cap.* 1. vel ex versione Perionij *cap.* 3. τῆς πολιτικῆς οὐκ ἔστιν οἰκεῖος ἀκροατὴς ὁ νέος : nempè quia inexpertus est actionum quæ in hac vita aguntur in humanis commerciis ἄπειρος γὰρ τῶν κατὰ τὸν βίον πράξεων de quibus tamen tota est ista disputatio politica deinde cùm animi sui affectibus obsequatur τοῖς πάθεσιν ἀκολουθητικὸς ὢν inutilem operam huic disciplinæ impendet cum eius finis non sit cognitio sed actio οὐ γνῶσις ἀλλὰ πρᾶξις, quam sine dubio constanter tenere, qui indomitis affectibus perpetuò commouetur, non poterit, neque prudentiam cuius præcepta discere debet, sequi, eiusmodi verò esse iuuenem quis dubitet eùm vt ait Chrysostom. *ep.* 3. *ad Olympiad.* Magna sit in iuuene concupiscentiæ tempestas, ratio verò longè imbecillior ἡ πολλὴ τῆς ἐπιθυμίας ζάλη, ἀσθενέστερος δὲ ὁ λογισμός, Præterea cum iuuenes sint φιλότιμοι, & ob vires corporis sciant se posse præstare, quæ ira iusserit, facilè & vehementer excandescunt; prodigi quoque vnde Horatius *in arte, vtilium tardus prouisor, prodigus æris*, sunt quoque iuuenes creduli, immo & omnia in bonam partem interpretantur cum dolis & fraudibus vulpiones nondum facti sint, cautiores sunt & bonæ spei pleni εὐέλπιδες neque facilè despondent animum siue ex abundantia caloris natiui, siue experientiæ defectu cùm numquam aut rarò spe exciderint, siue ætatis priuilegio cùm plurimum temporis sibi superesse existiment ad consequenda quæ sperant, vnde fit vt plura temerè suscipiant, sunt, & μεγαλοψυχικοί vehe-

menter proni ad inferendam iniuriam, denique ad risum, & dicacitatem aliaque omnia vitia & intemperantiam incitati, neque proinde cum hac continua perturbatione prudentiam & rationem monentem vel etiam imperantem audire facile possunt, ideoque vt monebat Aristoteles inutilem huic disciplinæ, quæ exquisitam prudentiam exigit, operam dabunt.

4 Senectutem igitur huic disciplinæ idoneam faciunt & vt ait Seneca, hæc ætas maximè facit ad hæc studia, *iam despumauit, iam vitia primo feruore adolescentiæ indomita* Lassauit, *non multum superest vt extinguat.* Verum hæc omnia quæ iuuenibus obiiciuntur vt à disciplina politica maxime sacra reiiciantur facile; neque minori iure tegeri possunt in senectutem nam & senes sæpè in vitiis inueterati sunt, & difficile illa deponunt vnde Sen. *epist.* 112. *Hic de quo scribis & mandas non, habet vires, indulsit vitiys, simul, & emarcuit, & indurtuit, non potest recipere rationem, non potest nutrire* quibus verbis optimam rationem affert Seneca propter, quam eiusmodi senes à philosophia ista reiiciendi sint, cum & vitiis iisdem & impedimentis, quibus Iuuenes tenentur, illisque occalluerint, minoresque vires ad illa emendanda habeant. Quamvis enim vehementiores sint iuuenum impetus, quàm Senum, illi tamen futuræ virtutis signa quædam, & incitamenta sunt: vnde Cicero orat. pro M. Cœlio. *Non loquor de sapientia quæ non cadit in hanc ætatem de impetu animi loquor, de cupiditate vincendi de ardore mentis ad gloriam, quæ studia in his iam ætatibus nostris contractiora esse debent, in adolescentia vero tanquam in herbis significant quæ virtutis maturitas, & quanta fruges industria, sint futura* Ab hac vehementia affectuum, qui sunt in iuuenibus Græci νεανικὸν accipiunt pro magno vt apud Arist. *lib.* 1. *de histor. animal.* πόροι νεανικοὶ, apud Aristophan. *in Pluto* πλεῖς νεανικὸν *& ab Athenæo lib.* 4. λοπὰς νεανικὴ *quæ est Causabono lib.* 4. *animad. in Athen. cap.* 21. & *lib.* 13. *cap.* 9. patina ingens, quod male Dalechampius verterat *olla noua* ab hac magnitudine animi qua feruntur iuuenes, quæ deferbuit in senibus grandia, & sublimia spetare licet ab illis, & non ab istis, qui etiam non carent vehementibus animi cupiditatibus & commotionibus, licet ob virium imbecillitatem, eas non prodere neque perficere possint, illæ tamen & rationem obnubilant & prudentiæ, flammas extingunt; nam & excandescunt facile senes licet calorem, quem ita accendit in iuuenibus, natiuum frigus citius extinguat in senibus, quorum vt ait Arist. iræ acres sunt, Sed citò dissolubiles οἱ θυμοὶ ὀξεῖς μὲν εἰσὶν, ἀσθενεῖς δὲ & apud Lucian. in Timon. expostulat Timon cum Ioue quod iam senex hominum malitiam multam patiatur, neque vt quondam iuuenis irascatur: & Nazian. de Eusebio scribit cum rigidior olim fuisset senio malacissari, vt ferrum igni, inquit, ita hic senio mollescit ὥσπερ σίδηρος πυρὶ, τῷ χρόνῳ μαλάσσεται. itaque senes facilè excandescunt licet per imbecillitatē virium, facilè quoque resideat ira, vnde Scholiastes Euripidis refert ex Sophocle.

Ὀργὴ γέροντος, ὥσπερ μαλθακὴ κοπὶς
ἐν χειρὶ θήγει ἐν τάχει δ' ἀμβλύνεται
Senilis ira mollis in guttæ modum
Pungit manum sed illicò retunditur.

Quin immò ex animi mollitie & languore quoque corporis, facilius nasci iram ex sapientum sententia dixit Ammian. Marcelli *lib.* 27. de ira Valentiniani disserens, hanc esse animi vlcus diuturnum, interdúmque perpetuum prudentes definiunt, nasci ex mentis mollitie consuetam; id asserentes argumento probabili quod iracundiores sunt incolumibus languidi, & fœminæ maribus, & iuuenibus senes, & fœlicibus ærumnosi. Iam verò si cæteros iuuenum & senum affectus inuicem componamus, eos omnes æquè prudentiæ & disciplinæ contrarios esse, nisi castigentur videbimus: iuuenes profusi, & prodigi, Senes ad rem attenti ad ipsas vsque sordes, imprudenter sanè cùm quòminus illis viæ restat, plus viatici sibi quærant, vt aiebat Cicero in Catone. Neque crimen illud satis diluit Simonides apud Stobæ. *serm. de iniust. & auarit.* malle se defunctū relinquere opes inimicis, quam viuum egere amicis. Iuuenes omnia benè interpretantur, quia vt ait Plato *lib.* 3. *de Rep.* non habent in se exempla earum perturbationum, quas habent improbi οὐκ ἔχοντες ἐν ἑαυτοῖς παραδείγματα ὁμοιοπαθῆ τοῖς πονηροῖς: Senes verò & suspicaces sunt, & omnia in deterius rapiunt: iuuenes sunt creduli, & dolis facilè capiuntur, senes φιλοψίμαχλοι, & timidi ad fraudes atque ad versutiloquos, suspicantur & timent omnia, garrulitate suâ mactant Auditores vt pote ἀπερμολόγοι, Quare Menelaus apud Euripidem dixit Peleo Senem nihil aliud posse πλὴν λέγειν μόνον: Iuuenes verecundi, Senes inhonesti, & inuerecundi. Admetus parenti suo apud Euripidem in Alcestide τὸ γῆρας ὡς ἀναιδείας πλέον Senectus plena vt impudentiæ est, iuuenes μεγαλόψυχοι, & vt Horatius *sublimis, senex* Res omnes timide gelideque ministrat, inquit Horat. *in arte* Iuuenes honestum præferunt vtili, Senes vtile præponunt, quia nihil vita carius habent, cuius parua pars superest. Iuuenes φιλόφιλοι quia Societate gaudent; Senes amant tanquam osuri: iuuenes excessu peccant: senes defectu & in sermonibus ferè addunt τάχα forsan quia in omnibus & omnibus diffidunt. Iuuenes iniuriam inferunt contumeliæ, potius quam malitiæ causa: & Aelian. Epistola ad Dercyllum amatorem, ait vinum nouum contumeliosum esse ob ætatem ὡς ὄινος ὑβριστὴς διὰ νεότητα, id verò fieri dicitur contumeliæ causa, quod fit ob voluptatem quam quis percipit ex eo quod videatur esse cæteris præstantior, & ἄλλων ὑπερέχειν: Senes magis iniurij sunt ob malitiam, quam ob contumeliam, iuuenes risum amant, & facetias, quas Senes aspernantur qui difficiles & queruli sunt δύσεργοι ἢ φιλάργυροι, quia contemni se putant, despicā & illudi, & in fragili corpore odiosa est omnis offensio, inquit, Tullius *in Catone*: tales igitur non possunt esse εὐτράπελοι, ἢ φιλογέλωτες faceti & jocorum studiosi, cum querulum & jocosum ἐναντίον. τὸ δύσεργον φιλογέλωτι inquit Arist. ex his aliisque iuuentutis & Senectutis vitiis, in quibus recensendis immorari non licet. Vides vtramque illam ætatem minus idoneam esse disciplinæ Morali Politicæ, & Canonicæ, si solius ætatis, & eius affectuum atque propensionum habeatur ratio atque adeò potius attendendos cuiusque in ætate quam ducis mores, & vitia quæ hominem ad ista studia minus idoneum aut fortassis ineptum omninò reddunt: quamuis non diffiteamur aliquam ætatem maiora impedimenta, aut adiumenta ad istam disciplinam afferre, hocque sine dubio voluit Arist. *lib.* 1. *Ethic. cap.* 3. *nuper citato sub finem* vbi iuuentutem ex moribus metiendam esse monet: *ætate inquit sit iuuenis, an moribus nouus & rudis nihil refert* διαφέρει δ' οὐδὲν νέος τὴν ἡλικίαν ἢ τὸ ἦθος νεαρός: rationem reddit quia culpa non est in corpore, sed quod secundum passiones viuat, & singula pro impetu prosequatur οὐ γὰρ παρὰ τὸν χρόνον ἡ ἔλλειψις, ἀλλὰ διὰ τὸ κατὰ πάθος ζῆν καὶ διώκειν ἕκαστα: neque omninò opus est ad has disciplinas accedentes iam animi motus omnes domuisse, cùm ad id præstandum, illis instruatur, & hæ disciplinæ comprimendis affectibus, & in gyrum rationis ducendis totæ sint. Si igitur quis facilis & do-

silis

eillis indolis ac ingenij sit, siue senex, siue iuuenis ex hac disciplina proficiet, illique addicere se debet, neque alium esse sensum Aristotelis docet Eustrat. *in cap. 1. cit.* quare rectè Seneca *ep. 76. omnis ætatis homines hæc schola admittit, in hac senescamus, hanc vt iuuenes sequamur tandiu discendum est quemadmodum viuas, quandiu viuis.* Epict. *ep. ad Manecèum apud Laertium: lib. 10.* & Clem. *lib. 4. Stromat. cap. 4.* Sapienter sic monet *neque iuuenis quispiam dum est, philosophari negligat: neque senex cum sit, philosophando fatigetur: Nequè enim intempestiuus vllus est, neque qui ad anima sanitatem tempus non habet idoneum, qui autem dicit aut nondum philosophandi tempus esse aut tempus præteriisse, ei similis est qui dicit ad beatam vitam, aut non adesse tempus, aut non amplius esse: philosophandum igitur est & iuueni & seni; illi quidem vt senescens in virtutibus vigeat præteritorum gratia; huic vt iuuenis vna & Senex sit, quod futurorum careat metu*, quæ veterum dicta de morali philosophia, quam solam hoc nomine fere dignabantur, nostræ quoque sacræ politiæ & canonicæ quadrare non negabis.

Restat igitur vt tota idoneitas discipuli ad perdiscendam nostram hanc scientiam non ex ætate sola, sed maximè ex indole, ingenio & moribus petenda sit.

5 Sed videndum prætereà restat quibus doctrinis instructus esse debeat hic discipulus, dum huic studio sacræ politiæ se addicit. In primis politioris literaturæ minime ignarum volo, ne barbariem quandam in sacram nostram scientiam inducat, vti in ciuilem iurisprudentiam fecere imperiti quidam harum literarum glossatores, quorum striblíginem, & ἀπειροκαλίαν nemo sine risu aut indignatione patiatur politioris verò literaturæ nomine intelligo Grammaticam γραμματικὴν quam literaturam vocat Quintilia. *lib. 2. cap. 14.* Martian. Capella *lib. 3.* Marius Victorin. *lib. 1. art. grammat.* August. *lib. 2. de ordine cap. 12.* Isidor. *lib. 1. cap. 3.* dicere quoque posses literariam, & quidem si grammaticam secundum proprium & antiquum eius significatum accipias, statim apparebit illam esse nostro discipulo necessariam; erat enim antiquissimis temporibus ars dumtaxat legendi & scribendi. Sic in Charondæ legibus definitur apud Diodorum Sicul. *lib. 12.* ἐπιστήμη τοῦ ἀναγινώσκειν καὶ γράφειν idem ait Aristoteles *lib. 6. topicor.* vbi malam esse ait definitionem qua grammatica definitur scientia scribendi res prolatas, sicut & eam qua definitur ars legendi complecti enim vtrumque debet definitio, cùm vtrumque definito conueniat, afferti quoque solet illud ex eodem Arist. *lib. 1. de Elench. cap. 3.* vbi ὁμωνυμίας hoc exemplum affert ὅτι μανθάνουσιν οἱ ἐπιστάμενοι τὰ γὰρ ἀποστοματιζόμενα μανθάνουσιν οἱ γραμματικοί, Sophisma in eo est. Grammatici μανθάνουσιν Grammatici sunt periti, ergo periti μανθάνουσιν. Fraus est, quod vt ait *ibid.* Arist. μανθάνειν & discere, & intelligere significet at verò γραμματικοὶ se habent ad ἐπισταμένους vt species ad genus suntque realiter idem. Deinde iis qui solum legere & scribere discunt, non conuenit vox ἀποστοματίζειν quæ Suidæ est ἀπὸ μνήμης λέγειν καὶ ἀπὸ στόματος ἄνευ γραμμάτων, memoriter & citra scriptum dicere. Verum quidquid sit de mente Aristotelis eo loco, nemo negabit opinor artem Grammaticæ, in primaria & antiqua illa significatione necessariam esse Scientiæ Canonicæ, & Sacræ politiæ discipulo, qui Canones & Sacras leges discere debet, ad quod ipsorum lectio & scriptio plurimùm conferet, hoc enim maxime loco valet quod dixit Lactant. *lib. 3. cap. 24.* discendæ istæ communes literæ propter vsum legendi, quia in tanta varietate, nec discì audiendo possunt omnia, nec memoria contineri; ait verò Quintili. *lib. 1. cap. 7.* literas custodire voces, & veluti depositum reddere legentis: similia & de scripturæ commodis habent Plin. *lib. 13. cap. 11.* Tertullian. *de Corona*, Basili. *ep. 55. ad Ambros.* Theodoret. *serm. 6. de prouid.* Diodor. *lib. 12. Biblioth.* vbi de Charondæ legibus, quod si Grammaticam dicas esse, vti passim traditur, artem quæ loquendi scribendique quæ præcepta contineri, & vocum origines ac proprietates docet, eam veram esse Grammaticem, priorem autem illam non nisi imperfectam, aut anteuersoriam & πρόδρομον ideoque Grammaticam nominat Philo. περὶ τῆς εἰς τὰ προπαιδεύματα συνόδου Isidorus *lib. 1. origin. cap. 3.* dixit Grammaticæ artis infantiam August. *lib. 2. de ordine cap. 12.* vbi ita vocat eam, quam Varro, vt ipsemet refert, literationem appellat; vnde Grammatici & literatoris vel literionis siue Grammatistæ discrimen apud antiquos notum fuit; Grammaticam porrò perfectiorem, quam Clauim disciplinarum esse fatentur omnes, cuiusque luculenta elogia leges apud Quintil. *lib. 1. cap. 4.* Cassiodor. *lib. 9. & 21.* & alios necessariam esse discipulo quem instruimus quis neget, cum absque ea non nisi barbarè & putidè loqui posset, eius verò præceptis probè instructus & ornatè & purè dicere atque scribere possit? Huc traho quod habet Tertullian. *lib. de corona milit. literas necessarias confitebor & commercij rebus, & nostris erga Deum studiis.* Cum verò Grammatica ista perfectiorem duplicem constituant, μεθοδικὴν siue ὁριστικὴν & ἐξηγητικὴν siue ἱστορικὴν vtramque, quem instituimus discipulo necessariam apprimè esse statim constabit. Methodica enim consistit in artis præceptis: itaque nominatur quia continet μέθοδον viam, rationemque docendi, agit siquidem de sermonis veluti corpore & affectionibus & totam artem definitionibus, diuisionibus ac regulis explicat. Dicitur etiã ὁριστικὴ à definitionibus quasi finitiua, atque à regulis ac præceptis artis τεχνικὴ quasi artificialis. Et qui de hac Grammaticæ parte scripserunt dicuntur etiam τεχνικοί, & τεχνογράφοι. Vti vocat Herodianum Suidas *in v.* Ἀπολλώνιος Serui. *lib. 1. & 2. Æneid.* atque Cassiodor. *in præfat. de ortographia vocat* Artigraphos, quam vocẽ Hybridã esse dixit Vossius ea tamen vsus fuit Carol. magn. *c. 30 lib. 2. aduers. Concili. de imaginibus, si tamen illius operis ipse author fuit:* ait igitur omnia in scripturarum sanctarum amplissimis pratis inueniri posse, quæ Artigraphi in suorum hortorum areolis posuere vbi vocem Artigraphi non de solis grammaticis vsurpat, sed de aliis quoque artium professoribus, quos etiam omnes Eunapius τεχνικοὺς appellauit; quis verò huius grammatices methodicæ ignarum in sacram canonum disciplinam admittat, vt illam perpetuis barbarismis & solœcis conspurcet.

Altera verò grammaticæ pars quam ἐξηγητικὴν dixere, in scriptorum interpretatione versatur, verba siquidem enucleat siue propria siue figurata, dicitur quoque ἱστορικὴ qua autorum enarrationem curat, ad idque opus habet tùm veræ tum fabularia historiæ cognitione. Hac igitur grammaticę parte indigere discipulum sacræ iurisprudentiæ vt & ciuilis, res apertissima est, alioquin cæcutiet ad singula Verba quorum interpretationem non callebit; in aliena omninò sensa, leges & canones trahet, inde tot vocabularia & lexica composita, inde etiam titulus de verborum significatione, quem primo loco tradendum nostro discipulo plerique sapientes monẽt, denique ex inscitia nominum prouenire rerum ignorantiam docet fusius Ioannes Manardus Medicus *lib. 2. Epist. 1.* Antistius Labeo ex verborum proprietate difficillimos iuris laqueos soluere solitus erat, & Rab. David Kimchi ait

qui

qui studet legis diuinæ scientiam sibi comparare, neque discit fundamentum literaturæ. similis est aratori qui agit boues nullámque licet in manu habet virgam aut stimulum aculeatum.

Ad hanc exegeticæ grammaticæ partem pertinet cognitio græci sermonis, cuius ignorantia facit vt sæpè non efferamus quod legimus ob diuitias græci sermonis & latini egestatem, quam agnoscunt Lucret. *lib.* 1 *v.* 139. 831. *& lib.* 3. *v.* 861. Agel. *lib.* 11. *cap.* 16. Tullius *lib.* 9. *ep. vlt.* Tiberius in Senatu apud Sueton. *cap.* 11. & Dion. *lib.* 57. Denique quanta sit in iure ciuili græcarum literarum vtilitas ostendit Corasi. *de iure ciuili in artem redig.* 1. *parte cap.* 5. eo quod & Iustiniani nouel. & pleraque iurisconsultorum responsa græcè fuerint edita; quæ ratio æquè valet in scientia Canonica, cùm antiquiores canones græcè sanciti fuerint, & antiqui collectores græcè scripserint, nullique alij ante Innocentium I. fuerint vti alibi ostendemus. Adde plura interdum in ipso iure occurrere verba aliena & peregrina, ξενικὰ ex Arist. *lib. de poetica cap.* 21. quæ vel ex aliena lingua sunt, vel translata & figurata Clem lib. 1. strom. barbaras voces, quæ non dialecti sed glossæ dici debent, nihilominus glossarum, glossematum nomine tum barbaræ voces, tum obsoletæ dialecti, tum illæ omnes, quarum significatio minus obuia est, designantur sic enim indicat Varro *lib.* 6 *de l. l.* cum ait *Casmil. qui glossemata interpretati dixerunt ministrum.* Quintil. *lib.* 1. *cap.* 14. glossas & glossemata tum interpretationem linguæ secretioris, tum voces minus vsitatas, ipseque Galenus in glossis Hyppocraticis quæ olim fuere in vsu, sed esse desierunt.

Denique vocum origines sæpius vsui sunt iuris studioso, idcirco de illis & veteres & recentiores scripserunt Verrius Flaccus, quem magno damno in compendium redegit Festus, similem deinde, iniuriam & ipse passus, a Paulo Diacono, nihil vero dico de Varrone; è nostris Isidorus Hispalensis libros xx. originum ex optimis quibusque scriptoribus & plerisque Ecclesiasticis collegit, quos notis illustrauit Iacobus du Breul Monachus Sancti Germani à pratis Parisiis, atque vt hoc caput claudam lege querelas Francisci Duaren. Epistola ad Andræam Gulliardum de ratione discendi & docendi iuris in eos professores qui pro Latinis propriis, & elegantibus vocabulis noua eademque inepta & monstrosa eudunt quo disputationes suas obscuriores redderent, & offusa rudioribus caligine maiori in vulgus essent admirationi, sed magna auditorum & iuuentutis iniuria, cum eiusmodi oratio rebus obscuris nullam addat lucem, claris verò & perspicuis tenebras obducat, auditores sermonis rusticitate & plusquam Scythica barbarie à iuris seuerâ per se se disciplina auertant: deinde nullios ferè creduntur esse iudicij qui tam ineptè & inquinatè scribunt, siue loquuntur; demùm ingentem illam commentatiorum molem qua totum penè ius obrutum est, magna ex parte ex futilibus & otiosis altercationibus, quas puri sermonis contemptus & ignoratio pepererit; natum esse Duarenus affirmat.

Ad extremum vult iuuenem iis literis tinctum esse, quibus non tam leguleius, quam iuris consultus, ac πολιτικὸς sit futurus: nam sicut Arcesilaus dicebat in officinam fullonis lanam deferendam non esse, ita magno in errore versari eos, qui cum literis Græcis & Latinis, ne imbuti quidem sint, intempestiue & illotis vt aiunt pedibus ad iuris studium irrumpunt.

6 Necessaria quoque videtur rudis saltem aliqua critices cognitio, quam Grammatices quoque partem faciunt, & grammatici dicti sunt quoque critici, immò Critici priores quam grammatici fuisse appellationem monet Dio. Chrysosth. *orat.* 53. *de Homero:* consistit porrò κριτικὴ in emendatione & iudicio: quare duplex est eius munus. Primum emendatio falso scriptis authorum inserta tollit, corrupta à librariis corrigit, scripta spuria discernit à legitimis, iis etiam quæ perperàm dixere vel scripsere authores aliquam errati indicem notam apponit quam aliqui obelum, Fabius *lib.* 1. *cap.* virgulam censoriam, alij aliis nominibus à varia figura vocant; fuere enim variæ notæ de quibus scripserat Diogenes Cyzicenus & Suetonius Tranquil. teste Suida ϐ. Διογένης Τράγκυλλος quorum scripta periere, aliquas tamen eius notas disces ex Laërtio in Platone. Epiphanio *de mensur.* Isid. *lib.* 1. *origin. cap.* 20. Causabon. *in notis ad Laertium* Vuamnerio *cap.* 17. *Polymathiæ*, artem hanc censoriam τέχνην κριτικὴν olim scripserat Pamphilus Alexandrinus Grammaticus pluresque alij de ea egere atque in ipsis ipsemet Aristoteles à quo Criticem & grammaticem initiū habuisse dixit Diochrys. *orat.* 53. ἀφ᾽ οὗ φασὶ τὴν κριτικήν τε καὶ γραμματικὴν ἀρχὴν λαβεῖν Nominatissimus tamen fuit Aristarchus, adeo vt eius deinde nomen pro quolibet liberorum censore fuerit à Tullio & aliis vsurpatum; ille versus Homeri quos νόθους putaret ὀβελοῖς confixit de aliis criticis tum græcis tum latinis vide Vossium *lib.* 1. *de Grammat. cap.* 6. Quanta verò sit Critices necessitas apparet ex infinitis erratis, quæ imperiti librarij committunt de quibus quotidie querimur, & iam olim questi sunt Strabo *lib.* 14. *vbi de Apellicone* Galen. *lib.* περὶ ἀντιδότων Iræneus apud Eusebium *lib.* 5. *hist.* Hieron. *initio chronici Eusebiani*, ipsique imperatores Theodos. & Valentinian. dum rescribunt ad senatum Roman. de prudentum iuris responsis, quæque probanda, aut reiicienda sint hanc conditionem apponit. *Si tamen eorum libri propter antiquitatis incerta, codicum collatione firmentur ex ea si quidem collatione tum de iis iudicari legitimine, vel spurij sint, tum errata quæ irrepserint emendare licebit.* Quia verò non solum à librariis imperitis, sed etiam à sciolis aliquando peccatur, atque ipsis audaculis criticis, qui dum sanare se dicunt partes corruptas, vulnus illis infligunt, quare sæpius optatius foret incidere in antiquos Codices, quam in nouos correctos & emendatos, quod ipsum Timoni consulebat Aratus quærenti emendatissimum Homeri poëma, vnde fuit multiplex Homeri correctio διόρθωσις Ἀρισταρχεῖος, Ἀριστοφάνειος, & Ἀράτειος Aristarchea, Aristophanica, & Aratea. Denique pictores, Astronomi, grammatici & geometræ Arati poëma corruperunt dum quisque pro libito propriam lectionem, & interpretationem effingit, Galen. *commentario in lib.* 6. *Epidimiorum* queritur Hippocrates ab Artemidoro, Dioscoride & Capione corruptum, dum illum edunt quare coactus est ipse Galenus tum antiquos codices tum alios eius interpretes consulere, vide eiusdem *commenta* 1. *in librum Hippocrat. de natura humana.* Eadem audacia sanctos quoque scriptores corruptos esse ab iis qui illos se emendare iactabant, queritur Hieron. *in cap.* 8. *Match. in* 1. *ad cor. cap.* 14. *ad Galat.* 5. atque alibi, nosque sæpius in decursu operis obseruauimus. Itaque Critica ista necessaria omninò est nostro discipulo tum ne in emendatis codicibus decipiatur, tum ne ab ineptis & audaculis emendatoribus in errorem ipsemet inducatur.

Vt verò iudicium istud ferat tum de editionibus mendosis, tum etiam de ipsis scriptis à quo iudicio dicitur Critice, variâ eruditione instructum esse oportet ideóque Eratosthenes-Sommos criticus πένταθλος siue quinquertio dictus fuit, nempè quod calleret τὰ φυσικά, τὰ ἠθικά τε μαθηματικά, τοὺς ἐγκυκλίους λόγους, καὶ περὶ τέχνας πάσας ἐμπειρίαν ab horum omnium quoque

que

que notent ἀνάλατα & Democrites Abderíta apud Laert. nominatas Eratosthenes philologi cognomen primus sibi vindicauit vt ait Sueton. *in illustrib. grammat.* Itaque discipulom de quo agimus philologia & polymathia eruditum esse cupio. Est verò πολυμάθεια θεραπαινὶς τῆς σοφίας, & Synesio προοίμιον τῆς φιλοσοφίας, Tulli. *lib. 1. de finib.* erudirionem vocat & in Epicuro desiderabat philologiæ verò pars non vltima est historia etiam fabularis & vt Philo περὶ τῆς εἰς τὰ προπαιδεύματα συνόδου ait apud poëtas, illa enim νόσων, ἢ πολυμαθείας ἐργάνται variam erudirionem confert neque nos hoc historiæ nomine solam rei gestæ expositiooem intelligimus, sed etiam paulo latius accepta voce, ritus, ius antiquum & vti vocant, antiquitates omnes. Cùm verò quadruplex sit historia materia, nimirum tempora, loca stirpes & actiones, quatuor quoqoe sunt historiæ partes Geographia quæ totam sphæram terrestrem describit, continetque etiam ὑδρογραφίαν, præterea γεωγραφία complectitur χωρογραφίαν & τοπογραφίαν regionum videlicet vel loci alicuius singularis descriptionem estque mixta ex historia naturali & ciuili; vt enim loca à natura existunt sic Oppida ab hominibus instituta, à Geographia Geometriam natam volunt: turbatis enim aquarum eluoione terrarum finibus vbi de terminis agrorum constitueodis actum est, mensuratione terræ fuit opus, vnde γεωμέτρεια, & γεωδαισία, quæ cuiusque agri fines mensurat & dasignat. Qo intum verò Geographia necessaria sit in intelligendis sacris scripturis, omoiumque generum historiis ac rebus gestis, nemo non videt: ad sacros verò Canones, Concilia, Diocœses, Prouincias, Ecclesiasticas aliáque innumera notitiam Geographiæ necessariam, nisi sæpius turpiter hallucinari velimus, docet ipsa experientia. Quare iam olim Dionysij qui imperante Augusto vixit περιήγησιν Eustathius Tessalonicensis episcopos commentatiis illustrauit, Hieronymo quoque vulgo tribuitur liber de locis sacris cuius tamen alium aothorem volunt Sixtus Sen. *lib. 4. Bibl.* ✝. *Hieronymus*, Marian. Victor *in præfat. ad Acta Apostol.* Tornell. *anno mundi* 2141. & alij, fuerit fortassis Bedæ.

Chronologia quæ tempora numerat rerum gestarum, quarum veritas ex annorum consignatione conquiritur, necessaria quoqoe est, ne in cognoscendis causis & authoribus canonum Ecclesiasticorum facilè & turpiter aberremus, & in ploribus aliis metachronismos ineptos committamos: chronologiam autem scite oportet tum ad diuersorum annorum apud varias gentes rationem, tum ad ἐποχὰς, siue Æræ diuersitatem: nam Hebræi numerant ab orbis initio, Græci per Olympiades, Romani ab vrbe condita, posteriores à Diocletiano vsque ad tempora Constantini, Hispani ab anno 42. Augusti vsque ad Ferdinandi Catholici ætatem: Christiani tum Romani tum Græci per indictiones ab anno Christi 313. quo Maxentius victus est, & pax reddita Ecclesiis. Nonc verò toto orbe Christiano à Christo nato, vel circumciso quæ æra cœpit ab Dionysio exiguo; Saraceni & Turcæ à fuga Mahometis, quæ contigit anno 623. Christi, horum omnium, leuem saltem aliquam notitiam habere debet iuris canonici æque ac ciuilis studiosus genealogicè quoque nonnunquam nobis necessaria est, cum enim historia sit de personis, & personæ familiis distinguantur, historia non satis sine genealogijs percipi poterit, quare permulti illustrium familiarum genealogias nobis texuerunt.

Denique rerum gestarum historiam tum sacram tum profanam sibi comparare debet, vt & canones intelligat & prudentiam in iis explicandis acquirat, dum, & res singulas & earum causas & modum quo gestæ sunt minutatim considerat, atque ex variis dictorum factorumve, quæ Reipublicæ damnum vel vtilitatem afferant, quæve ad eius ornamenta faciant, nomen. Quare dicebat Arist. Rempublicam moderanti versandam perpetuò esse historiam, Et nunquam è manibus deponendam atque vt caput istud de Philologiæ cognitione concludam moneo cum Corasi. *l. de iuris arte 1. par. cap. 5.* cum ipsi Iuris-consulti nonnunquam aliarum scientiarum, earumque doctorum authoritate quandoque vtantur, disciplinarum illarum quæ etiam quapiam ratione cognatæ sunt iurisprudentiæ, cognitionem quamdam habeat oportet; signat verò Corasius loca in quibus Demosthenis, Ciceronis, Homeri, Poëtarum, Platonis, Aristotelis atque etiam Hippocratis adducitur authoritas.

Atque hactenùs de cognitione polirioris literatu- 8
ræ necessaria studio scientiæ Canonicæ, venio ad alias Seueriorea paulò disciplinas & iurisprudentiæ sacræ ac ciuili affines, è qoibus primo loco occurrit Dialectica quæ differendi, discendi, docendique rationem præscribit atque vt ait Cicero *de clar. oratoribus* docet rem vniuersam in partes distribuere, latentem explicare definiendo: obscuram explanare interpretando, ambiguam primùm diuidere, deinde distinguere, postremò habere Regulam, qua vera & falsa diiudicentur & quæ cuius propositi sint, quæque noo sint consequentia.

Requiro quoque Philosophiam & præcipuè moralem: nam Cicero *lib. 1. de orat.* ait ex intima Philosophia laudatarum omniom artium procreatrice, qoadam & quasi parente iuris initia repetenda esse, atque eos qui aliter ius ciuile tradunt, noo tam iustitiæ quam litigandi præbere vias, & *in orat. apud eundem Tullium*, Crassus ait moralem Philosophiam eosdem habere fontes omnium suarum disputationum, qui Iore ciuili & legibos continentur. Itaque sine vera plenaque Philosophiæ cognitione ius ciuile nullo modo tractari posse contendit Corrasi. 1. *parte de iure ciuili in artem redigendo cap. 5.* quæ omnia potiori ratione de iure Canonico dici possunt & debent, cùm de vera Religione, & de cæteris quæ ad illam conferunt, deque curando diuino cultu in ordine ad beatitudinem supernaturalem rempoblicam Christianam & imprimis Ecclesiasticam constituat.

Quare cum idem Corasi. *cap. 4.* Iuris candidatum 9
vera religione instructum velit, eam nos quoque in iuris Canonici studiosis veram & sinceram requirimus, cum enim rutum ius illud ad Religionem docendam, curandam, & promouendam feratur, de iisqoe sancitos Canones explanet, quam multa peccabit & impia ac falsa effutiet & qui religione carebit, & Canones quos interpretari debet, ridebit, ac in alienum sensum omniuò detorquebit & nonnunquam quam rueri debet religionem, impugnabit: quare in boc nostro discipulo non modo veræ, sinceræ, & Catholicæ Religionis notitiam, sed & Theologiæ cognitionem desiderarem, alioqoin plerosque Canones non satis capiet, quæ damnant, aliquando probabit & quæ probant damnabit, vti videmus in Heterodoxis interpretibus quorum crassos errores suis locis adnotabimus. Hactenus de præcipuis artibus & notitiis aliisqoe qualitatibus quibus scientiæ Canonicæ studiosum instructum esse oportet dispuraoimus. Addo vnum ex Tullio *in Hortensium apud Nonnium.* Vti qui combibi purpuram volunt, sufficiunt prios lanam medicamentis quibusdam: sic literis talibusque doctrinis antè excoli animos & ad sapientiam concipiendam imbui & præparari decet.

Restat vt modum & ordinem quem in studendo 10
huic

huic scientiæ tenere debeat, exponamus. Varias sanè methodos licebit cuique sibi fingere, sed eam optimam existimare debet, quam a suo doctore accipiet, donec aliqua notitia rerum tractandarum comparata, earum ordinem retexere per se se poterit, & quam existimauerit faciliorem viam insistere. Certum verò est methodum scientificam siue ex compositiua siue resolutiua siue definitiua, siue ex omnibus istis mixta sit pro ratione tractandæ materiæ, commodissimam omnium esse, cum & breuitati & perspicuitati quibus in hac tractatione propter immensam rerum Syluam, attendendum imprimis est, consulat, alioquin importunæ, infinitæ, indigestæ, & obscuræ erunt tractationes singulæ, nullo nexu inter se colligatæ sed dissolutæ & seorsim, minutatimque concisæ, cùm vna lucem ex alia non capiat, percurrendæ non sine improbo, & fastidioso labore, qui totam discipuli vitam occupet, quod omnes queruntur: qua de causa varij varias methodos & ordines excogitarunt in discendo tradendove iure ciuili qui Iuris Canonici studio & expositioni aptari facilè possunt. Communior est quam tradit Corras. 1. *par. citati operis cap.* 56. Duaren. *epistol. laudata.* Ioann. Loccenius *dissertatiuncula de studio Juris.* & alij passim; consulunt siquidem primum legi iuris vniuersi titulos, tum tractatum de verborum & rerum significatione semel atque iterùm percurri, ita vt nullum effluat verbum cuius ipse significationem propriam secundum leges non capiat, inde enim maximam percipiendam vtilitatem spondet Corras. Demùm diuersæ tum ciuilis tum Pontificis iuris regulæ, pari cura legendæ, relegendæque sunt, atque quantum licuerit memoriæ commendandæ, cum enim iuris elementa, & initia contineant, ab iis auspicari necessarium omninò videtur. His percursis legat institutionum libros Iustiniani quidem si de ciuili agatur; Lanceloti vero aut Cunchi, si de iure Canonico, atque ita iam paratior ad intima iuris penetret & tum decretum Gratiani, tum Pontificũ decretales perlegat accuratius, & difficiliora loca, ac antimonias obseruet, vt deinde per otium expendat, doctoris vel interpretum auxilio, quos tamen paucos esse consulam, ne multitudine & mole obruatur. Denique singulos tractatus seorsim aggredietur, & quoad fieri poterit in compendium rediget, progredieturque quoad poterit ab vniuersalibus ad singularia atque ad pauca quædam principia & velut elementa iuris hos singulos tractatus rediget ita Corras. *cap. 6. citat.*

11 Duaren. verò hortatur hunc studiosum vt primo loco quatuor institutionum libros accuratè legat, atque ediscat ita vt nihil à suo doctore præter simplicissimam quandam & breuissimam obscuriorum vocum & propriarum huius artis, explanationem accipiat, tum ad pandectarum lectionem ità accedat, vt primò titulos ipsos eo quo descripti sunt ordine, leui ac simplici interpretatione percurrat, vt tanquam in tabula depictum habeat, quid sub quoque summatim contineatur, siue summa rerum capita, priusquam vastissimum illud pelagus præceptionum, quæ circa singula versantur ingressus fuerit; deinde decurso hoc spatio iterùm illud remetiendum est, & denuò à carceribus incipiendum & repetenda pandectarum prælectio, in eaque sic excutienda erunt singula, vt nihil tam minutum sit, quod non expendatur, & exploretur, quia prima illa informatio vel consideratio non ea fuit, quæ hominem peritissimum iurisconsultum efficere valeat, quod tamen præstabit subtilior ista disputatio, neque erit difficilis & iniucunda. Concludit deinde Duarenus non esse necesse omnia quæcunque in quæstionem venire possunt tradi, cum ex vniuersalioribus difficilioribusque colligi non operosè possint, confirmatque ex Ciceron. *lib. 2. de orat. hoc loco ne qua sit admiratio, si tot tantarumque rerum nulla à me præcepta ponentur; sic statuo vt in cæteris artibus cum tradita sunt cuiusque artis difficillima, reliqua quia aut faciliora aut simillima sint tradi non necesse esse vt in pictura qui hominis speciem pingere perdidicerit, posse eum cuiusvis vel forma vel ætatis etiam si non didicerit pingere, neque esse periculum, qui leonem aut taurum pingat egregiè, ne idem in multis aliis quadrupedibus facere non possit, neque est omninò ars vlla in qua omnia, quæ illa arte effici possunt, à doctore tradantur sed qui primarum & certarum genera ipsa didicerunt reliqua non incommodè persequuntur.*

Similiter arbitror in hac siue ratione siue exercitatione dicendi qui illam vim adeptus sit, vt eorum mentes qui aut de Republica aut de ipsius rebus aut de iis contra quos aut de quibus dicat, cum aliqua statuendi potestate audiant ad suum arbitrium mouere possit, hunc de toto illo genere reliquarum orationum non plus quæsiturum esse quid dicat, quam Polycletum illum cum Herculem fingebat quemadmodum pellem aut Hydram fingeret, etiamsi hæc nunquam separatim facere didicisset.

Aliam methodum dabit Leunclauius *Epistola ad Marquardum Freherum de prisco paratitlorum vsu & expedita discendi iuris ratione* maximè ex Ægidij Mamer. Limburgici consilio, titulos omnes pandectarum, & Codicis in tabella describi vult eo ordine, & serie qua leguntur in ipsis libris; deinde cognoscendum quid in vnoquoque titulo tractetur; omnibus autem titulis ad hunc modum cognitis ipsæ leges accuratius euoluendæ erunt, quodque ad illum titulum qui perlectus est, maximè pertinuerit ad marginem collocandum, v. g. qualis actio ciuilis, an prætoria, quamdiu competat, & quibus, ad heredes transeat necne, quid in eandem actionem veniat, bonæ fidei sit, an stricti iuris, aliaque similia, quorum omnium exempla suppeditat, quæ omnia facile fuerit iuris Canonici studio sanè non dissimili accommodare. 12

Mihi omnium accommodatissima methodus videtur vt habita primum aliqua rudi cognitione naturæ huius scientiæ, & librorum quibus potissimum explicatur, ad quam iuuabit Bartholomæi Cepollæ hac de re tractatus, atque Iulij Pacij œconomia vtriusque iuris, totam illam molem scientiæ in suas partes partiamur, aliqua ex partitionibus superiori quæst. relatis, deinde singulas partes sigillatim aggressuri. Ordiendum est à principiis vniuersalibus; ipsaque natura iuris canonici, quia verò singulæ partes suos & ipsæ tractatus continent, eos eâ serie & ordine quem postulat scientifica methodus percurramus oportet, itavt exploremus primo loco principia vniuersalia ex quibus reliqua totius tractatus doctrina dependet, quàm primò generalem constituamus, vt ex illa deinde singulas causas eruamus tanquam consectaria in exemplum potius, quam, vt indiuiduos omnes casus & controuersias definiamus, infinitæ enim id foret operæ; celebriores aut difficiliores duntaxat attulisse contenti; cæteras enim ex prætactis fundamentis, & constitutis principiis, quisque nullo opere deducet. Diligenter autem & accuratè canones omnes & leges quæ de aliqua materia quidpiam constituunt, considerare non ex vulgi sensu sed ex ipsa natura canonis oportebit, vt genuinum eius intellectũ agnoscamus, & si quando plures de eadem re sanciti fuerint canones, simul colligendi erunt, tuoi inter se comparandi, an inuicem consentiant, an dissentiant, vel vnus alium abroget, restringat vel ampliet, vel explicet duntaxat, quinam ex instituto & destinatè de 13

ea re quidpiam constituant, quinam verò per quamdam dumtaxat connexionem materiarum attingant, vel supponant; afferemus igitur vnum aliquem qui rem maximè definiat, ad quem deinceps cæteros omnes qui eandem materiam quoquomodo stringunt, adijciemus per modum paratitlorum, immo & leges omnes ciuiles si quæ latæ sint de eadem re adijciemus, & ita nomo-Canonem conficiemus: ex quibus omnibus postmodum inter se collatis quid tandem de re tota sancitum & constitutum fuerit, certò constabit, eamque sanctionem firmis rationibus æquam fuisse confirmabimus. Verùm hæc omnia præstare non videtur esse discipuli & Tyronis sed eruditi professoris vti dicemus *q. sequenti*, cum tamen vix à doctore possint omnes materiæ in Scholis aut dictari aut eo modo percurri, debebit discipulus materias sibi non perlectas priuato suo studio, illa ipsa methodo legere, quod vbi circa aliquas præstiterit facile deinde nulloque ferè negotio idem in cæteris consequetur.

14 His omnibus adijciendam esse studiosis exercitationem omnes æquè consentiunt: in omni enim disciplina, inquit Cicero *lib. 1. officio. Infirma est artis præceptio sine summa assiduitate & exercitatione*, vide Antonium Massan. *de exercitatione iurisperitorum* vbi *lib. 1. n. 57. & 18.* Sapienter statuit exercitationem cuiuslibet artis, & maximè scientiæ iuris nihil aliud esse, quam vsum præceptorum, quem vsum in duobus consistere vult. Primo vt vim præceptis inclusam exemplis fingat & exprimat. 2. Vt ipsa præcepta in opus ducat, & exempla quidem generalem doctrinam singulari ratione explicant, vniuersales propositiones moderantur, temperant, regunt, & veluti gubernant. Quia illas vel raras vel irritas efficiunt, moderantur, restringunt vel ampliant, circumstantiæ causarum, personarum, temporum, necessitatum, aliæque quas in præceptis & legibus includere vix licet, quare differentiarum ipsarum & circunstantiarum ignari præceptum & legem in rebus singulis capere, ac datæ causæ accommodare nequeunt, eosque Felin. *in cap. 1. de præscription.* & *in cap. cum ordinem de rescriptis*, appellat homines positiuos & pauperes doctores, qui nesciant ex particularibus decisionibus respondere *sed consultores expediunt per regulas generales.* Quod ipsum tradit Arist. *lib. 2. Rhetorico.* ex communi opinione indoctos probabilius videri dicere in turba, quam doctos, quod voluere poëtæ dum affirmant videri vulgò imperitos fortius & concinnius dicere: quis communia, & vniuersalia duntaxat sectantur: periti vero ex iis quæ sciunt, etiam proxima eliciunt. Studiosus igitur præcepta vniuersalia & regulas deinde singulis casibus, & factis indiuiduis vel per se se conetur accommodare vel ope doctoris alicuius aut commentatoris æmulatione. Laudant passim hac in parte Bartolum, neq; in iure nostro Canonico illi impar fuit Felinus qui singulas regulas multis exẽplis illustratas, & vt barbari loqui malunt, exemplificatas distinguit, declarat, ampliat & limitat, ne quis regulæ vniuersalitate decipiatur. v. g. in *cap. ex tenore de rescriptis* circa regulam illam ex *lib. 6. iuris non præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum* excitat 1x. difficultates à diuersis doctoribus decisas, & deinde Regulam limitat & distinguit, opus quod alteram exercitationis partem faciebat: Massa. forum externum & iudicia imprimis spectat, atque adeò iudices & patronos de quorum omnium exercitatione disputat Massa. *loco citato.* Nos iuris studiosum non Patronum instituimus hoc opere.

R. P. Ioseph Gibalinus de Scient. Can.

QVÆSTIO III.

De Doctore Scientiæ Canonicæ.

Mores eius & peritia n. 1.
An Theologus possit docere scientiam Canonicam n. 2. & 3.
Maximè si disputet de legibus merè positiuis. n. 4. & 5.
Theologus debet esse peritus iuris Canonici n. 6.
Monita à Doctore Canonico seruanda n. 7.
Vtatur methodo & ordinatè doceat. ibid.
Eruat sensum Canonum n. 8.
Qua ratione illos adducet. n. 9.
Vitet digressiones n. 10.
Parcus in Authorum citationibus n. 11.
Seligat opiniones & quas n. 12.
Qualis debeat esse vir Hieropoliticus. n. 13.

QVæ in studioso & discipulo Sacræ politiæ requirebamus, ea omnia potiori iure in doctore exigimus; atque illud imprimis vt qui morum & politiæ Sacras regulas ac Canones aliis tradit & explicat, sibi illas primum sanciat & seruet, neque solum verbis quod facillimum est, sed moribus ac vita Philosophetur, & doceat quod fusius ex Sacris & profanis illustrat Theophil. Raynaud. *in prologo moralis disciplinæ §. 1. à n. 49. ad 63.* ijs præterea cæterarum artium & scientiarum cognitionibus, quas in discipulo desiderabamus instructum apprime doctorem esse debere, nemo non videt. Duo tamen quærenda supersunt hoc loco: primum est. 1

An Theologus de materiis Canonicis atque etiam politicis scribere vel docere vel iudicare possit: nam Manriques 2. *part. qq. Vicarialium*, sæpius inuehitur in Theologos, qui de materiis istis scribunt aut disputant quos in messem alienam inuolare, & extra Rhombum saltare dicit, cùm enim *lapides discipulatus in Scholis iurisperitorum neglexerint*, non possunt eas materias intelligere, & necessariò de illis sine fundamento loquuntur, & sæpius errant, neque quidquam quam quod à Iurisconsultis accipiunt, afferre queunt, & quas non satis comprehendunt, quæstiones temerariò definiunt; aliaque permulta obijcit quæ Georgius Gobat *in vindiciis Theologicis* nuper collegit, & accuratè confutauit, & sanè cum Theologis pronunciant de materiis de quibus agunt Iurisconsulti, vel extra chorum saltare dicuntur ratione principiorum quibus suas propositiones confirmant; ratione ipsarum materiarum quas tractant. Non primum quia illa principia & Regulæ vel certæ sunt certitudine supernaturali fidei, & reuelationis, vel ex iis deducta, siue necessariò siue probabiliter tantum, & hi loci sunt verè Theologici: vel certa sunt certitudine naturali & euidente, & tunc æquè ad Theologos, atque ad iurisconsultos pertinent, neque iniuriam facit iurisperito Theologus aut iurisperitus Theologo dum illa vsurpant, quæ vtrisque communia sunt; vel denique principia ista sunt pronunciata quædam iuridica. Verùm ista vel ratione naturali atque ex principio naturali euidenter aut probabiliter tantum deducuntur, ac proinde licet tale principium iura & leges vsurpent, non idcircò illud ita sibi proprium faciunt, vt à nemine nisi à Iurisconsulto possit vsurpari sine scelere

& plagio, quandoquidem illud ab alio quoque excogitari potuerit, immò sæpius cuique obuiam occurrat. Quod si ista principia sint duntaxat quædam placita canonum ac legum ita iubentium, aut doctorum Canonici iuris effata, & responsa, præterquam quod redibit eadem quæstio an euidenti ratione absque lege colligi possint; & tunc erunt merè naturalia, neque aliud ius positiuum illis addit, quàm vel obligationem sequendi, vel maiorem confirmationem, & authoritatem aduersus ea quæ in contrarium possent obijci, vel referuntur ex iure, & doctorum iuris sensu communi tradita, vnde & tanquam certa quædam effata referuntur, & vindicantur à Theologo, quod maximè contingit circa ea quæ solius omninò iuris positiui constituta sunt: Hoc autem casu nullam facit Theologia iniuriam iurisprudentiæ, cuius opera & veluti famulitio vtitur, tanquam princeps, & Domina quod explicat S. Thom. 1. *p. q. 1. art. 5. ad 2.* dum agit de iis, quæ Theologia accipit ab aliis scientiis. *Non accipit*, inquit, *ab aliis scientiis tanquam superioribus, sed vtitur eis tanquam inferioribus, & ancillis*, sicut Architectonicæ vtuntur subministrantibus, *vt ciuilis militari. Et hoc ipsum quod sic vtitur eis, non est propter defectum, & insufficientiam eius, sed propter defectum nostri intellectus, qui ex his quæ per naturalem rationem ex qua procedunt aliæ scientiæ, cognoscuntur, facilius manuducitur in ea quæ sunt supra rationem, quæ in hac scientia traduntur.* Quamnam igitur iniuriam facit Theologus iuris positiui conditoribus, vel iurisconsultis, cùm eorum definitionibus, aut responsis vtitur, eáque interpretatur.

3 Idem dicendum est quando Thologus explicat materias in iure canonico, vel etiam iure ciuili contentas, licet respiciant obiectum fori externi, & actionem per leges humanas vetitam, imperatum, aut permissum, nam istæ omnes materiæ, vel ad fidem spectant, aut deducuntur ex fidei principiis, vel sunt morales, quia ad mores formandos pertinent, vel denique ad solam quandam politiam externam spectant, & ex mero legislatorum arbitrio, propter iustas tamen causas, constituuntur primi generis materiæ prorsùs Thologicæ sunt, secundi quoque generis amplitudinem obiecti Theologici non excedunt, quia spectandæ sunt in ordine ad veram Religionem & salutem supernaturalem neque de illis quidpiam constituere concilia & Pontifices, nisi ex principiis omninò Theologicis, quod si illæ actiones morales considerentur in solo suo esse mere naturali ad Philosophum quidem moralem, etiam non Christianum pertinebunt, erunt tamen materia & veluti subiectum supernaturalitatis ad quam eleuari possunt, & debent ad salutem, & beatitudinem supernaturalem comparandam. Suppono enim, quod docebimus alio loco commodius, dari virtutes morales supernaturales, illarum autem supernaturalitas supponit actiones quibus aduenit siue quas ad eam dignitatem effert, eiusdem esse essentiæ cum aliis, & eiusdem generis, quæ in statu merè naturali iacent, vt videbis in temperantia naturali, & supernaturali quæ sunt eiusdem generis, & essentiæ in ratione temperantiæ, cui ex superiori motiuo vel principio accedit supernaturalitas, vel quæ eius defectu relinquitur in ordine naturali; illa igitur virtus veluti materialis quatenus potest esse subiectum idoneum supernaturalitatis, & alicuius ordinis altioris, pertinet æquè ad cognitionem Theologicam, atque ad Philosophiam moralem, quam supponit Theologia, vel cuius ministerio, vti & reliquarum scientiarum sibi ancillantium, tanquam earum princeps & Domina vtitur. Quis enim dicat ferrum non esse materiam diuersarum artium, quæ illo vtuntur ad diuersissima opera conficienda, neque vna facit iniuriam alteri, dum illa ipsa materia ad sua opera vtitur, ideóque eius materiæ naturam & qualitates omnes considerat, vt quænam sit maximè suo operi laborādo idonea despiciat, quod in omnibus artibus quæ sæpè in eodē genere materiæ, vt ferro, ære, marmore ligno cæterisque laborant, contingit, neque propterea dicuntur inuadere alterius fines, & iura: quod idem quoque in ipsismet scientiis accidit, quæ res easdem considerant & spectant: Ratio est quia non differunt, nisi penes obiecta formalia, à quibus suam essentiam & speciem sortiuntur; obiecta verò materialia, communia plerumque habent in iisque conueniunt, & participant absque mutua iniuria, vel confusione, cum rationes formales *sub quibus* considerantur à singulis, diuersissimæ sint, & obiecto materiali accedentes, illud quoque diuersum efficiant, atque in plura multiplicent, ita vt licet sit eadem materia, siue idem obiectum materiale, non sit tamen idem obiectum scientificum, sed multiplex: sicut eadem linea Geometriæ & Opticæ diuersum obiectum est, visualitas enim accedens lineæ facit illam obiectum opticæ, & extrahit illam à ratione obiecti scientiæ Geometriæ.

4 Maior videtur esse difficultas quando Theologus disputat de legibus sacris & profanis, quæ pendent ex solo arbitrio imperantium, & ad quandam externam politiam duntaxat pertinent, vt de solemnibus testamentorum, de conditionibus testium, de ordine iudiciorum, de præscriptionibus, de ratione transferendi Dominij, de restitutione in integrum, de certis pœnis quibusdam criminibus imponendis, & aliis eiusmodi, quæ licet sapienter constituta sint, poterant tamen aliter non incongruè constitui. Ista enim omnia videntur aliena esse à Theologo, qui proinde tunc vsurpat quæ sunt iurisperiti, cuius vnius est iura illa, & leges interpretari. Verum etiam in istis disputationibus iure suo Theologum vti meritò docent Sotus *lib. 3. de iust. q. 6. concl. 10.* Canus *lib. 8. de locis Theologic. cap. 6.* & Suarez *in proœmio, de legibus*, probatur, quia istæ sanctiones, vel sunt merè Ecclesiasticæ & sacri canones, eorúmque explicatio pertinebit ad Theologos qui eos condiderunt, cum ex communi sensu, eius sit interpretari legem qui eam condidit quod probat pluribus adductis Glossa communiter recepta *in cap. cum venissent, de iudiciis*, éstque manifestus textus *in cap. inter alia, de sentent. excommunic.* neque negari potest Theologos condidisse canones, nisi Apostolos ipsos, Episcopos, & Patres è numero Theologorum eradas. Si verò leges sint merè ciuiles, vel illæ latæ sunt in tuitionem Canonum, ipsorúmque authoritatem asserendam, & earum interpretatio eodem iure, quo ipsi canones ad Theologos pertinebit; vel leges sunt merè ciuiles nullámque relationem dicunt ad canones, sed non propterea ita alienæ erunt à cognitione Theologiæ, vt eas explicare nequeat, tum vt videat quid & qualiter in earum violatione peccetur, tum vt consideret an Religioni vel fini supernaturali quoquomodo aduersentur; tum quia Theologia tradit supremam atque infallibilem regulam iudicandi de omnibus actionibus humanis, eásque in optimum finem dirigendi, nempè diuinam reuelationem vel principia inde deducta. Iure igitur suo de illis omnibus iudicat, & sicubi vel canones, vel leges errorem quempiam continerent, eum ex altioribus suis principiis emendabit, quare dixit Sotus *in proœmio librorum, de institut. Theolog.* esse decreta iuris canonici ad normam Euangelij exigere, quandoquidem ea ex visceribus Theologiæ, atque ex principiis reuelatis prodierunt. Suar. vero *l. c.* ex communi consensu legem tum secundum suam rationem communem, tum secundum suas omnes species pertinere ad considerationem

Theolo

Theologicam vide Tanner. 1. *p. diſp.* 1. *q.* 4. *dub.* 5. *n.* 10. Ratio etiam eſt quia licet ius Canonicum conditum ſit ad externam gubernationem ; ea non eſt adæquatus illius finis, ſed ipſa quoque animæ ſalus, cui etiam promouendæ debet aptari gubernatio externa, & cui ſaltem non debet ex genere ſuo obeſſe, quod iudicare fuerit Theologi.

5 Atque ex his omnibus ſequitur primo non modo. Theologum poſſe eſſe doctorem Canonicum, ſed etiam doctorem Canonicum debere eſſe Theologia non mediocriter inſtructum, alioquin in interpretandis Canonibus plurima peccabit, etiam contra fidem, vti experientia docet, & patebit in huius operis decurſu. Et ſanè videmus plures iuriſconſultos ex malè intellectis legibus ciuilibus, & non ſatis cum Canonicis quandoque conſentientibus. & iſtis quoque non rectè explicatis in turpes hæreſes lapſos aut in Romanam Eccleſiam inimicos fuiſſe ſuperiore ſæculo.

6 Colligitur 2. Doctorem Theologum, aliquam notitiam iuris, maximè Canonici, ſibi comparare debere primo quia plerumque Theologis demandatur munus audiendi confeſſiones, atqui confeſſarius ſæpiſſimè iudicare debet de caſibus, qui ex legibus & Canonibus definiendi ſunt. Quare Cæleſtin. *Epiſt.* 3. *ad Epiſcopos Apuliæ & Calabriæ* vt refertur *cap. nulli. diſt.* 38. *Nulli ſacerdotum liceat Canones ignorare, nec quidquam facere quod Patrum Regulis poſſit obuiare, quæ enim à nobis res dignè ſeruabitur, ſi decretalium norma conſtitutorum pro aliquorum libita licentia populis permiſſa frangatur.* Quare Auguſtin. *lib. de vera & falſa pœnit. cap.* 10. *caueat ſpiritualibus iudex vt ſicut, non commiſit crimen nequitiæ ita non careat munere ſcientiæ oportet vt ſciat cognoſcere quidquid debet iudicare. Iudiciaria enim poteſtas hoc poſtulat, vt quod debet iudicare diſcernat* quæ verba Nauarrus illuſtri commentario exponit *in diſtinct.* 6. *de pœnit.* §. *caueat vbi num.* 8. ait Confeſſarium vndecumque abſolutum, oportere vt totam Theologiam moralem, & Canonica iura ſimul cum ciuilibus calleat, immò etiam conſtitutiones Synodales, & leges ciuiles particulares, in qua confeſſiones audit. Prouinciæ, vel diœceſis probè teneat; quia verò mirari quis poſſet cur legum ſcientia requiratur in Confeſſario. Reſpondet Nauarr. plures quæſtiones proponi Confeſſario dijudicandas circa iuſtitiam, vel iniuſtitiam contractuum, & aliarum obligationum, & caſus innumeros qui vix ſine legum peritia definiri poſſunt. Itaque hortatur ne Theologiam contemnant iuriſperiti, vel Iuriſperitiam deſpiciant Theologi, atque ſicut Canonum legumque periti Reginam hanc (nempè Theologiam) veluti à dextris ſuperni Regis conſidentem ſuſpicimus, adoramus ac veluti attoniti demiramur; ita quoque Theologi arbitrentur non eam conſidere nudam, ſed veſtitu deaurato & circumdatam varietate, & ſapientiam Canonicam, & legalem non adeò renuere, vt ſibi ornandæ & à frigore rerum gerendarum ignorantiæ, ſimul & calore ſcientiæ plus ſatis curioſè tegendæ, illam paſſim requirere, maximéque, deſiderare, & venerari tan quam alterum. Neptunum qui opiniones aduerſas, & fluctus veluti furentes, viſceraque diſcerpentes ipſius componat, menteſque gloriæ appetentiſſimas ſub pondere contineat ac ſedet, quæ maximi viri verba retuliſſe voluimus, vt eius mentem de coniungenda cognitione Theologica, cum Canonica, & politica perſpectam haberes; & ſanè quicumque in enodandis conſcientiæ quæſtionibus apprime verſati ſunt, vtramque eam ſcientiam ſibi compararunt; vt in Antonino, Syluestro, & omnibus ſummiſtis videbis, atque recentioribus Theologis & antiquioribus principibus, vt Magiſtro, S. Thom. Alexandro Alenſi, Scoto, Bonau. Guillelmo Pariſienſi, & cæteris. Ridiculè verò Manriq. *q.* 91. *n.* 7. de Sancto Thoma reſpondet *licet plura ſcribat de materiis iuris* 2. 2. *à q.* 47. *ad* 171. *quia tamen quidquid ipſe docuit vel ſcripſit ipſi diuinitus infuſum fuit in alienam meſſem manum non miſit vt alij Theologi.* Ridicula verò eſt hæc reſponſio, vt enim non diſputem an omnia S. Thomæ ſcripta diuinitus illi fuerint infuſa, ſic enim forent Canonica, & infallibilia, neque ab illis diſcedere liceret, neque ipſe quæ aliquando ſcripſerat retractare, quod tamen quandoq; præſtitit. Si quæ 2. 2. de materiis iuridicis ſcripſit diuinitus accepit, igitur ad formandum ſummum & principem Theologum qualem Deus fingere voluit S. Thomam, neceſſaria eſt cognitio iuridica quam idcircò Deus vt ipſum nobis omnibus numeris abſolutum exhiberet, illi indidit, debentque cæteri qui ad Theologiam abſolutam aſpirant, ſibi & eam ſcientiam, & notitiam iuris ſuo ſtudio comparare, quas S. D. diuino beneficio donatas accepit, ad quod tamen minimè neceſſe fuerit frequentare iuriſperitorum Scholas vti obſtinate contendit Manriquez cum ſummi Theologi qui in vtraque eiuſmodi ſcientia ſe non mediocriter eſſe verſatos ſuis ſcriptis produnt, numquam limina iuridica triuiſſe dicantur. Plura quæ huc pertinent pete à vindiciis Theologicis citatis.

Venio ad cautiones, & monita ſeruanda à Doctore 7
in tradenda ſcientia Canonica. Primum eſt vt ſcientificâ methodo vtatur, prout materia tractanda poſtulabit quod pridem monuimus. Quid verò & qualis illa ſit docuimus. *cap.* 4. *q.* 2. diximuſque continere ordinem & viam ſiue modum: ordinem definiuimus rectam & conuenientem partium totius alicuius ſcientiæ vel artis diſpoſitionem. Viam verò ſeu modum eſſe rectam rationem progrediendi in doctrina, atque etiam iudicandi, quod monet Ariſt. *lib.* 3. *Rhetorico.* Hæc autem via duplex eſt compoſitiua, & reſolutiua vti *quæſt.* 2. *citata*, fuſius explicuimus. Audiat igitur hic Doctor Ciceron. *lib.* 1. *de Oratore* de iure ciuili ex arte & ſcientia tradendo diſſerentem, idque ipſum in iure Canonico præſtet neque rem adeo difficilem aut impoſſibilem aggredi exiſtimet. *omnia ferè*, inquit, *quæ ſunt concluſa nunc artibus, diſperſa & diſſipata quondam fuerunt, vt in Muſicis numeri, & voces & modi: in Geometria lineamenta, formæ, interualla, magnitudines: in Aſtrologia cæli conuerſio, ortus, obitus, motuſque ſyderum: in Grammaticis Poetarum pertractatio, hiſtoriarum cognitio, verborum interpretatio, pronuntiandi quidam ſonus: in hac denique ipſa ratione dicendi excogitare, ornatè diſponere, meminiſſe, agere: ignota quondam omnibus, & diffuſa latè videbantur. Adhibita igitur eſt ars quædam extrinſecus, ex alio genere quodam, quod ſibi totum Philoſophi aſſumunt, quæ rem diſſolutam, diuulſamque conglutinare, & ratione quadam conſtringeret. Sit ergo in iure ciuili finis hic: legitimæ atque vſitatæ in rebus cauſiſque ciuium æquabilitatis conſeruatio, tum ſunt notanda genera, & ad certum numerum paucitatemque reuocanda: Genus autem eſt, id quod ſumit ſimiles communione quadam, ſpecie autem differentes, duas aut plures complectitur partes, partes autem ſunt, quæ generibus ijs ex quibus emanant, ſubijciuntur. Omniaque quæ ſunt vel partium nomina definitionibus quam vim habeant eſt exprimendum. Eſt enim definitio earum rerũ quæ ſunt eius rei propria, quã definire volumus, breuis & circumſcripta quædam explicatio.* &c. *Si quis effecerit vt primum omne ius ciuile in genera digerat, quæ perpauca ſunt: deinde eorum generum quaſi quædam membra diſpertiat: tum propriam cuiuſque vim definitione declaret: per-*

fectam artem iuris ciuilis habebitis, magis magnam, atque vberem, quam difficilem atque obscuram, perlege cætera quæ eandem in rem disputat Tullius, ex quo sapienter collegit Corasi. t. *p. de iure ciuili in art. redig. cap.* 9. primum omnium in ea scientia constituendum esse iuris obiectum, quod vel materiam vel genus subiectum appellant. Deinde finem propter quem leges scriptæ sunt. Nam per materiam cognoscitur, quid in ea doctrina contineatur, quidve illa doceat, tractet, & contempletur. Per finem verò propter quid iuris cognitio suscipiatur & ad quem scopum omnis deliberatio & studium iurisconsultorum dirigatur; atque hanc subiecti generis & finis præuiam cognitionem necessariam esse inde ostenditur, quod omnia quæ in aliqua disciplina traduntur ad subiectum genus, velut primum principium referri debeant; finis verò est bonum artis, & scopus ad quem omnis studiorum ratio dirigitur, ex Arist. *lib.* 1. *Ethic.* & denique ex finis deductione, ac resolutione in suas causas, ac principia, omnes disciplinæ partes, omniaque artis præcepta inueniuntur, & inuenta firmantur, ac stabiliuntur. Subiecto igitur & fine scientiæ cognitis ad ipsius partes & subiecti ac speciei, naturali serie à superioribus ad inferiora progrediendum est, propositis quibusdam summis capitibus, quæ rursus in sua genera dissoluantur, quorum iterum membra dispertienda sunt, & in suas species & veluti classes diuidenda, ac demum propria cuiusque vis definitione explicanda, & diuisione dissecanda siue vt clarius loquar singulæ res definitæ, & diuisæ per suas causas & effectus inquirendæ, enucleandæque erunt, incipiendo ab vniuersalioribus vti notioribus ad singularia ex Arist. *lib. primo Physico.* id est à generibus ad species à speciebus ad indiuidua procedendo. Hanc artem delibasse videtur Scæuola in iure ciuili qui illud primus constituit in libros decem & octo redigendo, inquit *l.* 2. §. *post hos D. de origine iuris* nempè primus ius quod conuulsum erat, & dissipatum redegit, non quod primus ius illud explicauerit, aut tradiderit; nam ante Scæuolam plerique alij id fecerant & maximè P. Mutius ipsius Scæuolæ pater, Brutus & Manlius quos ius ciuile fundasse in *ead. l.* dixerat Pomponi. Constituit igitur primus Scæuola ius quia illud noua quadam ratione tractauit, ea enim vocis *constituendi* significatio est vt grauiorem quandam & nouæ rei iam inductæ tractationem indicet: ita Cic. pro Cecinna. *Placuit Cecinnæ de amicorum sententia constituere quo die in rem præsentem veniretur.* Primus igitur Scæuola ius ciuile cōstituit quia illud primus generatim in decem & octo libros redegit, hoc est, per certa & ordine distributa genera redegit: hæc enim vox *generatim* significat. Cicero *in orato. Orator percurret omnes locos, vtetur aptis generatim & lib.* 1 *de Orato. Nulli fuerunt qui ista artificiosè digesta generatim componerent & lib.* 4. *Academ. quæst. igitur, exponam generatim argumenta eorum, quoniam etiam ipsi illa solent non confusè loqui.* Denique Virgil. *lib.* 2. *Georgic. Quare agite & proprios generatim discite cultus Agricolæ.*

Quod igitur confuse nullaque adhibita certa docendi ratione ab anterioribus in iure ciuili traditum erat, Quint. Mutius Scæuola arte tractare cœpit, totū ius in certa genera digerendō; in eo tamen peccauit quod distributis generibus partes generum & species non expressit, quod ad artis perfectionem desiderabatur; id vero præstitit diligenter postea Seruius Sulpitius, quem idcircò Tullius meritò tum ipsi Scæuolæ, tum omnibus aliis qui hactenus scientiam iuris professi erāt prætulit *lib. de claris oratoribus & Philippica* 9. Sulpitium demum æmulari coacti sunt alij, & plerique non satis fæliciter, communior fuit illa partitio q. superiori relata, vt constituto iuris ciuilis obiecto quod faciunt esse actionum humanarum æquitatem, tria illius iuris summa genera assignent personas, res & iudicia siue actiones iudiciales: deinde singula illa genera in suas iterum partes & species subdiuidant, quod in exemplum quoddam & paradigma præstitit *cap.* 9 *citato* Corrasius. Doctor igitur Canonicus primum scientiæ Canonicæ & Hieropoliticæ existentiam & naturam, assignato eius fine & materia constituet. Deinde cum ille finis sit Religionis & diuini cultus honestas eiusdemque promotio, & conseruatio, materia vero leges & Canones quibus Ecclesia finem illum assequitur, quibusque illius omnis disciplina continetur. & regitur quos Canones & leges hæc scientia explicat, ideóque ius ex illis sacris legibus natum ius Ecclesiasticum nominamus, quia illo Ecclesia regitur, hoc igitur statim initio explicandū erit in vniuersum, eius nempe natura, origo, author, effectus, & obligatio, principia, & cætera quæ illud vniuersum constituunt: deinde generatim in sua summa genera digerendum erit, vti dicebamus circa ius ciuile Scæuolam præstitisse, atque vlterius illa summa genera, & capita vniuersalia in suas species exemplo Sulpitij iterum partienda erunt, & de singulis seorsim demùm agendum iuxta Analysim quam *cap. superiori* tradidimus quamque sequuturi sumus methodo scientifica discurrendo per omnes earum singularum partium causas, effectus & adiuncta: & per certa principia quantum fieri poterit progrediendo ex quibus subinde singuli casus & controuersiæ definiantur nullo negotio.

Monendus est secundò doctor Canonicus, vt in Canonum & sacrarum legum vero sensu eruendo tradendoque maximè laboret tum quia ea est præcipua huius scientiæ materia & subiectum genus, vt loquitur Corasi. de legibus cum ciuili iurisprudentia comparatis: tum quia verum maximè est de Canonibus quod de lege XII. tabularum dixit Cicero *lib.* 1. *de orat.* Bibliothecas omnium Philosophorum vnum XII. tabularum libellum authoritatis pondere & vtilitatis vbertate videri superare, si quis legum fontes & capita viderit: in Canonibus enim tota authoritas & omnis vtilitas in regendæ Ecclesia residet, quare in iis intelligendis & expendendis præcipuus doctoris labor versari debet; ideòque solis indicibus & collectionibus pridem factis contentus esse non debet, sed adeundi sunt ipsi fontes & Concilia à quibus conditi sunt Canones, & causæ occasionesque propter quas sunt conditi, inquirendæ, quod sine notitia rerum gestarum & annalium Ecclesiasticarum non assequetur, & nisi eius ætatis qua sanciti sunt, scriptorum monumenta peruoluerit, quod non exigua erit opera.

Ne importunus & molestus sit doctor in perpetuo & ad omnem rem adducendis Canonibus, plerumque ad definiendam quæstionem, de qua agitur, non pertinentibus, aliàs falsò adductis, aliàs malè intellectis qua in re iuris commentatores negotium facessunt lectoribus: habent enim illud solemne suum, turpè esse doctorem sine lege loqui. Itaque implent paginas citationibus legum, ex quibus vix vnam reperias, quæ rem definiat, vel etiam de illa loquatur. Au. Vienuens. *Epist.* 2. *ad Gudobaldum Regem aduersus Arianos disputans* hanc locorum etiam scripturæ sacræ congeriem improbat, vultque pauca, sed præcisa seligi: *poscant igitur alij destructores de vtrinsque*

vtriusque testamenti corpore exemplorum similitudinem, quibus proposita tueantur. Negotio huic sic annisus Bibliotheca vtriusque constat, vt si confirmare quod loquimur, Testimonio adstipulante velimus, cuncta videantur in vnum corpus Canonicorum voluminum oracula congerenda de quorum multitudine iustè ad declinandam prolixitatem electa quoque ac deflorata ponuntur. Quia sicut minime effectus sunt, quæ tantum de nostro prolata nullo scripturarum cælestium adminiculo fulciuntur: ita qui recipere pauca fastidit, non virtute sed mole rem conijcit quoniam vinci metuens, instrui nolens ad defendam veri cognitionem volumen potius quam documenta desiderans, non causas putat rerum magnitudine constare, sed paginis. Stabilienda igitur erit nostra doctrina non mole & magnitudine sed pondere, & authoritate legis præcise rem definientis.

10 4. Singula quæque suis locis expliceni contra quam vulgus interpretum faciat, qui vt ait Duaren. *ep.citata* de re paucissima præter rem, infinita scribunt, & loquuntur, & alienissimis locis inculcant quælibet, atque vnius voculæ arrepta occasione euagantur à proposito, nihil pensi habentes quid quoque loco scribatur aut dicatur quod obiecit olim alias Cicero. Sed Iurisconsulti siue erroris obijciendi causa, quo plura & difficiliora scire videantur, siue quod verisimilius est ignoratione docendi, sæpè quod positum est in vna cognitione id in infinita dispertiunt.

11 5. Caueat ne multus sit in authoribus appellandis & eorum opinionibus recensendis in quo plurimi maximam suam laudem malè collocant: quia id facile cuiuis ingenioso & in voluendis authoribus vsitato fuerit. Deinde id magis ad memoriæ quandam ostentationem quam ad studiosorum vtilitatem confert; illa enim frequenti citatione res obruitur potius, quam explicatur. Hocque vnum sæpius obtinetur, authorem esse multæ lectionis virum sed virum nullius iudicij, vel scoticum & tenebricosum. Quia qui tanta pompa Commentarij allegantur, prǽterquā quod ferè idem dicunt, & à se inuicem descripserunt, immò & ipsæ citationes ab aliis iam adductæ, quandoque exscribuntur, vna cum erratis & hallucinationibus, quas admiserunt qui primi eos authores retulerunt aitque Duaren. idem faciendum quod Titus. Quintius Imperator P.R. ille enim Etolorum legatos in consilio admisit, vt Acheos à fide Rumanorum abducerent, ideoque vires suas mirum in modum extollebant, ac variis generibus armorum, & inauditarum gentium nominibus commemorandis ipsos terrebāt, sic elusit, *Res* inquit Quintus *hac simillima est Cœna hospitis mei Chalcidensis hominis & boni, & sciti conuiuatoris, apud quem solstitiali tempore conuiuio accepti miraremur, vnde illi eo tempore anni tanta sappeteret copia, tum arridens homo, non quantum isti sunt, gloriosus, ex vno suo domestico varietatem illam & speciem ferinæ carnis factam esse confessus est, non secus isti faciant, qui variis & horrendis nominibus vos territant, cum vna gens sit. Si enim omnes Syrij sunt sed armis inter se ad speciem exercitus distincti.* Idem inquit Duaren. de hac tam magnifica, & fastuosa variorum iuris interpretum, librorum, tractatuum commemoratione existimare debemus, quæ sine vllo fructu & commodo ad miraculum excitandum fieri solet, eadem enim descripta sunt à pluribus, sed paucis commutatis verbis, ac plerumque ne commutatis quidem toties reperta, vt omnia huiusmodi scripta, quantumlibet prolixa, & verbosa, si quis in eo sibi modicè laborandum esse duxerit, ad paucissimum numerum librorum facilè redigi queant. Non pugnandum aut vincendum igitur erit multitudine doctorum dumtaxat; pauci & boni qui rem accuratè expenderunt, afferendi erunt, nisi vbi opinio vel nouitatis vel erroris insinuetur.

Caueat doctor à singularitate opinionum, & à temeraria vulgarium expugnatione. Quod monitum Duareni verbis accipe. *Summam ingenij esse ducunt non vera explicare, sed bonas, vtiles & receptas aliorum sententias petulanter euertere, quasi ipsos pudeat vsquam cum quoquam consentire, & nihil verum, nisi idem diuersum sit, Et quia turpe sibi existimant homines plus satis ambitiosi quæ recta, & simplicia sunt, quia nimirum sunt vulgaria, & facilia sequi. Prastigijs, & commentis veritatē obruunt, quo aliquid paulo argutius, nec ab aliis antè excogitatum (id enim palmarium est inter eos, in medium adduxisse videantur; itaque de eiusmodi doctoribus illud verè dici potest, quod Antonius apud Ciceronem de Philosophis scribit. Ipsi se compungunt suis acuminibus, & multa quærendo reperiunt non modo ea quæ iam non possunt ipsi dissoluere, sed etiam quibus ante exorsa & potius detexta propè relaxantur.* Hæc *quia non intelliguntur à iuuenibus, nec adeo intelligi possunt videntur plerisque ingeniosa, qui ea sola mirantur, & habent in pretio quæ non intelligunt, & subtilissimam oportere rem esse arbitrantur quam ipsi non cernant: quæ vero simplicia atque perspicua sunt quæque plus operis habent, quā ostentationis, ipsis vt puerilia sordent nihili fiunt.* Hæc & alia plura Duaren. qui addit istos quod de Philosophis ait Aristophanes *λεπτολογεῖν καὶ περὶ καπνοῦ στενολεσχεῖν*, non tantum de rebus tenuibus & friuolis disputare, sed etiam de meris nugamentis anxie torqueri hanc scholam cum illis Euclidis comparandam esse, quæ quod ad rectè viuendum inutilia doceret χολὸ, id est bilis, quod illam sua molestia excitaret, vocabatur. Pergit ostendere ex hac inepta subtilitate & *τυφομανία*, discentium studia retardari, & cum iuris scientia omnium facillima à veteribus existimata sit, nullus tamen labor, nulla ætas, ad percipiendam eam satis esse credatur. Menedemus quidam Herotriensis confluere dicebat plurimos Athenas studiorum gratia, qui primùm essent sapientes, deinde Philosophi, postea Rhetores & progressu temporis idiotæ. Idem contingere vult Duaren. plerisque disciplinæ iuridicæ studiosis qui primo anno sunt Doctores altero licentiati, tertio baccallaurei, postremò rerum omnium imperiti. Hoc tamen Duareni monitum sic accipiendum est, vt inania acumina & subtilitates in re plana & perspicua non consectemur; non propterea ab inquirenda Canonum & legum ratione idcircò abstineamus; nouas opiniones sine causa non excogitemus quidem, sed tamen vulgaribus non ita insistamus, vt si quid falsum aut minus legitimum in illis deprehendamus, illud retineamus, ne denique vulgares & populares errores diuturna etiam consuetudine & praxi firmatos, illustriumque interpretum authoritate munitos retineamus. Veritas enim quærenda est, & omnibus præhabenda quod egregiè præstitit Anton. Fab. duobus ingentibus voluminibus de erroribus pragmaticorum. Nam sont plerique commentatores, qui iure dici iurisperiti non possunt. Hancque viam non sæpius sequi cogemur in aperienda vera Canonum sententia. 12

Restaret hoc loco quærere qualem esse oporteat virum Hieropoliticum, quibusqoe dotibus præstare debeat, quod de politico quærit Plato *in dialogo hoc titulo*, & *in dialogis de Republica*, *atque de legibus* sed ex iis quæ disputauimus hactenus de auditore & doctore scientiæ Canonicæ & Hieropoliticæ, deque illios Ipsius scientiæ natura, & definitione colligi id facile poterit. Nam ipsemet Plato ex scientiæ ciuilis natura politicum suum primò instruit, 13

tum ex fine politiæ & diuersis ipsius formis, atque ex variis partibus quibus ciuitatis πλήρωμα & συναμόρλογη constituitur, id ipsum docet. Nos verò & scientiam Hieropoliticam hactenus descripsimus, & Sacræ politiæ naturam, formam, subiectum, finem, partesque omnes quibus coalescit, quarum aliquæ regunt, aliæ reguntur, & denique leges quibus regitur toto hoc immenso opere rescripturi sumus, ex quibus omnibus Hieropoliticus, quale sit suum munus, quæve eius partes, discat necesse est. Deinde cum Plato & Arist. politici nomine maximè designent eum qui politiam regit, aut eam totam instituit, & temperat, quem custodem politiæ nominat Plato siue ipse sit idem legislator, siue Rex, siue quis alius in quo summa residet regendi potestas, qui diuersus est pro diuersa politiæ forma Monarchia, Aristocratia, & Democratia, quibus suum regimen debet accommodare, sicut ipsæ leges ex quibus regere debet, accommodantur. Non possumus etiam nos Hieropolitici munus & dotes quibus ornari debet docere, nisi prius constet quænam sit ista Hieropolitia, & qualis, quibus personis constet, quibus legibus & institutis regatur, quibus operibus suum finem assequatur, aliaque eiusmodi explicuerimus, quod toto opere exequemur maximè *tom.* 2. & 3. quare non est quod hoc proœmio totam doctrinam deinceps explicandam inutiliter tradamus.



LIB. II.

LIBER SECVNDVS DE OBIECTO REMOTO SIVE subiecto Scientiæ Canonicæ & Hieropoliticæ, Ecclesia nimirùm.



E Politia disputanti, de Ciuitate & Ciue, primo loco quærendum esse monuit Aristoteles, lib. 3. Politic. cap. 1. *Cùm enim omnis viri politici atque Nomothetæ cura in regenda ciuitate occupetur; eaque vna in re totum eius negotium* πᾶσαν πραγματείαν *versari videamus, & politia aliud non sit, quàm Ciuitatis aut in Ciuitate degentium ordinatio quædam, vti ipsemet Aristoteles sæpiùs definit* τῆς πόλεως ἢ τῶν πόλιν οἰκούντων τάξις. *necessariò efficitur, tum Ciuitatem, tum Ius & leges, quibus Ciuitas temperatur ac instituitur, scientiæ politicæ obiectum existere: atque adeò de Ciuitate, viro Politico, & scientiam politicam tradenti agendum omninò esse. Nos igitur, qui sacræ Politiæ expositionem tradimus, de sacra Ciuitate, quæ Ecclesia est tanquam de remoto saltem huius scientiæ obiecto, primum disputare necesse est.*

CAPVT PRIMVM.

De Ecclesia, totius Iuris Ecclesiastici subiecto.

QVÆST. I. *Quid sit Ecclesia.*
QVÆST. II. *Quomodo fides se habeat ad Ecclesiam.*



NIMVS non est tradere omnia, quæ de Ecclesia fusissimè disputari solent à DD. iis Maximè qui res fidei Controuersas definiunt, & contra hæreticorum errores tuentur, cum aliud sit nostrum institutum, neque etiam quæ ad singula Ecclesiæ membra pertinent edisserenda erunt hoc luco, hæc enim toto fere opere explicabuntur, maxime vbi de iurisdictione Ecclesiastica & de personis sacris agemus. Quare in hoc capite Ecclesiam dumtaxat attendimus, quatenus est subiectum scientiæ Canonicæ & sacræ Politiæ, siue est Ciuitas, quæ certa quadam politia temperatur, & Iure sibi peculiari regitur, cuius Politiæ ac Iuris scientificam Expositionem molimur: quæ igitur ad hoc nostrum Institutum pertinent, exequemur. Cætera verò vel ex iis deducentur, vel in commodiorem tractationem reiicientur.

Non potui verò hoc loco abstinere à tractatione aliqua de fide. Imprimis quia vt ex 1. & 3. q. constabit, ipsa est ratio Constitutiua Ecclesiæ, cuius naturam hoc primo Capite explicamus. Deinde quia est prima origo iuris Ecclesiastici, quod non est nudè humanum, sed diuinum, vti explicabitur inferius 3. tum Ius ipsum Canonicum Decretalibus comprehensum, tum Codex Iustiniani orditur à fidei Catholicæ explicatione; διὰ τὸ τίμιον, inquit Cuiacius in Paratit. eo quod Ius diuinum sit præcipuum, atque cæterorum, quæ illi commensurari debent, Regula, quamquam in Theodosiano Codice in vltimum locum reiectæ fuerint leges de fide, eo quod Imperatoria non esset illas condere, sed potius cauere, ne quid contra illas committatur; quæ igitur rationes persuaserunt Pontificibus & Imperatoribus, vt primum locum in suarum sanctionum voluminibus darent explicationi fidei, eæ faciunt vt Initio scientiæ nostræ Canonicæ, in quo de natura Iuris, quo regitur Ecclesia disputaturi sumus, ea quæ ad fidem, ex qua maximè nascitur hoc Ius, pertinent, explicanda videantur; huiusque ordinis duas rationes afferunt glossa Canonica & Ciuilis 1. Est, quia omne quod non est ex fide, peccatum est, Ad Rom. *cap.* 14. atque ideo fides 1. loco docenda sit. Verùm licet Aug. *lib.* 1. *contra duas Epistolas Pelag. cap.* 3. Fulgent. *lib. de Incarnat. & gratia Christi* & Prosp. *Ep. ad Ruffin. de gratia, & libe. arbit.* verba Pauli de fide Christiana interpretentur, velintque omnia opera Infidelium esse peccata, neque ea sententia simpliciter vt sonat, intelligenda est; ita vt omnia & singula Infidelium opera peccata sint, vti ostendimus, 1. 2. vbi Augustini, eiusque discipulorum sententiam explicuimus, neque verba Pauli id postulant: fidem enim pro conscientia vsurpat, vti aduertunt Origen. Oecumen. Theodoret. Theophylact. & existimant Ambros. atque Anselm. Quidquid enim contra Conscientiam pronuntiantem aliquid esse peccatum, fit, reuera peccatum est, etiamsi Conscientia in suo illo Iudicio inuincibiliter erret. Potior itaque est altera Ratio, quam Glossa

Ciuilis adducit, quia nimirum acturus de iustitia priori loco de præcipua eius parte, nimirum de Religione agere debet, Religionis autem fundamentum fides est. Constat vero ex libro superiori scientiam Canonicam Religionem spectare tanquam præcipuum suum obiectum, & non tantum tanquam partem aliquam subiectiuam, vel potius potentialem illius, quomodo se habet ad iustitiam, quam vnam imprimis attendunt leges Ciuiles; non possumus igitur scientiam istam tradere, neque eius obiectum explicare absque fidei doctrina.

Tertiò denique totius Politiæ Ecclesiasticæ finis est salus æterna, quam bonis operibus adipiscimur, bonorum autem omnium operum fundamentum, est fides, vt pluribus probat S.Thom. *opusc.23.* siue *commentario in primam Decretal.* Quare Clemens *lib. 1. Stromat.* Fidem dixit esse primam ad salutem inclinationem. Cyrill. *Cathec. 1.* Oculum & lampadem ad salutis viam inueniendam. Cyrill. Alexand. *lib. 4. in Ioan.cap.4.* Ambr. *lib. 1. de Sacrament.inst. 10.* August. *de bono perseuerant.cap.2 & de prædestin.SS.cap.7.* Hieron. *in cap. 3. ad Ephes.* Ianuam & viam ad vitam. Chrysost. *hom de Fide, Spe, & Charit.* originem iustitiæ, & denique Theodoret. *lib. 12. aduersus Græc.affecti. Quod, inquit, radix est arbori, quod oculus corpori, quod telis contexendis ipsa sunt stamina, hoc perficiendis animis est veritatis cognitio, stabilisque rerum diuinarum fides*, vnde colligit S.Thom. *loco cit. Conuenienter ergo Christi Vicarius positurus mandata, quibus Ecclesia per Apostolorum prædicationem fundata pacificè gubernatur, titulum de fide præmittit.* Quæ omnia licet videantur innuere hoc initio tractationem de fide præmittendam esse, idque olim dum hoc opus meditaremur, præstitissemus, visum tamen de morali longiorem tractationem commodius reiici posse in secundum tomum, vbi de Religione, & actionibus sacris, quas scientia Canonica dirigit, quarumque prima origo est fides, fusissimè disputamus.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit Ecclesia?

Nominis Ecclesiæ varia significatio. n. 1.
Quam periculosè erretur in definitione Ecclesiæ. n. 2.
Ecclesiæ definitio. n. 3.
Eius definitionis explicatio. n. 4.
Triplex Ecclesiæ vnitas. n. 5.
Quod sit genus, & quæ differentia in definitione Ecclesiæ. n 6.

1 QVamuis magna sit nominis Ecclesiæ homonymia, sexdecim enim eius definitiones enumerat Turrecremata *in sum. lib. 1. cap. 2.* obseruauit tamen Cardinal. Perronius *in responsione ad Reg.Britann. c. 1.* nunquam ante Christum ea voce designatum fuisse cœtum Religiosum, sed congregationem quamcumque. Itaque Demosth. περὶ στεφ. exprobrat Æschini quod in Ecclesiis, hoc est publicis Comitiis obmutuerit, & Aristoteles *lib. 2. Politicor.* Eodem nomine Cretensium Comitia designat, ipsúmque Deorum senatum à Ioue coactum Homeri Scholiastes *Ἰλ. θ.* & In veteri quoque testamento Ecclesia cætum populi Israëlitici significabat, non peculiarem eius Religionem. Quare Hieronym. & Cyrill. *in cap. 2. Isa.* nomen nouum, quod Domini ore pronuntiatum iri promittitur, de nomine Ecclesiæ repudiata synagogæ nuncupatione interpretantur. Aduertítque Victoria *relect. 1. de potest. Eccles. n. 1.* ante salutem orbis, & natā Christianitatem, nunquam Ecclesiæ nomen fuisse latinitate donatum, quod deinde frequens fuit apud Christianæ Religionis, & eloquentiæ principes, Tertullian. Cyprian. Hieron. aliósque similes, qui eo nomine, religionis Christianæ societatem designant. Atque in hac significatione vsurpant hanc vocem hodie DD. omnes, dum de Ecclesia disputant, accipiúntque pro certo quodam cætu Religioso, extra quem salus obtineri nequeat.

Quæritur vero quisnam & qualis sit ille cætus, quod vt assequamur inuestiganda est vera Ecclesiæ definitio, inde enim & ipsius nominis notio habebitur; definitio siquidem teste Damasc. *cap. 8. Dialect.* Est nomen explicatum, & nomen est definitio coniuncta siue copulata, quia nomen substantiam rei demonstrat, eam tamen non explicat, quod facit definitio, quæ idcirco dicitur compendiosa rei cognitio, præcisis enim accidentibus, causis & effectibus ipsam rei essentiam, siue potius ipsam rem, atque vt loquitur Aristoteles, *quod quid est rei* apertè demonstrat; ex ea deinde essentiæ & quidditatis notitia, minimè operosum est, ad effectum, causarum, & proprietatum, aliorúmque, quæ cum re necessario connexa sunt, cognitionem deuenire; idcirco periculosè erratur in definitione, quæ nisi ita aptetur definito, vt cum ipso conuertatur, & si vel ipsum excedat, vel ab ipso excedatur, innumeros pariet errores; idcirco enim ex Damasc. dicitur terminus, ὁρισμός, quia sicut terminus id quod cuiusque rei proprium est ab alio dirimit, ita definitio cuiusvis rei naturam ab alia distinguit. Perfecta itaque est definitio, cum neque dictionibus deficit, neque redundat, plura siquidem sunt in re definita, quam exprimantur definitione, quando autem dictionibus redundat, deficit rebus, nam plura exprimit, quam repetiantur in re definita. Idcirco miratur Damasc. artem naturæ in excogitanda definitione, quam vocat opulentiam, egestatem & opes egestatem mentientes; atque ea de causa operosum esse aptè rem quampiam definire fatetur Aristoteles *7. Topicor.* cùm ex vnius voculæ additione aut detractione tota definitio mutetur; quam idcircò numeris, qui accedente aut decedente vnitate pereunt, componunt vulgò Philosophi. 2

Quare mirum videri non debet, si plurimi circa Ecclesiæ notas, proprietates ac partes, quibus componitur, turpiter lapsi sint, & in eius essentia definienda errauerunt, ab iis enim velut carceribus effusi in absurdas omnino & falsas opiniones præcipites acti sunt, alij enim ampliorem, alij strictiorem hanc definitionem fecerunt, vnde aliquos excludunt ab Ecclesia, qui illa continentur, alios verò includunt qui extra illam omnino vagantur, & non modo dissitos dissimilésque omnino cætus eodem nomine donant, eadémque definitione imprudenter designant, sed monstra quædam conflant, quibus laruam & personam Ecclesiæ, & sponsæ Christi impudentissime imponunt: Omissis verò ineptis illis errorum tum veterum, tum recentiorum descriptionibus, quæ ex nostra explicatione satis supérque reiicientur, placet ea, quam dedit Bellarmin. *lib. 3. de Ecclesia, cap. 2.* 3

Ecclesia est cætus hominum ad salutem vocatorum, eiusdémque fidei Christianæ, & sacramentorum communione sub eodem visibili capite colligatus.

Hæc definitio coincidit cum pluribus aliis, quas DD. Catholici passim afferunt, quia tamen aliquæ videntur ampliores, & non modo essentiam, sed etiam 4

eius

eius proprietates, aliáque quæ definitionis leges minimè postulant, complectuntur, vt ea quæ constituit Thomas Stapletoni. *contron. 1. lib. 4. cap. 6.* aliæ autem pauciora exprimunt, quam oporteat, idcirco hæc omnium aptissima visa mihi fuit; illa vero quam Nicola. I. *C. Ecclesia, de consecrat. D. 1.* tradit, nimirum; esse Catholicorum collectionem, quanquam vti ex ipsa decretali patet, loquatur potiùs de loco in quem conueniunt fideles, quam de ipsamet fidelium societate; quod obseruauit Riccius. *lib. 1. de iure personar. extra Ecclesiam, cap. 2. num. 1.* & ex tota illa distinctione, in qua de Basilicis earúmque consecratione agitur, colliges; non támen aliud dicit, quam nos, quia nomine Catholici & fidei vnitas & communio in eadem societate designatur, vt ostendemus inferius.

Percurrendæ sunt igitur nostræ definitionis particulæ: dicitur cætus, quia Ecclesia est nomen collectiuum, neque in vna tantùm persona reperiri potest, cùm sonet collectionem, & conuocationem plurium.

Secundo dicitur cætus hominum, quia non definimus nisi Ecclesiam militantem, neque in ea amplitudine sumimus hanc vocem in qua tum homines, tum Angelos, eo quod sub eodem Christi capite communicent; qua de re aliquid dicam inferius, comprehendit. Addidi enim cætum hominum ad salutem vocatorum, quia extra hanc societatem nulla salus est, vti frequenter docent PP. inferius allegandi, & quia ab ea vocatione ad salutem huic hominum multitudini impositum est Ecclesiæ nomen; quare Cyrill. *catechef. 18.* ait Ecclesiam ἐκκλησίαν: Et iuxta vim nominis dici, quod omnes toto orbe vocet & congreget, ad salutem nimirum. Canus autem *lib. 4. de loc. Theolog. cap. 2.* Conuocationem illam interpretatur de peculiari gratia, qua sine præuiis meritis vocantur ad salutem, & ad fidem omnes qui ad hunc cætum, & populum pertinent; sanè Paulus sæpius Christianos *vocatos*, aut *vocatos sanctos* nominat, quia nimirum ad sanctitatem vocantur, dum Ecclesiæ vniuntur.

5 Tres reliquæ particulæ significant vinculum triplex, quo qui constant hunc cætum, quem describimus, colligari inter se debent, primúmque est vnitas fidei diuinæ & Christianæ, qui enim aliud credit, quam Ecclesia, eius pars non est; deinde eorundem sacramentorum communio; quo nomine intelligo omnia media ad salutem necessaria, quæ fidelibus omnibus communia esse voluit Christus, & sanè cum Religio maximè contineatur sacramentis, vti monet August. *epist. 118. cap. 1.* dum ait Christum noui populi societatem sacramentis numero paucissimis, obseruatione facillimis, significatione præstantissimis colligasse, vbi erit sacramentorum diuersitas, ibi & Religionis dissimilitudo existet. Denique vnitas capitis est necessaria, quod satis ostendit Christus, dum vnum ouile, & vnum pastorem fore pollicetur, & Paul. qui Christum caput super omnem Ecclesiam appellat, consentiúntque PP. omnes inferius adducendi. Certè Cyrill. *catech. 18.* obseruauit tunc primùm ἐκκλησιάζειν in scripturis reperiri, quando Devs Aaronem εἰς τὴν ἀρχιερωσύνην erexit, quod hæreticus interpres dissimulauit; hinc autem rectè collegit Franc. Turrian. *lib. 1. de Hierarch. ordinat. cap. 8.* sublato capite tolli rationem Ecclesiæ, cùm in vnum congregari nequeant fideles, nisi in vno capite colligentur.

6 Vides igitur triplicem hanc vnitatem perficere differentiam, per quam vera Ecclesia ab omnibus aliis cætibus ad salutem vocatis distinguitur, priores autem particulas esse loco generis, quamuis enim tradita definitio sumatur propriè loquendo ex materia & forma, materia tamen respondet generi & forma differentiæ, vti obseruauit Damasc. *cap. 8. dialect.* dum harum definitionum rectitudinem probat; quare Suar. *disp. 9. de fide, sect. 1. num. 3.* dixit Ecclesiam esse corpus politicum, compositum ex hominibus veram Christi fidem profitentibus, cuius corporis partes sunt homines viatores; forma vero est illa per quam omnes homines inter se in vnam Rempublicam, societatem, & corpus colligantur, quæ forma alia profecto non est, quam fides: non potest porro esse vera fides, eiúsque professio, si quis aut subesse capiti detrectet, aut alia sacramenta participet; vnde duæ illæ particulæ additæ sunt in nostra definitione ad explicandam eam fidei professionem quam ad constituendam Ecclesiæ formam requirebamus.

QVÆSTIO II.

Consectaria ex allata definitione circa eos qui sunt aut non sunt in Ecclesia.

Consectarium primum. An Angeli sint in Ecclesia. n. 1.

Quomodo Christus dicatur à Paulo caput super omnem Ecclesiam, ad Ephes. 1. n. 2.

Consectarium secundum. Neque soli prædestinati, neque soli iusti sunt de Ecclesia. n. 3.

Vinculum, quo colligantur Ecclesiæ partes, non est prædestinatio, aut sanctitas, sed vocatio ad fidem, ibid. & n. 4.

Obiecta aduersariorum. n. 5. 6. 7. 8. 9.

Responsio ad similitudinem Ecclesiæ & arcæ Noeticæ. n. 10.

Notationes & Regulæ vniuersales ad PP. verba intelligenda hoc loco. n. 11. 12. 13. 14. 15. 16.

Responsio ad loca Patrum allata. n. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26.

Consectarium tertium. Hæretici non sunt de Ecclesia. n. 27.

Consectarium quartum. An Catechumeni sint in Ecclesia. n. 28.

Resolutio quæstionis. n. 29.

Consectarium quintum. Schismatici non sunt de Ecclesia. n. 30.

Consectarium sextum. Excommunicati sunt in Ecclesia. n. 31.

EX definitione Ecclesiæ hactenus explicata facilè fuerit plures controuersias, quas fusiùs pertractant DD. definire.

Consectarivm Primvm.

An Angeli sint de Ecclesia?

Primo enim sequitur Angelos non comprehendi 1
in Ecclesia, quam descripsimus, eos enim exclusimus, dum diximus esse cætum hominum, fateor quidem sæpius dici à Patribus, quos dabit Suar. *tom. 1. in 3. part. disp. 23. sect. 1.* & Viegas *in Apocalyps. comm. 1. sect. 4.* Ecclesiam ex Angelis & hominibus componi, eo quòd eo nomine significent multitudinem eorum quos verus Dei cultus & vera Dei cognitio quomodocumque coniungit, siue ea cognitio obscura sit, siue clara & intuitiua, quo etiam sensu tripartito diuidunt

diuidunt Ecclesiam in Cælestem, siue triumphantem, militantem & patientem in purgatorio quod iterum attingam inferius; ea tamen Ecclesiæ significatio paulo amplior est, nos enim disputamus de ea tantùm, quæ in terris degit, & sub vno visibili capite Christi vicario coalescit; qua particula non modo Angeli, sed & homines iam defuncti excluduntur, illi enim non subsunt aspectabili nostræ Ecclesiæ Capiti, aut Ecclesiæ militantis iurisdictioni saltem directe, vt in explicandis indulgentiis, quibus iuuantur animæ purgatorij, & censuris, quibus aliquando defuncti ligantur, aut soluuntur, latè docemus.

a Hinc porro intelliges, quid sibi voluerit Paul. *ad Ephes.* 1. cum de Christo dixit, & *ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est Corpus ipsius & plenitudo eius; qui omnia in omnibus adimpletur.* Primo enim de Ecclesia tum militante, tum cælesti exponit August. & fauent vltima verba, *Qui omnia in omnibus adimpletur*, id enim in patria cælesti fit, Inquit, Turrian. *lib.* 1. *adu. Sada. capit.* 5. Quia vt ait Dydim. *In Comm. Prima Ioann. capit.* 3. ibi omnes venient ad scientiam plenitudinis Christi omnia in omnibus facti: priora etiam Apostoli verba postulant, vt de Ecclesia cælesti & terrestri accipiantur. Secundo alij vt ex Hieron. Chrys. & Theophilacto obseruauit Iustinian. Itaque fert Græcus textus, legunt, *ipsum dedit super omnia Ecclesiæ*, omnia videlicet quæ in Ecclesia sunt, ipsi subiiciuntur. Tertio *per omnem Ecclesiam*, singulas Ecclesias, quæ vnam vniuersalem componunt, licebit intelligere. Quarto germanus sensus est, Christum omnis omnino Ecclesiæ, quæcumque tandem illa sit, siue in Cælis, siue in terris caput esse, & rursus Ecclesiam esse illius capitis corpus atque πλήρωμα, plenitudinem siue potius complementum & integritatem, quia sicut caput, membra, sic membra, ipsum caput perficiunt, neque enim perfectum est corpus, nisi secum & cum capite vnita sint, si corpus acephalum esset, imperfectum omnino foret, si verò caput omnibus membris, aut vno aliquo careret, pede aut manu, posset quidem caput in se fortassis subsistere, non tamen in ratione capitis; quare Christus in ratione etiam capitis aliquid mancum & mutilum esset, sine corpore omnibus suis membris constituto; Corpus siquidem est plenitudo capitis *& per omnia in omnibus suis* membris *adimpletur* ac perficitur, vox autem πληρουμένου media est, & tum actiuam, tum passiuam significationem ferre potest; quia augustissimum hoc caput ita completur ac perficitur, per sua membra, vt simul ipsa Membra per omnia & in omnibus nempe secundum integritatem vitam ac influxum ab eodem capite perficiantur; quare ipse Christus est plenitudo Ecclesiæ, cum eam omnibus Charismatibus impleat & perficiat, quod tamen complementum non nisi in cælesti patria perfici certissimum est. Circa verba autem Pauli, tum græca, tum latina, quorum contextus durior videtur grammaticis, pusidius immorandum non est, modo rem & sensum teneamus: Idcirco philocalia Origenis à Basilio & Nazianz. conflata interpretantur illud Pauli, *Nos autem habemus thesaurum hunc in vasis fictilibus*; de thesauro sapientiæ & scientiæ Dei abscondito, vasa vero fictilia dictionem apud Græcos abiectam & humilem & ipse Paulus se fatebatur imperitum sermone, id est, externa Eruditione ex Chrysost. *lib. de sacerdotio & in cap.* 6. *ad Galat.* pluraque habet in hanc rem Nyssen. *in Epist. ad amicum in illud Pauli prima ad Corinth.* 15. *Cum autem subiecta fuerint illi omnia, &c.*

CONSECTARIVM II.

Neque soli prædestinati, neque soli Iusti sunt de Ecclesia.

VVickff apud VVald. *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 8. & 4. 3
Iean. Huss. *In Conc. Constant. sess.* 15. Antoni. Sadael & alij Confessionistæ ex solis prædestinatis Ecclesiam constare dixerunt; Nouatiani vero peccatores ab eadem Ecclesia reiiciebant, quos erroris nostra definitio confutat, formam enim Ecclesiæ diximus esse vnitatem fidei & Communionem Sacramentorum cum vno capite, quæ omnia in reprobis & peccatoribus reperiri certum omnino est; huius tamen Consectarij doctrina paucis pro instituto confirmanda est, ostendendúmque, quam absurde hæretici vnitatem per quam Ecclesiæ membra inuicem communicant, & colligantur, prædestinationem & sanctitatem esse statuant, cùmque esse fidei eiusdem professionem, aut vt alij loquuntur, vocationem ad eandem fidem, imitati Paulum, qui vti iam monui, Christianos nominat vocatos sanctos. 1. *ad Cor.* 1. *Epistola* vero *ad Ephes.* 4. hortatur ad vnitatem spiritus in vinculo pacis, *Et vt sint vnum corpus & vnus spiritus, sicut vocati Estis*, inquit *in vna spe vocationis vestræ*; & *ad Coloss.* 3. dicit *vocatos esse in vno corpore*; Quibus omnibus locis Paulus vinculum, quo vniuntur membra Ecclesiæ tribuit vocationi quæ per fidem fit vt constat, non autem prædestinationi, à qua etiam non sumitur nomen Ecclesiæ sed à vocatione vti iterum monebimus inferius: Et sanè vinculum siue vnio, qua partes vniuntur ad constandum aliquod totum, debet existere in partibus vnitis, non vero in causa efficiente, quæ illas inuicem componit: prædestinatio autem cum sit actus diuinæ mentis, non est in prædestinatis, neque illos constituit partes actuales corporis Christi & Ecclesiæ; quis enim dicat Architectum, qui mente designat ædificium, illudque metitur; atque saxa quædam & Lapides siue in fundamenta, siue in frontem, siue in Angulos destinat, ea sua designatione & consilio facere saxa & lapides, illius ædificij partes actuales, alioquin ex sola mentis cogitatione iam suis omnibus partibus absolueretur ædificium, & absque vlla externa cooperatione aut opera construeretur, quod ridiculum omnino est: non igitur sola illa Sionis aut Ecclesiæ designatio, quam descripsit diuina mens, facit eos quos illi ædificio construendo aptare decreuit, esse adhuc actuales illius Ciuitatis partes aut corporis membra, sicut neque voluntas creandi Adamum, fuit eius creatio, antequam illum actu crearet. Rationem hanc subtiliter attigit Augustin. præfat. *in Psalm.* 150. *Prædestinatio nostra non in nobis facta est, sed in occulto apud ipsum in eius præsentia, tria vero reliqua in nobis fiunt, vocatio, iustificatio & glorificatio.* Cum igitur prædestinatio in nobis non sit, nequit esse visibilis illa tessera, qua Ecclesiæ membra tum ab aliis distingui, tum inter se coniungi debent, per eam enim in diuina quidem mente vniuntur, nondum tamen in Ecclesia constituuntur; alioquin Paulus dum persequeretur Ecclesiam Dei, & in eam instar Lupi grassaretur, erat iam actualis Ecclesiæ pars, atque ouis ouilis Christi, quod quis ferat? Negari autem non potest Ecclesiam, quam tunc persequebatur Paulus fuisse veram Ecclesiam, nisi mendacij arguatur, tum Lucas *act.* 9. tum ipsemet Paul. 1. *ad Timoth. prima ad Cor.* 15. *& ad Galat.* 1. qui eam vocant Ecclesiam Dei, fuisse quoque Paulum Lupum aliquando fatetur, Aug. *serm.* 1. *de Conuersione eius*, sed tandem mutatum in ouem; quo simili sensu Chrysost. ex vase fictili

in

in aureum conuersum fuisse prodidit *hom. 6. in 2. ad Timoth.* negandum quoque erit aduersariis, Iudam fuisse vnquam de Ecclesia, quamvis à Christo in Apostolum electus fuerit, nulli etiam quantomvis sancti & iusti, atque baptizati, si aliquando sua culpa reprobandi sont, partes ac membra Ecclesiæ existent; omnes autem hæretici, Turcæ & infideles, qui conuertendi sunt, & iam in diuina mente prædestinati, viua & vera Ecclesiæ ac Christi membra iam nunc actu existunt, quo non video quid absurdios dici possit. Num amabo qui filij Dei sunt, qui Christom Induetunt, qui eius spiritu viuunt, sunt extra Ecclesiam? Ergo omnes Galathæ & Corinthij erant Ecclesiæ membra, de illis enim ita loqoitur Paul. 1. ad Cor. 12. *Omnes nos vno spiritu in vnum corpus baptizati sumus*, & ad Galat. 3. *Omnes enim filij Dei estis per fidem in Christo Iesu, quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Ergo omnes Corinthij & Galathæ erant prædestinati ex aduersariis, aut aliquem non prædestinatum posse esse filium Dei, Christum Induisse, spiritum Ecclesiæ participare, eiusqoe membrum existere fateantur, oportet; Immo ex verbis Pauli vlterius sequitur, quod dicebamus io nostra definitione, fidem nimirum esse spiritum Ecclesiæ, nam non aliter probat Paul. Corinthios vno spiritu in vnum corpus conuenire, & Galatas filios Dei esse & Christum induisse, quam quia baptizati sunt, & per fidem in Christo Iesv, vniuntur ergo fide, quæ constituit filium Dei, & vnit in vno spiritu, & in vnum corpus, facit Ecclesiæ membrum, non prædestinatio: neque Ecclesia totum aliquod homogeneum est, sed heterogeneum & Corpus suis distinctum membris, quæ diuersa nanciscantur officia, vti describit Paul. 1. *ad Cor.* 12. idque omnino requiritur, quandoquidem non est corpus quoddam inanimum, sed animatum Spiritu Christi, ac proinde organicum; hæc autem membrorum definitio & diuersa configuratio, atque ad diuersa munera aptitudo, occulta prædestinatione fieri nequit, alioqui reprobi non possent esse Ecclesiæ ministri, atque ita incerti perpetuo essemos, an sacramenta, aliáqoe munera validè fierent, & an à vero aut existimato dumtaxat Ecclesiæ Ministro, à prædestinato nimirum aut reprobo ministrarentur.

Plura alia in hanc rem omitto, quandoquidem ipsemet Christus Ecclesiæ caput & author hunc insanum errorem apertissimè confutant, quando Ecclesiam comparat Math. 3. Areæ in qua tum frumentum in horreum congregandum, tum paleæ igni inextinguili comburendæ existunt; sagenæ Missæ in mare ex omni genere piscium congreganti. *Math.* 13. Conuiuio nuptiali, ad quod boni & mali inuitantur & ex quibus pauci sunt electi. *Math.* 22. decem virginibus quarum quinque fatuæ excluduntur à domo sponsi *Math.* 25. Atque *ibidem* ouili ex ouibus & hædis composito, hoc est, ipso interprete Christo ex electis & reprobis. Denique Paul. 1. *ad Timoth.* 2. magnam domum esse dicit Ecclesiam, in qua sunt multa vasa argentea, aurea, lignea, & fictilia; quædam in gloriam, quædam in contumeliam destinata & ineptè omnino idem Paul. 1. *ad Cor.* 5. iubet incestoosum expelli ab Ecclesia, si enim prædestinatus erat, semper in Ecclesia manebat quæ omnia ostendunt quoque peccatores esse in Ecclesia, quod ex scripturis quamplurimis luculenter docent Catholici contra Donatistas apud August. *in breui. Collat. Collatione diei tertia.* quæ & alia innumera PP. loca in hanc rem adducere nihil attinet, satius fuerit, quæ ab aduersariis insulsè admodum obiiciuntur ad eorundum suum errorem annotrae.

Afferunt igitur imprimis quasdam similitudines Ecclesiæ ab scriptura & PP. vsurpatas, ex quibus videtur effici; solos saluandos esse in Ecclesia nam primo Arcæ Noë comparant. Aug. *lib. 5. de baptis. cap. vlt. lib. de vnit. Eccles. cap. 5. lib. de fide & operib. cap. 15. de fide ad Petrum cap. 37. lib. 12. contra Faust. cap. 14. & seq. & cap. 38. & 59. lib. 19. cap. 12.* Origen. *in cap. 6. genes. hom. 2.* Greg. *hom. 12. in Ezechiel.* Rupert. *lib. 4. in genes. cap. 17. & 18.* Hieron. *lib. 1. contra Iouinia. & dialog. contra Luciferian. & Epist. 57. ad Damas.* Cyprian: *Epist. 74. & 76.* atque apud eundem *Firmi. Ep. 75.* Iustin. *Dialog. cum Tryphon.* atque alij passim, quos Pererius & alij recentiores interpreres tum *in cap. 6. genes. tum in prima Petri. cap. 3. n. 21.* magno consensu sequuti sunt propter expressa verba Petri loco citato, vocat enim baptismum *ἀντίτυπον* arcæ seruatæ in aquis & per aquas; at vero omnes qui in arca erant, seruati sunt, ergo & omnes, qui in Ecclesia sunt, saluantur; Ex solis itaque electis & prædestinatis componitor.

Secundò Ecclesia dicitur hortus conclusus. *Cant.* 4. In quem soli prædestinati ingrediuntur, teste August. *lib. 5. de Baptismo. cap. 27.*

Tertiò Ecclesia ouile est, in quo sine dubio non sunt nisi oues, at verò eo nomine non censentur nisi prædestinati, qui soli vocem Christi pastoris audiunt, & de quibus verum est, quod de suis ouibus dixit Christus. Ioan. 10. *Nemo rapiet eas de manu mea.*

Huc pertinent quædam loca scripturæ in quibus soli prædestinati dicuntur oues & filij, tum quia tales sunt etiam adhuc Gentiles, vt Ioan. 10. *Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili*; & Ioan. 11. *Vt filios Dei, qui erant dispersi congregaret in vnum*, tum quia etiamsi videantor in Ecclesia esse, tamen reuera in illa non sunt. 1. Ioan. 2. *exierunt ex nobis quia non erant ex nobis.*

Afferunt Tertiò loca, in quibus dicitur à solo Deo cognosci tum oues, tum filios Dei, aut qui eius sunt, vt Ioan. 10. *Cognosco oues meas.* quæ etiam solam vocem eius audiunt 2. *Tim.* 2. *Firmum Dei firmamentum stat habens signaculum, nouit Dominus qui sunt eius.* Idcirco verò à solo Deo signantur & cognoscuntur quia nobis innotescere non potest character prædestinationis, neque aliter hæc loca Aug. alijque PP. exponunt.

Afferunt Quartò illud ad Ephes. 5. *Ecclesiam exhibendam esse à Christo gloriosam non habentem Maculam, neque rugam*; Falsò igitur dicitur aliam esse Ecclesiam, quam eam, quæ sine ruga quondam futura est; Ea vero continet solos electos, vt patet. Et ita S. Hieron. illud cap. interpretatur quo etiam referendum fuerit illud Pauli *ad Hebr.* 12. dicentis nos accessisse *ad Ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in Cælis.*

Afferunt denique Aug. qui dicit, non esse de Corpore Christi qui in illo æternum mansuri non sunt, solos prædestinatos veros discipulos, veros filios Dei, & veras oues nominat; alias esse veras patres Ecclesiæ, alias non veras; quosdam esse in domo Dei, quosdam de domo; populum esse Deo notom, & populum nobis tantum notum.

R. Imprimis sapienter monete August. *lib. de vnit.* 10
Ecclesia cap. 5. in istis disputationibos & Controuersiis, seponenda interim esse, qoæ obscure sunt posita, & figuratum voluminibus inuoluta, & secundum nos & secundum illos, nempe aduersarios possunt interpretari, quod in hac ipsa Arcæ Noëticæ figura ostendit, & si enim dubium esse non possit, cum non ex sola humani ingenij coniectura, sed ex Petri ipsius sensu id habeamus in ea Ecclesiam fuisse figuratam,

ea

ea tamen figura ad suum errorem adstruendum abutebantur.

Donatistæ, nam quidam eorum Episcopus Hypon. dum ipso præsente Augustino concionem haberet, idcirco dixit bituminatam fuisse arcam intrinsecus, ne aquam suam emitteret, & extrinsecus ne admitteret alienam, quia baptismus neque extra Ecclesiam exire credendus est, neque extra Ecclesiam datus, acceptandus est: quod quam absurde diceretur ibidem docet Aug. cùm fieri non possit, vt compagu lignorum extrinsecus admittat aquam, si nõ emittit intrinsecus, & si emittit intrinsecus, admittat quoque extrinsecus, quare si eiusmodi incertas interpretationes sectari liberet, probabilius multo intelligere liceret, charitatẽ per bitumen, quia violentum gluten, & feruentissima res est. Quia vero præceptum est vt Charitas sit in nobis inuicem, & in omnes, ideo & intus & foris arca bituminata fuit: vt igitur Donatistæ arcæ huius figuram ad suos errores trahebant, ita & hodie hæretici. Nego enim vllum vnquam in eo potuisse arcæ & Ecclesiæ similitudinem, quod omnes, qui in Ecclesia sunt, saluandi certo sint, sicut omnes qui arca claudebantur, diluuio liberati sunt, sed quia sicut omnes, qui arca caecepti non sunt, perierunt, ita omnes, qui extra Ecclesiam sunt, pereant, nolláque extra veram Ecclesiam salus reperiri possit. Ita Cyrill. *lib. 1. glaphyr. in Genes.* quam interpretationem mysterij arcæ ait se desumpsisse ex Paulo dum ait: *Noe responso accepto per fidem arcam fabricauit in salutem domus suæ ad Hebr. cap. 11. n. 7.* Cyprian. vero *epist. 74. vt in illo mundi baptismo, quo iniquitas antiqua purgata est, qui in Arca Noe non fuit, non potuit per aquam saluus fieri, ita nec nunc non potest per baptismum saluus videri, qui baptizatus in Ecclesia non est, quæ ad Arcæ vnius sacramentum dominica vnitate fundata est.* Similia repetit *epist. 76. & lib. de vnitat. Ecclesiæ*; quod vero in illis Epistolis contendit Cypr. baptisma hæreticorum non esse Ecclesiæ baptisma, alio pertinet, neque fuit alia aliorum PP. ipsiúsque Augustini mens, qui locis allatis ex eo tantum Arcæ Ecclesiam comparant, quia extra illam nullam salutem reperire fas est; agnoscunt tamen in omni genere animantium, quorum alia munda, alia immunda erant, diuersos fidelium mores, quorum alij boni, alij praui sunt. Audi Hieronym. *Dialogo aduersus Luciferian.* dum arcæ sacramenta cum Ecclesia componens edisserit. *Arca Noë Ecclesiæ typus fuit, &c. vt in illa omnium animalium genera, ita & in hac vniuersarum & gentium, & morum homines sunt, vt ibi pardus & hædi, lupus & agni, ita & hic iusti & peccatores, id est vasa aurea & argentea cum fictilibus commorantur, &c. veniet ergo dies, quando thesauro Ecclesiæ aperto proferet Dominus vasa ira suæ.* August. *lib. 12. contra Faustum, cap. 15.* & alibi sæpius idem affirmat.

Respondeo secundò omnia quæ de horto concluso, de ouili & ouibus, de filiis & membris corporis Christi ab scriptura & patribus maxime ab Augustino asserebantur, vna eadémque responsione dilui.

11 Obseruandum vero est primo Ecclesiam considerari ab August. & aliis PP. variis modis, etsi enim vna eadémque sit, vt dicam alibi, varios tamen status habet, vna enim est eius substantia & firma, varia tamen dispositio, vt in Ecclesia veteri & noua, militante & triumphante inuicem collatis ostendemus suo loco.

12 Secundo aliam esse formam constituentem Ecclesiam, maximè peregrinantem in terris de qua modo disputamus, alium esse finem ad quem tendit & ob quem instituta est, neque omnes, qui sunt in Ecclesia, quia eius formam participant, ad eius finem pertingunt, sed ab eo excidunt plerique. Itaque duplex quodammodo esse Ecclesiæ distinguere licet, vnum formale, quod est vocatio ad salutem per eiusdem fidei professionem, sacramentorum communionem & cum legitimo capite cohæsionem, alterum est esse finale, illius nimirum salutis possessio, quam non obtinent omnes vocati, teste ipso Christo, cum plurimi sint vocati, pauci vero electi.

13 Obserua tertio. Ex iis qui sunt in Ecclesia nonnullus dignos se moribus integerrimis exhibere vocatione sua, & implere opus fidei in virtute quod Thessalonicensibus optabat Paul. *2. ad Thessal. cap. 1. n. 11.* Vt *dignetur*, inquit, *vos vocatione sua DEVS, & impleat omnem voluntatem bonitatis suæ, & opus fidei in virtute.* Alij vero prauis factis desciscunt ab ea vocatione, & fide, quam profitentur; itaque morum illa diuersitas nullam Religionem aut fidei distinctionem affert, sed sanitatis dumtaxat, & dignitatis siue meriti.

14 Obserua quarto. Licitum esse ratione diuersi temporis, status, aut conditionis quæ connotantur in propositionibus, idem negare & affirmare, de eadem re absque vlla contradictione, quia reuera non est idem vtriusque propositionis negantis & affirmantis subiectum, sed omnino diuersum ratione diuersitatis, status, & conditionis, quam sortitur & quæ importatur in propositione: quare mirum non est, si diuersa interdum de vno & eodem homine affirmentur, aut negentur secundum præsentem statum, quem habet, & secundum illum, quem habiturus est, & in quo iam esse supponitur non actualiter, & realiter, sed in potentia, & in diuina præscientia propter summam eius certitudinem, atque ita qui infidelis est, dicitur secundum eam præscientiam filius DEI, qui autem est casurus à iustitia & damnandus negatur filius DEI, quia quamuis reuera talis sit propter sanitatem, quæ donatur, cum tamen eam sit amissurus, & in diuina præscientia reprobus; secundum illum statum, siue prout subiacet diuinæ præscientiæ, filius reuera non est, vt qui non sit donandus hæreditate.

15 Obserua quinto, membra vniri corpori duobus modis, nam primo sola veluti continuatione coniunguntur & adhærent. Secundo aliquem influxum vitæ habent, quamuis non illius perfectissimæ, qua viuit reliquum corpus, si enim animalis pes destituatur vi sensitiua, nutriatur tamen, est membrum adhuc illius animalis nondum omni planè vita destitutum, quia tamen non participat perfectissimam animalis vitam, cuius tamen capax est, dicetur membrum mortuum; quod verius multo fuerit, si sola externa coniunctione cohæreat. Neque absimili modo fit separatio membri à corpore, vel quia realiter ab illo præscinditur, vel quia reliqui corporis vita non viuit, aut saltem non omni ea, quæ cætera membra donantur; atque ex his membris aliqua nunquam sunt præscindenda, alia verò etiamsi nunc vera membra existant, aliquando diuellenda sunt à reliquo corpore, quod quomodo contingat in corporibus fictis & politicis facile intelligere licet.

16 Obserua denique aggregatum, maxime ex partibus heterogeneis diuersa sortiri prædicata, tum ratione sui, vt aggregatum quoddam est, tum ratione suarum partium, quarum prædicata interdum toti tribuuntur, & aliquando ab vna tantum parte fit denominatio totius, sic homo dicitur corporeus, etiamsi pars eius tantum materialis sit, formalis vero sit anima.

17 His annotatis facile fuerit obiecta diluere, scriptura enim, & PP. de Ecclesia & eius membris secundum diuersos status ipsorum loquuntur; quare mirum non est, si diuersa asseruerint, alioquin pueriliter secum pugnarent, quod fateantur oportet aduersarij, nisi

ex

ex illa statuum diuersitate ipsorum mentem explicent.

18 1. Igitur considerant PP. tum esse finale Ecclesiæ, tum statum quem quisque habet in diuina prædestinatione & præscientia, ratione cuius soli electi dicuntur DEI filij, aut Ecclesiæ membra quo sensu Aug. *lib. 5. de bap. cap. 27.* Ecclesiam ratione electorum dicit esse hortum conclusum, fontem signatum, puteū aquæ viuæ, & paradisum cum fructu pomorum; quomodo etiam vocat lilium inter spinas, quamuis reuera spinæ sint in eodem horto cum lilio; *omnis*, inquit, *pulchritudo filiæ Regum intrinsecus, in quibus est numerus certus sanctorum prædestinatus ante mundi constitutionem, illa vero multitudo spinarum siue occultis, siue apertis separationibus intrinsecus adiacet super numerum, vbi obserua quod ait de occultis & apertis separationibus*, aliqui enim sunt separati tanquam spinæ, non actu, sed potentia & in diuina prædestinatione.

19 2. Ex eadem prædestinatione nobis occulta dicuntur oues, qui tales futuri sunt, etiamsi modo lupi existant, & non esse in nobis, quia à nobis sunt aliquando separandi. Ita Aug. *lib. de Correptione & gratia. cap. 9. libro de bono perseuerant. cap. 8. lib. 4. de bap. cap. 3. & tract. 45. in Ioann.* Sicut paleæ non numerantur in messe, sed sola grana, quæ in horreum congreganda sunt; Reprobi autem atque etiam mali paleis, comparantur ab August. *tract. 26. in Ioan. & in psal. 119. & alius* PP. passim; quanquam quod attinet ad oues, eo nomine nonnunquā significentur mali. Quare *Ezech.* 34. describuntur aliæ oues pingues, aliæ macilentæ, quædam sanæ, aliæ infirmæ & *psal. 73.* desæuit DEI furor *super oues pascuæ suæ*; In ouili vero non oues tantum, sed hædi etiam commorantur. *Math.* enim 25. separantur ab ouibus, sicut zizania à frumento, hoc enim mittitur in horreum, illa vero colligantur in fasciculos ad comburendum.

20 3. Considerant permanentiam membrorum in Corpore, siue eorum nunquam futuram separationem potius, quàm eorum essentiam, quæ enim sunt aliquando præscindenda non videntur hoc nomine digna, quia non sunt æternum talia futura, sicut neque paterfamilias numerat in suis bonis & supellectili ea vasa, quæ diu seruaturus non est, & quæ vel mutuo accepit, vel ad tempus duntaxat; quia igitur dum Ecclesia exuet mortalitatem, & Cælum subibit, soli prædestinati in ea manebunt, idcirco ij soli dicuntur esse in domo Ecclesiæ & DEI, non vero esse de domo, & membra separanda à corpore dicuntur esse in corpore non de corpore quod iis præcisis æternum erit. Sic aug. *lib. 2. contra Crescon. cap. 21. non potest Christus habere membra damnata* &c. *omnia quippè ista monstra, absit omnino vt in membris vnica Columba numerentur.* similia habet *lib. 2. contra Peklian. cap. vlt. lib. 4. de bapt. c. 3. lib. 6. c. 3. lib. 7. cap. 49. 50. & 51. lib. de vnita. Eccles. c. vlt. & lib. 3. de doctrina Christiana. c. 32.* disputans contra Regulam Ticonij de Domini corpore bipartito negat ita loquendum fuisse, *non enim reuera Domini corpus est, quod cum illo non erit in æternum. Quare dicendum fuisse potius.* ait, *de Domini corpore vero atque permixto, aut vere & simulato, quia hypocritæ non cum illo esse dicendi sunt, quamuis in eius videantur esse Ecclesia*; Duplex. Itaque admittit Domini corpus August. verum quod iis solis membris constet, quæ nunquam ab illo separanda sint, permixtum autem, quod constet iis omnibus membris, quæ in illo sunt, & cum illo sunt, quia nimirum non sunt membra viua huius corporis, sed vt idem *tract. 3. in Ep. Ioan.* ait, humores corrupti in corpore. *Ep. 162. sub fine. Ista* (scilicet Ecclesia) *totum orbem implenit, & malos habet & bonos, sed nec in Terris admittit nisi malos, nec in cælum admittit nisi bonos.* Quia igitur malos aliquando amissura est Ecclesia, idcirco, in eius membris non numerantur, quamuis reuera intra illam sint. *tract. 41. in Ioan.* Eo retulit verba Christi, seruus non manet in domo in æternum. *Ecclesia est domus, seruus peccator est, Intrant in Ecclesiam peccatores, non ergo dixit, seruus non est in domo, sed non manet in domo in æternum* &c.

4. Tum Aug. Cum alij PP. Considerant Ecclesiam secundum ornamenta & dotes varias, quibus refulget, eosque qui hanc dignitatem non participant, Immò potiùs illius splendori officiunt, iure merito reijciunt, tanquam næuos & Carcinomata & non vera membra. Quare quia Ecclesia dicitur domus DEI, peccatores, in quibus DEVS non habitat, dicuntur non esse de Ecclesia etiamsi sint in Ecclesia. Hic disputat Aug. *lib. 7. de baptis. cap. 15. quibus omnibus consideratis puto me non dicere, alios ita esse in domo Dei vt & ipsi etiam sint eadem domus DEI, quæ dicitur ædificari super petram, quæ vnica columba appellatur, quæ sponsa pulchra sine macula & ruga, hortus conclusus* &c. *Hæc domus etiam triticum dicitur, siue tricenum, siue sexagenum, siue Centenum fructum afferens, cùm tolerantia; hæc domus est in vasis aureis & argenteis & lapidibus pretiosis & lignis imputribilibus* &c. *hæc quippe in bonis fidelibus est, & sanctis DEI seruis vbique dispersis & spirituali vnitate deuinctis eadem communione Sacramentorum, siue se facie nouerint, siue non nouerint. Alios autem ita dici constat esse in domo vt non pertineant ad compagem Domus, nec ad Societatem fructifera & pacifica Iustitia, sed sicut esse palea dicitur in frumentis; nam & istos esse in domo, negare non possumus Paulo Apostolo dicente; In magna autem domo non solum aurea vasa sunt, vel argentea, sed & lignea, & fictilia & alia quidem sunt in honorem, alia in contumeliam.* Addit denique eos, qui ita sunt in domo Dei, vt ipsi sint domus Dei Baptismum vtiliter habere, & se imitantibus vtiliter tradere; Illi verò qui sic sunt in magna domo tanquam vasa in Contumeliam, & inutiliter habent baptismum, & se Imitantibus inutiliter tradunt, illi porro ab eis vtiliter accipiunt, qui non ipsis Corde atque moribus, sed sanctæ domui copulantur. 21

Ex quibus facile perspicis Aug. non negare reprobos & malos esse in Ecclesia, sed tantum esse de Ecclesia, aut esse Ecclesiam, cum enim ornamenta Ecclesiæ non participent, & sint membra quædam inutilia atque fœda, quæ corpus dehonestent, & tanquam inutile pondus grauent, non vult inter vera membra eius corporis illa numerare, sicut neque vasa in Contumeliam quæ sunt in aliqua domo.

Eadem de causa quia Ecclesia dicitur virgo, & mater, quæ sponsa Christo filios ex illibato semine parturit, à Methodio in symposio decem virgin. Ecclesia dicitur esse perfectiorum τῶν τελειοτέρων. qui vbi veritatem dilucidius hauserunt, & iam propter perfectam purgationem & fidem διὰ τὴν τελείαν κάθαρσιν καὶ πίστιν omni Carnis fœditate priuati ἀποδυσαμένους τῶν σαρκὸς ἀτοπημάτων, fiunt Ecclesia, Ἐκκλησία γίνονται & virgo adiutrix Christi, καὶ βοηθὸς τοῦ χριστοῦ παρθένος, tanquam, sicut Apostolus ait, aptati & desponsi ὡς ἡρμοσμένοι καὶ νυμφευθέντες, vt puta doctrina & fœcundo semine concepto. ἵνα καθαρὰν διδασκαλίαν καὶ πολύφορον σπέρμα, efficiantur adiutores prædicationis ad aliorum salutem, quos Christo pariunt, qui vero discunt, parturiuntur & formantur à perfectioribus tanquam à matribus, qui & ipsi vbi progressum fecerint iam fiunt Ecclesia, qui ad nouos partus, eorumque educationem laborant κατὰ προκοπὴν Ἐκκλησίας γεγονότες εἰς ἕτερον τόκον ὑπουργήσωσιν καὶ ἀνατροφὴν μήτρας δίκην ἐν τῷ δοχείῳ τῆς ψυχῆς τὸ θέλημα τελεσφοροῦντες ἀλώβητον τοῦ λόγου. Quod ad verbum sic exprimo. Iuxta progressum Ecclesiæ facti in alterum

partum inseruiant filiorum, & educationem matricis more in receptaculo animæ perducentes voluntatem illæsam verbi. Neque Insolens est apud Paulum & alios vt quædam tribuant Ecclesiæ ratione aliquorum duntaxat & non omnium, qui in ea continentur, vt cum ad *Rom. cap.* 12. *& ad Gal.* 6. vbi de aliorum infirmitatibus sustinendis, instruendis in spiritu lenitatis, & tollendis cæterorum oneribus, non ad omnes Rom. Galatas, aut Corinthios Sermonem dirigit, sed ad potiores tantum quos ad Rom. vocãt *δυνατοὺς* propter potestatem ministerij Itaque intelleait Basili. in *Regulis breuioribus. Reg.* 176. 77. *&* 78. Quare cùm ad Corinthios scribit, *despondi enim vos vni viro virginem castam exhibere Christo*, non ad totam Ecclesiam Corinthiorum retulit, sed interprete Methodio ad perfectiores qui facti erant sponsi ipsius sponsæ Christi, vt pura doctrina & fæcundo semine concepto fierent adiutores prædicationis ad aliorum salutem: Ecclesia enim sponsa data est Christo in adiutorium, sicut Eua data fuit Adamo in adiutorium ad gignendos filios; postulat autem Apostolus in illis doctrinæ puritatem & vitæ sanctitatem, vultque abiecisse omnia *σαρκὸς πλονήματα*. Hæc omnia ostendit Method. in Paulo qui primùm lacte nutritur, & renouatur per baptismum ab Anania, vbi autem factus est vir & adiutor verbi *βιωθὶς* semina vitæ accepit & innumeros per Euangelium genuit.

22 5. Considerant PP. Ecclesiam, vt est aggregatum quoddam ex diuersis omnino partibus, ratione quarum diuersa ipsi attributa conueniunt, quæ alioquin inuicem pugnarent, nisi secundum diuersas partes acciperentur, tradit hanc Regulam Aug. *lib.* 3. *de doct. Christiana. cap.* 32. dum contra Ticonium contendit non esse dicendum, de Domini corpore bipartito, sed de corpore permixto, siue de permixta Ecclesia. Cautè tamen vtendum esse hâc Regulâ monet, & videndum, de quibus loquatur scriptura, ne propter commixtionem tribuatur vni, quod alteri conuenit. *Quæ Regula*, inquit, *Lectorem vigilantem requirit quando scriptura, cùm ad alios iam loquatur tanquam ad eos ipsos, ad quos loquebatur, videtur loqui, vel de ipsis, cum de aliis iam loquatur, tanquam vnum sit vtrumque corpus propter temporalem commixtionem & communionem sacramentorum, ad quod pertinet in Canticis Canticorum, fusca sum & speciosa vt tabernacula Cedar, & speciosa sum vt pellex Salomonis, sed vtrumque se, esse dixit propter temporalem vnitatem intra vna retia piscium bonorum & malorum.* Pergit deinde ostendere quomodo quædam dicat de bona parte, mox aliud dicat de mala parte, quæ malæ permixta est, quamuis videatur de iisdem loqui, quia enim est vna & eadem Ecclesia, Idcircò iidem significati videntur verbis relatis ex *Isa.* 42. ab Aug. *sed quoniam nunc in vno sunt tanquam de ipsis loquitur, de quibus loquebatur, non tamen semper in vno erunt; Ipse est quippè ille seruus commemoratus in Euangelio, cuius Dominus cum venerit, diuidet eum, & partem eius cum hypocritis ponet.* Obseruat quoque Hieron. *in cap.* 1. *ad Galat.* ℣. *Ecclesiis Galatiæ*, dupliciter accipi Ecclesiam, etiamsi vna & eadem sit, secundum perfectos & Imperfectos, ratione quorum varia sortitur attributa, & sane ipse Paul. qui Corinthiorum Ecclesiam, Virginem vni viro Christo desponsatam dixerat, subinde queritur commissam fuisse in ea fornicationem, qualis neque inter gentes audiatur; fascinatam esse quoque Galatarum Ecclesiam dolet, quam tamen laudibus ornat, neq; secum Paulum pugnare quis dixerit.

23 6. Considerant PP. vnionem per quam membra ita cohærent corpori, vt eius vita viuant, & non tantum externa quadam & quantitatiua coniunctione illi adhæreant, quæ membra viua nominantur, quia & apta sunt ad operationes totius, & eius anima informantur. Hæc porrò perfecta vnio membrorum Ecclesiæ fit per charitatem, vbi enim est sola fides, non est nisi imperfecta quædam vnio, & veluti inchoata; & idcircò quia exsucca membra sunt & emortua, nequidem nomine membrorum sæpissimè illa dignantur PP. consequanèe scripturis; sic enim ait Paul. ad Rom. 8. *Qui spiritum Christi non habet, hic non est eius. &* 1. *ad Cor.* 12. *in vno spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus.* obseruа tamen hæc membra mortua in ratione membri quia non sunt pars viuens corporis viuentis, in ratione tamen Instrumenti, quia tum Corpus, tum caput per illa operatur dici posse membra & instrumenta, quod non contingit in corporibus naturalibus, in quibus membrum aridum & exsuccum vix quid quam operari potest, quia eodem influxu, & spiritu, quo constituuntur in ratione membri viuentis, redduntur Instrumenta capacia ad operationes totius; at vero in Christi Ecclesia aliunde constituuntur membra, & viuentia, aliunde verò operatiua: per fidem enim absolutè fiunt membra, per Charitatem viuentia; at vero per potestatem tum ordinis, tum Iurisdictionis fiunt operatiua, quæ potestas, vt vides, neque est Charitas, neque illam necessario exigit, vt alibi dicam, & spiritus quo informatur totum Ecclesiæ corpus æque commodè per membra emortua operatur atque per viuentia, quod in naturalibus non contingit; quare sicut lapidei Canales inutiliter sibi aquam accipiunt, quam tamen vtiliter in areolas deriuant; Ita mali atque etiam hæretici sibi Inutiliter baptizant, aliaque Sacramenta ministrant, vtiliter autem aliis, qui eorum mores non imitantur, vt nuper monebat August. & repetit *tract.* 5. *in Ioan. lib.* 2. *& cõtra Parmeni. c.* 10 *&* 11. atq; alibi sæpius, vt suo loco dicetur.

7. Nonnunquã eos, qui prauis suis moribus corpus 24
Ecclesiæ dehonestant, neque fidem operibus probant, Ecclesiæ membra esse negant PP. quia vel indigni sunt qui in illis censeantur, suntque in Ecclesia numero potiùs, quàm merito, quæ est vulgata Theologorum distinctio, qua etiã de causa dicuntur nõ esse filij Dei, quia nimirum non imitantur Deum Patrem, quamuis enim sint filij creatione, non tamen imitatione; Christiani quoque sunt quidem generatione filij Ecclesiæ, atque etiam filij doctrinæ, per illam enim eos peperit & formauit Ecclesia, quia tamen degeneres se præstant, ex albo filiorum expunguntur, sicut malos Ciues non agnoscit tanquam suos Respublica, quamuis illos suo sinu generat & foueat, ex quibus plurima loca PP. explicare non fuerit operosum.

8. Considerant PP. Quid quondam futura sit Ec- 25
clesia, dum cauet mortalitatem, non vero quid modò sit, quare & ea omnia ornamenta ipsi per quandã anticipationem tribuunt, atque eos qui illa remorantur suis moribus, aut ea consequuturi non sunt, neque ad Immortalé Ecclesiam, quamuis in illa peregrinentur, spectare neque de illa esse dicuntur. Itaque illud *Isai.* 52. *non adyciet vltra, vt per te transeat in circũcisus.* Exponit de Ecclesia triumphante August. *lib. contra Donatistas post collat. c.* 8. & *in breuiculo collationis tertiæ diei*, quanquam Cyrillus rectè videtur ad litteram, agi de felicitate Iudæorum solata captiuitate. Eodem quoq; pertinet illud ad *Ephes.* 5. de Ecclesia non habente maculam neque rugam; ita enim sæpius explicat Augustin. & alij. Quòd si de hac terrena Ecclesia lubeat accipere, tunc gloriosa est Ecclesia carens omni macula & ruga, quando manifesta peccata non tolerat, sed in iis perseuerantes eijcit, quia igitur Christus per suos ministros quotidie delet, peccata, Innouat Ecclesiam, aut impœnitentes & publicos peccatores reijcit, idcirco exhibet sibi Ecclesiam gloriosam sine ruga & macula, quod fusius ostendit Turrian. *lib.* 1. *contra Sadael. cap.* 4. Inde autem fit, Ecclesiam quidem esse maculatam

maculatam & Rugosam propter malorũ commixtionem, sed à Christo quotidie gloriosam exhiberi, dum vel numero augetur, vel virtutibus excolitur, vel perfectione charitatis in Cælum transfertur, vt ait *Dige. hom. 2. in Cant.* quod ipsum iam olim promiserat DEVS Isai. 1. *Et conuertam manum meam ad te, & excoquam ad purum scoriam tuam, & auferam omne stannum tuum.* Quod 70. Paraphrasticè reddiderunt sensum potius, quam verba interpretati *πυρώσω εἰς καθαρὸν*, purgationis vero eius igneæ effectus erit perdere & aufferre omnes inobedientes, iniquos & superbos. *τοὺς ἀπειθοῦντας ἀνόμους καὶ πάντας ὑπερηφάνους*, quibus destinatis & eiectis foret. *πόλις δικαιοσύνης μητρόπολις πιστὴ Σιών.* Ignem illum quo examinanda est Sion de purgatione, quæ fit & Spiritu sancto & igni in baptismo accipiunt Basili. & Cyrill. sicut igitur stannum & scoria cum argento & auro non commiscentur, ita neque peccatores misceri poterunt, cum Iustis, sed separandi sunt, ne, vt inquit Basili. Modicum fermentum totam massam corrumpat.

Per has igitur maculas & Rugas intelligenda sunt grauia peccata propter quæ peccatores, nisi ipsos pœniteat, eijciendi sunt ex Ecclesia, quæ sic purganda est à Christo & Prælatis: Et sanè Pacian. *Epist. 3. ad Sympronian.* has rugas hæreses interpretatur. *Ecclesia est non habens maculam, neque rugam, hoc est hæreses non habens, non Valentinos, non Cataphrygas, non Nouatianos; in his sunt enim quidam sinus maculosi, atque rugosi pretiosarum vestium ornatibus inuidentes; cæterum peccator & pœnitens non est Ecclesiæ macula, quia quamdiu peccat & non pœnitet, extra Ecclesiam constitutus est, vbi desinit peccare, iam sanus est; hæreticus verò vestem Domini Ecclesiam Christi scindit, intercipit, vitiat, irrugat &c. hæc est macula vnitatis, hæc ruga.* Vbi vides id quod ait Pacian. peccatorem non pœnitentem extra Ecclesiam constitutum esse, intelligendum esse de peccatoribus in hæresim lapsis, vti monuit Bellarm. *lib. 3. de Ecclesia. cap. 9. ad 7.* vel etiam secundùm Turrian. *loc. cit.* de peccatoribus impœnitentibus per Excommunicationem separatis. Method. *in Sympos. Virgin.* has maculas dixit *σαρκὸς ἀποτμήματα.* Hieron. *in com. ad cap. 5. ad Ephes.* peccata, propter quæ peccator non potest dici de Ecclesia, neque Christo subiectus. Siric. *Epist.* 4. sollicitudinem cuiusque in exhibenda gloriosa Ecclesia qualem describit Apostolus in eo esse ait, ne per alicuius morbidæ ouis afflatum contaminetur, ipsaque vox Græca fædissimam maculam sonat, *σπίλος* enim dicitur *ἀπὸ τοῦ σπᾶν ὕλην* à trahendo cæno, quo etiam nomine vtitur Petrus. *Epist.* 2. dum spurcissimos hæreticos describit, eos enim vocat *σπίλους*, Iudas autem *σπιλάδας*, quod de Carpocratianis obscænissimis Clem. Alexan. intellexit. OEcumen. dixit *σπιλάδας*, esse marina saxa in quæ inopinato naues incurrunt non sine periculo. Apion Grammatic. apud Suidam definit esse saxa in aqua cauernosa, & Autor breuium scholior. Homeri *πέτρας ὑφάλους*, saxa submarina; quare non rectè Gagnerus voluit esse tænias candicantes, quas frequentes esse in freto Gaditano. Plin. *lib. 3. in præfat.* obseruauit; nam tæniæ apparent, spilades autem sub aqua delitescunt; dicuntur igitur hi hæretici in Conuiuiis maculæ & spilades, quia dum adrepunt in conuiuia, malum de repente & inopinato creant suis colloquiis; quidquid vero sentias de hac voce, de qua vide Suidam, certum est nunquam accipi, nisi de fædissima macula *ῥυτὶς* autem ruga significat ex Theophil. peccata. *χρόνῳ παλαιωθέντα δυσαπόνιπτα ὄντα.* peccata inueterata, & ad abluendum difficilia. Asserit igitur Paulus Ecclesiam exhiberi à Christo non habentem maculam neque rugam tum quia grauia illa peccata purgantur baptismo & pœnitentia, tum quia si perseuerent in illis peccatores, eijciuntur; vnde non sequitur aut solos electos, aut solos iustos esse de Ecclesia, sed potius contrarium, etiamsi ea verba de Ecclesia adhuc peregrinante interpretemur.

Denique in exponendis Patrum locis attenden- 26
dum maximè est eorum institutum ex controuersia quæ ab ipsis agitatur. Inde enim facilè intelliges, cur August. distinxerit inter membra, quæ sunt in corpore & non de corpore, vasa, quæ sunt in domo, & non de domo, Populum DEO Cognitum & nobis: Cùm enim Donatistæ contra quos disputabat, obijcerent baptisma non conferri posse ab hæreticis, eo quod hæretici essent extra Ecclesiam, extra quam conferri baptisma, non nisi absurdè concederetur, vt illi molesto argumento facilius occurreret, respondit non mirum esse, si hæretici qui essent extra Ecclesiam, validè tamen Baptismum Ecclesiæ ministrarent, quandoquidem peccatores & reprobi idem præstarent, qui licet essent in Ecclesia, non tamen essent de Ecclesia, neque in membris vnicæ Columbæ numerarentur, sed potius essent monstra quædam & membra damnata, quæ nullus dixerit esse de Corpore Christi, quod cum illo æternum futurum esset. Ita *libro secundo contra Crescon. cap. 20. & 21.* *Si autem quæras quomodo baptizant, quos damnauit Ecclesia? Respondeo sic eos baptizare, quomodo baptizant, quos damnauit DEVS, antequam de illis quidquam iudicaret Ecclesia, qui enim mente peruersa videretur intus esse, cum foris sit, ab ipso Christo iam iudicatus est; Paulus autem Apostolus dicit, Ecclesia subdita est Christo, non igitur Ecclesia debet se Christo præponere, vt putet baptizare posse; ab illo iudicatos, à se autem iudicatos baptizare non posse*; & mox. *Ac per hoc etiam nesciente Ecclesia propter malam, pollutamque conscientiam damnati à Christo, in corpore Christi non sunt, quod est Ecclesia, quoniam non potest Christus habere membra damnata, proinde & ipsi extra Ecclesiam baptizant, omnia quippè ista monstra absit omninò vt in membris vnicæ illius columbæ computentur.* Similia sæpiùs habet in libris de baptismo, maximè *lib. 7. cap. 49. 50. & 51.* dum ostendit validè conferri baptisma ab iis, qui propter inuidiam, schisma, atque prauorum morum separationem, non sunt de Ecclesia, quamuis non sint in Ecclesia vt inde argumentetur ad hæreticos baptizantes, etiamsi de Ecclesia non sint. Quibus aliisque locis Augustin. definiuit Ecclesiam potius secundum esse futurum & permanens in quod tendit, & in quo neque rugam, neque maculam habitura est, quam secundum esse præsens quod modo habet; Quia vero inde colligebant Donatistæ Ecclesiam Catholicam, in quam improbi vnà cum bonis, nullo delectu admittebantur, non esse veram Ecclesiam ex ipsa Augustini definitione, aut duas Ecclesias inducendas esse, quarum altera solos prædestinatos, altera bonos & malos permixtos contineret; suam mentem apertè in posterioribus exposuit, quare *in breuic. collat. cum Donatist. in collatione tertia diei*, *vbi* recensuit, quam multis scripturæ testimoniis Catholici ostendissent in Ecclesia bonos & malos permixtos esse; & quamuis Ecclesiastica disciplina inuigilet malis corripiendis, aliqui tamen *non modò in ea latentes nesciantur, sed plerumque propter pacem vnitatis, etiam cogniti tolerentur.* Addit quædam diuina testimonia, quæ inuicem pugnare videntur optimè inter se consentire. *Sic ostendentes*, inquit, *diuina testimonia consonare, vt & illa, quibus commendaretur*

Ecclesia cum malorum commixtione, hoc tempus eius significarent, qualis est in præsenti sæculo, & illa testimonia quibus commendatur, non habere commixtos malos, illud eius tempus significarent, qualis in æternum venturo sæculo futura est, sicut nunc mortalis est, id est ex mortalibus hominibus constat, tunc autem immortalis erit, quando in ea nemo morietur, sicut ipse Christus isto tempore fuit pro illa mortalis, post resurrectionem autem iam non moritur. Pergit ostendere duo tempora Ecclesiæ, quæ nunc est, & qualis tunc erit, significata fuisse duabus persecutionibus, quarum vna præiuit, altera subsequuta est resurrectionem, multaque alia in eandem causam disputat. Ad Calumniam de duabus Ecclesiis, vnam quæ habet permixtos malos, alteram quæ post resurrectionem, non esset eos habitura, ait respondisse Catholicos eandem & vnam esse DEI Ecclesiam, nunc esse aliter, tunc autem aliter futuram sicut non ideo duo Christi, quia prior mortuus, postea non moriturus, & homo interior & exterior non sunt duo homines. vide *lib. 20. de Ciuit. cap. 9. & lib. 2. Retract. cap. 18.* vbi hanc distinctionem Ecclesiæ quæ nunc est futuræ pluribus explicat.

CONSECTARIUM III.

Hæretici non sunt in Ecclesia.

27 Ita docent passim Theologi *in 2. 2. q. 1. a. 10.* cum Bellarm. *lib. 3. de Ecclesia. cap. 4.* Valent. *tom. 3. disp. 1. q. 1. pu. 7. §. 14.* Turrian. *disp. 14. de fide. dub. 1.* Suares *disp. 9. sect. 1.* Paludan. *lib. de potestate Eccles.* Soto *in 4. dist. 22. q. 2. a. 2.* Victo. *Relect. 1. de potest. Eccles. num. 6.* Cano. *lib. 4. de locis Theologicis cap. 2.* atque è Canonistis Antonin. *3. pars. tit. 22. §. 3.* Turrecrem. *in summ. lib. 1. cap. 6.* Syln. *ꝟ. Papa* Azor *tomo 2. lib. 5. cap. 20. q. 3.* contra paucos quosdam qui Caietan. *opusc. de authorit. Papa. cap. 22. & 27. & opusc. 2. cap. 25.* & Alphons. à Castro *lib. 2. de Iusta hæretic. punit. cap. 24. sequuti sunt.*

Probatur vero hoc consectarium ex ipsa definitione Ecclesiæ superiori q. stabilita, cùm enim Ecclesia sit Cætus eiusdem fidei professione colligatus, qui eandem fidem non profitentur ad eiusmodi cætum minimè pertinere possunt, & cum superius dixerimus quædam esse membra exsucca & emortua, quæ non participant vitam totius, etiamsi illi adhæreant; alia vero esse membra viuentia, atque in hoc corpore mystico Ecclesiæ eos, qui Charitate coniuncti destituuntur, quia tamen fide coniunguntur, nullam planè rationem membri illius corporis, à quo sint omnino præcisi retinent, Ideoque ab Apostolo Iuda dicuntur arbores eradicatæ, bis mortuæ, infructuosæ, autumnales; Ex eo autem quod à fidei radice præcisæ sint, sequitur, vt & infructuosæ sint & bis mortua & autumnales, *Infructuosa* quidem, quia neque Charitas, neque fidei fructum vllum afferunt, immò & afferre contemnunt, cum male operandum esse sentiant, aliqui vt hæretici indifferentes, contra quos disputat Iudas. *bis mortua* vero sunt arbores, quia vt exponit Beda, non faciunt fructum bonum, & malum afferunt, vel ex Strabon quia prius mortui ante vocationem fidei, vbi per fidem viuere aliquando visi sunt; deinde amissa fide redierunt ad impietatem; vel ex œcumenio, quia & foliis & fructu carent; & denique ex S. Thom. dum deficiunt à fide moriuntur intrinsecus, extrinsecus autem, quia præscinduntur ab Ecclesia. Cur autem *Autumnales* nominentur *φθινοπωρινὰ δένδρα*, non ita apertum est; aliqui enim argumentantur arbores quæ habent fructus emarcidos, vitiatos & verminantes *παρὰ τὸ φθίνειν τὰς ὀπώρας* à fructuum corruptione; sed nunquam in probatis authoribus vox *φθινοπώρινος* significat bis florentem arborem, aut eam cuius fructus verminat, aliovè vitio corrumpitur, & sanè *φθινόπωρον* vnde fit *φθινοπωρινός*. Significat extremum autumnum circa tropicum hybernum; Suidas enim in illa voce definit tunc esse *παλινδρομίαν* recursum solis. Hesych. tropicum qui est post æstiuum. Aristoteles *lib. 4. de histo. cap. 49.* distinguit *ὀπώραν* Autumnum ab *φθινοπώρῳ*, tanquam prius à posteriori; & Plutarch. *in sympos. cap. 10.* deffinit *φθινόπωρον μῆνας φυλλοχόους* menses, in quibus labuntur folia. Vetus glossarium ait tempus ductum acripomum, acrefolium *ἀκρόφυλλον*, quia extremo illo tempore defluxus est pomorum & foliorum. Arbor igitur autumnalis ea est, cui omnis fructuum & foliorum honos defluxit. Ita Plutarch. *loco cit.* vocauit aërem *φθινοπωρινόν*, qui nimirum qualitates ab ea anni tempestate desumat. Docte igitur vertit. Vulgatus noster *φθινοπωρινὰ δένδρα* arbores autumnales. Syrus autem arbores, quarum deficit fructus. Itáque nominantur hæretici, quia inquit Clem. Alexand. nullum fructum fidelitatis afferunt; addit Beda non modo nulla nasci poma eo tempore, sed etiam, quæ maturuerant decidere & hæreticos non tantum carere omnibus fidei fructibus, sed etiam priuatorum opera extirpare & in caduca studia conuertere. Hæc autem omnia contingunt, quia sunt arbores eradicatæ, exsicatæ enim radice, necesse est omnia folia & fructua decidere. Non attinet porro indicare loca PP. quæ congerunt recentiores, vt doceant hæreticos extra Ecclesiam esse, maximè dum illa verba *1. Ioann. 2. ꝟ. 19. ex nobis exierunt*, interpretantur, vt videbis apud Lorin. ibid. Sane perinepte Nicæn. *cap. 18. & 19.* aliaque Concilia edicerent, an hæretici admittendi sint denuò in Ecclesiam, frustraque modum ea in re seruandum præscriberent, si in Ecclesia adhuc remanerent, quod idem ipse etiam Iustinian. *in Authent. de priuil. dot. hæretic. mulieri non præstand. agnouit.* Immo nequidèm eorum cætus nomine Ecclesiæ dignantur PP. & concilia nisi æquiuocè, ac de *ὁμωνύμως* vt ait Clem. *lib. 2. stroma.* item Cyprian. *Ep. 73. ad Iulian.* Hieron. *dial. adu. Luciferian.* Optat. *lib. 1. & 2. adu. Parm.* Aug. vero sæpius *Ep. 48. lib. de vtilit. credendi c. 7. in psal. 149. lib. de fide & symb. cap. 10. lib. contra Epist. fundam. cap. 4. tract. 100. in Ioan. & serm. 11. de verb. Dom. secundum Math.* atque conc. Carthag. 4. *cap. 71.* Eliberitan. *cap. 22.* Sardic. *Ep. ad omn. Episcop.* quem etiam loquendi modum sunt imitati Imperato. Qui eorum conuenticula nomine Ecclesiarum dici prohibuerunt *l. Arriani C. de hæreticis & L. cunctos in Cod. Theodosi. de fide Catholica.* Et sanè si ipsi hæretici sunt extra Ecclesiam eorum cætus Ecclesiæ dici non poterunt cum forma substantiali Ecclesiæ destituantur, & frustra ostendunt hæretici vt illustre Ecclesiæ nomen sibi retineant, paulum illud Corinthiis & Galatis non negasse cum tamen illi resurrectionem negarent; hi verò vna cum Euangelio & legem & circumcisionem retinerent. Nam hi errores erant priuati tantum, non totius Galaticę aut Corinthiacæ Ecclesiæ vt ex *Paul. 1. ad Cor. 15. & ad Galat. 5.* facile conijcitur, quamuis vniuersalis esset Pauli increpatio, quo plus Efficacitatis haberet tum ad reducendos errones, tum ad continendos alios in officio quod ex more scripturarum factum fuisse à Paulo. August. *Ep. 48. ad Vincent.* obseruauit. Grauius videri possit quod ex baptismo quo generarentur omnes ab Ecclesia afferri posset, cum etiam hæreticorum Baptisma præbet Ecclesia. Verum hinc obiectioni occurrit. Iampridem Augustin. *lib. 1. de Baptism. cap. 15. Ecclesia omnes per Baptismum parit siue apud se id est ex vtero suo siue extra se, id est semine viri sui, siue de*

se

se fuit de ancilla, sed & Esau de uxore natus propter fraternam discordiam separatus est à populo DEI & Aser per uxoris quidem potestatem, sed ancilla natus propter fraternam concordiam terram repromissionis accepit. Vnde & Ismaëli ut separaretur non obfuit mater ancilla, sed obfuit fraterna discordia, non profuit potestas uxoris cuius magis filius erat, quia per ipsius iura coniugalia, & in ancilla seminatus erat & ex ancilla susceptus, sic apud istos Ecclesiæ iure quod est in Baptismo nascuntur, quicumque nascuntur, sed si concordant cum fratribus per unitatem pacis ad terram veniant repromissionis, non de materno utero rursus eiiciendi, sed in paterno semine agnoscendi, si autem in discordia perseurant ad Ismaëlis funiculum pertinebunt.

Neque sapienter obiicitur Paul. 2. *ad Timoth.* 2. eo quod postquam hæreticos descripsit, in iisque numerauit Hymenæum & Philetum; addidit *in magna domo esse vasa lignea & fictilia*, quibus verbis designat hæreticos, qui sunt in Ecclesia tanquam vasa fictilia in magna domo. Respondeo enim cum Cyprian. *epist.* 51. *&* 52. per vasa lignea & fictilia non hæreticos, sed infirmos & debiles Christianos exprimi, quod pluribus confirmat Canus *lib.* 4. *de locis, cap.* 2. cum enim dixisset Paul. quosdam à veritate excidisse, & dementatos fuisse & hæreticorum sermone, qui vt cancer serpit, fidem aliquorum subuersam fuisse, subdit, sed *firmamentum DEI stat*, &c. Ne videlicet existimaremus omnes esse fragiles, & ne Ecclesiæ fidei timeremus; quia vero quæri poterat, cur eam in sua Ecclesia infirmitatem quotumdam Christus pateretur, respondet in magna domo non esse vasa solùm aurea & argentea, sed & lignea & fictilia; aliam expositionem non ineptam apud eundem Canum videbis.

Non sequitur porrò ex eo, quod hæretici sint extra Ecclesiam, eos non teneri legibus Ecclesiæ, eiúsque subduci iurisdictioni, quandoquidem Ecclesia non iudicat de his, qui foris sunt; vnde Alphonsus probabat teuera hæreticos esse in Ecclesia, quia vt latè exponemus alibi tam subiiciuntur hæretici Ecclesiæ, quam milites transfugæ, aut vasalli rebelles: interim adi Ricciul. *lib.* 5. *de iure personar. cap.* 12. *num.* 12.

Dices. Ex his sequi etiam hæreticos occultos non esse in Ecclesia, quia neque per charitatem, ueque per fidem vniuntur Ecclesiæ, eiúsque vitam participant; hanc consequentiam concedunt Turrecrem. *lib.* 4. *sum.* 2. *p. cap.* 20. Turrian. *loco cit.* & Suar. *disp. cit. sect.* 1. *n.* 24.

Respondeo. Nihilominus non esse necessariam fidem internam externámque professionem & communionem sacramentorum sufficere vt quis Ecclesiæ membrum constituatur, quare etiamsi vera fides sit forma Ecclesiæ, necesse non est eam in omnibus membris reperiri, quod DD. omnes laudati initio huius Consectarij fatentur: Et ratio manifesta est, cum enim hæretici occulti retineant iurisdictionem Ecclesiasticam in vera Ecclesiæ membra quod illi, qui extra Ecclesiam constitutus est, conuenire nequit, quæ duo demonstrabimus alibi, necessariò efficitur hæreticos occultos manere in Ecclesia: vnde vides quo sensu dixerit August. hæreticos occultos non esse in Ecclesia aut de illa esse, quia nempè non sunt perfectè de Ecclesia, cum sint carne intus, spiritu foris, vti loquitur *lib. de gestis cum emerito, cap.* 1. similia habet *epist.* 48. *&* 51.

Consectarium IV.

An Catechumeni sint in Ecclesia?

Hoc nomine intelligo omnes fideles, qui adhuc Baptismo initiati non sunt, siue sint tantum audientes & Catechumeni, qui incipiebant tantum doctrinam sacram audire, siue competentes, qui percepta iam fidei doctrina Baptismum petebant, & de Sacramentis docebantur, vti dicemus tomo sequenti agentes de Sacramentis & obseruationibus sacris. 28

Respondeo in hac quæstione potius de nomine, quam de re ipsa dissentire DD. cùm omnes fateantur fontem Baptismi esse vterum Ecclesiæ, & per illud Sacramentum nasci Christianos, atque discrimen omninò inter baptizatos, & non baptizatos ponendum esse, vnde etiam fiebat, vt olim Catechumeni à fidelibus cæteris distinguerentur tum locis, tum aliis multis, cùm ad mysteria minimè admitterentur, vt dicemus fusius alibi, certum etiam est Catechomenos, si contriti decedant, saluari, vt ex Ambros. & August. Innocent. III. *epistola ad Cremonen. Episcopum*, docet *cap. Apostolicam, de presbytero non baptizato.* Controuersia itaque restat tantùm de nomine an dicendi sint Catechumeni esse in Ecclesia, & quidem saltem voto & desiderio nemo negat, idque vnum sufficere plures DD. contendunt, qui idcirco absolutè negant eos esse extra Ecclesiam, quia tamen licet profiteantur eandem fidem, nondum participant eadem sacramenta, cum Baptismus sit omnium Sacramentorum ianua, & eam Sacramentorum communionem necessariam esse, vt aliquis dicatur esse in Ecclesia ex ipsius definitione à nobis allata *q.* 1. constat, idcirco minime istos esse in Ecclesia sentiunt Turrecrem. *lib.* 3. *de Eccles. cap.* 3. Azot. *tom.* 2. *lib.* 5. *cap.* 20. *quæst.* 5. Valent. *tom.* 3. *disp.* 1. *q.* 1. *p.* 7. §. 14. *&* lib. 6. *Analys. cap.* 2. *n.* 3. aliique permulti relati à Ricciul. *lib.* 5. *de iure personar. cap.* 4. *n.* 6. Videtúrque fauere Eugen. IV. in Conc. Florent. dum ait, *In decreto fidei*, nos per Baptismum membra Christi ac de corpore Ecclesiæ effici. Tridentin. quoque *sess.* 14. *cap.* 2. negat Ecclesiam aliquid iuris habere nisi in eos, qui per Baptismi ianuam in eam ingressi sunt: Et denique PP. quos adducit Bellarmin. in idem conspirant.

Dicendum tamen est Catechumenos aliquo modo pertinere ad Ecclesiam, in cuios vestibulo sunt, & membra esse incipiunt, ac filij nondum quidem editi, sed concepti, nam & liberi nondum effusi vtero, pertinent aliqua ratione ad Rempublicam, vti colligitur ex *l. cum inter. C. de Commissar. libert.* & *l. qui in vtero, ff. de statu hominum*, & sanè cùm certum sit extra Ecclesiam neminem saluari, *cap. firmiter, de summa Trinit.* Idque sæpiùs dicant Cyprian. *de vnitate Eccles.* August. *lib.* 5. *de Baptism. cap. vlt.* Hieron. *epist. de tribus hypostasibus*, & alij, & tamen Cathecumeni saluentur, aliquo modo illos ad Ecclesiam pertinere necesse est, fauet etiam nostræ sententiæ celebris controuersia coram Innoc. III. Romæ magna contentione agitata, an Presbyter qui non suscepto baptismate fuerat ordinatus, post Baptismum denuò ordinandus esset, quod aliqui contendebant, eo quod Baptismus sit fundamentum omnium sacramentorum: alij vero negabant iterandam esse ordinationem, quorum rationes sic proponit Pontifex *ep. ad Ferrariens. Episcopū, qua integra habetur in* 3. *collect. de presbytero non baptizato. Et in nouissima Gregoriana, c. veniens, eod. tit.* magna ex parte refertur. *Porro cum quis non solum per Sacramentū fidei, sed per fidē etiam* 29

Sacra

Sacramenti efficiatur procul dubio membrum Christi, & qui Christum habet per fidem; etsi Baptismum non habeat habet vtique fundamentum, præter quod aliud poni non potest, quod est Christus IESVS, superædificari posse videntur, sicut salutifera opera, sic quælibet alia Sacramenta, deinde quia Sacramentum Coniugij à non baptizatis recipi potest & plurima sequerentur incommoda, si qui crederetur Baptizatus in Episcopum fuerit ordinatus; essent enim omnes ab illo ordinati iterum ordinandi. Quarè cum ex hoc tot & tanta sequantur non solum absona, sed absurda silendum est potius, quam dicendum. Quia tamen Concilium apud compendium iussit eiusmodi presbyteros non baptizatos baptizari, & iterum ordinari; Idcirco Innocent. in hoc dubitabili casu quod tutius est sequutus, mandat illum sacerdotem, de quo agebatur, denuò ordinari: vt vero nihil dicam de controuersia, quam non placuit Innocentio definire, cùm profiteatur se in hoc dubitabili casu tantùm sequi, quod tutius est, & quam sequenti tomo fusiùs excutiemus, obseruo in rem nostram primo Certum fuisse Pontifici aliquem per fidem Sacramenti effici membrum Christi & Christum habere per fidem, etsi Baptismum non habeat. Ex qua doctrina, quam tanquam minimè dubiam omnes habebant, suborta fuit tota controuersia, eo quod qui Christum per fidem habet, habet etiam fundamentum super quod sicut possunt superædificari salutifera opera, ita & Ecclesiastica Sacramenta. Quæ vltima consequentia, etiamsi vera non sit, quanquam nihil definierit ibi Pontifex, antecedens tamen indubitatum esse supponitur; atque ita Catechumenus membrum Christi ex Innoc. Ergo & membrum Ecclesiæ, quis enim dicat membrum Christi non esse membrum corporis eius. Secundo aduerto dubitari eo loco, an non baptizatus possit esse verus Episcopus aut Sacerdos; Ergo supponitur non Baptizatum posse esse in Ecclesia, alioquin imprudenter quæreretur, an possit esse Episcopus & Sacerdos, sitque denuò ordinandus, cùm Sacerdos Ecclesiæ in Ecclesia sit oportet. Vides itaque negare non posse Catechumenos aliqua ratione ad eam Ecclesiam pertinere, & ideo teste Dyonisio. *cap. 3. de Eccles. Hierarch. n. 6.* admittebantur vna cum energumenis & pœnitentibus ad Sacram Psalmodiam & diuinarum scripturarum recitationem, non autem ad sacrificia & diuina spectacula *ἱερουργίας καὶ θεωρίας*; ad id enim requirit Ecclesia perfectos perfectorum oculos, *τοὺς τελείους τῶν τελεσιουργῶν ὀφθαλμοὺς* reddit subinde rationem, quarè Catechumeni arceantur à Sacris, eo quod essent expertes & ignari omnis Hierarchicæ perfectionis *ἀμέθεκτοι καὶ ἀμύητοι παντὸς ἱεραρχικοῦ τελεσιουργίου*. Neque adhuc per diuinam natiuitatem diuinum statum assequuti *μηδὲ τὴν κατὰ θείαν ἀπογέννησιν ἔχοντες ὕπαρξιν* eloquiis fouentur, *πρὸς τῶν πατρικῶν λογίων μαιευόμενοι*, & viuificis formis finguntur, *καὶ ζωοποιοῖς μορφώμασι διαπλαττόμενοι* ad diuinum lucis & vitæ Principem, progressum ex diuina generatione *πρὸς τὴν ἐκ θεογενεσίας ἀρχίζωον ἀρχίφωτον καὶ μακαρίαν προσαγωγὴν*, quare sicut carnales liberi, si adhuc informes, *ἀτελεστα καὶ ἀμόρφωτα βρέφη*, excidant absque cura obstetricis, abortiui fœtus sunt, *ἀμβλωθρίδια καὶ ἐκτρώματα* siue vt exponit S. Maxi. in Schol. *νεκροτόκια*, partus mortui, & habent lapsum Natiuitati, vitæ lucisque expertem, *τὴν ἀγεννῆ καὶ ἄζωον καὶ ἀφώτιστον ἐπὶ γῆς ἀπόπτωσιν*, neque quisquam dicet hos fœtus in lucem editos fuisse, *ἐπὶ τὸ φῶς δηλαδὴ προαχθῆναι*, etiamsi ex alui tenebris emerserint, *κατὰ γαστέρα σκότους ἀπαλλαγέντα*, Ita neque hi fœtus Sacri, nisi foueantur, abortiui erunt, quare illos sapientissime Ecclesię disciplina introductorio primum diuinorum eloquiorum viuificandi & formandi vim habentium cibo fouet, *τῇ τῶν μορφωτικῶν καὶ ζωοποιῶν λογίων εἰσαγωγικῇ τροφῇ μαιεύεται*, & perficit illorum statum ad diuinam generationem *τελεσφορήσασα δὲ τὴν πρὸς τὴν θεογενεσίαν αὐτῶν ὑπόστασιν*. Illis deinde iam perfectis Luciformia & perficientia quæque Communicat *τὰ φωτοειδῆ καὶ τελεσιουργικά*.

Ex qua sapientissimi Patris doctrina manifestum relinquitur Catechumenos iam iam esse in aluo Ecclesiæ, ibique magnis curis formari ac fingi, vt aliquando per diuinam regenerationem in lucem edi possent. Itaque nondum sunt membra Ecclesiæ perfecta, aut vtero excussa soboles, sed informes partus, qui perficiuntur. Quare dum Augustin. *lib. 5. de Baptism. cap. 21.* atque alibi dicit nos per Baptismum incorporari Ecclesiæ & Catechumenos a baptizatis distinguit, nobis minimè aduersatur, neque negat illos ad Ecclesiam pertinere, sed tantum esse adhuc filios perfectos, aut membra perfecta, vti fuit expositum; quo etiam sensu loquebatur Eugen. in Decreto. Hinc porro fit vt Catechumeni lateant in Ecclesiæ tutela & patrocinio, ipsique quoad directionem subsint non quoad Coactionem, quod vnum vult Trident. dum ait Ecclesiam non Iudicare de non baptizatis.

Hanc itaque nostram sententiam docent Suar. *disp. 4. de fide sect. 1. n. 18.* Alphons. à Castro *lib. 1. de Iusta hæreticorum punitio. cap. 8.* Turrian. *disp. 14. de fide dub. 1.* Bann. 22. *quæst. 1. a. 10. in respons. ad 4.* vbi ait pertinere ad Ecclesiam secundum quid, sicut nouitij ad Religionem, non placet tamen quod ibidem ait pertinere ad Ecclesiam inuisibilem per Charitatem, quia iam diximus, Charitatem non esse formam Ecclesiæ, & requirebamus fidem externam, quam Catechumeni satis superque prodiderunt. Nauarr. *comm. de Iubil. nota. 31. num. 48.* latè idem ostendit.

Consectarium V.

Schismatici non sunt de Ecclesia.

Ita sentiunt Vualdens. *tom. 1. lib. 2. cap. 9.* 30
Driedo *lib. 4. de Eccles. dogmatib. cap. 2. part. 2.* Turrecremat. *lib. 4. sum. part. 1. cap. 1.* Bellarm. *lib. 3. de Ecclesia capite quinto* aliique adducti à Ricciul. *lib. 9. de Iure personarum capit. 8.* Contra Suar. & Valent. locis allatis superius, aliosque nonnullos. Suppono autem hos Schismaticos eiusmodi esse, vt vel negent vllum agnoscendum esse Ecclesiæ Caput, vel illud quod reliqua Ecclesia agnoscit, reijciant, nam si tantum peruicacia quadam non obediant, vel non constet quis sit summus Pontifex, atque in illo turbine rerum adhæreant illegitimo nondum cognito, erunt tantum materialiter schismatici, vti exponemus alibi. Nostrum porrò Consectarium ostenditur ex eo quod ad rationem membri Corporis requiratur vnio cum cæteris, & maximè ipso capite, quæ reperiri non potest in schismatic. Eaque est mens Communis PP. quos dabit Bellarm. & nos inferiùs iterùm dicemus, cum nomen Catholici exponemus. Est itaque schismaticus membrum auulsum à corpore.

Con

CONSECTARIVM VI.

Excommunicati sunt in Ecclesia.

31 Ita omninò assero cum Suar. *disp.q.cit.sect.* 1. *n.* 14. contra Bellarm. *lib.* 3. *de Eccl.s.*'*cap.*6. & alios ab eo addoctos; quia excommunicatio non facit vt quis desinat esse membrum Christi per fidem & Charitatis vnitatem,& ne in fluxum illum,qui ex mutua compage membrorum oritur, participet, quamvis enim prohibeat Ecclesia ab omni sacro commercio atque etiam politico excommunicatum denuntiatum, quod vnum volunt PP.adducti à Bellarm.dum dicunt, Excommunicatos exscindi & separari ab Ecclesia,ea tamen prohibitio commercij,siue sacri,siue Ciuilis non facit,vt non communicēt hæc membra cum aliis tum fide, tum etiam Charitate; quæ omnia fuse à nobis dicta sunt tractatu de Censuris. Quod autem in definitione Ecclesiæ requirebamus communionem eorundem sacramentorum,à quibus tamen prohibentur excommunicati, non vrget, quia reuera eadem sacramenta & ipsi agnoscunt,& participare possent nisi prohiberentur; neque enim quis dicet aliquem non esse amplius Reipublicæ ciuem, eo quod illi prohibitus sit vsus bonorum quorundam communium, donec crimen aliquod à se commissum emendârit.

QVÆSTIO III.

Quomodo fides se habeat ad Ecclesiam?

Propositio. n.1.
Fides desponsatio Ecclesiæ. n.2.
Fides os sponsæ & Ecclesiæ. n.3.
Fides vnitas Ecclesiæ. n. 4.
Fides firmamentum in medio aquarum. n.5.
Fides fundamentum Ecclesiæ. n.6.
Ratio Propositionis. n.7.

AD pleniorem notitiam definitionis Ecclesiæ q. 1. allatæ instituenda nobis est duplex comparatio fidei cum Ecclesia, quærendumque quomodo fides se habeat ad Ecclesiam,& vicissim Ecclesia ad fidem,Inde enim plurima circa proprietates Ecclesiæ licebit colligere. Ordior à priori comparatione fidei cum Ecclesia.

PROPOSITIO

1 Fides diuina est forma Constitutiua Ecclesiæ.

EXPOSITIO ET CONFIRMATIO
Propositionis.

Hæc propositio oboia imprimis est apud PP.dum Encomia fidei pangunt, aut eius necessitatem explicant,Idcirco Basili. *in cap.*1.*Isai.* dixit Ecclesiam desponsari per fidem Christo συνοικεῖσθαι τῷ λόγῳ τῆς
2 πίστεως, secundum traditionem eorum qui eam exhibuerunt vni viro Virginem castam, vnde monet dandam esse diligentem operam ne doctrina fidei relicta, & abiecto legitimo verbi semine, diuersa alia semina ab adulteris excipiat; & Theodoret. *in comment in secundam ad Corint.* Ecclesiam dici Virginem castam à Paulo propter integritatem fidei,licet enim omnes fideles non sint virgines, omnes tamen purè & castè fidem seruare oportet.

Secundò Nyssen. *In cap.*4.*Cantic.* fidem ait esse os 3
sponsæ & Ecclesiæ. Ita enim exponit illud, *Sicut vitta coccinea labia tua*, in filo consensionem & concordiam agnoscit,vt ea tota in filo sit vna, & eadem catena ex diuersis filis contexta, per coccinum autem docetur,vt adspiciat in sanguinem, per quem redempti sumus,quia Ecclesia debet habere in ore suo confessionem eius, qui nos suo sanguine redemit, tunc autem esse vnum labium, quando est vna consensio boni κατὰ τὴν τοῦ ἀγαθοῦ συμφωνίαν χεῖλος ἓν καὶ φωνὴ μία. Concludit tamen tunc labiorum Ecclesiæ compleri decorem, πληρουμένη τῆς ἐκκλησίας χείλεσιν ἡ εὐπρέπεια, quando fides confessionis elucet, & fides Charitati coniungitur, ὅταν ἡ πίστις τῆς ὁμολογίας προλάμπῃ καὶ ἡ ἀγάπη τῇ πίστει συμπλέκηται, quia ex Paulo creditur ad Iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.

Tertiò Hilari.*lib.de Trinit.* Exponens illud Actuum 4
Apostolorum *multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna*, negat de consensu voluntatis esse interpretandum, sed de fidei vnitate, & Sacramento Baptismi. *namque*, inquit, *quorum anima & cor vnum erat, quæro vtrum per fidem Dei vnum erat? vtique per fidem,per eam enim anima vna & cor vnum omnium erat.* Sicut igitur sine corde nequit animal viuere, ita neque absque fide existere Ecclesia.

Quartò Anastasius Sinaita. *lib.* 2. *hexahem* firma- 5
mentum in medio aquarum interpretatur fidem in Christum, factum hoc firmamentum post natam lucem, quia post datum Baptisma, fides sequitur. Secundo in medio aquæ omnium gentium; salutem quidem Christus operatus est in medio terræ, vt potè qui habitauerit in medio terreni vteri virginis, & salutē mundi fecerit compacto firmamento sancti sui Corporis, in medio incorruptæ matricis fontis vitæ, puellæ Dei matris & posito sub aqua firmamento sub sole inquam eius diuinitatis. Tertio In hoc firmamento,fide inquam,ædificauit lunam,Ecclesiam,vnde etiam firmata fuit in medio aquarum, inconcussa in mediis fluctibus,ventis,procellis,& Innumerabilibus tempestatibus passionum & hæreseon. Quarto in medio aquarum fides firma prædicetur ne amplius discindantur,agitenturque & diffundantur aquæ gentiles,sed firmetur earum mare,vt ego ambulem super eius aquas, & inhabitem & inambulem in Cordibus eius in medio aquæ viuæ fide, & aquæ mortuæ incredulitate; pergit deinde ostendere DEVM singulis sex diebus aliquam separationem fecisse, vt significaret diuisionem Ecclesiæ ab errore & incredulitate,& multa alia circa hoc firmamentum philosophatur de Christi diuinitate & humanitate.

Quintò Fides dicitur fundamentum Ecclesiæ *Ad* 6
*Coloss.*c. ✠.23. *Si tamen permanetis in fide & immobiles à spe Euangelij.* & Dionys. *cap.*7. *de diuin.nomin.* §. 4. fidem vocat constans & firmum fidelium fundamentum quia fundat illos in veritate, & veritatem in ipsis, dum indissuasibili identitate simplicem veritatis cognitionem habent rerum credendarum, ἡ θεία πίστις ἐστὶν ἡ μόνιμος τῶν πεπιστευμένων ἵδρυσις ἡ τούτους ἐνιδρύουσα τῇ ἀληθείᾳ καὶ αὐτοῖς τὴν ἀλήθειαν ἀμεταπτώτῳ ταυτότητι τὴν ἁπλῆν τῆς ἀληθείας γνῶσιν ἐχόντων τῶν πεπιστευμένων. Quàm Dionysij rationem statim expendemus,satis mihi modo est,fidem esse fundamentum Ecclesiæ, quod etiam dixit Augustin. *lib. de fide & operibus cap.* 16. Interpretatus Paulum dicentem 1.*ad Corinth.* 3. Fundamentum positum à sapiente. Architecto aliud non esse præter Christum. *Si autem Christus*, inquit Augustin. *procul dubio fides Christi*

per fidem quippe habitat Christus in Cordibus nostris, sicut idem Apostolus dicit. quia enim cum Christo capite & fundamento coniungimur ratione fidei, siquidem per illam Christus habitat in nobis, per illam quoque ea quadam necessaria consequutione reliquo corpori & membris inserimur.

Ex his, aliisque praeconiis, quibus fidem illustrant PP. luculenter, nisi fallor, ostenditur nostra propositio, nimirum fidem diuinam pertinere ad rationem constitutiuam Ecclesiae; neque enim desponsatio, aut vt loquitur Paris. *lib. de moribus* anulus argenteus in digito sponsae, neque os sponsae, firmamentum & fundamentum Ecclesiae, fides iure dici potest, nisi ad eam tanquam aliquid essentiale pertineat.

7 Secundò Ratio apertissima est, cum enim partes constantes aliquod totum siue integrana, siue essentiale debeant vniri inter se, alioquin multitudinem & numerum siue aceruum facient, non vnum aliquod totum: plures homines non possunt Ecclesiae corpus componere nisi forma aliqua inuicem vniantur, quod in corpore humano cui tam saepe Paul. comparat Ecclesiam, manifestum fit, nisi enim membra sibi ipsis inserantur, fitque vna omnium compago, numquam corpus ea illis eaurget; haec vero forma vniens Ecclesiae membra non est forma aliqua naturalis alioquin naturale tantum compositum, & ciuilem & profanam Rempublicam constitueret, opus igitur est forma supernaturali: inter eiusmodi porro formas prima omnium ordine generationis est fides, vti fuse ostendimus 2. 2. quia motus voluntatis cognitionem sibi proportionatam necessario supponit; haec igitur forma iam incipit vnire diuersa membra inter se; quare S. Thom. 2. 2. *q.* 1 *a.* 9. *ad* 3. dixit Ecclesiam vniri per fidem; an vero vlterior aliqua & perfectior vnio requiratur, dicam inferius. Confirmatur haec ratio ex Ecclesiae fine, salute nimirum & beatitudine supernaturali, ad quam acquirendam tendit, vt in ipsa eius diffinitione diximus, est enim Caetus hominum ad salutem vocatorum: atqui non nisi fidei beneficio ad eum finem aspirare potest, quod eleganter expressit Paul. ad Hebr. 11. dum ait fide PP. transiisse mare rubrum, tanquam ad idam terram, nimitum ductrice columna, quae fidei facem subobscuram teferebat, vti Guilielm. Parisien. *lib. de morib.* Eleganter expressit, idcirco dixit Cyrill. *Cathec.* 5. fide omnia peragi, quia nullum opus pietatis & salutis absque illa perfici potest. Huc pertinet omnino celebris illa Pauli. *ad Hebr.* 11. diffinitio. *Fides est substantia rerum sperandarum argumentum non apparentium.* Nugatur enim Erasmus, dum contendit hic ornari quidem fidem à Paulo, non autem definiri, neque minus absurde errant Nouatores, dum fiduciam non fidem illis verbis explicari somniant, vt enim non negem fidei nomen aliquando pro fiducia, siue firma spe in scripturis vsurpari vti D. Thom. Lorin. Iustinian. Cornel. & alij Interpretes *ad cap.* 1. *Iacob.* ℣. 6. *postulet in fide nihil haesitans.* Stapleton. *lib.* 11. *de principiis ex cap.* 11. & *controuers.* 8. *de Iustifica. cap.* 21. Vega. *q.* 2. *de Iustifica.* & *lib.* 9. *in Trident. cap.* 28. aliique contendunt contra Suar. Bellarm. & alios; eo tamen loco Paulum loqui de fide virtute intellectiua, & non de fiducia quae est in voluntate, omnes interpretes aeque consentiunt, & ex ipsis verbis constat, ait enim *fide intelligi aptata esse saecula*; sine ea impossibile esse placere Deo, quia accedentem ad Deum credere oportet, quia est: haec porro fides dicitur *substantia rerum sperandarum*, quia vt exponit existimatus Anselm. substat rebus sperandis, sicut substantia formae, & eas in nobis ponit, exhibet enim illas veluti praesentes, & quamvis difficile obtineri possint, eas tamen à nobis obtineri posse, si lubeat, ostendit, atque vt ait Athanas. *serm. de salutari Christi*: *in impossibili possibile*; & *robur in imbecillitate*; & *patibile in impatibilitate*; & *corruptionem in incorruptione*; & *in paruitate magnitudinem*; & *mortale in immortalitate credit*. Nempe argumentum est, siue conuictio & certa ac firma ostensio non apparentium, idcirco Syr. transtulit: Fides est certitudo de iis rebus quae sunt in spe, ac si iam existerent in actu, & reuelatio eorum, quae non videntur. Ex quibus omnibus fit fidem esse formam, per quam vniuntur homines in quaerenda salute, ad quam vocati sunt, atque adeo esse vinculum caetus eorum qui ad salutem obtinendam consentiunt, quod vnum contendebamus in nostra propositione.



CAPVT II.

De proprietatibus Ecclesiae.

QVAEST. I. *Ecclesia nobilitas & sanctitas*

QVAEST. II. *Ecclesia vnitas*

QVAEST. III. *Ecclesia amplitudo, & vniuersalitas.*



CVM rei proprietates, eius formam constitutiuam sequantur, constituta Ecclesiae forma essentiali eius proprietates inuestigandae sunt, quae non aliunde, quam ex ipsa forma essentiali deriuari possunt quam cum diximus esse fidem ea illius natura & proprietatibus tomo 2. fusius explicandis, quasque modo supponimus, Ecclesiae proprietates inuestigandae nobis sunt.

QVAESTIO PRIMA.

Ecclesiae nobilitas & sanctitas.

ET Primò quidem se prodit illustris Ecclesiae nobilitas. Secundò sanctitas Ecclesiae. Tertiò in qua re sita sit, atque eximia sanctitas; cum enim rei cuiusque dignitas ea eius forma constitutiua petenda sit, & fidem quae est Ecclesiae substantia & forma vti diximus. *q.* 1. & 3. *cap.* 1. diuinam atque supernaturalem esse demonstrauerimus, diuinum quoque hunc caetum, cuius partes sacro & supernaturali vinculo inter se se colligantur, esse necesse est, & aliquid maius supra omnes politicos caetus habere; quare & alium authorem agnoscit, quàm nudum aliquem vnum hominem, & potestate plus quam humana regitur, & legibus sacris ac diuinis temperatur & in finem tendit, in illumque per operationes media proportionata, vimque naturae excedentia promouetur quae omnia ex toto hoc opere, in quo sacrae huius politiae rationem explicamus, & iuris Ecclesiastici causas ac effectus interpretamur, facile elucescent, ex fide enim diuina, cuius proprietates hactenus expendimus, pendet tota ista politia, neque diutius in ornanda Ecclesiae dignitate congerendisque laudibus, quibus illam magnifice exaggerant Patres & scripturae prosequuntur, immorari placet.

Venio ad eius sanctitatem de qua late Turrecremata *lib.* 1. *sum. cap.* 11. & 12. quamque passim scripturae commendant, dum Christi sponsae, quae alia profecto

profecto non est, quam Ecclesia, decorem prædicant tum in Canticis, tum in Apocalypsi, vbi etiam noua Hierusalem sancta dicitur; neque aliam fuisse Christi Baptismum instituentis mentem, quam vt mundaret sibi gloriosam Ecclesiam testatur Paul. *ad Ephes.* 5.

3 Hæc porrò sanctitas Ecclesiæ in eo maxime sita est, quod eius fides & doctrina sancta sit; inde enim fit primo, vt nihil doceat, nisi sanctum, nullis legibus nisi sanctis instituatur; vnde August. *lib.* 1. *de ciuit. cap.* 28. dixit nihil in Christianis Ecclesiis turpe, & flagitiosum spectandum, imitandúmque proponit vbi veri DEI aut præcepta insinuantur, aut miracula narrantur, aut dona laudantur, aut beneficia postulantur; cum omnes aliæ sectæ plurima nefanda doceant, vti de Ethnicis docent accurate Arnob. Lactant. Iustin & Tertullian. in Apolog. Theodoretus *in lib. contra Græcos*, & alij PP. antiquiores. De hæreticis autem ostendunt eadem, qui ipsorum errorum Indices texuerunt tum recentiores tum veteres. Secundo sancta fidei doctrina ad sanctitatem impellit, ideóque ad sanctitatem vocari dicuntur, qui ad Ecclesiam asciscuntur; eáque de causa dicuntur fideles omnes Sancti *Psalm.* 84. *& Psalm.* 85. *ad Rom. cap.* 1. *& cap.* 16. 2. *ad Corinth. cap.* 1. *& cap.* 13. quia ab infidelibus, quorum doctrina ad omnia scelera incitabat, segregabantur, quo sensu monebat filium Tobias attenderet sanctitatem parentum à quibus progenitus erat, *Filij sanctorum sumus.* Tertia quia fides Ecclesiæ non est informis, sed per dilectionem operatur saltem in plurimis; vnde semper aliqui etiam morum integritate illustres in ea reperiuntur; eo enim maximè spectat Baptismi ablutio, in qua datur fides; idcirco enim dicitur Sacramentum fidei; vt mundata Ecclesia lauacro vitæ omnem deponat rugam ac maculam, ac deinceps virtuti incumbat, itaque tandem gloriosum sibi exhibeat sponsus *ad Ephes.* 5. *&* 1. *ad Cor.* 6. monet Corinthios Paul. meminerint se aliquando sceleribus omnibus inquinatos fuisse, sed modo ablutos & sanctificatos esse. August. *in Psalm.* 85. ad illa verba: *Custodi animam meam, quoniam ego sanctus sum.* Vbi monuit solum Christum inter homines hanc sanctitatem sibi absque calumnia tribuere posse, ait nihilominus non modo Christi corpus, sed quemlibet fidelem posse cum capite suo dicere, *Sanctus sum, accepi enim gratiam sanctitatis, gratiam Baptismi & remissionis peccatorum.* Quod Pauli à nobis proximè allatis verba ostendit. Quod vero absque iactantiæ crimine ista dicantur, monet. *Si enim dixeris te sanctum esse, superbus es, rursus fidelis in Christo membrum Christi si te non dixeris esse sanctum, ingratus es.* Nempe membra capiti faciunt iniuriam, si ab illo dignitatem non capiant, & si non sint sancta cum capite sancto, per Baptismum autem, & fidei Sacramentum Christum induimus, & simus eius membra; obligamur igitur ad morum sanctitatem, quam ex fide primum nasci luculenter docet Petrus 2. *Ep.* 1. *cap.* 1. Nam imprimis salutat eos, qui coæqualem sortiti sunt fidem in iustitia DEI nostri, & Saluatoris IESV CHRISTI. Optat deinde gratiam ipsis & pacem impleri in cognitione DEI & CHRISTI. Deinde monet omnia diuinæ virtutis, quæ ad vitam & pietatem pertinent, donata nobis esse per cognitionem, id est, per fidem eius, qui vocauit nos propria gloria & virtute, quæ dona deinde explicat, vocátque maxima & pretiosa vt per illa fiamus diuinæ consortes naturæ, dum fugimus eius, quæ in mundo est, concupiscentiæ corruptionem, cui nempè solemni ritu in fidei Sacramento abrenuntiamus; tum addit, *vos autem curam omnem subinferentes ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam, in abstinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis Charitatem.* Quibus verbis omnem ædificationem & substructionem siue potius progressum virtutis describit, illúmque à fide incipit, denique ipso virtutis exercitio, ipsa scientia atque cognitio fidei crescit, peruenitur ad abstinentiam, quæ vt ait Nilus est ἀρχιπρεπὴς, oportet enim habere sensus abstinentes ad omnes illas virtutes comparandas, quas Isaac Syrus vocat τῶν ἐξωτέρων τάξεων, ad eam autem abstinentiam rerum & sensuum, opus imprimis erit patientia à qua ad pietatem, amorem fraternitatis, ipsámque demùm diuinam Charitatem perueniemus; Pergit deinde Petrus fidei veritatem, firmitatémque reliquo capite commendare. Eleganter autem Macarius *hom.* 17. sub initium describit quomodo à suscepta fide, & Baptismo inchoetur statim virtutum exercitatio, & pugna hominis aduersus se ipsum, & Chrysost. *hom.* 9. *in Ioan.* Monet non sufficere Baptismi ablutionem, nisi ipsam sequatur exercitatio. Tertio igitur ex sanctitate fidei, morum quoque integritas consequitur, in qua singulis ætatibus fuère viri insignes in Ecclesia, vt constanti inductione Chronologica docuit Cocci. *lib.* 8. *Thesauri, art.* 11. Quarto hinc etiam fit, vt extra Ecclesiam nulli vnquam sancti fuerint, aut esse possint, cum vera sanctitas cognitionem supernaturalem necessario prærequirat. Quod docet August. *lib. de fide ad Petrum, c.* 39. *& q. sequenti*, manifestum fiet, quare ne ipsi quidem principes aliarum sectarum aut moribus integri extiterunt, aut ita laruam sanctitatis induere potuerunt, vt eorum næui non innotescerent, ostenditque *lib. cit.* Cocci. *art.* 12. turpitudinem omnium hæreticorum retroacta sæcula percurrens, immo pessimos Christianorum sanctiores fuisse iis omnibus, qui in alienis sectis aliqua probitatis laude claruerunt, demonstrat fusè Bosius *de signis Ecclesiæ, signo* 30. ex hac tamen sanctitate Ecclesiæ non sequitur peccatores si à fide non defecerint, ab Ecclesia peregrinante in terris amandandos esse, vti faciunt sectarij, vt inuisibilitatem suæ Ecclesiæ ex inuisibilitate iustitiæ & sanctitatis internæ ineptissimè astruant. Eos *quæst.* 1. iam reiecimus.

QVÆSTIO II.

De Ecclesiæ vnitate.

Vnitas Ecclesiæ. n. 1.
Fundamentum Ecclesiæ Christus. n. 2.
Et quomodo. n. 3.
Quid superædificatur huic fundamento. n. 4.
Quomodo Apostoli & Prophetæ sint fundamenta. n. 5. 6.
Quomodo ex vnitate fidei colligatur vnitas Ecclesiæ. n. 7.
An Ecclesia peregrinans sit vna cum cœlesti. n. 8.
An vetus & Christiana Ecclesia sit vna & eadem. n. 9.

VNum corpus, inquit Paul. *ad Ephes.* 4. ℣. 4. *Vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ, vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma, vnus DEVS, & pater omnium.* Quæ verba perillustri commentario videtur mihi interpretari Clem. *lib.* 7. *Stromat.* cum ait. Quidquid magni æstimatur maximè propter 1

vnitatem

vnitatem commendari, τὸ ἄκρως τίμιον κατὰ τὴν μόνωσιν ἐπαινεῖσθαι. Quia vnitas est imitatio vnius principij, μίμημα ἀρχῆς τῆς μίας, cum vnus Devs, vnusque tantum Dominus existat: atque ea de causa Ecclesiam, quam in plures partes discindere conantur hæreses, vnam esse, secundum hypostasim, κατὰ ὑπόστασιν, secundum considerationem, κατὰ τὴν ἐπίνοιαν, secundum principum κατὰ τὴν ἀρχὴν, secundum excellentiam, κατὰ τὴν ἐξοχὴν. In vnitatem vnius fidei. εἰς ἑνότητα πίστεως μίας. Vbi vides tandem totam Ecclesiæ vnitatem, cuius varias causas tum Paul. tum Clem. enumerat in vnitatem fidei reuocari, & quidem iure merito, ex vnitate enim formæ substantialis & constitutiuæ rei vnitas petenda necessario est, fidem autem esse formam constitutiuam Ecclesiæ, iampridem nobis constat ex *q.3. cap.1.* ipsius autem vnitatem, idemtitatemque tum formalem, tum materialem euidenter hoc loco euicimus, restat igitur, vt vnitatem Ecclesiæ inde necessario concludamus, & sane illæ vnitates, quarum meminit Paul. nimirum corporis spiritus, vocationis, spei, fidei, baptismatis, Domini Dei ex vnitate fidei oriuntur, spiritus enim qui varia membra corporis continet & vincit fides est, per quam eandem vocamur, & in spem erigimur, quam in baptismo suscipimus, quam Christus Dominus docuit, & quæ Dei vnitatem reiecto polytheismo adstruit vna sponsa est Ecclesia, vti sæpius testantur scripturæ sed eam sibi fidei anulo despondit Christus, vti. *cap.1.q.3* diximus, vna domus est, huius autem fabricæ fundamentum fides existit, quod monuimus eo loco & placet ex Paulo, qui in hac describenda structura frequens est, amplius explicare.

2 I. ad Cor. 3. ℣. 11. fundamentum dicit Christum, *fundamentum*, inquit, *aliud nemo potest ponere præter id quod positum est. quod est Christus IESVS.* ℣. autem priori dixerat se vt sapientem architectum posuisse fundamentum, alium autem superædificasse, sed videndum esse, quomodo quis superædificet, ex qua materia, an ex auro & argento, an ex palea & stramine. Ad *Rom. 15. ℣. 20. Negat se prædicasse Euangelium, vbi iam nominatus fuerat Christus, ne super alienum fundamentum, ædificaret. Ad Ephes.* autem *cap 1. ℣. 20. superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo IESV, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum in domino, in quo & vos coædificamini in habitaculum DEI in Spiritu sancto.* Ex omnibus istis Pauli locis Colligo imprimis Christum esse fundamentum, sed ἀνθοδύναμον, quod propria virtute stabiliat & fundet Ecclesiam siue vt loquitur Leo *serm. 3. in ann. assumptia, sua petra inuiolabilis,* & Aug. *in psal. 85.* fundamentum primum & maximum fundamentum, præter quod aliud ponere non licet. Primò quia vt dixi Christus sua virtute fulsit totam huius ædificij immensam molem, ideirco Petrus sub finem monet fore vt Devs nos in Christo Iesv instauret, perficiat; confirmet, & roboret, καθαρτίσει, στηρίξει, σθενώσει, θεμελιώσει. & Paul. ad Ephes. dicebat Christum summum lapidem angularem, in quo omnis ædificatio constructa consurgat in templum Sanctum, quia & ipse firmat veritatem fidei & influit Charitatem ac sanctitatem, & continet totam substructionem, Ideóque dicitur lapis angularis, tum eo loco, tum *Isai cap. 28. ℣. 16. Psal. 117. ℣. 22. Math. 21. ℣. 42. Luc. 20. ℣. 17. Acta. 4. ℣. 11. Prima Petri 2. ℣. 7. ad Rom. 9. ℣. 33.* quia Anguli solent esse firmissimi vt pluribus demonstrat Pined. *in cap. 1. Iob. ℣. 19.* ad illa verba *concussit quatuor angulos Domus*; disputant verò interpretes an Christus lapis angularis pertineat ad lapidem in fundamentum substratum, aut ad illum, qui fastigio imponitur; nam ad fundamentum referri posse neque contra vsitatum ædificandi morem, neque contra scripturæ phrasim ostendit Pined. *in cap. 38. Iob. ℣. 6.* Super quo bases *illius solidatæ sunt, aut quis demisit lapidem angularem eius.* Isaias verò loquens de Christo & Sionis siue Ecclesiæ ædificatione ac fundamento nominat ipsum lapidem probatum angularem, pretiosum in fundamento fundatum. Ipséque Paul. idem sentire videtur *ad Ephes. 2.* cùm ait in illo summo angulari lapide constructam ædificationem crescere in templum Dei, & in illo fideles coædificari. Obstare tamen videtur, quòd Psalmista & Pet. Vocent hunc lapidem caput Anguli. ἀκρογωνιαῖον, ἄκρον autem dicitur summitas & fastigium ἄκρον σοφίας ἄκρα φέρειν, primas partes obtinere, ἄκρον ἴδης ὑψηλῆς Cacumen Idæ excelsæ. ἄκρος εἰς φιλοσοφίαν; quare non nisi inepte ἀκρογωνιαῖον & κεφαλὴν γωνίας, infimum & terræ infossum lapidem angularem vertes: secus itaque contingere in hoc Sionis ædificio quam in terrenis obseruauit Rupert. *in cap. 21. Apoc.* ad illa Verba. *Sustulit me in montem magnum & altum,* In hoc enim fundamentum altissimum est sursum, vnde pendet omnis structura parietum, omnis spes ac amor & fides populorum: Non placet tamen, quod vim faciant aliqui in voce, ἄκρον nam non modo fastigium, sed rei cuiuslibet extremum significat, ἄκροις δακτύλοις ἁπλοῦσθαι, ἄκρας νυκτὸς prima parte noctis, ἄκρα, fines siue termini, τὰ πέρατα κεφαλὴ etiam & caput significat initium rei, vnde illud habeat caput responsum tuum. Quare mihi tota ista disputatio in præsentiarum leuis esse videtur, satis enim est, quod Christus sit fundamentum, ex quo pendet omnis Ecclesiæ substructio & consurgit, siue fundamentum sit illi ædificio substratum vti fit in terrenis ædificiis, siue inuerso quodam ordine, sit ipsummet fastigium, à quo pendeat ædificium, vtraque enim metaphora suum sensum habere potest, & variis locis superius allatis aptari.

Secundò Christus fundamentum est designatum lapide angulari, quia vtrumque populum Iudæum & Gentilem siue veterem & nouam Ecclesiam tanquam huius ædificij partes connectit in se vno, quod eo c. 2. *ad Ephes.* Eleganter Paul. explicat. *Qui fecit vtraque vnum & medium parietem materia soluens inimicitias in carne sua, legem mandatorum decretis euacuans, vt duos condat in semetipso in vnum nouum hominem faciens pacem & reconciliet ambos in vno corpore DEO, per crucem interficiens inimicitias in semetipso, & veniens euangelizauit pacem vobis, qui longe fuistis, & pacem iis, qui prope, quoniam per ipsum habemus accessum, ambo in vno Spiritu ad patrē.* Primò igitur vbi nos Deo cōciliauit, vniuit duo testamenta, duosq; populos quos in vnum veluti conflauit, soluto medio pariete inimicitiæ, vt legit Tertullian. *lib. 5. contra Marcion.* quibus ostendit, vti ibidem obseruat Paniel. *Scholio 271.* medium parietem μεσότοιχον, & maceriam, quæ tanquam septum interiectum separabat, hos populos, fuisse inimicitias & mutua odia, quibus flagrabant inuicem; impium enim & nefastum atque execrabile ἀθέμιτον, Iudæis consuescere cum gentibus, quæ etiam Iudæos vix consistere apud se patiebantur, eosque habebant tanquam propudia, vide Rader. *in lib. 4. Mart. Epigram. 4. & lib. 1. Epist. 35.* Baron. *an. Christi 72. & 94.* Malnend. *lib. 11. de Antichristo cap. 3.* & alios, diluit has inimicitias suo sanguine Christus in carne sua, Ineptiebátque Marcion, qui referebat has inimicitias ad carnem, cui nunquam bene sit cum Deo. 3

Secundò legem mandatorum decretis euacuauit, id est, legem Mosaïcam, quæ decretis & mandatis oneri erat, & vt loquitur August. *serm. 9. de verbis Domini,*

Domini. Sarcinam innumerabilium obseruationum, imponebat, aboleuit, antiquauitque, atque ita inquit Ambros.siue potius Pelagi. aut vt alij malunt Remig. *in comment. ad Paul. Cessare iussit, quæ oneri erant & sic pacem fecit.* Materiam enim, siue medium parietem qui vtrumque populum dirimebat, fuisse legem obseruat Nyssen.*in cap. 2. Cantic.* vbi illam Salomon appellat, προτείχισμα, antemunerale: *Paries*, inquit Greg. *Typicus erat, qui vmbram faciebat futurorum bonorum, quo sublato lumen Euangelicum ad penetralia & interiora domus admissum est.* Et Chrys. *in Comm. huius loci*, ait euacuatum fuisse legem per decreta & mandata Euangelica, *ἐν δόγμασι*, quæ Christus promulgauit, quibúsque vtrumque populum regi voluit, quo sensu dixerat idem Paul. *ad Coloss. 2. ✝. 14. Delens quod aduersus nos erat Chirographum decreti quod erat contrarium nobis.* Hoc Chirographum decretorum, vt habet Græcus textus, erat lex Mosaica ex mero decernentis decreto obligans, cuiúsque seruandæ fidem proposito supplicio capitis, obligarant Hebræi *Exod. 24. v. 3. & Deuteron. 27. v. 26.* cui veluti propria manu subscribebant in circumcisione, per eam enim fiebant debitores vniuersæ legis faciendæ, vt testatur Paul. *ad Galat. 5. v. 3.* quia vero arguebat reos supplicij, & atroci pœna mulctabat transgressores, eratque iugum seruitutis, quod neque Patres ipsi portare potuerant, idcirco dicitur Chirographum decreti aduersus nos, & contrarium nobis, maximè cum irritaret potius, quam restringeret concupiscentiam: Euacuauit igitur Christus legem decretis suis, soluitque parietem intermedium in carne sua, quia Chirographum decreti tulit de medio affigens illud Cruci, nempe non modo discerpsit illud Chirographum, sed subiit pœnas, ad quas violatores legis ex eo Chirographo tenebantur; itaque Crucifixit veterem hominem vt destrueret corpus peccati, vti monet Paul. *ad Rom. 6. v. 6.* & clarius *ad Galat. 3. v. 13. Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, quia scriptum est, maledictus omnis, qui pendet in ligno, vt in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo IESV:* nempè maledictionem inflictam legis transgressoribus *Deut. 27. v. 26.* in se suscepit Christus, vt ab ea omnes solueret, vt maledictum non comprehenderet eos, qui talem legem violassent, vt soluta lege illâ, gentibus & Iudæis Abrahæ benedictio, & lex vitæ traderetur; modus autem quo hanc legis abolitionem, & Chirographi inductionem Paulus exprimit, elegans omnino est, alludit enim ad Romanorum vsum, quem etiam apud suos obseruare poterat, vt enim Turneb. *lib. 12. cap. 9.* Alciat. *lib. 4 parerg. cap. 20.* Brisson. *lib. 6. de formid.* aliique obseruant. Bona debitoris proscribebantur affixa publicè tabella celeberrimo vrbis loco; qui autem se pro amico vadem præstabat, tabellam refigebat suarum fortunarum periculo; vnde Seneca *lib. 4. de benefic. cap. 12. Spondeo pro iudicato, & suspensum amici bonis libellum deijcio creditoribus eius me obligaturus, vt possim seruare proscriptum, ipséque proscriptionis periculum adeo.* Chirographum ergo decreti refixit, ac deiecit Christus, ipse vnus suo capitis periculo totius legis onus in se suscepit.

Tertio Christus, disiecta maceria & medio pariete, abolita lege Mosaica duos dissidentes populos in semetipso in vnum conflauit, non quod ex gentili Iudæum, aut ex Iudæo gentilem faceret, sed vtrumque in nouum quemdam & planè cœlestem hominem effingeret in nouitate vitæ ambulantem; siue in vno Ecclesiæ corpore, cuius caput sit ipse Christus, aut in vnum ædificium cuius lapis angularis & fundamentum est, Deo conciliatos per crucem ambos populos arctissime copulauit, peremptis omnino inimicitiis, ipsarúmque causa penitus extincta, quod fatiunt illa verba: *Vt duos condat in semetipso in vnum nouum hominem faciens pacem, & reconciliet ambos in vno corpore, per crucem interficiens inimicitias in semetipso.*

Quarto hinc fit vt ambo populi habeant accessum & fiduciam ad patrem, cùm iam ab ipso in filios adoptati fuerint per Christum, & vno, eodémque agantur spiritu. *Quoniam per ipsum habemus accessum ambo in vno spiritu ad Patrem.*

Dico secundo. Christum non fieri fundamentum 4
Ecclesiæ, neque quemquam superædificari illi fundamento, nisi per fidem, quod aperte significat Paul. 1. *ad Cor. 3.* eum ait se tanquam sapientem Architectum posuisse fundamentum, id enim non fecit, nisi beneficio doctrinæ fidei, qua annuntiauit Christum, & *ad Rom. 15.* negat se ædificasse super alienum fundamentum, quia non prædicauit vbi iam alij Christum annunciauerunt, *ἀλλότριον θεμέλιον τὴν διδασκαλίαν τῶν ἀποστόλων*, alienum fundamentum doctrinam Apostolorum appellat, inquit Theophil. non quia alieni essent, neque prædicarent alia, sed quia alia ratio & modus Apostolis erat prædicandi Euangelium, alia Paulo, cuius merces erat, vt Euangelium prædicans sine sumptu poneret, vti testatur 1. *ad Cor. cap. 4.* dum etiam asserit, nullum aliud fundamentum poni posse præter Christum, monétque Architectos, vti diligenter aduertant, qua ratione, & quid illi fundamento superædificent; perspicue hanc ædificationem ad fidem pertinere eleganter explicat, imprimis enim ædificium de quo loquitur, sunt ipsi Corinthij, ait enim, *DEI ædificatio estis.* Fundamentum autem est Christus vt idem perspicuè tradit. August. autem *lib. 21. de Ciuit. cap. 26.* aduertit Christum non esse fundamentum nisi ratione fidei viuæ & per dilectionem operantis; nam & illa fides ad salutem necessaria est, & Christo Domino quoad viuam hanc fidem nihil præponi deber, quæ est vna ex conditionibus, quam in fundamento requirebat. August. *l. c.* aliud etiam fundamentum poni non potest, præter id quod positum est, quia alia fides ad salutem æternam inutilis est, cum non sit aliud nomen, in quo saluari possimus; fides quoque mortua operibus ac charitate destituta ad salutem non sufficiat, ne quis dicat omnes fideles modo à fundamento Christi non discedant, saluandos esse, quamuis sceleribus inquinatos, sic tamen quasi per ignem, quam hæresim pluribus confutat Aug. *lib. de fide & operib. cap. 15. & 16. & Enchirid. cap. 67. & 68. & q. 1. ad dulcit. & lib. 2. de Ciuit. cap. 26.*

Hinc autem soluitur vulgaris quæstio, secundum quam naturam Christus sit fundamentum, an secundum humanam, vt voluit Athanas. *orat. 5. contra Arian. & dial. de Trinit.* quia fundamentum debet esse eiusdem naturæ cum iis quæ ipsi superædificantur, Christo autem superædificantur homines; an vero secundum naturam diuinam, secundum quam est basis & fundamentum omnis creaturæ, eiúsque initium, vt PP. Græci exponunt illud *Prou. 8. Dominus creauit me initium viarum suarum ad opera sua*; an vero secundum vtramque naturam; quod censuit idem Athanas. *serm. de carne Christi.* Dicendum enim est fidem veram vtramque Christi naturam attingere debere ad salutem, vti exponit Leo *serm. 5. de Pass.* & alibi sæpius. Christus igitur Apostolorum prædicatione annunciatus, eiúsque fides nobilis ædificij fundamentum est, neque aliud ponere licet.

Secundò Fabrorum & *ἐποικοδομεῖν* gemino genere, Doctores & Prædicatores designat Paul. ex Tertull. *cap. 6. lib. 5. contra Marc.* quod totus capitis contextus docet, quæ enim antecedunt de plantatione & irrigatione, & quæ sequuntur de sapientis in ædificando,

& de gloriatione Corinthiorum in suis Doctoribus, vnde nascerentur schismata, ad prædicatores omnino pertinent.

Tertiò. Materia ex qua superædificatur, est doctrina, & modus illam tradendi, aliqui enim docent, gemmeam quandam & auream doctrinam, quæ facit auditores aureos & gemmeos, alij exhibent quidem doctrinam bonam, sed quæ admixtione rerum variarum curiosarum, ac minus perfectarum, vel ex modo, quo traditur, vel ex motibus ipsius Doctoris, facit auditores ligneos, fæneos, & stipulaceos: in hoc itaque capite Paulus distinguit tria genera Doctorum, primum omni ex parte bonorum, similitudine agricolarum plantantium & irrigantium. Secundum genus eorum, quorum alij boni, alij mali sunt, quos duobus illis Architectis exprimit. Tertium est hæreticorum & Pseudo-Apostolorum deperditæ, deprauatæque doctrinæ, quos per templi violatores & ἱεροσύλους significat. Ex quibus omnibus colliges ædificij Ecclesiæ molem non excitari nisi per fidem, per quam ponitur fundamentum Christus, & illi imposita moles deinde crescit & coagmentatur per spem ac charitatem; atque ita crescit constructio in templum sanctum in Domino, & singuli ædificantur in habitaculum Dei in spiritu, vt loquitur Paul. *ad Ephes.* 2. & clarius August. *serm.* 22. *de verbis Apostoli. Domus DEI credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur.* Quibus similia habet Origen. *in cap.* 4. *ep. ad Rom.* Chrysost. *hom.* 9. & 11. *ad Hebreos*, Prosper autem 1. *part. de promissio. cap.* 7. fidem informem & spem comparat duabus infimis contignationibus Arcæ Noë, in quibus bestiæ & serpentes habitabant. *Noe autem cum suis in Charitate manens DEVM formidare non potuit.*

Denique non alia ratione Christus lapis Angularis duos populos in vnum conflauit, quam vocatione fidei, qui enim, vt ait Paul. *ad Ephes.* 2. *Erant alienati à conuersatione Israel, hospites testamentorum, nullam habentes spem promissionis, atque sine DEO admissi sunt in Christo in eas promissiones, & facti sunt prope in sanguine ipsius, illéque veniens euangelizauit pacem omnibus, siue qui longè, siue qui propè erant.*

5 Dico tertio, Apostolos quoque & Prophetas esse fundamenta Ecclesiæ teste Paulo *ad Ephes.* 2. supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum, & apud Ioann. *in Apoc. cap.* 21 ℣. 14. nomina duodecim Apostolorum agni inscripserant duodecim fundamentis ciuitatis, sed hæc fundamenta sunt minus principalia, quæ virtute primi fundamenti solidantur, & quæ illi potestate sunt propria, habent participatione communia, vt ait Leo *serm.* 3. *de sua assumpt.* & sanè apertè distinxit Paul. illa fundamenta à Christo, cum ait, *Fundamenta Apostolorum & Prophetarum ipso summo angulari lapide Christo IESV*, diuersi enim casus tam in Latino, quam in Græco textu id habent, *existente lapide summo angulari Christo.* Id est Apostoli & Prophetæ sunt fundamenta, cùm ipse Christus sit lapis Angularis. In Syriaco autem, & ipse factus est caput Anguli ædificij IESVS CHRISTVS; atque ita interpretantur passim Chrysost. *hom.* 6. Oecumen. Theophylact. Hieron. *in cap.* 2. *ad Ephes.* & *in cap.* 2. *ad Gal.* Hilari. *in cap.* 16. *Matth.* Ambr. *lib. de sacram. Incarnat. cap.* 4. Aug. *in Psalm.* 86. vbi accuratiùs diuersa fundamenta distinguit.

6 Dico quartò, Apostolos & Prophetas esse fundamenta ratione fidei, quam annuntiarunt, vtrique enim Christum prædicarunt; quod de Prophetis singillatim ostendit Dionys. Alexand. *ep. contra Paulum Samosaten.* atque ita posuerunt fundamentum Christum, & Apostoli quidem doctrinam à Christo acceptam disseminarunt. *Ad Hebr.* 2. *Quæ cùm initium accepisset enarrari per Dominum, ab ijs qui audierunt in nos confirmata est, contestante DEO signis.* Atque ita Christus promittit se ædificaturum suam Ecclesiam super petram, id est, super fidem Petri, quia ille Cathedram doctrinæ & fidei obtinere debebat, atque vnà etiam constitui caput vnitatis ad vitandam anarchiam, vti ex Cyprian. *lib. de vnitat. Eccles.* aliisque ostendit Turrian. *cap.* 7. *prioris defensionis contra Sadael.* & nos *suo loco* docebimus.

Maneat tandem vnitatem Ecclesiæ optimè colligi ex vnitate fundamenti eius, fundamentum autem vel fidem esse, vel constitui per fidem; quare ad vnitatem fundamenti, fidei vnitatem, & consensum requiri, ac propterea totam Ecclesiæ vnitatem primo, & per se ad vnitatem fidei reducendam esse, quod in hoc Consectario ostendendum susceperamus. 7

Ad illustriorem porrò huiusce vnitatis notitiam gemina hoc loco comparatio instituenda restat: Prima est inter Ecclesiam in terris & peregrinantem, & in Cœlis beatam, an vna eadémque existat. Et quidem iam monuimus *cap.* 1. *q.* 3. *conf.* 2. si habeamus rationem Christi capitis vnam, eandémque esse hanc Ecclesiam, neque ex aliis lapidibus extruitur cœlestis Sion, quàm ex illis ipsis, quibus terrena ædificatur; mirabile commercium, & negotiationem vtriusque huius cœtus describit Theoleptus Episcopus Philadelphiæ *lib.* 2. *de Schismate*, cuius verba refert Turrian. *lib.* 1. *Posterior. defension. adu. Sadael. art.* 2. In cœlo enim proponuntur, quæ hic in carne mortali gesta sunt; hic leguntur acta Martyrum & Sanctorum quibus ad varias virtutes singuli excitantur; Angeli verò pios illos motus in animis nostris cient, & fiunt nostræ reconciliationis apud DEVM celeres internuntij μεσῖται ταχυνοὶ quare cum Angelis contrahimus societatem, & negotiamur, τὰ συναλλάγματα μέσον ἡμῶν καὶ τῶν ἀγγέλων γίνεται, ad illam Ciuitatem DEI viuentis, Hierusalem Cælestem & Ecclesiam primitiuorum accedimus quotidie, vt ad Hebræos loquitur Paul. in eam partem Sanctorum vocamur in lumine; qua de re in *Epistola ad Colossens.* gratias agit DEO, *in lumine*, significat in Baptismo, vbi exponunt passim PP. Græci, per Baptismum autem in Ecclesiam admittimur: quia tamen Ecclesia terrestris in lumine subobscuro fidei peregrinatur, non autem in claritate visionis, non dicitur vna Ecclesia cum cælesti secundùm magis frequentem huiusce vocis acceptionem, vti 2. *q.* diximus. 8

Secunda comparatio erat inter Ecclesiam veterem, & Christianam, quas legibus, cæremoniis, Sacramentis, & externo cultu Religionis dissidere certum est, quia tamen vnam eandémque fidem secundùm substantialia habuerunt, vt diximus *q. superiori*; idcircò vnam conflant Ecclesiam, accidentario tantùm pro diuerso statu, & dispositione differentem. Neque aliud volunt PP. dum has Ecclesias distinguunt, aut in vnam conflant; iámque ostendimus Christum esse vtriusque huius Ecclesiæ lapidem angularem, quomodo compingantur parietes in vnius ædificij molem, quam ab ipso mundi initio eandem substantialiter perseuerasse Ecclesiam, in vnius DEI cultu, atque etiam Christi fide, licèt diuersis ætatibus quoad leges positiuas plurimam mutationem passa fuerit vnanimi consensu docent PP. quos dabit Baron. *initio apparatus*; sufficiat August. *epist.* 49. *ad DEO gratias, q.* 2. *quia pro temporum varietate nunc factum annuntiatur, quod tunc futurum prænuntiabatur, non ideò fides variata, vel fides ipsa diuersa est, nec quia vna eadem res aliis atque aliis sacris, vel Sacramentis, vel prædicatur, aut prophetatur, ideò alias atque alias res vel alias atque alias salutes oportet intelligi: proinde aliis tunc nominibus & signis, aliis* 9

autem

autem nunc, & prius occultius, postea manifestius, & primo à paucioribus, postea a pluribus, vna tamen eadémque Religio vera significatur & obseruatur. Cum igitur eadem semper fuerit fides, spes, & Charitas, idem finis supernaturalis beatitudinis, idémque caput Christus, qui idcirco dicitur occisus ab origine Mundi, idem cor Ecclesiæ, nempe Spiritus sanctus, eadem quoque fuerit oportet Ecclesia. Ex his verò fuerit facile videre ætatem Ecclesiæ, quæ cum ipso orbe cœpit, siue in Adamo, siue vt alij malunt, in Abele, eò quòd ad Ecclesiam requiratur multitudo, quæ in solis Adamo & Eua nondum erat; propugnata verò fuit in hunc vsque diem, vti ex Mundi annalibus satis patet.

QVÆSTIO III.

De Ecclesiæ amplitudine & vniuersalitate.

Ecclesiæ amplitudo, n. 1.
De nomine Catholici. n. 2. 3. 4. 5. 6.

1 TErtiò ex fidei vnitate & indiuisibilitate, non tantum sequitur vnitas Ecclesiæ, sed eius vniuersalitas, vt quæ comprehendat tanquam totum quoddam omnes, qui eandem fidem profitentur, & inter se in eadem Religione consentiunt, vnde dicitur Ecclesia καθ' ὅλου, Catholica, eò quòd sit quoddam totum & vniuersale, quod plurima tanquam partes complectatur, vt ait Aristor. *lib.* 1. *Physic.* τὸ δὲ καθ' ὅλου, ὅλον τι ἐστι πολλὰ γὰρ περιλαμβάνει ὡς μέρη τὸ καθ' ὅλου. *Et lib.* 5. *Metaph.* τὸ καθ' ὅλου ὅμοιον εἶναι τῷ ὅλῳ; quam verò ineptè inde elicuerit Sadaëlus inuisibilitatem Ecclesiæ, quia vniuersale tantùm existit in mente & solis oculis mentis videtur, μόνῃ ἐπινοίᾳ ὑπάρχει θεωρητόν, ostendit *lib.* 1. *dissension.* Turrian. *cap.* 7. vbi distinguit duplex καθ' ὅλου, vnum ὄντων, aliud ὁλικόν, quod est totum sicut omnia alia tota: atque ea ratione Ecclesia dicitur καθ' ὅλου, siue Catholica, quod sit ὁλότης totalitas quædam, qua voce vtitur Dionys. *cap.* 2. *de diuinis nominibus*, §. 10. sicut dicitur vniuersus orbis describi apud S. Luc. & ciuitas quælibet dicitur communitas, seu multitudo; ab hac igitur vnitate Ecclesiæ fuit nominata Catholica. Primò quidem ab vniuersalitate locorum, non quasi Ecclesia Catholica debeat in omnibus locis simul reperiri, quod malè supponebant Donatistæ, qui inde ineptè probabant Ecclesiam, à qua discesserant, non esse Catholicam, eo quòd plurimæ barbaræ nationes nondum ipsi adhæsissent. Ita Petilianus apud August. *lib.* 2. *contra ipsum*, *cap.* 38. & Cresconius, item Donatistæ apud eundem Augustin. *lib.* 3. *contra ipsum*, *cap.* 63. & 66. Vincentius quoque eiusdem factionis, cuius argumentationem refert & confutat August. *epist.* 48. Itaque tum iis locis, tum alibi, & *lib. de vtilitate credendi*, *cap.* 7. & *lib.* 3. *contra Cresconi*, *cap.* 65. & *in Psalm.* 101. Fatetur August. Non ex eo dici Catholicam Ecclesiam, quòd omnes regiones, & loca simul occuparet, sed quòd præ reliquis sectis multò plura occuparet, esset que totum quoddam respectu ipsarum, & deinde quia successione temporis omnia etiam remotissima loca penetratura erat ex diuina, & infallibili promissione; quare cùm nondum in plurimis regionibus dispersa fuisset, falsò & impudenter mentiebantur Donatistæ Ecclesiam periisse. *Quid est*, inquit, *in Psalm.* 101. *conc.* 2. ad illa verba: *In conueniendo populos in vnum, quod dicis iam periisse Ecclesiam de omnibus gentibus, quando ad hoc prædicatur Euangelium, vt possit esse in omnibus gentibus, ergo vsque ad finem sæculi.*

2 Secundò maximè dicitur totalis aut Catholica Ecclesia, quia respectu omnium aliarum sectarum ipsa semper fuit, estque totum quoddam, à quo singulæ sectæ diuulsæ sunt, ipsa verò à nullo alio toto præcisa est, quare nunquam habuit rationem partis, sed totius, & vna eadémque perpetuò in se perseuerauit, nullam in sua fide diuisionem aut mutilationem passa, omnisque mutatio ac præcisio fuit in ipsis, quæ ab ipsa diuulsæ sunt, sicut dum ex arboris trunco, aut radice præscinduntur rami, manet eadem arbor & radix, præcisióque fit ab arbore, non in arbore, aut radice; quare rami dicuntur præscindi à radice, non verò radix à ramo, & post præcisionem ramus dicitur pars, sicuti reuerà erat etiam dum adhuc coniungebatur arbori; arbor verò æquè manet totum quoddam, à quo fit præcisio, sicut erat ante præcisionem. Quia igitur omnes Ecclesiæ sunt partes vniuersalis Ecclesiæ, dum per diuisionem siue in fide, siue in sacramentis, siue quapiam alia in re, ab illa totalitate discedit, manet semper integra Catholica & totalis Ecclesia; huius autem vnionis, & vt ita dicam, totalitatis centrum est, tum fides immobilis atque indiuisibilis, tum omnium membrorum ac partium inter se & cum capite consensus; neque aliter exponunt PP. hanc totalitatem Ecclesiæ Catholicæ. Optat. *lib.* 1. *contra Parmeni.* monet inspiciendum esse quisnam in radice, vnà cum orbe, & vniuerso toto permanserit, aut quis in illa radice, sese præciderit. August. *lib.* 13. *contra Faust. cap.* 12. exponens illud Hierem. 17. *clamauit perdix, Congregauit quæ non peperit, faciens diuitias suas non cum iudicio de hæreticis*, qui impudentissima peruicacia congregant Christianos; quos iam per Christi Euangelium notos inuenerunt, & quos Christi nomine seducunt, & diuitias suas faciunt inconsiderata temeritate. *Non enim*, inquit, *ibi esse veram & salubrem, & quodammodo germanam atque radicalem Christianam societatem vnde istos separauerunt, quos ad suas diuitias congregauerunt.* Et *lib.* 1. *de symb. ad Catechum. cap.* 5. ostendens Ecclesiam esse vnam & Catholicam. *Hæreses omnes*, inquit, *de illa exierunt, tanquam sarmenta inutilia de vite præcisa, ipsa autem manet in radice sua, in vite sua, in Charitate sua, portæ inferorum non vincent eam.*

3 Tertiò idcircò nomine Catholicæ Ecclesiæ PP. perpetuò veram Ecclesiam à conuenticulis hæreticorum, schismaticorum, & non tantum à Synagoga Iudaïca distinxêre. Ita Constant. apud Euseb. *in eius vita*, *lib.* 3. in Edicto, quo iubet omnia oratoria, εὐκτηρίους οἴκους sublata ab hæreticis, restitui Catholicæ Ecclesiæ, atque idem ex Veterum omnium sensu animaduertes. Ad 1. Pacian. *epist. ad Sympro.* Cyrill. Hierosolym. *Catech.* 15. Aug. *lib. de fide, & symbo. cap.* 19. aliisque passim.

4 Quartò hinc fit vt Catholici nomen non modò fidei vnitatem, sed etiam communionem & consensum cum tota Ecclesia significet, quandoquidem Schismatici ex PP. mente, eo nomine donari non possunt, súntque extra Catholicam Ecclesiam, quod apertissimis verbis tradit August. *lib. de fide & symbo. c.* 10. *cit. lib. de vtilitate credendi. cap.* 7. & *lib.* 2. *contra litt. Petiliani cap.* 95.

95 *dissensio, ait, vos & Diuisio facit hæreticos; pax verò & vnitas facit Catholicos.* Vincent. Lerin. *in Commonit. cap.* 9. Prosper. *de promissie. part.* 4. *lib.* 5. Immò cùm de nomine Catholici cum Donatistis disceptaretur, illi contendebant non ab vniuersalitate nationum, sed à plenitudine sacramentorum, id est, fidei, Catholici contra à communione nationum sumptum volebant, vt videbis in Aug. *libro tertio Collat. Carthagin. & in breuic. collat. lib.* 3. *& Epist.* 48. tandemque pro Catholicis pronuntiatum fuit, illisque vox illa fuit adiudicata, teste Optato *lib.* 1. *adu. Parmenian.* Aug. *in breuic. collat. lib.* 3. *tract.* 6. *in Ioann. & in psal.* 57. & denique *lib. de pastor. cap.* 13. inducit quærentem ab externo qui vult Basilicam intrare. *Quæris paganus sit, an Christianus? respondet Christianus, vnus est enim Dei; quærisne fortè Cathecumenus sit, & irruat Sacramentis? respondet fidelis. Quæris cuius communionis sit? responde Catholicus.*

5 4. Ad hanc vnionem siue communionem, quamuis aliqua quoad ritus & mores dissimularint. PP. quoad fidem tamen nihil vel vnicam Syllabam aut apicem mutari passi sunt. Vti testatur Basil. apud Theodoret. *libro quarto histo. capite* 19. Epiphan. apud Hieron. *libro tertio contra Ruffin.* & August. ipse *Epistol.* 119.

6 5. Non cum vno tantùm aliquo membro ex parte Ecclesiæ consentiendum est, sed cum omnibus, siue cum tota Ecclesia ad retinendum Catholici nomen, alioqui discinditur vnitas; vti asserunt Cyprian. *Ep. ad Puppian.* & August. *lib. de vnitate Ecclesiæ cap.* 4. *Collatio. Carthagin. parte,* 3. *cap.* 101. *& lib. de pastorib. cap.* 13.

Idcircò PP. ijdem inuehuntur tam acerbè in Schismaticos, quos priores hæreticis faciunt, & ne scindatur Ecclesia, omnia patienda esse suadent, martyriumque eam ob causam susceptum non minoris faciunt, quàm si pro tuenda fide illatum fuisset. Aug. *libro primo de Baptiz. cap.* 8. *& lib.* 2. *cap.* 6 *de gestis contra Emerit. Epist.* 48. *&* 204. *in psal.* 88. *lib.* 1. *contra aduersa. legis & prophetarum cap.* 17. *lib. de pastorib. cap.* 12. Fulgent. *lib. de remissie. peccator. capite* 22. *& lib. de fide ad Petr. Diacon. cap.* 39. Irenæ. *libro quarto contra hæres. capite* 62. Dionys. Alexand. apud Euseb. *lib.* 6. *histo.* Cyprian. *lib. de vnitate Eccles.* Pacian. *Epist.* 2. *ad Sympronia.* Chrysost. *hom.* 11. *in Epist. ad Ephesi.* Denique non modo cum vniuersa Ecclesia consentiendum est; seruandaque vnio sed etiam in omnibus, & non tantum circa aliqua, nam si vel in vno dissentiamus, iam Catholici esse desinimus, quod explicat Aug. *lib.* 1. *de baptism. cap.* 8. neque enim qui vel vna in parte lethaliter vulneratus est, mortem effugeret, etiamsi in reliquis Sanctissimus sit, & *psal.* 54. ostendit quàm sit inutilis consensio in pluribus, si vel in vno aliquo sit dissensio siue ad fidem internam, siue ad externam; neque cum aliis sectis ab Ecclesia Catholica diuulsis conueniendum est, alioquin reuera non consentimus Catholicæ Ecclesiæ, vti oporteret. Errata non sunt nisi apud illos ipsos hæreticos, qui ea obiiciunt; alias errata facti ab erroribus fidei non distinguuntur, sed per summam imperitiam confunduntur: alias sensa priuata Pontificum, quibus nullum accessit decretum, quo rem credendam toti Ecclesiæ proponerent, tanquam doctrina sedis Romanæ & Apostolicæ obtruduntur; cum exinde maxime appareat exquisita diuinæ prouidentiæ cura in tuenda Romana fide. Quandoquidem non est passus Christus eiusmodi Pontifices, quorum priuata sensa non satis fortasse cum fide congruebant, illa proponere Ecclesiæ, cum tamen singuli propriarum opinionum amantes & tenaces fuerint. Pseudo-Pontifices quoque pro veris Pontificibus nobis obtrudunt aduersarij, & eorum erroribus aspergunt non sine calumnia sedem, quam illi per summum nefas occupauerant. Aliàs ab schismaticis authoribus testimonia corrodunt, & quæ illi procaciter finxerunt, atque iampridem explosa sunt, iterum nauseantibus importune ingerunt. Denique imperitiâ rerum gestarum & veterum annalium ignoratione, aut tabescentis animi liuore peccant. Quare eorum calumnias eruditi omnes rident & despiciunt.



CAPVT III.

De Partibus Ecclesiæ.

QVÆST. I. *De diuersa Ecclesiæ in suas partes diuisione.*

QVÆST. II. *De partibus Ecclesiæ assignatis à sancto Paulo.*

QVÆST. III. *De partibus Ecclesiæ ex Doctrina Dionysij.*

QVÆST. IV. *De partitione Ecclesiæ ex sancto Thoma in varios status maximæ perfectionis & vitæ communis*

QVÆSTIO V. *De vulgari partitione Ecclesiæ in Clericos & laïcos.*

QVÆST. VI. *De Consideratione Ecclesiæ, vt spiritualis, simulque naturalis quædam Respublica est.*

HACTENVS Ecclesiam, eiusque formam constitutiuam considerauimus, nunc lustrandæ nobis sunt eius partes: totum enim quoddam heterogeneum Ecclesiam esse satis constat ex superioribus, indeque maxime Catholicam dici, quod ὅλως & totalitas quædam existat, neque ciuitatis, ædificij corporis, arcæ Noëticæ, militiæ, nauis, similiumque rerum cum ipsa comparationes Patribus vsitatæ absque multiplici partium diuersitate & consensione explicari possunt. Non polliceor tamen hoc loco accuratam singularem eiusmodi partium tractationem: illa enim longioris foret operæ & commodiores sedes occupabit alibi. Quare nobis satis fuerit in hoc Sionis prospectu & Sacrarum ædium vestibulo singula vno veluti oculorum coniectu designasse. Obseruandum porrò est Ecclesiam duobus modis spectari posse materialiter & formaliter, vt ita dicam. Primo modo consideratur, vt est quædam hominum congregatio ad finem naturalem & beatitatem temporalem ordinata, sicuti aliæ respublicæ & communitates. Secundò spectatur Ecclesia formaliter, siue vt Ecclesia est, hoc est cœtus quidam hominum, qui eadem fidei professione, & Sacramentorum participatione sub eodem visibili capite colligati tendũt ad salutem & beatitudinem supernaturalẽ per media congruentia; qua ratione Ecclesia spiritualis quædã, Sacra & supernaturalis respublica est. Hæc autem omnia designantur nomine Christianæ Ecclesiæ, quæ vt sic non est respublica,

aut

aut politia tantùm naturalis,etiamsi pro partibus materialibus, & veluti subiecto habeat communitatem naturalem & temporalem. De Ecclesia igitur formaliter sumpta, & vt Christiana est, siue spiritualis quædam respublica disputamus quidem toto hoc opere, quod sæpius monendum fuerit, sed maximè in hoc capite, quo diuersas eius partes inquirimus, quanquam de illa materialiter spectata, & vt hominum politice viuentium cætum supponit aut complectitur aliquid dicemus quæstione vltima.

QVÆSTIO PRIMA.

De multiplici distributione Ecclesiæ in suas partes.

Diuisio Ecclesiæ in modum arcæ Noëticæ minus commoda. n. 1.
Diuisio Ecclesiæ in bonos & malos. n. 2.
Diuisio Ecclesiæ in Angelicam & humanam reijcitur. n. 3.
Diuisio in beatam & peregrinantem reijcitur. n. 4.
Diuisio in veterem & Christianam. n. 5.
Partitio Ecclesiæ ratione loci. n. 6.
Diuisio Ecclesiæ ad instar ædificij. n. 7.
Ecclesia ad instar exercitus diuisio. n. 8.
Instar nauis. ibid.
Partitio Vualdensis, reijcitur. n. 9.
Diuisio & Vvicleffi reijcitur. n. 10.
Diuisio in Varios status. n. 11.
Alia diuisiones. n. 12. & 13.

ALiter atque aliter Ecclesiæ partes assignarunt tum veteres, tum recentiores, prout variè ipsam spectarunt.

1 Nam primò Felix. *Epist. 1. in principio.* Ecclesiam dixit *esse in arca modum quatuor mundi constructam lateribus atque imputribilium lignorum compage & bituminæ charitatis adstrictam vt nullius aduersitatis spiritus, nullius venientis extrinsecus tumoris fluctus perturbetur.* Quam eandem comparationem plutibus prosequutus est Hugo Victorinus *de arca Noe lib. 1. cap.* vbi varios ordines & status fidelium tanquam huius partes explicat in diuersis illius mansionibus, quas modo tres, modo quinque distinguit, & animales, carnales, spirituales, exutos à Corpore, atque demum resumptis Corporibus beatos designat : quæ diuisio nobis hoc loco commoda non est : quia æque singulis personis conuenit, atque ipsi toti Ecclesiæ, & minus accurata videtur.

2 Diuidunt aliis in bonos & malos ; electos & reprobos : quia in arca, cui comparat Ecclesiam Christus, frumentum & palea reperitur, & in regno Cœlorum Virgines fatuas vnà cum prudentibus agnouit idem Christus. Verùm de ista diuisione, aut de variis hisce partibus ac membris, & quomodo se se habeant cum Ecclesiæ corpore contra Donatistas & Vvicleffum, qui omnes næuos ab hoc corpore ablegabant, & solos prædestinatos in Ecclesia contineri contendebant, fusè disseruimus *capite primo quæst. 2. à n. 3.*

3 3. Partiuntur alij Ecclesiam in Angelicam & humanam, & sanè ad Cœlestis hierarchiæ exemplar Ecclesiasticam fuisse institutam à Christo, qui hominum & Angelorum caput est, sæpius monet Dionysius. Verùm de hac diuisione nos quoque egimus *capite primo cit. quæst. 1. Consect.* 1. & ipso initio huiusce libri reiecimus eiusmodi partitionem, cum definiuimus Ecclesiam Cœlum hominum ad fidem vocatorum. Sanè nostræ considerationis non est Angelorum Ecclesia, quæ non regitur iure Ecclesiastico cuius explicationem molimur hoc opere.

4. Eadem de causa non moramur hoc loco circa 4
vulgarem partitionem Ecclesiæ in beatam & peregrinantem, siuè, vt alij loquuntur militantem in terris, & patientem in purgatorio, de qua diximus *capite secundo quæst. 4. numero 11.* neque enim beata & patiens subduntur imperio Ecclesiastico, de quo sumus disputaturi : neque legibus eius tenentur ampliùs vita functi.

5. Ex diuersitate temporis partimur Ecclesiam 5
in veterem, quæ tum lege naturali, tum Mosaica regebatur ; & Christianam. Ex his enim coalescere vnam Ecclesiam, siue potius vnam, eandemque esse Ecclesiam ab ipsis Mundi Incunabulis, quamuis variis legibus temperata fuerit, diuersisque Sacramentis instructa, fusius documus. *quæst. 9. num. 12. cap. 2.* hoc autem loco de Christiana dumtaxat disputamus.

6. Ratione loci partitio Ecclesiæ in plures sin- 6
gulares, & veluti locales ac regionarias, ex quibus vniuersalis & Catholica consurgit, frequens admodum est. Quo sensu Ecclesiam Latinam & Græcam, Affricanam, Romanam, Alexandrinam, Constantinopolitanam, Gallicam, Hispanam dicimus. De qua diuisione plura alibi, cùm de singularum Diœcesεon partitione disputabimus, & agemus de Sacra iurisdictione. Vt enim Imperium Romanum in prouincias ac Diœceses ad facilius illius regimen distributum est ; ita etiam Ecclesia, quod eo loco monebimus ab ipsis eius incunabulis. Certè Paulus meminit collectarum, quæ fierent in Ecclesiis Galatiæ 1. *ad Corinth. cap. 16.* & ad easdem Ecclesias Galatiæ scribit *Epistola ad Galatas vt ex cap. 1.* constat : quia enim Galatia prouincia vna erat, non vrbs quædam singularis, vt Roma, Corinthus, & Thessalonica, idcirco salutat initio Ecclesias Galatiæ, non Ecclesias Romæ aut Corinthi aut Thessalonicæ, cùm ad Romanos, Corinthios, & Thessalonicenses scribit : quod obseruatunt Chrysostom. Theodoret. & Hieron.

7. Quia sanctus Paolus frequens est in ædificio 7
Ecclesiæ describendo, idcirco varias eius partes varij variè assignant ; omnes tamen consentiunt, duce Paulo, primarium fundamentum, præter quod aliud ponere non licet, esse Christum ; secundaria verò, & quæ primariò illi imitantur, esse Apostolos & Prophetas : omnes autem fideles superædificari, sed alius esse gemmeos aureos, alios ligneos, fæneos, & stipulaceos. Architectos autem & fabros esse prædicatores Euangelij : quæ omnia enucleatè prosequuti sumus *cap. 2. q. 9. consect. 2. toto.* Quare circa eam diuisionem immorandum non videtur amplius, præterquam quod ex illa habemus tantum duo genera partium. Fundamentum v. g. & patietes superextructos, qui varij quidem sunt, pro lapidum, ex quibus constant, diuersitate, sed ea non satis manifesta est ad partitionem, quam quærimus hoc loco. Vide quæ pluribus congerit Villalpand. *tom. 1. lib. 1. cap. 10.* in describendo Ecclesiæ templo ad instar Salomonici.

8. Quia Castrorum acies ordinata est Ecclesia, 8
& Chori Castrorum *Cant. 6.* Festos enim victoriæ plausus tanto ante iam occuparit vt apud Nicolaum Damascen. Spartani pugnabant coronati. ςι-

φαινομένοι : Varios huius facti exercitus ordines, totámque eam Militiam describunt Patres, cæterique deinceps eos sequuti. Sacramentum militare, quod priscis Quiritibus fuit totius principatus σεμνὸν μυστήριον apud Herodian. in solemni initiatione post ἀποτάγήν nouus, Christi miles dicebar, dum ad orientem versus iubebatur συντάξασθαι τῷ χριστῷ imprimitur & regius character, quem August. *lib. 1. contra Cresconi. cap.* 30. non propterea immutandum, vel improbandum esse dicit in homine si erroris sui veniam & militandi ordinem a Rege impetrauerit, quia eundem, quo sibi satellites congregaret desertor infixit. Docet nimirum August. hunc Characterem in Baptismo quoque ab hæreticis collato imprimis, pro veteri nimirum more, quo puncturis & stigmatis milites notabantur. Summus huius militiæ Imperator est Deus ipse, Dominus virtutum δυνάμεων, cuius militarem currum innumeræ mentes à corporis contagione secretæ veluti doryphori aut Celethi & pheleti quos occidentes & viuificantes exterminatores & admirabiles Hieronymus interpretatur, Dauidis latera cingunt. Princeps militiæ ἀρχιστράτηγος Christus est, ex Origen. & Hieronym. Petrus & Paul. duo sunt præcipui duces ὕπαρχοι appellat Pelusiota *lib. 2. Epist.* 5. Tribuni & Primipili sunt Episcopi, Centuriones parrochi, ministri sunt præsbyteri, & alij Clerici, qui etiam vnà cum Religiosis vices gerunt Prætorianorum, qui ornatu Persarum, merophoros, forma Antiochi ἴλιας, fortitudine Argyraspidas Alexandri facilè superant. Gregarij milites sunt laici omnes, quos tamen viros virtutis esse oportet, sacram panopliam, eximiámque armaturam omnibus absolutam partibus descripsit Paulus summus huius militiæ Tribunus, dixitque esse arma non carnalia, sed potentia à Deo ad destructionem ὀχυρωμάτων munitionum: illis insculptum est Dei nomen ad terrorem & ornamentum, Hebræorum more, quorum ingentes exercitus fusi sunt, quot es ex ipsorum scutis, animisque Augustum illud summi numinis nomen impietas deleuit: Inde enim Chaldæi paraphrasis *in cant. cap.* 6. querelæ: Exuerunt ornamentum armorum suorum, in quibus insculptum erat nomen magnum. Magna porrò animorum consensione pugnatur, cùm vexillarius sit charitas, quæ quamlibet virtutem in ordine suo & acie collocat: Edicta militaria sanctissima sunt, nullas pacis conditiones, ac ne inducias quidem esse posse; nullas ex principali rescripto ferias, aut vacationes admitti: nunquam sine armis militem videri Chrysost. homil. in Psal. 6. ἄσυλον στρατιώτην semper ex Laconum & Atheniensium iure arma splendida esse ὅπλα λαμπρὰ νομίζεσθαι nunquam itaque violanda aut dehonestanda esse. Mentem militarem, ac præliis deuotam nullis aliis cogitationibus occupandam esse: ea enim de causa militiam dixerunt expeditionem Maiores, vti monet Theodoric. apud Cassiodor. *lib. 5. Epist.* 17. sed nostri instituti non est hanc elegantem similitudinem fusius persequi: aliamque partitionem Ecclesiæ doctrinæ Methodus postulat.

Qua etiam de causa non moror in frequenti apud eosdem Patres nauis & Ecclesiæ comparatione. Vide Clem. *Epist. 5. ad Iacob. post initium.* Anacletum *Epist. 1. init.* August. *concion. 4. in Psal.* 103. *ad illum versum: Illuc naues commeabunt*, vti ipse legit Paulin. *Ep.* 4. Tertullian *lib. de Idololat. cap. vlt.* atque alios passim, dum procellosum huius sæculi mare, quod nauis Ecclesiæ feliciter enauigat, describunt, ipsaque traditio Apostolica iussit templa ædificari in modum nauis ναῦς ἀπὸ τοῦ ναοῦ, inquit Turrian. *lib. 2. pro Ep Pontific. cap.* 59. quia insulam significat: Prophetæ autem Ecclesias vocare solent; quia ex Cyrill. *in cap. 24. Isa.* in Mundo velut in mari positæ turbas eius sustinent. Sed templi & nauis comparationem, atque ministrorum Ecclesiæ cum Nauticis: vide apud Clem. *lib. 2. constit. cap.* 57. Quamuis verò varij varias huiusce nauigij partes describant; illis tamen partitionibus parum admodum iuuari possumus.

4. Vvaldens. *lib. 2. doctrinal. fidei art. 5. cap.* 10. con- 9
tra Vvicleff. qui scindere potius, quam diuidere voluit Ecclesiam cum illam *in militantes, gaudentes, & dormitione detentos* dissecuit, tres facit partes Ecclesiæ graduatim distinctas. In primo & summo gradu collocat electos, sed peccatores, & nisi per pœnitentiam resipiscant, reos gehennæ: In tertio flagitiosos vel hæreticos vel omnes perfectos flammæ perpetuæ: qui omnes quia habent eundem Dominum, eandem fidem aut idem Baptisma, vnam præsentem Ecclesiam componunt, quibus conueniunt tria illa cælestis scripturæ, Carmen, Lamentationes, & væ. Carmen primis, lamentationes peccatoribus, & væ præsciris. Eam tamen distributionem nuper exposuimus de bonis & malis eandem Ecclesiam componentibus, vnde post multa ex Aug. & aliis in hanc sententiam allata concludit *sap. cit.* Vvaldens. *Intra Ecclesiam Catholicam peregrinantem futuros diabolos* contineri; sed sicut sentinam in naui, corruptum membrum in corpore, aut maculam in globo lunari. In luna enim tres partes considerant; vna est à sole illuminata continuè & correspondet Ecclesiæ gloriosæ: alia illuminabilis in posterum, sed adhuc soli aduersa & Correspondet secundæ Ecclesiæ: Tertia habens Maculam & non delendam & quamuis remissè sublucida correspondet extremæ præscitorum Ecclesiæ & quamuis gratia sublucidæ: hæc porro tota distinctio partium Ecclesiæ, cum lateat, accommodata non est nostro instituto, vt vides.

10. Vvicleff. lib. de Christo & Antichristo *cap.* 5. 10
& lib. de veritate & Mendacio cap. 1. diuidit Ecclesiam in Clericos militantes, & operarios: Clerici instruunt, milites defendunt, Reliqui opera exercent. Hanc partitionem pluribus impugnat Vvaldens. *lib. 5. doctrin. art. 5. cap.* 12. tanquam inadæquatam & pro arbitrio factam.

11. Igitur ipse Vvaldens. diuidit in status præpo- 11
sitorum, continentium, & coniugatorum, secutus Gregor. *5. morali cap.* Vbi eos ait designari per tres filias Iob. Et apud Ezech. c. 14. per Noë. Dauid est Iob. de quibus ibi dicitur: *si fuerint tres viri isti in medio eius Noe, Daniel & Iob, ipsi liberabunt animas suas.* Per Noë enim Gregor. intelligit Præpositos: Per Daniëlem continentes, qui dum quæ mundi sunt, deserunt, despecta Babylone alta mente dominantur: per Iobum coniugatos qui de rebus Mundi, quas possident, dum pia opera faciunt, ad cælestem patriam tendunt. Eadem est Mens Bedæ *lib. 5. in Lucam cap.* 7. & Aug. *libro 2. qq. Euangelic. quæst.* 44. idem obseruat, additque Luc. 17. Eadem hominum genera significari per duos in lecto, duos molentes, & duos in agro, de quibus omnibus binis, singuli assumuntur, & singuli relinquuntur illa nocte: *Tria* inquit *hic genera hominum videntur significari: vnum eorum, qui otium & quietem eligunt, neque in negotiis sæcularibus, neque negotiis Ecclesiasticis occupati: quæ eorum quies lecti nomine significata est. Alterum eorum, qui in plebibus constituti reguntur à doctoribus agentes ea, quæ sunt huius sæculi, quos & fœminarum nomine significauit: quia consiliis, vt dixi, peritorum regi eas expedit. Et molentes dixit propter temporalium negotiorum orbem, atque circuitum. Quas tamen in vno molentes dixit, in quantum de*

ipsis

ipsis rebus & negotiis prebent vsibus Ecclesia. Tertium eorum, qui operantur in Ecclesiæ ministerio tanquam in agro Dei: de qua agricultura Apostolus loquitur: Dei sumus adiutores, Dei agricultura, Dei ædificatio estis. In singulis, autem illis generibus bina poni aduertit pro ratione virium, quibus tentationi ingruenti resistunt, aut cedunt. Vnde fit, vt alij relinquantur, alij assumantur. Et tandem concludit. *Nec puto esse alia genera hominum, quibus constat Ecclesia quam ista tria habentia binas differentias propter assumptionem & relictionem.* Vide eundem August. *in Psal.* 132. Fusius, vbi apertius hæc tria genera esse dicit Clericos, Monachos, & reliquos fideles. In singulis autem illis sunt bini: quia tam sunt Monachi falsi, quam & Clerici falsi & fideles falsi. Eadem diuisio est Rabani *cap.* 2. *instit. Monach.* & reliquis deinde solemnis: quamuis aliqui, vt Ambrof. Epist. ad Vercell. nomine continentium officia Clericorum, & Monachorum instituta complexus fuerit. De hac itaque partitione Ecclesiæ, vt pote commoda, & communi vsu recepta plura disputabimus *quæst.* 5.

12 12. Paulus sæpius diuidit Ecclesiam velut corpus in sua membra ratione diuersorum officiorum, de qua *quæst. seq.*

13 13. Dionys. partitur in hierarchizantes & hierarchizatos, siue in purgantes, illuminantes & perficientes. Atque in eos qui purgantur, illuminantur, & perficiuntur. De qua partitione fuse dicam *quæst.* 3.

14. Ad extremum S. Thom. Eumque sequuti Theologi diuidunt ratione statuum vitæ perfectionis & vitæ communis: quæ diuisio quia plurima continet disputanda, fusius paulò pertractanda est: quod *quæst.* 4. præstabimus.

QVÆSTIO II.

De variis Ecclesiæ partibus ex doctrina D. Pauli 1. *ad Corinth.* 12. *& ad Ephes.* 4.

Qua occasione Paulus de ordinibus Ecclesiasticis disputarit. n. 1.

Tria genera Charismatum ex Clem. explicantur & illustrantur. n. 2. & 3.

Quid sint apud Paulum ministrationes & operationes. n. 4.

Omnia charismata sunt ab eodem spiritu. n. 5.

Quis sit omnium donorum & charismatum finis. n. 6.

Enumeratio charismatum à Paulo & Ratio ipsorum numeri. n. 7. & 8.

Comparatio charismatum sanctificationum cum charismatis signorum. n. 9. & 10.

Subiectum charismatum signorum. n. 11.

De charismatis Dignitatum & ministeriorum. n. 12.

Illustratur Paul. 1. ad Timoth. 4. *noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyteri.* n. 13. & 14.

Quomodo ordinatio Episcoporum sit prophetia, ipsique Apostoli sint Prophetæ. n. 14.

Quinam sint Doctores numerati à Paulo tertio loco. n. 15.

Quid sint virtutes inter ministeria recensita à Paulo. n. 16.

Quod ministerium constituant apud Paulum gratia curationum. n. 17.

Quale ministerium faciant operationes. numero 18.

Quid sint Gubernationes apud Paulum. n. 19.

De dono linguarum. n. 20.

Explicatur Paul. ad Rom. cap. 12. ℣. 16. n. 21.

Explicatur Paul. ad Ephes. 4. ℣. 11. n. 22.

Quinam sint Euangelistæ à Paulo nominati. n. 23.

Quinam Pastores. n. 24.

Quomodo ex omnibus partibus à Paulo numeratis vna coalescat Ecclesia. n. 25.

Similitudo Corporis humani. ibid. & n. 26. 27. 28. 29. 30. & 31.

Verba Pauli ad Ephes. 4. ℣. 15. n. 31.

Verba Pauli 1. ad Corinth. 12. *Quomodo omnia membra Ecclesiæ sint vnus Christus.* n. 32.

Idem spiritus agit omnia membra. n. 33.

Quomodo fiat augmentum & perfectio corporis Ecclesiæ & omnium membrorum. n. 34. & 35.

NOn possumus meliùs quàm à D. Paulo Domus Dei, quæ Ecclesia est, partes discere, quando & vnus ex principibus illius fundamentis fuit, & illam ipse magna ex parte rexit, atque ordinauit. Quare quæ de diuersis Ecclesiæ partibus nobis tradidit, diligenter expendenda sunt. Cum Corinthij vanissima ambitione donum linguarum affectarent, & de illo, aliisque charismatibus magna contentione disputarent inter se, iure merito timuit Paulus, ne ex tam acri sententiarum ac iudiciorum dissensione geminum illud schisma γνώμης & ἀνοίας de quo Clem. *lib.* 6. *constit.* oriretur. Vt itaque tanto malo maturè occurreret prima sua ad ipsos Epist. *c.* 12. *v.* 13. & 14. de charismatũ distributione, de hierarchica vnione, & in ordinum Ecclesiasticorum, ac partium distinctione, & in vnum corpus coagmentatione disputauit. Neque enim potuit Efficacius insolentiam quorumdam compescere, vnioni, ac charitati cauere, inanemque illam Corinthiorum ostentationem coërcere, quàm si doceret omnia eiusmodi dona & charismata vnum, eumdemque authorem, à quo proficiscantur, habere, in vnum finem conspirare, vnamque Ecclesiam sicut multa membra vnum corpus conflare, omnia sibi mutuam inuicem operam præstare, & vnum quodque aliorum auxilio indigere, eum nullum plane sis sibi ipsi sufficiens αὐτάρχες. Quod si aliquod ex iis donis ambiendum esset, lectandum maximè esse charitatem, quod omnibus præstet; ipsamque prophetiam linguarum dono, quod tanti faciebant Corinthij pluribus anteferre. Vnum denique aliquod esse charisma omnibus excellentiùs, quod singulis fidelibus tribueretur. Vt vero facilius Pauli sensum assequaris. 1

2 Distinguenda sunt cum Clem. *lib.* 8. *constit. cap.* 1. tria genera Charismatum: Quædam enim pertinent ad cuiusque fidelis sanctificationem; alia vero

ad vtilitatem aliorum, maxime infidelium, quæ *χαρίσματα διὰ τῶν σημείων* signorum vocat Clemens. Alia vero sunt Magistratus & dignitates, siue gradus Ecclesiastici, vt Apostolatus, Episcopatus alijque huiusmodi. Idcirco eos, qui his gradibus donati sunt, vocat Clemens *τὰς ἀξιωθέντας τῶν χαρισμάτων ἢ ἀξιωμάτων*: quamquam vt aduertit Turrian. *lib. 1. de de ordinat. hierarch. cap. 5.* dignitates ad Ciuiles, Charismata ad Ecclesiasticos præpositos referre videatur. Hæc porro tria Charismata comprehendit Paulus nomine *τῶν πνευματικῶν* & de illis differit *cap. 12. 1. ad Corinth. citato.* Et primum quidem Charisma gratiæ sanctificantis, siue ad sanctitatem & vtilitatem sui subiecti destinatum explicat ipso initio, cum ait Corinthios quondam ad simulachra muta colenda abductos fuisse *πρὸς τὰ εἴδωλα τὰ ἄφωνα ἀπαγόμενοι* nunc autem conuersos ad Christum, cum tamen nemo diuino spiritu loquens dicat anathema Iesum, nemoque sine spiritu DEI eundem Iesum Dominum appellet. Vnde concludendum relinquit Corinthios cum Dominum agnoscant Iesum, relictis idolis, quæ prius adorabant, speciale Charisma accepisse. Accipe illustrem Pauli commentarium à Clem. loco cit. *Quippe,* inquit *cum nemo sit, qui per Christum in Deum crediderit, quin speciale charisma acceperit ἐπεὶ μὴ ἔστιν ἄνθρωπος πιστεύσας διὰ χριστοῦ εἰς τὸν θεὸν ὃς οὐκ ἔλαβε χάρισμα πνευματικόν.* Nam hoc ipsum ereptum fuisse ab impietate multos Deos colendi *πολυθέου ἀσεβείας* & credidisse Deo Patri per Christum, Charisma DEI est.

Quod idem de abiectione Iudaici velaminis, & liberatione ab hæresi affirmat. Idcirco explicatis iis, quæ de Christo credenda sunt, addit: quæ qui crediderit, & non vtcumque, neque inconsideratè, sed cum Iudicio & plenitodine, *οὐχ ἁπλῶς οὐδὲ ἀλόγως ἀλλὰ κρίσει καὶ πληροφορίᾳ* charisma à Deo accepit *χάρισμα εἴληφεν ἐκ θεοῦ.* enumerans præterea diuersa Dei charismata *διάφορα θεοῦ χαρίσματα* ab ipso per Christum donata. In illis recenset quidem *λόγον σοφίας ἢ γνώσεως ἢ διακρίσεως πνευμάτων, ἢ πρόγνωσιν τῶν μελλόντων, ἢ λόγον διδασκαλόν.* illis tamen addit *ἀνεξικακίαν, ἢ ἐγκράτειαν ἔννομον* malorum tolerantiam, & incontinentiam legitimam, quæ ad charismata signorum non pertinent, vt vides, sed ad gratiam, vt nos loquimur sanctificantem: quia tamen illud donum, & charisma, quamuis, vt iterum monebo, nobilissimum omnium sit, intus animo latet, neque cæterorum aduertit oculos, vti faciunt charismata signorum. Idcirco de istis tantum erat apud Corinthios contentio.

3 3. Hæc igitur charismata produnt se exteriùs visibili & sensibili quodam effectu extraordinario, qui est signum & argumentum inuisibilis spiritus accepti: idcirco à Paulo dicitur manifestario spiritus *ἡ φανέρωσις τοῦ πνεύματος.* vti etiam commentatur S. Thom. sicut pertinet ad gratiam sanctificantem, & ad primum genus charismatum, quod iam descripsimus, vt per illud spiritus Sanctus animam inhabitet: ita ad hæc charismata spectat, vt per illa spiritus sanctus manifestetur, sicut interior motus cordis per vocem: manifestatur autem vel vt inhabitans Ecclesiam, & eam docens, ac sanctificans: vel vt inhabitans illum ipsum, à quo fiunt hæc signa, & cui talia charismata conferuntur.

4 De his gratiis & charismatibus plurima tradit Paulus: primo enim ait esse *χαρίσματα διακονίας ἐνεργήματα*, dona, manifestationes & operationes; siue, vt vox ipsa sonat, inoperationes; quæ omnia Patres & Interpretes Græci confundunt, volúntque illis vocibus idem donum designari; Cum diuerso tamen respectu, à quo diuersa sortiatur nomina: Dona enim dicuntur ex Theodoreto & Photio apud Oecum. quia promanant à diuina munificentia, & gratuito donantur: Ministeria, quia interprete Theodoreto, dantur per ministerium hominum ad id destinatorum. Idcirco ipse Paulus monet Timotheum *epist. 2. cap. 1.* vt ministerium suum impleat & de se ipso ait ad Rom. se glorificare suum ministerium. At vero Photi. & Chrysost. dici putant ministeria: Quia dantur tantum ad ministerium, & obsequium aliorum. Operationes nominantur, quia diuina natura illa operatur & Theodoret. Hilari. vsurpat pro vsu & praxi ministeriorum, quæ est etiam mens Photij apud Oecumen. neque abnuit S Thom *in comm.* quamois Caietan. ad opera inhabitantis spiritus siue gratiæ sanctificantis ea referat. Sapienter autem aduertit S. Thom. ad hæc opera & signa, vt cum Clem. loquebamur, tria requirit, facultatem nimirum operandi, authoritatem, & ipsam executionem, siue operationem, facultas quidem datur per donum gratiæ, siue per charismata verbi gratia prophetiam, virtutem faciendi miracula &c. Authoritas habetur per ministerium puta Apostolatum, Episcopatum. Et demum sequitur ipsa actio siue operatio quæ est vsus alius facultatis & authoritatis, tria igitur illa significat Paulus per charismata, ministeria, & operationes. Existimarim ego nomen charismatis hic esse genericum quod omnia dona siue gratiæ sanctificantis, siue alia quæcumque designet: ministeria vero & *διακονίας* esse officia quædam vt dignitates, quibus rite peragendis hæc dona & charismata destinantur, vti amplius explicat Paulus *versu 28. & 29.* cum ait constitutos in Ecclesia Apostolos, Prophetas, Doctores, vbi explicabimus inferiùs cum agemus de tertio genere charismatum cum Clemente. operationes autem & *ἐνεργήματα* sunt effectiones Miraculorũ. Quas ✠. 10. vocat *ἐνεργήματα δυνάμεων.* Itaque charismata ponuntur loco generis, & quodlibet donum significant, quod fit ministerio Spiritus sancti. Ministeria vero & operationes sunt species. *διακονίαι* quidem sunt varia officia hierarchica vt Apostolatus, Episcopatus, Doctoratus & similia, quæ Paulus ipse enumerat vt dicemus. *ἐνεργήματα* siue inoperationes continent omnia opera extraordinaria, quæ nomine signorum comprehendebat Clemens. Quia enim non tam fiunt ab homine, quam ab spiritu insidente, & hominem possidente. Dicuntur operationes & *ἐνεργήματα.* Diuidit autem Paulus charismata in ministeria & signorum operationes, atque ita habemus triplex illud genus donorum siue charismatum, quod referebamus initio ex Clem. non displicet etiam quod alij volunt recenseri à Paulo primo loco dona cuiusmodi sunt cognitio, sapientia, fides, aliaque quæ magis interna sunt: deinde ministeria, quæ sunt prophetiæ declarationes, sermo sapientiæ. Denique operationes duorum nimirum illorum charismatum & donorum vsus & actiones, quarum aliæ sunt internæ, quas spiritus inoperatur, quod significatur ✠. 6. aliæ sunt caeternæ, quibus manifestatur spiritus inhabitans & operans ✠. 7.

Omnia charismata sunt ab eodem spiritu.

Docet 2. Paulus hæc omnia Charismata siue ministeria siue operationes sint, siue dona quædam interna ab vno eodemque Authore proficisci, & diuidi pro arbitrio ✠. 4. 5. & 6. *diuisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus: & diuisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus: & diuisiones operationum sunt, idem verò DEVS, qui operatur omnia in omnibus.* Quibus 5

bus verbis significat Paulus donorum istorum fontem & largitorem esse Trinitatem, Spiritum nimirum sanctum, Dominum, & Deum, id est, filium & patrem. Quod Theodoret. & Theophylact. obseruant. Ita vt gratias tribuat Spiritui sancto Ecclesiæ sponso & gubernatori, cui tribuitur omnis effusio bonitatis: ministeria verò Christo, qui primus omnium Diaconorum author & forma existit: venit enim ministrare, non ministrari: operationes Patri, cui potentia tribuitur, & qui omnia operatur vt prima causa, vel dic cum Oecumen. Authorem omnium istorum donorum dici Spiritum sanctum, qui idem sit Devs, ac Dominus, siue quia per hæc omnia ministeria & charismata eidem Domino seruimus, & nihil operamur nisi virtute Dei in nobis inoperantis, cum ne aliæ quidé causæ etiam naturales, quidquam efficiant, sine primæ illius causæ concursu: Devs enim inoperatur *ἐνέργει* omnia in omnibus, siue quia cum sit Devs & Dominus liber est in dispertiendis suis donis & potens in operando. Denique voluit Paulus interprete sancto Thoma excludere Ethnicorum errores, qui diuersis Diis diuersa dona tribuebant. Imo inde maximè ortum polytheismum, quod iis viris, à quibus insigne aliquod beneficium accepissent, aras & templa excitarint, notat Clem. Alexand. sanè Deorum illorum imperia certis finibus descripta fuisse certum est. Docet vero Paulus Corinthios omnia dona maxime spiritualia ab vno, eodémque authore proficisci.

Quis sit finis omnium charismatum.

6 Tertio finem horum omnium charismatum, ministeriorum & operationum assignat Paulus ℣. 7. *vnicuique datur manifestatio spiritus ad vtilitatem, πρὸς τὸ συμφέρον* ad id quod expedit, quam vtilitatem non priuatam, donum & charisma accipientis, sed communem interpretatur S. Thom. quia vel illis signis probatur, stabilitúrque *vera doctrina Ecclesiæ, atque ita fideles confirmantur, & infideles conuertuntur, vel alicuius sanctitas in exemplum proponitur.* Eadémque est cæterorum interpretum mens. Verum cum Paulus absolutè dixerit has manifestationes spiritus fieri ad vtilitatem, neque priuatam aut communem designauit, videtur mihi imprimis voluisse docere Corinthios hæc charismata, quæ ipsi vsque adeò ambiebant, non dari ad vanam quandam ostentationem aut gloriam, siue ad concitandam in cæterorum animis sui admirationem, sed ad vtilitatem tum publicam imprimis Ecclesiæ; tum priuatam ipsorum charismata eiusmodi accipientium, & per illa operantium, vti aduertit Ioann. Hetux. *comment. Anselmo tribute: sibi & aliis,* inquit, *ex accepto dono prodest, dum vitam suam bene gubernans exemplum bonæ conuersationis ostendit, vel etiam voce prædicat*, quod ex Pseudo-Ambros. siue Pelagij interpretatione sumptum videtur. *Hic enim donum accipit, vt diuinis retinaculis vitam suam gubernans, & sibi & aliis vtilis sit, dum exemplum bonæ conuersationis ostendit.* Neque dubium esse potest, quin hæc liberalis acceptio charismatum, quibus aliquis aliorum salutem procurat & promouet magno ipsi incitamento sit, ne suam turpiter negligat; ne dum aliis prædicauerit, ipse reprobus efficiatur; & dum vniuersum lucratur, suæ detrimentum patiatur animæ, sibi nequam, aliis bonus. Addo tamen, ne à communi interpretum sensu discedere videar, in hac manifestatione spiritus primo & per se intendi vtilitatem Ecclesiæ, & bonum totius corporis. Vt enim in humano corpore, quo simili vtitur hoc loco Paulus, quædam sunt facultates, quæ toti corpori laborant; aliæ quæ sibi ipsis: ita in Ecclesia consentaneum fuit dari quasdam partes, quæ toti Ecclesiæ inuigilarent, quod fit per hæc dona & charismata, quibus ad fidem & Ecclesiam alij adducuntur, aut in illa continentur, vt ex ipsorum natura, quam statim paucis aperiam, liquidò constat, & idcirco dicuntur *manifestationes spiritus*, nimirum habitantis in Ecclesia, & in illa operantis. Sicut autem partes humani corporis dum toti corpori laborant, sibi etiam ipsis laborant, quia de bono communi gaudēt, & vix illud promouere possunt, nisi suum priuatū procurent, atque se ipsas sanas, integrásque præstent, cum ex ipsarū constitutione & temperie operandi facultas fere pendeat: Ita qui per charismata, tū signorū, tum ministeriorum bonum Ecclesiæ curant, sibi ipsis non desunt, si sapiūt, idque etiam intendit ille spiritus, cuius illa charismata sunt manifestationes. Ideóque dixit absolutè & simpliciter Paulus dari has manifestationes spiritus per signa visibilia *πρὸς τὸ συμφέρον* ad id, quod expedit tum accipienti, tum aliis. Quia vero alia dona & charismata, neque per signa visibilia manifestant inhabitantem & inoperantem spiritum, neque aliud spectant, quam sanctitatem eius, cui donantur, fit, vt ratione finis ista charismata distinguant Theologi, & gratias gratis datas à sanctificante separent. Cum enim charismatum, & vt vocat Paulus *τῶν πνευματικῶν*, siue totius gratiæ finis sit reductio hominis in Devm, inquit S. Thom. 1. 2 *q. 3. art. 1.* debet ea reductio quodam ordine fieri & quædam immediatè Deo coniungi, quædam per alia in Devm reuocari. Hic siquidem est solemnis ordo diuinæ prouidentiæ, quod pridem obseruauit Dionys. per gratias sanctificantes singuli Deo coniunguntur immediatè, vel formaliter, vel dispositiuè, vel proximè, vel remotè: siue potiùs vel inchoatiuè, vel perfectè: per gratias gratis datas aliqui vocant alios ad Devm, atque ad immediatam illam coniunctionem & sanctitatem adducunt. Cum itaque hæc dona ex sua natura tendant in salutem aliorum procurandam, alia ad sanctitatem suis subiectis conferendam, quámque ipsa formaliter se ipsis conferunt, iure dicuntur penes fines intrinsecos differre inter se, sicut forma, quæ non reddit operatiuum suum subiectum operatione transeunte differt ab illa, quæ vel illud non reddit operatiuum, vel non nisi operatione immanenti: quæ forma dici posset dari ad vtilitatem sui subiecti, non alicuius extrinseci.

Enumeratio charismatum & ratio numeri ipsorum.

Quartò Paulus ista charismata sigillatim recenset 7 & nouem facit, cuius numeri rationem reddit S. Thom. 1. 2 *q. 3. art. 4.* Gratia gratis data ordinatur, vt vnus alterum reducat ad Deum, siue ad fidem persuadendam. Idcirco Theodoret. *in comment. huius cap. 12. 1. ad Corinth.* Fidei pignora appellauit ista charismata, quibus proinde contineri debent omnia, quæ necessaria sunt, vt quis alterum in diuinis instruat. Et primò quidem habere debet plenitudinem cognitionis rerum diuinarum, quæ cognitio complectitur certitudinem principiorum & conclusionum: ita vt neque in principiis suæ doctrinæ fallatur magister, neque in eruendis conclusionibus ex principiis positis erret, quod in magisterio humano experimur: quia vero principia à priori probari non possunt, alioquin prima ipsa non essent, inductione & exemplis singularibus ostendi debent, atque per varios effectus, quorum causæ sunt, demonstrari: porrò certitudinem principiorum fides suppeditat, deductionis legitimam conclusionem sermo sapientiæ, exempla singularia & effectus sermo scientiæ. Secundo debet Doctor posse

probare & confirmare quæ docet, alioquin suam doctrinam minime persuadebit. Hæc vero confirmatio in humanis, quæ ex solo ratiocinio naturali pendent, per varias argumentationes comparatur: in diuinis autem, quæ & rationem naturalem excedunt, ex sola Dei reuelantis authoritate, atque infallibilitate sciuntur, confirmatio fit per insignia quædam opera diuinæ virtuti propria, atque certa, indubitataque Dei reuelantis & loquentis indicia, cuiusmodi fiunt primo operando quæ solus Deus potest siue in vtilitatem corporum per gratiam sanitatum, siue in aliis rebus vniuersi per operationem virtutum. Secundo manifestando quæ solus Deus scire potest siue ea sint futura contingentia per prophetiam, siue arcana cordium per discretionem spirituum. Tertio debet doctor sua sensa accommodatè auditoribus explicare, tum loquendo idioma quod intelligant, ad quod dantur genera linguarum, tum tradendo res auditorum ingenio attemperatas, quod fit per interpretationem sermonum. Posset quoque paucioribus colligi hic numerus. Cum enim dentur hæc charismata, vti iam monui, ad aliorum vtilitatem, vt ait Clem. *lib. 8. constit. cap.* 1. vt qui non credunt, ad credendum adducantur, pertinent omnia ad conuenientem fidei expositionem, vel ad eiusdem confirmationem: ad primum spectant quinque, nimirum. Primo fides, quæ non significat habitum illum, aut actum supernaturalem, quo ipsi credimus, sed est singularis quædam in Spiritu sancto facultas ad fidei res docendas etiam ad rudium captum. Secundo sermo scientiæ, nempe facilitas ex eiusdem Spiritus sancti dono ad fidei res explicandas per varias causas inferiorum effectuum, & similitudines. Tertio sermo sapientiæ idem omnino præstans per superiores causas, effectus & similitudines. Quarto donum linguarum ad eandem explicationem confert. Et quinto interpretatio sermonum accuratior videlicet, explicatio diuinorum eloquiorum, præsertim ex linguarum proprietatibus & translationibus. Ad confirmationem fidei faciunt gratia sanitatum & operatio virtutum quæ est excellentiorum quorundam miraculorum effectio: adde futurorum cognitionem, siue prophetiam & arcanorum manifestationem per spirituum discretionem: iis enim omnibus maxime tradita fidei doctrina stabilitur, eiúsque veritas credibilis fit infidelibus, vnde & ea argumenta dicuntur euidentiam credibilitatis ingenerare.

Hæ tamen congruentiæ non ostendunt non posse minui aut ampliari hunc numerum. Nam S. Thom. 2. 2. reuocat omnes ad quatuor; prophetiam nimirum, in qua est discretio spirituum; gratiam sermonis in qua comprehendit sermonem sapientiæ, sermonem scientiæ & fidem: gratiam miraculorum, quæ gratiam sanitatum, & virtutum operationem complectitur. Et denique donum linguarum, in quo habentur genera linguarum & interpretatio sermonum. Posset quoque augeri hic numerus & illis charismatibus accenseri quædam alia, quæ dantur in vtilitatem Ecclesiæ vt character ordinis, potestas iurisdictionis, & quædam alia quod aduertit Suar. *prolegom 3. de gratia, cap. 5. n. 63*, verum ea malumus cum Paulo ad tertium quoddam genus charismatum interpret. Clem. initio adducto reiicere. Non placet verò singulas istas gratias quas pingui tantum minerua descripsimus, accuratiùs explicare: id enim à nobis præstitum fuit 2. 2. neque ad nostrum institutum modo necessarium est.

Comparatio charismatum inuicem.

8 Quinto Paulus hæc charismata inter se comparat, hortatúrque Corinthios vt æmulentur charismata meliora τὰ κρείττονα, & viam superexcellentiorem καθ' ὑπερβολὴν ὁδὸν illis demonstrat. Hac excellentior via est charitas, cuius nobilitatem describit *cap.* 13. eámque omnibus aliis charismatis, quæ signorum appellamus, & gratias gratis datas nominant Theologi, præfert primò ratione necessitatis, quia sine charitate alia dona gratuita inutilia sunt ea habenti; & plerumque nocent, quod inductione ostendit Paulus. Secundo ratione effectuum charitatis & vtilitatis ipsius, cum per eam omnia bona perficiantur & mala vitentur: quod enumeratione, quindecim effectorum aut proprietatum charitatis manifestum facit. Tertio ratione permanentiæ: illa enim vna nunquam excidit. Cum vero charitas sit gratia sanctificans, aut necessariam cum ea coniunctionem habeat, colligunt iure merito Theologi ex mente Pauli gratias omnes sanctificantes perfectiores esse gratiis gratis datis: quod etiam asseruit S. August. *q. 79. ex* 83. & probat S. Thom. 1. 2. *q. 3. art. 5.* quia gratia gratum faciens immediatè nos coniungit summo bono & fini vltimo, cum gratiæ gratis datæ solum disponant ad quædam *præparatoria* finis vltimi, vt in miraculis prophetia, & in aliis huiusmodi perspicuum fit. Hæc enim omnia non causant coniunctionem immediatam cum vltimo fine; aut in eo, qui his donis præditus est, aut in aliis; sed tantum, vt dixi, disponunt. Ineptè vero aliqui inde nobiliores putant has gratias, quod transeunter quodammodo operentur, & illustrior sit illa lux, quæ ita suum subiectum illuminat, vt alia quoque illustrare possit. Nam si hæc charismata tunc in subiectis propriis, tum in alienis sanctitatem producerent, nobiliora multò forent reliquis omnibus: id autem neutiquam præstant, ad eámque tantum sanctitatem remotè disponunt: & quamuis bonum commune totius Ecclesiæ, quod priuato anteponendum est, respiciant; bonum tamen per essentiam, cuius immediata veluti participatio est gratia gratum faciens, est multo nobilius bono communi. Adde cum Suar. *prolegom. 3. de gratia, cap. 4 num. 20.* omnia dona, quæ collocantur sub gratiis gratis datis esse imperfectiora in genere moris iis, quæ sub gratia sanctificante continentur, quamuis fortassis aliqua sint nobiliora in genere entis: quia vti iam dixi ex fine intrinseco alia ad vnionem animæ cum Deo immediatè tendunt, alia remotè tantum; immò ista proximè ordinantur ad gratiam gratum facientem, quod facilè per singula discurrenti constabit, cum ferè ad fidei comparationem & manifestationem pertineant. Quæ vero de nobilitate gratiæ gratum facientis cum gratiis gratis collatis diximus, ita intelligenda sunt, vt non modo charismata signorum, sed etiam dignitatum & ministeriorum comprehendant, quod ducet euidentissima ratio, voluitque omnino Paulus, qui post recensitum duplex illud genus charismatum hortatur ad æmulanda charismata meliora, & superexcellentiorem viam demonstrat *cap.* 12. quam *cap.* 13. ait esse charitatem, quam sectandam esse docet, & spiritualia æmulanda, Διώκετε τὴν ἀγάπην, ζηλοῦτε τὰ πνευματικά.

Vbi Paulus charismata signorum & dignitatum, siue ministeriorum cum spiritualibus, siue cum charismatibus sanctificantibus & charitatis comparauit *cap.* 13. deinde 14. ipsamet signorum charismata inter sese componit, & prophetiam cæteris præfert, contra quam sentirent Corinthij, qui donum linguarum maximè ambiebant. Docet etiam modum vtendi dono linguarum in Ecclesia. 9

Subiectum charismatum.

Sextò. Denique tradit Paulus hæc omnia charismata 10

mata signntum esse quadamtenus in umnibus Christianis quatenus omnes sunt vnum corpus, vniusque corporis membra *cap.* 12. ℣. 12. & 27. non tamen sunt omnia in singulis per se spectatis, vt experimur ℣. 28. & 29. Quia in eodem corpore diuersa sunt membra quæ non habent eundem actum.

De charismatis dignitatum & ministeriorum.

21 Tertium genus charismarum dicebamus esse dignitatum, potestatis & ministeriorum cum Clem. eorúmque meminit Paulus illo *cap.* 12. ℣. 28. vbi post allatam corporis ex variis membris coalescentis similitudinem addit. *Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primum Apostolos, secundum Prophetas, tertio Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum.* His verbis enumerat Paulus vt vides, varia corporis membra, tum maioris, tum minoris dignitatis, sumitúrque tota ista diuisio ex varietate ministeriorum & officiorum. Et primo quidem loco collocat Apostolos, tum primos illos duodecim Ecclesiasticæ Hierarchiæ duces, quos Christus, vt ait Clem. ἀμέσως immediatè ordinauit, tum alios, quos Spiritus sanctus per Ecclesiam constituit, vt Silam & Barnabam, tum qui ipsis successere in Ecclesia, quos Turrian. *lib.* 1. *de Hierarch. ordinationibus*, *cap.* 6. existimat esse Primates, Patriarchas, Archiepiscopos, & Metropolitanos. Apostolatum porrò esse charisma non modo innuit hoc loco Paulus, sed alibi sæpius declarat, tum suum Apostolatum donum gratiæ Dei vocat & misericordiam *ad Ephes.* 3. & 2. *ad Corinth.* 4. quia nimirum illum accepit sine vllis meritis bonis imo cum multis meritis malis vti loquitur August. *lib. de gratia, & lib. arbit. cap.* 6. Ad Apostolos porro tria pertinent, quod obseruat S. Thom *in comm.* Authoritas nimirum regendi Ecclesiam, facultas docendi & potestas miraculorum ad suæ doctrinæ confirmationem.

Illustratur Paul. 1. *ad Timoth.* 4.

22 Secundo loco recenset Paulus Prophetas, qui nempè diuino instinctu & reuelatione diuina cognoscunt quales & in nouo, & in veteri Testamento plures fuerunt, quamquam & Propheriæ vox plurima significet, idcirco Turrian. *cap. cit.* his designati vult Episcopos, qui ex Clem *lib.* 2. constituti sunt Prophetæ populorum. Et sanè conseruationem Episcopi vocauit Paulus ipse Prophetiam 1. *ad Timoth.* 4. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per Prophetiam cum impositione manuum Presbyteri*, quibus verbis Paulus ita agit de ordinatione & consecratione Timothei, vt de omnibus quoque Episcopis loquatur: illi enim iisdem monitis, quibus Timotheum vrgebat Paulus, indigent siue probi, siue improbi sint; ne videlicet negligant gratiam sibi in sua ordinatione collatam, & ea vtantur, sed singula verba Pauli expendenda sunt: Imprimis gratiæ vocem pro gratia sanctificante accipit Bellarmin *lib.* 2. *de Sacram. cap.* 3. & *lib.* 1. *de ordine*, *cap.* 2. quæ datur per impositionem manuum. Nomine autem χειροτονίας, aut χειροθεσίας intelligi ordinationem in sacrum ministerium, certum est. Hæc igitur gratia, quæ data fuit Timotheo per suam consecrationem, & in ipso est, est gratia sanctificans: quod confirmatur ex *epist.* 2. *ad eundem Timoth. cap.* 1. vbi monet ipsum Paul. resuscitare gratiam Dei, quam suarum manuum impositione accepit, Græcè est, *ἀναζωπυρεῖν τὸ χάρισμα τοῦ Θεοῦ*, est autem ἀναζωπυρεῖν ignem non quidem extinctum sed sopitum, atque cineribus obrutum denuo excitare. Quænam vero est illa gratia, quam instar sacræ flammæ Deus in hominum animis accendit nisi gratia sanctificans? verum cum Apostolis hanc gratiam, cuius neglectum prohibet Paul. & exsuscitationem imperat, dicat esse in Timotheo, & dari in eius ordinatione, *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi.* Necessario loquitur de gratia, quæ & semper per ordinationem confertur, cuilibet Episcopo, & in eo semper manet; alioquin non negligeretur, neque suscitaretur ille ignis, si iam extinctus esset. Agit itaque de aliqua gratia, quæ negligi quidem & sopiri possit non exercendo, aut malè exercendo, non tamen amitti, aut prorsus extingui. Nomine igitur gratiæ & charismatis, qua voce vtitur perpetuo Paulus, intelligit charisma sacerdotale Episcopi, quod & Dei donum est, & amplius non tollitur, manétque etiam in improbis. Ita Oecumen. *in comment.* & Turrian. *lib.* 1. *de sacris ordinibus, cap.* 18. & 19. Qui tamen sapienter aduertit inde benè colligere posse Theologos gratiam sanctificantem conferri in ordinatione: quia charisma illud potestatis & dignitatis Episcopalis non modo negligitur quando vel non exercetur, vel non dignè Deo exercetur; sed etiam quando indignè Deo suscipitur: quod fit ab eo, qui minimè Deo gratus & acceptus est, & quem conscientia reprehendit, illud suscipit. Dignè vero suscipiens hoc charisma ordinationis Hierarchicæ, à Deo remuneratur maiore & noua gratia: quæ omnia ἐκ τῶν ῥητῶν ex verbo Dei expresso concludi à Theologis, & ex principiis ῥητοῖς siue expressè scriptis deduci, quamuis non sint διεξοδικῶς fusè & explicatè in scripturis, & ab Apostolis tradita, nemo non videt. Nihil quoque prohibet hoc charisma interpretari de Charactere indelebili, quem ordinationis Hierarchicæ sacramentum imprimit. Loquitur enim Paulus de eo genere charismatum & gratiarum, quæ postquam datæ sunt, culpa nostra amitti non possunt; alioquin non diceret: noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi: si enim amitteretur ea gratia, dicere quidem posset: noli negligere gratiam, quæ data est tibi; non vero, quæ in te est, & sanè hanc charismatis sacerdotalis gratiam fixam esse, & iure merito à Theologis characterem dici, inde constat quod cum per ordinationem Hierarchicam quis sanctificetur & consecretur Deo, atque ei separetur, quod semel ita consecratum & separatum est, non potest non semper esse cõsecratum & separatum: sicut quia per Baptismũ sanctificamur in sortem Sanctorum, & in ordinem Christianorum, atque vt ait Dionys. ἱερᾷ τάξει adscribimur & per confirmationem in ordinem confirmantium professionẽ fidei: Ideo per hæc sacramenta imprimitur à Deo signum spirituale in anima, quod est quædam diuini luminis, ac gratiæ participatio, illúdque signum amplius deleri non potest, cum sit fundamentum in sanctificatione & consecratione Deo facta, quæ non potest mutari. Cum igitur hæc gratia sit semper in ordinato, sanctificans non est: & cum sit signum potestatis moralis per ordinationem Sacram collatæ, vel ipsamet potestas per characterem illum collata, vel ad eius vsum: hortatur Paulus, ne aut negligatur, aut veluti sopiatur per non vsum, aut malum vsum. Itaque hæc gratia Sacerdotis pro variis respectibus diuersa sortitur nomina: quatenus enim donum est ad vtilitatem Ecclesiæ datum, dicitur charisma: quia vero datur ad consummationem Sanctorum in opus ministerij *ad Ephes.* 4. vti inferius explicabimus, dicitur potestas: quia tolli nequit & est gratia quædam fixa & immobilis dicitur habitus, siue donum spirituale: quia distinguit ab iis omnibus, qui sacræ militiæ & Clero adscripti non sunt, dicitur character: quia denique in Ecclesiastica Hierarchia constituit, dicitur ordo.

Hanc

13 Hanc vero gratiam dari dixit Paulus per Prophetiam cum impositione manuum Presbyteri *διὰ προφητείας μετὰ ἐπιθέσεως τῶν χειρῶν τοῦ πρεσβυτερίου*, vbi prophetia nequit significare diuinam reuelationem, aut prædictionem, ex qua fuerit Timotheus in Episcopum consecratus, vti vulgo volunt Interpretes: quia vt iam monui, hæc Pauli verba & exhortatio omnibus Episcopis conueniunt, cum tamen omnes non fuerint diuina reuelatione & prædictione prophetica ad illud ministerium euocati.

Indéque fingere quis posset neminem verum Episcopum esse, nisi quem constaret ex diuina inspiratione & prophetia fuisse vocatum vti de Nicolao, Ambrosio & quibusdam aliis produnt annales Ecclesiastici. Deinde inepta omnino erit ista verborum connexio. Cum illud cum impositione manuum non iungatur proximè cum data est, sed cum prophetia, ita vt significet gratiam datam esse per prophetiam & impositionem manuum; nempe quia tum prophetia, tum impositio manuum Episcopum consecrat: sicut si quis dicat: Doctoratus datur per Promotoris vocem cum impositione pilei, annuli & cæterorum insignium: ille omnino significabit Promotoris verba, & istam insignium impositionem per modum eiusdem causæ moralis conferre Doctoratum, & vox *διά*, qua vtitur Paulus; causam & efficientiam significat. Itaque sensus est: Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per prophetiam & impositionem manuum. Quibus verbis denotantur duæ veluti partes consecrationis Episcopalis, quod aperrè exprimitur in textu Syriaco: *Quæ data est*, inquit, *tibi in prophetia & impositione manuum*. Est igitur prophetia pars consecrationis Episcopalis ex Paulo, & sanè ex Clem. *lib. 8. constitut.* & Dionys. *cap. 5. de Ecclesiast. Hierarch.* dum Episcopus diuinis apprecationibus consecratur, *ἐπικειμένας* habet supra caput diuinas scripturas, & manum pontificiam sibi impositam *τὰ θεοπαράδοτα λόγια καὶ τὴν ἱεραρχικὴν χεῖρα*. En tibi prophetiam manuum impositionem: quid enim hæc impositio diuinarum scripturarum *λογίων ἱερωτάτων ἐπίθεσις* prophetia quædam sit: quandoquidem interprete Dionysio significat Pontificem omnium sacroprincipalium eloquiorum, & operationum *ἱεραρχικῶν ἱερολογιῶν καὶ ἱερουργιῶν*, veritatem & diuinitus traditam scientiam non tantum per illustrationem accepturum esse, *ἐλλαμφθησόμενον*, sed etiam in alios pro cuiusque ad res sacras capacitate transfusurum, & perfectissima quæque Pontificatus munia perfecturum *τελεσιουργήσοντα ἁπάσας τὰς τῆς ὅλης ἱεραρχίας τελεσιουργικωτάτας* ex diuinissimi scientiis *θεοτάταις γνώσεσι*, & sublimissimis anagogiis, *καὶ ἀκροτάταις ἀναγωγαῖς*, quam etiam sacram scientiam & illustrationem significarunt dispertitæ linguæ, quæ insederunt Apostolis, vti veteres Patres exponunt. Annon igitur hic est eximia prophetia? Quamquam magis placeat hoc nomine designari à Paulo *ἐπίκλησιν παναγεστάτην*, vti eo loco vocat Dionysius sacram precationem siue formulam illam verborum, quibus vnà cum manus impositione fit consecratio, quæ prophetia dici potest: quia per illam ostenditur *ἐνεργῶς* efficaciter ministrum à Deo ordinatum esse: Immo Dionys. ait illa formula & verbis consecratoriis, quæ adhibebantur, significari, quod consecrator *ἱεροτελεστὴς* est interpres diuinæ electionis *ἐκφαντορικός ἐστι τῆς θεαρχικῆς ἐκλογῆς*, & quod diuino afflatu regitur *ὑπὸ Θεοῦ κινούμενος* in Hierarchicis ordinationibus, quod ostendit in Mose diuino instinctu Aaronem consecrante, in Christo consecrante Apostolos, & in Apostolis Matthiam, deinde eligentibus. Sacræ igitur illæ innocationes, & preces consecratoriæ, quas Dionysius *ἱερὰς ἐπικλήσεις ἱερο-ποιὰς* vocat, Prophetiæ quædam sunt: ita vt Episcopi non modo Prophetæ dicantur ratione suæ consecrationis, sed etiam quia ipsi omnem consecrationem perficiunt, omnémque ordinationem Hierarchicam, non *αὐτοκίνητος* à se ipsis excitati, sed à Deo moti. Inde lucem accipient eiusdem Pauli verba ad eundem Timoth. *epist. 1. cap. 1. v. 19. Hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee, secundum præcedentes in te prophetias, vt milites in illis bonam militiam.* Quæ prophetiæ debent ad istam militiam pertinere, quandoquidem in illis militandum est. Quænam igitur sunt, amabo, istæ prophetiæ? Sanè non aliæ, quàm *ἱερὰς ἐπικλήσεις* sacræ innocationes, quibus perficiuntur ordinationes sacrorum ministrorum, qui & milites, eorúmque ministerium militia dicitur à Patribus consentaneè Paulo. Quia verò Episcopus per omnes inferiores sua ministeria operatur ex Dionys. *cap. 5. de Eccles. Hierarch.* id est, interprete Maximo omnia sacra, quæ fiunt in Ecclesia pertinent ad Episcopum, qui omnia per ministros, quibus potestatem contulit, operatur, bonam militiam militat in omnibus ordinibus & prophetiis, dum facit, vt omnes ministri inferiores in suo ordine bene ministrent: eorum enim ministeria siue bona, siue mala Episcopo tribuuntur. Denique cum ad Episcopum pertineat iudicare, interpretari & consecrare, quæ, vti ostendimus, sunt quædam prophetiæ genera, in quibus opera Hierarchica consistunt, vult Paulus illum bonam militiam militare in prophetiis omnibus. Ex quibus tandem probatum manet appositè per Prophetas, quos secundo loco in Ecclesia constitutos esse dixit Paulus, intelligi Episcopos, qui saltem ex commentario nomine Ambrosij *in cap. 4. ad Ephes.* propter reseratum & occultum scripturarum sensum Prophetæ dici possunt.

Numerat tertio loco Paulus Doctores, quo nomine 14
intelligunt quidam Presbyteros, quorum est docere verbum Dei ex Clem. *lib. 2. cap. 33.* & cum eos ordinat Episcopus, Doctores fidei appellat. Alij interpretantur eos omnes, qui vel ex officio, vel ex commissione verbum Dei annunciant populo: nam & istos in Ecclesiastica Hierarchia, aliqua tandem ratione reponendos esse pluribus docet Cellot *lib. 8. de Hierarch. cap. 14.*

Quarto loco ponit Paulus virtutes, qua voce signi- 15
ficat eos qui virtutes faciunt, sicut & nomen opitulationum, atque gubernationum eos, qui gubernant & opitulantur: qua ratione magistratus dicimus eos, qui magistratus gerunt. Virtutes ergo Ecclesiæ ministros Presbyteris inferiores interpretatur Turrian. *lib. 1. de Hierarch. ordinat. cap. 6.* à potestate, qua Hierarchicè secundum ordinem suum operantur in Ecclesia. De quibus Dionys. *cap. 3 de Eccles. Hierarch.* vbi quosdam *ἐκκρίτους λειτουργοὺς* primarios & selectos ministros constituit, qui vna cum sacerdotibus quos *ἱερεῖς* vocat, sacro altari assistunt. & illi sacrum panem *ἱερὸν ἄρτον*, & benedictionis Calicem *εὐλογίας ποτήριον* imponunt eos: Pachymer. & Maximus Diaconos esse dicunt, additque Maximus ex ritu Romano hos omnes diuino altari assistere, alij verò sunt inferiores ministri, qui vel templi fores custodiunt, vel aliud cum ordine agunt *ἄλλοι τῆς οἰκείας τάξεως ἐνεργοῦσιν*: quos omnes Pachym. & Maxim. Subdiaconos nominant, eorum singulorum nomina ex Clem. Roman. atque aliis veteribus suo loco sigillatim dabimus. Istos igitur virtutum *δυνάμεων* nomine designari à Paulo voluit Turrian. eo quod ministrent in Ecclesia ex potestate & virtute sibi Hierarchicè tradita. Neque absimili phrasi Dionys. Angelos omnes communi voce virtutes vocat *δυνάμεις Cœlest. Hierarch. cap. 11.* Quia enim omnes diuinæ mentes *θεῖοι νόες* diuisæ sunt in essentiam,

virtutem,

virtutem, siue potestatem & operationem εἰς οὐσίαν καὶ δύναμιν καὶ ἐνέργειαν. Idcirco cœlestes essentias οὐρανίας οὐσίας, vel cælestes virtutes οὐρανίας δυνάμεις indiscriminatim ἀπαρατηρήτως nominamus, nempe vti interpretatur S.Thom. 1.*part.q.*108.*art.*5.*ad* 1. quia virtus est aliquid medium inter essentiam & operationem in omnibus Angelis reperitur, sicut & ipsa essentia: quando enim virtus excessum quemdam fortitudinis significat, speciali cuidam Angelorum ordini conuenit propter virilem & inconcussam fortitudinem tum ad operationes diuinas ipsi conuenientes, tum ad diuina suscipienda: & tunc secundum eminentem proprietatem ἰσχυρωμένην ὑπόστασιν, vt loquitur Dionys. nomen virtutis vni alicui ordini tribuitur, ideoque mediam hierarchiam idem Dionys. *cap.* 8. partitus est in κυριότητας, ἐξουσίας. & δυνάμεις in dominationes, potestates & virtutes. Neque ex eo quod deinde communem virtutis vocem inferioribus etiam ordinibus adapter, propterea inuertit inconfusum Angelicarum distinctionum ordinem ἀσύγχυτον τῶν Ἀγγελικῶν διακόσμων ἱεραρχίαν. Quidni igitur Paulus δυνάμεις appellarit, ministros, qui ex hierarchica virtute ac potestate in Ecclesia ministrant, maxime illos eximios & delectos ἐκκρίτους λειτουργοὺς, qui in maioribus quibusdam ministrant & sacro altari vnà cum Sacerdotibus assistunt, quales sunt Diaconi, quibus etiam Turrianus addit subdiaconos. Quæ expositio præferenda mihi videtur communi S. Thom. & aliorum: per virtutes eos, qui eximia quædam miracula faciunt, interpretantium: quia cum hoc charisma virtutũ & miraculorum non detur permanenter, neque eius vsus sit in hominis potestate, sed eo tantum vtatur ex præuia quadam spiritus Sancti motione, non videtur illud constituere posse gradum Ecclesiæ, nisi dicamus Pauli ætate & nascente christianismo datam fuisse permanenter Apostolis, atque aliis quibusdam edendorũ miraculorum potestatem ad promulgandũ Euangelium, sicut Moysi ad educendum ex Ægypto populum Israëliticum: promulgato tamen Euangelio non videtur dari permanentem illam potestatem certo generi aut gradui personarum, & ordini Ecclesiastico. Itaque si de Miraculorum effectione placeat interpretari cum S.Thom. virtutes, quas Paulus quarto loco constitutas esse in Ecclesia dixit, de iis, quibus tunc ea potestas in gratiam infidelium concedi solebat, intelliges, quibus successerint, ἔκκριτοι τῶν λειτουργῶν Diaconi, quin diuino altari circa maiora quæque mysteria ex hierarchica virtute & potestate ministrant.

16 Quinto virtutibus subiungit Paulus gratias curationum, charismata ἰαμάτων, expulsionem dæmonum, resurrectionem mortuorum, aliáque miracula, quibus bene fit hominibus hoc charismate comprehendi suspicor. Et idcirco hæc gratia plurimum confert ad fidei propagationem: Alliciuntur enim homines potius beneficiis, quàm miraculis. Hæc porrò gratia datur aliquibus permanenter, siue per modum habitus, non quasi concedatur qualitas aliqua permanens, quæ sit veluti physicum principium sanationis miraculosæ; sed quia decreuit Deus ad aliquem hominis actum sanitatem mirabiliter operari, vel indefinitè, vel in certis quibusdam morbis: qua ratione videmus fuisse collatam permanenter Regibus christianissimis gratiam sanandi suo contactu scrophulas. Est itaque hæc potestas permanens permanentia quadam morali. Eiusmodi autem dono plures tunc in Ecclesia fuisse præditos constat in quibus numerabantur, qui & hodie perseuerant, præsbyteri, qui oratione curant infirmos, quibus conferunt Extremam-vnctionem ex Iacob. 5. qua de re alibi. Præterea exorcistas hoc charismate designati existimat Isiodorus, Turrian. loco cit. & Raban. *lib. instit. clericor.* Hi enim in sua ordinatione accipiunt potestatem dæmones & spiritus immundos eiiciendi à corporibus: alij enim sunt Exorcistæ, qui non fiunt diuina ordinatione, vt ait Clem. *lib.*8.*const.c.* 26. Nam qui singularẽ illam curationum gratiam accepit satis omnibus declaratur per illius charismatis effectum absque vllo alio hominis ministerio. Quo etiam sensu dixit Ibid. Clem. *cap.* 24. Virginem non fieri ordinatione, cum certamen illud tuendæ virginitatis liberum omnino sit: quod non obstat, quominus aliqui alij sint exorcistæ, qui in sua ordinatione virtutem illam curationum & expellendi Dæmones, vti aliàs docebimus, accipiant.

Sextò sequuntur opitulationes, quibus Turrianus 17
putat non significari aliquem certum ordinem vel gradum Ecclesiasticæ hierarchiæ, sicut neque per gubernationes, quas septimo loco adducit Paulus, sed tantum gratias, quas Deus Episcopis & Presbyteris vi suæ ordinationis largitur ad opitulandum & gubernandum populum, quod Episcopus in ordinatione Presbyteri ex Ioannis Apostoli constitutione precatur vt repleatur spiritu gratiæ & consilij ad opitulandum populo, eumque mundo corde regendum. Ita refert Clem. *lib.*8. *cap.*16. Certùm porrò alium ordinem ab enumeratis hactenus à Paulo non significari per opitulationes, & gubernationes inde probat Turrian. quod Paul. Cum subinde per interrogationem prius dicta repetit. *Numquid omnes Apostoli? numquid omnes Prophetæ? numquid omnes virtutes? numquid omnes habent gratiam curationum?* non addit: numquid omnes habent gratiam opitulationum & gubernationum: quia videlicet hæc charismata in superioribus complexus fuerat, licet ea postmodum explicationis gratia distinctè enumerasset: quia tamen vox Græca ἀντιλήψεις significat susceptiones: nam ἀντιλαμβάνεσθαι. Est veluti protensa manu adiuuare, atque è periculo educere istos susceptores & vt Syrus vertit adiutores Hieronym. exponit eos, qui pereuntibus opem ferunt. Theodoret. administratores, qui res Ecclesiæ administrant dum interea cæteri Ordines sacra procurant. Chrysost. eos, qui pauperes ita suscipiunt, vt simul & corporibus & animis ipsorum inuigilent, Caietan. qui in Ecclesia misericordiæ operibus vacant. Estius restringit ad eos, qui ex peculiari dono & charismate apti sunt fouendis ægrotis, illique ministerio in Nosocomiis se addicunt: à quibus interpretationibus, quæ ferè in vnam incidunt, non abiere cæteri recentiores, Salmeron. Iustinian Cornell. Quare ex eorum mente non malè eos Religiosorum ordines qui se ad redimendos captiuos, curanda Nosocomia, similiaque misericordiæ officia exercenda deuouerũt per susceptores & opitulatores istos intelliges, quibus & similes quosdam in Ecclesia Pauli ætate fuisse, facilè mihi persuadeo, ex eo quod videamus institutos ab ipsis Apostolis Diaconos, qui mensis ministrarent, ne Apostoli, qui occupati erant verbo Dei dissentinando, distributione Eleemosynarum, & cura corporum alendorum distinerentur, atque importunis sæpissimè pauperum querelis pulsarentur. Quòd si hanc opitulationem ad ministeria sacra omninò referre placeat, dic cum Anselmo existimato, Thom, glossa opitulationes esse eos, qui opitularentur maioribus, vt Titus Paulo ipsi & Archidiaconus Episcopo. Et vt Bonauentura disputat Regulares Episcopis, & pastoribus ordinariis. Videndum tamen ne iam istos omnes Paulus in superioribus ordinibus collocarit, quos nos ad sextum locum reiicere non debemus.

Septimò

18 Septimò subiungit gubernationes Paulus, quas Græci interpretes non videntur ab opitulationibus distinguere. Et de mysterio exhibito à Diaconis, Diaconissio ac Vidius in sedula Eleemosynarum & facultatum Ecclesiæ dispensatione vt iam diximus, explicant: quo trahes illud Pauli varias huius, vt videtur ministerij partes enumerantis *ad Rom. 16. qui tribuit in simplicitate, qui præest in solicitudine, qui miseretur in hilaritate.* Neque ego obnuerim modo quod facillimum erit aliquod discrimen inter opitulationes & gubernationes constituas, ita vt opitulationes ministrent; Gubernationes autem ministerio præsint. S. Th. Opitulationes eos vult esse, qui maioribus prælatis in regimine vniuersali Ecclesiæ opem ferunt. Gubernationes autem, qui in speciali alicuius Ecclesię gubernatione subsidio sunt, existimatque significari *Parrochiales sacerdotes, quibus committitur gubernatio aliquarum particularium plebum.*

19 Postremo loco recensct Paulus genera linguarum, vt tumorem Corinthiorum comprimeret, qui, vti initio diximus, illud maximè charisma ambierent, cum tamen si quem ei in Ecclesia locum assignare vellemus, non nisi extremum teneret. Neque enim adeo necessarium erat promulgando Euangelio, vnde non diu durauit in Ecclesia, nisi ea ratione, quod illa etiam hodie omnibus linguis loquatur, cum terrarum orbē occuper & omnium nationum linguis, atq; idiomate fides, atque Euangelium enuncietur. Quamquam Sanctus Thom. alijque non malè intelligunt hoc dono designari eos, qui quod fecit Hieronym, alijque eruditi ex multiplici linguarum, atque Idiomatum cognitione Sacra Eloquia explicabant, hodieque explicant. Quomodo etiam accipio quod subdit Paulus interpretationes sermonum. Cum tamen neque Syrus interpres, neque Græci Codices, neque plures Latini veteres ea verba habeant. Quia vero authoritas interpretandi sermones Sacros, siue obscura, quæ illis continentur, euoluendo siue varia idiomatą, quibus scripti sunt, enucleando, confertur ab Ecclesia, cuius est doctoratus insignia, atque adeo potestatem docendi facere, ideo aliquo modo ad hierarchicos gradus spectare fusiùs ostendit Cellori. *lib. 8. de Hierarch. cap. 14.* vti iam monui. Quamuis enim tertio loco recensuerit Paulus, isti tamen, qui in sola idiomatum interpretatione versantur in vltimum locum reijci meritò debuerunt.

Explicatur Paul. ad Rom. 12. ℣. 16.

20 Quæ fusius hoc loco recensuit Paulus, compendio tradidit *ad Rom. cap. 12. v. 16. habentes autem donationes secundum gratiam quæ data est nobis, differentes: siue prophetiam secundum rationem fidei, siue ministerium in ministrando, siue qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui præest in solicitudine, qui miseretur in hilaritate.* Quibus verbis diuersa charismata significabat, quæ nobis à Deo liberaliter & omnino gratuito donantur. Quod egregia repetitione expressit Apostolus *χαρίσματα κατὰ τὴν χάριν τὴν δοθεῖσαν ἡμῖν*, gratias secundum gratiam nobis donatam ad duo genera reuocat, nimirū *προφητείαν*, & *διακονίαν* prophetiam & Ministerium. Prophetiæ nomine intelligit tum doctrinam, tum ea omnia, quæ ad docendi munus pertinent. Per Diaconiam verò, omnia extrema ministeria Ecclesiastica, quæ à se abdicarunt Apostoli, & in Diaconos eam in rem electos reiecerunt *act. 6. vers. 2.* Quo etiam sensu idem Paul. *1. ad Timoth. 3.* omnes Ecclesiæ ministros in Episcopos & Diaconos diuidit, Episcoporum nomine designat quoq; Parrochos & Presbyteros; per Diaconos vero omnes alios inferiores ministros, siue in sacris dumtaxat siue in aliis quoq; ministeriis, Ecclesię: Prophetia igitur siue munus, & authoritas explicandi doctrinā & sacra eloquia, quam sibi reseruarunt Apostoli, & quæ maximè propria Episcoporum est, debet esse *κατὰ τὴν ἀναλογίαν τῆς πίστεως* secundum proportionem fidei, id est, vt quisque iuxta mensuram intelligentiæ & sapientiæ à Deo sibi concessæ prophetet, neque plura ex suo ingenio comminiscatur, quod superius non plus sapere *μὴ ὑπερφρονεῖν* sed sapere secundum sapere *ἀλλὰ φρονεῖν εἰς τὸ σωφρονεῖν* sicut vnicuique Deus diuisit mensuram fidei *ἑκάστῳ ἐμέρισε μέτρον πίστεως*: quo vtroque loco fides, ad cuius mensuram & Analogiam sapiendum & prophetandum, est non accipitur pro assensu illo, quo Deo dicenti & reuelanti credimus, sed pro dono quodam intelligentiæ ministeriorum fidei ad ipsorum maximè expositionem vt auditoribus persuadeantur facilius. Hoc prophetandi munus duplex facit Paulus; primum est in doctrina *siue qui docet*, inquit, *in doctrina ἐν τῇ διδασκαλίᾳ* qui docet videlicet secundum gratiam doctrinæ & magisterij à Deo acceptam. Secundum est in exhortatione *ἐν τῇ παρακλήσει* qui exhortatur in exhortatione exhortandi videlicet charismate & authoritate. Exhortatio porrò supra doctrinam addit consolationem, monitionem & cætera similia. Quare exhortatorem existimo esse illum, quem idem Paul. 1. *ad Corinth. 12. v. 28. & ad Ephes. cap. 4. v. 11.* Pastorem vocat, vt statim dicemus.

Iam verò ministerium, siue Diaconia, quæ circa munia quædam externa maximè charitatis, versatur in tres partitur species; nam aliqui eleemosynas distribuunt, quod in simplicitate præstare debet, hoc est, non ex vana gloria, cum tamen actu externo simulent se velle leuare alterius inopiam, vel vt Anselm. & Ambrosio tributi commentarij interpretantur, puro & candido animo, sine acceptione personarum, curiositate, aut fuco. Alij sunt Prefecti, & Præsides, qui nimirū his ministeriis externis præsunt, qui sollicitì esse debent, atque omnibus inferioribus ministris magno studio inuigilare. Denique sunt hospitalarij, aliiq; qui ægrotis ministrant, *qui miseretur in hilaritate*, vt non modo nauseam omnem & tædium, quod subinde subrepit, superent, sed frontis lætitia, verborumque blanditiis ægros consolentur, & se beneficium accipere potiùs, quàm conferre præ se ferant. De hac hilaritate in ministeriis charitatis exercendis & largiendis eleemosynis consul. Chrysost. *hom. 33. ad popul.*

Hæc porrò omnia fiunt in Ecclesia per ministeria hierarchica, id est, per Ministros ad eiusmodi munera destinatos, quod significat Paulus ea phrasi *διακονίαν ἐν τῇ διακονίᾳ*.

Explicatur Paul. ad Ephes. 4. *v.* 11.

Non contentus porrò fuit Paulus duabus illis 21
Epistolis hanc ministeriorum distributionem explicuisse, eamdem *ad Ephes. 4.* repetit *v. 11.* & *ipse dedit quidem quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Euangelistas, alios autem pastores & Doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerij in ædificationem corporis Christi.* Quo loco nihil agit Paul. vt vides, de charismate signorum, vti 1. *ad Corinth.* sed solum de charismatis ministeriorum, inter quæ numerat hoc cap. Euangelistas & pastores, de quibus scribens ad Corinth. siluerat. Euangelistas porrò interpretantur aliqui quatuor illos, qui Euangelium scripserunt, quod mihi durum videtur: neque enim omnes illi tunc scripserant, aut ipsorum

Euangelia

Euangelistis ipsi communicarant cum longius abessent nisi dicas alios etiam quosdam fuisse in Ecclesia, quibus incumberet res Euangelicas scriptis consignare, quorum tamen lucubrationes perierint: Alij volunt esse Diaconos, quibus incumberet Euangelium potius legere, quam prædicare. Alij volunt esse lectores, quos vnà cum presbyteris & Diaconis constitutos esse ab Apostolis tradit Clem. *lib.* 8. & in eorum ordinatione precatur Episcopus illis spiritum propheticum, quo afflatus fuit Esdras ad legendam legem, vti habes apud eundem Clem. *lib.* 8. *citato capite* 22. Ego existimarim denotari eos omnes, quibus ab Ecclesia demandarum est munus prædicandi Euangelij & qui illud charisma à Christo acceperunt, cuiusmodi fuerunt septuaginta discipuli a Christo electi. Philippus Diaconus *act.* 21. Timotheus, cui Paulus commendat opus Euangelistæ 2. *ad Timoth. capite* 4. Appello apud Corinth. qui plantationes Pauli suis concionibus rigauit, Aquila, Priscilla, & alij. Complures enim fuisse celebres in Euangelistarum opere perficiendo Traiani ætate testatur Euseb. *lib.* 3. *histor. cap.* 34. Quibus concionatores, Catechistas, & eos præsertim, qui nouis regionibus Euangelium inferunt ab Apostolica sede missi succedere nemo prudens negabit.

22 Quod attinet ad Pastores, quorum meminit *hoc cap. ad Ephes.* Paulus & coniungit cum Doctoribus: *alios autem*, inquit, *Pastores & Doctores* obseruauit Hieronym. August. Paulin. aliique idem esse horum officium, & nullum pastorem esse debere, qui non sit & Doctor: neque tantum sit oportet *διδακτικός*, sed etiam *διδακτικός* vti Timotheum monet, Paulus 1. *ad Timoth.* 2. hoc est studiosus docendi, aut studio docendi deditus; alioqui suo munere non fungitur. Quia vero omnes pastores, Episcopi non sunt; Idcirco illos à Pontificibus distinxit, quorum vt ex Clem. dicebamus proprium est prophetare, significatque presbyteros quibus Deus dedit charisma docendi & gubernandi animas secundum mensuram donationis suæ, suntque Parrochi de quibus Paulus *ad Tit. cap.* 1. *vt constituas per ciuitates presbyteros*, nihil tamen prohibebit Doctores à Pastoribus seiungere hoc loco: quamuis enim omnes Pastores, Doctores quoque esse oporteat: non tamen omnes Doctores pastores sunt vti de Origene, Didymo, Clemente, Alexandrino, Hieronymo, Thoma, aliisque constat. Atque ex iis, qui Doctoratum cum Pastoratu coniunxerunt, nonnulli Doctores fuerunt eorum, quorum Pastores non erant: Quod de Basilio, Athanasio, Nazian. Ambros. August. & cæteris per facile ostenditur.

Quomodo ex variis partibus à Paulo numeratis coalescat vna Ecclesia.

23 Enumeratis hactenus variis Ecclesiæ partibus à Paulo, restat ostendere quomodo ex illis omnibus vna coalescat Ecclesia: quod idem Paulus accuratè præstitit locis allatis similitudine corporis ex diuersa membrorum compage conflati: ita vt eius duntaxat sensum explicare oporteat, sicut enim corpus naturale hominis non est vnum membrum 1. *ad Corinth.* 12. *Quod si essent omnia vnum membrum, vbi corpus?* Ita Ecclesia non ex vna tantum aliqua parte, sed multiplici integratur, atque ex illis fit Corpus Christi, *sumusque inuicem membra de membro.* Quidem Codices legunt *μέλη ἐκ μέλους*: alij *μέλη ἐκ μέρους*: membra nimirum ex parte siue partialia, siue membra membrorum, aut potius compartes, & commembra membra inuicem nexa & pendentia: quia sicut ex membris corporis vnum ex altero nasci videtur, brachium ex humero, manus ex brachio; atque ita infima & minus præcipua influxus recipiunt à summis & præcipuis per intermedia: ita in Ecclesia infimi per medios, medij per summos a capite influxum Hierarchicum deriuant.

Secundo hæc membra diuisa sunt inter se se dignitate situ & officiis, vt in oculis, auribus & pedibus videmus. *Neque enim omnia eumdem actum habent.* ad Rom. 11. *& ad Corinth.* 1. *cap.* 12. *si totum corpus oculus, vbi auditus? si totum auditus, vbi odoratus? nunc autem multa quidem membra, vnum autem corpus.* Hæc porro tota membrorum diuersitas non tam à natura, quam ab officio, cui singula destinantur, proficiscitur, idcirco enim oculi eminere debent, & in capite veluti in specula collocari, quia ipsis incumbit totum corpus regere: pedes in infimo loco collocantur, quia molem totius corporis sustentant: omnia tamen eodem, vt statim dicam, viuunt spiritu, eadem anima informantur. Diuersitas quoque est inter Ecclesiæ membra, quorum alia aliis nobiliora sunt, & variis ministeriis, quæ sibi inuicem & toti corpori exhibent, distinguuntur. Non autem ex natura suam diuersitatem, dignitatemvè Capiunt, quod sint Iudæi, gentiles, serui aut liberi. Tota igitur nobilitas ducitur ex ministerio, atque ex variis charismatis quibus apta fiunt ad eiusmodi ministeria præstanda. Apostoli enim faciunt caput vnum sub Christo capite, Prophetæ sunt oculi, Doctores & prædicatores lingua, virtutes dum eximia quædam & veluti fortia miracula perpetrant, dextram Ecclesiæ manum dixeris, quibus & merito adiunge gratias curationum, atque Exorcistas, qui Dæmones fugant, vt iam verum sit illud *psal.* 20. *Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis: Dextera tua inueniat omnes, qui te oderunt.* Sinistram manum reddunt opitulationes & susceptores, qui infirmos, aliosque miseros iuuant. Pedes vero gubernationes & cæteri ministri Inferiores. Verum quidquid sit de illa, aliaue partium Corporis cum diuersis Ecclesiæ ministeriis comparatione, sufficit nostro & Pauli instituto ex illis Ecclesiam tanquam corpus ex diuersis membris conflari. Sunt verò ex his aliqua ad integritatem corporis necessaria, quæ & idcirco perpetuo illi inesse debent: alia vero duntaxat ornatum quemdam afferunt, idemque ab illo abesse, quandoque possunt, in quibus numerabis pleraque charismata signorum, quæ saltem non accipiuntur perpetua & Hierarchica susceptione, sicut ministeria. 24

Tertiò omnia membra omnibus, singula singulis, 25
omnia & singula totius corporis decori, integritati, & vtilitati sunt necessaria; ideoque singula singulis, & omnibus laborant: Ecclesiæ quoque ministeria omnibus & singulis vtilia ac necessaria sunt, & vt ait Paulus de membris. *In idipsum pro inuicem sollicita sint membra in idipsum*, id est in commune bonum, & in vnitatem corporis conseruandi quia nimirum omnia sibi mutuam præstant operam. Quod item videmus in Ecclesiæ partibus: singularum enim Curæ & labores in bonum & commodum totius corporis, atque singulorum membrorum desinunt, vt varia charismata tum signorum, tum ministeriorum expendendi statim apparet: sicut enim, vti explicuimus cum Paulo *manifestationes spiritus ad vtilitatem* non tam priuatam, quam communem.

Quartò hinc fit, vt cum omnia membra sint ne- 26
cessaria corpori, atque illius integritatem perficiant, nullum alterum contemnat, quamuis despicatius

ignobiliusque videatur, quia ipsius indiget opera: neque caput, aut oculus dicere potest se pedum opera non indigere: imò quæ magis videntur membra corporis infirmiora esse, necessaria sunt. ✠.22.*cap.*12.1. *ad Corinth. & quæ putamus ignobiliora membra esse corporis, his honorem abundantiorem circundamus, & quæ inhonesta sunt nostra, abundantiorem honestatem habent: honesta autem nostra nullius egent, sed Deus temperauit corpus ei, cui dederat abundantiorem tribuendo honorem esse.* Nihil debilius oculo, nihil ventre, & iis, quæ illi subijciuntur ignobilius: ea tamen maximè toti corpori sunt necessaria. Ea etiam diligentius tegimus, ornamus & communius. Honesta enim nostra, & membra illustriora, vt facies, oculi, manus, per se satis habent splendoris & decoris, ideoque *nullius egent* neque externo alio cultu ornari postulant, quod item plerumque contingit in corpore mystico, quod ita suis constat membris, vt si vel aliquo quamuis minus nobili careat, mancum sit & imperfectum, imo minus splendida ministeria sæpissimè magis necessaria existant, vti contingit in republica, cui opifices magis necessarij sunt, quam nobiles: & in Ecclesia plerumque qui minus visibilia charismata acceperunt, maiorem gratiam internam adepti sunt, qui in illustriori excelsiorique dignitate positi sunt, quandoque minori sanctitate donantur.

27 Quinto inde quoque fit vt sicut membra corporis sibi inuicem suas præstant operas & Curas, ita iisdem pœnis & honoribus participent & sibi mutuo compatiantur, ac congaudeant. *Si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra: siue gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra: membri enim patientis dolor leuatur quodammodo non per communionem cladis, sed per solatium charitatis vt ait August. Epist.* 133. honor quoque & gloria, siue glorificatio (id enim fert verbum δοξάζεται) vnius membri deriuatur in alia: quo spectat communio illa Sanctorum in Ecclesia, commodius, fusiusque alibi à nobis explicata. Hinc illa charitas, quæ omnium nobis propria reddit commoda & incommoda, de qua Chrysost. alijque Patres.

28 Sexto ex eadem mutua membri vnius ab aliis dependentia schisma impediri dixit Paulus: *vt non sit schisma in corpore.* Dum enim singula singulis necessaria sunt, illisque laborant, timenda non est diuisio aut discissio, quæ tunc tantum contingit, quando singula seorsim ab aliis sibi prouident, etiam cum cæterorum quandoque dispendio quia vnum nempè aliis eminere cupit: In Ecclesia quoque numquam fiet schisma, nisi cupiditate principatus vide Clem. Rom. *toto lib.6.* constit.

29 Septimo Membra omnia cum Capite connexa sunt, & ab illo influxus recipiunt, & idcirco Caput dicitur ἡγεμόνικον. In Ecclesia vero caput Christus est, à quo omnia membra dependent per quamdam compaginationem & Coagmentationem, ab illoque Influxum omnem & virtutem sibi subministratam recipiunt ad veram operationem & augmentum ad Ephes. 4. *Crescamus in illo per omnia qui est caput Christus ex quo totum caput compactum & connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram vniuscuiusque membri augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate.* Quorum verborum dilucidum commentarium habe ex Gragnædio, paucis tamen immutatis: Quemadmodum spiritus animalis defluens ex Cerebro sensum & Energiam membris omnibus impartitur, vnde totum Corpus cum suis membris iuxta cuiusque proportionem crescit, defluitque illa virtus & spiritus in omnes commissuras & iuncturas, neruos, articulos, musculos & tendones, quibus mediantibus sibi inuicem connexa sunt membra, & quæ nisi ita colligata per has omnes iuncturas essent, vel si inuicem ab se se separata forent, illum salutarem & viuificum, atque principalem capitis influxum ad suas operationes recipere nequaquam possent; ita vt capitis influxus ad omnia pertineat, ipsas etiam extremas Corporis partes, omnesque iuncturas & commissuras, easque omnino supponat vt ipse in tam diuersa membra possit peruenire. Si enim seorsim posita & nullo nexu cohærentia essent, ab vno, eodemque spiritum & sensum ac Motum, omnemque Energiam haurire non possent. Ita à Christo capite omnis gratia, virtus, & energia, atque spiritus manat, & in singula corporis Ecclesiæ membra diffunditur, quandiu illa inuicem, & cum suo corpore compingitur, ita vt ne minimi quidem articuli, iuncturæ, aut commissuræ eo capitis influxu viuifico careant. Inde autem fit continuum illud augmentum non æqualiter in membris omnibus, sed pro cuiusque conditione, ac proportione secundum mensuram gratiæ sibi à Capite subministratæ. Modo singula verba expendamus. Crescamus in illo per omnia qui est caput Christus, Hebraismus est & redundat in illo, dicendumque latine erat: Crescamus in Christo capite, vel, qui est Caput super omnia, id est totius Ecclesiæ, siue omnium Ecclesiarum, omnium quæ sunt in Ecclesia: aut dic esse hyperbaton & ita esse legendum: Crescamus per omnia in illo, qui est caput Christus: caput vero esse Christum explicat, cum addit *ex quo totum Corpus*, totius nimirum Ecclesiæ *compactum & connexum est* ἐξ οὗ πᾶν τὸ σῶμα συναρμολογούμενον, commissum, compactum & compaginatum, ita vt omnia corporis membra per suas compages & commissuras non tantum cohæreant capiti, sed ab illo procedant, qua ratione quotquot Ecclesiæ Corpus constant, cum Christo se habent: quam connexionem sequentia clarius explicant *connexum per omnem iuncturam subministrationis*, συμβιβαζόμενον διὰ πάσης ἁφῆς τῆς ἐπιχορηγίας per iuncturas & commissuras, per quas vnum membrum alteri cohæret, siue alterum tangit ἁφῆς siquidem significat tactum illum, quo partes sibi inuicem committuntur: inde enim fit, vt sibi inuicem cohæreant membra, non per tumultuariam quandam connexionem, sed vt singula in suo loco, ordine & nexu consistant, nullumque laxetur, aut extra suam commissuram & locum exeat: Alioqui etsi membrum aliquod sit adhuc in corpore neque diuisum & separatum ab aliis existat, quia tamen non est connexum secundum suam iuncturam διὰ τῆς ἁφῆς secundum suum tactum, plurimum incommodat reliquo Corpori, neque ipsummet expers doloris est, & præterea non potest illi aut a Corpore spiritus & influxus, aut à reliquis membris mutua opera & auxilium subministrari: atque ita interpretor actiuè iuncturam subministrationis, nimirum subministrantem motum & spiritum omnibus & singulis membris quæ etiam ea de causa se se mutuo foueant, & iuuent ratione iuncturæ & contactus ἁφῆς. Photius enim illud πάσης ἁφῆς omnium inter cohærentiam & connexionem πάντων τῶν συναφῶν exponit. Liceat etiam vocem *subministrationis* passiuè accipere, vt sit inuicem subministrata cuique membra à Capite: quæ est Photij expositio: omnis enim connexio à Christo subministratur; quia illud per quod inuicem cohæremus, &

in

in vnum Corpus vnimur siue sit fides, siue Charitas, diuinæ largitionis est. Ex ea porro iunctura subministrata, vel subministrante spiritum, sensum, motum, omnemque alium influxum membris, oritur efficacitas operationis, prout cuiusque membri mensura postulat ac postremo inde corporis ipsius augmentum & ædificatio consurgit cum æquali proportione neque enim idem augmentum quodlibet membrum postulat; alioqui omnia eiusdem essent magnitudinis & mensuræ: quare illud iuxta mensuram cuiuscunque membri tum ad augmentum, tum ad operationem referri debet hoc sensu ex quo totum Corpus compactum & connexum per integram & perfectam membrorum inter se commissuram, iuncturam, tactum, & cohærentiam & actuosam efficaciam, atque energiam illis à Deo subministratam, tum operatur congruenter virtuti cuiusque membri, tum crescat pro singulorum mensura & proportione, atque ita se ipsum perficiat. Vides igitur quam aptè Paulus modum, quo Christus tanquam caput in totum Ecclesiæ Corpus, omnia & singula eius membra influat, exposuerit. Prius autem dixerat omnem ab illo gratiam, omniaque charismata fluere ℣. 7. *vnicuique autem nostrum data est gratia secundum mensuram donationis Christi*: id est, Christus dona gratiæ cuiusque non aliunde quàm ex libera voluntate definit, qui donauit quantum cuique donare libuit, cum nulla merita primam illam donationem præcesserint. Neque enim iste Christi capitis in membra influxus naturalis, & necessarius, sed omnino liber existit, secus quàm contingat in Corpore naturali. Posset quoque illud *κατὰ τὸ μέτρον τῆς δωρεᾶς τοῦ χριστοῦ* ita accipi, vt mensura gratiæ sit munus donatum à Christo, siue sit dignitas, in qua quodlibet membrum à Christo constitutum est. Nam caput istud non modò influit in membra sua, sed illa in esse membri constituit, & donat cuique, vt membrum sui corporis sit: & ideò quosdam dat Apostolos, alios Euangelistas, alios Doctores: quosdam facit esse oculos, alios pedes, aut manus. Secundum igitur mensuram illius donationis gratias deinde dispensat: & illi quem constituit Apostolum, gratiam Apostolatus confert: quem constituit pastorem, illi gratiam ad id munus necessariam concedit, adeoque energiam secundum mensuram cuiusque membri, per omnem iuncturam, omnesque articulos subministrat ad operationem & augmentum. Has porrò omnes gratias esse in Christo & ab illo deriuari ostendit Paulus ex Psal. 67. *Propter quod, dicit*, inquit, *Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus*. Christus enim triumphans cælum ascendit spoliatis inferis, & liberatis captiuis, quos detinebat lacus ille subterraneus, in quo non est aqua, & qui in sanguine testamenti emissi sunt Zachar. 9. ℣. 11. & tanquam pretiosa præda triumphantis pompam honestant. Ex illo vero aureo curru spargit missilia & dona dedit hominibus. Quamuis enim apud Dauid. legatur: accepit dona in hominibus, idem sensus est, siue quia accipere alicui Hebraica phrasi est dare, *Exod.* 25. ℣. 2. vt *accipiant mihi primitias, & 3. Reg* 17. ℣. 10. *accipe mihi paululum aquæ*: siue quia Christus reuera accipit à Patre dona danda hominibus, & vt illa daret: ascendit enim, quod eodem hoc loco dicit Paulus: *vt impleat omnia* suis gratiis & beneficiis: siue quia ex August. accipit dona in corpore suo, quod est Ecclesia: quæ eadem dona ipse dedit, quatenus eius caput est. Quia verò dicebamus initio, tria esse charismatum & donorum genera, ea omnia deriuantur à Christu in Ecclesiam, quod indicat Paulus: Nam & ait nos accepisse gratiam secondum mensuram donationis Christi, & ab illo omnia dona data in sanctorum consummationem, ab eo subministrari omnem iuncturam & ædificari corpus suum, illumque numquam ab isto cessaturum influxu, *donec in vnitatem fidei & agnitionis Dei occurramus in virum perfectum & mensuram ætatis plenitudinis Christi*. Ad id autem necessaria sont tum charismata sanctificationis, tum charismata signorum: Quod ad charismata vero ministeriorum, ex ratione quorum maxime constituuntur diuersæ partes Ecclesiæ: illa esse à Christo expressissimè affirmat Paulus: ait enim ab illo positos esse Apostolos, Euangelistas, Pastores, & Doctores, vti fuit superius explicatum.

Verba 1. Ad Corinth. cap. 12.

30 Octauò, hæc membrorum inter se connexio & compago cum capite, à quo sensum, motum & influxum ad energiam atque operationem accipiunt omni corpori reali, atque etiam politico ex quadam saltem Analogia communis existit; huic autem corpori Ecclesiæ, quod describit Paulus, maximè proprium & singulare est, vt non modo Christus eius caput sit, vti ostendimus, & in sua membra influat; sed etiam *omnia membra sint vnus* Christus, *& vnum in Christo*. Quis enim fingat in corpore naturali caput esse totum corpus? Primæ ad ad Corinth. 12. *Sicut enim corpus vnum est, & membra habet: omnia autem membra corporis cùm sint multa, vnum tamen corpus sunt: ita & Christus. Vnde colligit Anselmo tributus commentar. Quanta gratia pertineamus ad Deum, vt ipse voluerit nobiscum esse vnus, qui est cum Patre vnum.* Hæc autem vnitas aut quodammodo identitas, per quam Christus dicitur corpus Ecclesiæ, & vnum corpus in Ecclesia, non de identitate reali, aut locali, cum Vbiquistis quæstio exponenda est; sed de identitate virtuali & operatiua, quia nempè Christus est anima, spiritus & hypostasis Ecclesiæ, & se per omnia illius membra, per energiam & gratiam operationum transfundit. Ille enim baptisat, docet, vngit, sacrificat per suos ministros & operatur cætera omnia per illos, aut in illis, quibus charismata ad operandum impertitur. Idcirco non tantum Ecclesia dicitur esse corpus Christi, sed etiam ipse Christus corpus Ecclesiæ, ideoque dicimur illi incorporari, & se ipsum à Paulo impeti querebatur. Estque solemnis ista expositio apud August. Chrysost. & alios Patres. Neque dicas simili ratione caput corporis realis dici posse totum corpus, quia operatur in toto corpore per virtutem à se deriuatam: nam in naturali corpore sunt & aliæ partes principes à quibus vita atque operatio profluit: Deinde caput vnicuique membro & organo propriam virtutem & temperiem inesse, atque etiam potentiam implantatam esse supponit, neque illam tribuit, sed tantum spiritus animales dispensat, quibus egent organa ad agendum, cùm Christus ipsemmet energiam, atque potentiam agendi singulis membris communicet, atque ipsa in ratione membri & talis membri constituat, vti superius monuimus: & idcirco iure dicitur in omnibus illis, & per omnia illa agere, esseque eorum omnium, quæ sustentat, fouet, incitat, & animat, hypostasis, anima, & spiritus.

31 Nono aguntur & viuificantur, eodem spiritu omnia membra, nimirum anima & spiritu totius corporis: quod in Ecclesiæ membris sic explicat Paulus 1. *ad Corinth.* 12. *Etenim nos in vno spiritu omnes nos in vnum corpus baptizati sumus, siue Iudæi, siue Gentiles, siue serui, siue liberi, & omnes in vno spiritu potati sumus.* Quia enim omnes inserti & complantati sumus Christo per Baptismum: idcirco eius omnes spiritum participamus. Et cum omnes Christi sanguine in Eucharistia potentur, eius quoque spiritum hauriunt.

Quomodo fiat augmentum & perfectio corporis Ecclesiæ.

32 Decimò hinc sequitur augmentum & perfectio corporis ac singulorum membrorum secundum mensuram cuiusque, quæ perfectio est finis, cui acquirendo omnia membra laborant. Hinc finem eleganter describit Paulus *ad Ephes. cap.* 4. *ad consummationem sanctorum in opus ministerij, ad ædificationem corporis Christi* πρὸς τ̀ καταρτισμὸν, καταρτίζειν autem significat, id quod mancum est, integrare. Secundo quod disiectum est coaptare. Tertio quod in aliquo deficit, corrigere. Nam ἀρτίζειν dicitur proprie de quantitate discreta, quando plura nimirum in vnum aliquod corpus compinguntur, conflantur & coagmentantur. Ad quod duo necessaria sunt: primum vt nulla pars desit, aut redundet. Secundum vt quælibet suo ordine collocetur, & cum cæteris cohæreat: Ideirco Phauor. ἀρτίζειν, παρασκευάσαι, hinc Homerus δόλον ἤρτυε, instruxit dolum, nempe omnia & singula ad decipiendum aptauit. Quare qui conatur omnia ritè & aptè disponere ad quidpiam perficiendum ἀρτίζεσθαι dicitur; qui vero iam omnia illa inuicem coaptauit & partes omnes coagmentauit, rem videtur perfecisse, ideoque καταρτίζω est: τελειῶ, καταρτισμὸς autem perfectio & consummatio: & quia ex ea re operis & corporis decor & quodammodo sanitas existit; idcirco Phauorino & Suidæ ἄρτιοι sunt τέλειοι ὑγιεῖς, & ἀρτίως ὑγιῶς ὁλοκλήρως & ἀρτίνω ἁρμόζω, ἢ ἐμπερμίζω. Quod autem tale est, illud verè, sincerè, & germanè esse dicitur, vt quod nulla parte fallit. Ita Sophocli ἀρτίως. Hinc aliquando apud Paulum significat corrigere & instruere *ad Galat.* 6. *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spirituales estis, eiusmodi instruite* καταρτίζετε τ̀ τοιοῦτον. Id est quod fractum est in eo instruite & aptate nempè reconciliando cum Deo. Agit autem interprete Cyrillo, Paolus de peccatis quæ κατ' συναρπάγην per subreptionem, aut perturbationem commissa sunt: ea enim debent sine seueritate remitti à sacerdotibus, quos ibi πνευματικοὺς vocat Paulus, quia sunt spirituales quidem Patres, additque alterius onera præstanda esse, quod de peccatis tollendis exponit Basilius in Regulis breuioribus 78. & 178. & Clem. Rom. *lib.* 1. *constit. c.* monet sacerdotem agentem cum pœnitente & peccatore ἐλάφρυνον ἐν ἀφέσει leua eum onere & exonera in remissione. Ait igitur Paulus finem, propter quem donantur à Christo omnia charismata esse perfectionem Ecclesiæ, eiusque ex partibus omnibus coaptationem membrorum omnium, totiusque corporis consummationem, & sanctorum instructionem καταρτισμὸν ædificationem vt ipse explicat, Ecclesiæ, vt velut nimirum sacra ædes sensim assurgat, & suis omnibus perficiatur partibus, singula suum augmentum & perfectionem accipiant: quod fit tum accessione fidelium, tum singulorum consummatione, correctione, instructione & perfectione: quo tendunt omnia tandem ministeria hierarchica. *Donec*, inquit, *occurramus in vnitatem fidei, & agnitionem filij Dei in virum perfectum in mensuram ætatis plenitudinis Christi: vt iam non simus paruuli fluctuantes omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia ad circumuentionem erroris, veritatem autem facientes crescamus in illo, per omnia qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram vniuscuiusque membri augmentum corporis facit in ædificationem sui in charitate.* Hoc est vt quemadmodum in perfectam ætatem, perfectamque membrorum omnium perfectionem Christus peruenit: ita & nos ad perfectam plenamque Christi & Dei cognitionem perueniamus, perfectaque sit & consummata membrorum Ecclesiæ perfectio: loquitur enim Paul de tota Ecclesia, quam & omnes, qui in ea sunt, comparat vno perfecto: ideoque Syrus vertit *Donec omnes simus vnus vir perfectus.* Ita vt ex Ecclesia tanquam corpore, & Christo tanquam eius anima fiat vnus vir, aut Christus ipse, qui, vt diximus superius ex eodem Paulo, dicitur esse vnum corpus ratione Ecclesiæ, eo quod singula membra illi inserta & implantata sunt. Sicut itaque crescente corpore, organisque corporis, crescit robur & vegetatio animæ, quod incrementum ipsemet spiritus & anima tanquam præcipuum illius principium promouet; crescente etiam corpore crescit caput, hocque vicissim crescente crescit corpus, alioquin monstrosum esset: exiguum enim caput procero corpori imponeretur, aut ingenti capiti paruum caput subiiceretur non sine fœditate: quare debent omnia & singula membra, atque adeò totum corpus secundum debitum sibi mensuram & proportionem pro innata virtute & Efficacia, quã totam haurit ab anima, augeri: atque hoc modo totus homo crescit, donec ad iustam & conuenientem ætatem, staturamque virilem perueniat. Non dissimili ratione Ecclesia crescit & adolescit in Christo singulis suis membris: & vicissim Christus adolescit in Ecclesiæ membris, donec Ecclesia ad iustam perfectionem & staturam quasi virilem perueniat. Meminerim itaque singuli se in Christo debere crescere in virum perfectum, siue in membra viri perfecti, vt sic singulis crescentibus tota Ecclesia crescat in virum perfectum vt ita perfecta & consummata fiat Ecclesiæ & singulorum Ecclesiæ membrorum statura, perfectio & consummatio. Ætas itaque plenitudinis Hebraica phrasi est ætas plena & perfecta, nempè adulta & virilis. Metonymice vero significat staturã, quam ætas secum affert; ita vt sensus iste sit, occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram & magnitudinem *ætatis*, id est staturæ plenitudinis plenæ & virilis Christi, quam habuit Christus in adulta & virili ætate. Atque hæc perfectio siue consummatio Ecclesiæ & membrorum eius est, vti iam monui, finis omnium charismatum & totius ministerij Hierarchici.

Fit porrò hoc augmentum acquiriturque ista perfectio membrorum & statura, atque magnitudo Ecclesiæ fide & charitate: quod exprimit Paulus, dum ait, *Donec occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei: vt iam non simus paruuli fluctuantes & circumferamur* περιφερόμενοι, *circumagamur*, perturbemur *omni vento doctrinæ in nequitia hominum* ἐν τῇ κυβείᾳ in alea siue fallacia dolosis aleatoribus vsitata, *in astutia ad circumuentiones erroris* πρὸς τὴν μεθοδείαν, insidiosas fallacias & machinationes μεθοδεύειν enim significat, hominem in via furtim & ex insidiis aggredi, erroris πλάνης imposturæ, veritatem autem 33

faciẽtes ἀληθεύοντες veritatem sectantes *in charitate crescamus in illo per omnia.* Fide igitur promouetur hoc augmentum Ecclesiæ, & charitate consummatur: quia vero non erit hæc consummatio nisi post resurrectionem: quandiu enim sumus in hoc mundo, fluctuamus tanquam paruuli inter ventos & procellas hæreseon obnoxij hominum nequitiæ & seductioni, donec attigerimus perfectam illam & robustam ætatem Christi. Interea verò donec tota Ecclesia consummetur, crescere illa debet in vnitate fidei, & charitate, atque ita se ipsam ædificare, quod fit ministerio hierarchico. Non alia siquidem de causa varia illa ministeria & gradus Christus constituit vt Apostolatum, Doctoratum, aliosvè similes, quàm vt homines adducerentur ad fidem, in eaque continerentur, atque ita charitate consummarentur.

54 Ex eoque fit vlterius, vt omnia ista ministeria ac gradus perseuerare debeant in Ecclesia, quandiu illa crescere debebit & donec accurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei in virum perfectum, in mensuram ætatis, plenitudinis Christi, hoc est, vsque ad Mundi interitum, tandiu enim durabit ædificatio Ecclesiæ & eius Corporis incrementum neque prius euadet in virum perfectum, adultam & virilem ætatem attinget, atque plenam & iustam staturam assequatur: hæc demum perennis graduum & ministeriorum Ecclesiasticorum duratio non nisi successione quadam continuatur, quam idcirco admittere necessarium prorsus est, vt hi nimirum laborent in ædificanda Ecclesia, atque ipsorum quoque ministerio totum istud corpus compingatur & virtus ædificationi necessaria singulis membris subministretur, nempe sacramentorum administrationes, atque alia sacra ministeria: quod eleganter describit Turrian. *lib. 1. de hierarch. ordinat. cap. 16.* ait enim à Christo capite supersubstantiali ὑπερουσίῳ, subministrari gratiam & virtutem operatiuam χάριν καὶ δύναμιν ἐνεργητικὴν immediatè & primariò προσεχῶς καὶ πρώτως, huic capiti subijcitur, & aliud nempè Petrus eiusque successor. Totum enim corpus compactum dixit Paul. ex Christo nomine autem totius corporis intelligit quoque caput istud visibile; ab eo autem virtus subministratur δευτέρως καὶ ὑφειμένως secundariè & mediatè illis, qui secundum in Ecclesiam locum obtinent, suntque hierarchicè subordinati ὑποτεταγμένοι quales sunt Primates & Patriarchæ, qui sunt successores Apostolorum. Immediate προσεχῶς, qui deinde subministrant Metropolitanis, hi Episcopis, isti presbyteris, Diaconis, atque ita deinceps vsque ad extremum gradum, prout cuique conuenit secundum operationem illi commensuratam: prout enim illa maior, aut minor est, nobilior aut ignobilior potestas & virtus operatiua maior aut minor subministratur: quæ potestas vt dixi, charisma est. Quod igitur contendedã hoc loco cum charisma τὸ καταρτίζειν optandi in ædificationem corporis Christi & Ecclesiæ, conueniat omnibus ministris siue primariò, siue secũdariò, siue mediatè siue immediatè, & hæc ædificatio duratura sit vsque ad finem mundi: Charisma istud durare quoque oportet, atq; adeo ministeria illa, quibus communicatur, quamquam & ipsum augmentum Ecclesiæ fieri quoq; velit ex Damiano, Turrianus loco citato, dum quis in aliquem gradũ Ecclesiasticum promouetur: estque vsitata ea locutio, vt quis dicatur auctus gradu sacerdotali. Sed de his aliàs dum de iurisdictione Ecclesiastica & singulis ordinibus sacris fusius disputabimus. Interim adi Turrian. Hæc nobis satis erunt vt videamus quænam sint Ecclesiæ partes ex doctrina Pauli, qui eam sæpius ex Analogia corporis descripsit, vti vidisti.

R. P. Ioseph. Gibalinus de Scient. Can.

QVÆSTIO III.

De Variis Ecclesiæ Partibus à Dionysio assignatis.

Diuisio ordinum hierarchicorum à Dionysio in ministeria & actiones Hierarchicas, & eos qui illas exercent & recipiunt. n. 1.

Diuisio actionis hierarchicæ in Expiationem, illuminantem eruditionem & perfectionem: vnde triplex ministrorum distinctio. n. 2.

Nostra Hierarchia est imitatio cælestis & legalis: cælestis descriptio. n. 3.

Quod sit initiatio in Angelis. n. 4.

Quid in illis purgatio. ibid.

Quid in iisdem illuminatio & perfectio. n. 5. & 6.

Quinam sint in Angelis initiantes & quinam initiati. n. 7.

Legalis Hierarchiæ tripartita diuisio. n. 8.

Initiatio triplex in nostra Hierarchia & quæ. n. 9.

Triplex ordo initiantium siue mysteriorum in Ecclesia. n. 10.

Quomodo ex diuina lege secunda siue media adducantur per prima ad Deum. n. 11.

Pontificum ordo omnium primus & vltimus. n. 12.

Pontificis propria munia, & quomodo in illo solo sit virtus perfectiua. n. 13. & 14.

Quomodo sacerdotum ordo sit illuminatiuus. n. 15.

Ministrorum ordo expiatorius est & quomodo. n. 16.

Varia diuersorum ordinum virtutes. n. 17.

Triplex ordo initiatorum. n. 18.

Quinam expientur. n. 19. & 20.

Quis sit ordo illuminatorum. n. 21.

Consecranda Eucharistiæ ritus. n. 22.

Cur populus dicatur in ordine illuminatorum. n. 23.

Monachorum ordo supremus & initiatorum. n. 24.

Hierarchiæ adæquata diuisio. n. 25.

Dionysius *in lib. de Ecclesiast. Hierarch.* dum varias Hierarchiæ, partes, aut potiùs ordines assignat, diuersa quoque Ecclesiæ membra explicat, vti videbis, si huius sanctissimi Patris mentẽ accuratius inuestiges.

Diuisio ordinum Hierarchicorum.

Capite igitur Quinto expositurum se proponit sacrorum & Hierarchicorum ordinum distributiones, virtutes, actiones, & perfectiones. Distributiones autem vocat sortitiones, ἀποκληρώσεις quia interprete S. Maximo & Pachym. quilibet ordo sua habet separatè ἀφωρισμένας Sacra Ministeria ἱερατικὰς ὑπηρεσίας illi sorte veluti attributa ὡς ἂν ἀποκεκληρωμένας: virtutes vero &

actiones δυνάμεις καὶ ἐνεργείας eodem sensu ἱεραὶ διάμετροι, accipiunt idem scholiastæ, eo quod sit prior potentia, actione, & non nisi ad illam & qui doctrinaliter expiantur & illuminantur vim & efficaciam id faciendi obtineant, quanquam non negent potestates siue virtutes δυνάμεις non incptè accipi pro donis spiritualibus & meritis quæ πνευματικὰς δωρεὰς καὶ ἀξίας nominant, hoc est, vt ego interpretor, charismata, quæ vt quæst. superiori ex Paulo referebamus, cuique ministerio sacro & ordini destinatur, siue ipsa charismata, vti vocabamus, ministeriorum & dignitatum τῶν ἀξιωμάτων. Et idcirco appositè Maxim. & Pachym. spiritualia dona & dignitates πνευματικὰς δωρεὰς καὶ ἀξίας coniunxerunt, actiones autem ἐνεργείας ipsas sacras functiones & varia Sacra ministeria λειτουργίας exponunt: Perfectiones denique τελειώσεις, in ordinationibus ἐν χειροτονίαι collocant. Quia dum consecratur aliquis, perfici dicitur; vti ipsemet Dionyf. omnem Hierarchicam rationem ἱεραρχικὴν πραγματείαν partitur in sacra ac diuina mysteria θειοτάτας τελετὰς in eos, qui ea sacra diuinitus tenent & aliis enunciant & communicant τοὺς ἐνθέως αὐτῶν ἐπιστήμονας καὶ μύστας: & deniquè in eos, qui sanctè initiantur ἱερῶς τελουμένους quam diuisionem in nostra Ecclesiastica hierarchi: Maximus dixit esse in mysterium, hoc enim est sacramentum τελετὴ in initiantem μύστην & initiatus μυουμένους. Eamdem diuisionem clarius repetit inferius hoc eodem cap. §. 2. *sub finem* Dionyf. in sanctissimas mysteriorum siue sacramentorum operationes & cærimonias ἁγιαστείας τῶν τελετῶν ἱερουργίας, in deiformes ministros Sacramentorum θεοειδεῖς τῶν ἱερῶν ὑπουργοὺς & in eos, qui ab eiusmodi sacris, diuinisque ministris ad sacra congruenter & apte promouentur ἀναλόγως προσαγομένους Maximus in scholiis exponit Sacram cognitionem ἱερὰν γνῶσιν Doctores & discipulos διδασκάλους καὶ διδασκομένους quasi omnem hierarchicam rationem referat ad sacram cognitionem. Rectiùs dices cum S. Thom. *in supplem. q. 31. art. 1.* quosdam esse qui sacras & hierarchicas functiones exerceant; alios verò, qui eas tantùm recipiant: atque ita tota diuisio hierarchiæ fit in actiones quibus deiformitas, siue, vt loquitur Hugo *lib. 4. in cap. 13. Eccles. hierarch.* similitudo Imitationis Dei, quæ est totius hierarchiæ finis procuratur. Eiusmodi verò actiones sunt purgatio, illuminatio & perfectio, siue consummatio, aut consecratio, vti statim dicam. Secundò in eos, qui eiusmodi actiones exercent, & qui hierarchicè expiant, illustrant, & perficiunt. Tertiò in eos, qui actiones hierarchicas in se fe recipiunt, expiantur nimirum, illustrantur, & perficiuntur, atque ad Deiforme sic promouentur ab aliis. Quæ est ipsissima diuisio Dionysij in τελετάς, siue τελετὴν ἱερουργίας, in ὑπουργοὺς & προσαγομένους.

Diuisio actionis hierarchicæ.

2 Hæc autem singula membra iterum trifariam diuiduntur à Dionysio: nam §. 3. τελετὴν ἱερουργία sacra functio, siue potestas hierarchisandi, vt enim monuimus ex Maximo & Pachymo potestatem & actionem sine discrimine vsurpat Dionyf. diuiditur in κάθαρσιν, φωτισμόν, μύησιν, καὶ τελείωσιν, expiationem, illuminationem, eruditionem & perfectionem. Indeque fit triplex sacrorum ministeriorum, distinctio ἡ τῶν ἱερουργῶν διακόσμησις. κάθαρσιν τῶν ἀτελέστων φωταγωγίαν, τῶν κεκαθαρμένων, τελείωσιν τῶν πεφωτισμένων expiationem prophanorum, illustrationem expiatorum, & perfectionem illuminatorum, atque adeò sacer, & Ecclesiasticus ordo ἱερατικὴ διακόσμησις tribuendus est in καθαρτικήν, φωτιστικήν, & τελεσιουργικήν expiantem, illuminantem, & perficientem. Denique initiati τελούμενοι diuiduntur in eos, qui expiantur, illustrantur, & perficiuntur. In καθαιρομένους, φωτιζομένους & τελουμένους aliud enim est, vti obseruat Pachymus *in cap. 6. hierarch. Eccles. §. 3.* τελεῖσθαι, initiari; aliud verò τελειοῦσθαι, perfici & consecrari. Illud enim nomen καθολικώτερόν ἐστι τῆς τελειώσεως. Illud fit per καθαρσιν vel φωτισμὸν; Istud autem per solam τελείωσιν consummationem. Ideo Episcopatus vocatur §. 6. & 7. *huius capitis* τάξις τελειωτικὴ quia ipsi competit potestas consummandi consecrandi & perfectissimas actiones hierarchicas obeundi. Et Episcopi, dicuntur τελειωτικοὶ perfectores & perfecti. At verò τελεῖσθαι est initiari, siue primam perfectionis viam insistere, aut ferri in perfectionem δι' ἐνθέως προσόδου per perfectum in bonam vitam. Ideoque τελετάρχια initiatio primitiua *cap. 1. cœlest. hierarch. §. 3.* redditur ab Scoto perfectionis principiū, a Vercellensi sancta ordinatio Dei, quæ est principium perfectionis, à Perionio prima sacrorum mysteriorum institutio, & à Gallicano interprete. *Principe de toute ceremonie*: Quare non probatur mihi Sarraceni versio, dum reddit perfectionis principatum, nisi vocem illam pro principio & primo initio, vel origine; non autem pro opere & consummatione perfectionis vsurpet. Hinc τελετάρχος primitus initians & τελετάρχις ἱεροθεσία primitiua rituum sacrorum institutio, quam sanctus Maximus *in scholiis ad cap. 1. cœlest. hierarch. §. 3.* definit diuinam sanationem, quæ sacra nostra mysteria disponit & coaptat, & quæ perfectiuorum bonorum principium existit. Et quia Deus nobis se se accommodat, atque per symbola & quædam materialia nos adducit ad immaterialem hierarchiam Angelorum imitandam. Idcirco ab eodem Dionysio ibidem ea ordinatio diuina dicitur φιλάνθρωπος τελετάρχία. Quia verò Deus ipse est primum initium perfectionis, sed in se se perfectum, nominatur *cap. 3. cælest. hierarch. §. 2.* πρώτιστος αὐτοτελετάρχία. *Cap. vero 7. §. 3.* ait primam cœlestium Intelligentiarum hierarchiam ab ipso initiandi principatu consecrari τρὸς αὐτῆς τῆς τελετάρχίας ἱεραρχουμένην. Ex quibus vides quod monebamus τελεῖσθαι, esse aliquid communius, quàm τελειοῦσθαι. Et prius illud de quacunque perfectione, etiam inchoata duntaxat, vsurpari: posterius autem de consummata duntaxat. Ac proinde mirum non esse si initiari & τελούμενοι diuidantur in καθαιρομένους φωτιζομένους & τελουμένους, atque si quælibet perfectiua operatio dicatur τελεσιουργία.

Diuisio hierarchiæ cœlestis.

Hanc porrò triplicem diuisionem nostræ hierarchiæ probat Dionyf. exemplo cœlestis & legalis: & deinde illam singillatim exponit. 3

Et quidem hierarchia supercœlestium essentiarum imitationem τελετῶν siue consecrationem habet, ex Dionyf. *cap. 5. cit. §. 2.* immaterialem Dei, rerumque diuinarum cognitionem αὐλοτάτην νόησιν, & integrum diuinæ imitationis, quātum possibile est, statum τὴν θεοειδῆ ἀπλανῆ καὶ εἰς ὡς ἐφικτὸν θεομίμητον ἕξιν. Et sanè cùm finis hierarchiæ sit Deiformitas, vti iam monuimus & actiones hierachicæ, quibus, illa Deiformitas procuratur, sint purgatio, illuminatio, & perfectio, illæ non possunt nisi ratione cognitionis reperiri in Angelis. Nam nulla alia fingi potest in natura spirituali corruptio, quàm vel ignorantia veri, vel concupiscentia mali: à

à qua corruptione proficiscitur dissimilitudo: quia corruptio facit suum subiectum alterum, quam esse debeat, & quodammodo sibi ipsi dissimile, atque Creatori suo. Cum itaque aliqua natura spiritualis impeditur ne in eam corruptionem & dissimilitudinem præcipitet, vel ab ea extrahitur, & sibi atque Creatori suo iterum similis redditur, purgari dicitur: quod in Angelis fit per elongationem ab amore proprio & superbo: in qua elongatione castitatem angelicam collocant Doctores. Nam qui seipsum amat, in abiectionem, & admixtionem cadit, & se veluti contra Deum caput constituit, in quo tamen habere debuit inçasualem, & in transmutabilem purissimam collationem, de qua vide Hugon. *lib.7. cælest. Hierarch. cap.7.* & Paris. *2. part. de vniuerso 2.p. cap.*144. Hæc porrò elongatio ab amore proprio superbo fit humili cognitione & affectu, quo quis Deum se superiorem agnoscit, miratur, & timet atque ita fit per diuinam cognitionem purgatio ex corruptione, quæ ex concupiscentia mali procedit. Purgatio vero ex corruptione orta ab ignorantia veri, hoc est, DEI, fit per cognitionem diuinam nouam, vti idem Dionys. amplius explicat hoc eodem *lib. cap.6. 2. part. §. vltimo.* & Paris. *loco cit. cap.*146. eiusmodi puritatem constituit. *Non quidem in detersione sordium & materi elongatione ab illis, sed maiori receptibilitate beatissimarum influentiarum, quæ ex magnificentissima largitate Creatoris descendunt, & ad instar tersissimorum speculorum, hoc est nihil omnino fæculentiæ vel labis habentium efficiuntur ista spiritualia specula diuinæ pulchritudinis apparitionibus, siue resultationibus conuenientiora & receptibiliora.*

4 Natura rationalis iam purgata ab amore sui & ignorantia veri, diuinam veritatem clarius intueri & illi constanter inhærere incipit per illuminationem, quæ est purgatæ mentis per diuinum lumen excitatio ad habitum & vim cœlestia contemplandi.

5 Perfectio denique est illustratæ mentis eleuatio, corroboratioque ad bona illa vera & summa, quæ per scientiam perficientem agnouit participanda: ita vt sicut per illuminationem perficitur in cognitione, & scientia, siue contemplatione Dei: ita per perfectionem istam consummatur in participatione bonorum cognitorum, siue bonitatis perfectæ atque sanctitatis. Indéque fit, vt quam maximè remoueatur à veri ignorantia & concupiscentia mali, immutabilitérque stabiliatur in veri cognitione, & fruitione boni: in quo consistit perfecta Dei similitudo & initiatio.

6 Vides igitur initiationem & τελετὴν Angelicæ Hierarchiæ esse ἁπλουστάτην νόησιν: mystas vero & ad sacram illam perfectionem Duces atque Illuminatores, φωταγωγοὺς καὶ πρὸς τὴν ἱερὰν τελείωσιν ἡγεμόνας dixit Dionys. quia illæ deriuant in inferiores, & sibi subiectas secundum cuiusque captum ἀναλόγως, & cum magna, eximiáque beneuolentia ἀγαθοειδῶς quæ diuinam boni communicationem imitetur, deriuant, inquam, Deificas cognitiones à scientias θεουργικὰς γνώσεις sibi ipsis communicatas ac diuino & per se perfecto diuinarum & sapientificarum mentium principatum ὑπὸ τῆς αὐτοτελοῦς καὶ σοφοποιοῦ τῶν θείων νοῶν θεαρχίας. Ordines denique initiati τελούμεναι τάξεις sunt illi, qui à superioribus initiantur & erudiuntur μυούμεναι καὶ διδασκόμεναι: Sacro-sanctè enim deducuntur ad diuinam diuini principatus illustrationem ἀναγόμεναι πρὸς θεουργὸν τῆς θεαρχίας ἔλλαμψιν.

Legalis Hierarchiæ diuisio quoque tripartita.

5 Eadem tripartita distributio, distinctio, & diuisio reperitur in Hierarchia legali & Mosaïca, quam Deus indulsit tanquam infantibus νηπίοις: Eorum enim imbecillioribus oculis lumen proportionatum innocuè ἀβλαβῶς effundens diuinam cognitionem sub exilibus virtutum imaginibus ἀμυδραῖς τῶν ἀληθῶν εἰκόσι & simulacris, quæ ab exemplaribus plurimum dissiderent πορρωτάτοις τῶν ἀρχετύπων ἀπεικονίσμασι obscuris ænigmatibus & figuris δυσθεωρήτοις αἰνίγμασι καὶ τύποις non facilem indicatu intelligentiam atque contemplationem habentibus εἰς δυσδιάκριτον ἔχουσι τὴν ἐγκεκαλυμμένην θεωρίαν. In hac autem Hierarchia initiationem mystas & initiatos τελετὴν μύστας καὶ μυουμένους & τελουμένους habemus. Initiatio quidem τελετὴ siue mysterium fuit quædam à Typis legalibus & figuris ad spiritualem cultum introductio πρὸς τὴν πνευματικὴν λατρείαν ἀναγωγὴ vti interpretatur Pachym. & tradidisse Gregorium Theologum obseruat. Mystæ siue manuductores χειραγωγοὶ sunt illi: qui a primo ductore mysta & Duce Mose docti sunt tabernaculum illud non manufactum ἀχειροποίητον σκηνὴν. Nam secundum illud exemplar ipsi in monte monstratum legalẽ Hierarchiam descripsit; & idcirco omnia legalia, typos, imagines & figuras vocauit. Denique initiati τελούμενοι erant qui à legalibus symbolis pro captu suo ἀναλόγως ad perfectiorem quandam disciplinam deducebantur, ad hanc videlicet nostram, quàm primæ illius adimpletionem & finem, ἀποπλήρωσιν Scriptura vocat: quo sensu quoque dicitur Christus adimplere legem non soluere πληρωτὴς νόμου, οὐ καταλύτης & pictor, qui vmbræ colores addit, imagines implet ac perficit, non soluit aut perdit, inquit Pachym. Cum autem Hierarchia nostra media sit inter legalem & cœlestem, qui sensus est omnino Pauli ad Hebræos scribentis, & cum vtraque communicet, atque eorum extrema participet τῶν ἄκρων ἀντιλαμβανομένη. cum cœlesti etenim in spiritualibus contemplationibus νοηταῖς θεωρίαις conuenit; cum legali verò in sensibilibus symbolis αἰσθητοῖς συμβόλοις, debet & illam triplicem distinctionem habere, quam tradimus, nimirum initiationem, ordines initiantes, & initiatos, quos explicat paulò diligentiùs Dionys. cuius duntaxat enarratorem ago hoc loco, cum illius volus mentem in varia Ecclesiæ partitione & diuisione illius membris assignandis inuestigare voluerim.

Initiatio triplex in nostra Hierarchia.

Et quidem initiatio τελετὴ, quæ fit per mysteria & sacramenta quæ etiam τελεταὶ dicuntur, triplex est, 8
vti ex eodem monebamus κάθαρσις μύησις, siue φωταγωγία, & τελείωσις. Expiatio & κάθαρσις fit per cathechesim primò, deinde per Baptismum: sacra enim illa generatio θεογενεσία, Expiatio simul & splendor, siue illuminatio, est φωτιστικὴ ἔλλαμψις: perfectio autem & consummatio τελείωσις fit per Sacramentum Communionis, siue Synaxeωs & Eucharistiæ, & Sacramentum vnguenti, quia illorum participes effecti, accepimus perfectiuam scientiam τελεσιουργικὴν ἐπιστήμην eorum, quæ in Baptismo conspeximus, atque ita sanctè consummatur, perficiturque viuifica adductio & beatissima communio in diuinum principatum πρὸς τὴν θεαρχίαν ἑνωτικὸς ἀναγωγὴ καὶ μακαριωτάτη κοινωνία τελεσιουργεῖται.

Ordo Ecclesiasticus & sacer mystarum ἱερατικὴ διακόσμησις diuiditur in καθαρτικὴν, καὶ φωτιστικὴν καὶ τελεστικὴν τάξιν. Primi isti prophanos expiant, medij 9
purgatos illuminant; vltimi autem in quibus est suprema sacra potestas & priores continens ἐσχάτη καὶ ἀκροτάτη τῶν ἱερουργῶν δυνάμεων, καὶ τῶν προτέρων συγκεφαλαιωτικὴ, eos qui diuino lumini communicant

τοῖς θείοις φωτὶ αὐτοπτικῶς, perficit diuinarum illustratio num scientia ἐν ταῖς τῶν θεαμάτων ἐκφάνσεων ἐπιστημονικαῖς τελειώσεσι.

10 Vt verò varios istos mystarum & Sacerdotum ἱεραρχιῶν gradus & Ordines explicet, illustrétque Dionys. obseruat. §.4. huius capitis 5. quod exponimus hanc esse Sacrosanctam legem τὸν ἱερὸν νόμον diuinitatis & Hierarchiæ, vt secunda, siue media per prima adducantur ad diuinissimam lucem: quod in sensibilibus atque aspectabilibus rebus & Elementis cernimus, quæ in sibi cognata & vicina primò agunt, & mediis illis in remotiora efficacitatem suam deriuant. Quod maximus & Pachym. explicant exemplo vitri: illud enim priùs lumen solis recipit, & deinde vicina collustrat: & sane lumen omne per Diaphana corpora primùm permeat, & per illa obscura, crassioráque illuminat. Ignis materiam magis combustibilem inflammat: & deinde alias minus aptas comburit. Ita in omni tum visibili, tum inuisibili distinctione & Ordine εὐκοσμία certum est Deificos radios θεαρχικὰς ἀκτῖνας peruenire primo ad Deiformes εἰς τοὺς θεοειδεστέρους, & per illos deinde tanquam lympidiores & ad participationem, diffusionémque luminis πρὸς μετοχὴν φωτὸς καὶ μετάδοσιν magis idoneos in subiectos secundum eorum captum illucescere εἰς τοὺς ὑφειμένους ἀναλόγως. Sicut igitur primi illi spiritus, qui diuina primi contemplantur inferioribus sine inuidia & pro cuiusque modo ἀφθόνως ἐν συμμετρίᾳ explicare debent, quæ ipsi prius diuina spectacula sanctè conspexerunt ἐποπτευθέντα θεῖα θεάματα. Ita docere diuina sacramenta & omnia sacra τὰ ἱεραρχικὰ illorum munus est, qui omnia integrè, exactéque didicerunt, perfectam suæ functionis scientiam assecuti: & qui consummatam, atque sacratiorem docendi alios ea mysteria virtutem acceperunt. Tradere denique pro dignitate sacramenta est eorum, qui sciè & integrè ἐπιστημονικῶς καὶ ὁλοκλήρως sacerdotalis initiationis participes effecti sunt.

Pontificum ordo perfectiuus.

11 Vnde fit vt Pontificum ordo sit omnium Ecclesiasticorum diuina contemplantium, τῶν θεοπτικῶν primus, idemque summus & vltimus. Primus, quoniam ex eo cæteris quæ propria sunt donantur: vltimus quoniam in ipsum omnis Ecclesiasticus ordo desinit. Vt enim omnis Hierarchia humana & Angelica in Iesum tanquam in apicem & fastigium desinit: ita omnis sacra functio & Hierarchia in Pontificem & Hierarcham suum terminatur: & quemadmodum diuina Christi virtus in omnibus gradibus, ordinibus & distinctionibus Angelicorum spirituum conspicitur: ita virtus & potestas pontificalis ordinis in omnibus & singulis ordinibus spectatur & per singulos ordines etiam inferiores, vt administrantium & initiatorum congruenter operatur.

12 Quamquam diuina lex ipsi Pontifici Sacratiora & Augustiora quædam munera, quæ cæteris non competunt singulariter & vnicè attribuit: quæ nimirum per se πρὸς αὐτουργίας, & non per aliorum ministeria διὰ τῆς ἱερᾶς ἐνεργείας perficiat: quæ munera sunt perficientes, seu perfectiuæ imagines diuinæ virtutis, ac potestatis τελεσιουργοὶ τῆς θεαρχικῆς δυνάμεως εἰκόνες, quia nimirum perficiunt omnia diuina Symbola ἀποτελοῦσαι πάντα τὰ θειότατα σύμβολα, & omnes sacros ordines, siue sacras distinctiones πάσας τὰς ἱερὰς διακοσμήσεις consummant: quamvis enim aliqua ministeria à Sacerdotibus & Diaconis & cæteris ministris exerceantur: ea tamen aut fieri nequeunt, aut non habent suam integritatem nisi virtute à Pontifice deriuata & indigent eius etiam aliqua operatione, quæ perfectiua sit τελεσιουργοῦ συμβόλου, nisi enim fit vnguentum, altare & Episcopus siue Ἀρχιερεὺς, nullum munus sacerdotale perficietur: nam neque diuina regeneratio θεογενεσία Baptismi à Sacerdote consummabitur sine diuino vnguento, quo inungendus est baptizatus: non consecrabitur Eucharistia nisi communionis symbola imponantur diuino altari, quod ab Episcopo consecretur: non erit denique Sacerdos, aut minister, nisi illos Episcopus ordinauerit. Iure merito igitur ἡ τῶν ἱεραρχικῶν χειρελεσία vt air Pachym & vt loquitur ipsemet Dionys. ἱεραρχικῆς τάξεως ἁγιαστεία, omnis Hierarchici ordinis sanctificatio ἁγιασμοῦ, altaris quoque sacra consecratio ἱερὰ τοῦ θυσιαστηρίου τελεσιουργία. & vt reddit Pachym. καθιέρωσις: Iure, inquam, hæc tria dicuntur esse virtutes perfectiuæ τελεσιουργικαὶ δυνάμεις: & Episcopo fœlici quadam sorte attribuuntur, ἐξαιρέτως (singulariter, particulariter & simpliciter ἐξαίρετα μοναδικῶς καὶ ἀπολύτως, non secundum quid. Et partialiter ἢ κατὰ τι καὶ μερικῶς. Neque dissentit à Dionysio Pontificale Romanum, cum Episcopo attribuit alia quædam munera, nimirum interpretari, offerre & baptizare: quia Dionysius agit de muneribus ita Episcopo propriis, vt aliis non communia sint, cuiusmodi sunt illa tria addita à Romano Pontificali: nam sacerdotibus, aliisque ministris communia etiam sunt, vt fusius tertia parte huius operis exponemus.

Hinc igitur constat ordinem pontificalem ἱεραρχικὴν τάξιν præditum esse virtute perfectiua τῆς τελειωτικῆς δυνάμεως ἀναπεπλησμένην. nam primo perfecta quæque & perficientia munia totius ordinis Hierarchici ipse eminenter consummat & perficit τὰ τελεσιουργὰ τῆς ἱεραρχίας ἐκεῖνος τελειουργεῖ, vt diximus. Secundum rationes speciales visibilium signorum, quibus sacramenta traduntur, enarrat, atque interpretatur τὰς ἐπιστήμας τῶν ἱερῶν ἐκφαντορικὰς μυεῖ. Tertio denique ipsorum sacramentorum ordines, ipsorúmque rationes, vim & efficaciam edocet. Sic enim ea Dionys. verba intelligo ἐκδιδάσκουσα τὰς ἀναλόγους αὐτῶν, καὶ ἱερὰς ἕξεις τε καὶ δυνάμεις. Quid enim sunt illæ sacrorum analogiæ, proportiones, habitudines & potestates, nisi proportiones & rationes quibus constant sacramenta & sacra symbola atque efficacia, quam sortiuntur ex diuina institutione & lege θεία θεσμοθεσία: quæ omnia apprimè nouit Pontifex, & omnes alios ordines edocet. 13

Sacerdotum ordo illuminatiuus.

Ordo sacerdotum illuminandi vi præditus est φωταγωγικὴ τάξις Pontificum ordini subiectus: initiatos enim sacris fidei mysteriis per regenerationem adducit ad sacra, dum celebrantur, spectanda ἐπὶ τὰς θεάς τῶν τελετῶν ἐποψίας χειραγωγεῖ τοὺς τελουμένους, cum illa tamen subiectione, quam ad Pontificum ordinem, ad quem hæc primo loco pertinent, habet. Cum Pontifice porrò Sacerdos sua etiam propria officia peragit: explicat enim & docet sacratissima signa eorum mysteriorum, quæ ex suo munere operatur: Nam & ἰδικὰς ἱεουργίας habet, & diuina opera per sanctissima symbola demonstrat τὰς θεουργίας ὑποδεικνῦσα διὰ τῶν ἱερωτάτων συμβόλων & ad se accedentes προσιόντας facit spectatores θεωρητικοὺς ἀποτελεῖ, nimirum vt secundum spiritualem intelligentiam sacra mysteria speculentur, erudit pro mensura sibi præscripta, & denique participes efficit sanctorum sacramentorum τῶν ἱερῶν τελετῶν κοινωνούς. Verum eos, qui exactam, perfectámque sacramentorum τῶν θεωρηθέντων ἱερουργιῶν quæ viderunt, intelligentiam expetunt, ad Pontificem amandat; 14

amandat: eius ſiquidem eſt abſolutam huiuſmodi, & completam ſacrorum diſciplinam tradere.

Miniſtrorum ordo purgatiuus.

15 Miniſtrorum ordo λειτουργῶν τάξις expiatorius eſt & diſſimilia inuicem diſcernens, ac ſeparans καθαρτικὴ καὶ τῶν ἀνομοίων διακριτικὴ, nimirum prophana à ſanctis, & immunda à mundis; quod tum de verbis, tum de perſonis interpretatur Pachym. διακριτικὴ τῶν καλῶν, τῶν χειρόνων εἴτε προσώπων, εἴτε μὲν καὶ πραγμάτων: quia nimirum tum perſonas accedentium ad ſacra, tum rerum virtutes, & qualia ſint bona, qualia praua, diiudicat, fidelem ab infideli, indignum à digno diſtinguit. Accedentes igitur primum ad ſacra, antequam ad Sacerdotes adducantur, vt ab illis maiora myſteria ſuſcipiant, expiat & purgat & immunes ab omnium diſſimilium admixtione reddit, atque ita idoneos ad ſacra tum videnda, ſpectandaque tum ſuſcipienda efficit. Idcirco Diaconi ad Baptiſmum & Dei generationem θεογενεσίαν accedentem antiqua veſte exuunt, calceamenta detrahunt, ad occidentem abrenunciandi cauſa ſiſtunt, & ſurſum adducunt ad orientem, hortantúrque, vt prioris vitæ indumenta penitùs deponat, erroris priſtini tenebras aperiunt, docent, vt obſcuris operibus ablegatis ad clara ἐπὶ τὰ φωτιστικὰ transeat. Purgatos itaque adducit hic ordo ad ſacra Sacerdotum ἐπὶ τὰς φανὰς τῶν ἱερῶν ἱερουργίας ἀνάγουσα. Sicuti Sacerdotes ducunt ad Pontificem iam illuminatos, idem ordo fidei myſteriis rudes erudit, & purgantibus eloquiorum illuſtrationibus imperfectos purgat ab ignorantia, nimirum ἀτελέστους ἀποκαθαίρουσα καὶ μαιευομένη ταῖς καταρτικαῖς τῶν λογίων ἐλλάμψεσι, prophanos ſecernit, atque à ſacerdotibus arcet, ἀποδιαστέλλει τῶν ἀνιέρων τὰς ἱερὰς fores cuſtodit, τὰς πύλας ἐπιτηρεῖ ex Hierarchica lege ἱεραρχικῇ θεσμοθεσίᾳ, quamquam deinde id munus datum Subdiaconis obſeruent Maximus & Pachym. Ex eodem autem quod virtutibus expiatricibus, id eſt, Diaconis venientium ad ſacra introitus commiſſus fuerit, ſatis ſignificatur, qualis debeat eſſe iſte ad ſacra acceſſus, & ad contuitum, communionémque ſacramentorum deductio ἐπὶ τὰς ἱερὰς ἐποψίας καὶ κοινωνίας προσαγωγὴ: nimirum videre debent Diaconi, vt non niſi ab omni macula mundari introducantur.

16 Ex quibus probatum manet diuerſas eſſe Ordinum Eccleſiaſticorum virtutes, vti diximus: Pontificalis enim perfectiuus eſt τῶν ἱεραρχῶν τάξις τελεσιουργὸς καὶ τελειωτικὴ Sacerdotum ordo medius illuminans eſt ἡ τῶν ἱερέων φωτιστικὴ καὶ φωταγωγός. Miniſteriorum denique expiatorius & diſcernens mundos ab immundis ἡ τῶν λειτουργῶν καθαρτικὴ καὶ διακριτική. Ita tamen vt inferiores contineantur in ſuperioribus: Pontifex enim poteſt perficere, illuminare, & purgare τελεσιουργεῖν φωτίζειν καὶ καθαίρειν. Sacerdos verò non modo illuminandi, ſed etiam purgandi ſcientiam τὴν καθαρτικὴν ἐπιστήμην habet; cum tamen inferiores non poſſint quæ ſunt ſuperiorum propria præſtare: miniſtri ſiquidem non illuminant neque Sacerdotes perficiunt & vſurpationem indebiti ſibi miniſterij nominat proteruiam ἀλαζονείαν Dionyſius: quia ex parte noſtra Hierarchia Angelicam æmulatur. In ea enim ſuperiores ordines inferiorum proprietates obtinent, ac munera; non verò inferiores præſtare poſſunt quod præſtant ſuperiores: ex omnibus verò conſummatur perfecta Hierarchia. Quòd Stapulens *in cap. 6. Eccleſiaſt. Hierarch.* explicat exemplo vitæ intellectiuæ, ſenſitiuæ & vegetatiuæ: ex his enim tribus, hominis vita ſic coaleſcit, vt anima intellectiua alios gradus inferiores in ſeſe complectatur, addit Dionyſius in hac graduum Eccleſiaſticorum diſtinctione ſpectari diuinæ actionis in ſubiectas ſibi mentes imaginem quandam θείων ἐνεργειῶν εἰκόνας: illas enim Deitas θεαρχία primum expiat ἀποκαθαίρει, deinde illuſtrat, φωτίζει, & demum illuſtratas perficit ad Deiformem perfectionem φωτισθείσας ἀποτελεῖ πρὸς θεοειδῆ τελεσιουργίαν. Quatemeritò diſtinctiones Eccleſiaſticæ in primas, medias, & infimas diſtributæ & diremptæ ſunt, perficientem nimirum, illuminantem & purgantem. E quibus naſcuntur varij Ordines hactenus recenſiti. Atque hunc eſſe perpetuum tenorem diuinarum actiunum, quæ conſtanter & diſtinctè ἐνταῦθα καὶ ἀσυγχύτως eiuſmodi Ordinem ſeruant.

Eandem Ordinum iſtorum diſtinctionem & ſubordinationem tradidit Clem. *lib. 3. conſtit. cap. 46.* vbi Epiſcopos, Sacerdotes & Diaconos deſcribit, & officiis, atque muneribus ſecernit.

Triplex ordo initiatorum.

17 Hactenus recenſuit Dionyſius ſacros Ordines, qui poteſtate quadam & virtute ſibi diuinitus communicata exercent actiones Hierarchicas, & ſacra miniſteria, quibus alios ad Deiformitatem promouent expiatione, illuſtratione & perfectione. Reſtat ergo, vt eos, qui ad eandem diuinam ſimilitudinem promouentur & actiones Hierarchicas eam ob cauſam recipiunt, quos initiatos τελουμένους vocat exponat; quod *ſeq. c. 6.* præſtitit. Hi porrò ſunt in triplici differentia, vti ſuperius monuimus: alij enim expiantur, alij illuminantur, alij perficiuntur.

18 Expiantur illæ turbæ, quæ à ſacris actionibus & myſteriis excluduntur tanquam profanæ τῶν ἱερουργιῶν καὶ τελετουργιῶν ἀποδιαστελλόμεναι πληθύες, ita vt ne ipſas quidem ſacrorum imagines cernant vt ait idem Dionyſ. *cap. 3. §. 6. 2. parte.* Etſi enim ſacræ pſalmodiæ & ſcripturarum lectioni interſint, ad ſacrificia & diuina ſpectacula εἰς ἱερουργίας καὶ θεωρίας, non vocantur: ad ea enim Eccleſia iure perfectos, perfectorum oculos τελείους τῶν τελεσιουργῶν ὀφθαλμοὺς poſtulat. Turbas verò appellat: quia vt interpretatur Pachym. malum frequentiùs bono eſt: & quia numerus innocentium minor eſt multitudine ſontium, ſiue quia cum ſoleat Dionyſ. ad Deum accedentes & vni illi coniunctos ἑνουμένους τῷ ἑνὶ vniformes ἑνοειδεῖς appellare, eos, qui ab illo vno recedunt multitudinem & turbas πληθύες nominat, & quo magis ab illo vno diſtant, eo magis multiplicentur πληθυνόμενοι, quamvis pauci numero omnino exiſtant.

19 Hi porrò Ordines eiiciendi à ſacris & expiandi, antequam ad diuina admittantur ſpectacula, ſunt primò cathecumeni qui adhuc diuinis eloquiis obſtetricantibus ὠδίνουσι λογίοις ad vitalem partum πρὸς ζωτικὴν ἀπότεξιν efformantur μορφούμενοι καὶ διαπλαττόμενοι.

Secundò energumeni, tertiò pœnitentes, quorum plura genera deſcribit Dionyſius. Hi omnes a Diaconis & Miniſtris purgari debent, vt adducantur ad illuminantem lucidorum ſacrorum contemplationem εἰς τὴν φωτιστικὴν τῶν φανοτάτων ἱερουργιῶν θεωρίαν καὶ κοινωνίαν. De quibus ſingulis ordinibus alius erit diſputandi locus.

20 Secundò, ſecundus ordo, quem medium appellat Dionyſ. eſt eorum, qui iam expiati illuminantur, éſtque ordo ſanati populi τοῦ ἱεροῦ λαοῦ τάξις, qui ab omni labe nefaria expiatus καθαρθεῖσα πάσης ἀνιέρου κηλῖδος, & adeptus caſtam, & immobilem mentis ſuæ ſedem ἁγνὴν καὶ ἀκίνητον ἕξιν καὶ δύναμιν ἱερουργικῶς μετέχεται, & diuiniſſimis ſymbolis, ſiue ſacramentis participat κοινωνεῖ θειοτάτοις συμβόλοις. In eorum

autem

autem contemplationibus & communionibus sacro gaudio repletur, atque ad diuinum ipsorum scientiæ & cognitionis amorem, quantum ipsius vires ferunt, subuolat ἐν ταῖς θεωρίαις αὐτῶν καὶ κοινωνίαις ἁπάσης ἱερᾶς εὐφροσύνης ἀποπληρωμένη, καὶ πρὸς τὸν θεῖον τῆς ἐπιστήμης αὐτῶν ἔρωτα ταῖς ἀναγωγικαῖς αὐτῶν δυνάμεσιν ἀναλόγως ἀναπτερουμένη. sanctam itaque plebem in hoc medio ordine collocat Dionysius, hoc est interprete S. Maximo eos, qui in laicali statu habent integritatem & innocentiam τὸ ὁλόκληρον τὸ ἀνεπιτίμητον, & qui non expiati accedunt ad ea, quæ illuminant, inquit Pachym. Cum enim populus sanctus participet Sacramentis & illis pro suo captu symbola explicentur, iam & illa arcana intueri & eorum amore flagrare incipit. Id autem fit per Sacerdotes in concionibus & Catholicis institutionibus, quas ad populi capium accommodatas esse oportere satis significat Dionysius, cum ait populum in sacris illis contemplationibus ad quas, ἱερουργικῶς promouetur, ad diuinæ scientiæ amorem pro virili & proportionatè ἀναλόγως subuolare.

Consecrandæ Eucharistiæ ritus.

21 Vt verò faciliùs appareat, qua ratione sanctus populus ad sacras Theorias & contemplationes admittatur, repetendus est antiquus consecrandæ Eucharistiæ ritus, quem Dionys. *cap. 3. parte* 2. describit. Primò enim Pontifex multo suffitu sacrum altare veneratus totum chori ambitum circuit, & ad altare reuersus incipit sacram psalmodiam vniuerso ordine Ecclesiastico succinente. Exinde leguntur sacræ Scripturæ. Tertiò extra sacrum ambitum eiiciuntur cathecumeni, & energumeni, & pœnitentes: Hi enim nondum expiati sunt & purgati, remanéntque illi dumtaxat qui diuinorum aspectu & communione digni sunt οἱ τῆς τῶν θείων ἐποψίας καὶ κοινωνίας ἄξιοι. Quartò Ministri alij foribus assistunt, alij aliud operantur. Quintò vniuersa Ecclesia communem hymnologiam concinit: Nempè tum Ministri sacri, tum sacrorum spectatores contuentes sacro-sanctum Sacramentum concelebrant generali quadam laudatione, beneficiorum, munificúmque principium, à quo nobis exhibita sunt salutaria Sacramenta sacram initiatorum Deificationem operantia. Hunc verò hymnum alij hymnologiam, alij Religionis symbolum appellabant; Dionysius dicere maluit sacro-principalem gratiarum actionem, siue Hierarchicam Eucharistiam θειότερον ἱεραρχικὴν εὐχαριστίαν, vtque diuinitus dimanantia ad nos sacra dona celebrat. Sextò ea laudatione sacro-principali decantata, & Dei principali benignitate collaudata τῆς θεαρχικῆς φιλανθρωπίας ἱερῶς ὑμνηθείσης sacerdotes & primi ministri τῆς λειτουργικῆς διακοσμήσεως ἔκκειται sacrum panem coopertum & Calicem benedictionis altari imponunt. Septimò Pontifex sacram orationem facit cunctis pacem apprecatur. Octauò subsequitur salutatio, & amplexus, atque pacis osculum. Nonò succedit mystica & supermundialis sacrarum tabularum recitatio τῶν ἁγιογράφων πτυχῶν ἡ μυστικὴ καὶ ὑπερκόσμιος ἀνάρρησις. In his tabulis nomina sanctorum iam cœlo receptorum continebantur. Decimò Pontifex & Sacerdos aqua manuus abluunt. Vndecimò Pontifex assistit altari eorum sanctissimis symbolis vnà cum sacerdotibus & Ministrorum primoribus. Duodecimò diuinissima munera collaudat. Decimotertiò diuinissima mysteria consecrat ἱερουργεῖ τὰ θειότατα. Decimoquartò, ea deinde contuenda proponit. Decimoquintò exhibitis ita diuinorum operum muneribus ad sacram ipsorum communionem accedit, & cæteros inuitat. Decimosextò accepta, datáque diuina communione, gratias agit vnà cum totius Ecclesiæ plenitudine.

Cur populus sit in ordine illuminatorum.

Ex his summariè collectis ex Dionysio, qui ipsorum rationes mysticas fusissimè explicat, & nos ipsi commodiori loco non indiligenter retractabimus, manifestum fit, cur sanctum populum, qui ad sacra mysteria admittitur, dicat Dionysius esse in ordine illuminatorum: quia nimirum illi fas est sacra symbola atque sacramenta intueri & participare, atque ad diuinas ipsorum Theorias & contemplationes admitti ἀναλόγως proportionaliter, plerique enim quamuis diuina symbola contueantur, nihil sublimius considerare possunt: à Sacerdotibus tamen & Pontifice edocentur. Illi enim altiùs per sublimem suam scientiam assurgunt & mysteria penetrant: qui verò adhuc expiantur, cuiusmodi sunt cathecumeni, energumeni, pœnitentes ne imagines quidem sacrorum contueri permittuntur vt iam cum eodem Dionysio monuimus. 22

Monachorum ordo supremus initiatorum.

Vltimus ísque supremus initiandorum ordo τελουμένων est eorum, qui perficiuntur, Monachorum videlicet. Hic enim ordo iam expiatus omni piaculo tota vi & propriarum actionum sanctimonia fuit πάσης μὲν ἀποκεκαθαρμένη καθάρσει ὁλικῇ δυνάμει καὶ παντελεῖ τῶν οἰκείων ἐνεργειῶν ἁγνότητι, & omnis mysterij, quod quidem fas sit aspicere, particeps factus traditur Pontificum ordini, vt ipsorum diuinis illustrationibus & pontificiis institutis ἐνθέοις ἐλλάμψεσι καὶ ἱεραρχικαῖς παραδόσεσιν eruditus ad perfectissimam perfectionem pro suo modulo proueharur ἀναλόγως εἰς τελειοτάτην ἀναγομένη τελείωσιν. Quæ elegāti paraphrasi illustrat Pachym. Cæterùm inquit quoniam Monachorum ordo propter omnimodam sanctitatē, expiationē, & illuminationem complectitur, ostenditur habere expiationem, per quam etiam illuminatorū proprietatem obtinet, imò etiam eorum, qui in spiritu perficiuntur, illuminatorū quidem, quoniam quantum fas est, omnis actionis sacræ per spiritualē cōtemplationem & communionem particeps existit. Perfectorum verò, quia virtutes habens Hierarchicas, iisdémque exornatus ad scientiæ sacræ perfectionem pro captu adducitur: ita vt iure merito istiusmodi viuendi institutum sublime quid habeat, cum in se tres initiatorum ordines complectatur, hoc autem probat Dionysius tum ex nomine Monachi & Therapeutæ, quo illum ordinem Patres appellarunt: tum ea Consecratione, qua à Sacerdotibus consecrantur. Nam Therapeutæ & Monachi nomen significat ipsos à sincero Dei cultu & indiuidua atque singulari vita sanctis rerum diuiduarum coniunctionibus ad Deiformem vnitatem, Deóque gratam perfectionem adduci ἐκ τῆς καθαρᾶς ὑπηρεσίας καὶ θεραπείας, καὶ τῆς ἀμερίστου καὶ ἑνιαίας ζωῆς, ὡς ἑνοποιούσης αὐτούς, ἐν ταῖς τῶν διαιρετῶν ἱεραῖς συμπτύξεσιν, εἰς θεοειδῆ μονάδα καὶ φιλόθεον τελείωσιν. Consecratio vero, quæ fit per inuocationem, non quidem ab Episcopis, sed à sacerdotibus, est secunda ab illa, qua consecrantur à Pontificibus ipsimet Sacerdotes. Hæc nomina manifestè ostendunt huiusce ordinis præ aliis omnibus, qui initiantur, expiantur, videlicet illuminantur, atque perficiuntur dignitatem, quamuis neque ipse expiatorius illuminatiuus, aut perfectiuus sit. Sed de his omnibus alius erit sigillatim disputandi locus. 23

Hierarchia,

Hierarchia adæquata diuisio.

24 In præsentiarum enim spectamus duntaxat Hierarchiæ adæquatam diuisionem adductam à Dionysio, *& hoc ipso cap. 6, part. 3. §. 5.* paucis repetitam, nimirum totam Hierarchiam, cuius finis est Deiformitas habere triplicem actionem, nempe initiationem, expiationem, illuminationem & perfectionem. Tres ordines initiantes, nimirum Diaconos & ministros, siue lithurgos, expiantes consummantes siue perficientes. Denique triplicem quoque esse ordinem initiandorum, expiatorum scilicet, quo sacrorum aspectu & communione frustratur ὁ τῆς ἱερᾶς ἐποψίας, καὶ κοινωνίας ἀμέτοχος, in quo numerantur cathecumeni, energumeni, pœnitentes. Ordo illuminatorum quibus sacrorum indulgetur aspectus, est sanctus populus. Ordo eorum, qui perficiuntur, est Monachorum. Neque alius in Ecclesia ordo est, qui ad aliquem istorum reuocari non possit. Ita vt hæc Hierarchiæ diuisio Ecclesiæ quoque adæquatam diuisionem contineat. Neque vti aliàs monui insolitum est Hierarchiam in ampliori quadam significatione pro Ecclesia vsurpari. Verum quidquid sit de ea quæstione vocis, nemo dubitabit, quin Ecclesia secundum suum finem spectata & Deiformitatem, ad quam tendit, actionésque quibus suum illum finem obtinere contendit, sapienter & adæquatè diuidatur in ordines, hactenus à Dionysio Hierarchiæ Ecclesiasticæ assignatos.

QVÆSTIO IV.

De diuisione Ecclesiæ in varios status, maxime in statum vitæ communis & perfectionis.

Quid sit status, quid officium, quid gradus. n. 1.
Status dicit perfectionem cum aliqua immobilitate. n. 1.
Qualis sit illa immobilitas & vnde oriatur. n. 2. 3.
Quo sensu dicatur status peccati. n. 3.
Vnde dicantur varij alij status. n. 4.
Immobilitas status non est omnimoda. n. 5.
Quid sit officium. n. 6.
Quid sit gradus. n. 7.
Quid sit perfectio Christiana. n. 8.
Prima difficultas, in quonam essentialiter consistat perfectio vitæ Christianæ. n. 9.
Et primò quidem includit gratiam sanctificantem. n. 10.
Secundò continet virtutes Theologicas. n. 11.
Ex comparatione beatitudinis patriæ. n. 12. 13.
Secunda difficultas in quonam consistat principaliter Christiana perfectio. n. 14.
In charitate. ibid.
Tertia difficultas in quonam perfectio Christiana consistat totaliter. n. 15.
Quomodo integretur ex omnibus virtutibus. n. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23 24.
Obiectio, qua ostenditur solam charitatem esse formam perficientem hominem. n. 20. 21, 22.
Satisfit obiectioni. n. 23.
Quarta difficultas, an perfectio Christiana consistat in habitu vel actu. n. 25.
Ratio dubitandi. n. 25. 26.
Soluitur difficultas. n. 27. 28.
Quinta difficultas, In quanam charitate constituenda sit principaliter perfectio. n. 29.
Multiplex perfectio charitatis ex S. Thom. n. 30.
Quomodo amor beneuolentiæ & concupiscentiæ differant. n. 31. 32. 33.
Varij vtriusque amoris gradus. ibid. & n. 32. 33.
Perfectio essentialis charitatis, ex obiecto, ratione motiua & *modo tendendi.* n. 34.
Obiectum charitatis quodnam sit. n. 35. 36. 37.
Quanam sit ratio formalis sub qua, siue motiuum charitatis. n. 38. 39. 40. 41. 42 43.
Idem actus est amor amicitiæ & concupiscentiæ. n. 43. 44.
Honestum est obiectum amicitiæ. n. 44.
Ratio vltima specificatiua amoris. n. 45.
Spes est amor concupiscentiæ, & tamen virtus Theologica. n. 46.
Quæ sit tandem ratio formalis charitatis. n. 47. 48.
Modus tendendi essentialis charitatis. n. 49.
Quid sit Deum amare super omnia. ibid. & n. 50.
Perfectio substantialis charitatis extensiua & intensiua. n. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57.
Perfectio accidentalis & extrinseca charitatis. n. 58.
Resolutio quæstionis, in qua charitate consistat perfectio Christiana. n. 59. 60. 61. 62. 63.
Sexta difficultas an perfectio consistat in præceptis, an in consiliis. n. 64. 65. 66.
Septima difficultas, quid sit imperfectio. n. 67.
Quid sit status perfectionis. n. 68. 69. 70.
Prima difficultas quanam immobilitas ad statum perfectionis sit necessaria. n. 71. 72. 73. 74. 75.
Secunda difficultas, quanam sint opera, ad quæ status perfectionis obligat. n. 76.
Sunt opera tam præceptorum, tam aliquorum consiliorum. ibid. & n. 77. 78. 79.
Tertia difficultas, quanam Ecclesiæ institutio & approbatio ad statum perfectionis postuletur. n. 80.
Duplex approbatio speculatiua & practica, & vtraque positiua aut negatiua. n. 81.
Quanam ex his approbationibus requiratur. n. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92.
Qualis sit diuisio statuum Ecclesiæ in statum perfectionis & statum vitæ communis. n. 93.
Est adæquata diuisio. ibid.
Est vt includentis & inclusi. n. 94.

Prima

HÆc diuisio traditur à S.Thom. 2.2.q.184. *art.2.* quem magno consensu sequuntur Theologi & Canonistæ: quare hoc loco paucis explicanda erit. Quia tamen in hac controuersia plurimæ aliæ continentur, illam in aliquot paragraphos perspicuitaris causa distribui.

Quid sit status, quid officium, quid gradus.

1 Obserua primo vocis huius status multiplicem quidem esse significationem, quam diligentius à nobis explicari hoc loco nihil attinet; communior tamen acceptio duplex est: prima vniuersalior pro quacunque vitæ conditione, & peculiari viuendi genere: Secunda pro perfectione in certa vitæ conditione, sed cum aliqua permanentia & immobilitate; sicut enim in Physicis status naturalis est recta dispositio omnium partium corporis cum quadam permanentia & quiete: si enim corpus suam naturalem perfectionem, vel partium positionem sibi connaturaliter debitam non habuerit, aut si moueatur, donec terminum sui motus attigerit, non dicitur stare: ita & in moralibus status hominis est quædam hominis recta dispositio, siue perfectio in aliqua conditione, aut vitæ genere, & in ordine ad operationes eius præcipuas cum immobilitate aliqua.

Hæc verò immobilitas cum moralis sit & non physica, aliunde oriri nequit, quàm ex aliqua morali obligatione aut ex alia quapiam causa morali permanente, nec facilè mutabili: omnis autem obligatio subiectionem aliquam & veluti seruitutem dicit, sicut & solutio ab obligatione libertatem, vnde fit vt omnis status moralis respiciat subiectionem siue seruitutem & libertatem, per quam homo fiat sui, vel alieni iuris. Ex quibus facile capies, cur S.Thom. 2.2.q.183. *art.1.* dixerit omnem statum propriè pertinere ad seruitutem, vel libertatem siue in spiritualibus siue in ciuilibus: nomine enim seruitutis intelligit sanctus Doctor quodlibet vinculum subiectionis, vel obligationis ad alium: & nomine libertatis significatur carentia eiusmodi obligationis: quo sensu status coniugalis dicitur esse seruitutis, status autem vidualis, & virginitatis est status libertatis: viduæ enim & virgines solutæ sunt lege connubij & obligatione, quam inuicem contrahunt coniuges. Non vult tamen sanctus Thomas quamcumque carentiam obligationis constituere statum sicut neque quamcunque obligationem & subiectionem, nisi tum ea obligatio, tum eius carentia ex causa permanente, & non facilè mutabili proueniat. Sic famulus licet obligetur Domino ministrare, quia tamen ea obligatio non habet causam permanentem, non est in statu seruituris: neque virgo aut vidua nisi habeant firmitatem & immobilitatem quamdam in vita continente, constituuntur in statu per carentiam seruitutis coniugalis. Itaque status est certum quoddam vitæ genus, quod habet causam permanentem, atque ex natura sua difficilè mutabilem obligationis vel libertatis, quæ in eiusmodi vitæ genere reperitur. 2

Hæc autem causa immobilitatis varia & multiplex est secundum exigentiam materiæ, in qua status reperitur. Nam in seruitute humana, & ciuili immobilitas oritur ex iusto titulo domini in seruum, siue eiusmodi titulus sit bellum, siue emptio, & venditio, siue quilibet alius contractus, siue natiuas ex matre serua: immobilitas libertatis opposita illi seruituti oritur ex lege naturali, qua homo natura sua liber est, qua libertate priuati nequit inuitus sine publica potestate & graui causa, quæ etiam requiritur, vt se ipse sua libertate abdicet, & vendat, aut se donet in seruum. In spiritualibus verò status peccati est status seruitutis ex S.Thom 2.2. *quæst.*183. *art.*4. propter debitum pœnæ, & quandam necessitatem seruiendi peccato, quod suo pondere premit, & trahit in aliud, eius immobilitas oritur, vel ex procliuitate ad malum, vel ex difficultate recuperandi gratiam amissam, & delendi peccatum, non est quidem vlla in eo statu permanendi obligatio, & idcirco in illa explicanda frustra sese vexat Caietan. sed est, vt dixi, necessitas quædam moralis, quandoquidem nequit 3

nequit peccator ex eo statu suis se viribus liberare. Et quamuis ratio status, vt initio monebam, postulet dispositionem conuenientem & secundum naturam, atque idcirco homo iacens non dicatur stare, & ratione peccati homo sit potius contra naturam, quam secundum illam dispositus; ac proinde videri possit alicui statum peccati non esse proprium: quia tamen consummationem quamdam in suo genere habet, status dici potest, præter quam quod apposita ad idem genus reducuntur: peccato autem appositus status gratiæ est vetus status tum libertatis ex Caietano, à seruitute peccati & obligatione pœnæ perpetuæ, tum amicitiæ diuinæ, atque etiam seruitutis diuinæ, quæ est nobilissima libertas vti Paulus significat *ad Rom. 6.* importatq; suauissimam obligationem seruiendi Deo, ipsum amandi & colendi, eius immobilitas petitur à gratia, quæ ex se permanens est, & stabilitatem affert.

4 Status Regularis est status seruitutis propter peculiarem subiectionem, & obligationem, quam inducit: eius immobilitas est à voto, professione, vel pacto aliquo. Status sæcularis est status libertatis à regulari iugo & obligatione: eius causa permanens est ius libertatis naturalis, quod ex sua natura firmum & permanens est, quandiu quis volens seruituti Religiosæ non se mancipat. Status Clericorum est quidem suo modo status seruitutis: in eo enim diuino cultui persona dicatur & consecratur. Causa immobilitatis est Sacramentum, vel saltem Sacramentale initerabile, nimirum prima tonsura; & deinde sensim perficitur per verum Sacramentum immobile, characteremque indelebilem imprimens. Status laicorum status libertatis est à clericali obligatione & destinatione ad certa quædam munera, cuius causa immobilis, est naturalis libertas. Simili ratione status coniugij est status seruitutis vt dixi, cuius causa perpetua est contractus natura sua indissolubilis: status vero virginitatis & viduitatis vel est status libertatis ab obligatione coniugali: & pro causa permanente habet ius naturale libertatis: vel est status seruitutis propter obligationem seruandi castitatem, habetque causam immutabilem, nimirum votum aliquod.

5 Vides igitur hac inductione omnem statum includere firmitatem, aliquam permanentiam, & immutabilitatem in certo vitæ genere, cuius immobilitatis moralis sit causa aliqua difficilè mutabilis: non requiri tamen omnimodam immobilitatem: nam potest vnus status absolutè loquendo mutari in alium. In politicis enim cessat status seruitutis per liberam manumissionem & status libertatis per captionē venditionem, donationem, & aliis pluribus modis: status peccati adueniente gratia perit; amissa autem gratia reincidit quis in eamdem peccati seruitutem. Status Regularis dispensatione votorum & obligationis Religiosæ desinit, atque ita de cæteris: quia nimirum status non postulat vinculum prorsus immutabile, sed tantum moraliter fixum & permanens. Quare facile solues omnia, quæ contra hanc status immobilitatem à S.Th. requisitam obijciebat Henriq. *quodlib.* 12. *q* 29. quam totam disputationem de solis vocibus esse plerique tum veteres, tum recentiores aduerterunt: quāuis enim ratio generica status eam immutabilitatem minimè requireret, satis foret, quod in restrictiori aliqua significatione ita vsurpari possit status: & quod reuera ita consideretur in ista materia de vitæ Christianæ statibus, quam modo explicamus. Non placet vero quod Caiet. 2.2. *q.* 183. *art.* 1. *in princip.* & eum sequutus Valent. 2.2. *disp.* 10. *q.* 1. *punct.* 1. vt argumentis ab Henrico allatis satisfacerent, dixerunt statum respicere obligationem non aliquo modo determinato, sed vel positiuè vel negatiuè. Quia vero non minus difficilè est, vt aliquis ex obligatione & subiectione asseratur in libertatem, quàm vt ex libero fiat subiectus & seruus: idcircò retinetur immobilitas in statu eo, quod respiciat obligationem aliquam positiuè, vel negatiuè, hoc est vel obligationem, vel eius carentiā, quæ est libertas. Non placet, inquam, hæc distinctio: quia carētia obligationis videtur mihi carētia immutabilitatis, quandoquidem hæc immutabilitas est tantū moralis quædam stabilitas, quæ sine obligatione intelligi nequit: neq; video quomodo carentia obligationis aliquid conferat ad immobilitatem conditionis, per quā persona dicitur esse in statu. Vnde dicendum est hanc immobilitatem non peti ab obligatione, aut eius carentia; sed a causa aliqua permanente & difficile mutabili, per quam persona retinetur in illa conditione vitæ, in qua existit; siue ea conditio vitæ sit seruitus; siue libertas. Quia vero nemo legem sibi imponere potest, à qua recedere non liceat *l. si quis* 21. *initio ff. de legat.* 3. *& l.* 7. *§.* 8. *de donat. inter virum & c. Lucius Titius* 40. *ff. de fidei commiss. & l. Nec si volens C. de liberali causa.* Existimat Pontius *lib.* 7. *de matr. c.* 4. *num.* 4. ad veram status immobilitatem requiri donationem, per quam is, qui in statu cōstituitur, transeat in ius & potestatem alterius: quamdiu enim manet sui iuris & non obstringitur alia lege, quàm ea, quam sibi ipse dixit, & à qua potest pro arbitrio recedere, reuera non est in conditione immobili vitæ, ac proinde neque in statu propriè dicto: ille enim nos in alterius potestate constituit: quod fit manifestū inductione seruitutis, Episcopatus, Religionis, coniugij: illi enim sunt proprij status. Clerici verò qui nulli certæ Ecclesiæ sunt mancipati, virgines, viduæ &c. non sunt propriè in statu. Et idcirco S. Thomas statum dixit respicere seruitutem aut libertatem: quia omnis status ita respicit subiectionem, vt qui in alterius potestate non est, sed liber est, non sit in statu propriè sed in libertate & statu, quamuis & ea conditio vitæ significetur quoque nomine status: quæ doctrina si in rigore loqui placeat, verissima est.

Officium sumitur in ordine ad operationes, quæ vnicuique personæ congruunt; siue est id, in quod quisque incumbere debet, atque ex diuersitate operationum, quas diuersarum personarum conditiones postulant, nascitur tum diuersitas officiorum, tum huius nominis multiplex significatio in iure vtroque. Et S. Thom. 2.2. *q.* 183. *art.* 3. *ad* 2. ait officia distingui secundum actus, qui ad alios pertinent; status autem in ordine ad actus qui conueniunt homini secundum se. 6

Gradus includit aliquem ordinem superioris & inferioris inter personas, quæ dicuntur in altiori, aut inferiori gradu consistere, ducta similitudine scalarum, locorumve procliuium, per quos ita ingredimur, vt à proximo in proximum gradiamur siue ascendendo, siue descendendo. Inde gradus dignitatis, ætatis, cognationis, & similes vsurpantur. Itaque status, officium & gradus in vno, eodemque subiecto reperiuntur, & per solas connotationes distinguuntur: neque enim qui sunt in eodem statu, sunt quoque in eodem officio & gradu sed in diuersis plerumque. 7

Quid sit perfectio Christiana.

Obserua secundo quidnā sit perfectio Christiana: non enim possumus explicare statum perfectionis & illum ab statu vitæ communis distinguere, nisi priùs nobis constet quid sit perfectio Christiana quod inquirit S.Th. *opusc.* 18. *&* 2.2. *q.* 184. S.Bonau. *in apologia paup. respons.* 1. *c.* atque alij deinceps. In hac porrò quæstione multiplex includitur difficultas. 8

PRIMA DIFFICVLTAS.

In quonam essentialiter consistat Christiana vitæ perfectio?

9 Respondeo perfectionem vitæ Christianæ complecti essentialiter gratiam sanctificantem & tres virtutes Theologicas, fidem spem, & charitatem; ac proinde non esse vnam aliquam formam simplicem, sed plurium collectionem: eadem plane ratione, qua diximus beatitudinem patriæ in visione intuitiua Dei & amore ipsam necessario consequente essentialiter consistere.

10 Et quidem quod attinet ad gratiam sanctificantem, cum illa det formaliter esse supernaturale, sitque essentia illius esse cuius deinde cæteri habitus supernaturales sunt veluti potentiæ, impossibile est vel animo cogitare perfectionem alicuius esse & vitæ supernaturalis, non intellecta forma, quæ formaliter est tale esse supernaturale constitutum, & disputari tantum de operatione vel proximo eius principio, eo quod actus secundus sit vltima perfectio, vltimúmque complementum naturæ. Verum cum gratia sanctificans ita esse supernaturale existat, vt simul sit terminus diuinæ amicitiæ, quam complet: per charitatem enim amamus Deum; per gratiam verò ipse nos amat atque ita perficitur non tantum contractus spiritualis connubij, sed ipse quoque complexus, vt ait Bernard. *serm.* 83. *in cantic.* & in ea perfecta vnione, ac complexu sit perfectio, necessario & essentialiter gratia sanctificans ad illam requiritur. Quod confirmatur primò ex modo istius vnionis, quæ fit per gratiam. Vel enim est tanquam vinculum, quo Deus vnitur sanctis præsentia quadam reali distincta à tribus vulgatis, quibus omnibus creaturis præsens est, vti censet Lessius *lib.* 8. *de summo bono, & lib.* 18. *de diuin. perfect. cap.* 11. sequutus Magist. *in* 1. *dist.* 37. cui opinioni fauet omninò August. *tract.* 111. *in Ioan.* vel saltem ea est huius vnionis per gratiam vis vt ex sua natura præsentiam realem postulet. Quare si Deus ex sua immensitate non esset vbique præsens, sisteret se tamen animæ vi huius vnionis: ideóque nouo quodam titulo fit illi substantialiter præsens. Quod per quamdam analogiam ad vnionem hypostaticam Suarez explicat *lib.* 12. *de Trinit. cap.* 5. & idcirco hunc modum existendi reducit Aureolus ad modum existendi per essentiam *in* 1. *dist.* 37. Quod ita ibidem explicat Bonau. *art.* 3. *q. vlt.* vt Deus sit in rebus per modum existentis, & assimiletur lineæ rectæ; in sanctis autem sit per gratiam per modum redeuntis, & assimiletur lineæ reflexæ: In Christo autem per modum vnientis & perficientis, quem comparat lineæ circulari. Qui modi quamuis subtiliores sint, & difficiles intellectu, & in iis explicandis immorari non placeat; nihilominus vnionem realem hominis cum Deo per gratiam docent. Confirmatur secundò, quia gratia forma quædam est diuinæ naturæ participatio & homines in Deum transformans vti 1. 1. fusiùs ostendimus, ideóque per illam generari & filij Dei effici dicimur. Denique cum ratione solius gratiæ debeantur principia proxima diuinarum & supernaturalium operationum, in quibus perfectionem alij constituunt, non debet à perfectione magis excludi, quam anima à perfectione hominis: & licet in actu secundò & operatione perfectionem cuiusque naturæ Philosophi vulgò constituant: id tamen de vltimo tantum complemento perfectionis, non de ipsa perfectione essentialiter sumpta intelligendum est. Perfectio enim essentialis tum actum secundum, tum eius principium includit: & perfectio hominis ita in nobilissima operatione consistit, vt simul æque essentialiter gradum intellectiuum, principium intelligendi, atque ipsam intellectionem contineat, quamuis gradus ille intellectiuus non sit vltimo completus & perfectus absque intellectione actuali.

Dixi secundò ad perfectionem Christianam essentialiter exigi tres virtutes Theologicas: quia per illas solas Deo tanquam fini nostro & summo bono supernaturali coniungimur, illudque quantum mortalitas ista patitur, possidemus. Perfectio autem cuiusque rei consistit in coniunctione cum suo summo bono & fine quæ est S. Thom. 2. 2. *q.* 184. *art.* 1. Ratiocinatio, quam vt intelligas, obserua cum Pesant. *in* 1. 2. *q.* 3. *art.* 4. *disp.* 2. in omni natura creata reperiri inclinationem & propensionem ad proprium bonum, & præterea facultatem eiusdem boni consequutiuam, quæ ab ea inclinatione diuersa est. Ita in lapide est appetitus innatus ad centrum, quod acquirit grauitate & eius operatione grauitatione, sicut ignis leuitate sedem superiorem ad quam naturaliter tendit, occupat. In animantibus appetitus distinctus est a potentiis exequentibus & boni concupiti comparatiuis: neque per inclinationem dicitur illa natura possidere, aut obtinere suum bonum, sed per facultatem consequutiuam, & velut eius prehensiuam, per quam tale bonum sistitur præsens vt in eo quiescere possit natura, quæ ad illud inclinabatur. Hæc tamen possessio & prehensio boni naturalis in quo consistit fœlicitas & perfectio naturæ cuiuslibet, debet esse conformis inclinationi & in ordine ad amorem & fruitionem, per quam in bono obtento quiescat, atque per eam fruitionem amoris, tandem completur beatitudo & perfectio: quod in beatitudine supernaturali 1. 8. ita explicabimus. 11

Nam in ea primò considerare licet inclinationem, amorem & impetum voluntatis in illud summum bonum quod respicit æque absens ac præsens, quamuis ex eius præsentia ferè in immensum crescat. Hæc tamen inclinatio & amor non est eius boni aut consecutio, aut apprehensio, sicut neque eius fruitio, quæ bonum præsens supponit, non facit. Sequitur itaque hanc inclinationem & amorem visio, quæ prehensio boni est, quia illud in quod inclinabat amor, præsens facit, vt eo per amorem, siue distinctus sit à priori inclinatione, siue sit illa eadem perseuerans & ex boni præsentia, vt dicebam, aucta fruatur, est enim visio, siue intellectio, vt ait Aureolus *in* 4. *dist.* 49. *art.* 5. motus rei in anima & translatio deesse reali ad extra, adesse præsens ad intra: trahit etenim, vti vulgò dicitur animus obiectum ad se per intellectum, qui illius imaginem efformat & illi quoddam esse intentionale confert: Quare visio non potest esse nisi de obiecto præsenti. Quod si visio sit intuitiua, est de obiecto, tum realiter, tum intentionaliter præsenti: amor autem non facit obiectum præsens, nam etiam in absens fertur: præsenti tamen animam vnit, ac in illud transformat. Quod Dionysius pluribus exponit *c.* 7. *cœlest. Hierarch.* visio vnit obiectum potentiæ & amor potentiam obiecto, vt acutè distinguit Aureol. amor præuiam illam vnionem intellectiuam, qua obiectum redditur præsens, perficit vnione affectiua & transformatiua in obiectum ipsum, in quo tanquam in termino motus quiescit. Atque ita fit in beatitudine omnimoda per vtramque potentiam, & in quantum Deo vnibilis est, beatæ mentis vnio, vt ait Rich. *in* 4. *dist.* 49. *art.* 1. *q.* 6. totamque se cum tota mente miscet trinitas, sua luce illam collustrans, vt loquitur Nazianz. *orat. in plagam grandinis.* & deinde videndo Dei charitatem intra Deum est pia mens, & ab eo subsistentiam vitæ accipis, inquit, Irenæ. *lib.* 4. *cap.* 37. Vides igitur ad bea- 12

titudinem

titudinem ſupernaturalem patriæ requiri eſſentialiter tum viſionem, tum amorem. Quod diſertè quoque aſſerit Auguſt. *lib. 8. de Ciuit. cap. 9. & lib. de morib. Eccleſ. cap. 3.*

13 Inde verò per Analogiam ad huius vitæ ſupernaturalem beatitudinem ac Chriſtianam perfectionem, quæ in vnione quoque cum ſummo bono & vltimo fine hominis conſiſtit, vti dicebat S. Thom. non malè arguimus, & ad eam vtrámque vnionem tum intellectiuam, tum affectiuam & transformatiuam requirimus, ac proinde virtutes Theologicas, quibus vtraque illa vnio perficitur, diximus eſſe Chriſtianam & ſupernaturalem hominis viatoris perfectionem. Sapienter enim monet Bernard. *Epiſt. 18. his ergo fortaſſe quaſi duobus animæ brachiis, intellectu ſcilicet, & amore, id eſt, cognitione & delectatione veritatis amplectitur, & comprehenditur ab omnibus ſanctis longitudo, latitudo, ſublimitas & profundum.* Scripturæ quoque ſanctitatem & perfectionem tribua his virtutibus tribuunt. Fidei quidem ad Galat. 3. *omnes filij Dei eſtis per fidem.* Spei *ad Rom. 8 hac ſpe ſalui facti ſumus. 1. Ioann. 3. qui habet hanc ſpem, ſanctificat ſe.* charitati vero paſſim: *ad Coloſſ.* 3. dicitur vinculum perfectionis *ad Rom.* 13. plenitudo legis. Aliquando ſimul coniunguntur hæ virtutes: ſpes quidem & Charitas *ad Rom. 5. ſpes autem non confundit: quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris.* fides & Charitas ad *Galat. 5. in Chriſto Ieſu, neque circumciſio aliquid valet, nec præputium ſed fides quæ per charitatem operatur.* Et tandem Suar. *tract. 7. de Relig. lib. 1. cap. 7.* licet eſſentiam perfectionis in ſola charitate conſtituat: *numero* tamen 22. fatetur fidem & ſpem multò altiori ratione, maiorique vinculo, ac neceſſitate coniungi charitati, quàm reliquas virtutes, ideoque perfectionem earum non tam accidentalem eſſe, quàm ſubſtantialem & ad eſſentialem cenſeri. Sanè mihi in præſentiarum ſufficit ſi non accidentaliter, ſed ſubſtantialiter pertineat ad perfectionem fides & ſpes, non enim diſputo, vtrum in his moralibus ſubſtantia rei definita, ab accidentibus, diuerſa ſit ab eſſentia, quæ erit diſputatio de vocibus.

SECVNDA DIFFICVLTAS.

In quonam conſiſtat principaliter perfectio.

14 Reſpondeo conſiſtere in charitate. Ita S. Thom. *2. 2. quæſt.* 184. vbi dixit *ſpecialiter* attendi perfectionem Chriſtianæ vitæ ſecundum charitatem, quam vocem *ſpecialiter* malè Caiet. contra Codicum omnium veterum fidem mutare vult in *eſſentialiter*. Neque id ex toto illo articulo; vbi ter eamdem vocem vſurpauit, colligere poteſt. Quare retinenda omnino eſt, neque interpretanda aliter eſt, quàm ferat eius natiua ſignificatio, quæ non aliud poſtulat, quàm præcipuo quodam iure tribui charitati perfectionem vitæ Chriſtianæ, licet tota eius eſſentia in ſola charitate non conſiſtat: ſicut ſi diceremus ſpecialem perfectionem hominis eſſe rationem: vnde malè colligeres totam eius eſſentiam in vna ratione collocandam eſſe.

Hanc verò aſſertionem noſtram magno conſenſu docent Theologi, quos enumerare ſuperfluum foret. Sicut & loca patrum adducere, quibus charitatem præferunt cæteris omnibus, & illi vitæ Chriſtianæ perfectionem tribuunt. Ratio id ipſum euincit: coniunctionem enim ſummam cum vltimo fine & ſummo bono, in qua collocandam eſſe perfectionem ſuperius contendebamus, præcipua quadam ratione efficit charitas, per quam manemus in Chriſto, & ille in nobis. Et ſanè in Theologia myſtica deifica illa & conſummata vnio, ad quam tota illa Theologia tendit, & in qua conſiſtit ſublimis ille mentis ſupra omnia creata viſibilia & inuiſibilia entia & non entia, ſenſibilia & intelligibilia, vt loquitur Dionyſius, aſſurgentis ſtatus, non niſi per charitatem & amorem Dei conſtanter inuariatum acquiritur, vti à Dionyſio, & aliis fuſiſſimè docuimus alio opere: quare in re adeò perſpicua immorandum non eſt. Nam illa arctiſſima, ſuauiſſimáque vnio cum Deo, quibus aliis actibus obtineri poterit, quam Theologicis, quibus immediatè Deum attingimus, per fidem quidem caliginosè, per ſpem ſuſpensè, per charitatem perfectè. Fides enim eſt argumentum non apparentium & caligo myſtica: Dionyſio celebris; ſpes rerum quæ nondum poſſidentur expectatione & deſiderio animum quodammodo ſuſpendit: & ideo per illam fit myſtica ſuſpenſio. Charitas denique animam cum Deo fæliciſſimè coniungit, atque ita illam myſtice perficit & informat, ita tamen vt eſſentialiter fidei cognitionem exigat, non tantum illam præſupponendo, ſed etiam ad actualem illam vnionem eius caliginoſam cognitionem eadem neceſſitate requirendo: quod quomodo fiat; alio opere iam citato demonſtramus.

TERTIA DIFFICVLTAS.

In quonam perfectio Chriſtiana conſiſtat totaliter.

15 Reſpondeo: Si ſermo ſit de totalitate eſſentiali, iam diximus, In tribus virtutibus Theologicis eam ponendam eſſe: ſi vero de totalitate integrali loquamur, perfectio Chriſtiana alias quoque virtutes infuſas & ſupernaturales præter Theologicas complectitur; primò tanquam formas vere hominem in quibuſdam operationibus perficientes. Secundò tanquam media & diſpoſitiones ad perfectionem charitatis comparandam. Tertiò tanquam inſtrumenta, quibus charitas vtitur ad varios actus exercendos, quibúſque ipſa conſeruatur, augetur & perficitur, Quartò tanquam accidentia quædam & ornamenta, ſiue proprietates perfectionem eſſentialem conſequentes: quæ ſingula paucis demonſtro.

16 Et quidem charitatem, cæteraſque virtutes Theologicas non eſſe ſolas formas hominem, eiuſque potentias formaliter perficientes ſignificat. S.Thom. 2. 2. *q. 184. art. 1. ad 2.* conſtituit enim perfectionem ſimpliciter in charitate, ſecundum quid autem in aliis virtutibus. *Et quia id quod eſt ſimpliciter, eſt principaliſſimum & maximum reſpectu aliorum: inde eſt quod perfectio charitatis eſt principaliſſimum reſpectu perfectionis, quæ attenditur ſecundum alias virtutes.* Ibidem autem diſtinguit geminam perfectionem, vnam ſimpliciter, quæ attenditur ſecundum rei naturam in qua nihil deeſt; atque ita animal, cui nihil deeſt in ratione intrinſeca & conſtitutiua animalis, perfectum eſt: perfectionem autem ſecundum quid vocat eam, quæ eſt ſecundum aliqua extrinſeca rei, calorem verbi gratia aut quidpiam aliud adiacens. Itaque charitas pertinet ad perfectionem eſſentialem Chriſtiani, atque ita illum conſtituit ſimpliciter perfectum. Cæteræ virtutes ad perfectionem ſecundum quid & accidentalem: quia perficiunt illum ſecundum accidentia. Inde tamen non ſequitur has virtutes non eſſe formas verè & propriè perficientes hominem & non requiri ad integram & abſolutam formalē perfectionē.

17 Nam ipſemet S.Thom. 1. *part. q. 5. art. 1. ad* 1. obſeruat voces iſtas *ſimpliciter & ſecundum quid* aliter dici de ente, aliter de bono ſiue perfecto. Ens ſimpli-

citer est esse substantiale rei: cum enim ens significet propriè id quod est in actu, illud dicitur simpliciter ens, secundum quod primò discernitur ab eo, quod est tantum in potentia; illud autem est esse substantiale: Esse enim accidentale quamuis sit ens actu, & non amplius in potentia, cum tamen adueniat enti iam præexistenti, non est id quod primo & simpliciter tollit esse in potentia & constituit in actu; & idcirco non confert esse simpliciter, sed solum secundum quid: ideoque passim accidens dicitur entis ens, quia aduenit enti iam constituto, quamuis si ipsummet esse accidentis simpliciter secundum suum essentiam, atque etiam entitatem consideretur, simpliciter accipiat primò existentiam, & nullum sui esse præsupponat: atque eo modo spectatum dici queat ens simpliciter: quia tamen essentialem ordinem dicit ad aliud ens, cui adueniat, & cui proinde non confert primò existentiam siue vt loquitur S. Thomas, *non aufert esse in potentia simpliciter*; Idcirco non est nisi ens secundum quid: neque dicitur ad esse constitutiuum rei pertinere, sed ad aliquid extrinsecum, etiamsi eius entitati intimum sit. At vero quia bonum idem est quod perfectum; quia bonum est appetibile: non est autem appetibile nisi quia perfectum est, cum omnia appetant suam perfectionem. Perfectum autem est illud, cui nihil deest, & includit rationem vltimi: Ideoque quod est vltimò perfectum, dicitur bonum simpliciter, & perfectum simpliciter. Quod autem habet aliquam tantum perfectionem, si non habeat illam vltimam, quam debet habere, non est simpliciter bonum & perfectum, sed tantum secundum quid, quamuis quia est ens actu & substantiale per quod primo dependuntur ab eo, quod est in potentia, dicatur ens simpliciter, immo per illum vltimum actum & Complementum quod accipiet, dicitur ens secundum quid. Vnde colligit S. Doctor quod secundum primum actum est ens aliquid simpliciter & secundum vltimum, bonum siue perfectum simpliciter & secundum primum actum est quodammodo & secundum quid bonum: Et secundum vltimum actum est quodammodo ens. Ex qua doctrina sequitur primò perfectionem essentialem aut substantialem non esse idem cum perfectione simpliciter; ac proinde quamuis Christianus habeat gratiam & virtutes Theologicas, in quibus perfectionem essentialem constituebamus, non tamen esse simpliciter perfectum; quia non habet vltimam perfectionem, quam debet habere. Secundo quamuis accidentia connaturalia & debita cōparata cum subiecto & essentia rei, sint entia secundum quid, non tamen sunt perfectiones tantum secundum quid, sed constituunt simpliciter ens perfectum, cui adueniunt. Nam si aliquod ex istis accidentibus & ornamentis connaturaliter debitis ipsi desit, non dicitur simpliciter perfectum, sunt itaque veræ formæ perficientes: ex quarum omnium concursu subiectum redditur simpliciter perfectum.

18 Tertio inde manifesta fit nostra assertio, nimirum quamuis charitas vnà cum aliis virtutibus Theologicis sint ipsa substantialis perfectio, aut ornamenta connaturaliter debita accedant; pertinent nihilominus ad constituendum Christianum simpliciter perfectum, eumque formaliter singulæ perficiunt; immo & necessariæ sunt ad perfectionem simpliciter conferendam: & si vel vna desit erit tantum secundum quid perfectus: quod nihil planè derogat dignitati charitatis, sine qua nulla ratione perfectos dici poterit homo, cum non habeat substantialem perfectionem, quam supponunt perfectiones accidentales quæ vnà cum illa substantiali perfectionem simpliciter constituunt: vnde homo carens charitate non modo dicitur imperfectus simpliciter sed etiam malus: quia licet adhuc retineat fidem & spem, quæ ad essentiam perfectionis pertinent: cum tamen essentiæ rerum sint indiuisibiles, quamuis Physice & entitatiuè diuisibiles sint, non potest ratione vnius partis essentialis dumtaxat poni essentia. Itaque sicut polita materia organisata nondum est homo, sed eius tantum aliqua rudimenta in embryone effotmata: sic per fidem & spem non est Christianus perfectus, sed habet aliqua semina & initia perfectionis, quæ per charitatem essentialiter perficietur, & per alias deinde virtutes simpliciter ponetur. Atque hic videtur esse Iacobi sensus *c. 1. vt sitis perfecti & integri in nullo deficientes & sæpius* scriptura aliis quoque virtutibus perfectionem tribuit 1. *Cor. 1. sitis perfecti in eodem sensu & in eadem scientia 1. Cor. 14. malitia paruuli estote, sensibus autē perfecti ad Ephes. accipite armaturam Dei vt possitis resistere in die malo & in omnibus perfecti stare.* hanc autem armaturam & panopliam ex fide, veritate, iustitia, continentia aliisque virtutibus conflauit Paulus, *Iacob. 1. patientia opus perfectum habet.*

His omnibus accedit ratio manifesta: cum enim perfectio consistat in operatione, aut saltem in principio proximo ad operationem, vti dicam inferius: & neq; charitas sit proximum principium omnium operationum supernaturalium, neque operationes omnes supernaturales sint actus charitatis, aliis profectò formis, quam sola charitate ad perfectionem simpliciter, siue totaliter opus erit. 19

Dices charitatem esse primariam causam mouentem ad omnia perfectionis opera, & illa quodammodo efficientem ac cæteras virtutes in statu perfectionis constituentem. Illa igitur erit vnica forma hominis perfectiua. Quæ consequentia euidens est: aliæ enim virtutes non possunt esse formæ perficientes hominē, nisi ipsæ sint virtutes & perfectiones in ordine ad vltimum finem, respectu cuius tota perfectio hominis mensuranda est, vti initio diximus: hoc porro esse perfectæ virtutis ab vna charitate capiunt. Sequitur igitur charitatem esse solam formam perficientem. Tota itaque difficultas est in probando primo antecedente quod non erit operosum præstare. Nam primo charitas est finis omnium præceptorum & virtutum, vti dixit Paulus 1. *ad Timoth. 1. finis præcepti charitas de corde puro.* quod licet commenta. Ambrosio tributus de termino & coronide totius perfectionis explicet; de fine tamen proprio propter quem omnia omnia præcepta seruantur & bona opera reliquarum virtutum exercentur, intellexit August pluribus locis *cap. 121. Enchirid. lib. 1. de doctr. Christ. cap. 35. & præfat. in psal. 190.* Idcirco Moses Abbas apud Cassian. *collat. 1.* distinguit scopum à fine: scopus quidem est puritas cordis, finis vero est perfectio charitatis quam puritate cordis assequimur. Ipsaq; charitas cor emundat, id est, vacuum reddit omni cupiditate & vitioso sui amore, vt nihil aliud diligatur, quam quod diligendum est, Deus nimirum. Et sane cum omnia virtutum opera in Deum tanquam finem vltimum tendere debeant, ad illum referri nequeunt, nisi à charitate, quæ Deum respicit proximè & immediatè, & in illum tanquam in finem vltimum tendit: Ex quibus vlterius fit non modò omnes virtutes tendere vltimo in Deū, qui est obiectum charitatis, sed in ipsam etiam charitatem. Sicut enim Deus est vltimus finis obiectiuus; ita vnio ad Deum est vltimus finis formalis: ex quo vtroque fine fit vnus integer finis; sicut ex beatitudine formali & obiectiua fit vna beatitudo: & sicut omnes actiones tendunt in vltimam beatitudinē obiectiuam & formalem: ita etiam tendunt in vltimū finem

finem obiectiuum & formalem: Neque isti fines, aut beatitudines in eo respectu separantur: non enim volumus acquirere Deum sine eius possessione, & finem vltimum sine illius vnione; sed tendimus in consequutionem & possessionem beatitudinis & finis vltimi: quæ consecutio & possessio consistit in vnione cum illo: in qua etiam vnione nostra perfectio, vti sæpius diximus, consistit. Ea porrò vnio in hac mortali vita charitas est, modò superius indicato. Ergo omnia ad charitatem Dei tanquam ad vltimum finem referuntur.

21 Secundò charitas est non modò finis omnium virtutum, sed etiam ipsarum primaria causa moralis efficiens, cui idcirco Paul. 1. *ad Corinth.* 14. virtutum cæterarum opera tribuit, nimirum ad agendum virtutes ipsa applicat, & earum actus imperat. Fides quidem proponit obiectum charitati, vnde dicitur ad Galat. 5. *per fidem operari.* Sed charitas deinde tum fidem, tum alios actus imperat, sicut intellectus prælucet voluntati, quæ deinde tum ipsi intellectui tum aliis facultatibus imperat: & sane quamvis aliæ virtutes suos aliquando actus elicere absque imperio & directione charitatis valeant; non tamen propter Deum, siue in ordine ad Deum tanquam vltimum finem, nisi ex charitatis ductu & destinatione: quare charitas tum propter Deum, tum propter seipsum imperat, quia operamur ad obtinendam, conseruandam, augendam, & perficiendam diuinam charitatem.

22 Tertiò charitas est veluti forma virtutum constituens illas, aut complens in ratione virtutis, in ordine ad vltimum finem, quòd iam monuimus: deinde in ratione meriti: & demum illis efficacitatem ad resistendum contrariis & facilitatem, ac iucunditatem in operando tribuit, quæ omnia requiruntur saltem ad perfectionem virtutis. Si enim neque valida sit ad resistendum, neque facilis ad operandum neque meritoria, neque cum vltimo fine coniuncta, virtutis quidem rationem & naturam fortassis obtinebit; non tamen perfectionem virtutis quam totam proinde haurit à charitate, quæ idcircò sola forma perfectiua hominis christiani dicenda erit. Quæ omninò videtur esse doctrina S. Thomæ, dum dicit charitatem esse radicem & formam omnium virtutum: quod non satis intellexit Bann. 2. 2. *quæst.* 23. *art.* 8. Qui videtur velle omnes virtutes esse quasdam tantum participationes charitatis, eo quod virtus sit quædam participatio amoris recti & charitas sit rectus amor simpliciter. Verùm charitas non est amor aliquis vniuersalis, cuius deinde reliquæ partes sint. Dicit itaque S. Thom. *art.* 8. *cit. ad* 1. charitatem esse formam aliarum virtutum non quidem exemplariter, quasi aliæ sint eius dumtaxat imagines & simulacra: neque etiam essentialiter, cum non sit pars essentialis aliarum virtutum; sed effectiuè, quia ordinat omnes virtutes ad finem vltimum, qui est veluti forma virtutis. Ideóque dicerat *art.* 7. virtutes quatenus tendunt in particulare quoddam bonum ea natura sua ordinabile in finem vltimum, veras quidem esse virtutes etiam absente charitate; vt autem ad finem vltimum & bonum illius, quod principale est, referuntur, id habent à charitate. Virtus autem simpliciter est illa, quæ ordinat ad principale bonum, cum definiatur dispositio perfecti ad optimum: ideóque sine charitate, à qua sumunt eiusmodi ordinationem ad bonum principale, reliquæ virtutes dicuntur informes, otiosæ, inutiles, & infructuosæ, indéque facilè vulgatam quæstionem, an sint veræ virtutes sine charitate, solues. Negant plures Thomistæ aliquibus S. Thomæ & Augustini dictis persuasi: affirmant Scot. *in* 3. *dist.* 36. *q. vnica*, §. 3. *artic.* & §. *contra hoc est.* August. Gabriel *ibid. quæst. vnica art.* 1. & alij litem esse de nomine dicit Valent. *tom.* 3. *disp.* 3. *q.* 1. *puncto* 3. & *disput.* 1. *q.* 4. *puncto* 5. & Vasq. 1. 2. *disput.* 88. *cap.* 1. verum distinguendum est cum Caietano 2. 2. *q.* 23. *art.* 7. & 8. dicendumque esse veras virtutes, haberéque bonitatem sibi essentialem, non tamen esse virtutes Christianas: & vt dixit Medin. 1. 2. *q.* 62. *art.* 4. Euangelicas, quia carent ea perfectione & bonitate in ordine ad vltimum finem; quam patres & præsertim August. cuius varia loca in hanc rem late expendit Suarez *lib.* 1. *de gratia cap.* 5. desiderant in virtute hominis Christiani, qui suis actibus in finem vltimum tendit. Malum autem vocauit Augustin. quidquid inutile est ad beatitudinem. Addit Malder. 2. 2. *quæst.* 23. *art.* 7. virtutes in puris naturalibus futuras fuisse veriores quàm in peccatore: quia tunc virtus ordinasset actualiter hominem ad finem vltimum in eo statu proportionatum, quod non facit in natura lapsa, vbi elicitur à peccatore. Est igitur charitas ex S. Thoma forma quædam extrinseca cæterarum virtutum, eas ad statum quemdam Christianæ virtutis, & coniunctionem cum fine vltimo, atque vim meritoriam euehens. Manet itaque essentia virtutis in fide informi destructa charitate: non tamen manet quædam perfectio extrinseca & status virtutis. Qua de re consule Vegam *lib.* 14. *in Trident. c.* 3. & *sequent.* Prosp. *part.* 1. *de promissione cap.* 7. fidem & spem informes comparat duabus infimis contignationibus arcæ Noëticæ, in quibus bestiæ & serpentes habitabant. *Noe autem cum suis in charitate manens Deum formidare non potuit.* Sed elegantius *lib.* 2. *de vocat. Gent. cap.* 11. quomodo à charitate perfectionem suam derineant aliæ virtutes, explicat. *Cum itaque,* inquit, *in hac inenarrabili domo Dei omnium summa donorum, & quædam sit cunctarum vita virtutum, ad hoc cætera conferuntur, vt habeat anima fidelis intentio per quæ ad perfectam charitatem possit eniti: quæ quoniam non solum in Deo, sed etiam Deus est, stabiles & perseuerantes, atque inseparabiles facit, quos flumine suæ voluptatis impleuerit: qui autem istarum aquarum dulcedinem nesciunt, & adhuc de mundi huius torrentibus bibunt, aut etsi aliquid primoribus labris de vitæ fonte gustauerunt; inebriari tamen aureo Babylonis calice delectantur, suo prorsus decipiuntur arbitrio, sua voluptate labuntur: & si in hac desidia perseuerant, ipsi se his, quæ accepere, despoliant; facile enim qualibet bona sine charitate possunt perire quæ non possunt sine charitate prodesse.* similia & longe illustriora dabit August. pluribus locis & Parisiens. *lib. de Morib. cap.* 4. quæ omnia paucis complectitur Tertull. *lib. de patient. cap.* 12. *Dilectio summum fidei sacramentum, Christiani nominis Thesaurus.* Cum igitur probatum maneat charitatem dare singulis virtutibus statum perfectionis in ordine ad vltimum finem, & ratione virtutis Christianæ necessario efficitur illam vnam esse formam perficientem hominis Christiani, quod ostendendum susceperamus.

Respondeo nos vltrò concedere prærogatiuam charitatis in attingendo vltimo fine: fatemur quoque ex eius relatione & destinatione actiones, quæ non nisi virtualiter, aut remotè eiusmodi finem attingebant, iam illum actualiter respicere, atque ita charitatem dici posse formam extrinsecam virtutum quas ad agendum applicat, aut quarum actiones proximè & immediatè ad finem vltimum refert. Verum asserimus cæteras quoque virtutes supernaturales, siue Theologicas, siue alias quasvis habere propriam honestatem, qua peculiarem ordinem dicant ad Deum finem vltimum, atque ita modò principium, à quo fluunt iam per gratiam sanctificantem, in esse spirituali constitutum sit, proportionem habere cum vlti- 23

mo fine, & in illum tendere esseque virtutes verè Christianas & Euangelicas, atque meritorias, etiam seclusa omni actuali ratione charitatis: quod fusius ostendimus 12. disputantes de merito. Vnde fit, vt hæ virtutes sint veræ formæ perficientes hominem Christianum, si per gratiam sanctificantem eiusmodi perfectionis capax sit. Quod verò attinet ad virtutes merè morales, & vt aliqui loquuntur Philosophicas, atque etiam ad externos quarumcunque virtutum actus, indigent illi aliqua relatione & destinatione ad finem vltimum supernaturalem, cum illæ nullum ordinem ad ipsum habeant, sed remotam tantum quamdam ordinabilitatem; verùm illam accipiant siue à charitate, siue ab alia quapiam virtute supernaturali, ex cuius imperio, aut motiuo eliciuntur, vnde fit solam charitatem non esse formam perfectiuam hominis Christiani, sed alias virtutes id ipsum habere, licet supponant gratiam sanctificantem, ac proinde charitatem habitualem, quæ vnà cum gratia infunditur & per spiritum sanctum diffunditur. Neque aliud volunt Patres, qui hominis peccatoris & infidelis opera bona esse negant, hoc est vt monui, inutilia ad finem vltimum consequendum: ad id enim requiritur gratia sanctificans vt latè exposuimus *loco cit.* non vero charitas actualis.

Quare habemus perfectionem Christianam simpliciter & totaliter sumptam non consistere in sola charitate & virtutibus Theologicis, sed in aliis quoque virtutibus tanquam formis verè perficientibus, vti ferebat nostra assertio.

24 In qua etiam diximus secundo has virtutes pertinere ad perfectionem tanquam media & dispositiones ad perfectionem charitatis comparandam, quod de variis pietatis operibus ostendit Moses Abbas *apud Cassian. collat. 1. cap. 7.* pleraque enim omnia remouent impedimenta, quibus à perfectione ipsaque charitate retardamur: alia viam etiam patant & muniunt ad illam.

Tertio sunt instrumenta & veluti facultates proximæ, quibus operatur charitas, dum aliarum videlicet virtutum actiones imperat atque ad obtinendum finem vltimum dirigit quomodo se se ipsa auget & perficit.

Quartò denique sunt veluti ornamenta quædam, proprietates, & accidentia perfectionis substantialis, quam in charitate & cæteris virtutibus Theologicis consistere diximus, illi igitur accedunt cæteræ virtutes, quæ licet hominem formaliter perficiant, atque ita ad totalitatem & integritatem perfectionis pertineant: respectu tamen substantialis perfectionis accidentia duntaxat nominari debent. Quod videmus in perfectione Physica hominis, quæ integraliter & totaliter coalescit ex perfectione substãtiali & omniũ accidentium connaturaliter debitorum; ita vt si vel vnum desit, simpliciter homo perfectus non sit. Quo sensu dicebat S. Thomas perfectum simpliciter esse in positione vltimi: erit tamen substantialiter perfectus, si partes substantiales eius perfectæ sint: quare accidentia connaturaliter debita sunt veræ formæ ipsam perficientes, quamuis comparatæ cum forma substantiali, & à qua tribuitur substantialis perfectio, sint accidentia duntaxat.

QVARTA DIFFICVLTAS.

An perfectio Christiana consistat in actu an in habitu?

25 Ratio dubitandi est, quia cum perfectio, vti monebat S. Thomas, consistat in positione vltimi, & potentia sine actu secundo & operatione nondum habeat illud vltimum, in actione collocanda erit perfectio, non in habitu, aut potentia. Præter quam quod coniunctio & adhæsio cum vltimo fine, in qua totam nostram perfectionem cum S. Thoma collocabamus, nobilior & maior habetur per actum secundum, quam per habitum, vt patet: Ideoque beatitudo in actu, non in habitu consistit; immo etiamsi admitteremus substantialem illam vnionem, qua Deus quodammodo substantialiter per intimum illapsum animæ, beati essentiæ ita coniungitur vt illam in se transformet ac Deificet, atque inde in potentias deriuetur, easque excitet ad visionem & amorem. In ea tamen vnione Dei cum essentia animæ collocanda non esset beatitudo vti 1. a. ostendimus cum S. Thoma, quia beatitudo est vltima perfectio, ea enim posita, nihil amplius optandum, aut comparandum restat. Atqui vltima perfectio est actus secundus siue operatio, & res in tantum est vltimò perfecta, in quantum est in vltimo actu, vltimus autem est operatio. Cum habitus & omnis actus primus ad secundum natura sua ordinetur: quare per solam operationẽ habetur vltima perfectio idcirco Arist. *lib. 1. Ethic. c. 8* felicitatẽ definit *ἐνέργειαν* bonam actionẽ, & *1. magno moral.* ait illam esse in vsu & actione. Nam quorũ habitus & vsus est, in iis actio & vsus finis est. Et sane nullum bonum quamuis intime vnitum beatum facit, nisi eius bonitas & dulcedo sentiatur & quodammodo gustetur, qui gustus & suauitatio in sola operatione consistit. Cum itaque nostra perfectio sit huius vitæ beatitudo & in summi boni, ac vltimi finis possessione & coniunctione consistat, in operatione, non in aliquo habitu collocanda erit.

Aliunde tamen cum operatio non diu duret, & in 26
hoc mortali statu continuari non possit, sed sæpiùs tum Physicè tum moraliter interrumpatur: & tamen denominatio perfecti sit intrinseca, realis & permanens in homine, qui etiam dum nihil actu operatur, vt in somno, æquè perfectus dicitur ac sapiens; ab operatione iam præterita sumi nequit ea denominatio, sed ab aliqua forma reali, intrinseca ac permanente, quæ alia fingi non potest præter actum primum, siue habitum: neque enim satisfaciunt, qui hanc perfectionem collocant in frequentia actuum se se continuo consequentium absque vlla voluntaria & morali interruptione, sed naturali duntaxat, vel ita exigua, vt vix aduertatur, aut in hominum opinione æstimetur. Nam vt non dicam vix possibilem esse eiusmodi in actuali operatione, præsertim supernaturali perseuerantiam, per physicam tantum & inuoluntariam interruptionem definet homo esse perfectus: quia sublata forma reali & intrinseca, cessat quoque necessario effectus formalis illius & denominatio realis & intrinseca ab ea forma desumpta: pereunte v.g. albedine aut sapientia, quomodocunque tandem pereant, etiam breuissimo tempore, reuera pro eo tempore homo neque est albus, neque sapiens, neque talis denominari potest, donec albedo & sapientia paulò ante existentes illum denominent, ea denominatio extrinseca tantum erit. Quod nemo dixerit de denominatione perfecti. Itaque in sola operatione quamuis frequenti & naturali tantum interruptione cessante, constitui non potest perfectio. Deinde si in sola operatione ponamus perfectionem, an in vna tantum collocabis? atque ita quilibet, qui vnum charitatis actum exercuerit, modo illum non retractauerit, perfectus dicetur, an vero aliquam actuum multitudinem exiges? illa vero definienda fuerit sicut & interruptio: quæ omnia non exiguas difficultates implicant.

Respon

27 Respondeo igitur perfectionem, de qua agimus formaliter consistere in actu primo com habitudine speciali ad perfectos & frequentes actus secundos, siue potius in permanente & proxima dispositione ad bene operandum: quamvis enim nibil operetur homo, satis tamen fuerit, si charitatem aliósque habitus Theologicos habuerit, quibus vbi placuerit, operari poterit atque actiones, quibus actualiter suo fini coniungator elicere & veluti connaturaliter suis temporibus operari: eaque perfectio eo aliquando crescit, vt magna sit habilitas & promptitudo ad bene & frequenter operandum, eo quod nullum fere impedimentum patiatur propter domitos affectus. Hæc verò stabilis & firma dispositio vix moraliter loquendo obtineri, aut conseruari potest sine frequenti operatione, quare in ea perfectionem tum antecedenter, tum consequenter consistere dixit Suar. *tract.7.de Relig.c.4.n.8.* quamvis formaliter in habituali dispositione & actu primo collocetur.

28 Quæ verò obijciebantur, facilè diluuntur: quamuis enim demus per operationem hominem constitui in vltima actualitate, ac proinde vltimò perfectum; cum tamen illa vltima actualitas perpetuò obtineri nequeat in hac vita, necessario fatendum est huiusce mortalis status perfectionem omnimodam non esse & quidpiam imperfectionis ad mixtum habere. Quare cum homo continuo operari nequeat, satis fuerit, si habeat proximum principium operationis, quo vti absque impedimento poterit, dum res postulabit: ideoque nostra ista perfectio, non est aut continua aut vera beatitudo, plurimumque à cælesti dissidet: vnde ex vna ad aliam, non efficaciter quoad omnia, argumentamur. Præterquam quod licet verum sit adhæsionem actualem cum vltimo fine perfectiorem, nobiliorémque esse habituali quoad modum, qui vitalis est & hominem in vltimo actualitatis gradu constituit, vt diximus. Qua de causa beatitudo in actu potius consistit, quam in habitu, & dicitur esse perfectior secundum quid vnione hypostatica, quæ cum sit per modum habitus non constituit naturam, quam afficit in vltima perfectione & actualitate intra illum ipsum ordinem, substantialiter tamen & entitatiuè perfectior est adhæsio per habitum; quia est primaria quædam participatio diuinæ naturæ, quæ primò deificat hominem, & cui omnia dona, quæ ad internam illius rectitudinem pertinent atque adeò ipsa actualis adhæsio debetur: ipsi igitur primario competit esse formalis perfectio, quamvis non vltima, quæ tamen illi connaturaliter debetur, & quam ipsa producere potest. Sic gratia sanctificans nobilior, perfectiorque est actu quolibet supernaturali, atque etiam charitatis. Qui itaque gratiam & habitus Theologicos habuerit, quibus habitualiter Deo coniungitur, & actualis coniunctio debetur per operationes connaturaliter debitas, cum illis vti voluerit, propter sublata impedimenta omnia & cæterarum virtutum consortium, atque conuenientem subiecti dispositionem, perfectus dicetur, quamvis actu non operetur, non tamen erit vltimò in illo ipso ordine perfectus, cum non habeat actualem adhæsionem, ad quam tendit habitualis. Quia verò in beatitudine vltima perfectio est, cum ille status non patiatur quidquam sibi debitum deesse, idcircò in illa requiritur actualis operatio, sine qua non foret beatitudo, quæ vltimum complementum, & vltra quod nihil debeatur, in sua definitione importat: quod non exigitur ad perfectionem & beatitudinem viæ, immò in illa repugnat eiusmodi vltimum, cum continuos progressus & perfectibilitates essentialiter dicat. Confirmantur hæc omnia ex iis, quæ paulò ante significauimus de vnionē hypostatica, quam nemo negabit nobiliorem esse visione & amore beatifico, atque adeo per ipsam nobilius naturam rationalem perfici, quamvis per illam non vltimo perficiatur. Quis verò seclusis illis actionibus beatificis, vti secludi possent, non fateretur naturam ea vnione donatam perfectam formaliter esse, quamvis adhuc vlterius per operationes beatificas illi debitas perfici posset, vnita enim esset summo bono & vltimo fini habitualiter & substantialiter, quamvis vlterius per actualem vnionem intellectionis & volitionis vnibilis foret.

Qvinta Difficvltas.

In quanam charitate constituenda sit principaliter perfectio?

Idem quæri posset tum de aliis habitibus Theologicis, quos ad essentialem quoque perfectionem pertinere diximus, tum de virtutibus supernaturalibus, quæ ad integritatem eiusdem perfectionis faciunt; nimirum an in quocunque gradu, statu aut dispositione sint formæ perficientes; placuit tamen breuitatis causa ad solam charitatem quæstionem restringere, cum in ea præcipua quadam ratione perfectio Christiana collocata fuerit à nobis, & facilè sit quæ de ea dicentur ad cæteras virtutes accommodare. 29

Quæstio igitur est, an quælibet charitas, aut virtus sufficiat ad perfectionem constituendam; cum enim quilibet iustus habeat tum gratiam iustificantem, tum charitatem & omnes virtutes Theologicas, ac supernaturales, habebit quoque perfectionem non modo essentialem, sed etiam totalem & perfectus simpliciter, atque totaliter dici poterit, sicut dicitur iustus: quod nemo concesserit. Assignanda igitur est illa peculiaris charitas, in qua consistat perfectio, quæ vel à charitate omnibus iustis infusa differt essentialiter, vel accidentariò: primum falsum est, alioquin diuersæ essent charitates specie, diuersæ fides, & spes, cum tamen eandem rationem formalem & motiuam habeant. Si secundum admittas: Ergo perfectio non consistit in essentiali charitate, sed in aliquo eius modo, statu atque accidente: quod absurdum videtur, præter quam quod assignandus erit ille modus charitatis, cæterarúmque virtutum, in quo consistit Christiana perfectio.

Multiplex perfectio charitatis ex S. Thoma.

S Thom. 2.2. q.184. *art.2. & opusc.13. cap.2.3.4. & 5.* perfectionem, quæ vniuersalitatem & totalitatem quandam importat, triplicem in charitate distinguit: vnam absolutam secundum totalitatem diligentis & diligibilis, per quam Deus diligitur, quantum diligibilis est: quæ perfectio nulli creaturæ communicari potest: altera attenditur secundum totalitatem absolutam diligentis: quia effectus diligentis secundum totum suum posse semper actualiter tendit in Deum: quæ perfectio propria beatorum est. Tertia perfectio neque includit totalitatem ex parte diligibilis, neque ex parte diligentis quoad actualem & continuum affectum in Deum, sed quoad exclusionem omnium, quæ actu repugnant motui dilectionis in Deum, quia ex S. August. venenum charitatis est cupiditas; perfectio vero nulla cupiditas. Hæc autem exclusio eorum, quæ pugnant cum charitate, duobus modis fit. Primò si excludatur omne peccatum mortale, & affectus aduersus ipsum, & si excludatur omne illud quod impedit, ne affectus mentis totaliter diri- 30

gatur in Deum primus ille modus pertinet ad necessitatem. Itaque S. Thom. collocat perfectionem non in quacumque charitate excludente peccatum mortale; sed in ea, quæ excludit omne illud, quod totalitatem affectus in Deum, aut minuere, aut impedire, aut retardare potest, qualis est quælibet cupiditas & alius affectus etiam venialiter tantum culpabilis. In qua perfectione varij rursus gradus distingui possunt. Quæ doctrina clariùs adhuc explicanda est.

31 Duplicem igitur Dei amorem, vnum beneuolentiæ; alterum concupiscentiæ agnoscere debemus. Prior fertur in Deum propter seipsum, & quia bonum illi volumus. Posterior tendit quidem in Deum, sed tanquam in obiectum quod, non autem cui. Volumus enim Deum quatenus est bonum amantis, quia sibi vult tale bonum. Vterque hic amor potest esse perfectus, & imperfectus tum ratione obiecti, tum ratione modi. Amor beneuolentiæ & charitatis imperfectus est ratione obiecti, cui non adæquatur: quia licet sit complacentia quædam de bonis diuinis internis & externis, vt honore & gloria, quam illi propter se ipsum exhibere vult; non tamen idcirco statuit nunquam sibi etiam contra diuinam legem indulgere, & appetitum in diuersa tendentem coërcere. Itaque nominant aliqui eiusmodi amorem affectiuum, sed non obedientialem. Imperfectus vero est ratione modi tendendi: quia licet feratur in omnia bona diuina tum interna, tum externa, sitque adæquatus ex parte obiecti modo explicato; est tamen vel simplex dumtaxat complacentia, vel tenue quoddam & inefficax desiderium, vel actus conditionatus, qui exprimitur per vellem: qui actus etiamsi sit præsens in voluntate & absolutus ex parte subiecti, ac conditionatus dumtaxat ex parte obiecti; non mouet tamen efficaciter ad obseruationem omnium præceptorum, neque excludit omne peccatum mortale. v.g. vellem quidem non offendere grauiter Deum, nisi sua cupiditate traheretur voluntas.

Simili ratione amor concupiscentiæ aduersus Deum imperfectus est, quando sibi quis magis cupit alia bona, quam Deum aut Deum refert ad sese tanquam ad finem: aut denique licet sibi Deum cupiat potiùs, quam alia, inefficaciter tamen cupit, neque firmiter statuit alia potius abdicare quàm Deum.

32 Amor perfectus ratione obiecti Deo vult omne bonum, illique propter suam summam bonitatem inesse gaudet, illi in omnibus & per omnia placere vult, & fugere quidquid diuinæ bonitati contrarium est, excludit omne peccatum mortale, omnémque offensam saltem grauem. Perfectus præterea est ratione modi tendendi: quia non est simplex complacentia aut desiderium inefficax, sed est actus omnino absolutus tum ratione obiecti; tum ratione subiecti. Exprimitur per verbum volo Deo omne bonum eius, volo Deo in omnibus placere propter se ipsum. Retrahit efficaciter appetitum ab omni graui offensa, & dicitur amor obedientialis: qui amor potest quoque esse amor, vt iam monui concupiscentiæ: quia homo sibi magis cupit Deum, quam reliqua omnia, neque propterea se magis quam Deum diligit: quia in eo actu non est duplex dilectio, altera Dei, altera sui ipsius, quæ inter se comparentur, & quarum vna dicatur altera maior, aut minor, sed vna tantum, qua Deus amatur homini tanquam subiecto, & quæ inter omnes dilectiones eius generis maxima est & efficax, vti fusius explicuimus 2. 2. de natura spei disputantes. Verum modo agimus de charitate duntaxat, qui est amor beneuolentiæ.

33 Hic autem amor charitatis perfectus ex parte obiecti & modi tendendi, iterum multiplex est, vnus qui proponit quidem seruare omnia præcepta, & eo momento, quo durat, excludit omne peccatum, & inchoat omnem præcepti tunc vrgentis impletionem, seclusis grauibus obicibus, ad quos non attendit nisi fortassis in vniuersum, & sanè per se loquendo omnem illam obedientiam præceptis debitam pro eo tempore includit. Non sufficit verò, vt omnibus impedimentis, quæ decursu longioris temporis occurrunt, resistat: quare non est omni ex parte efficax & perfectè obedientialis. Alter ita efficax est, vt non modo breui aliquo momento, quo ipse actu perseuerat in voluntate, velit Deo super omnia, & in omnibus placere; sed & deinde in omnibus occasionibus id præstet, & contraria omnia obstacula superet: qui amor est perfectè efficax & obedientialis, & actualem totius legis impletionem includit. Tertiò perfectior quidam amor est, qui non modo excludit omnem grauem offensam; sed habet etiam repugnantiam cum actuali affectu peccati, licet venialis: quia vt ait Suar. *lib. 7. de gratia, c. 8. n. 27.* Cum dilectio Dei super omnia sit totalis voluntatis in Deum conuersio: & culpa venialis sit aliqua auersio, simul consistere non possunt. Quartò alius amor est, qui non modo excludit actualem affectum ad peccatum veniale, aut peccatum ipsum pro eo temporis momento, quo elicitur; sed etiam in posterum: quamuis enim de lege ordinaria, & præcipuo tantum fauore, quem vni virgini Deiparæ concessum fuisse existimo, nemo omnia & singula peccata venialia vitare queat; amor tamen perfectus illa omnia vitare cupit, & conatur & in illa deinde potius casu quodam labitur & se præcipitat, quam destinata voluntate. Quintò dum crescit amor, omnia non modo quæ præcipiuntur siue enim graui, siue cum leui obligatione præstanda suscipit; sed etiam quæ consuluntur pro ratione sui status, vt gratiorem sese Deo exhibeat, & illi in omnibus placeat: summi enim amoris indicium est non modo amico imperanti obsequi, sed singulis eius nutibus, vt ita dicam, se se accommodare. Sextò perfectior quoque erit amor, si omnia quæ impedire possent ab exequenda Dei tum præcipientis, tum consulentis voluntate efficaciter abiiciat: ea vero quæ quoquo modo iuuare possunt ad eandem diuinam voluntatem omni ratione implendam suscipiat. Septimò in his omnibus est magna varietas ac latitudo pro maiori aut minori perfectione graduali, vt vocant, non à gradibus intensionis, de quibus dicam statim; sed à diuerso operandi modo magis, aut minus perfecto ipsamet operæ charitatis & aliarum virtutum, quæ illa imperat. Octauò hæc omnia maiori aut minori conatu exerceri possunt; vnde oritur tum in actu, tum in habitu charitatis augmentum intensiuum. Nonò denique vel spectatur sola charitas, eiúsque perfectio vel prout habet sibi adiunctas alias virtutes & principia cæterarum actionum supernaturalium, aut etiam moralium, per quæ ipsa in variis materiis operatur & quæ in Deum vltimum finem dirigit. Hæ autem virtutes quæ charitatis vel instrumenta vel accidentia & proprietates, vel ornamenta, vel denique dispositiones existunt, vti nuper dicebamus, vel sunt perfectæ, vel imperfectæ: Hæc enim plurimum conferunt ad ipsam charitatis perfectionem, vt verò hæc omnia clarius & paulo fusius exponamus.

Perfectio essentialis charitatis, ex obiecto, ratione motiua & modo tendendi.

Distinguo in charitate triplicem perfectionem: primam essentialem: secundam substantialem, & intrinsecam. Tertiam extrinsecam, & accidentalem:

lem; quæ duæ postremæ suos præterea gradus habent.

34 Perfectio essentialis charitatis ex obiecto, ratione motiua & modo tendendi, consistit in dilectione Dei super omnia propter se ipsum. Quibus verbis assigno obiectum, rationem motiuam, & formalem, & denique modum tendendi charitatis: quæ omnia essentialia esse huic actui inductione aliorum omnium constat.

35 Obiectum dilectionis & amoris est persona amata, cui volumus bonum & bonum ipsum, quod volumus: cum enim omne bonum sit alicuius bonum, impossibile est amari bonum, nisi alicui ametur, sicut impossibile est aliquē amare & non velle ipsi bonum. Amor siquidem definitur ab Arist. 2. *Rhetor. c.* 3. volitio boni alicui. In eo igitur actu duæ sunt essentiales habitudines, vna ad bonum amatum & volitum; altera ad personam cui bonum illud amatur, vt aduertit S.Thom. 1.2.*q.*26.*art.*4. & Gab. *in* 3. *dist.*26.*q.vnica, litt. D.* Qui tamen malè omnino *in* 2.*dist.* 1.*q.vn.art.* 5. & *dist.*6.*q.vnica, art.* 1. sequutus vti videtur Scot. *in* 2. *dist.*6.*q.*2 *litt. A.* distinguit has habitudines in duos actus, & comparat intentioni finis, & electioni mediorum. Malè, inquam, cum res volita & persona, cui illam volumus non constituant duo obiecta distincta integra, sed partialia, quæ vnum obiectum conflant, & in quo non liceat, vti aduertit Molin. 1.*part.q.*63. *art.* 5. assignare duas rationes formales specificatiuas actus, sicut neque finis cuius, & finis cui terminant, aut specificant duos actus distinctos, sed vnum eumdémque: quia ex omnibus istis conflatur vnicum obiectum, cuius partes sunt, istæ duæ rationes, quæ ita se habent, vt vna sit ratio, quòd actus terminetur ad alteram. Persona enim, cui volumus bonum, est quasi ratio, quòd actus terminetur ad bonum, quod volumus: & amor amicitiæ, quo nos aut alium amamus, est origo amoris concupiscentiæ, quo rem aliquam alteri, vel nobis concupiscimus, non ex parte actus, vt supponebant Scot. & Gabr. quasi actus, quo nos aut alium amamus, imperet aut dirigat, & ordinet actum, quo nobis, vel alteri bonum volumus: Est enim, vt dixi, vnus & indiuisibilis actus simul ad vtrumque obiectum partiale inseparabiliter terminatus; sed amor personæ est origo boni, quod illi volumus ex parte obiecti, quatenus actum amoris terminari ad eum, cui bonum aliquod volumus, est ratio ex parte obiecti, quod terminetur ad bonum, quod illi volumus. Vnde vlterius colligit idem Molina non modo bonum volitum, & personam, cui illud volumus, non terminare diuersos realiter actus, sed neque tribuere diuersas honestates aut malitias: & malè Scot. & Gabr. *locu citat.* duplicem malitiam agnouisse in appetitu inordinato Luciferi aduersus beatitudinem, nimirum superbiæ in inordinato sui amore, & luxuriæ spiritualis in peruerso amore beatitudinis ab amore sui imperato: quia ista obiecta non sunt integra, sed partialia, quæ vnicam vnius vitij deformitatem, aut virtutis honestatem pariunt: quamuis enim ab vtraque parte obiectiua sumatur species, non tamen ab vtraque seorsim spectata: Sic enim duæ sumerentur semper honestates & malitiæ; sed ab vtroque simul sumpta. Licet enim sint duæ rationes formales, non tamen inconnexæ admodum plurium actuum distinctorum, seu obiectorum. Amor igitur, quo bonum volumus & quo alicui illud volumus, est vna simplicissima appetitio vnius, eiusdémque speciei tum in esse naturæ, tum in esse moris cum duplici habitudine, quæ in quolibet amore includitur: quandoquidem amare est velle bonum alicui, vti definiebat Arist.

36 In amore igitur charitatis persona amata, siue obiectum, cui bonum volumus, est ipse Deus: idcirco sæpius in scripturis appellatur charitas Dei, & vt eleganter explicat Parisiens. *lib. de morib. cap.* 4. Gratia Dei & Domini nostri Iesu Christi. Et sane in amore beneuolentiæ, qualis est charitas, præcipuum obiectum cui est persona, cui primò & per se conuenit bonum concupitum, & in qua essentialiter reperitur bonitas absoluta, quæ est ratio motiua & formalis talis amoris, vt statim explicabo, atque bonum concupitum primariò per charitatem est bonum diuinum, & ratio sub qua desideratur, est diuina quoque bonitas supernaturalis, vt patebit inferius: quæ omnia soli Deo primò & essentialiter conueniunt, immò sunt ipse Deus, qui proinde est primarium obiectum cui charitatis.

37 Obiectum quod, siue bonum, quod amamus charitate, est bonum diuinum, siue bonitas diuina, & essentialis eius perfectio, quam Deo volumus, vt summum omnium bonorum: & quamuis amor qui tendit in bonum alteri volitum sit amor concupiscentiæ, cum S.Thoma & diuina bonitas sit ipsa essentia Dei ac proinde maximè subsistens: tamen ipsa essentia rei quamuis identificata personæ, quatenus est obiectum volitum illi personæ; quodammodo rationem inhærentis induit, cum ametur vt conueniens tali personæ, & reuera tale est, nihilque magis conueniens est rei, quam eius essentia. Cum igitur primarium obiectum cui charitatis sit Deus, cui volumus aliquod summum bonum, nihilque sit aliud ipsi conueniens, quam ipse sibi, seu ipsius bonitas, qua in se bonus est: quo nomine intelligo infinitam illam perfectionem essentialem, qua diuina essentia formaliter constituitur, primarium obiectum, seu bonum volitum à charitate erit ipsa diuina bonitas, quam Deus, qui se ipsum amat eximia quadam beneuolentia sibi ipsi vult.

38 Ratio formalis sub qua, seu motiuum amandi Deum hoc amore supernaturali charitatis, explicatur dum dicitur charitas dilectio Dei propter seipsum. Ita vt ipsemet Deus siue bonitas, per quam in se bonus est, & quæ est ipsamet eius essentia, per quam in omni genere boni bonus sibi, in se, ex se & ad se est, sit motiuum huius actus. Quod vt faciliùs intelligas, notanda est doctrina S.Thomæ 1.*part.q.*60.*art.*3. & 1.2.*q.*26. *art.*4.

39 Distinguit sanctus Doctor duplex bonum, vnum substantiale seu subsistens, absolutum & in se bonum, non cum respectu ad alterum, cui bonum & conueniens est, eo enim omni respectu præciso esset adhuc bonum in sese: & hoc bonum appellat simpliciter bonum, sicut ens, quod in se subsistit completè, est simpliciter ens, & non alterius, aut secundum quid. Hoc porrò bonum absolutè constituitur tale aut per bonitatem ipsi essentialem, aut per accidentalem: quamuis enim bonum istud sit in se subsistens, & alteri incommunicabile; non completur tamen aliquando in genere boni, nisi per quædam accidentia, aut bonitates accidentales, cuiusmodi sunt potentiæ, virtutes & aliæ eiusmodi qualitates, quæ constituunt suum obiectum bonum in ordine ad se, siue bonitate absoluta: vnde & ipsæ vocari possunt bonitates absolutæ, non quod per se subsistant: nam nequidem id conuenit bonitatibus essentialibus substantialibus in abstracto sumptis: sic enim sunt formæ nudæ, quæ adueniunt suis subiectis: quæ tamen essentialiter & substantialiter constituunt: eum ipsis autem conueniunt formæ accidentales, quatenus etiam constituunt sua subiecta bona licet accidentaliter, sed in ordine ad se, & non ad aliud: atque ita constituunt bona absoluta & non respectiua, ac proinde in genere moris faciunt bonum subsistens & bonum simpliciter: quia

faciunt

faciunt bonum in ordine ad se & non ad aliud. Quare differunt ens subsistens & absolutum: & bonum subsistens ac absolutum: quia licet vtrumque sit formaliter & quatenus subsistens ac absolutum, est alteri incommunicabile. Ens tamen absolutum non constituitur tale nisi per aliquid substantiale: bonum vero absolutum tale fit aliquando per formam accidentalem, per quam, vt dixi, perficitur in ordine ad se, & non ad aliud, quamvis ista bonitas accidentalis aliquam bonitatem substantialem, cui aduentat, necessario supponat, atque ita ex vtraque illa bonitate compleatur & integretur vna bonitas, siue vnum bonum subsistens & absolutum. Sicut anima, potentia & habitus faciunt vnum principium adæquatum actionis.

40 Alterum bonum, quod assignat S.Thom. est accidentale, & vel est proprium accidens, vel substantia, alteri actione aliqua vel quasi actione coniuncta. Sic Deus est bonum nostrum nobis per actiones beatificas coniungendum, pecunia aliaque bona externa bona sunt suis possessoribus media possessione, quæ actio quædam moralis est, vnita. Hoc bonum quia respectiuum est seu bonum alterius, & quod sublato eo respectu non esset bonum vocat S.Thomas bonum secundum quid: sicut ens alterius dicitur ens secundum quid, imminutum & imperfectum. Eiusmodi bona sunt accidentia vt sic cum suis subiectis collata, substantiæ omnes partiales, & partes comparatæ cum toto.

41 Ex his bonis bonum subsistens & absolutum personæ amatæ est obiectum amoris amicitiæ, siue beneuolentiæ ex S.Thoma locis citatis: quod probat, quia amoris perfecti & simpliciter talis obiectum debet esse bonum simpliciter & perfectum, cuiusmodi est solum bonum subsistens & absolutum modo explicato. Deinde quia hoc bonum propter se amatur, aut est causa, cur amico desideretur: ipsa enim bonitas essentialis personæ est ratio diligendi personam & desiderandi bona, quæ illi volumus, aut de illis, si ea obtineat gaudeamus. Itaque amor amicitiæ, seu beneuolentiæ est amor, quo ex complacentia de bonis substantialibus amici tanquam propter rationem diligendi, ipsi volumus bonum aliquod extrinsecum & accidentarium, aut nobis complacemus in eo quod ipse bonus est bonitate absoluta, non autem alteri rei propter eandem bonitatem absolutam bonum quodpiam concupiscimus, neque fortassis aliud voluit Coninch. *disp. 19. de actib. supernaturalibus n. 11.* cum dixit obiectum amicitiæ esse amabilitatem personæ, quæ sit ratio illi eidem volendi aliquod bonum. Sed malè negatit hanc amabilitatem in nobis ipsis, quando nos amamus reperiri: & malè idcircò distinxit realiter amorem amicitiæ & concupiscentiæ, vt statim dicam. Tres itaque respectus in illo actu distinguendi sunt: primus est ad bonum subsistens amici v.g. bonum diuinæ excellentiæ, propter quam Deo aliquid volumus: Secundus respectus est ad bonum accidentarium, quod propter illam excellentiam & complacentiam in eo amico, vel Deo desideramus: Tertius respectus est ad personam, cuius est bonum substantiale, quæ est ratio diligendi & cui personæ bonum volumus. Vnde fit primò, vt in hoc amore beneuolentiæ persona propter se ipsam amari dicatur: quia nempe in illo amore ratio volendi bonum est ipsemet amicus non quatenus est persona, cui volumus bonum, sed quatenus bonum essentiale, seu absolutum amici est ratio, cur illi bonum aliud velimus. Quod autem dixit Arist. in amore beneuolentiæ amari bonum alterius, quatenus est alterius, verum est, quia ratio volendi bonum amico est ipsemet amicus, seu bonitas eius absoluta. Tritum porrò illud dictum quod amatur esse bonum amantis, verum tantum est in amore naturali ad quem non inclinamur nisi circa bona nostra & propria, non autem in amore rationali & libero. Hinc quoque intelligis, quod iam monuimus doctrinam, virtutes, pulchritudinem, aliáque bona entitatiue accidentaria posse nihilominus esse rationes diligendi personam & volendi illi ea ipsa bona, aut alia: quia neque istæ bonitates, etiam substantiales sumuntur tunc in abstracto, vt sic enim important inhærentiam; sed in concreto vt constituunt bonum aliquod absolutum & in se & non alteri vt sic. Hoc igitur bonum in amico amatum est ratio illi volendi aliud, quare dicitur amari propter se, siue propter bonitatem, qua in se bonus est, & non alteri: sic enim amaretur propter illud, cui bonus esset.

Bonum accidentale siue inhærens terminat amorem concupiscentiæ ex eodem S.Thoma, id est, illud solum & omne, quod amatur vt conueniens est, & vt bonum alterius, amatur amore concupiscentiæ: quia neque illud amatur propter se, neque persona ratione illius amatur propter se, cum per illud ea non constituatur absolute & in ordine ad se bona, sed tantum respectiue & in ordine ad alium, propter quem ordinem proinde amatur: quia persona, cui bonum illud, est conueniens, est ratio diligendi istud bonum. Hoc porro bonum respectiuum, & vt conueniens non est tantum forma accidentalis, sed etiam, vti iam monui, forma substantialis, quatenus apprehenditur vt conueniens rei quam constituit. Quare S.Thomas non sumit accidens entitatiue & nominaliter, sed virtualiter, pro eo omni quod alteri accidit vel realiter vel per intellectum: ad hanc enim conuenientiam sufficit distinctio rationis inter extrema. Iure igitur dixit Valent. t. 2. *disp. 3. q. p. 1.* amorem amicitiæ esse inclinationem appetitus in bonum secundum se ipsum, & tanquam in terminum: amorem vero concupiscentiæ esse inclinationem in bonum non secundum se, & vt in terminum, sed vt relatum ad alterum, & vt alteri applicatum, siue applicandum personæ, cui illud volumus. 42

Vnde necessariò fit eundem realem & indiuisibilem actum esse amorem amicitiæ & concupiscentiæ propter diuersos respectus: amicitiæ quidem, quatenus terminatur ad personam, non tamen prout est persona & subiectum boni voliti; sed quatenus in ea est bonum aliquod absolutum & subsistens, cuius causa aliud bonum accidentale, siue conueniens illi volumus; quatenus vero ad illud bonum accidentale inhærens & respectiuum ac conueniens terminatur volitio, est amor concupiscentiæ: In omni enim amore includitur alicuius personæ, cui bonum volumus complacentia: neque necesse est eam complacentiam explicitam & distinctam esse, vt nos ad amorem boni excitet, sed in actu exercito, eo quod cum bonum amamus necessariò nobis complacemus in bonitate illius subiecti, cui bonum tale volumus. Rectè igitur dixit Caietan. t. 2. *q. 26. art. 4.* vulgarem diuisionem amoris in amicitiam & concupiscentiam esse diuisionem potiùs amatorum quam amorum. Quod deinde docuerunt Vasq. 1. 2. *disp. 1. cap. 3. & disp. 11. cap. 5.* Salas. 1. 2. *tract. 9. disp. 3. n. 14.* Theopil. *de disciplina morali disput. 3. num. 136.* Molina 1. *parte q. 63. art. 1.* Suarez *lib. 2. de gratia cap. 13. n. 18.* vbi ait esse communem sententiam Ferrariens. *lib. 1. contra gentes cap. 91.* Vbi tamen inutiliter amicitiam ab amore amicitiæ distinguit, & amorem amicitiæ aduersus irrationalia, quibus esse, aliaque bona volumus; non tamen amicitiam concedit. Falsò omninò, quia non volumus bona irrationalibus propter bonitatem ipsorum 43

rum

rum absolutam, sed relatiuam, & quatenus bona sunt alteri. Ridiculus enim foret, qui vino bene vellet propter ipsum vinum solum, inquit Arist. 8. *& hic cap.* 2.

44 Secundo sequitur sapienter S. Thom. 2. 2. *quæst.* 25. *art.* 3. dixisse solum bonum rationale, seu honestum esse obiectum amicitiæ; quia cum bonum honestum propter se appetatur, & non propter aliud, est bonum absolutum: quamquam omnis omnino bonitas, si sumatur, non vt est ratio diligendi, sed vt id quod amatur, terminet amorem concupiscentiæ; sic enim amatur vt conueniens: Si enim ametur, vt constituit hominem perfectum, & in se bonum est ratio diligendi, & amatur amore beneuolentiæ: quare & nos ipsos eo amore possumus amare, quoties nobis bonum aliquod volumus propria bonitate absoluta incitati.

45 Tertiò ex his elicies rationem vltimò specificatiuam amoris, quam male Molina loco cit. petit à bono, quod nobis, vel aliis volumus: ideòque amor, quo proximo volo debitum, pertinet ad iustitiam; ille autem, quo patri volo cultum, ad pietatem, quo mihi eibos, aut honores desidero, ad varios amores reducitur. Verùm bonum volitum est tantum obiectum materiale aut formale quod? Ratio verò formalis sub qua, est ratio motiua quæ non est persona, cui bonum volumus, sed eius bonitas absoluta, quæ prout diuersa est, diuersam quoque inducit specificationem maxime moralem: atque ita in exemplis allatis perfectio patris, cui volo cultum facit pietatis amorem: quamquam hi actus allati à Molina non sint actus amoris concupiscentiæ aut amicitiæ, sed ipsarum virtutum, quæ sunt volitiones propriarum honestatum aliam essentialiter respicientium. Reiiciendus quoque est Lessius, qui *lib.* 2. *c.* 36. *n.* 23. dixit amorem concupiscentiæ specificari ab obiecto volito & amato: nam etiam in illo amore obiectum volitum est tantum materiale Debet igitur specificari à ratione motiua & vltima quæ in amore concupiscentiæ est bonitas conuenientiæ, siue relatiua: quamquam si hunc amorem summimus, prout necessario coniungitur cum amore beneuolentiæ, cui bonum, eiusmodi relatiuum concupiscimus, ratio primario motiua non est bonitas relatiua obiecti, sed absoluta personæ; cui bonitatem illam relatiuam volumus. Itaque persona, cui amatur bonum, non est finis, cuius gratia, neque ad illam refertur, vt ad finem quendam vlteriorem, sed merum & nudum subiectum cui volumus bonum; obiectum autem formale & motiuum tunc præcise est boni amati conuenientia. Vnde vides cur omnes actus, quibus nobis bona diuersa volumus, non sint eiusdem speciei sed diuersæ pro ratione bonorum amatorum; quia sicut non constituitur vnus integer actus ex solo amore concupiscentiæ, aut amicitiæ; ita integrum & completum specificatiuum non erit aut ratio specificatiua amoris concupiscentiæ vt sic, aut amoris amicitiæ secundum rationem præcisam, sed conflata ex specificatiuo vtriusque actus præcise sumpto: quare mutato altero partiali specificatiuo, mutabitur essentialiter specificatiuum completum.

46 Quartò colliges quomodo spes licet sit amor concupiscentiæ, virtus nihilominus theologica existat: quod fusius ostendimus 2. 2. primum quidem, nimirum amorem concupiscentiæ includi essentialiter in spe, pugnat contra Pesant. *in* 2. 2. *disput.* 2. *in q.* 17. delusum aliquot sancti Thomæ locis male intellectis: quam perspicuè enim docuerit nostram sententiam tradit Capreol. *in* 3. *dist.* 26. *q. Vnica art.* 3. *ad* 1. *&* 2. Durand. *contra* 2. *conclus.* & omnes passim sequuntur cum Suar. *lib.* 2. *de gratia cap.* 13. *n.* 24. *& tom.* 1. *in* 3. *partem q.* 7. *art.* 7. *in comm. & disp.* 1. *de spe, sect.* 3. *num.* 4. & ratio manifesta est: per spem enim prosequimur bonum nostrum, seu nobis conueniens, & sub illa formalitate, quatenus nostrum est, & à nobis obtinendum quod proinde non expetitur præcise propter se, sed propter aliud tanquam subiectum, cui conueniens & bonum est.

Neque dicas cum Durando *in* 3. *dist.* 26. *q.* 2. hinc 47 sequi hunc amorem neque supernaturalem, neque Theologicum esse, cum procedat ex amabilitate nostri & complacentia, quæ omnino naturalis est: nam in eo actu non referimus Deum ad nos tanquam medium ad finem, sed amamus illum tanquam finem nostrum vltimum & amamus illum subiecto, cui reuera bonus est: siue vt aliqui loqui malunt non amamus illum propter nos, sed pro nobis, aut nobis: non præferimus nos Deo, sed Deum nobis: quia io illo nostram omnem fœlicitatem collocatam esse cognoscimus: & quamuis in illo actu simul includatur amor nostri, qui sit ratio diligendi ex parte obiecti: illa tamen nostri complacentia non debet præcedere realiter, vt monui superius, sed in actu exercito repetitur complacentia nostri: & ratio specificatiua amoris huius atque spei est ipsum obiectum concupitum, quod amatur: quia conueniens est alteri, quæ est summa eius perfectio: siue ratio motiua est bonitas Dei increata, non quatenus est bonum Dei; sed quatenus est bonum nostrum increatum: neque per hunc amorem Deo vtimur: quia vsus est circa media ex amore finis obtinendi. Hic autem actus est circa finem ipsum, cuius vnionem & fruitionem sibi appetit amans.

Quintò denique habemus rationem formalem 48 charitatis esse diuinam bonitatem supernaturalem; cum enim vt dixi, hic amor sit amicitiæ, non debet per illum amari Deus, quatenus aliis bonus est, sed vt in se & ad se bonus est, vti dixi: ideo monet S. Thom. 2. 2. *q.* 23. *art.* 5. *ad* 2. Deum diligi propter se ipsum: quia ratio sola diligendi est sola diuina bonitas, id est, infinita Dei perfectio: quæ omnia attributa, & omnes perfectiones simplicissimè comprehendit. Cæteræ porro rationes ad Deum diligendum inducentes secundariæ sunt. *art.* 6. nobilitatem charitatis ex eo ducit S. Thom. quod Deum attingat, & in illo sistat. *art.* 4. charitatem esse amorem boni diuini, in quantum est speciale obiectum beatitudinis: quod ipsum docuerat 1. 2. *q.* 109. *art.* 1. *ad* 1. non quasi velit Deum sub ea formalitate, sub qua est obiectum nostræ beatitudinis, esse obiectum charitatis, vt sibi finxit Scotus *in* 3. *dist.* 27. *q. vnic.* §. *contra primam*: Sic enim pertinet ad spem & amatur amore concupiscentiæ, sed quia hoc loquendi modo voluit significare bonum diuinum esse obiectum charitatis non secundum vnam aliquam perfectionem, sed secundum omnes & prout in se ipso est: qua ratione à Beatis videtur quantus, quantus est, quod si amemus Deum propter beneficia nobis collata: ille amor charitatis non est, nisi ametur potius propter amorem quo nobis beneficia confert, quam propter beneficium nobis præstitum: tunc enim ille amor ad charitatem pertinet ex S. Thoma 2. 2. *q.* 106. *art.* 5. quia enim amor, quo Deus nos amat, est, ipse Deus, & nos amat propter suam bonitatem, cum illam credamus; quia nos amat, amamus eum propter bonitatem eius tanquam rationem formalem & motiuam.

Hanc autem bonitatem diuinam, vt sit ratio forma- 49 lis & vltimò specificatiua charitatis volebamus esse supernaturalem, vt distinguamus charitatem ab amore natutali quem dari posse diximus aliàs t. 2 *tract. de gratia*, & non distingui hos amores nisi penes obiecta

cta formalia & motiua vltima constat nobis ea iis quæ disputauimus de supernaturalitate fidei superius, omissis porrò multis tricis circa hanc diuinæ bonitatis supernaturalitatem quam varij variè explicant. Dico diuinam bonitatem esse supernaturalem, quatenus nullam habet connexionem naturalem cum natura rationali, sed vt illi communicabilis est per gratiam & gloriam: diuina enim bonitas, præcisè vt Deus naturæ autor est spectata, naturalem veluti connexionem habet cum creatura, quæ ab illa essentialiter dependet tum vt à primo principio, tum vt a fine naturali: & sic dicitur esse ratio naturalis, ratio obiectiua amandi Deum: quia quamvis ea bonitas sit infinita in se, atquè infinitè distans à creatura, eius tamen naturalis est finis, sicut & principium, & in illam creatura naturali impetu tendit, sicut & illam cognoscit: quod fortassis voluit Alensis 3. *part. q. 91. art. 1. ad 7.* dum ex diuersa cognitione naturalitatem & supernaturalitatem diuinæ bonitatis definit. Quæ enim naturali cognitione attingi nequit, supernaturalis est. Ea porro est quatenus Deus author donorum supernaturalium existit, & per se gratiam ac gloriam communicat: sic enim nullam naturalem connexionem habet cum creatura rationali, quæ nullo modo vt sic pendet à Deo in suo esse naturali: quia si per impossibile Deus non posset naturam supernaturali sui ipsius cognitione, aliorumque donorum communicatione perficere, penderet illa nihilominus essentialiter in suo esse, & reliquis omnibus à Deo vt authore naturæ: vnde sequitur naturam non ferri vlla naturali inclinatione in Deum sub illa ratione cognitum & proinde illum non diligere vt sic naturali amore. Diuina igitur bonitas, vt per gratiam & gloriam supernaturaliter communicabilis, ratio formalis charitatis supernaturalis ac theologicæ existit, non quod ametur formaliter vt communicabilis est: id enim pertinet ad spem, sed specificatiuè, hoc est illa ipsa bonitas, quæ per gratiam & gloriam, non autem per naturam communicabilis est, dilectionem istam terminat. Ratio veluti à priori reddi potest ex natura amoris beneuolentiæ, qui fundatur in aliqua coniunctione, & vnitate amantis cum amato, non tanquam in ratione amandi & motiuo, sed tanquam in conditione necessariò requisita & dispositione amantis, quod asserit S. Thomas 2. 2. *q. 25. art. 4.* & alibi ex Aristotelis pronunciato amabile bonum vnicuique autem proprium 8. *Ethic. cap.* 2. Quia nemo vult bonum, nisi vel sibi, vel alteri, quem secum vnum quodammodo existimat. Cum igitur sit diuersa vnitas, societas & communicatio creaturæ cum Deo, vt authore naturæ, & vt authore gratiæ, diuersus quoque erit amor, qui in ea vnitate fundabitur & qui diuersam quoque rationem formalem debebit habere, non aliam certè, quam diuinam bonitatem: neque poterit naturalis amor ferri ad amandam bonitatem, cum qua nullam habet vnitatem. Et sane S. Thom. 2. 2. *q. 23. art. 5.* diuersas amicitiæ species ex diuersa ipsa vnitate & communicatione desumit.

49 Restat modus tendendi essentialis charitatis, qui modus explicatur per illa verba *super omnia* dum charitas definitur dilectio Dei propter se ipsum super omnia. Debet nimirum hic amor omnem alium excessu quodam superare, ita vt magis Deum, quam alia omnia amemus. Hic autem excessus tribus modis contingere potest, obiectiuè, appretiatiuè, & intensiuè, quibus aliqui quartum addunt, nimirum principaliter: illud magis obiectiuè diligitur, cui maius bonum desideramus, cum amare sit velle bonum. Appretiatiuè magis diligitur illud quod ipso actuali exercitio charitatis magis fit, ad quod duo requiruntur; primò vt nihil committamus, quod non possit consistere ex rationis præscripto, cum eo quod magis appretiatiuè diligimus, sed potius omni alio, quam illo carere parati simus. Secundo vt si præstandum sit aliquid in gratiam eius, quem magis, & alterius, quem minus appretiatiuè diligimus, neque possit vtrique satisfieri, potius agamus in commodum, seu gratiam eius, quem magis appretiatiuè diligimus. Quare Becan. *cap.* 19. t. 3 *q. 4.* Appretiatiuè vocat efficaciter diligere: quia reuera in effectu pluris eum æstimamus, & in necessitate illum præferimus, seu potius illi exhibere parati sumus effectum extremum charitatis, & in necessitate succurrere, quem magis appretiatiuè diligimus. Scot. *in 3. dist. 27. q. vnica litt. K.* vocat plus extensiuè diligere: quia qui sic v. g. Deum diligit, vellet alia potius non esse quam Deum. Magis intensiuè diligere est maiori intensione actus, & maiori conatu potentiæ diligere, quem modum aliqui veteres cum secundo confuderunt, sed satis deinde suam mentem explicarunt, vt vides in S. Thom. 2. 2. *q. 23. art. 6. ad* 2. vbi illud plus diligi non sumit tantum ex parte obiecti voliti, sed etiam ex inæqualitate beneficentiæ. Quare male negarit Petrus Soto *lect. 14. de pœnitentia in fine & lect. 15. §. cæterum* posse aliquid magis appretiatiuè diligi, & non magis intensiuè, cum manifesta ex dictis pateat differentia, cui geminam addidit Konin. *disp. 25. de actib. supernat. n. 4.* nimirum quia amor appretiatiuè maior dicit comparationem inter duo, ex quibus vnum alteri præfertur: non autem amor intensiuè maior: ad hoc enim sufficit, vt amem vnum vt quatuor, & alium vt sex, vt dicar vnum intensius diligere, quam alium sine vlla inter ipsos comparatione, qua alterum præponam: immo licet nequidem de alio cogitem. Secundo amor appretiatiuè maior ostenditur in ipso actu externo, quo vnam rem præpono, assumo v. g. vnam altera relicta: quare hic amor in actu exercito præfert nescio quem contemptum alterius extremi, inter quæ fit comparatio: quod non contingit in excessu intensiuo amoris, possumque vnum intensiùs amare sine vlla alterius despicientia etiam in actu exercito, cum aliquando vnum alteri præferam. Quartus modus, quo aliquid principalius diligitur, ad tres superiores reuocari potest: aliquid enim magis principaliter diligitur obiectiuè, vel appretiatiuè, vel intensiuè: si tamen illud magis aut minus principaliter sumamus pro potiori iure, aut ratione diligendi: ita vt id quod causat alterius dilectionem, dicatur principalius diligi, poterit ab aliis vulgatis modis distingui.

Cum igitur charitas definitur dilectio Dei super omnia, significatur Deum magis diligi, quā cætera omnia: primo obiectiuè cùm enim amor beneuolētiæ vnicuique suum bonum proprium maximè amet, charitas Deo amat, & vult bonum Dei proprium, quod ipse Deus est, omniumque bonorum pelagus: quare non potest charitas Deum non magis amare, quam cætera omnia, cum Deo necessario velit maius bonum, quàm cæteris omnibus. Secundo amat quoque Deum principalius charitas: quia diuina bonitas est ratio amandi reliqua omnia, vti aduertit S. Thomas 2. 2. *q. 26. art.* 2. & inferius iterum monebimus. Tertio amatur Deus per charitatem magis appretiatiuè: qui excessus imprimis significatur per particulam *super omnia*, quam Vasquez 1. 2. *disp.* 194. *n.* 19. restringit ad bona diuino amori opposita & ad amorem amicitiæ: qui excludat omnem grauem offensam: si enim illa admittatur, periit amor charitatis. Huc pertinet quod ait Christus, qui amat patrem aut matrem plusquam me non est me dignus, id est, qui me iniuria afficit ne patrem aut matrem contristet. *Non necessitudinum intestina bella,* 50

sed

sed illecebram suspectam habui, inquit Ambros *serm.* 15. *in Psal.* 113. *n.* 1. Quartò amor maior intensiuè non est necessarius & essentialis charitati. Quare Adrianum qui totum conatum potentiæ requirit ad hunc actum & Petrum Soto, qui summam intensionem saltem comparatiuè postulat. Suar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 4. *sect.* 4. Bellarm. *lib.* 2. *de pœnit. cap.* 11. *proposit.* 3. & 4. alijque Theologi magno consensu reijciunt. Licet enim Deus sit ratio diligendi cætera ex charitate, non sequitur ex eo quod primò feratur in Deum potentia illam maiori conatu & impetu ferri: potest enim varijs ex causis in materiale obiectum vehementius impelli, quamuis non existimem improbabile quod affirmat Konin. *disp.* 25. *de act. supern. n.* 28. fieri non posse, vt quis amet proximum purè propter Deum & intensiùs quam ipsum Deum, qui eo casu est tota & adæquata ratio diligendi. Quando enim amamus intensius proximum aut nos, quam Deum, tunc propter primarium motiuum diuinæ bonitatis, miscentur alia quædam quamuis honesta, quæ magis blandiantur voluntati, atque illam fortiùs impellunt, vt vehementiori conatu prorumpat in actum: quare argumentum Bann. 2. 2. *q.* 26. *art.* 2. *Con.* 3. de immediatiori inclinatione potentiæ in obiectum formale, quam in materiale, & consequenter maiori conatu in id ad quod primo & per se impellitur verum erit, vbi illud obiectum formale vnicum & adæquatum est.

Perfectio substantialis charitatis Extensiua & intensiua.

51 Hactenus explicuimus perfectionem essentialem charitatis, venio ad substantialem & intrinsecam, quam ita appello: quia licet non pertineat ad charitatis essentiam, quæ sine ipsa consistere potest; non tamen est merum aliquod accidens, aut circumstantia actus, sed ad eius substantiam pertinet: quæ distinctio substantialis & essentialis perfectionis in omnibus alijs tum Physicis, tum moralibus admittitur passim: atque vt aliquid ad nostram rem accommodatum afferamus certum est beatitudinem & visionem intuitiuam Dei esse inæqualem in beatis: ita enim definit Concilii. Florentinum in litteris vnionis, omnesque temeritatis damnant Durand. *in* 4. *dist.* 49. *q.* 2. *n.* 17. Vbi ex malè intellecta Christi parabola de denario diurno *Matth.* 20. æqualitatem inter omnes beatos constituit: qua in re Ioniciniano inducenti æqualitatem meritorum fauet. Hæc tamen inæqualitas non erit essentialis & specifica Vti vulgo fatentur Theologi: quia cum sit idem obiectum, & idem tendendi modus in omni visione intuitiua Dei, non apparet, vnde eius specifica diuersitas sumi possit. Quare negat Suar. *lib.* 2. *de Deo cap.* 19. *n.* 10. etiam de potentia absoluta posse variari hanc speciem: quod autem ex principio eliciriuo diuersitatem inter intellectionem Angelicam & humanam asserebamus aliquando *hoc ipso libro p.* 2. *q.* 8. pertinet ad aduersitatem quãdam genericam quæ omni intellectioni angelicæ, sicut & eius volitioni conuenit: vnde tamen negabamus colligi diuersitatem istam vltimò specificatiuam in visione beata ex qua vnus alio beatior reddatur, vti ibidem exposuimus. Herice quidem *in* 1 *part. disp.* 49. *n.* 30. existimauit visionem terminatam ad solum Deum, & nõ ad creaturas differre specie ab illa, quæ ad aliquod eiusmodi obiectum secundarium terminaretur, immò istas quoque visiones pro diuersitate obiectorum secundariorũ & creaturarũ, quas attingunt, diuersificari specie. Cum enim sint essentialiter expressæ & vitales imagines diuersorum obiectorũ, habent diuersos ordines essentiales, & transcendentales, quod sufficit ad constituendam diuersam speciem Physicam. Et quamuis hæc obiecta sint secundaria, nihil obest, quia quoties obiecta conferunt diuersam perfectionẽ essentialem actui, etiamsi sint tantum materialia, illum diuersificant specie immo etiã aliqua diuersitas in ordine ad obiectum primarium reperiri videtur. Nam visio, quæ Deum absque vlla prorsus creatura repræsentat, non exprimit formaliter omnipotentiã, & distincta est quoad aliquid essentiale ab ea visione, quæ omnipotentiã formaliter, & creaturas aliquas repræsentabit, quod idem dicendum est de visione, quæ ad solam essentiã, & non ad personas terminaretur, aut ad vnam aliquam personam sine alio si eiusmodi visiones possibiles admitteremus. In his enim omnibus visionibus aliquem ordinem essentialem & transcendentalẽ diuersum licebit assignare: atque adeo diuersam speciem Physicam. Communis autem sententia loquitur de specie desumpta ex obiecto primario, quod reipsa attingitur visione beata: aut veriùs non tam agit de visione intuitiua Dei, quàm de beatitudine. Hanc autẽ cum non petatur ab obiectis secundariis in Deo visis, certum est non mutari essentialiter, ex eo quod visio Dei in qua ex communiori sententia beatitudo, essentialiter consistit, terminetur ad pauciora, vel plura aut diuersa obiecta eiusmodi secundaria. Nnn crescit quoque autem minuitur, siue ad vnam, siue ad plures personas, siue ad essentiam solam, siue ad omnia obiecta, siue ad vnum aliquod terminaretur. Quia cum sit summa identitas personarum cum essentia & singulæ personæ sint essentialiter infinitæ in omni genere entis, neque vlla persona sit perfectior alia, non erit beatior, qui tres personas videbit, illo, qui vnam tantum intuebitur, vti fuit alias expositum. Verum quidquid sit de hac quæstione ac diuersitate, quæ sumitur ab obiecto materiali cognitionis & volitionis an liceat specificam & essentialem nominare; an vero eam solam, quæ ab vltimo obiecto formali: consentiunt omnes eam saltem non esse accidentalem, ideoque aliqui vocant materialem, alij indiuidualem, alij intrinsecam & substantialem: qui vltimus loquendi modus placuit nobis. Itaque inæqualitatem diuinæ visionis tum ratione obiecti, quando in eo plura ex illis, quæ eminenter continet, videntur aut eius cognoscibilitas magis attingitur & penetratur; tum ratione claritatis, quæ expressiorem, illustrioremque visionem reddit, substantialem appellamus atque ita dicimus cum Soto *in* 4. *dist.* 49. *q.* 3. *art.* 2. beatos esse diuersimodè perfectos in beatitudine essentiali, quamuis non sint essentialiter perfectiores. Eodem modo loquor de charitate, & in ea seruata vnitate essentiali & vltimo specificatiua, contendo esse diuersitatem aliquam substantialem, quæ sumatur tum ab obiecto, tum à modo tendendi, & ratione cuius dicantur homines diuersimode perfecti in charitate essentiali, atque in essentiali perfectione vitæ Christianæ superius explicata.

52 Hanc igitur perfectionem substantialem charitatis geminam facio, vnam, quæ ducitur ab obiecto, alteram à modo tendendendi: primam voco extensiuam, quia per eam charitas fertur in plura obiecta, & ad illa se extendit. Alteram intensiuam, quia ex maiori conatu potentiæ crescit & intenditur actio: & sicut in charitate habituali reperitur augmentum graduale, ita & in actuali, quamquam aliqui aliter vsurpant has voces. Nam S. Thom. 2. 2. *q.* 184. *art.* 2. *ad* 3. vocat intensionem charitatis, dum propter proximum omnia bona externa, atque ipsa etiam vita contemnitur. Ideo omnis illa perfectio charitatis, quæ circa eamdem personam versatur, à quibusdam dicitur intensio; extensio vero, quando circa diuersas personas ieo quod extẽsio qualitatis in physicis sumatur à diuersis partibus subiecti; intensio vero ab eadem. Commu-

niter tamen intensio dilectionis sumitur ab augmẽto graduali, ex maiori conatu potentiæ siue circa idẽ siue circa diuersa obiecta: Extensio verò ex multitudine obiectorum, ad quæ extenditur habitus vel actus.

53 Perfectio igitur extensiua charitatis desumitur primò ab obiecto cui, siue persona amata: quia non Deũ tantum, sed etiam proximum diligit, vt S. Thomas 2. 2. q. 25. *art.* 1. & ibi passim Theologi exponunt. Nomine autem proximi intelligunt tum nos ipsos, tum omnes creaturas rationales, nisi ex aliqua circunstantia reddita sit incapax tam sublimis amoris & boni diuini atque supernaturalis per illum primario voliti; cuiusmodi circonstantia non est aut in inimicitia, aut malitia proximi; sed sula damnatio reprobatiua finalis, atque obstinatio in malo, eaque certè cognita. Quare neque Dæmones, neque damnati possunt esse obiectum cui Charitatis, & per illam diligi: secùs verò inimici & peccatores, provt igitur charitas magis aut minus se se ad diuersa ista obiecta cui, siue personas diligendas fertur, extensiuè perfectior, aut imperfectior est.

54 Secundo attenditur perfectio extensiua charitatis ratione obiecti quod, siue materialis & boni voliti personæ, quam diligimus, quod bonum est, primo diuina bonitas, deinde omnis eius supernaturalis participatio, hoc est, vt vno verbo omnia complectar, non modo bona omnia supernaturalia, sed etiam alia quælibet spiritualia & corporea, interna & externa creaturæ quoque irrationales, ipsaque mala quatenus ad salutem supernaturalem proximi, aut diuinam gloriam vtilia esse possunt. Denique ipsa etiam charitas amorem charitatis terminare potest. Vides in hac amplitudine obiecti materialis charitatis seu vt aliqui vocant, obiecti formalis quod, aut boni voliti amico, latissimum campum, in quo spatietur charitas, quæ tamen non semper totum eiusmodi stadium decurrit, sed carceribus angustioribus aliquando se se continet.

55 Tertio consideratur extensio charitatis ex ratione formali sub qua & motiua, quæ quidem vti diximus est diuina bonitas supernaturalis: quia tamen ea consideratur vel vt in Deo existit, vel vt in proximo, quem propter Deum diligimus, ratione illius aliqua extensio charitatis assignari potest. Dum enim non tantum à diuina bonitate Deo intrinseca mouetur, sed etiam ab eadem vt communicata & participata à creatura quæ amatur, non propter bonitatem sibi intrinsecam sed diuinam bonitatem illi extrinsecam, quam suo modo participat, & in qua cum Deo quodammodo communicat, cuiusque capax est, extendi non immerito dicitur charitas. Præterea quia gratia & omnia dona supernaturalia collata proximo, sunt quædam participationes diuinæ bonitatis, quoties propter illa amatur proximus, amatur propter diuinam bonitatem participatam per aliquid eiusdem ordinis: quod idem existimo de donis naturalibus vt virtutibus moralibus, quatenus regulantur per supernaturalem Regulá, aut ad bona supernaturalia aliquem ordinẽ induunt: quod totum ex his, quæ quondam 1. 2. & 2. 2. diximus de ordine supernaturali, ad quem effertur creatura per eiusmodi dona, maximè per gratiam diuinæ naturæ participationem, per quam quodammodo Dij efficimur, liquido constat. Cum igitur adæquata ratio motiua charitatis sit diuina bonitas, siue immediata in se, siue per sui participationem formalem & realem, quamuis analogicam; provt charitatis actus & habitus ipsi adæquabitur, aut non adæquabitur, extensiuè maior aut minor erit.

56 Quarto amplitudo & extensio charitatis petitur ex modo tendendi, quem dicebamus esse amare Deum super omnia. Nam qui ita amat Deum supra omnia, vt nullius creaturæ amore ad grauem offensam Dei impelli possit, cum minori quadam extensione amat, quã qui omnia potius abijcere paratus est, quam vel leuissimam noxam & offensam committere: amplior etiam amor est, si non modo culpas leuissimas vitare proponat; sed etiam omnia media ad perfectionem necessaria assumere, non modo seruare omnia præcepta, sed ipsa quoque consilia. In quibus etiam omnibus potest adhuc maior aut minor extensio cogitari, provt plura aut difficiliora sunt, quæ suscipiuntur vi huius amoris perfectè obedientialis. Hanc extensionem charitatis aliqui sumi dicunt ex habitudine ad effectus & obiecta voluntatis diuinæ implendæ, in qua, vt dixi maxima varietas contingere potest.

Quinto sumi poterit dignitas charitatis à varijs eius 57
effectibus, quos in diligente producit. Cum enim primarius effectus sit vnio amantis cum amato, & hominis cum Deo, provt ista vnio crescet & maior erit, maior quoque erit charitas. Hoc augmentum aliqui dicunt intensiuum: quia communiter actus eiusmodi intensi sunt, quando eximios illos effectus causant; sunt enim effectus formales, qui fiunt formaliter ab ipsa actuali dilectione, qua cessante etiam cessant. Nihilominus cum isti actus non habeãt hos effectus ratione solius intensiuus & à pluralitate entitatiua graduum; perfectio charitatis ab illis desumpta potius dicetur extensiua à pluralitate effectuum, & eorum dignitate, quam intensiua.

Perfectio igitur intensiua nobis alia non est, quam augmentum graduale in actu ex maiori conatu potentiæ in illo eliciendo, quod in omnibus aliis actionibus, quæ non eliciuntur cum eadem applicatione causæ, contingit.

Perfectio accidentalis charitatis.

Tertia perfectio charitatis dicebatur à nobis extrin- 58
seca & accidentalis, quæ petitur ex consortio aliarum virtutum, moderatione atque ablatione impedimentorũ vt charitas promptè, & delectabiliter constanter, & frequenter operetur in qualibet materia, atque alia bona & honesta opera imperet, ac dirigat, & caueat omnia contraria, atq; etiá omnes defectus, qui feruorẽ ipsius retardare possũt. Quæ omnia si cõsiderẽtur, provt à charitate amantur & procurantur, augent charitatẽ intrinsecè, extensiuè ex parte obiecti, vti superius explicuimus: si vero provt subiectum charitatis afficiunt ac disponunt ad perfectá charitatis operationẽ, non nisi extrinsecè illam perficiunt, vt patet. Addebam nuper has duas postremas charitatis perfectiones, nimirum substantialem & accidentalẽ atque extrinsecam suos habere gradus: quod perspicuum manet ex iis, quæ inter explicandum has perfectiones hactenus attulimus: neque aliunde peti potest ea graduum distinctio, quam in charitate faciunt vulgò PP. Bernard. *lib. de vita solit. ad fratres de monte Dei.* Richard. de S. Victor. *in opuscul. de gradib. charit.* Bonau. *opuscul. de septem gradib. contemplat.* atque alibi sed fusissimè *opuscul. de itinerib. ætern. in 4. itinere.*

Resolutio Quæstionis.

In qua charitate consistat perfectio Christiana.

Ita explicata natura charitatis, & multiplici eius 59
perfectione facilè fuerit ad propositam nuper difficultatem respondere, & in quanam charitate constituenda sit Christiana perfectio definire.

Dico enim primò essentialem perfectionem charitatis, esse quoque essentialem vitæ spirituali & Christianæ, quæ absque essentiali charitate consistere nequit: quia Matth. 22. Marci 12. Lucæ 10. & Deuter. 6. præcipitur dilectio Dei, ex toto corde, mente, anima & fortitudine. Quibus omnibus verbis nihil aliud significa

significari, quam dilectionem Dei super omnia docent communiter Theologi: quamuis tum S.Thom. a. 2. *q.44. art.4.& 5.* tum alij diuersa in singulis particulis obseruent, quæ dabit Lorin. in Deut. & omnium fusissimè Iacob Aluar. *tom.1. lib.3. cap.16.& seq.* Sed ea omnia quoad obligationem circa modum diligendi nuo aliud feront, quam particula super omnia superius explicata de grauitate seu excessu appretiationis: in eo enim est totalitas quædam cordis excludentis id omne quod potest auertere animum à diuina dilectione, & Deum grauiter offendere: quem modum amandi diximus esse intrinsecum & essentialem charitati ac proinde mirum non est si præcipiatur: vulgare enim axioma: modum actionis non cadere sub præceptum intelligendum est de modis extrinsecis actionis imperatæ, vt aduertit S.Thom. *art.4. cit.* & fusius Molina *tract.3. de iustitia, disp. 59.* nósque alibi.

60 Dico secundò perfectionem extensiuam charitatis ratione personæ amatæ, nimirum proximi pertinere secundario ad perfectionem communem & necessariam vitæ Christianæ: ita S.Thomas a. 2. *q.184. art.2. ad 3. & art.3.* Quia Matth.22. imperatur ea dilectio: & præceptum illud dicitur simile præcepto de diligendo Deo: quod magnum nominatur: atque ex his duobus mandatis vniuersa lex pendet & Prophetæ *ad Rom.13. Qui diligit proximum, legem impleuit.* Cum igitur perfectio omnibus Christianis necessaria, atque essentialis, sit totius legis Christianæ impletio: hoc præceptum, quod secundo loco ponitur, & ex quo cætera pendent, implendum omnino erit ad eam perfectionem necessariam, & Christianæ vitæ essentialem obtinendam. Aduertit autem S.Thom. a. 2. *quæst.44. art.7.* Christum in ea parte tradere rationem diligendi proximum & modum diligendi. Ratio diligendi significatur nomine proximi: debemus enim illum diligere, quia nobis est proximus secundum naturalem imaginem Dei & capacitatem gloriæ beatæ, aut quatenus in eo diuinam bonitatem supernaturalem participatam & relucentem intuemur: in qua participatione, eiúsve capacitate nobiscum communicat. Modus diligendi explicatur particula *sicut te ipsum* quæ non denotat æqualitatem, sed similitudinem, eámque triplicem: primò vt proximum quis ita diligat propter Deum, sicut seipsum diligit, & est dilectio sancta. Secundò vt sola bona proximo velit, & nullum malum sicut neque sibi velle debet: Et est dilectio iusta. Tertiò non diligat proximum in proprium tantum commodum, sed propter eius bonitatem absolutam, & amore amicitiæ, atque beneuolentiæ: & est dilectio pura. Nouum hoc mandatum nominat Christus *Ioan.13.* vbi & sublimiorem quandam diligendi rationem assignat, de qua inferiùs, tum quia, vt inquit Toletus *in illud cap. annot.30.* illud Christus de nouo adiiciebat aliis, quæ reliqua vita tuletat, tum quia imperabat dilectionem, qua se Christiani prosequi debent, quatenus Christiani sunt, & eiusdem corporis membra sub capite Christo, & propter Christum. Verum his, aliisque controuersiis omissis certum est charitatem, in qua perfectionem vitæ Christianæ communem & essentialem collocauimus debere sese extendere ad proximum, non ea tantum de causa, quod propositum seruandi omnia præcepta includere necessariò debet: sed quia, vti diximus a. 2. habitudo ad proximum essentialis est diuinæ charitati, quamuis non nisi secundariò, quæ etiam ratione pertinebit ad essentialem perfectionem Christianam.

61 Dico tertiò præter hanc perfectionem essentialem vitæ Christianæ & omnibus iustis communem, aliam quamdam esse, ratione cuius aliqui dicuntur eximio quodam iure sancti & perfecti, ad quam tendit status perfectionis, & quam omnino supponimus in diuisione nostra & communi Theologorum in statum vitæ perfectæ, & communis. Quæ assertio euidens manet ex ipsis terminis, & communi omnium sensu, atque ex hactenus disputatis. Et sanè tum Christus, tum Paulus duplicis huius perfectionis meminit. Nam *Matth.5.* Christus iubet omnes esse perfectos, sicut Pater perfectus est. At verò *Matth.19.* postulat à quodam vt si vult esse perfectus, omnia sua bona diuendat, & pauperibus largiatur: quod re vera non exigit ab omnibus; quos tamen vult esse perfectos. Et Paulus *ad Philipp.3.* de Christianis dicit quicumque perfecti sumus. Ibidem autem negat se esse perfectum: *non quod iam acceperim, aut iam perfectus sim:* quod licet de patriæ perfectione exponat August. *serm.15. de verb. Apostoli, cap.13.* de eximia tamen viæ perfectione intelligi suadet ipse contextus. Hanc porrò perfectionem modò quærimus.

Dico quartò perfectionem illam eximiam, de qua 62
disputamus hoc loco præter essentialem perfectionem charitatis, quam essentialiter supponit, includere quoque necessariò perfectionem substantialem extensiuam, & perfectionem extrinsecam, & accidentalem ratione subiecti, superiùs explicatas. Oportet igitur charitatem extendi ad omnia diuina bona ad proximos omnes etiam inimicos & peccatores, adimpletionem omnimodam diuinæ voluntatis tum imperantis, tum suadentis ad omnem excludendam tum grauem, tum leuem offensam, ad vitandos omnes defectus, ad tollenda omnia contraria impedimenta charitatis, ad subigendas proinde passiones, ad relinquenda omnia, quæ quoquo modo summam cum Deo vnionem remorari possunt; ea verò quæ iuuabunt amplectenda, vt omni ex parte perfecta sit & possit constanter, promptè, facilè, frequenter & sine vllo impedimento ex parte subiecti operari ac veluti connaturaliter non modo Deum amet; sed etiam ex eodem amore cæterarum virtutum opera exerceat, habeat denique illam proximam dispositionem permanentem, & stabile principium perfectè in omnibus operandi, in quo perfectionem collocabamus *difficult.4.* neque opus est sigillatim ostendere ex istorum omnium cumulo coalescere debere perfectionem: quandoquidem ex dictis satis constat charitatem ornamentis istis, auxiliis, dispositionibus mediis & instrumentis destitutam imperfectè, & ægrè admodum operari. Ideo S.Thom. a. 2. *q.184. art.2.* totalitatem, quam ad perfectionem dilectionis requirit, geminam facit: *Prima ab affectu hominis excludit omne illud, quod contrariatur charitati, sicut est peccatum mortale.* Quam perfectionem dicit esse de necessitate salutis, vtpote charitati essentialem. Secunda excludit ab affectu hominis omne illud, quod impedit, ne affectus mentis totaliter dirigatur in Deum. Quæ perfectio neque communiter in Christianis, neque in incipientibus, & proficientibus, sed in solis perfectis reperitur.

Dico quinto perfectionem intensiuam charitatis 63
non esse necessariam ad perfectionem, quamuis ad illam plurimum conferat: quia fieri potest, vt quis habeat intensos habitus gratiæ & charitatis, ex illisque intensè operetur, quamuis neque moderatas habeat passiones, ideoque sæpius venialiter peccet, neque in his leuioribus culpis vitandis multum sollicitus sit, neque virtutum actus exerceat, quem proinde imperfectum fateri oportet: cum è contrario possit alius initio suæ conuersionis ita cohibere affectus vt ob peccata venialia ferè caueat, & virtutem constanter exerceat, abiectis generoso aliquo conatu omnibus impedimentis, ac proinde sit in statu perfectorum. Idque volunt Patres dum negant perfe-

ctionem consistere in efficiente, siue affectuosa dilectione, sed efficiente, vt ex Richard. *in Cant.6.* atque aliis decet Aluar. *tom.1. lib.3. cap.9.*

Sexta Difficultas.

An perfectio consistat in praeceptis, an in consiliis?

64 Supponenda est hoc loco distinctio præceptorum à Consiliis, quam admittunt omnes Catholici contra hæreticos, & fusiùs probat Bellarmin. *lib. 1. de Monach.* Suar. *tract.7. de Relig. lib.1. cap.7. & seqq.* alijque passim. Et sanè cum plurima sint bona, quæ neque lege naturali, neque positiua humana, aut diuina præcipiuntur; ea tamen suaderi & consuli poterunt; & si fiant, non ea aliqua obligatione fient, sed ex mero arbitrio eius, qui ita consulanti obsequitur, vt potuerit sine vlla noxa non obsequi. Rectè enim Hieronym. *epist.22. ad Eustrich.* dixit *Vbi præceptum datur, ibi necessitas est seruientis: vbi consilium, ibi afferentis arbitrium.* Ex his vero consiliis alia nominat generalia Suar. *cap.8.* alia particularia, priora sunt, quæ non tantum propter propriam honestatem consuluntur, sed quia ad alias virtutes, charitatem maximè obtinendam plurimum conferunt, ac proinde quandam vniuersalitatem habent in causando. Eiusmodi sunt tria vulgata, consilia paupertatis, castitatis & obedientiæ, consilium quoque de firmanda per votum voluntate, est veluti quod transcendens, quia per omnes vagatur materias. Particularia consilia dantur de aliquo bono non præcepto, quod propter suam honestatem, & sine vllo respectu ad alia; ad quæ tanquam medium quoddam comparetur, appetitur: eiusmodi consilia in materia cuiuscunque virtutis, atque etiam in omni bono opere præcepto, propter varias circumstantias, quæ non imperantur, reperiri possunt. Qua etiam ratione non solum in exercenda virtute, sed etiam in cauendo malo versantur; quamuis enim iubeamur, obligemurque cauere malum, atque ea vitatio absolutè sumpta non sit opus consilij, sed præcepti: in adhibendis tamen variis modis ac mediis ad vitandum malum, locus erit consilio, vt patet: neque enim omnia & singula media vtilia ad vitandum malum vsurpare tenemur ex præcepto. Sapienter porrò Parisiensis Schol. sua censura nouissimè proscripsit doctrinam Sequenoti docentis opera consilij, *vbi inspirata sunt & applicata per inspirationem in præceptum transire. Hæc doctrina,* inquit *censura, est falsa, periculosa conscientiarum perturbatiua, & erronea.* Sed de his vide pluribus Celloti *lib.9. de hierarch. cap.7. §. 7.* Ratio manifesta est: quia consilium vel significat tantum dictamen, & iudicium dinint intellectus approbantis & iudicantis tanquam melius & vtilius in his circunstantiis, id quod consulit, vel significat etiam voluntatem Dei volentis illud ipsum, quod consulit. Primum quidem per se significat consilium, quod est actus intellectus: ab illo vero dissidere possumus vel per iudicium existimando illud, quod consulitur, non esse melius aut perfectius, quod esset graue peccatum: vel per voluntatem quia licet iudicemus illud consilium esse optimum, alio tamen inclinatur voluntas propter varias causas: qua in re nulla culpa est, maximè cum obligatio non oriatur à superioris intellectu & iudicio, nisi accedat ipsius voluntas efficax & imponens necessitatem agendi, quod nos agere vult: quam voluntatem non includit consilium, sed præceptum. Non diffiteor Deum velle nos facere, quod nobis consulit; sed vel ea voluntas est tantum inefficax, quæ exprimitur per vellem & est simplex quidam affectus, atque, vt alij loquuntur, Velleitas aut voluntas secundum quid: vel voluntas simplex & efficax explicata per verbum volo. Prior illa voluntas cum sit simplex tantum affectus & complacentia de tali meliori bono & opera à nobis præstando aut præstito non inducit obligationem, vt patet. Posterior item si sit tantum efficax circa executionem, non obligat nisi sit efficax circa obligationem inducendam, id est, nisi velit nos obligare. Nam efficax voluntas ad executionem reperitur sine obligatione, & obligatio sine tali efficacia ad exequutionem. Voluit enim Deus efficaciter me esse religiosum; ad id tamen me non obligauit. Non voluit autem efficaciter petrum confiteri Christum; ad id tamen ipsum obligauit: quia ad illam confessionem præceptum imposuit. Quod autem aliqui Theologi veteres distinguant peccatum veniale à mortali, ex eo quod veniale committatur contra consilia; mortale vero contra præcepta reiectum fusiùs fuit à nobis 1. 2. Nam etiam contra præcepta, leuia quædam peccata fiunt: & fortassis illi veteres, tantum dissentiunt in modo loquendi: cum enim prohibitio, quam violat peccatum veniale, sit admodum leuis, illam potius consilium, quam præceptum nominant: aut ea præcepta, quæ non sunt simpliciter necessaria ad vitam æternam consequendam, consilia appellant, sed admodum impropriè. His igitur omissis ad difficultatem propositam.

Respondeo & dico primò perfectionem, quam 65
a apostiumus superiùs, & quæ omnibus Christianis minimè communis est, præter obseruationem præceptorum aliqua etiam consilia includere, siue ea sint de re non præcepta, siue saltem de meliori modo seruandi præcepta, quam ipsius præcepti rigor exigat. Atque sic explicata assertio negari nequit, & illam omninò significat S.Thom. 2.2. 184. *art.3.* estque manifestissima ratio. Perfectio enim, de qua agimus, præter essentialem perfectionem charitatis omnibus ad salutem necessariam, aliquid aliud sublimiùs exigit, vti ostandimus: atqui præceptorum obseruatio necessaria est ad salutem, & ad illam essentialem perfectionem charitatis: ergo præter eam præceptorum obseruationem aliquid amplius necessarium est: illud autem omne, cùm non sit præceptum, consilium est, vti Vides. Hoc ipsum Christus indicat *Matth.* 19. Nam ad salutem obtinendam seruanda esse præcepta monet: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata, ad perfectionem vero quidpiam aliud exigit: si vis perfectus esse, abi, vende omnia, quæ habes, & veni sequere me. Quæ omnia consilij sunt, non præcepti. Et Lucæ 17. Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: serui inutiles sumus: quæ debuimus facere, fecimus. Quæ verba significant interprete Maldonato aliquid aliud, quam quod præcipitur faciendum esse in diuinum obsequium, si cumulatiorem aliquam gratiam nobis rependi velimus: illi enim serui, qui ea tantum, quæ præcipiuntur, faciunt, inutiles sunt Domino: quia illi nullam peculiarem beneuolentiam exhibent, neque vllam etiam maiorem maiorem gratiam, sed solum stipendium merentur: vnde addit Christus: Nunquid habebit gratiam seruo illi, qui facit quod illi impetauerat. Si Deum igitur nobis liberaliorem esse volumus, nos quoque liberaliùs cum eo agere oportet, & non tantum quæ sine noxa omittere non possumus, præstare. Quod vero contendunt plures perfectionem non consistere in consiliis, volunt duntaxat ipsam essentiam perfectionis non esse in consiliis cùm eam nuper collocauerimus in virtutibus Theologicis, atque præcipuo quodam

iure

iure in charitate: qua etiam ratione neque in præceptis ponenda erit, cum tum præcepta, tum consilia sint instrumenta ad perfectionem comparandam, quod pluribus docet Aluar. *tom. 1. de vita spiritual. lib. 3. cap. 5. & 6.* Neque id nos negamus, sed tantum volumus ad perfectionem non modò præceptorum, sed aliquorum etiam consiliorum obseruationem requiri.

Dices consilia esse duntaxat instrumenta ad comparandam perfectionem, quæ proinde, in illorum obseruatione, formaliter non consistit, etiam partialiter.

Respondeo consilia, quæ in materiis aliarum virtutum, quam charitatis dantur, eo modo dici posse instrumenta acquirendæ perfectionis, quo ipsemet virtutes, atque ipsarum præcepta, vti nuper fuit expositum, ita nominantur. Verùm sicut hæ virtutes sunt etiam formales perfectiones, & ad integritatem, siue totalitatem perfectionis formaliter pertinent: ita etiam consilia in earum materiis, cum illarum perfectionem augeant: ad cumulum quoque, siue totalitatem eximiæ perfectionis formaliter pertinebunt. Consilia verò, quæ dantur in materia charitatis, vt amandi feruentiùs, intensiùs, frequentiùs, perseuerantiùs cum maiori extensione ad plura obiecta modo superiori difficultate explicata, sunt formales partes perfectionis, vt patet.

66 Dico secundò: Quamuis perfectio tum præcepta, tum consilia modo explicato complectatur, & perfectio, quæ sola præcepta includit comparata ad perfectionem, quæ præcepta simul & consilia obseruat, imperfecta dici possit, sicut pars collata cum toto, nihilominus ista partialis, vt ita dicam, perfectio præcisè sumpta comparata cum alia partiali ab obseruatione consiliorum petita, principalior est, vt pote essentialis.

Hæc Assertio est S. Thom. *art. 3. cit. q. 184.* & sola explicatione terminorum indiget: in omni enim re creata duplex est perfectio, vna essentialis, quæ in essentia rei ipsius consistit; altera accidentalis, quæ petitur ex accidentibus aduenientibus essentiæ constitutæ, illamque ornantibus & perficientibus tum in essendo, tum in operando, siue ea accidentia debita sint ex principiis intrinsecis talis rei, siue non sint debita, modò capacitas ad ipsa reperiatur in ea natura. Neque vlla res simpliciter perfecta est, nisi hæc omnia habeat, nimirum essentiam & omnia accidentia ac proprietates, quorum est exigitiua: perfectum enim dicit quoddam totum, quæ totalitas non est, vbi aliquid deest naturaliter debitum. Quòd si adueniat aliqua vlterior perfectio cuius naturaliter capax est res, quamuis illius non sit exigitiua; crescit tamen eius rei perfectio. Nulla igitur creatura est adæquatè vltimò, & totaliter perfecta, nisi per accidentia, quorum eius essentia est naturaliter & intrinsecè exigitiua. Vnde non est simpliciter perfecta per suam essentiam, aut essentialiter: quia plurimæ eius perfectiones sunt extra eius essentiam: quod aliter contingit in Deo. Cum enim omnis perfectio sit de eius essentia, aut eius essentia, est essentialiter perfectus, & non per aliquod accidens, aut adiacens essentiæ, siue realiter siue formaliter, siue virtualiter, siue quocunque alio modo. Iam verò simplex perfectio creaturæ, quæ ex essentia & accidentibus coalescit, si tanquam totum quoddam, vti reuera est, consideretur, est perfectior qualibet sua parte diuisim & seorsim sumpta, & quælibet eiusmodi perfectio partialis minor est totali, quam cum alia componit. Si autem hæ perfectiones inuicem conferantur, illa, quæ petitur ex essentia, nobilior erit ea, quam afferunt accidentia, sicut accidentia ignobiliora sunt essentiis, quarum sunt proprietates. Cum igitur in perfectione supernaturali, de qua agimus, duas perfectiones distinxerimus, vnam essentialem, alteram non essentialem, siue substantialis sit, siue accidentalis, statim apparet essentialem principaliorem esse eam, quæ non est essentialis: atqui essentialis perfectio includit obseruationem præceptorum; non essentialis autem consiliorum: ergò perfectio principaliùs in præceptis, quàm in consiliis consistit, quamuis ex consiliis crescat, imò non sit absoluta & totalis absque consiliis, vti dixi. Quare perfectio, quæ simul & consilia & præcepta complectitur, perfectior est eâ, quæ est in solis præceptis, si tamen præcisè accipiantur hæ duæ perfectiones partiales, perfectio præceptorum erit nobilior perfectione consiliorum duntaxat.

Septima Difficultas.

Quid sit imperfectio?

Hæc controuersia explicata manet ex hactenus disputatis, vt enim dixit S. Bonau. *in Apologia paup. Respons. 1, cap. 2.* perfectio & imperfectio non differunt, sicut duo contraria sed sicut maius bonum & minus bonum: sicut fini propinquum, & longinquum: sicut magis meritorium & minus: sicut gloria & sanctitas maior & minor: quod pluribus ibidem ostendit ex Amb. *1. offic. cap. 3.* August. *de bono coniugali cap. 7. & 8.* Hieronym. *Epist. 51. ad Eluidium. q. 1.* & aliis, manifestumque est ex scripturis. Cùm enim virginitas præfertur connubio, non damnatur connubium, quod imperfectius est continentia. Abiectio rerum temporalium necessaria dicitur à Christo ad perfectionem, mandata verò sufficiunt ad perfectionem. Eo verò quod mandata careant illa perfectione, quæ acquiritur paupertate Euangelica, non idcirco tamen peccat, aut malus est, qui ea tantùm seruat, licet imperfectus sit ex Christi verbis. 67

Hinc sequitur primò posse aliquem à statu perfectionis cadere, etiamsi non excedat à gratia: quia ad eum lapsum non est necessaria noxa mortalis: sufficiet enim remissio quædam & nimia indulgentia aduersus proprium affectum, in perfectis virtutum actibus, maximè charitatis exercendis, in qua indulgentia & remissione non erit nisi culpa venialis, aut etiam solus quidam animi torpor, langor virium, & studij virtutum remissio: quæ quamquam sine leui etiam culpa fingi facile possit, vix tamen vnquam continget sine frequentibus eiusmodi noxis leuioribus.

Secundò potest aliquis esse sanctior alio apud Deum, & tamen in gradu perfectionis hærere: quia vera illa sanctitas attenditur secundùm gratiam habitualem: perfectio verò secundùm affectum & dispositionem hominis ad promptè, & facilè operandum in omni virtutis materia cum vitæ puritate, siue cum charitate ex corde puro: potest verò haberi maior gratiæ sanctificantis intensio ab eo, qui propter effrænes animi effectus ægrè admodum in materia virtutis operatur.

Tertiò poterit aliquis minus perfectus in hac vita ad perfectiorem beatitudinem peruenire: cum enim eius semen sit gratia, cui etiam beatitudo commensuratur, habenti maiorem gratiam maior reddetur gloria & beatitudo: ea verò maior intensio gratiæ reperietur aliquando in minùs perfecto, vbi monuimus etiam superiùs *difficultate 5.*

Quartò poterit quis sine propriis actibus reddi perfectus à solo Deo, quod obseruat Suar. *lib. 1. tra. 7.*

7. de Religione cap.4.n.7. mortificando videlicet illius hominis passiones, infundendo habitus etiam per actus acquisibiles, constituendo illum in ea dispositione habituali & permanenti, ad quam homines perfecti suis actibus peruenire solent, & in qua habituali dispositione cum ordine ad perfectam operationem huius vitæ perfectionem collocabamus *difficult. 4. & 5.*

Quid sit status perfectionis?

68 Exposita natura perfectionis, videndum restat quidnam sit status perfectionis, & quid ad illum constituendum requiritur: distingui enim ab ipsa perfectione manifestum est, cum, vt docuit S.Thom. 2.2. *quæst.* 184. *art.* 4. aliquis possit esse perfectus, etiamsi non existat in statu perfectionis: & plures sint in statu perfectionis, qui non modo perfecti non sunt, sed nequidē iusti, vt apparet in Religioso peccati mortalis reo, & in sæculari coniugato eximiè perfecto. Neq; id mirum videri debet: nam si ille, qui in statu perfectionis collocatus est, non impleat ea, ad quæ ipsum talis status obligat, acquirendæ perfectionis causâ, illam profectò non acquiret, quantumuis in eo statu permaneat. Deinde status perfectionis ita commodus est ad obtinendam perfectionem, vt tamen non sit medium necessarium: extra illum igitur perfectionem acquiri, atque etiam plurima consilia, quæ ad id necessaria erant, obseruari nihil prohibebit.

69 Est itaque status perfectionis. Certus viuendi modus firmus & stabilis ad perfectionem vitæ Christianæ obtinendam vel exercendam per diuersa opera externa institutus. In hac definitione priores particulæ. Certus viuendi modus firmus & stabilis ponuntur loco generis: omnes enim status in eo conueniunt, quod sint certi quidam immobiles, siue stabiles viuendi modi, vti diximus §. 1. Reliquæ particulæ sunt loco differentiæ: neque enim distinguuntur eiusmodi viuendi modi inter se, nisi per ordinem ad opera, quæ in illis exercentur & finem per eiusmodi opera intentum.

Est igitur hic status quidam viuendi modus, externus scilicet, alioquin non esset Ecclesiasticus, sed Angelicus, si per actiones humanas, atque Ecclesiæ, ad cuius ornatum & pulchritudinem varietas statuum pertinet cognoscibiles non constitueretur. Et sane constat omnes status Ecclesiasticos, externa quadam professione & actionibus contineri. Quare si quis extra eiusmodi externam professionem, perfectionis opera præstaret, posset quidem apud Deum perfectus esse; in statu tamen perfectionis ab Ecclesia non haberetur, quamuis interno voto se se ad easdem actiones, eumdemque viuendi modum obligaret, atque ita illum firmum & immobilem redderet. Cum enim agamus de statu visibilis Ecclesiæ, debet illa eiusmodi viuendi modum & cognoscere & probare, quod non potest nisi externa sit eiusmodi obligatio, atque professio peculiaris vitæ eo modo, quo alia, quæ inter homines obtinent perpetuam firmitatem. Vnde concludit S.Thom. *q.* 184. *art.* 4. opus esse aliqua externa solemnitate, quatenus videlicet necessaria est, vt Ecclesiæ constare possit de obligatione, quæ vi talis status contrahitur. Quænam verò sit illa solemnitas, quam Ecclesia postulat, dicam alibi.

70 Instituitur porrò hic status ad perfectionem obtinendam, vel exercendam ex quo fine distinguitur ab aliis statibus, vt dixi. Nomine perfectionis intelligo non eam tantum, quæ toti vitæ Christianæ communis & necessaria est, qualem esse dicebamus essentiam charitatis, sed illam aliam eximiam eiusdem charitatis perfectionem superiùs descriptam à nobis. Hæc igitur & intenditur ab statu perfectionis & exercetur: quandoquidem ipsamet perfectio in operatione, aut proxima ad illam dispositione habituali & permanente consistit, ex superius disputatis: idcirco certa opera, quæ & media ad perfectionem comparandam, & illius effectus sint, præscribit iste status, ad illáque obligat: quæ opera dixi esse externa; tum quia licet perfectio interna sit: nihilominus sine actionibus externis & ablatione impedimentorum externorum acquiri humano modo non potest: tum quia cùm status iste sit quidam peculiaris viuendi modus externus, vti iam monui, & necessariò consistat in variarum actionum exercitio, eæ actiones externæ esse debent, vt de illis æque Ecclesiæ, atque de ipso statu constare possit. Et sanè quis vnquam dixerit varios status inter homines institutos fuisse propter actiones occultas per se & merè internas, quandoquidem illæ non sunt materia legis humanæ, nisi quatenus ad externas constituendas necessariæ sunt, aut per illas tanquam per effectus humano modo innotescunt, aut denique ad ipsas homo disponi, aut ab ipsis abstrahi per externas potest. Qua ratione non negamus statum perfectionis includere actus internos, non modo tanquam finem, ad quem ordinetur, sed etiam tanquam materiam & quidpiam necessarium ad perfectam obseruantiam talis status. Quid enim prohibet quidpiam esse finem proximum alicuius status, & medium simul ad alia bona & perfectiones illius status? Quod vides in actu dilectionis & contemplationis, qui & sunt finis status perfectionis, quia sunt ipsa perfectio, & tamen simul perfectionem conseruant & augent, imò ipsius perfectionis exercitia existunt: & quamuis eiusmodi actus propriè & in se ipsis non præcipiantur ab Ecclesia; quia tamen secundum aliquas circumstantias externas moraliter necessarias humanæ prouidentiæ subsunt, poterunt quoad actiones externas, quæ hos actus internos iuuant vel impediunt, multa opera ab statu perfectionis constitui, quæ nos opera perfectionis nominamus, intelligimusque non modò illa, quæ ex suis obiectis perfecta sunt; sed etiam illa, quæ cum ex obiecto indifferentia sint, ad fines optimos referuntur, ad eosque plurimùm commodant, ideoque dum propter eiusmodi fines, atque ex præscripto status ea præcipientis exercentur honestissima & perfectissima sunt in indiuiduo. Præterea non actiones duntaxat positiuæ. Nomine operum istorum designamus, sed ipsas quoque priuationes voluntarias rerum, vel actionum, quæ impediunt perfectionem, v.g. silentium, abstinentiam & similia, quæ acquirendæ perfectioni conducunt, suntque, vt alibi dicam, voti materia.

Ita explicatâ naturâ status perfectionis, triplex ad clariorem eius notitiam soluenda manet difficultas. Prima quænam sit immobilitas ad statum perfectionis necessaria: secunda, quænam sint opera, ad quæ status perfectionis obligat. Tertia quænam Ecclesiæ institutio & approbatio ad statum perfectionis postuletur: quæ controuersiæ ex totidem definitionis superius allatæ & explicatæ particulis excitantur, vti facilè vides.

PRIMA DIFFICVLTAS.

Quænam immobilitas ad statum perfectionis necessaria sit.

Status immobilitas est moralis quædam obligatio 71
ex causa aliqua permanente, & difficilè mutabili consequens, vti constat ex §. 1. Cùm verò status perfectionis

ctionis dicat obligatiooem acquirendæ, vel exercendæ perfectioois, quod eius definitio significat, quærimus vnde ea obligatio fiat stabilis & immobilis, siue vnde ille viuendi modus obligans ad opera perfectionis accipiat rationem status per immobilitatem: an à propria voluntate modum illum viuendi assumente: an à superioris imperio, an ab aliquo contractu. Denique vnde fiat, vt quis teneatur in ea susceptæ vitæ ratione permanere, & opera perfectionis ea eius præscripto exercere.

72 Dico primò ad status perfectionis immobilitatem requiri obligationem perpetuò permanendi in certo viuendi modo de se apto ad actiones perfectionis, siue consilij & supererogationis in eo exercendas. Et prima quidem illa obligatio facilè ostenditur ex eo quod immobilitas status maximè cadat in permanentiam ipsius, quantum est saltem ex parte eius, qui illum assumit, alioqui noo assumit statim, quandiu licet ipsi ad arbitrium tale vitæ genus relinquere: quod ipsa inductioое omnium statuum facilè constabit, & probatum manet *ex* §. 1. nam qui se addicit alterius obsequio, ad certum tempus, seruus non est, sed famulus. Idem videmus in statu coniugij & aliis: eóque trahere licet illud Christi Luc. 9. *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò aptus est regno Dei.* Christi enim vocatio ad ipsum sequendum non permittit retrò respicere, id est, vt ab ea diuertamus. Sicut igitur status vitæ Christianæ ex se & sua natura postulat perpetuitatem: ita etiam status vitæ perfectæ: quanquam quia, vti superius diximus, tota ista immobilitas moralis est, non naturalis aut metaphysica, non impedit quominus propter causas extrinsecas & graoes interdum mutari possit: satis enim est, quod oon maneat amplius in voluntate assumentis statum, illum pro arbitrio mutare, & nisi adsint grauiores eiusmodi causæ, quibus etiam positis mutatio non pendebit ab eius tantum voluntate, sed à causa extrinseca aliqua, Pontifice, v. g. aut superiore talem mutationem indulgente, aut obligationem ad illam in vitæ genere assumpto permanentiam tollente, vti vides in Episcopo Episcopatum ex licentia Pontificis dimittente, & in nostræ Societatis Scholasticis ab illa dimissis, aliisque similibus, de quibus aliqua dicemus in Consectariis.

Iam verò hanc perpetuam obligationem extendi ad exercendas actiones perfectionis statui illi conuenientes ostenditur ex ipsa natura huius status, idcirco enim perfectionis dicitur, quia destinatur & instituitur ad opera perfectionis. Hæc verò destinatio, institutio & ordo intelligi nequit sine aliqua obligatione ad eiusmodi opera, præter quam quod varij viuendi modi non distinguuntur nisi per diuersa opera, quæ exercent, neque quis dici poterit in aliquo viuendi modo perseuerare, si opera, quæ eius propria sunt, non faciat. Qui igitur obligatur persenerare in aliquo viuendi genere, obligatur qooque ad opera eius propria, siue ad illa se obliget immediatè expresso aliquo actu, siue tantùm mediatè & implicitè aot confusè, eo quod se obliget ad illud vitæ genus.

73 Dico secundò omnem illam causam, quæ sufficiet ad inducendam oecessariam aliquam obligationem permanendi in suscepto vitæ genere, eiúsque proprias ac quodammodo substantiales actiooes exercendi, sufficere quoque ad immobilitatem status perfectionis: quia illa afferre poterit duplicem illam obligationem, de qua superiori conclusione egimus, nempe permanendi in eo vitæ genere, & exercendi opera, quæ in illo & ab illo præscribuotur. Quid enim amplius exigi potest?

74 Dico tertiò causas inducentes hanc obligationem perpetuam, esse, vel votum externum, vel traditionem, vel aliquem contractum, aut quasi contractum ex se perpetuum.

Probatur de voto in primis: quia status Religionis, quam nemo negat esse statum perfectionis, firmitatem accipit à votis quoad obligationem exercendi opera perfectionis. Et sanè cum status perfectionis diuinum obsequium primò & per se intendat, atqoe illum assomentis perfectionem, non poterit aptius constitui, quam per actum per quem coorrahitur apud Deum obligatio de obsequio illi præstando. Quis præterea neget per promissionem acceptatam induci obligationem. Per promissionem igitur Deo factam, & ab Ecclesia eius vices agente acceptatam, firma suscipietur obligatio: requirebam autem votum externum: quia si internum omninò sit, inducet quidem obligationem apud Deum, non autem apud Ecclesiam, cui interna promissio, prorsus occulta est, & nullo modo cognoscibilis, cum tamen status externi, humani & Ecclesiastici obligatio, externa atque hominibus accommodata esse debeat; oon requiritur verò ex natura rei, vt votum publicum sit. Nam modò fuerit externum, ex natura sua cognoscibile est Ecclesiæ, quæ vbi cognouerit, poterit cogere vi illios voti ad permanendum in tali statu, non imponendo oouam obligationem, sed vrgendo iam contractam: quamquam ad eiusmodi obligationem certas aliquaodo solemnitates præscripserit Ecclesia, quarum defectu non inducitur obligatio etiam apud Deum, etiamsi ex natura talis actus inducta fuisset obligatio, nisi eam impediuisset sua lege irritante Ecclesia, vt vides in matrimonio clandestino, & in professione religiosa ante completum annum probationis emissa, & aliis quibusdam, idque proprium est legis irritantis, vt actuum validitatem impediat & elidat.

Hinc apparet ad immobilitatem, de qua agimus, non sufficere solum propositum opera perfectionis faciendi, & in statu assumpto perseuerandi: contra quam voluerit Henric. *quodlibet.* 12. *q.* 29. *ad* 3. Quia eiusmodi propositum nullam firmitatem & obligationem affert, nisi habeat adiunctam promissionem, & sine culpa mutari potest: neque seruituris status per solum propositum seruiendi constituitur: quia verò ad status perfectionis firmitatem, præter obligationem exercendi opera perfectionis requirebamus aliam, nimirum perseuerandi in eo stato, seu viuendi genere, ea in Religioso statu nascitur ex traditione & donatione, quam Religiosus facit tom Deo, in cuius dominium de nono transit, tum religioni donationem, tum Deo, tum sibi factam acceptanti. & curam suam vicissim Religioso obliganti, vt inferius ostendam. Quare perfecta stabilitas religiosi status tum ex votis, tum ex ea traditione nascitur: atque hoc sensu probo sententiam Pontici *lib.* 7. *de matrim. cap.* 6. de immobilitate status religiosi ex donatione prouenіente.

In altera parte propositioois diai non modo per 75
votum, sed per quosdam etiam contractus absque voto acquiri status immobilitatem, de qua agimus. Nam votum & promissio non vnica ratio & modus est inducendi obligationem: quæ tamen sufficit ad status immobilitatem: qui enim acceptat munus, cui obligatio aliqua perpetua ad certas actiones annexa est, vel ex natura rei, vel ex humana institutione, ad easdem actiones perpetuo obligatur. Quod si ratio aut institutio illius muneris ferat; vt qui illud semel accepit, non possit pro arbitrio illo se abdicare; reuera ponitur in statu, eóque immobili per acceptationem voluntariam talis muneris, absqoe voto, sed ex quodam quasi-contractu. Quod fortassis ita contingit in Episcopatu, quem non licet sponte sua, & sine Pontificis Romani consensu dimittere, vt dicetur. Idem vides

in statu coniugij, quem nihil necesse est sponsalia & promissionem de illo contrahendo præcedere. Idem in donatione, traditione & similibus, quæ ex se inducunt perpetuam obligationem.

Secunda Difficultas.

Quænam sint opera, ad quæ status perfectionis obligat?

76 Hanc obligationem constat essentialem esse statui perfectionis tum ex ipsius natura superius explicata, tum ea proxima difficultate: quare videndum est, cuius generis existant eiusmodi opera.

Dico primò statum perfectionis non modo præceptorum, sed etiam consiliorum obseruationem includere.

Probatur finis huius status est acquisitio perfectionis, quam descripsimus §. 1. *diffic.* 5. atqui ea perfectio obtineri nequit sine obseruatione consiliorum vti ostendimus ibidem *diffic.* 6. ergo status perfectionis consilia complectitur tanquam media necessaria ad suum finem. Frustra enim intenderet aliquam virtutem & perfectionem præter illam, quæ simpliciter & absolutè necessaria est ad essentialem charitatem, quæ per præceptorum obseruationem obtinetur, nisi aliqua alia media perfectiora præceptis suppeditaret, præter quam quod etiam obseruatio præceptorum pertineat ad communem statum vitæ christianæ tanquam necessaria ad essentialem perfectionem charitatis. Si igitur status perfectionis aliquid aliud adijciat statui communi christianorum, obseruantiam consiliorum continebit.

77 Dico secundò statum perfectionis non continere omnia consilia. Ita S. Thom. 2. 2. *q.* 186. *art.* 6. *& opusc.* 19. *cap.* 2. vbi Religiosus & alios, qui statum aliquem perfectionis profitentur negat teneri ad omnia consilia, sed ad ea tantum, ad quæ ex voto, aut alia ratione se obligant; alioquin Apostoli, qui maximè erant in statu perfectionis, fuissent obligati ad non capienda stipendia ab iis, quibus verbum Dei ministrabant & non circumducendum mulierem sororem, quæ ipsis ministraret, quod consilium seruabat Paulus 1. *ad Cor.* 9. in eoque suum lucrum & gloriam collocabat, vti fusè diximus disputantes de simonia: neque damnat cæteros Apostolos, qui tamen reuera peccassent, si ex status perfectionis natura ad tale consilium fuissent obligati. Deinde nulla foret ordinum Religiosorum distinctio, si singuli ad omnia consilia & omnes supererogationes tenerentur. Adde omnia consilia non esse singulis statibus proportionata, imò simul ab eodem sæpius impleri nequeunt. Quænam verò singulis statibus sint accommodata, in singulorum explicatione videndum erit. Denique cum diuersis exercitiis possit acquiri perfectio charitatis, sicut sanitas diuersis medicamentis, nihil cogit aut omnia exercitia adhibere, aut omnia pharmaca sumere ad obtinendam perfectionem, aut sanitatem. Neque quisque applicat omnia media possibilia ad aliquem finem, sed quædam seligit, quæ ipsi magis accommodata videntur.

78 Dico tertiò statum perfectionis ordinari principalius ad præceptorum obseruationem, quam consiliorum: & quidem necessariò intendi ab hoc statu præceptorum obseruationem nemo non videt, cum & ipsa perfectio, ad quam talis status ordinatur, ita exigat, & hæc obseruatio sit maximè necessaria ad salutem & securitatem & fundamentum omnis omninò maioris perfectionis. Indeque fit, vt quamuis status perfectionis non obseruet omnia consilia, omnia tamen & singula præcepta complectatur, quia omnia sunt ad salutem necessaria, & qui in vno offendit, fit omnium reus. Imo addo ad ea quoque præcepta, quæ minora videntur, & quæ non sunt omninò necessaria ad salutem seruanda: statum perfectionis ordinari: atque adeo ad perfectam & absolutam præceptorum obseruationem; ita vt omnia venialia, quantum fieri poterit, primò & per se euitet: quia hæc obseruatio magis necessaria est, maiorisque obligationis ad obtinendam perfectionem charitatis, quam obseruatio consiliorum præcisè sumpta & per peccata venialia feruor charitatis, & eius veluti nitor perit; atque ad mortalia disponimur, quod non fit per simplicem consiliorum omissionem. Status igitur, qui charitatis perfectionem intendit, debet potius vitare venialia, vt potè illi magis opposita, quam consilia seruare quæ sine vlla noxa prætermitti possent: venialium vero euitatio supponit integram omnium peccatorum euitationem.

Ex quibus sequitur secunda pars huius assertionis, nimirum statum perfectionis principalius intendere præceptorum, quam consiliorum obseruationem: quia prior illa magis necessaria est, & principalior: perseuerantia enim in gratia, præferri debet, cuicunque eius augmento & perfectioni, quandoquidem sine perseuerantia non vitatur æterna damnatio; perseuerantia verò in eo exercitio præceptorum consistit. Deinde ea omnia quibus probauimus §. 2. *difficult.* 6. perfectionem principalius in præceptis quàm in consiliis seruandis collocandam esse, idem de statu perfectionis suadent.

Dico quartò nihilominus statum perfectionis per se & formaliter & effectiuè constitui per actus consiliorum, quia status perfectionis est in consilio, non in præcepto: qui igitur illum statum assumit, actum consilij facit, & per illum in statu perfectionis constituitur. Et sane licet quis omnia præcepta seruaret, etiam excludendo venialia, nondum in statu perfectionis existit, esto perfectus sit, vti diximus. In illo igitur statu collocabitur per aliquem actum additum præceptis, ac proinde supererogationis & consilij: Et qui religionem profitetur cum peccato mortali atque proposito in illo permanendi, per eiusmodi professionem obtineret statum perfectionis, etiamsi violaret præcepta. Status igitur perfectionis constituitur, per se loquendo, effectiuè per actum consilij. Iam verò de constitutione veluti formali idem facile probatur. Intentio enim, siue obligatio seruandi consilia ponit vitam christianam in statu perfecto, per præcepta enim neque imperatur, neque acquiritur, neque intenditur perfectio charitatis, sed eius essentia & substantia; per consilia verò illa perfectio intenditur & acquiritur: atqui status perfectus, est destinatus ad eam perfectionem acquirendam, quam proinde intendit. Et per consilia siue obligationem ad opera consiliorum veluti formaliter constituitur. Quod apparebit ex singulis eiusmodi statibus, qui neque à communis vitæ statu, neque inter se se differunt, nisi ratione consiliorum. 79

Tertia Difficultas.

Quænam Ecclesiæ institutio & approbatio ad statum perfectionis postuletur.

Hanc vniuersalem quæstionem non proponunt Doctores: illam enim ferè restringunt ad statum Religionis, & quænam ad illum constituendum requiratur approbatio disputant quia cum supponant nullum 80

alium

alium esse statum perfectionis quam acquisitæ vel acquirendæ, vti dicam inferius, & certum sit statum perfectionis acquisitæ cuiusmodi est Episcopatus sine Ecclesiæ approbatione institui non posse, siue eius origo sit a iure diuino; siue à solo iure ecclesiastico, quod modo non quærimus: tota controuersia, de qua contendimus, ad statum perfectionis acquirendæ reducitur. Hic porrò status vnus & idem est cum statu Religionis, vt probat Suar. *lib. 2. tract. 7. de Religione cap. 1.* quia tum in fine, tum in mediis omnino conueniunt finis enim vtriusque est perfectio charitatis huius vitæ per obseruationem præceptorum & consiliorum obtinenda: Finis extrinsecus est perfectio charitatis patriæ, non ea tantum ratione, qua est finis totius vitæ christianæ, sed cum quadam excellentia secundum quam proportionatur charitatis perfectionis viæ; remotus quoque seu potius vltimus finis vtriusque istius status, est diuinus cultus & gloria ad quam procurandam instituitur: media vero huic fini obtinendo eadem quoque sunt, obseruatio nimirum præceptorum & consiliorum vti dixi neque vlla alia media possunt fingi magis accommodata. Solis itaque nominibus differre hos status Religionis & perfectionis acquirendæ concludit Suar. eo quod status perfectionis ita vocetur ex fine intrinseco ad quem tendit; status vero Religionis ad finem vltimum & principalem ad quē instituitur, qui est Deus ipse, cuius cultui in hoc statu primò & per se consectamur. Verum quamvis sapienter ostendat Suar. statum Religiosum esse reuera statum perfectionis acquirendæ, nondum tamen demonstrauit identitatem reciprocam inter hos status: Itavt omnis status perfectionis acquirendæ sit necessario status Religionis; immo dari posse modum aliquem viuendi ad perfectionem pertinentem atque approbatum, qui tamen non sit status propriè Religiosus, tradit Gloss. *in Clem. 1. de Relig. dom. ✠. obedientiam & in Clem. cum ex eo de sentent. excommunic. ✠. Tertio.* Nauarr. *comment. 1. de Regula num. 23.* Ipseque tandem Suar. *lib. 2. cit. cap. 2. n. 18.* qui tamen addit esse statum religionis, sed incompletum & imperfectum. Vt igitur ab hac quæstione, quæ inferius in Consectariis commodius explicabitur, abstineam in præsentiarum placuit in vniuersum quærere quænam sit necessitas approbationis Ecclesiæ ad statum perfectionis constituendum.

81 Obseruandum vero est duplicem distingui posse approbationem, vnam veluti speculatiuam, quam iudiciariam nominat Suar. *lib. 2. cit. cap. 15. n. 11.* quia est actus solius iudicij & intellectus iudicantis talem viuendi modum esse sanctum, atque perfectioni acquirendæ commodum, ac proinde dignum, qui in statum Ecclesiasticum & religiosum erigatur, admittaturve. Atque hoc iudicium authenticè declaratum, est approbatio speculatiua & iudiciaria, quæ nihil planè confert statui & modo viuendi, quem pium & bonum esse iudicat, sed dumtaxat aperit eius sanctitatem ac perfectionem, de eaque palam testatur. Altera approbatio practica est, & pertinet ad voluntatem, quæ modum illum viuendi, de cuius vtilitate & honestate iam pronunciauit intellectus, efficaciter in statum Ecclesiasticum erigit, & quæ eam in rem necessaria sunt, confert, priuilegia nimirum nonnulla, potestatem etiam multiplicem, v. g. condendi statuta, eligendi Prælatos, admittendi alios, & vt partem quandam corporis Ecclesiæ in certo quodam ordine faciat. Ex his approbationibus prior illa iudiciaria, esse potest sine posteriori practica, vti apparet in approbatione ad audiendas confessiones, aut ad doctoratum: dum enim quis pronunciatur authenticè dignus laurea, aut idoneus ad excipiendas pœnitentium confessiones; non propterea statim & eodem actu creatur Doctor, aut accipit potestatem audiendi confessiones. Posterior verò aprobatio practica, quæ est collatio eiusdem facultatis moralis, supponit approbationem speculatiuam, & iudiciariam: alioqui enim imprudens & temeraria foret. Porrò vtraque ista approbatio duplex iterum esse potest, vna negatiua, altera positiua & expressa. Nam vel Ecclesia seipsa approbat aliquem viuendi modum vel illum non reprobat; sed tacet, dissimulat, toleratque.

Supponendum prætetea est statum perfectionis considerari vel in vita priuata & solitaria, vel in communitate, quæ iterum diuidi potest in communitatem proprie & incompletè religiosam, vel non propriè religiosam, siue quia non habet omnia tria vota substantialia siue quia in alio quopiam deficit à religioso cætu perfecto & completo.

82 Dico primo ad statum perfectionis requiri approbationem tacitam & negatiuam Ecclesiæ, quæ neque damnet eum viuendi modum, neque illum prohibeat; sed potius permittat, saltem negatiuè illum non prohibendo: quia qui post eiusmodi Ecclesiæ prohibitionem talem statum amplecteretur, reuera peccaret: & status qui sine peccato suscipi non potest, status non est, cum firmitatem immobilitatemque non habeat, deserendus enim est: Deinde ad perfectionem tendere nequit, cui ex se obicem ponit.

83 Dico secundo ex natura rei & secluso iure Ecclesiastico non esse necessariam approbationem positiuam Ecclesiæ ad quemlibet statum perfectionis. Hæc assertio de statu perfectionis in vniuersum accepto & non restricto ad statum religiosum perfectum & completum, certissima mihi videtur. Quid enim prohibet aliquem se obligare ad consilia seruanda, eaque maxime, quæ remouent impedimenta perfectionis, dicunturque idcircò per anthonomasiam consilia euangelica, castitatis nimirum, paupertatis, & obedientiæ, siue eam alicui priuatæ personæ promittat; siue communitati in Dei obsequium: in qua communitate sit certa aliqua regula ad ipsius gubernationem & opera perfectionis exercenda: cui regulæ sponte sese subiiciant singuli? Quidni hæc vota erunt valida ex natura rei & seclusa peculiari Ecclesiæ prohibitione & irritatione? Quidni etiam ille viuendi modus erit status perfectionis? Quid ei deerit cum & obligationem ad opera perfectionis, & ad permanendum in eo suscepto vitæ genere habeat tum ex voto, tum etiam ex donatione & traditione, quam aliquis facit sui ipsius alteri certæ personæ, vel communitati? Quid secluso iure positiuo, hanc liberam donationem, subiectionem, atque contractum irritare poterit? Et quamvis ex mutuo consensu solui deinde posset, & rescindi contractus; id tamen non impediret immobilitatem necessariam ad statum constituendum: Neque enim contendebamus debere esse omnimodam, sed sufficere si non sit in arbitrio suscipientis aliquod vitæ genus illud mutare, sed ad perseuerandum in eo obligatus sit: quod iterum monebimus inferius.

84 Dico tertiò vt aliquis viuendi modus proponatur fidelibus amplectendus tanquam status perfectionis requiri ex natura rei aliquam approbationem iudiciariam & speculatiuam Ecclesiæ. Ratio euidens est: quia ea propositio facta Ecclesiæ temeraria foret omnino, & in errorem induceret fideles, nisi iudicium de sanctitate eiusmodi status habitum fuisset. Quod ex simili de sanctorum, vti nominant, canonizatione confirmatur: vt enim aliquis tanquam sanctus colendus proponatur palam & publicè eius canonizatio necessaria est hoc est, publicum aliquod & authenticum testimonium Ecclesiæ de illius personæ sanctitate &

gloria,

gloria, vt omne periculum erroris & superstitionis caueant. Hoc porrò testimonium sine præuio examine & iudicio dari nequit, imo est ipsummet Ecclesiæ iudicium de alicuius sanctitate publice & authenticè declaratum : ita etiam propositio alicuius viuendi modi tanquam pij & perfecti, aliud non est, quam iudicium de vtilitate & sanctitate eiusmodi vitæ, authenticè & publicè manifestatum : & pro ratione huius propositionis necessaria erit ista approbatio : si enim propositio fiat vniuersali Ecclesiæ, approbatio fieri debebit ab eo, qui toti Ecclesiæ quidpiam proponere potest. Si proponatur vni alicui diœcesi tantum hic modus viuendi ab illius diœcesis Episcopo approbandus erit. Si propositio sit tantum negatiua, aut vt ita dicam permissiua : quia non reiicitur id vitæ genus ; similis quoque erit approbatio negatiua : non damnabitur nimirum tanquam, aut impius, aut inutilis, aut imperfectus, aut bonis moribus vel consiliis euangelicis contrarius vitæ modus : quia nimirum ista propositio & approbatio speculatiua idem omnino sunt, differunt que dumtaxat tanquam iudicium internum & externum sine potius propositio est significatiu & declaratio authentica approbationis, & Iudicij de sanctitate talis vitæ.

Neque dicas eiusmodi statum perfectionis cum contineat obligationem seruandi consilia euangelica, non indigere vlla alia approbation Ecclesiæ. Respondeo enim quamvis consilia Christi non egeant Ecclesiæ iudicio, vt tamen constet fidelibus in aliquo viuendi genere consilia euangelica ad Christi mentem, atque ex Euangelij præscripto obseruari, atque adeo posse quemlibet sine periculo erroris ac superstitionis id vitæ genus amplecti, & necessaria erit eiusmodi Ecclesiæ propositio & consequenter approbatio, quam idcirco non tam requirimus spectata solùm rei natura ad constituendum statum perfectionis, quam ad illum proponendum fidelibus tanquam statum perfectionis : hæc enim duo valde diuersa sunt. Quod enim certus aliquis vitæ modus siue priuatus, siue in aliqua communitate, quæ suis legibus constet, ac gubernetur, assumatur & instituatur, reuera non pendet ab vlla iurisdictione, aut authoritate principis, sed à naturali potestate & libertate, quam habent homines paciscendi inter se & eligendi modum viuendi rationalem & honestum, modò ille non fuerit authoritate Principis reprobatus, vt reprobari posset *l. 1. & seq. ff. de collegiis illicitis.* Quod si hic viuendi modus non modo fuerit honestus, & secundum fidem, ac proinde christianus, sed etiam secundum perfectionem, quia & in Dei obsequium ordinatus est, & ad exercenda opera perfectionis ac supererogationis, & consiliorum ex voto, cui accedit obligatio permanendi in eo vitæ genere propter traditionem sui ipsius, quam singuli faciunt communitati, nihil omnino deerit ad rationem status perfectionis, imò si fiant in eo vitæ genere tria vota substantialia Religionis nihil prorsus requiretur ad substantiam status religiosi, veri perfecti, ac completi, secluso omni alio iure positiuo, quamvis nulla positiua Ecclesiæ approbatio accesserit : Vt tamen ille viuendi modus tanquam aut perfectionis, aut Religionis status proponatur fidelibus amplectendus, approbatio speculatiua & iudiciaria Ecclesiæ erit necessaria, non quæ constituat illum statum, sed quæ eius sanctitatem declaret, sicut vt publicè proponatur aliquis sanctus colendus, opus est canonizatione, quæ illum non facit esse sanctum, sed talem esse authenticè declarat.

85 Dico quartò, vt aliquis status perfectionis censeatur status sacer & Ecclesiasticus, habeatque priuilegia quibus verus status ecclesiasticus gaudet, necessariam esse approbationem practicam Ecclesiæ : quia reuerà ad Ecclesiam pertinet eiusmodi priuilegia conferre, & personas sacras à prophanis distinguere vel consecratione, vel aliqua alia ratione quod multò verius erit, vt aliqui cætus & communitates sacræ atque Ecclesiasticæ censeantur : quod ipsum videmus in locis consecrandis & religiosis reddendis, nisi enim accedat Ecclesiæ consensus, atque ritus ab ea præscripti, nullam reuera eiusmodi loca præ aliis sanctitatem obtinebunt, neque immunitatem, aliaque præcipua iura locorum sacrorum assequentur. Neque hac in parte vlla videtur mihi superesse difficultas.

Dico quintò ex natura rei & secluso omni iure positiuo ecclesiastico ad verum statum Religionis perfectum & completum constituendum sufficere approbationem negatiuam Ecclesiæ, & positiuam minimè necessariam esse contra Vasq. 1. 2. *disp.* 165. *cap.* 4. & 5. sequimur verò Bellarm. *lib. de Monarch. cap.* 4. Thom. Sanch. *lib. 7. de matrimonio cap.* 11. *n.* 5. neque sane ab hac sententia abest Suarez *tract. 7. de religione lib. 2. cap.* 17. Si attente legatur. Et denique S. Thom. 2. 2. *q.* 188. *art.* 1. *ad* 4. vbi dicit salubriter institutum esse, ne absque Romani Pontificis authoritate vlla religio conderetur. Igitur ante eam constitutionem, quæ non adeo antiqua est, vt dicemus, erant veræ religiones sine approbatione positiua Ecclesiæ. 86

Ratione porrò euidenti probatur nostra assertio : quia nulla potest assignari causa, quæ necessario exigat hanc positiuam Ecclesiæ approbationem, non quidem ad vota substantialia religionis emittenda, neque ad cogendam communitatem, illamque certis regulis viuendam : hæc enim omnia & excogitari & institui, atque executioni mandari absque Ecclesiæ approbatione possunt, vti iam diximus *assertione* 3. secundo non est etiam necessaria hæc approbatio ad votorum solemnitatem, quam totam esse ab Ecclesiæ institutione fatemur vltrò, & suo loco ostendemus : quia hæc solemnitas non exigitur ex natura rei ad statum religiosum : ad illam enim vota simplicia sufficiunt, vti declarauit Gregor. 13. *in Bulla ascendente Domino.* Societatis Iesu institutum confirmando. Imo antiquas omnes religiones votis dumtaxat simplicibus & non solemnibus constitisse fusius probat Basil. Pontius *lib. 7. de matrim. cap.* 22. Tertiò non est necessaria approbatio, vt quis vnà cum votis se dedat communitati isti aut religioni, quam donationem includi in omni professione religiosa communis sententia docet, alibi nobis stabilienda. Interim consule Pont. *lib. cit. cap.* 5. Hæc autem donatio, per quam quis in ius alterius transit, atque in diuinum obsequium, & fit alterius cui se donat, non indiget vlla approbatione, sed pendet à libero ita se donantis arbitrio. Quartò non exigitur approbatio ad dandam authoritatem vel communitati vel Prælato, quem ipsa sibi constituit, acceptandi tum vota, tum traditionem, quam facit persona in ipsam admittenda. Nam tum qui se sponte subiicit & donat, atque libere vouet, tum ipsa communitas quantum ad id, quod ab ipsa desideratur, hanc potestatem facere potest : Nam & quisque alteri se subiicere, atque obedientiam illi promittere, illeque acceptare eam subiectionem potest absque vlla alia publica Ecclesiæ, vel principis authoritate nisi quidpiam obstet. Quintò non est necessaria approbatio ad præscribendam certam regulam, ac viuendi modum seruandum in ea communitate, quantum pertinet ad gubernationem, electionem Prælati, varia opera pietatis, ritum eos, qui admitti postulant incorporandi vt vocant, cæteraque eiusmodi : hæc enim omnia communi consensu & pacto institui possunt. Vnde & pia collegia quondam licita erant atque ex na-

turæ

tura rei erigi queunt, nisi prohibeantur. Imò etiam hodie antequam ab Ecclesia probentur, iam constituta sunt, & pia ac sancta existunt, quamuis nondum religiosam communitatem faciant, non ex natura rei, sed ex iure duntaxat positiuo, eóque recentiori. Sextò non est necessaria approbatio ad potestatem gubernatiuam Monasterij ac communitatis in Prælato, sufficit enim, si illa dominatiua tantum & œconomica existat, quæ à donatione, per quam Religiosus tradit se Religioni, & in illius ius transit, non autem à iurisdictione spirituali Ecclesiæ nascitur. Et primò quidem in omni religione Prælatum & communitatem habere potestatem quandam dominatiuam ad imperandum religiosis, vtendúmque eorum operibus prout consentaneum iudicabitur, docet Suar. *lib. 2. cit. cap. 18. num. 6.* Pontius *lib. 7. de matrim. cap. 5.* aliique, nam per traditionem inclusam, vti omnes vulgò fatentur, in omni possessione religiosa, acquiritur aliquod ius Religioni, non aliud sanè, quam dominatiuum, & potestas gubernandi religiosum, prout ipsi & religioni commodum videbitur. Qua de causa Patres dicunt Religiosum fieri alieni iuris, & in statu cuiusdam seruitutis constitui, consentiúntque Theologi idcirco Prælatum posse Religiosi vota irritare. Nam hæc irritatio non fit ex potestate iurisdictionis: quod etiam communi consensu tradunt Doctores; ergo ex potestate dominatiua, quæ consequentia manifestissima est, cum aliud genus potestatis hoc loco fingi nequeat. Antecedens vero ostenditur, quia vel Prælatus irritat hæc vota indirecte, eo quod materia voti à Religioso facti, eius voluntati subiiciatur; vel directe, immediatè ac formaliter tollendo vinculum voti: quia voluntas vouentis cum alteri subiecta sit, impotens est ad se firmiter obligandum. Prior irritatio est a potestate dominatiua tantum: ideo enim Dominus irritat vota serui, quia materia, quam vouit seruus, non est sua, sed Domini ipso iure seruitutis. Quod idem contingit in patre irritante vota realia filij, aut obedientiæ sibi debitæ repugnantia. Non enim potest quis promittere validè rem non suam, nisi eius rei Dominus deinde annuat. Quare statim vides ad hanc irritationem nullam requiri iurisdictionem specialem. Altera vero illa irritatio voti, quam directam nominabam, quia directè tollit obligationem voti, etiamsi fit de re, quæ nullo peculiari iure subest potestati irritantis, vt si fiat votum de actibus internis, non potest aliunde oriri, quam ex dominio in voluntatem vouentis, qui proinde nequit se firmiter obligare independenter ab alterius consensu: quod Dominis erga seruos, patri erga filios impuberes, & marito erga vxorem, in quibusdam passim Doctores concedunt. Quod fusiùs suo loco docemus. Neque à iurisdictione vlla speciali & ab Ecclesia communicata manat eiusmodi potestas, quandoquidem nec ipse quidem Pontifex licet summa spirituali iurisdictione in Ecclesiam polleat, vota fidelium eo modo irritare potest. Neque satisfacit Vasq. dum ait Pontificem posse irritare vota eorum, qui ipsi specialem obedientiam vouerunt & quorum peculiarem curam vi illius voti suscepit. Itaque si omnes fideles eam obedientiam summo Antistiti, aut suo Episcopo vouissent, eorum deinde vota omnia irritare possent ex iurisdictiona quam habent. Verum ea peculiaris cura, & perfectio, quam personarum quarumdam capit Pontifex, non facit vt Pontifex illarum vota irritare possit, vt patet de votis Episcoporum & clericorum, qui iure quodam præcipuo Pontifici subiiciuntur. Deinde si votum obedientiæ daret eam potestatem, confessarius posset irritare vota sui pœnitentis qui illi specialem obedientiam vouisset: quod tamen negat Vasq. Immò si quis voueret Pontifici obedientiam extra statum Religionis, non posset ille ipsius vota irritare. Vel igitur Pontifex habet eam potestatem irritandi vota eius, qui sibi vouit obedientiam in Religione ante illud votum, quod negat Vasq. vel vi voti tantum, quod iam reiecimus in Confessarij exemplo: ergo habet ex potestate alia quapiam, nimirum dominatiua, quæ acquiritur per donationem cum votis coniunctam, ab illis tamen omnino distinctam. Itaque ad id iurisdictionem falsò requirit Vasq. Quod etiam confirmatur ex Abbatissa, quæ licet careat iurisdictione speciali suarum Monialium vota irritare potest ex Azor. *tom. 1. lib. 11. cap. 17. q. 3. sub fin. Quia tota ista irritatio non ex iure Canonico, sed ex iure naturali descendit, & innititur in potestate, qua quidam non sui, sed alieni iuris esse dicuntur.*

Iam verò hanc potestatem dominatiuam & œconomicam absque vlla alia speciali iurisdictione sufficere ad verum statum religiosum constituendum contra Vasq *loco cit.* & Sanch. *lib. 5. in Decal. cap. 1. n. 15. & 20.* probant Religiones Monialium, quarum Abbatissa, aliáve antistita nullam habet iurisdictionem specialem, vti omnes concedunt: neque etiam antiqui Monachorum præfecti, qui omnes vt dicam *quæst. sequenti*, laici erant: neque sanè in eorum veteribus monumentis depreheditur aliquis vsus huiusce potestatis: neque enim aut in præceptis Ecclesiæ, aut in votis, aut in alia re dispensabāt, aut censuras ferebant propriè dictas. Nam quæ excommunicationes in vsu fuisse apud eos dicuntur, multum aberant ab ea excommunicatione, quæ vera censura Ecclesiastica est: quod fusiùs ostendimus alibi. Has tamen antiquas religiones veras fuisse consentiunt passim Doctores, & iterum monebimus in consectariis. Neque dicas cum Vasq. iurisdictionem saltem spiritualem resedisse in Episcopis respectu eiusmodi Monachorum, qui reuera ipsis subiiciebantur: quod iam monuimus, & ratione monialium etiam hodie manere vel penes Prælatum illius ordinis vel penes Episcopum, aut etiam summum Pontificem: quia semper habemus ad domus religiosæ administrationem sufficere in eius Prælato dominatiuam potestatem, quæ non à clauibus, sed proximè ex donatione, quam sui ipsius religiosus facit Religioni, procedit, & quæ ad cogendum Religiosos ad obseruationem regulæ ac votorum interminatis, impositisque pœnis vrgere valet. Neque maiori aliqua potestate, aut alterius ordinis opus erit ordinariè: Si qua enim aliquo casu eius necessitas incumberet, ad superiorem potestatem fas esset prouocare. Quare frustra laborat Vasq. vt ostendat deriuata semel iurisdictione spirituali à Christo in Ecclesiam, eiúsque summos Antistites, non posse illam communicari nisi ab Ecclesia, & non priuata contrahentium, aut alicui se subiicientium voluntate, sicut facta semel regnorum aut politiarum diuisione, nemo priuatus potest sibi iudicem cum iurisdictione eligere, *l. priuatorum. C. de iurisdictione omnium iudicum.* Nam negamus hanc potestatem necessariam ad constituendum statum religiosum esse iurisdictionis specialis & clauium: quare nihil opus est illam ab Ecclesia mendicare. Deinde quamuis ea potestas dominatiua, sit quodammodo spiritualis, quia & obiecta quædam spiritualia respicit, & effectus quosdam spirituales sortitur; ea tamen cum non sit iurisdictionis, à priuatorum libera potestate proficisci potest. Sic enim qui vouet obedientiam Confessario, subiicit se illi quoad opera pia & spiritualia, atque ipse quandam potestatem spiritualem confert, immò vt ipsomet exemplo Vasq. vtar, licet deriuata in vnum aliquem suprema Reipublicæ iurisdictione nequeant subditi sua voluntate sibi aliquem

cum

cum iurisdictione præficere; possunt tamen absque diminutione supremæ maiestatis, aliquam aliis in semetipsos potestatem per voluntariam subiectionem conferre, qualem in minimum habet maritus in vxorem, pater in liberos, & Dominus in seruos. Possunt etiam plures in vnum cœtum & collegium conuenire, quod & certis legibus temperetur, & præsidem habeat, qui ad earum legum obseruationem vrgeat, & in ea re, aliisve peccantes pœna aliqua vel ex regula præscripta, vel ad arbitrium mulctet. Quidni igitur in cœtu religioso ex pacto & voluntate se illi cœtui mancipantium, Prælatus habebit potestatem præcipiendi sibi voluntariè subiectis, puniendi delinquentes, eaque omnia, quæ ad piam sanctamque huius familiæ administrationem necessaria videbuntur, faciendi. Neque etiam inde quidquam sibi iurisdictionis spiritualis & clauium arrogabit.

87 Dico sexto quamvis, vti proxima assertione docuimos, per solam potestatem dominatiuam & œconomicam sufficienter constituatur status Religiosus; connaturaliter tamen alicuius Prælati spirituali iurisdictioni subiicitur. Hanc assertionem primo manifestam facit inductio: nulla enim vnquam fuit Religio, quæ non fuerit subiecta alicui Prælato habenti propriam iurisdictionem spiritualem in omnes eius professores, siue prælatus ille esset intra Religionem, siue extra illam, qualis est Pontifex, etantque olim Episcopi, antequam ab eorum cura eximerentur Monachi, & hodie etiam existunt erga pleraque monasteria monialium, aliáque non exempta: ex qua continua, & nunquam interrupta Ecclesiæ praxi certo colligimus vix aliter commode institui posse statum religiosum. Et sane cum in republica nulla sit aut priuata familia, aut cœtus, qui non subdatur publicæ potestati & iurisdictioni, in quocumque tandem illa resideat, siue in principe, siue in magistratu: nulla etiam debet esse in ecclesiastica republica congregatio, quæ peculiari ratione eius iurisdictioni non subdatur. Adde sæpius opus esse ad Religionis gubernationem maiori quadam vi, quam paternum aut dominatiuum regimen permittat, cum & censuris, & grauioribus pœnis corporeis interdum castigāda sint crimina. Et quamvis eo casu liceat ad magistratum tum publicum, tum ecclesiasticum prouocare, id tamen non sine molestia, & maximis incommodis fit, immò sæpe cum maiori dispendio, quam fructu ipsius Religionis, atque personæ, quæ plectenda est. Denique ratio à priori est, quia hic status sacer habetur, & ecclesiasticus cuius personæ existunt sub peculiari dominio Dei, cuius obsequiis se æternum manciparunt, atque ad ipsum præcipuo quodam iure pertinent. Debent igitur sub speciali quadam cura, atque iurisdictione pastorum Ecclesiæ constitui: nam quamvis Ecclesiæ iurisdictio vniuersalis sit, & tum Clericos, tum laicos, tum Regulares, tum alios omnes, si qui sint, complectatur; non tamen eodem modo, neque eosdem actus circa illos omnes exercet. Plura enim atque alia potest præcipere Clericis, quam laicis, & aliud ius habet in Monachos, quam in non regulares: immò & iuxta varia regularia instituta ampliatur, aut restringitur iurisdictionis ipsius spiritualis vsus. Determinatur nempe potestas vniuersalis secundum capacitatem materiæ in quam cadit. Hæc igitur subiectio ad iurisdictionem spiritualem non est, inquit Suar. *lib. 2. tract. 7. de Relig. cap. vlt. n. 12.* conditio necessaria ad statum religiosum constituendum, sed est quasi proprietas consequens ad illum statum: quod illustrat exemplo ordinationis in Clericum: ex illa enim statim oritur subiectio Clerici ad Prælatum habentem iurisdictionem spiritualem, quamvis ea subiectio non existat ratio constituens clericatum, aut conditio ad ipsum necessaria; sed proprietas quædam connaturaliter consequens ex nouo statu talis personæ. Inde fit, vt in quolibet Prælato Regulari duplex potestas distinguenda sit; prima est denominatiua, paterna & œconomica, quæ ex religiosa professione sui donationem essentialiter includente proximè duntaxat nascitur; altera est iurisdictionis spiritualis, quam accipiunt vel à Pontifice, si præsint Religionibus exemptis vel à sua dignitate, vt pontifex respectu omnium Religionum, & Episcopi respectu non exemptarum.

88 Dico septimo vt in statu religioso sit iurisdictio spiritualis, quæ ad ipsius commodam administrationem admodum vtilis est; atque vt censeatur status ecclesiasticus, gaudeatque pluribus priuilegiis, quibus quodammodo connaturaliter instructum semper fuisse videmus, opus est approbatione Ecclesiæ, eaque practica, quæ nimirum ipsum constituat inter status ecclesiasticos, & instruat omnibus illis priuilegiis, atque præsertim iurisdictione spirituali muniat. Hæc assertio constat ex quarta superiori & euidens omnino est; nullus enim potest in republica statum aliquem & ordinem statuere, nisi ipsius authoritate, aut concedere iurisdictionem in aliquos, nisi eam deriuet à suprema potestate, vti monebamus superius. Cum igitur sit nouus status Ecclesiasticus ab Ecclesia probari debebit: & si quam habeat iurisdictionem spiritualem, quæ pertineat ad claues & de illa enim solum agimus non aliunde quam ab Ecclesiæ Prælatis illam deriuare poterit. Non concedunt autem Prælati eiusmodi iurisdictionem, cæteraque ecclesiastici status ornamenta alieni cœtui, nisi eo ipso illum approbent; imò & sua approbatione ecclesiasticum efficiant.

89 Dicò octauò potestatem approbandi & confirmandi Religiones iure ordinario esse in Episcopis respectu suarum Diœceseon. Ita Azor. *tom. 1. lib. 11. capit. 24. q. 5.* Bellarm. *lib. de Monach. cap. 4.* Valent. *2. 2. disput. 10. q. 2. p. 2.* Less. *lib. 2. cap. 41. dub. 1. n. 13.* Miranda *t. 1. Manuali q. 3. art. 6.* Basil. Poncius *lib. 7. de matrim. cap. 11.* Suar. *tract. 7. de Relig. lib. 2. cap. 17.* Vasq. *1. 2. disp. 163. cap. 4. n. 39.* Layman. *lib. 4. tract. 5 cap. 1. n. 3.* Ferdinand. à Castro *tract. 16. disp. 1. puncto 1. n. 8.* Sanch *lib. 5. in Decal. cap. 1. num. 15.* Probatur primò, quia nullibi ante Innocentium III. exigitur approbatio sedis apostolicæ. Mirum autem esset tot concilia & antiquos canones tam sæpe de Monachis & Religiosis egisse, nusquam tamen huius approbationes à sede apostolica petendæ meminisse. Secundò ex eo quod Innocent. sibi & sedi apostolicæ eiusmodi approbationem reseruet, apertè colligitur; eam Episcopis olim concessam fuisse: quam illationem malè omnino negat Vasq. alioquin non concederet nouam constitutionem Innocent. vti se concedere significat, & nihil planè sibi reseruaret, aut ab Episcopis tolleret: quod tamen contra ipsius mentem & verba omnino videtur. Tertio Monachi & Religiosi pleno iure subiiciebantur Episcopis, quod fusissimè ostendit Mendoza *lib. 1. de concilio Eliberitan. cap. 3.* Ad Episcopos quoque spectabat tum Monachorum receptio ex Dionys. *cap. vlt. de hierarch. Eccles.* & Nicæno concil. *lib. 3. cap. 14.* ex editione Pisan. tum incorrigibilium eiectio ex concil. Meldensi *cap. 19.* tum omnium Monasteriorum erectio ex conc. Chalcedon. *cap. 4.* & aliis, vt suo loco dicemus alibi, satis fuerit in præsentiarum ex illa omnimoda Regularium ad Episcopos subiectione colligere potestatem approbandi, instituendi, fundandi, & confirmandi Religiosos ordines in iisdem Episcopis, primis illis temporibus tanquam ordinariam fuisse. Quartò id ipsum euincunt antiquæ omnes Religiones, quas constat diutissimè

antè

ante sedis Apostolicæ confirmationem floruisse, quod de Antonianis, atque etiam antiquioribus Monachis, & S. Basilij, Augustini, atque Benedicti regulis eruditè ostendunt Pontius & Suar. illarum enim Regularum meminerunt duntaxat posteriores synodi, easque tanquam sanctas supponunt, & obseruari volunt. Quod autem dixit Hentiq *lib. 10. cap. 25. num. 3. litt. G.* nunquam olim Episcopos admisisse ad Religionem, nisi eius regula fuisset approbata à Pontifice, falsum omnino est, & absque vlla probabilitate dictum, quando nulla eiusmodi approbationis vestigia in veterum monumentis deprehenduntur. Neque dicas cum Rodriq. *tom. 3. Regul. quæst. 48. art. 3.* Basilium & August. imò & ipsum Anton. non instituisse religiosos ordines, sed antiquos restaurasse, & nouis legibus temperasse: non negamus enim ante hæc tempora extitisse Monachos, sed contendimus has nouas regulas & institutiones non eguisse vlla Pontificis Romani licentia siue expressa, siue tacita, quamquam hæc postrema eo ipso, quod Roman. Pontif. a eiusmodi institutis non repugnaret, habita fuerit: verum antequam eiusmodi regulæ Romæ innotescerent, habebantur tanquam piæ & sanctæ, & qui illas profitebantur, veri Religiosi. Quintò in tota ista approbatione nihil prorsus fingi potest; quod authoritatem Episcopi superet, imò quod ipsi tanquam Prælato ordinario non conueniat. Nam si spectemus substantiam Religiosi status, vota nimirum & consilia, iure diuino approbatus iam est; si verò certum illum viuendi modum, quem ex suis regulis & constitutionibus singulæ religiones obseruant, ille nullo quidem iure determinatus est, sed pertinet ad prudentiam illum examinare, probare, aut improbare. Examen verò eiusmodi faciendum esse à summo duntaxat Antistite nulla ratio postulat, neque ius vllum antiquum ita edixit, quando non proponitur tale vitæ genus vt amplectendum toti Ecclesiæ, sed alicui tantum particulari. Quidni igitur poterit Episcopus pronunciare de probitate & honestate talis modi viuendi, ac regulæ, quam diligenter examinatam videt fidei atque consiliis Euangelicis consonam esse? Et cur ad superius tribunal mittere cogetur? Deinde cur in sua diœcesi non poterit permittere, vt palam aliqui secundum eam regulam, quam piam, honestam, & Euangelicæ doctrinæ consonam iudicauit, viuant, nisi à superiore quadam potestate id prohibeatur?

90 Dico tamen nonò non posse hodie Episcopos nouam Religionem approbare. Ita Innocent. III. in Concil. Lateran. & refertur *cap. vlt. de Religios. domib.* *Ne nimia Religionum diuersitas grauem in Ecclesia confusionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cætera nouam Religionem inueniat; sed quicunque ad Religionem conuerti voluerit, vnam de approbatis assumat:* quam constitutionem confirmauit Gregor. X. in Concil. Lugdunen. & refertur *cap. vnico, de Relig. domib. in 6.* nomine verò Religionis intellexit Innocent. non modò eam, quæ constituitur votis solemnibus, sed etiam votis simplicibus: Quod contra Caietan. *in 2. 2. quæst. 188. art. 1.* demonstrat Suar. *lib. 2. sæpius cit. cap. 16. num 5.* cum talis Religio vera sit atque ex eius multiplicatione eadem confusio & incommoda quæ veretur Innocent. imò multò grauiora timeri debeant. Sanè cum verba legis in propria & vniuoca significatione capienda sint vti dicemus alibi. Nomen Religionis pro quacumque vera Religione accipiendum erit, ac proinde ea omnis erit materia eius legis, neque poterit absque Sedis Apostolicæ venia constitui. Ex qua etiam propria & communi vocis huius significatione colligo vlterius Innocentium non agere nisi de Religione in aliqua communitate & congregatione; quia vulgaris vsus huius vocis ita fert: quare non agit de Anachoretis, aut aliis, qui domi suæ, & extra Monasteria pium aliquem viuendi modum cum votis ac consiliis amplecterentur, qui proinde non indigerent Pontificis approbatione, sed solius Episcopi ad summum. Quod docent Glossa *in cap. vnico, de Relig. domib. in 6. v. Habitum.* Panorm. *in consil. 55.* qui id confirmat ex *Clement. 1. de Relig. domib. sub fin.* ita etiam sentit Nauar. *cap. 27. n. 127.* Idémque verba Innocent. si diligentius expendantur, significare obseruauit Suar. *cap. 16. cit. num. 25.* Non disputo modo, an hi priuati modi viuendi extra communitatem sint verè Religiosi: quia de re dicam aliquid in consectariis. Sed hoc vnum contendo illos minime requirere approbationem pontificiam. Quod idem dico de singulari quodam habitu pœnitentiæ, al óve: illum enim quilibet, cum Episcopi saltem licentia, poterit assumere, cum id non prohibeat Innocent. Ea enim perturbatio & errandi periculum, aliáque incommoda, quæ ea arbitraria Religionum & ordinum inuentione timebat Pontifex, non facile ex ex priuatis modis viuendi singularium personarum orientur: Et si quæ aliquando occurrant, aut metuantur, prouidentia, curaque Episcoporum impedientur.

Maior videtur difficultas circa verba Gregor. X. Innocentij constitutionem innouantis: non modo enim prohibet nouas Religiones, sed etiam ordines: *Districtius,* inquit, *inhibentes ne aliquis de cætero nouum ordinem, aut Religionem adinueniat, vel habitum nouæ Religionis assumat.* Nomen autem ordinis latiùs videtur, quàm Religionis, significare quamcumque communitatem, cæremonias religiosas, & certum viuendi modum, etiam sine tribus votis substantialibus obseruantem. Quæ communitas religiosa quidem non est, ordo tamen est: quare eiusmodi Congregationes prohiberi à Gregorio ampliante hac in parte decretum Innocentij existimauit Suar. *cap. 16. cit. n. 21.* & probat ex Ioan. XXII. *in Extrauag. Sancta Romana, de Relig. domib.* vbi fratricellos, siue fratres de paupere vita Bizochos siue Beguinos decreta Concilij violasse dicit, quod *habitum nouæ Religionis assumere, congregationes & conuenticula facere damnabili temeritate præsumpserint.* Verum Suarem miror non aduertisse, quod cuilibet Ioannis constitutionem legenti constabit, eiusmodi fratricellos, siue Bizochos, siue quocumque alio nomine donati fuerint, se tanquam Religiosos & dici, & haberi voluisse, imò & se ad literam Regulam sancti Francisci obseruare, fuisse mentitos. aliàs verò professos esse Regulam tertij ordinis sancti Francisci, quæ Pœnitentium vocatur, & denique habitum nouæ Religionis assumpsisse, atque à Cœlestino V. se confirmatos, probatósque fuisse impudenter iactasse: quæ omnia habentur in ea Extrauagante. Et idcirco iure merito Ioannes illos damnat. Quæ igitur faciebant conuenticula & congregationes, religiosa dici volebant. Neque dicuntur à Ioanne inuenisse nouum ordinem, sed nouam Religionem. Quod ipsum probatur ex Aluario Pelagio Ioannis Pontificis Pœnitentiario *lib. 2. de planctu Ecclesiæ, cap. 13.* Illorum enim mores peruersos describens ait, *Dicentes se Religiosos ab Ecclesia approbatos promissas regulas non seruant.* Quod ipsum dixerat Pontifex his verbis: *Quasi eorum secta foret vna de religionibus per Sedem Apostolicam approbatis damnabili temeritate præsumpserunt.* Aluar. *verè sciant se in nullo ordine viuere, nec in aliqua sancta vocatione manere in Ecclesia approbata quia contra Ecclesiæ sanctiones, & concilia generalia statum & regulam & religionem sibi confingunt, nolentes vnam de approbatis ab Ec-*

clesia Regulam profiteri. Quod pluribus ibidem ostendit, & idcirco eos gyrouagos & acephalos nominat: *qui poltronizant dediti somno & vagationi continuæ: loca in quibus habitant, dimittunt, & ab inuicem se diuidunt, & sicut passeres insolentes à monte in montem transmigrant cum curtis caputiis & repetiatis, & cum amictibus & habitibus, quos sibi contra Ecclesiam inuenerunt. Verè Ribaldi per mundum cursitant Pseudo-Apostoli, pseudo-boues ad præsepe euacuandum, non ad triturandum & prædicandum: contra sacra concilia sibi ordinem inuenerunt, in nullo ordine permanentes ficti Religiosi.* Eandem simulationem Religiosi ordinis illis tribuit author chronici Aulæ Regiæ in Biblioth. Coloniensi. Atque ibidem Conrad. de monte puellarum. In fragmento de erroribus Begard. & Beguina ait eos se finxisse Minoritas. Matthæus Paris. ad ann. 1244. testatur istos iactasse se pro Religiosis & habitum Religionis assumpsisse, sub nullius tamen sancti Regula. De his verò fratricellis, & quam multæ sectæ in eam valuerint, quam variis nominibus donati fuerint, quis eorum reuera extiterit author, nam plurimi producuntur, quos progressus fecerint, fusissimè disputat author Nitelæ Franciscan. Relig. 1. *parte cap.* 1. & Lucas VVading. in annalib. Minorum ad ann. 1317. mihi satis fuerit hoc loco ostendisse hos nebulones verum ordinem Religiosum simolasse, & condere voluisse contra sacros canones, atque ea de causa damnatos fuisse à Ioanne, quod habitum nouæ Religionis assumpsissent, ideoque ea hoc facto Ioannis non bene collegisse Suar. quamcumque communitatem, certum viuendi modum profitentem, etiam absque votis substantialibus Religionis, & quamvis Religio neque habeatur, neque haberi velit, damnari, nisi accedat approbatio Romani Pontificis, quandoquidem fratricelli improbantur à Ioanne, non quod eiusmodi sacram communitatem instituissent, sed quia Religionem nouam omnino inuenerant, aut Franciscanam mentiebantur. Immò verò communitates istas sacras licitas fuisse ostenditur ex alia eiusdem Ioann. constitutione, quæ incipit: *Ratio recta* & refertur *in Extrauag. communib. de Relig. Domib.* Clem. 5. in Conc. Viennensi damnauerat cum Beguardos, quorum errores referuntur *Clem. ad nostrum de hæretic.* qui quoddam vitæ monasticæ genus simulabant, cum Beguinas, quæ vitam Religiosam prætexebant absque votorum professione & facultatum abdicatione, institutrice, vt plurimi existimabant Margareta Porreta, quæ anno 1310. Parisiis hæresis conuicta, quam retractare noluerat, incendio tradita fuerat. Huius Margaretæ infausta soboles deinde, vt dixi, à Clem. & Concilio damnata fuit, & eiusmodi *Beguinagij* status prorsus abolitus & sub pœna excommunicationis imperatum iis, quæ illum sectabantur, ipsum relinquere, prohibitumque, ne quæ mulier de nouo istum assumeret. Inde factum, vt aliqui similitudine nominis in errorem inducti hanc Clementis & Concilij sententiam in alias quasdam fœminas Beguinas item, siue à S. Begga Pipini primi Brabantiæ Ducis filia, & S. Gertrudis sorore, siue à Lamberto Begho pio Leodiensi sacerdote, qui anno 1170. floruerat, siue aliunde nominatas intorserint, cum tamen illæ magna sanctitate florerent. Has igitur nequaquam edicto Clementis & Concilij fuisse comprehensas declarauit sua constitutione Ioannes. Obseruo autem has inculpabiles, innocentesque Beguinas non fuisse Religiosas, sicut neque erant illæ, quas damnauerat Clem. in communitatem tamen piam & sacram coaluisse quod tradit Ioannes *segregatæ quandoque in parentum aut suis; interdum verò in aliis, aut conductis sibi communibus domibus insimul habitantes,* Deinde certum habebant viuendi modum, quod significat Pontifex *vitas deducunt honestas, Ecclesias de nocte frequentant, &c.* aliaque opera pietatis exercebant, quidquid tamen contra ipsas prætextu decreti Clementis attentatum fuerat, infectum esse voluit Ioannes. Ex quibus colligo imprimis hunc statum *Beguinagij* non fuisse contra Innoc. III. & Gregorij X. leges prohibentes in Concilio Lateranen. & Lugdun. nequis nouum ordinem & Religionem inueniat; alioqui ea eo capite improbatus fuisset à Ioanne, imò & à Clemente, qui inter alias rationes, propter quas eiusmodi statum abolitum esse volebat, hanc sine dubio adduxisset, quod contra Conciliorum Canones & Pontificias sanctiones inductus fuisset; cum tamen nihil in sua constitutione ea de re dicat. Imò, ipso statim initio monet eiusmodi Beguinas Religiosas non esse, *cum nulli promittant obedientiam, nec propriis renuncient, neque profiteantur aliquam Regulam approbatam, certum tamen habitum Beguinarum dictum detulisse & quibusdam Religiosis adhæsisse.* Quibus verbis ostendit, nisi fallor, eas non voluisse nouam aliquam Religionem inducere, neque ea in parte peccasse contra Ecclesiæ leges, neque idcirco ipsarum statum abolet, sed quia pluribus hæresibus sordebant, & plures in errorem inducebant, quorum aliquos enumerat ipse Clemens sua constitutione, quæ refertur *Clem.* 1. *de Relig. domib.* & fusiùs recenset Guido Carmelita de hæresibus. Inde quoque factum est, vt aliæ Beguinæ post illam Clementis sanctionem perseuerarint: quia non nisi propter hæreses damnatus fuerat harum Beguinarum status; non verò in vniuersum, quòd esset nouus viuendi modus sine licentia sedis Apostolicæ inductus. Cùm igitur aliæ Beguinæ immunes essent ab illis erroribus retinuerunt suum statum, neque contra Clementis statuta peccarunt, vti aliqui existimabant, quos damnat Ioannes, & harum Beguinarum sanctitatem tuetur.

Obseruo præterea quod Ioannes addit, non propterea se statum Beguinarum approbare. Cæterùm, inquit, statum Beguinarum eiusmodi, quas esse permittimus, nullatenus ex præmissis intendimus approbare. Sine approbatione itaque sedis Apostolicæ potest aliquis status & communitas pia & sacra institui, quæ Religio non sit. Et sane sine hac approbatione, quam vides Ioannem disertè negasse hic status Beguinarum perseuerauit, floruitque in Belgiis: quod fusè ostendit Petrus Coenus in disquisitione de Origine Beguinarum edita anno 1629. quamvis postea Ioann. XXII. & alij Pontifices pluribus induiserint, atque ita approbarint variis diplomatibus congestis à Marino Ebolo, qui Innocentio quarto Pontifice scripsit in formulario litterarum Apostolicarum, quod opus extare in Biblioth. Vatican. & Collegio Fuxi. Tholosano testatur Spondan. *ann. Christi* 1311. *n.* 9. Cùm igitur Clemens, Ioannes, aliique Pontifices, qui eos præcesserunt & consequuti sunt per aliquot ætates tam solliciti fuerint, ne quid contra Innocentij Tertij & Gregorij X. sanctiones circa nouas Religiones inconsulta sede Apostolica inducendas peccaretur, vt etiam illas amplierent. Nam Bonifacius VIII. vetuit, ne sine venia sedis Apostolicæ nouas domos vllibi mendicantes Religiosi construerent, vti refertur *capit. vnico de excessib. Prælatorum in* 6. Quod diutiùs obseruatum, fuisse

certum

certum redditur ex Regesto Pontificio, quod Vading. *tom. 3. & 4. annalo minorum attexuit.* Cum, inquam Pontifices isti Religiosi adeò fuerint obseruatores constitutionum Inocentij ac Gregorij; & tamen nunquam receperint aliquam communitatem, quæ non prætenderet nouam Religionem, etiam si modum viuendi peculiarem cum sacris obseruationibus sectaretur, ex eo quod sine approbatione Romani Pontificis instituta esset, iure merito affirmamus illos nunquam existimasse prohibitum aliud fuisse ab Innocentio & Gregorio, quàm nouarum Religionum institutionem, non autem aliarum communitatem, quas hactenus descripsimus, sed earum approbationem reliquisse Episcopis, ad quos reuera ex iure ordinario pertinebat. Neque nobis est contraria glossa, quam allegat Suar. ✝. *habitus cap. vnico de Relig. domib. in 6.* nam eo loco ne hanc quidem quæstionem attigit, aut significauit glossa: dixit enim tantum ea sanctione non prohiberi, ne quis in priuata domo habitum Religionis indueret quod vt existimo, non licebit quidem in communi, quia ex eo habitu inductio nouæ Religionis præsumeretur: vnde illa gestatio habitus expresse prohibetur Panormitan. quoque, quem idem Suar. adducit, ipsi non fauet: nam licet *in cap. nullus de foro competenti n. 11.* disputans an Iesuati, qui nondum in ordinem mendicantium cooptati fuerant, (quod posterius factum à Pio tertio anno 1576. refert Roder. *tom. 3. quæstionum Regul. q. 55. art. 4.* eximerentur à laica iurisdictione, & gauderent priuilegio fori, damnet peccati mortalis eos, qui in communi tãquam religiosi viuentes aliquam Regulam approbatam non amplectuntur: *in Concil.* tamen 55. contrarium omninò sentit, & hos, quos vocat insuatos probat cum Antonio Buttrio *in cap. nullus de foro competenti*, quem allegat, neque existimat peccasse in institutione suæ societatis, siue mere laica, siue aliquo modo Ecclesiastica dicenda esset contra Innocentij & Gregor. statuta, eo quod non haberent ita certum habitum, vt illum pro arbitrio mutare non possent, ac proinde non induissent habitum nouæ Religionis, quod prohibebant illi Pontifices. Deinde quia ipsi dicebant se esse puros laicos, & non Religiosos, & habere solum domi priuatum oratorium, non Ecclesiam. Denique quia Ecclesia non reprobat eiusmodi status & modos viuendi, quoties Regulares haberi nolunt: quod Anton. confirmat ex Extrauag. Ioann. 22. *Ratio recta* à nobis adducta est & expensa circa Beguinas. Vides itaque non modo Panormitanum nobis non aduersari, sed etiam vltrò fauere vna cum Antonio Buttrio, quem adducit, & tanti viri authoritatem debere sufficere responsioni ad contraria affirmat. Aliud quoddam Panormitani consilium in eandem sententiam adducit Felinus, qui & ipsi subscribit *in cap. Ecclesia S. Mariæ de constitutionibus n. 2.* Cardinal. quoque *consil. 139.* Expressè tradit iura, quæ prohibent nouas Religiones creare inconsulto Papa, non intelligi de illis qui inducunt nouum modum viuendi religiosè, non facta professione: quia illi non inducunt veram Religionem. Non est igitur, quod Suar. magnam vim faciat in voce ordinis, quam Gregorius X. in sua prohibitione vsurpauit, quasi illa aliquid diuersum à Religione significarit per particulam disiunctiuam. Nam loquitur de ordine Religioso & eiusmodi nomina coniunxit, nequis subterfugio locus foret: quod in pluribus aliis obseruare licet, vbi geminantur voces, quæ sæpe non habent significata discrepantia.

Dico decimo leges Innocentij & Gregorij hactenus expositas esse irritantes; itavt noua Religio sine Sedis Apostolicæ authoritate vera Religio non sit; ac proinde professio in ea facta nulla & inualida existat. Ita communiter Doctores apud Suar, *cap. 16. cit. num. 9.* Quamvis enim Pontifices non vtantur verbo irritandi, aliove æquiualenti; id tamen ex ratione, materia & modo huius prohibitionis necessario colligitur. Primo enim ratio, quam affert Innocentius, quæ etiam finis fuit condendæ constitutionis istius, est, vt videtur confusio & perturbatio ex tanta Religionum diuersitate, & multitudine, atqui non assequeretur Pontifex quod intendit, si Religiones absque Sedis Apostolicæ licentia; Imo & contra eius prohibitionem institutæ, deinde perseuerarent vti reuera facerent, si earum institutio valida foret quamvis illicita; deinde cùm ad veram Religionem præter tria vota requiratur traditio sui ipsius, quæ vnà cum votis ab aliquo acceptetur, qui & vouentem vniat corpori Ecclesiastico, & illum potestati, non modo dominatiuæ, & œconomicæ, sed etiam iurisdictionis subiiciat, quod connaturaliter necessarium esse, atque hodie ab Ecclesia postulare ostendimus *conc. 6.* acceptatio ad istos effectus fieri nequit nisi ab habente potestatem ab Ecclesia & nisi in illa communitate, aut eius Prælato sit potestas iurisdictionis, quæ aliunde deriuari nequit, quam ab ipsa Ecclesia, quæ ipsam non facit communitati, quam sua sanctione prohibet & reprobat. Tertiò si hæ Religiones veræ essent, non annullarentur simpliciter à Gregorio, quæ ea ratione fuerant institutæ & ipsarum professores cogerentur ad profitendam aliquam Religionem ex approbatis, quod tamen non facit. Quartò *cap. vnico de voto in 6.* illa solùm professio valida dicitur, quæ fit in Religione approbata. Et in Extrauag. *Sancta Romana de Religios. domib.* nuper citata, quidquid à Beguardis ac fratricellis gestum fuerat, nullius momenti, aut firmitatis fuisse dicitur: quia eorum secta non erat vna de Religionibus approbatis: an vero vota tunc emissa valida saltem forent, vt simplicia, & non religiosa, dicetur alibi, cum de professione Religiosa disputabitur. Verius videtur inualida prorsus esse, cum non fiant nisi in ordine ad talem professionem. Quamvis porrò isti nouarum Religionum inconsulta sede Apostolica institutorea non efficiant Religionem; grauissime tamen peccant, eo quod contra prohibitionem adeo seueram aliquid tentare audeant, eamque præsumptuosam temeritatem appellat Gregorius.

Dico ad extremum Episcopos posse instituere no- 92
uas congregationes & cœtus, qui Regulam aliquam approbatam profiteantur: quia etsi priuatis legibus cum Regula approbata, quàm profitentur non pugnantibus temperentur, non tamen idcircò sunt nouæ Religiones, sed antiquæ & approbatæ Religionis noua quædam membra & cœtus, quod neque pugnat cum constitutionibus Innocentij & Gregorij, neque authoritatem Episcoporum superat: Imò Innocentius diserte monet, vt si quis conuerti velit, vnam ex approbatis Religionibus assumat: quod hoc casu fiet. Cur autem non poterit Episcopus eiusmodi cœtibus Regulam approbatam sequentibus, certas leges, cæremonias, ac mores præscribere, etiamsi à Regula illa Religiosa non imperentur, & in aliis Monasteriis, ac diuersis cœtibus eiusdem Regulæ non obseruentur: quandoquidem eiusmodi obseruantiarum sacrarum, religiosarumque magnam diuersitatem in variis eiusdem instituti domibus videmus: quæ omnia confirmantur, imò & necessariò deducuntur ex superioribus conclusionibus, neque video vllam dubitandi rationem. Cùm enim hæc decreta Pontificum

restriogant facultatem ordinariam Episcoporũ odiosa sine dubio sunt, & strictiùs potiùs ioterpretanda atque adeò verba, vt sonant & in maximè propria significatione vsurpanda erunt. Prohibent autem illi nouarum Religionum institutionem, & nouæ Regulæ iotroductionem. Vbi igitur ex Religionibus & Regulis approbatis assumetur aliqua, non peccabitur contra eas prohibitiones, quidquid præter Regulam obseruandam suscipiatur: hæc enim additio, aut mutatio cæremoniarum, actionumque religiosarum non mutat essentialiter Religionem, dum eadem primaria Regula seruatur: & quæ adduntur, aut mutantur, non prohibentur à Regula, aut non sunt contraria iis, quæ Regula præscribit, sed sunt eiusmodi, vt ipsorum non meminerit Regula, atque adeo permiserit illa, aut similia sequi, aut non sequi: si verbi gratia nihil de forma habitus aut ciborum dicat, nihil circa tempus orationis definiat, nulla certa charitatis opera aduersus proximum dictet, clausuræ modum non determinet, aliaque eiusmodi definienda relinquat: quidni ea & similia poterit Episcopus in sua diœcesi, qui talem Regulam amplecti voluerit, præscribere. Inde videmus sub vna eademque Regula tam multas congregationes & religiones, quæ non sunt diuersæ Religiones, sed vnius, eiusdemque diuersa, vt dicebam, membra, quæ cur in singulis Episcopatibus non possint inconsulto pontifice institui authoritate Episcopi planè non video.

Qualis sit diuisio statuum Ecclesiæ in statum perfectionis & statum vitæ communis.

93 Explicata natura & proprietatibus status perfectionis in vniuersum, vnde plurima deinceps lucem accipient, venio ad celeberrimam illam diuisionem, cuius causa eiusmodi disputationem, quamuis paulò longiorem præmisimus: & quæro quàm aptè totam Ecclesiam, seu potius vitam Christianam partiamur in statum vitæ communis, & statum perfectionis.

Dico primò hanc diuisionem adæquatam esse. Ratio euidentissima est: quia membra ista diuisionis contradictoriè aut saltem priuatiuè opponuntur: ergo inter illa nullum aliud medium dari potest. Quæ consequentia manifestissima est. Antecedens verò facilè ostenditur. Diuisum enim est vitæ christianæ status, siue quædam ratio viuendi firma ac stabilis ad gratiam in hac vita, & gloriam in futura acquirendam instituta. Ratio vero illa viuendi vel est omnibus fidelibus communis; & ad salutem necessaria; vel non est communis, sed specialis, & non tantum necessaria, sed alia quædam vtilia ad eum finem consequendum media complectitur. Quæ membra opponi vides, & vnum includere aliquam negationem alterius: quod idem contingit, si vitæ Christianæ finem attendas. Cum enim ille sit, vt dixi, perfectio tum huius vitæ, tum futuræ beatitudo, quæ correspondet perfectioni à nobis in hac vita acquirendæ: perfectio ista vel est essentialis & necessaria christianæ vitæ; vel non est essentialis, eo quod aliquid aliud adijciat: status, qui non obligat nisi ad perfectionem necessariam & essentialem, neque aliud quidpiam ex sua natura exigit, dicitur status vitæ communis: quia reuera communis est omnibus christianis, qui per baptismum stabilem obligationem contrahunt comparandi sibi illam perfectionem, & vitam christianam profitendi, media sufficientia, ac necessaria ad eiusmodi perfectionem essentialem charitatis quærendam vsurpandi & Ecclesiæ leges, cui per talem statum subijciuntur, seruandi: & quamuis aliqui opera consilij exerceant, & perfectionem eximiam, quam §. 2. descripsimus in eo statu assequantur: ad illam tamen vi sui status non obligantur: status autem, qui ex natura sua obligat ad maiorem perfectionem; & ad opera superogationis tanquam media illius, est status perfectionis. Deinde vel status addit aliquid boni formaliter statui vitæ Christianæ, illumque eleuat & perficit; vel nihil omninò altius & superogationis adijcit. Si primum dicas, ille status est perfectionis: si secundum, est status vitæ communis. Vides itaque omnes status sub altero ex his membris, quæ contradictoria sunt, necessario comprehendi: Denique omnea aliæ diuisiones statuum ad hanc facilè reducuntur: nam primo 12. *q.* 1. *cap duo sunt*, diuiduntur Christiani ab Hieronymo in duo genera quorum vnum mancipatum est diuino officio: alterum autem laicorum est. Quæ diuisio in Clericos & laicos à nobis explicabitur *quæst. seq.* & in nostra continetur. Nam omnes siue laici, siue Clerici vel in statu vitæ communis, vel in statu perfectionis censendi sunt, vt ex dictis constabit, si ea denuò expendere libeat. Secundò August. de Ancon. *q.* 76. *de potestate Ecclesiæ art.* 1. diuidit in statum coniugatorum, clericorum, Religiosorum, & Episcoporum. Verum hæc diuisio à nostra comprehenditur: Nam Clericos, Religiosos, & Episcopos in statu perfectionis suo modo collocamus: status autem coniogatorum est status vitæ communis: quamquam eam diuisionem neque formalem, neque sufficientem esse pluribus contendat Suar. *lib.* 1. *tract.* 7. *de Relig. cap.* 2. *n.* 14. Tertio diuidit S. Thom. 2. 2. *q.* 187. *art.* 2. in incipientiũ, proficientium & perfectorum status: verùm illa diuisio est sub-partitio status perfectionis in diuersos gradus: quod exponam §. *seq.* Vides igitur omnes alias diuisiones statuum multiplicium Ecclesiæ in hanc vniuersalissimam à nobis allatam commodissimè reuocari.

Dico secundò diuisionem status Christiani in sta- 94
tum perfectionis, & vitæ commuois esse tanquam includentis inclusò: quia status perfectionis, & vitæ commonis esse tanquam includentis & inclusò: quia status perfectionis includit statum vitæ communis, sed illi quidpiam adijcit, siue illam perficit: quare omnis illa perfectio, obligatio & cætera, quæ infert status vitæ Christianæ, vt sic supponuntur & comprehenduntur à statu perfectionis, qui nouam tantùm perfectionem adijcit, atque etiam iuuat obseruationem vitæ Christianæ: melior proinde & vtilior est: & quamuis nouam afferat obligationem; ex ea tamen obligatione tam multa proficiscuntur commoda etiam ad faciliorem legis Christianæ obseruationem, vt non modò perfectior, sed etiam securior iure merito censeatur eiusmodi status.

Prima Divisio.

Status perfectionis in incipientes, proficientes & perfectos.

Cum diuisio vitæ Christianæ in status perfectionis 95
& vitæ communis hactenus explicata, vniuersalissima sit, & omnes status Christianos sub altero ex suis membris complectatur, singula ista membra iterũ subdiuideoda forent: qoia tamẽ neq; locus, neq; Methodus scientifica, cui insistimus, patitur in hoc vestibulo operis, de singulis statibus disputare, cum eorum explicatio fusior sit, & benè magnam operis nostri partem occupet: persequar duntaxat sub-diuisiones aliquas communiores, quæ singulis deinde statibus aptari poterunt. Et quidem quod attinet ad statum vitæ communis, nihil de illo sigillatim dicendum occurrit

occurrit modò, cum nihil singulare habeat à vita Christiana, & contineat obligationes omnibus Christianis, quatenus Christiani sunt, communes. Quare omnia quæ dicemus de Christianæ vitæ officiis, & de iure Ecclesiastico prout omnes Christianos obstringit, ad hunc statum vitæ communis pertinent. Restat igitur alterum membrum nostræ diuisionis, nimirum status vitæ perfectioris, qui in vniuersum iterum subdiuiditur in statum incipientium, proficientium & perfectorum: deinde in statum perfectionis acquisitæ & exercendæ: Tertio in statum vitæ contemplatiuæ, actiuæ & mixtæ: de quibus singulis diuisionibus quæ vniuersalissima tum trademus hoc loco.

96 Et quidem quod ad primam attinet, ea sumitur ex simili diuisione charitatis. quæ cum sua initia, progressus, & incrementa, ac suas veluti ætates habeat, in incipientem, prouectam, & perfectam diuidi solet à S. Thom. 2.2. q. 24. art. 9. quamquam Augustinus quartum membrum adijcere soleat. Nam *cap. 70. de natura & gratia* distinguat in inchoatam, prouectam, magnam & perfectam, & *tract. 5. in Ioann.* In natam, nutritam, roboratam & perfectam, nisi dicas Augustinum per charitatem inchoatam, aut natam nominare charitatem primogenitam, siue prout generationem, ac productionem primò terminat, & nullum adhuc augmentum accepit, aut adeo paruum, vt ad robur nondum sufficiat. Cum enim hæc charitatis incrementa cum infantis incrementis comparet, & ille primum generari debeat; deinde nutriri, atque ita sensim robur & vires acquirere, donec tandem statum & perfectionem assequatur: ita Charitatem primum gigni necesse est, deinde per varia incrementa roborari ac perfici, nisi malis per charitatem incipientem significare statum, quem habet ab ipsa prima productione vsque ad certum terminum incrementi; magna vero ac roborata charitas, (siue prouecta, ut iis enim omnibus nominibus vtitur Augustinus) est ea, quæ iam certum incrementum nacta est, quam vulgo proficientem appellant, cui succedit ad extremum quam perfectam dicunt. Neque hæc diuisio singularis est charitati, sed omnibus aliis virtutibus communis, atque apud Patres frequens: in singulis enim gradus & incrementa licet obseruare. Tum ratione intensionis, tum ratione extensionis ad diuersa obiecta.

97 Non consentiunt porro Doctores in his gradibus charitatis distinguendis: quare omissis diuersis sententiis placet cum Suar. *tract. 4. de Relig. lib. 1. cap. 11. n. 5. & tract. 7. lib. 1. cap. 13. n. 8.* hanc distinctionem sumendam esse ex modo operandi magis aut minus perfecto, nimirum maiori, aut minori promptitudine, facilitate, & delectabilitate exercendi actus charitatis siue elicitos siue imperatos. Vnde sequitur illa diuersitas studiorum hominis, ea qua status istos, & gradus charitatis distinguit S. Thom. *art. 9. cit.* quare cum illo omnino consentimus. Charitas igitur inchoata & incipiens est, quamdiu nondum sopitis affectionibus & concupiscentiis, ab illis impeditur, ne facilè & delectabiliter operetur, sed etiam in discrimen sæpius adducitur, ne aliquo peccato pereat; ideoque præcipuum tunc homini studium incumbit, inquit S. Thom. vt recedat à peccato, & resistat concupiscentiis charitati contrariis, nutriat ac foueat charitatem, ne corrumpatur, ideoque in gradu & statu incipientium collocatur: qui gradus quamuis imperfectus admodum sit, vt vides, nihilominus aliquid perfectionis habet non modò essentialis in professione charitatis essentialis & substantialis, sed etiam singularis, & quæ ab statu perfectionis intenditur: quia hæc cura fouendi, nutriendique charitatem non modo conti-

netur obseruatione præceptorum; sed etiam occupatur in vitandis occasionibus, & diligenti quadam opera adhibenda in superandis peccatis contrariis, & comparando illo robore, quo donari debet charitas, vt promptè, facilè & delectabiliter operetur: hoc enim studium diligens ad perfectioni statum pertinet.

Charitas prouecta, siue proficiens est, quando iam pacatis sedatisque rebellis concupiscentiæ motibus, & periculi grauioris lapsus via animum sollicitante, per varia virtutum opera crescit, fortis nimirum & vegeta est, peccata mortalia facilè vitat, quamuis in leuiores noxas sæpius incurrat. Studium itaque proficiendi in bono, tunc homini principaliter conuenit ex S. Thom. Sicut enim Imperator fusis hostibus, ipsorum spolia tegit & ditionem occupat; ita virilis charitas in cumulandis diuitiis potiùs, quàm in persequendis hostibus detinetur. Denique charitas perfecta edomitis iam vitiis, fractisque commutionibus appetitus, & multarum virtutum comparata suppellectile, non modò promptè & delectabiliter operatur; sed tota in suo perfectissimo opere, quod est vnio cum Deo occupatur, estque tunc primarium studium hominis, inquit S. Doctor, vt Deo inhæreat, eoque fruatur: tunc demum cupit dissolui, & esse cum Christo. Quæ omnia explicat S. Doctor exemplo motus, in quo recessus à termino, accessus ad alium terminum, & quies in termino iam acquisito reperitur; charitas incipiens recedit à vitiis, prouecta accedit ad Deum per virtutum varia opera, perfecta Deum amplectitur, & in eo quiescit.

Ex hac diuisione charitatis explicabis partitionem 98 status perfectionis in statum incipientium, proficientium, & perfectorum quam tradit S. Thom. 2. 2. q. 183. *art. 4.* neque enim assignandi sunt tres aliqui status inter se condistincti: ita vt detur aliquis status, qui ex se tantùm tendat ad charitatem inchoatam, ibique sistat: alter ad charitatem prouectam, & perfectus ad charitatem perfectam: nam omnis status perfectionis ad vltimam illam charitatem suo modo tendit. Hæc itaque diuisio non est generis in suas species; sed subiecti in accidentia: quia nimirum in omni statu perfectionis quidam sunt incipientes, alij proficientes, alij perfecti: quod de Religionis statu dixit S. Thomas 2. 2. q. 186. *art. 1. ad 3.* Deinde cum omnis status perfectionis illam intendat, illique vni studeat, vti dixi sæpiùs, in eo studio distinguere debemus principium, medium & finem cum S. Thoma q. 183. *art. 3.* debet enim primò studere acquirendæ inchoatæ charitati, & per media commoda castigandis, coërcendisque prauis animi motibus incumbere. Deinde augere charitatem per opera virtutum, & tandem illi vni quantum fieri poterit, vacare. Itaque tres illæ veluti partes, aut classes studij perfectionis, quod in omni statu perfectionis reperiri necesse est, faciunt hanc diuisionem, quam proinde vides esse duntaxat subiecti in sua accidentia, quod quàm consentaneum est Bernardo *tract. de vita solit.* facilè legenti constabit.

Colliges secundò non modò hos status non esse 99 condistinctos inter se, sed etiam vnumquemque aliquid aliorum participare: nam cum perfecti nunquam eum terminum attingant, vltra quem progredi non possint, imò cum ad nouam semper cumulatiorémque perfectionem progredi teneantur, statum proficientium participant: cum præterea quisque timere debeat, quamuis nulla peccati religione & conscientia mordeatur, ne reprobus efficiatur, & in eam rem castigate corpus suum exemplo Pauli, statum incipientium communicat, maximè cum Deus viros perfectos, & eximiè sanctos grauissimis aliquando tentationibus, & carnis rebellionibus succuti patiatur

ad elationis spiritum comprimendum: quod obseruauit Gregor. *homil. 14. in Ezechiel.* & in Paulo contigisse vulgò omnes agnoscunt. Quare mirum non est, si proficientes molestias & difficultates incipientium nonnunquam sentiant. Ipsi autem incipientes & sensim proficiunt, & opera virtutis exercent, diuinámque lucem recipiunt, immò & suauitatem, atque vt explicat Bernard. *serm. 3. de Circumcis. Sabbatum mentis, lumen deuotionis, & diem serenissimum experiuntur.*

100 Colliges tertiò affinem isti diuisioni esse aliam æquè solemnem apud scritores mysticos viæ purgatiuæ, illuminatiuæ, & vnitiuæ: quarum prima incipientibus, illuminatiua proficientibus, vnitiua perfectis accommodatur: quamquam hæ viæ sumantur ratione mentalis orationis ac deuotionis prout nempe diuersi eius gradus ac modi in pietatis cultoribus inueniuntur. Purgatiua igitur via tendit ad expiationem peccatorum, & ad ipsorum reliquias & causas eradicandas: eiusmodi sunt perturbati animi motus, appetitus commotiones, prauæ consuetudines, mali habitus, aliáque similia. Idcirco occupatur hæc via in purgando animo per actus compunctionis, atque mortificationis, & pœnitentiæ, solemnes eius cogitationes & meditationes eæ sunt, quæ timorem, dolorem & confusionem excitant, dicitúrque ab Alensi *4. par. q. 26. mem. 1. art. 1.* status pœnitentiæ.

Via illuminatiua tendit ad virtutum profectum & maiorem passionum moderationem, non modò vitando grauiora peccata, sed etiam leuiora, atque virtutes exercendo: idcirco frequentius de virtutum honestate & vsu, de Christi & Sanctorum præclaris exemplis cogitat: éstque ex Alensi status iustitiæ.

Denique via vnitiua, quam statum perfectionis dixit Alensis, occupatur in vnione ad Deum per amorem: quare eius actibus quantum potest, insistit, adepta iam animi pace ac tranquillitate per mortificationem passionum, & vberiori se infundente luce per diuturnam rerum diuinarum meditationem, atque virtutum vsum, non indiget longioribus, operosioribúsque discursibus, atque inquisitione meditationis; sed simplici ferè Dei attributorum & beneficiorum eius memoria, affectus & incendia amoris diuini concitat. Idcircò diuersas à Patribus allatas orationis definitiones singulis istis viis & statibus accommodat Alensis *loco citato.*

Inde vides quamlibet harum trium viarum, communionem cum cæteris habere, & distingui tantum iuxta id, quod in qualibet eminet. Nam & via vnitiua aliquando eget remediis viæ purgatiuæ: & ista nonnunquam fruitur aliqua suauitate vnitiuæ; imò aliquando destinata in actibus vitæ vnitiuæ atque contemplatiuæ exerceri debent qui purgantur, & multo magis, qui proficiunt. Primò quia in actibus diuini amoris quantum licuerit quisque se exercere debet: cum amor sit non modò consummatio perfectionis, sed eius quoque fons & origo, ab eáque initium capere debeat conuersio peccatoris, siquidem perfecta est. At verò amor per se pertinet ad viam vnitiuam, cum in eo maximè consistat vnio ex S. Thoma *2. 2. q. 28. art. 1. & 2.* Deinde conandum cuique est, vt quamdiu licuerit in eo diuino amore persistat & quiescat. Suauitas illa præterea, qua animus aspergitur, ad omne opus virtutis vtilissima est, huius porrò suauitatis fons est substantialis deuotio, quare totis viribus cuique quærenda est, licet ad viam vnitiuam spectet. Denique ex hactenus dictis facilè capies quomodo contemplatio dicatur propria perfectorum: quia nempè ad viam vnitiuam pertinet & requirit animum valdè moderatum & compositum, diuque exercitum & illuminatorum; cum tamen non semper omnibus perfectis concedatur. Quod obseruauit Bernard. *serm. 3. de Circumcis.* & aliquando etiam ab imperfectis degustetur ex eodem Bernardo.

Altera Divisio

Status perfectionis in statum illam acquirendi & exercendi.

Hanc diuisionem tradidit Gerson *tract. de statu perfectionis, & tract. de perfectione cordis.* Dionys. Carthus. *opusc. de regulis vitæ Christianæ*, & reliqui deinceps, supponitque S. Thom. *2. 2. q. 184. art. 5. & q. 185. art. 4. ad 1.* atque *opusculo de perfectione spirituali.* Manifestè verò colligitur ex Dionys. *cap. 5. de Eccles. Hierarch.* Nam inter eos ordines, qui initiantur, eos numerat, qui perficiuntur *τελειουμένως*, quos dicit esse Monachos, & inter ordines initiantes supremum dicit esse perficientem *διακόσμησιν τελειωτικὴν* quem Pontificum esse affirmat, vti fusiùs explicuimus *q. superiori.* Qui sunt igitur in ordine, in quo perficiuntur, sunt in statu perfectionis acquirendæ; ordo verò perficiendi alios, est status perfectionis exercendæ, siue communicandæ aliis. Hic est enim sensus huiusce diuisionis: & idcirco Caiet. *2. 2. q. 184. art. 3.* vocat statum perfectionis propriæ & alienæ; quia nimirum primi illi ex vi & natura sui status incumbunt dumtaxat propriæ perfectioni comparandæ; alij verò ex eadem sui status conditione munus promouendi cæteros ad perfectionem suscipiunt, ideóque obligantur ex eodem suo illo statu ad operationes & ministeria aliorum perfectiua, siue quibus proximi salus procuratur, illique gratia, atque perfectio communicatur. Sapienter igitur Gerson *tract. de statu perfectionis*, status istos ita describit: *Status perfectionis exercendæ intendit bonum suum, in alios effundere & multiplicare; status verò perfectionis acquirendæ bonum illud, quod iam alius diffundit, intendit, nititur & festinat in se acquirere: primus ex abundantia in alios redundat: secundus in se stat.* 101

Status igitur perfectionis acquirendæ non ita nominatur quasi dicat priuationem perfectionis, ad quam comparandam tendit: sed quia habet pro fine intrinsecco acquirere propriam perfectionem, quæ etiam intra illum statum, vi illius & per media idonea ab ipso suppeditata comparatur: itaque est schola perfectionis, quæ in eadem schola discitur, eáque via terminum suũ includit: quare non continet hic status tantum inchoantes sed etiam prouectos, atque perfectos, à quibus tanquam à præcipua parte liceret etiam hanc denominationem status perfectionis accipere: quia tamen illi ipsi perfecti ad vlteriorem semper perfectionẽ progredi debent, in schola perfectionis acquirendæ iure esse dicuntur. Denique cum in singulis in eiusmodi statu existentibus sit aliquis gradus perfectionis, quamuis non in esse perfecto, qui tamen esse potest, immò & debet in toto corpore, status perfectionis dicitur, quamuis acquirendæ. Quare non pugnant inuicem hi termini, & malè omninò Maior *in 4. dist. 8. q. 6.* inde colligit Religiones factitias satis impropriè & abusiuè, & forsitan arroganter dictas esse status perfectionis; Idque se ex Gerson *sub finem primæ partis* referre contendit, sed falsò. Nam neque quidquam eiusmodi *in tota prima parte operum Gerson* legitur, neque *in tertia parte*, vbi hanc controuersiam attigit de Religionis perfectione, & cum aliis statibus collatione, id asseruit. Contumeliosis autem verbis, quæ ipsi affinxit Maior, nusquam modestissimi ingenij vir vsus est *tract. de perfectione Religionis consider. 4.* negat disputare se velle an Religio sit status, an gradus, an ordo;

ordo : & concludit non esse saltem perfectionis exercendæ, sed acquirendæ. *Religio factitia*, inquit, *siue dicatur status, siuè ordo, siue gradus in Ecclesia ; illa tamen non est de se status, vel gradus perfectionis exercendæ, sed acquirendæ, alioquin malè nimis esset multis Religionem profitentibus qui imperfectos se esse agnoscunt, aut valdè desipiunt.* Quæ tamen Gersonis ratio quàm parum efficax sit, modo non disputo : constat enim plerosque Prælatos imperfectissimos esse ; & tamen sunt in statu perfectionis exercendæ : non idcirco igitur ab eo statu repellendi sunt Religiosi, quia imperfecti sunt, sed qoia ex sui status fine & natura student solum propriæ saluti comparandæ, non aliis communicandæ, vt ipsemet Gerson paulò superiùs exponebat *tract. de statu perfectionis*, vbi tamen nihil habet eorum, quæ ipsi tribuebat Maior. Fateor quidem *in tract. de perfectione cordis* ipsum quærere an probanda sit logica ista consequentia : Iste est status perfectionis acquirendæ, ergo est status perfectionis : numquid non aptiùs vocatur schola vel via, vel disciplina ad perfectionem adipiscendam, quam status perfectionis absolutè. Contentionem tamen esse de nomine respondet, cui immorari non placet : *volumus*, inquit, *vt prædiximus, vbi de re constiterit, deseruire contentioni de nomine.* Atqui iam exposuimus, qua ratione hic status, qui obligat ad opera perfectionis acquirendæ accommodata, & quibus reipsa perfectio in illo statu acquiretur merito dicatur status perfectionis acquirendæ. Neque benè obijcit *loco cit.* Gerson, eadem ratione Religiosum dici posse in statu gloriæ, quia est in statu illius adipiscendæ : nam finis extrinsecus & remotus alicuius status, neque intra ipsum acquirendus, sed transeundo ad alium statum, non potest illum statum, cui tantum extrinsecus est, denominare tanquam aliquid in ipso inclusum : at vero quando finis acquirendus intrinsecus est alicui statui, quia per illum & intra illum acquiritur absque transitu ad alium, optimè illum denominat : quia reuera est aliquid in ipso inclusum ; imò est illud ipsum, quod in toto illo statu intenditur, sicut via & motus terminum suum includit. Gloria igitur cum sit finis remotus & inttinsecus status Religiosi, & licet per illum acquiratur, non tamen in illo sit, eum denominare nequit, neque qui est in statu Religionis. dici potest esse in statu gloriæ etiam acquirendæ : quia licet per ipsum tendatur ad gloriam in illo tamen numquam obtinebatur : & cum quis statum gloriæ subibit, relinquet statum Religionis, quod non fit in perfectione, quæ ita comparatur per statum & in statu Religioso, vt hic status, non mutetur, dum ipsa perfectio acquisita fuerit.

102 Status perfectionis exercendæ seu communicandæ ex sua natura & institutione obligat ad actiones aliorum perfectiuas, eiusmodi sunt hierarchicæ, quibus alij purgantur, illuminantur, & perficiuntur, vti ex Dionys. *cap. 5. de Eccles. hierarch. exposuimus q. superiori.* cum autem ex primario & proximo fine denominetur status, iure merito iste dicitur perfectionis exercendæ : quia ex sua institutione suppeditat media, quibus perfectio potiùs exerceatur circa alios, quam sibi ipsi acquiratur : quamquam enim vt decenter & consentaneè hæc opera perfectiua aliorum, & ministeria exerceantur, optanda foret propria & personalis perfectio in eo, qui alios perficit : ideoque ab iis, qui in hunc statum euehuntur, supponitur acquisita perfectio, tanquam dispositio maximè consentanea : eáque de causa aliqui cum Maiore *loco cit.* nominant hunc statum perfectionis acquisitæ : id tamen omnimodo necesse non est, cum & ipsa Sacramentorum confectio, administratióque, quæ est actio maximè perfectiua, ministri sanitatem, ad sui valorem non exigat, vt alibi dicemus, & possit aliquis alteri perfectionem, atque virtutem, qua ipsemet caret, persuadere. Ratio à priori est, quia personalis ista perfectio non est principium adæquatum actionum alios perficientium, vt per eas discurrenti facile constabit. Qui igitur erit in statu perficientium alios, aut actionis aliorum perfectiuas exercentium, dicetur esse in statu perficiendi licet ipsemet perfectus non sit. Id verò non eximit eos qui sunt in eiusmodi statu perfectionis exercendæ ab obligatione illam ipsam sibi comparandi. Audi Gersonem in *tract. de statu perfectionis litt. V. Et si status prælationis sit status perfectionis exercendæ, non sic tamen exercendæ, quin etiam & sit acquirendæ : patet ; quia Prælati non sunt in summo perfectionis sed in dies proficiunt in gratiis & virtutibus. Non quod iam acceperim (dicit Apostolus) aut perfectus sim, hoc est sic, quin ampliùs perfici possim. Sequor autem si quomodo comprehendam. Quare autem plus dicatur perfectionis exercendæ, quàm acquirendæ, ideò est, quia principaliter datur & instituitur ex officio & in ordine, vt bonum, quod in eo est, extendat, deriuet in alios, & effundat, & quasi se neglecto, aliis, non sibi, viuat : qui nec sic perfectus est, quin vlterius perfici queat : sed quia maxima ex parte iam perfectionis est, sicut perfectus doctor & Clericus dicitur, quia excellenter profecit in doctrina, quamquam omni die proficiat in ea.*

Ex quibus vides Gersonem omninò exigere in Prælato, qui alios perficit, studium propriæ perfectionis. Et sanè quamuis ea potiùs supponatur, quàm conferatur ab hoc statu perfectionis exercendæ : quod in omnibus aliis dispositionibus, vt prudentia, scientia, & cæteris ab aliquo statu requisitis videmus : neque enim tribuuntur ab statu, ad quem disponunt, & à cuius operibus commodè exercendis præsupponuntur : plurioia tamen sunt in hoc statu, quæ ad propriæ perfectionis acquisitionem iuuant, nempe illa ipsa opera aliorum perfectiua, quæ ipsummet operantem perficiunt, si eo quo par est, modo fiant. Idcircò Dionys. *cap. 1. de Eccles. hierarch.* alloquens Timotheū Hierarcham ait Christum, qui est vniuersæ ordinationis Sacræ, sanctimoniæque, ac diuinæ functionis principium & essentia, virtusque diuinissima *ἡ πάσης ἱεραρχίας ἁγιαστείας τε καὶ θεουργίας ἀρχὴ, καὶ οὐσία, καὶ θεαρχικωτάτη δύναμις* beatas quidem Mentes, quibus intelligibilius, illustriusque *ἱερώτερον καὶ νοερώτερον* affulget ad propriam suam lucem informare vt alios illuminent. Nos verò ad vniformem & diuinam vitam *ἑνοειδῆ καὶ θεῖον ζωὴν* instituere, atque impartiri diuini sacerdotij virtutem, sacrorum effectricem, per quam ad sacram functionem accedentes propinquiores euadamus supernis spiritibus, status illorum constantiam & firmitatem imitemur, ac Demum diuinam IESV lucem sacrosanctè *ἱερῶς* aspicientes visionem iuxta mysticam scientiam illustrati cognitione, consecrati ac consecrantes luciformes ac deifici perfecti, ac perfectores euadere possimus *καὶ τῶν θεαμάτων γνώσεως ἐλλαμφθέντες, φωτοειδεῖς, καὶ θεουργικοὶ τετελεσμένοι καὶ τελεσιουργοί.* Vides igitur ex Dionysio eos, qui alios purgant, illuminant & perficiunt ex suo munere hierarchico, prius purgari, illuminari, & perfici virtute quadam a summo Hierarcha accepta, si illi nimirum obsequi velint, atque dum opera hierarchica accepta, si illi nimirū obsequi velint atque dum opera hierarchica exerceot se ipsos primò perficere, & dum hæc omnia tanquam habitu quodam obtinent *καθ' ἕξιν*, aliis deinde communicant, vt interpretatur Pachym. in sua paraphrasi : quia tamen propria illa perfectio non intenditur per se ex vi illius status, sed solùm vt aliorum saluti ac perfectioni studeatur :

idcirco ab hoc fine primario specificatur, denominaturque hic status. Sicut enim in statu perfectionis acquirendæ, per illa ipsa opera, quibus acquiritur perfectio, ipsa etiam exercetur, imò non acquiritur, nisi vt exerceatur: quia tamen primò & per se intenditur acquisitio perfectionis, non eius exercitium, maxime circa alios; idcirco status perfectionis acquirendæ, non acquisitæ aut exercendæ dicitur.

Frustra igitur obiiciunt aliqui statum perfectionis exercendæ periculosum admodum fore, cum obliget ad opera perfecta, neque perfectionem conferat. Superius enim monui opera ista perfectiua fieri posse absque propria perfectione: deinde ex eorum quoque exercitio propriam perfectionem comparari posse. Denique non diffiteor opus esse eximia quadam virtute, vt quis nullo suo damno (aliorum saluti incumbat, quod non oritur ea natura illius, sed ea eius imprudentia, qui eiusmodi statum temerariò absque necessariis dispositionibus suscipit.

Explicata vtriusque huius status perfectionis natura, statim apparet diuisionem in duo illa membra esse adæquatam: quia cum tendant in diuersos fines, diuersis actionibus incumbant, atque diuersas obligationes afferant, inter se opponuntur: quandoquidem inter perfectionem propriam & alienam sibi, aut alteri acquirendam medium cogitari nequit, sicut neque inter Doctorem & Discipulum in genere studentium.

Tertia Divisio

Status perfectionis in actiuum, contemplatiuum & mixtum.

103 Ad huiusce diuisionis intelligentiam præsupponenda est notio vitæ actiuæ & contemplatiuæ, de quibus disputat S.Thomas 2.2.*q.*179. 80. *&* 81. ab his enim viuendi modis denominantur deinde status, vti statim exponam.

Vitam definiuit S.Thomas *q.*179 *q.citat. art.*1. eam operationem, ad quam quodlibet viuens maxime inclinatur: cum enim viuentia ea dicantur, quæ ex se ipsis mouentur & operantur: Motus & operatio quæ maximè ipsis conuenit, eorum vita præcipuo quodam iure dicetur: qua de causa plantarum Vitam in nutritione & generatione, animalium in sensatione, hominis in ratiocinatione & intellectione consistere dicimus: quia ad has operationes à se ipsis, & de se ipsa mouentur. Idcirco in mortalibus ea operatio censenda erit vita hominis, quam præcipuè intendit, & in qua delectatur: quia verò aliqui feruntur in contemplationem veritatis; alij vero in actionibus exteris toti occupantur, fit, vt contemplatio dicatur vita quorundam, aliorum verò exterior actio. Quare vt obseruat S.Thomas *ead.q. art.*2. hæc diuisio vitæ in contemplatiuam & actiuam est diuisio vitæ intellectiuæ duntaxat, siue humanæ, vti humana est & rationalis: quæ diuisio coincidit in vulgarem diuisionem intellectus in actiuum & contemplatiuum, desumptam ex fine proximo intellectiuæ cognitionis, qui est vel ipsamet cognitio veritatis, vel aliqua exterior actio, ad quam ea cognitio refertur. Ex priori illo fine denominatur intellectus contemplatiuus; ex altero practicus siue actiuus, vti aliàs in logicis docebamus. Illud igitur vitæ genus, quod primò & per se in cognitionem veritatis tendit, contemplatiuum dicetur; quod vero non sistet ea cognitione, sed vlterius in actionem externam tendet, actiuum, siue practicum erit. Quia porro non loquimur hoc loco de quocumque vitæ genere, sed studioso dumtaxat ac recto, quodque in vitæ christianæ perfectionem non promoueat: idcirco actionem & contemplationem paulo strictiùs vsurpamus, quàm vsurpet philosophia. Quare non eadem prorsus est diuisio vitæ contemplatiuæ & actiuæ cum diuisione intellectus practici & speculatiui, sed minus communis, atque ad certam quandam materiam siue contemplationem & actionem definita.

104 Contemplatio siquidem non est quæcumque speculatio veritatis cuiuslibet, sed illius duntaxat, quæ ad Deum, Deique cognitionem spectat, ad quam ita mentem subleuat, vt Deo totum vniat animam. Itaque hæc cognitio nequaquam sterilis & infæcunda est, sed ferax, quæ voluntatem ad bonum promoueat, atque omnium virtutum semina iaciat. Actio quoque non est quælibet exterior occupatio, quæ plerumque turpis & vitiosa est, aut ex obiecto suo indifferens, vel sæcularis quædam negotiatio; sed est actio externa virtutis, præcipuè misericordiæ, quæ in subleuãdis aliorum spiritualibus & corporeis miseriis occupatur. Obseruandum denique est sermonem nobis esse de vita supernaturali, quæ in operatione quoque supernaturali consistit, quod satis constat ex hactenus disputatis de natura perfectionis & eius statu. Ex his autem omnibus facilè geminæ huius vitæ, contemplatiuæ scilicet & actiuæ diuisio colligitur. Cum enim duplex sit genus operationum supernaturalium, quorum vnum ad internam Dei & diuinorum considerationem, cognitionemque, alterum ad externam virtutis operationem pertinet: rectè secundum duplicem illam operationem, duplex quoque vita distinguitur, quarum vna contemplatiua, altera actiua ex suo fine proximo dicetur.

105 Vnde vlteriùs sequitur statum perfectionis in statum contemplatiuum, actiuum & mixtum diuidendum esse, quod in hoc §. intendimus. Cum enim status perfectionis sit quædam immobilis & firma ratio viuendi ad perfectionem christianam obtinendam, vel exercendam instituta, possitque perfectio christiana per solam contemplationem, vel per actionem externam acquiri, & per vtramque eandem operationem exerceatur, siue communicetur aliis, iure merito ratione eiusmodi operationum diuidetur, diceturque status contemplatiuus ille, qui per solam contemplationem in perfectionem tendit, actiuus autem, qui per actionem externam misericordiæ imprimis idem præstat; mixtus denique qui per vtramque illam operationem aliis communicat, & sibi ipsi quoque comparat, vti superius explicuimus.

Et quidem diuisio vitæ in contemplatiuam & actiuam solemnis est apud Patres, qui eas per Martham & Mariam, quarum hæc intenta est verbo Dei, illa satagit circa frequens ministerium *Luc.* 10. exprimunt August. *lib.*1. *de consensu Euangel. cap.*5. *lib.*22. *contra Faustum cap.*51. *tract.*127. *in Ioann. & serm.*27. *de verbis Domini* Hieron. *in cap.*3. *Thren.* & *Epist.*22. *ad Eustoch.* Gregor. *lib.*5. *in Reg cap.*1. *& homil.*14. *in Ezechiel. circa medium* & *lib.*6. *moralium cap.*26. *&* 28. Basil. *cap.*2. *const. monast.* *aut* per Rachelem & Liam. August. *lib.*22. *contra Faustum cap.*52. Gregor. *lib.*6. *moralium cap. vlt.* aliisve comparationibus explicant, vti latè refert Aluarez de Paz, *tom.*1.

Ex distinctione autem vitarum facile arguitur distinctio statuum, cum status nihil aliud addat vitæ siue modo & instituto viuendi præter firmitatem & immobilitatem. Itaque vtrumque hoc vitæ genus, quorum vnum philosophatur, id est, contemplationi & perfectioni commendat pluribus Nazianz. *orat.*10. *in laudem Cæsarij.* Confirmatur ex diuisione status Re-

ligiosi

ligiosi (quem statum perfectionis esse sæpius diximus, & iterum ostendemus inferius) in actiuum & contemplatiuum; aliæ enim Religiones ad contemplationem præcipue ordinantur, & in diuinis laudibus occupantur, neque ex instituto quidquam operantur: Aliæ verò circa actiones misericordiæ, & sublenandas proximorum miserias siue spirituales, siue corporeas, siue vtrasque impenduntur: illæ contemplatiuæ, istæ actiuæ nominantur, atque inter se ex diuersis suis finibus proximis necessariò distinguuntur ex S.Thoma 2.2. q.188. art.1. & 6. Quærunt quidem omnes propriam perfectionem & diuinum obsequium; quædam tamen proximè perfectionem contemplationis, quædam perfectionem actionis intendunt, indéque fit vt media quædam præcipua diuersa vsurpent, suis nempè finibus accommodata. Certum verò est diuersos fines diuersis quoque mediis comparari.

106 Non est porrò ita sumenda ista distinctio siue vitarum, siue statuum perfectionis, vt vita contemplatiua ita insistat soli contemplationi, vt omnem excludat actionem; aut vita actiua omni contemplatione careat: tum quia actio supponit necessario contemplationem: tum quia contemplatio, de qua agimus, sterilis non est, vti philosophica, sed affectioa & eminenter practica, cum & affectus voluntatis & exercitium virtutum moralium intendat. Virtutes autem morales includit vita actiua, vti docet S.Thomas 2. 2. q.180.art.2.& q.181.art... & in 3.dist.35.q.1.art.2.& 3. quamquam præcipuè hæc vita occupetur in actionibus ad alterum, tanquam in optimo agibili: deinde quia sine oratione, atque interna consideratione diutius in bonis operibus nemo versari potest, sine magnis periculis, fieri etiam nequit, vt quis perpetuò contemplationi vacet in hac vita mortali, quin aliò distrahatur; imò neque illam ipsam contemplationem assequi, aut eius vsum retinere, sine aliarum virtutum moralium exercitio, maximè propriorum affectuum mortificatione & castigatione corporis, denique inter homines degere non potest sine mutuis aliquibus obsequiis. Actio igitur aliqua ipsi necessaria erit. Idcirco Basil. *interrogat. 37. in Regul.* fusiùs disputans suas horas contemplationi & actioni definiendas esse vult. Ipsa Martha etsi ad pedes Domini non sederet, transibat tamen, & transeundo aliquid audiebat, quod obseruauit Gregor.*lib.5.in Reg cap.4.* Non igitur dicenda est vita contemplatiua quod omnem excludat actionem: neque actiua, quod omne contemplationis studium abiiciat; sed à præcipuo fine istatum vitarum & statuum sumuntur hæc nomina, quod disertè asserit S.Thomas 2.2.q.179.art.1. *Quia ergo quidam homines*, inquit, *præcipuè intendunt contemplationi veritatis; quidam vero principaliter intendunt actionibus exterioribus: inde est, quod vita hominis conuenienter diuiditur per contemplatiuam & actiuam.* Et sanè in omnibus compositis denominatio sumitur à præcipua parte, atque vt loquontur prædominante. Cum igitur vita hominis ad perfectionem Christianam tendentis ex actione & contemplatione coalescat, ab ea operatione, quæ præeminet in eo viuendi instituto, denominanda erit. Illa porrò operatio in aliquo vitæ genere dicitur eminere, quæ se habet instar finis, propter quem cætera omnia intenduntur: quod in omnibus moralibus, quæ a fine sumunt speciem, certissimum est.

107 Ex his verò omnibus oritur difficultas circa tertium illud vitæ genus, quod initio statuebamus, nimirum vitæ mixtæ ex contemplatiua & actiua: Cum eadem vita, idémque status nequeat habere duos fines proximos, quos æquè principaliter intendat, vel igitur vita quæ ex contemplatione & actione constituitur, intendit actionem propter contemplationem, atque ita contemplatiua est: vel intendit contemplationem propter actionem, eritque actiua. Neque dicas intendi posse ab aliqua vita tum contemplationem, tum actionem æque primò, atque vtramque propter ipsam. Nam vti iam monui, id saltem moraliter fieri nequit, neque vllum eiusmodi statum in Ecclesia facilè fuerit assignare, cum illæ Religiones, quæ in spiritualibus ministeriis erga proximos ordinantur, licet contemplationi vacent dicantur tamen à S.Thoma 2.2.q.188.art.6. profiteri vitam actiuam, quia nimirum contemplationem referunt ad actionem, scilicet, vt quæ per contemplationem acceperunt, aliis tradant: quod idem dicendum est de statu perfectionis exercendæ, siue aliis communicandæ. Intendit enim ille status actiones aliorum perfectiuas, & ad illas suam omnem cognitionem & lucem, quam in contemplatione haurit, refert, vti explicuimus §. 6. Reiiciendum igitur est tertium illud membrum vitæ mixtæ, & status perfectionis in contemplatiuum, & actiuum adæquatè diuidendus est.

Non placet tamen à vulgata Theologorum partitione recedere: vt enim vita mixta retineatur; satis erit, si illa tum contemplationem, tum actionem primò & per se intendat, & non tantum vnam propter aliam: quamuis enim vnam ad aliam referat; non tamen illam propter aliam tantum respicit, quod olim 1. 2. de electione puta & non pura disputantes fieri posse ostendimus, diximúsque electionem non putam habere suam propriam honestatem, & distinctam ab ea, quam ex intentione finis deriuat: quia nimirum eligit medium propter sui ipsius honestatem quamuis illam ipsam honestatem vlterius referat. Idipsum videmus in actu elicito ab aliqua virtute, & ab altera imperato: ex eo enim imperio refertur ad honestatem virtutis imperantis; elicitur tamen propter propriam natiuam honestatem. Denique in finibus subordinatis nemo negat actionem fieri propter plures fines proximos & immediatos, quamuis non vltimos, siue vti loquuntur, vltimos. Ita DEVS misit filium suum propter nostram salutem, quamvis illa ipsa nostra salus ad ipsiusmet Christi gloriam destinata sit, ipseque Christus gloriam patris, vti fatetur, spectarit. 108

Vita igitur, quæ solam contemplationem intendit per se, actionem verò non nisi per accidens, aut quatenus contemplatio sine illa comparari, aut consistere nequit, dicitur contemplatiua; quatenus verò actionem ita respicit, vt contemplationi non vacet nisi per accidens; aut quia actioni, quam intendit, necessaria est, actiua dicitur, cuiusmodi est ea vita, quæ misericordiæ corporeæ operibus intendit. Vita denique, quæ, & contemplationem amat, quia amabilis est: & actioni externæ incumbit, quia honesta est, & non tantum quia contemplationi subsidio esse debet, reuera vita mixta est, quamvis deinde ita contemplationem atque actionem inuicem temperet, & componat, vt ex contemplatione iuuet suam actionem, & actione contemplationem distinguat. Itaque licet tum contemplatio, tum actio intendatur per modum finis, neutra tamen intenditur solum per modum finis: contemplatio enim illa ita ordinatur ad actionem, vt tamen per se appellatur tanquam propriæ perfectionis, quam vita illa intendit. præcipua pars: quare non tantum illi vacat, quæ ad subsidium proximorum confert, sed illi quoque, quæ in diuinorum consideratione & fœlici fruitione occupatur. Imò ita illam dulcedinem suauiatur, & sanctum illud otium diligit, vt negotiorum sarcinam, nisi à charitatis necessitate imponatur, prorsus abiiciat, vti fusiùs explicat Augustinus *lib.19. de ciuit.cap.19.* Amplectitur igitur

hæc

hæc vita contemplationem propter se, & non tantum propter actionem, ad quam tamen illam aliquando dirigit. Rursus actionem, quæ proximorum miseriis occurrat, per se colit, tanquam honestissimam operationem, quam nun refert ad contemplationem, sed vt eius fructum quemdam. Cum enim hæc actio erga proximos nullam habeat rationem causalitatis respectu contemplationis, ad illam ordinari non potest sed potiùs ex illa pendere debet: Actio vero circa propriam mortificationem, pœnitentiam, aliaque eiusmodi præparat ad contemplationem, vt obseruauit Gregor. *lib.6. Moral. cap.17.* & S.Thom. 2.2.q 180. *art.2.* atque hac ratione vita actiua refertur ad contemplatiuam: neque hoc modo sumpta facit in communi partitione genus oppositum contemplatiuo. Maneat itaque statum perfectionis diuidi inte posse in contemplatiuum, actiuum & mixtum: quod initio contendebamus.

Consectaria ex doctrina tradita.

Consectarivm I.

An status perfectionis sit ex instituto Ecclesiæ?

109 Respondeo: statum perfectionis ex diuina Christi institutione, quoad ea, quæ ipsi essentialia sunt, originem habuisse; quoad accidentalia verò, qualia sunt habitus, modi viuendi, cæremoniæ & alia eiusmodi, ab Ecclesia institutum fuisse. Nam cum Christus quosdam ad vitam sublimiorem, & à communi Christianorum, ac fidelium viuendi modo seiunctam, & quam omnes non caperent, vocarit: profectò, statum perfectionis instituit. Deinde diximus superius ad statum perfectionis, spectata rei natura, non esse opus alia approbatione, aut institutione Ecclesiæ, quæ negatiua; ergo ab Ecclesiæ institutione non pendet status perfectionis quoad sua essentialia. Nam quoad accidentalia, quæ & in diuersis eiusmodi statibus diuersa sunt, & interdum pro variis statibus mutantur, opus esse aliqua Ecclesiæ approbatione ostendimus eodem loco: Et cum constet illa omnia diuersis ætatibus inducta esse, statim apparet ea à Christi institutione non fluxisse. Verum hæc omnia 2. *part.* huius operis fusiùs confirmabuntur, dum docebimus statum Religiosum quoad substantiam suam immediatè à Christo Domino traditum & institutum fuisse, ac proinde esse de iure diuino, non præcipieote, sed consulente, licet determinationem ad peculiarem Regulam, & circunstantias ab Ecclesia deinde acceperit. Idem omnino, imò & potiori iure dicendum est de statu perfectionis exercendæ, quem à Christo, sicut & præcipuas hierarchiæ Ecclesiasticæ partes ad cœlestis exemplar traditum fuisse suo loco demonstrabimus. Quare Paulus, *qui* 1. *ad Corinth.* 12. dixerat quosdam positos fuisse à Deo in Ecclesia, primum Apostolos, Prophetas, Doctores, ait *ad Ephes.4.* id factum fuisse ad consummationem sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, hoc est ad actiones hierarchicas & aliorum perfectiuas. Atque in hac varietate graduum & statuum cœlestis, terrestrisque hierarchiæ similitudinem collocant Dionys. *cap. 1. de Ecclesi. hierarch.* Gregor. *lib.4. Epist.* 52. *aliàs* 96. aliјque. Quæ omnia confirmabuntur ex continua horum statuum perfectionis tum acquirendæ, tum exercendæ ab ipsis nascentis Ecclesiæ Christianæ cunabulis duratione: hinc vides quo sensu Religiosos ordines factitios vocarint Anselm. *lib. de similitud cap.90. & 91.* & Gerson *tract. de perfect. Relig. consiaerat.* 2.3.4. & 5. Nempè quoad peculiaria quædam instituta, quæ & in singulis religiosis ordinibus diuersa sunt, & à Christo fidelibus præcepta non sunt. Quare ineptè omnino ex hoc loquendi modo religiosos ordines imperiti quidam sigillant: nam eadem ratione reliqui status Ecclesiæ Christianæ (quantumuis illos à Christo institutos esse contendant) factitios appellare licebit, cum plurima in iis sint, quæ non aliunde, quàm ab Ecclesiæ institutione variis ætatibus, prout momenta rerum postulare visa sunt, profecta fuisse nemo prudens ibit inficias.

Consectarivm II.

An Episcopi sint in statu perfectionis.

Non est animus tam alieno loco de Episcoporum dignitate disputare, quod sequenti parte huius operis commodè præstabimus: placet duntaxat ex doctrina proximè tradita quid circa statum perfectionis de Episcopatu censendum sit in vniuersum colligere. 110

Dico igitur Episcopatum esse statum perfectionis exercendæ & communicandæ: inducit enim immobilem obligationem hierarchici officij exercendi, boc est, vti § 6. explicuimus, *& quæst.* etiam *superiori*, præstandi actiones hierarchicas & aliorum perfectiuas, purgando videlicet, illuminando & perficiendo. Quid igitur deesse potest ad statum perfectionis: & quidem obligationem ad actiones hierarchicas oriri proximè ex munere Episcopatus, nemo dubitat, quandoquidem finis illius institutionis est, vt Episcopi sint sal terræ & lux Mundi, *Matth.*5. Itaque sola difficultas esse potest de immobilitate eius obligationis, quam ad rationem status duplicem requirebamus: prima erat immobilis obligatio exercendi opera propria alicuius status, secunda perseuerandi in eodem statu: prior illa immobilitas nascitur ex hac posteriori, vti ostendimus eodem loco. At verò immobilis obligatio in Episcopatu semel suscepto perseuerandi satis manifesta est ex eo quod non liceat illũ abijcere inconsulto Pontifice. Non disputo, vnde oriatur hæc immutabilitas, an ex iure naturali diuino, supposita huius muneris institutione; an ex iure contractus & pacti inter Episcopum & Ecclesiam, ad quam regendam consecratur; an ex iure duntaxat Ecclesiastico: satis enim modò nobis est, quod habeamus immobilitatem sufficientem ad constituendum statum, vnde tandem eiusmodi immobilitas oriatur.

Quod verò dixi hunc statum esse perfectionis communicandæ, non negaui tamen esse perfectionis acquirendæ, vti exposui §. 6. cum enim commoda illa spiritualia proximorum, ad quæ procuranda institutus est Episcopatus, nequeant procurari nisi per actiones perfectas & perfectiuas, in bonum quoque ipsius procurantis redundant: inde fit, vt eximiam quamdam sanctitatem in Episcopis desiderent Patres, ipseque Paulus sæpiùs, vt fusiùs alibi dicetur. Itaque sapienter S.Thom. nominat hunc statum perfectorum & perficientium.

Consectarivm III.

An prælati inferiores Episcopis sint in statu perfectionis?

Agimus de his Prælatis præcisè ratione prælationis & dignitatis, quam habent, & ratione cuius nouam aliquam obligationem suscipiunt; non vero ratione ordinationis, siuè consecrationis, nam quoad istam confide 111

considerationem nihil habent peculiare à sacerdotibus & aliis clericis, de quibus consectario sequenti disquiram. Hi porrò Prælati, non Episcopi in triplici differentia constituuntur à Suar. *tract.7. de Relig. lib. 1. cap. 17. n. 22.* Aliqui enim inferiores quidem sunt Episcopis potestate ordinis, cum careant consecratione; æquales tamen sunt iurisdictione, quam omnino Episcopalem habent, immediatamque subiectionem à sede Apostolica & independentiam ab Episcopo: alij verò participant quidem Episcopalem iurisdictionem ordinariam; non tamen totam, neque independēter ab Episcopis, aut cum immediato recursu ad summum Pontificem, tales sunt Archidiaconi. Tertio denique sunt Parrochi, qui carent quidem omni iurisdictione in foro externo, ideoque Prælati non dicuntur in iure, sunt tamen veri & proprij pastores suarum Ecclesiarum, atque immediatam curam animarum habent. De his omnibus Prælatis; sed præcipue de parrochis est difficultas: quia ad opera perfectiua vi sui muneris obligantur, & sufficientem immobilitatem ad rationem status habere videntur. Agimus præterea de statu perfectionis exercendæ & non acquirendæ: quia hi omnes Prælati inferiores vi sui muneris non profitentur peculiarem vllam consiliorum obseruantiam, aut obligationem ad alia media, quæ per se primò conducunt ad propriam perfectionem, quia primò & per se ad aliorum salutem & profectum ordinantur, quod etiam in ipsis Episcopis fateri necesse est.

Assero igitur hos omnes prælatos atque ipsos adeo parrochos esse in statu perfectionis exercendæ; sed inferiori, qua vltima particula licebit dissidia fortassis Doctorū conciliare: qui enim in statu perfectionis ipsos esse contendunt cum Henric. *quodlibet 11. q. 18. & 29.* Maior *in 4. Dist. 38. q 7.* & Gerson *tr. de statu perf. Alphab. 67. litt. V.* Non negant Episcopos esse in statu quodam longè sublimiori: quare aliqui vocant hunc statum perfectionis secundùm quid, aut infimum statum, vt Suar. qui *cap. cit. n. vlt.* huic sententiæ tandem adhæsit: qui verò negant hanc dignitatem his Prælatis & Parrochis cum S. Thom. *2. 2. q. 189. art. 6.* Caietan. *ibid. & alius* excludunt duntaxat illos ab statu perfectionis Episcoporum, tum quia ad tam eximia perfectionis opera non obligantur ex suo munere, tum quia ad illa ipsa opera non obligātur prorsus immobiliter: quod tamen ad propriam rationem status omnino necessarium est. Verùm si abstineamus à quæstione de vocibus, quam etiam cauendam esse monuit Caiet. *initio art. 6. citati*, & rem ipsam spectemus penitius, Parrochos, aliosque Prælatos, perpetuos & non temporarios tantùm, siue regulares, siue sæculares ex vi suæ prælationis participare statum aliquem perfectionis, quamuis Episcoporum statu inferiorem, illi tamen suo modo proportionatum, concedendum omnino est. Quod facile fuerit ostendere: ad hoc enim duo duntaxat requiruntur: primum est, vt ratione sui muneris & officij obligentur ad opera aliqua perfectionis exercendæ: alterum est, vt hæc obligatio sit immobilis eo quod obligentur in suo illo munere permanere.

Quod ad primum spectat, nimirum hos omnes Prælatos ex vi sui muneris opera perfectionis exercenda suscipere nemo negare poterit, faterurque S. Thom. *art. 6. q. 184. cit.* hos Prælatos habere officium ad perfectionem pertinens licet non habeant statum perfectionis. Et sanè Trident. *sess. 23. cap. 1. de reformat.* Parrochos sub propriis pastoribus comprehendit, illisque diuino præcepto mandatum esse vult oues suas cognoscere, pro his sacrificia offerre, & eas sacramentis, verbo Dei, & exemplo pascere, imò & animas pro ouibus ponere debere omnes æquè consentiunt. Hæc autem opera perfectiua esse quis dubitet? Ideoque Isidor. *lib. 2. de diuin. offic. cap. 7.* consortes Episcoporum in doctrina populorum & officio prædicationis facit. Et quamuis tum Isidor. eo loco, tum Hieron. *Epist. ad Rusticum.* Narbon. quem descripsit Isidor. vt Episcoporum fastum comprimerent, videantur plus æquo præsbyterorum dignitatem extulisse & penè Episcopis pares fecisse: inde tamen satis perspicuè colligitur, quam eximia sint ista munera, quæ aliqua ex parte pontificiis æquiparentur. Quare ex eo capite non possunt parrochi excludi ab statu perfectionis. Neque satisfacit S. Thomas *art. 6. cit. ad 3.* cum ad modum exercendi illa opera perfectionis recurrit, quasi ille sit admodum imperfectus, vt pote qui fiat per modum cuiusdam instrumenti, & per administrationem ab Episcopis commissam, cùm cura principalis pertineat ad Episcopos, ad Plebanos autem & Archidiaconos ex quadam participatione: ideoque Caietan. ait esse officiales principalium agentium. Verùm quamuis vltrò fateamur Episcopos altiori quodam modo curam pastoralem habere: cùm enim sint veluti principes Ecclesiarum, vniuersaliorem & magis independentem curam habent, quàm presbyteri iure ordinario siue diuino, siue Ecclesiastico in diuino fundato, & semper discrimen inter ipsos quoad dignitatem atque potestatem tum ordinis, tum iurisdictionis in Ecclesia fuisse sapienter contra nouatores nostros ostendunt Turrian. *lib. 6. constitut. Apostolic. cap. 36.* Baron. *an Christi 58.* Bellarm. & alij passim, falsum tamen est parrochos, aliosve inferiores Prælatos esse duntaxat instrumenta & officiales aut Vicarios Episcoporum; sunt enim causæ proximæ & propriæ, quæ principali virtute non aliundè emendicata, sed suo muneri inserta & veluti natiua operantur, quamuis in inferiori quodam ordine, vti in omnibus causis physicis subalternis & particularibus cum superioribus atque vniuersalioribus comparatis contingit. Et sanè in Prælatis iurisdictionem Episcopalem habentibus id manifestum fit: cùm enim in omnibus actibus hierarchicis, qui à consecratione Episcopali non pendent, non subsint Episcopis, sed illis æquentur; ab iis suam virtutem haurire non possunt & in omnibus eiusmodi operationibus æque sunt causæ principales, atque ipsi Episcopi. Alij verò qui habent aliquam iurisdictionem ordinariam Episcopalis partem, quamuis subsint Episcopis, & nequeant immediatè recurrere ad Pontificem Romanum, cùm tamen vi sui muneris eiusmodi iurisdictionem habeant, quam possint delegare atque inuito Episcopo retinere, sunt quoque causæ principales & non ministeriales tantum, ac Vicariæ ex principalium duntaxat & nutu & commissione operantes: id enim in his moralibus cum potestate ordinaria agendi pugnat, neque subiectio & dependentia quælibet a causa superiori tollit rationem causæ principalis, vti in causis naturalibus ostendimus, & in hac ipsa materia liquet ex Episcopis, qui tum Metropolitanis, tum summo Pontifici subordinantur. Parrochos denique esse proprios pastores & non solum officiales Episcoporum, propriamque exequi obligationem & non implere tantum alienam, satis ex Concil. Trident. *sess. 23. cap. 1. de reformat.* & aliis iuribus colligitur, siue huius muneris institutio sit à iure diuino, quod docuit Gerson, neque improbabile existimat Suar. *cap. 17. cit. n. 25.* siue sit ex iure solū Ecclesiastico: id enim modo non disputo. Si igitur attendimus opera, ad quæ obligantur ex suo munere parrochi, aliiq; prælati, & modum, quo illa tanquam causæ proximæ atque principales in suo ordine exercent, in statu perfectionis constitui debent,

debent, neque aliud illis, quam immobilitas deesse videtur: quare & istā his Prælatis vindicare nos oportet.
113 Quod profecto non fuerit operosum, si obserues immobilitatem moralem ad statum sufficientem, non esse omnimodam; sufficit enim si mutatio fieri nequeat, nisi ex alterius arbitrio, & dispensatione, aut sine grauissimis causis; alioquin neque Episcopi haberent eam immobilitatem; possunt enim ex Pontificis venia abdicare se Episcopatu: imò ipse Pontifex, qui cum superiore careat, nullius alterius licentiam postulare cogitur, & Pontificatum nihilominus abijcere potest, non esset in statu perfectionis defectu immobilitatis ad illum necessariæ. Sufficit igitur ad statum immobilitatem obligatio moralis firma, & quantum ex se est perpetua permanendi in eo vitæ genere & instituto quod non nisi de alterius licentia, aut grauissimis ex causis fas sit abijcere. Prætérea obseruat S. Thom. *art. 6. cit.* eam duntaxat mutabilitatem pugnare cum statu perfectionis, quæ continet retrocessionem quamdam ad statum imperfectiorem: quod probat ex illis Christi verbis *Luc. 10.* nemo mittens manum suam ad aratrum & respiciens retrò aptus est regno Dei. Vnde fit, vt licèt quis ab statu imperfectiori ad perfectiorem transire valeat; sit tamen in statu perfectionis, sed non tam perfecto: Religiosi v. g. ex minus arcta Religione ad arctiorem transire possunt *cap. sanè, & cap. licet de Regular.* sunt tamen reuera in statu perfectionis, vti obseruauit Henric. *quodlib. cit.* Et sanè ea immobilitas, quæ excluderet ascensum ad vlteriorem gradum perfectionis, imperfecta esset, neque eum necessariò supponit gradum, qui deseritur, esse imperfectum, sed tantum esse minus perfectum. Inter status enim perfectionis sicut intra ipsam perfectionem reperiri latitudinem quamdam, siue magis & minus nemo dubitat. His obseruatis apparet statim immobilitas parrochorum ex eo quod suas Ecclesias nequeant absque licentia sui Episcopi relinquere, atque ita teneantur in suo munere ex lege saltem Ecclesiastica permanere ex Alexand. III. *cap. admonet de renunciatione*, vbi Glossa *v. inconsultò*, alia inra in hanc rem allegat; ita vt si qui Ecclesias dimiserūt, ab Episcopo reuocari possint, & nisi admoniti redeant, excommunicari. quod ipsemet Alexand. significat, dum in eiusmodi, Canonicam vltionem exercere vult Episcopum: Canonica enim vltio excommunicatio est, vti rectè interpretatur Glossa. Synodus Antiochena *cap. 3.* iubet præsbyterum Diaconum & clericum, qui deserta sua Ecclesia ad aliam transierit, si reuocatus à suo Episcopo non obedierit, deponi absque vlla spe restitutionis. Et Episcopum qui ea de causa depositum clericum susceperit, à synodo communi puniri mandat. *can. 15.* Apostolorum, hinc desertori & contumaci Clerico solam communionem laicam permittit: eamdem separationis & excommunicationis sententiam pronunciant patres Nicæni *can. 16.* Chalcedonens. verò Synod. antiquos Canones in hanc rem à Patribus sancitos innouat. *can. 5. & can. 20.* Tum Episcopos, qui hos clericos alienæ Ecclesiæ suscipiunt, tum ipsos Clericos excommunicatione percellit. Synodus Trullen. *can. 17.* vtrosque deponi mandat. Denique Aquisgran. Concil. imperante Ludouico Pio *cap. 71.* Canonem Chalcedonensem refert & seruari denuò mandat. Cum enim clerici ad ministerium Ecclesiarum particularium ordinarentur, non existimarunt patres ferendum esse, vt pro arbitrio, Ecclesias, quarum ministeriis destinati fuerant, desererent, & ad alias transirent: id enim sine magna rerū, ordinis, & ministeriorum sacrorum perturbatione fieri non poterat: quod multo verius est in parrochis, aliisve Prælatis, quibus præcipua cura Ecclesiarum incumbit. Itaque Pius V. in motu proprio 58. quod incipit: *quanta Ecclesia Dei*: prohibet Episcopus licentiam abdicandi curam animarum parrochis facile permittere, & sine grauissimis causis. Fuit quidem iam olim concessum Clericis omnibus, aliisque parrochiarum & Ecclesiarum administris atque curatoribus dimissis suis parrochiis ad Religiosum ordinem, etiam non obtenta Episcopi licentia, quæ postrema non est Lua Religiosi ordinis, vt dicam inferius, transire: ideo Toletan. *concil. 4. cap. 49.* prohibet Episcopis prohibitum eorum, qui ad contemplationis desiderium transire nituntur, inter dicere. Vrban. II. relatus 19. q. 2. *can. duæ sunt* authoritatem facit eiusmodi parrocho, vt in aliquo sancto monasterio, vel regulari Canonia saluare se velit, etiam Episcopo suo contradicente: quia nimirum eiusmodi clerici meliorem vitam sequi cupiunt, vt loquuntur Patres Toletani, & inquit Vrbanus, spiritu Dei aguntur, lege Dei ducuntur: Et quis est, qui spiritui sancto possit digne resistere? Ex hac porrò licentia mutandi suum statum in meliorem ac perfectiorem non tollitur immutabilitas necessaria ad constituendum statum, vti iam monui. Hinc verò vides quam inania sint, quæ Caietan. *in art. 6. cit.* obijcit contra Henric. vt ostendat parrochos posse dimittere sua muneta spectato diuino & Ecclesiastico iure, & solum exigi licentiam Episcopi ex quadam decentia & gratitudine, quod ipsius officiales sint. An enim illa ingratitudo & dimissio officij, inconsulto illo, à quo ipsum accepisti tam grauis censeri debebit, vt excommunicatione & depositione puniatur: quare concedendum omnino est parrochos, aliosque eiusmodi Prælatos, non Episcopos, perpetuos & non temporarios tantùm, habere sufficientem immutabilitatem ad statum, atque adeo esse in statu perfectionis exercendæ: quamquam non diffitear ex illa facilitate, quam habent hodie parrochi in dimittendis suis Ecclesiis, quibus ea de causa nullus facessit negotium defecisse de ea immutabilitate, quam ad statum requirebamus.

Consectarium IV.

An sacerdotes, aliįvè Clerici sint in statu perfectionis?

Dico primo Clericos omnes non sacerdotes esse quidem in superiori quodam gradu, qui tamen non excedat latitudinem status vitæ communis Christianæ. Ita Suar. *tract. 7. de Relig. lib. 1. cap. 17. n. 1.* supponuntque alij omnes, qui vix ipsis præsbyteris statum perfectionis concedunt, vti constabit statim. Sensus porrò huius assertionis perspicuus est ex iis, quæ diximus initio de statu vitæ communis, & statu perfectionis, qui includit peculiarem quamdam obligationem ad opera perfectionis & Consiliorum, vti explicuimus, cum status vitæ communis ad præceptorum solam obseruationem obliget, quæ præcepta vel omnibus Christianis communia sunt, vel singularibus personis, aut particularibus ministeriis, vitæ conditionibus, atque institutis particularia, vti apparet enumeratione diuersorum statuum vitæ communis, coniugatorum, cœlibum, Principum, subditorum, iudicum, militum, dominorum, seruorum, aliorumvè eiusmodi. Inter hos porrò status vitæ communis alij sunt nobiliores aliis, & nobiliora opera exequuntur: quandiu igitur aliquis ex vitæ suæ conditione & instituto non destinatur ad opera eximiæ perfectionis, quantumcumque in vita communi emineat, cum non obligetur 114

getur ad certum quemdam perfectionis gradum, qui totam vitæ communis præcepta sola continentis latitudinem superet.

Clerici porrò non sacerdotes non obligantur ad vllum opus perfectionis, quamuis intra latitudinem vitæ communis eminere debeant, vt potè destinati sacris ministeriis & diuino cultui. Neque, vt *q. superiori* monebamus ex Dionysio, illi destinantur ad opera hierarchica, sed vt hierarchis ministrent. Quamuis autem ex lege Ecclesiastica votum castitatis anneaum sit leuitis & Diaconis, qui etiam posteriores sacramenta Domini aliquando dispensant, vti, suo loco videbimus: & nequeant hi omnes ad sæculum obiecto sacro ordine redire, atque ea ex causa immobilitatem ad statum sufficientem habeant. Nihilominus cum nulla alia certa sint opera perfectionis, ad quæ consecrentur: inde tantum efficitur illos quidem esse in statu sacro, sed qui non excedat illam latitudinem vitæ communis, intra quam diuersos status esse tum sacros, tum profanos dignitate atque perfectione, siue sanctitate dispares sæpius monuimus. Quamquam si quis contendat pertinaciùs Clericos, cum lege Patrum ad vitam quamdam à laicorum moribus seiunctum obligentur, vt fusiùs docet Isidor. *libro primo de Eccles. offic. cap.* 9. esse in quodam statu perfectionis acquirendæ, siue obligari vi sui status ad eximiam & supra vulgus sanctimoniam comparandam, non repugnabo, eritque ferè cum Suare de solis vocibus contentio.

Dico secundum sacerdotes etiam non Prælatos, quos ideo simplices sacerdotes nominant, esse in statu perfectionis saltem inchoato: qua posttema particula Suar. *cap. cit. numero* 4. dissidentes in speciem Doctores conciliat. Cum enim ratione suæ consecrationis habeant proprium & immutabile vitæ institutum, vi cuius destinantur ad opera, quæ eximiam quamdam vitæ sanctitatem requirunt: quod crebrius Patres alibi commodius adducendi disertè docent, negari non potest aliquam status perfectionis rationem participare: quia tamen nulla certa opera perfectionis excepta castitate sibi ab Ecclesia imperata exercere & profiteri tenentur, sed in vniuersum magnam animi puritatem, excellentemque sanctitatem, vt suum ministerium decenter exequantur comparare ad completam status perfectionis rationem illis aliquid deesse videtur, ideoque Doctores frequentius eos in statu perfectionis collocare nolunt.

Consectarium V.

An Religiosi sint in statu perfectionis?

115 Respondeo & dico Religiosos esse in statu perfectionis acquirendæ, quod ex iis, *quæ* §. 1. *difficult.* 3. *initio &* §. 6. disputata sunt, manifestum fit. Et quamuis non contendam hoc loco nullum alium esse perfectionis acquirendæ statum, quam Religiosum, quod videtur omninò velle Suar. *libro* 2. *tract. de Relig. capite primo.* Assero tamen hunc statum esse statum perfectionis acquirendæ. Neque in re adeo perspicua, & quam nullos in controuersiam vocat, immorandum diutius erit. Imprimis enim Religionem statum esse ex eius immutabilitate, siue ea votis, siue ex sui traditione facta Religioni, siue aliunde oriatur, necessario sequitur, esse verè statum, perfectionis. Constat ex operibus perfectionis & trium maximè Consiliorum Euangelicorum, ad quæ Religiosi obligantur vi sui status & instituti, & quæ ad sublimem illam charitatem, quam in Religiosis esse ostendit Paris. *lib. de virtutibus capite* 11. promouent. Cum verò hæc opera sint primo & per se perfectiua illius, qui ea exercet: ipsique ordines Religiosi ad ipsorum Religiosorum perfectionem & sanctitatem procurandam instituti primò & per se sint, in statu perfectionis acquirendæ collocandi omninò erunt, vt ex iis, quæ vnà cum Gersone §. 6. disseruimus, probatum manet. Vnde colligit idem Gerson quoscunque iuuenes imperfectos & peccatores in Religionem admitti posse: quia Religio non postulat perfectos, sed facit. Non tamen voluit pissimus iste Cancellarius, quod nostra ætate quidam ex ea Academia pseudo-theologi Religiosorum ordinum hostes obijciunt Monasticum statum nullis magis conuenire, quàm lapsis & facinorosis, quibus ideò à patribus sæpissimè pœnæ loco impositus sit: & denique esse pœnitentiæ statum, non puræ, integræque vitæ; sed has Aurelianas nugas non lubet accuratiori oratione reijcere: id enim iam olim præstitere Patres, maxime Chrysost. *in opere aduersus vituperatores vitæ monasticæ* Fulgent. *libro secundo de veri. prædestin. aduersus Pelagianos*, qui Monachos vasa contumeliæ impudenter appellabant. Dionys. qui sanctum Monachorum statum vbique nominat; & denique Pauli, Antonij, Hilariones, Macarij, Basilij, Benedicti, alijque innumeri viri, quorum sanctitatem colit Ecclesia quos antequam vestem Monachalem induissent, facinorosos fuisse, ne ipsequidem Aurelius, quanta quanta est impudentia mentiri auderet, aut infinitos optimæ indolis iuuenes, qui vt portent maturè iugum Domini, generoso animo sæculum calcant & religiosis ordinibus se mancipant, in ergastulum compingi dicet, vt quæ nondum peccatunt, eluant; qui potius vt vitæ hactenus exactæ integritatem seruent, se in innocentiæ portum tutissimum recipiunt. Non negamus quidem locum esse pœnitentiæ in Religione, & *Monachum officium plangentis habere*, vt inquit Hieron *qui se vel mundum lugeat & Domini pauidus præstoletur aduentum*, sed iste planctus & pœnitentia, vitæque asperitas cum integritate vitæ perbellè conuenit, vti in Ioann. Baptista, aliisque innumeris videre licet. Nulli porro vnquam fuisse imperatam hanc pœnitentiam, nimirum vt Monachus fieret, ostendam inferius vltimo consectario. Maneat itaque Religionem esse statum perfectionis acquirendæ.

Dico secundò Religiones mendicantes, aliasvè, 116
quæ per se & instituto & fine suo primario aliorum salutem per actus hierarchicos sacris ordinibus adiunctos procurant, esse in statu perfectionis exercendæ. Nondum definio an hierarchia Ecclesiastica tanquam vera eius membra & partes contineantur: hæc enim controuersia secunda huius operis parte diutius nos detinebit: hoc vnum modò contendo, quod hoc loco explicandum suscepimus: eiusmodi Religiones inter status perfectionis exercendæ siue communicandæ numerandas esse: quod ex iis, quæ §. 6. disseruimus necessario confici demonstro. Status qui ex fine suo primario obligat immobiliter ad actiones aliorum perfectiuas, est status perfectionis communicandæ & exercendæ. Atqui Religiones, quæ primò & per se ad aliorum salutem institutæ sunt ab Ecclesia, obligant ad actiones aliorum perfectiuas quia obligant ad aliorũ salutẽ procurandã cum in eum finem destinatæ sint: ea verò procuratio alienæ salutis non fit nisi per actiones perfectiuas & hierarchicas, doctrinam, catechesim administrationem sacramentorum, aliasve similes: ergo hæ Re-

ligiones sunt pro suo modulo status perfectionis exercendæ. Neque enim status perfectionis propriæ & alienæ acquirendæ & communicandæ ita pugnant inuicem, vt nequeant simul in eodem subiecto reperiri, sicut neque propria perfectio cum cura alienæ: imo illis ipsis actioonibus, quibus aliorum sanctimoniam prouehimus, nos ipsos perficimus quando eo, quo docet, modo illas exercemus, vti diximus §. 6. & 7. Quare tota difficultas in eo consistit, vt ostendamus reipsa tales Religiones in Ecclesia reperiri, quæ ex primario suo fine tum propriam, tum alienam salutem, atque perfectionem iotendant, atque ad vtrumque illum scopum assequendum media sufficientia & idonea suppeditent. Hi verò sunt ordines mendicantes, qui clericatum & Monachatum sacro quodam fœdere coniunxerunt: & cum Clerici respectiuam, & vt ita dicam, effectiuam sanctitatem exercuerint; Monachi verò intimam & absolutam præcipuo studio coluerint; Mendicantes vtrique magna cura & impenso labore incumbunt. Horum igitur finis & sua & aliorum sanctimonia; media virtus & doctrina; exercitatio, impensa sibi, aliisque pietatis officia, labor, psalmodia, studium sacrum; Exomologeses fidelium & conciones: quæ omnia secunda parte operis huius, vbi de multiplici Religionum varietate agemus, disputabuntur, & modo tanquam certa atque indubitata ponuntur à nobis, communique omnium consensu probantur.

Consectarium VI.

An sacra quadam Congregationes, nullis tamen, vel non omnibus votis adstricta, sint in statu perfectionis.

117 Supponendum est sacros quosdam esse in Ecclesia cætus qui non sunt verè & propriè Religiosi, cum vel nullum votum ex tribus illis vulgatis Religioni essentialibus, vel non omnia emittant: cum tamen ex communissima S. Thomæ doctrina 2. 2. *q.* 180. *art.* 1. *&* 2. *& lib.* 3. *cont. gent. cap.* 130. *&* *opuscul.* 19. initio ad verum & perfectum Religionis statum tria illa vota sint omnino & essentialiter necessaria. Quærimus igitur vtrum illi modi viuendi in communitate & congregatione aliqua cum obligatione obediendi Præposito, aut operandi quædam ad perfectionem, quandiu in ea communitate quis permanserit, faciant statum perfectionis. Cum enim non sit status vitæ communis christianæ, quandoquidem ad aliquid maius & excellentius, quam postulet vita communis, obligat: erit status perfectionis: Diuisio enim in statum vitæ communis, & vitæ perfectioris immediata & adæquata est, vti ostendimus §. 4. Tertium igitur aliquod membrum à duobus prioribus distinctum, & inter ipsa medium fingi nequit.

Obseruandum verò est has communitates diuersimode institui posse; vel enim nulla planè imponitur obligatio in ea permanendi, vel aliqua suscipitur: deinde vel nulla prorsus vota emittuntur, vel aliqua, quamvis habeant pia opera, atque perfecta, quibus ex regulæ præscripto incumbant: Sitque in ipsa Præpositus cui cæteri parent. Deinde hæ communitates nonnunquam constant personis aliunde sacris, vt Clericis & sacerdotibus aut etiam prælatis siue Maioribus, siue minoribus, qui & iam sunt adstricti aliquo voto, putà castitatis, aut in statu perfectionis communicandæ. Aliquando vero personæ constantes eiusmodi cætus neque sacræ, neque religiosæ sunt, aut dicuntur, nisi quatenus einsmodi cætus, congregationes, aut communitates componunt, eo quod in iis cætibus opera perfectionis obseruentur. His positis.

Respondeo & dico primò omnem viuendi modum specialiter ordinatum ad charitatis perfectionem acquirendam, modo habeat immutabilitatem siue firmitatem ad statum sufficientem, esse aliquo modo statum perfectionis. Ita Suar. *tract.* 7. *de Relig. lib.* 2. *cap.* 2. *n.* 18. Quod perspicuè demonstrat ratio dubitandi allata. Cum enim excedat communem statum vitæ communis christianæ & non sit contentus sola perfectione essentiali charitatis, sed aliam præterea sibi comparare nitatur per media commoda, quæ idcirco sibi præscribit, negari nequit eum viuendi modum pertinere ad vitam perfectiorem, & esse viam ad perfectionem: quare si illi accedat firmitas & immutabilis obligatio in eiusmodi vitæ instituto perseuerandi, nihil omnino deerit ad statum perfectionis; qui tamen perfectior aut imperfectior erit pro maiori aut minori immobilitate, & pro obligatione ad opera perfectiora, aut imperfectiora, vt patet. 118

Dico secundò omnes cætus, in quibus nulla imponitur obligatio permanendi, sed liberum cuique est illos deserendi absque nota, aut culpa, etiamsi ad opera pietatis & perfectionis obligent, non esse status perfectionis, neque qui eos constant, dici debent in statu perfectionis ex eo præcisè quod in illa communitate sacra viuant. Ita Suar. *tract. cit. lib.* 1. *cap.* 12. *n.* 13. quia carent immutabilitate necessaria ad statum; quare licet superent communes fideles in actuali modo viuendi & opera perfectiora exerceant, atque adeò perfectionem sibi comparent, sintque reipsa perfectiores; non sunt tamen in statu perfectionis: sicut neque coniugati si perfectum quendam viuendi modum sibi præscripsissent, dicerentur in statu perfectionis defectu immutabilitatis necessariæ: illa verò carent, qui voluntariè tantum & sine vlla obligatione in piis eiusmodi cætibus perseuerant.

Dico Tertiò pios cætus, qui vnum aliquod ex præcipuis consiliis Euangelicis, aut omnia quamvis incompletè & imperfectè profitetur cum obligatione immobili votum emissum, esse status perfectionis. Quia cum eiusmodi cætus sint approbati, eorumque viuendi modus ad perfectionem pertineat, & sufficientem obligationem, atque immutabilitatem ex voto quamvis non solemni sortiatur, nihil omnino desiderari poterit ad statum perfectionis. Ita Henric. *quodlibet* 12. *q.* 29. *ad* 5. Imò isti status dicuntur imperfectè & incompletè religiosi: quam distinctionem Religiosi status completi & incompleti præter Henric. loco cit. supponit omnino S. Thom. 2. 2. *q.* 184. *art.* 4. *&* *opuscul.* 19. *cap.* 1. Glossa quoque *in Clem.* 1. *de Religiosis domibus v. Obedientiam.* Et *in Clem. cum ex eo de sentent. excommun. v. Tertio.* distinguit quosdam ordines approbatos ad perfectionem pertinentes, & tamen non religiosos, vti iam monuimus §. 5. de Beguinis disputantes.

Consectarium VII.

Quadam singularia ex superiori Consectario deducta.

Ex hac verissima doctrina infertur primo Congregationes quasdam simplicium Sacerdotum quocunque tandem nomine vocentur, licet sint institutæ ad opera perfectionis tum propriæ, tum alienæ, & sanctissimis legibus temperentur atque aptissimis mediis ad nobilem illum finem assequendum vtantur; cum tamen nullam immobilem obligationem suis sodalibus imponant, non esse status perfectionis, neq; illi Sacerdotes potiori iure dici possunt esse in statu perfectionis, quam cæteri omnes Sacerdotes 119

extra

extra eiusmodi pios cætus degentes; esto viuendi ille modus sanctissimus sit, & tale institutum tanquam Ecclesiæ commodum ab omnibus commendetur, ipsique sodales veri sint eximiæ virtutis atque zeli Apostolici, in statu tamen non sunt. ac proinde neque in statu perfectionis nisi firmiter & immobiliter ad illa pietatis opera, & similem viuendi modum se se obligent.

Secundò sequitur Beguinas quasdam, de quibus egimus §. 3. cit. & Tertiarias nonnullas, de quibus glossa in Clement. nuper citatas, quamuis non sint Religiosæ, esse tamen in statu perfectionis propter immobilitatem & obligationem permanendi in illo suo viuendi modo, qui ad opera quædam perfectionis exercenda obligat.

Tertiò Eremitæ siue anachoretæ, & fœminæ, quæ ex antiquo vsu in priuatis domibus vitam religiosam habebant, erant in statu perfectionis. Quod tum ex dictis patet: non poterant enim absque graui nota & culpa redire ad sæcularia, tum ex ea colligitur, quod eiusmodi status verè Religiosus esset, vt ex communi veterum doctrina confirmabimus 2. part. huius operis: neque enim communitas plurium personarum ad statum Religiosum constituendum essentialiter exigitur quod eo loco demonstrabimus.

Quartò antiqui Religiosi quamvis vt plerique opinantur vota duntaxat simplicia emitterent, quæ à superioribus grauibus de causis solui poterant; erant tamen in statu perfectionis, quia erant veri Religiosi, neque quidquam illis defuisse fingi potest præter immutabilitatem, quæ sufficiens erat, quandoquidem liberum non erat hoc vitæ institutum abijcere, nisi ex arbitrio superioris grauissimis de causis dispensatis.

Quintò inde quoque sequitur scholasticos Societatis Iesu, qui exacto probationis triennio vota simplicia emittunt, cæterosque non professos in eadem societate esse in statu perfectionis: quandoquidem per eiusmodi vota simplicia fiunt verè Religiosi, non tam nouo iure Gregorij XIV. in bulla ascendente Domino, quam antiquo per posteriores Pontifices renouato, vt alibi probabimus.

Consectarivm VIII.

Quis status sit perfectior, an perfectionis acquirendæ, an exercendæ?

110 Aio statum perfectionis exercendæ & communicandæ, multo nobiliorem, perfectioremque esse statu perfectionis acquirendæ, si secundum se & secundum rationem genericam, atque vniuersalissimam considerentur. Hanc assertionem nemo vnus negat, quam ex hactenus disputatis de perfectione, & de vtriusque illius statu natura ostendere facile poteris. Nam status virtutis acquirendæ est quidem veluti fundamentum alterius; ad illum tamen vt ad suum finem progreditur: Et sane priuatæ virtutes ab exemplaribus & politicis ita distant, vt ab illis ad istas commodus ascensus & progressus existimetur. Quis non pluris faciat perficientem, aut perfectiuum statum, quam perficiendum: hic enim accipit id, quo caret; ille autem donat id, quo abundat; itaque vnus inopiam, alter copiam & exuberantiam quandam significat. Denique nobilius longè est perfectionem possidere tanquam magistrum & Doctorem, quam vt discipulum, qui à Magistro illam accipit. Cum igitur status perfectionis exercendæ obliget ad opera, quæ supponunt iam acquisitam perfectionem, & pertinent ad magistrum & ducem perfectionis, reueta ex sua natura & secundum se spectatus nobilior erit: quod ipsum placet paulò fusius ex ipsa natura perfectionis atque adeò a priori demonstrare.

Perfectio illa eximia, ad quam status perfectionis obligari consistit in excelsa & illustri charitate, vti §. 2. diffic. 5. fusissimè fuit explicatum: quo igitur nobilior erit illa charitas, ad quam aliquis status deducet, eo nobilior erit illa status: quæ consecutio manifestissima, est cum aliunde suam nobilitatem & excellentiam deriuare non possit status, quam ab illo vitæ genere & operibus, ad quæ nos obstringit: atqui charitas, ad cuius opera excitat status perfectionis communicandæ & exercendæ, & multo sublimior ea charitate, quam status perfectionis acquirendæ intendit: hæc enim ita hominem Deo vnit, vt in illa tanquam in summo bono & fine quiescat, atque ex ea summi boni & finis coniunctione perficiatur: eoque aliud intendit, quam summum illod bonum amplexari & suauiari. Prior autem illa ita Deo mentem coniungit, vt alios deinde in idem summum bonum adducat, atque ex quadam veluti Dei plenitudine sese in alios effundat, & deriuet, sicut ipsemet Deus ex infinito illo amore, quo se ipsum amat, creaturis se se communicat, easque in se reducit. Quare non contentus animus hac incensus charitate, sua illa quiete, & summi boni tentione, amplexatione, suauiatione & fruitione, ad eundem amorem & fruitionem alios quoque excitat & omni sui conatu perducit. Quæ demum charitas perfectissima est. Hoc porrò in amore seraphico omnium ardentissimo explicare licet ex mente Dionysij *cap. 7. cælest. hierarch.* Cum enim omnis, quod etiam ibidem obseruat Dionysius cælestium mentium & intelligentiarum appellatio *ἐπωνυμία* declaret deiformem aliquam proprietatem singulis eiusmodi mentibus insitam, qua de causa hæc nomina explanatoria deiformium habitudinum *ἐκφαντορικὰ τῶν θεοειδῶν ἕξεων ὀνόματα* vocat: Pachym. verò dicit continere anagogem vniuscuiusque sublimis & superlatæ proprietatis *ὑπερκειμένης ἰδιότητος*. Et illi, quos seraphim, nominant Hebræi quasi *ἐμπρηστὰς ἢ θερμαίνοντας* incensores vel calefacientes, diuinæ mentis ardorem amoremque omnium maximè nobis exprimunt, sicut Cherubim, quam vocem copiam cognitionis, siue sapientiæ diffusionem *πλῆθος γνώσεως ἢ χύσιν σοφίας* Hebraicè periti interpretantur; diuinam sapientiam nobis exhibent. Quia igitur diuinum amorem, eiusque charitatis æterna incendia in ipsomet Deo contemplari non licet, immensos illos ardores in creatis istis flammis Deiformibus spectabimus, & in hierarchia, quam omnium sublimissimam *ὑψηλοτέραν* dixit Dionysius.

Qualis igitur sit amor Seraphicus, à Dionysio accipe: perennem inquit, atque incessantem circa res diuinas motionem, feruoremque, & acumen & efferuescentiam intentæ, ac numquam intermissæ, nunquamve declinantis motionis, subditosque ad superna surrigendi & ad consimilem feruorem reipsa suscitandi inflammandique, necnon coruscanter, penitusque eos perpurgandi facultatem & abscondi nesciam, inextinctamque, semper eodem modo se habentem luciformem & illuminandi proprietatem omnis tenebricosæ obscuritatis expultricem & abolitricem nomen seraphim luculenter *ἐκφαντορικῶς* declarat. 111

Hæc verba occultissima esse & quæ humanum captum superent, dixit Linconiensis & Hugo in suis commentariis, atque eos referens Bonau. *de itineribus æternitatis, itinere 4. dist. 5. art. 3.* Imò illa inter arcana verba, quæ audiuerat Paulus, & quæ hominibus loqui minimè fas sit, numerat Hugo: ipsis tamen nobis amoris Seraphici siue gradus, siue potiùs, vt ait Bonauentura proprietates exprimi, omnes consentiunt & vocant

ſemper mobile, inceſſabile, calidum, acutum, ſuperferuidum. Perpetuam motionem interpretantur actionem, & amationem non interruptam, nec finitam quiete aut pauſatione; eſt enim in illis mentibus intermiſſibilis amatio & indeclinabilis & inflexibilis ab amando ordinatè amatum, & indeclinabiliter ad aliquid aliod inordinatè amandum. Inceſſabilitas, aut infinibilitas tollit terminationem durationis vel terminum augmentationis, ſiue intenſionis & magnitudinis. Motio igitur illa & mobilis ſemper eſt, & nunquam in ſe ſubſiſtit, & intenta, vt in Deum pergat, & intima vt ad exteriora non defluat, inflexibilis, vt ad alia extra ipſum nō diuertat. Mobile ad inquiſitionem excitat, inceſſabile ad perſeuerantiam confirmat, calidum inclinationem ad amandum exponit Linconienſis: Sicut, inquit, prima actio ponderoſi vel leuis, eſt inclinatio ad naturalem locum; ſic actio virtutis, ſeu potentiæ amatiuæ eſt inclinatio ad naturale amabile. Hæc tamen actio non ſimpliciter eſt amatio, ſicut inclinatio ponderoſi & leuis nondum actualis eſt motio ad locum naturalem, cum frequenter ſit inclinatio cum quiete rei inclinantis, altero prohibente actum motionis. Hanc igitur inclinationem virtutis amatiuæ puto ſignificari per calidum: caliditas enim naturaliter eſt inclinatiua ſubiecti in dilatationem & diffuſionem ſui in omnem partem: quam animi diffuſionem efficit gaudium & delectatio: eam verò per ſe parit amor: vnde fit, vt inclinatio ad actum amoris ſit inclinatio ad actum dilatationis & diffuſionis, & nomine calidi ſignificetur. Acutum ex Hugone ſignificat impetum amoris & vehementiam deſiderij ardentis & penetrantis, vt ibi ſit, vbi eſt ipſum amatum, cum ipſo & in ipſo: vt non ſolum ab ipſo calidum ſit, ſed acutum tranſeat in ipſum. Poterat enim calidum eſſe, & quaſi de longè calidum fieri, cui hoc ſatis eſſet amare abſentem & præſentem non videre, vel præſentiſſimum non poſſidere, ſed non erat amor iſte perfectus niſi acutum faceret ſibi foramen, & tranſiret omnia & penetraret, donec ad dilectum perueniret; imò potiùs in dilectum iret. Si enim in dilectum non vadis, adhuc foris amas, neque acutum habes dilectionis, & torpens diuiſus es, manens extra & alius à dilecto, & vnum non efficeris cum ipſo. Linconienſis vero nihil acutiùs, ſubtiliùs, & penetrabiliùs amore dicit: quia natura non quieſcit, donec naturaliter totam amabilis penetrauerit virtutem & profunditatem & totalitatem quantum poteſt. Superferuidum denique exponit Linconienſis ex eo quod illa feruere dicantur, quæ impreſſo calore ſupra ſe ſeorſom feruntur, & proprio pondere in ſe recidunt: quare eiuſmodi leuationes ſupra ſe, & in ſe relapſus viciſſitudinariè feruores dicuntur. Sancti itaque cum ſupra ſe feruntur in Deum, & ex proprio pondere recidunt in ſe actuali eleuatione, dicuntur ſpiritu feruentes. Amor autem Seraphicus ſuperferuidus eſt, quia eſt intenſus ad ſummum non lenteſcit, nec remittitur; ſed immobiliter perſtat in intenſionis ſuæ ſummitate. Hæc, aliaque eruditiſſimi & myſtici interpretes in allata Dionyſij verba de amore Seraphico commentantur: quæ vt vera per ſe ſint; mentem tamen Dionyſij non attingant, quare illam tum ex ipſiſmet verbis, tum ex Pachym. paraphraſi, & Fabri Stapulenſis literali expoſitione apetire placet. Cum enim nomen Seraphim ἐμπρηστὰς ἢ θερμαίνοντας interpretur Dionyſius ex communi omnium ſenſu; ac proinde ab igne eiuſmodi denominationem deducat, eiuſdem ignis comparatione Deiformem harum mentium habitum & eximium amorem nobis explicuit. Quia igitur ignis eſt inprimis perpetuò mobilis τὸ πῦρ ἀεικίνητόν ἐστι. Secundò calidus θερμόν. Tertiò acutus & ſubtilis ὀξύ, vt qui ipſos etiam lapides penetret. Quartò inferiora ſurſum attollit ἀναγωγικόν ἐστι τῶν ὑφειμένων: quod videmus in halitibus & vaporibus, qui calore ſolis attenuantur & ſurſum feruntur. Quintò efficaci ſua operatione & actiuitate ſui ſimilitudinem omnibus ſibi accedentibus imprimit, δραστικόν ἐστι πρὸς τὴν τῶν ἐγγιζόντων ὁμοίωσιν: proxima enim ignita facit, penitus adurit, & purgat πυρώδη ποιεῖ τὰ ἐγγίζοντα ἀπολαυστοῖ καθαίρει. Sextò ignis ſua luce ſe prodit & abſcondi nequit, ἀπερικάλυπτόν ἐστιν. Septimò luciformitatem & vim illuminatiuam inextinctam obtinet, ἄσβεστον ἔχει τὸ φωτοειδὲς, καὶ φωτιστικόν. Octauò denique tenebras omnes procul pellit πόῤῥω τὸ σκότος ἐλαύνει. Quæ omnia excellenti quodāmodo, & vt loquitur Pachym. ſuper mundialiter ὑπερκοσμίως obtinent Seraphim; nempe perennem & inceſſantem ſiue indeficientem circa diuina motionem τὸ ἀεικίνητον περὶ τὰ θεῖα, καὶ ἀκατάληκτον: deinde feruorem, τὸ θερμόν. Tertiò acumen τὸ ὀξύ, ac demum efferueſcentiam quandam nunquam intermiſſæ, ac declinantis, ſempérque intentæ motionis τὸ ὑπέρζεον τῆς προσεχοῦς καὶ ἀνενδότου, καὶ ἀκλινοῦς ἀεικινησίας: ardent, nimirum immenſo quodam incendio exæſtuant inextinguibilibus flammis, & ſicut ignis irrequieto quodam modo agitatur, ac ſurſum emicat; ita ſublimes iſtæ mentes æterno motu & perenni agitatione circa diuina cientur, atque indefatigato ſtudio diuinis obſequiis, & officiis occupantur, totaque intentione ac conatu, qui nunquam fatiſcat, in Deum rapiuntur, ſupraque ſeipſas efferuntur per quandam veluti efferueſcentiam æternæ motionis διὰ τὸ ὑπέρζεον ἀεικινησίας. Vt enim commentabatur Linconienſis, ea feruere dicuntur, quæ impreſſo calore ebulliunt, & ſurſum concitantur magno quodam impetu: ita Seraphim amoris calore perpetuis quibuſdam æſtibus & ebullitionibus, vt ita loquar ſeſe in diuina cient, eo tamen diſcrimine, quod quæ ignis calore feruent & ſurſum feruntur, innata deinde grauitate, & inſiti ponderis mole ſubſidunt: quare motus ille & aſcenſus in ſuperiora perpetuò interrumpitur: quod in omnibus mortalibus quamuis eximia ſanctitate præditis & diuinæ charitatis flammis æſtuantibus animaduertimus. Quamuis etenim quandoque ſeſe ſupra ſe & creata omnia efferantur, mortalis deinde corporis oppreſſi pondere fatiſcunt, ita vt ipſorum feruores leuationes ſupra ſe & in ſe relapſus viciſſitudinariè nominentur à Linconienſi: Ipſe Paulus vbi in Dei paradiſum & tertium cœlum euectus eſt, in terras relabitur, & cum carne & membrorum lege luctatur, ſéque infœlicem exclamat. Cum Seraphim ab omni corporis concretione ſeiuncti ſuo illo feruore exæſtuant, & quodammodo ebulliant ac intenta & nunquam intermiſſa, nunquamve declinante motione ferantur in Deum, neque in ſe recidant, aut vel tantillum ab ſuo motu ferientur & quieſcant. Illis igitur iure merito tribuit Dionyſius ὑπέρζεον τῆς προσεχοῦς καὶ ἀνενδότου καὶ ἀκλινοῦς ἀεικινησίας ſuperferuorem indeclinabilis & indeficientis ſempiternæque motionis, hoc eſt, vt §. 2. explicat idem Dionyſius, habent immutabilitatem in amando Deo τὸ φιλόθεον ἄτρεπτον. Ex eo enim quod Deum totaliter ὁλικῶς ament, ſuum ſemper & per ſe ſe mouentem ordinem retinent, τῆς οἰκείας ἀεικινήτου καὶ ταυτοκινήτου τάξεως ἀντέχονται. Atque idcirco, vt explicat Pachym. veluti immutabilem & conſtantem, & eodem modo ſe habentem τῆς ἑαυτοῦ ἀπαραλλάκτου, καὶ ἀμεταβλήτου καὶ ὡσαύτως ἐχούσης. Quæ motiones ſunt, vt obſeruat quoque Scholiaſtes Maximus indeſinentes intellectionum operationes αἱ ἄπαυστοι περὶ τὰς νοήσεις ἐνέργειαι: Sicut enim mentem ſilere & quieſcere neſciæ ἀργεῖν. Obſeruat porrò Pachym. apud Dionyſium legi ταυτοκινήτου τάξεως ἀντεχομένας perſeuerantes, vel ἀντεχομένας ſuſtinentes: ſuſtinent enim, cum neque ſatietatem κόρον, neque

grauedi

grauedinem οὐδὲ βάρος neque vertiginem οὐδ' ἴλιγγον habeant ex perpetuo circa vnum & idem motu διὰ τὸ ἀεὶ κινεῖσθαι περὶ ταυτὸν vti nobis contingit, iuxta tritum illud omnis variatio dulcis est μεταβολὴ πάντων γλυκύ. Hæ verò mentes suum ordinem constanter ἀμεταβλήτως sustinent, nullam in deterius minutionem agnoscunt; sed inconcussam & immobilem deiformis suæ proprietatis sedem ἀμετακίνητον & ἀμεταστάτην ἵδρυσιν nullo habitu & operatione contraria, aut vilioribus aliis rebus immixtam sortiuntur & retinent: quippè ab attenta rerum diuinarum consideratione, nullo aliarum strepitu adduci possunt, in eaque constanter & nulla intermissione perseuerant.

Verum præter hunc perpetuum & constantem in diuina motum & æstuantem concitationem, quam amoris æternus feruor in Seraphinis concitat, confert quoque illis subtilitatem, seu vim penetratiuam, siue acutum quoddam τὸ ὀξὺ vt loquitur Dionysius: sicut enim ignis omnia peruadit ac penetrat, ita Seraphim subtilissima mentis acie diuinitatis profunditatem peruadunt, ac penetrant: flagrantissimus enim & ferè immensus ille amor quiescere nescit, vti mouebat Linconiensis, donec totam amabilis virtutem, profunditatem & totalitatem penetrauerit: quia verò tota diuinitatis profunditas, virtus & totalitas à creatura penetrari & peruadi nequit, fit vt amor ille Seraphicus irrequieto quodam conatu, & numquam hebescente intellectus, aut voluntatis acie diuinam profunditatẽ peruadere nitatur, gaudeatque sibi semper infinitam virtutem, atque immensa spatia penetranda & peruadenda superesse: neque in ea penitiore, vt ita dicam, penetratione laborat, aut fatigatur, sed in suo motu maximè quiescit, ita vt valeat quoque tritum illud μεταβολὴ πάντων γλυκύ. Est siquidem in perenni illa penetratione variatio quædam cum immutabilitate coniuncta, ac proinde voluptas & suauitas, quæ satietatem omnem, grauedinem & vertiginem excludat, vti obseruabat Pachym.

122 Ignis porrò non modò calidus est, sed cætera quoque calefacit, comburit, ignita reddit, & in sublime attollit suam similitudinem illis efficaci quadam operatione imprimendo, quam vim assimilatiuam ignis æmulantur Seraphici æstus. Idcirco illis concedit Dionysius vim sibi subiecta potenti quadam virtute assimilandi, & sursum efferendi τὸ τῶν ὑποβεβηκότων ἀναγωγικὸν, καὶ δραστήριον ἀφομοιωτικὸν & illa sursum feruefaciendi, sursumque, vt ita dicam, igniendi assimilem, eumdemque feruorem ὡς ἀναζέοντα ἐκεῖνα, καὶ ἀναζωπυροῦντα ἐπὶ τὴν ὁμοίαν θερμότητα: quia nimirum, vt Interpretatur Pachym. inferiores & sibi subiectos ordines ὑποβεβηκυίας τάξεις in superiora adducunt & efferunt ἀνάγουσι, & reipsa πρακτικῶς sursum inflammant: ἀναζωπυροῦσι, dum illos nempè similes sibi faciunt ἀφομοιοῦσι secundum similem feruorem πρὸς τὴν ὁμοίαν ζέσιν & diuinum desiderium καὶ τὸν πόθον, τὸν θεῖον, & vt vno verbo dicam flammas ab ipso diuino igne succensas, acceptasque in sibi subiectas inferioresque mentes spargunt, quibus illas & incendunt, & ad diuinam cognitionem atque amorem vehementius incitant, atque sublimius efferunt. Qua etiam ratione dum inflammant, igniuntque sibi proxima agmina expurgant. Neque enim ignis noster aliter quam suis flammis & combustione expiat expurgatque. Quare vim ignitè seu coruscanter, penitusque conflagranter purgandi his mentibus tribuit Dionysius τὸ πρηστικὸν καὶ ὁλοκαύτως καθαρτικόν: idcirco non modo illos θερμαίνοντας dixit sed ἐμπρήστας, cum, vti aduertit Pachym. etiamsi vtrumque illud nomen ab igne deriuetur longè tamen diuersa sunt ἐμπρήθειν & θερμαίνειν: prius enim illud est totum comburere, incendere & peruadere ac penetrare; istud autem est calidum duntaxat reddere. Illa verò combustione & conflagratione, quæ intima quæque peruadat & penetret, fit purgatio. Itaque Seraphim non leuem tantum aliquem calorem subiectis mentibus inurunt, sed flammas accendunt, quæ eas depascantur, & penitus comburant δι' ὅλου. inquit Pachym. ἐμπρήθειν, quippè est quasi holocaustum facere ὁλοκαυτοῦν.

Ad extremum Ignis non modò calidus & omnia alia calefaciens, incendens, ac igniens est, sed & lucidus & illuminandi vim obtinens: Seraphim quoque non modò formam lucis suæ luciformitatem φωτοειδὲς, qua sibi ipsis lucent & diuina intuentur, à Deo acceperunt, sed illuminandi quoque cætera proprietatem φωταγωγικὴν ἰδιότητα, quæ omnes tenebras & caliginem expellit πάσης ἀλαμποῦς σκοτεινότητος ἀλλότριον εἶναι, καὶ ἀφανιστικὴν neque ea lux, illuminandique facultas sicut neque ardor, & igniendi virtus numquam extinguitur, aut latet; quam tamen in nostrate igne, qui externo pabulo alitur, intermori aliquando necesse sit, nempè, vt aduertit, Pachym. à diuino splendore τῇ θείᾳ λαμπρότητι, qui obscurari & caligine offundi nequit, illam hauriunt Seraphim, & diuinum desiderium est illis vice materiæ & pabuli ὡς ὕλης ὁ θεῖος πόθος, quod desideriũ ipso æstu, & flãmis crescit, easdemque alit, atque ita perpetuo quodam & reciproco motu diuinus hic ignis desiderium excitat, & desiderium nutrit hunc ignem; itaque æterni sunt eius ardores, æstus, flammæ, incẽdia, vis ignitiua, calefactiua expurgatoria lux, & illuminandi facultas. Ex quibus omnibus tandem conficies Seraphicam, hoc est, nobilissimam omnium charitatem eam esse, quæ ita mentem, quam incendit, in Deum excitat, illiq; coniungit, vt in aliis quoque easdem flammas accendat, illos iisdẽ radiis illustret, ac in Deum promoueat, sitque simul & contemplatiua & reductiua siue actiua, vti in verba Dionysij, quæ hactenus explicuimus, commentatur Hugo. Motio, inquit, dilectionis, quæ ad superiora intenta, intima & inflexibilis dicitur; prout autem fit ad subiecta, id est inferiora reductiuæ, & actiuæ exemplatiuum nominatur. Motus enim ille, qui in superiori est contemplatio, in inferiori est operatio. & ad superiora reductio, vt in eis requiescat; ad inferiora tendit, vt ad ea reducat: sursum charitas mouetur, vt illic maneat; deorsum, vt redeat. Præterea motio charitatis in superioribus quidem ad inferiores reductiua & actiua dicitur: reductiua eo quod illos ad Creatorem suum eodem igne charitatis succendens conuertit: actiua verò in eo quod illos accepta charitate illustrans ad ipsius voluntatem componit. Et paucis Interiectis propter quod itaque dilectio illorum, (Seraphim scilicet) exemplum facta est inferiorum ad superiora tendendi, & secundum superiora incendendi tanquam recalificans ista scilicet inferiora & resuscitans in consimilem caliditatem, vt semper ardeant, sed non æqualiter. Bonau. 1. *parte de Eccles. hierarch. c.* 1. ait Seraphinos, quia sunt præ cæteris diuini amoris incendio inflammari, aliorum esse inflammatiuos: quia in se mobiles, aliorũ esse motiuos: acutos esse & penetratiuos, penetrant enim contemplando ad interiora velaminis, id est, ad secretissima diuinitatis inferiorum & suppositorum: reductiuos, actiuos, & exemplatiuos quia non solũ inferiores accendũt, sed ordinatè diligendi formã tribuunt: purgatiuos denique & illuminatiuos: quæ omnia fusissimè ex variis scripturæ locis explicat. 123

Quæ porrò de charitate eosdẽ æstus in inferioribus, 124 subiectisque ordinibus excitante dixit Dionys. eadẽ de sapiẽtia Cherubinorũ affirmat: non modo enim ipsis, vt interpretatur Pachym. cognitionẽ contemplatiuam γνῶσιν θεωρητικὴν, quæ superiora scrutatur, tribuit sed

R. P. Ioseph. Gibalinus de Scient. Can.

etiam communicatiuam *κοινωνικὴν*, qua notitiam, qua pleni sunt, in alios transfundunt. Habent igitur *τὸ γνωστικὸν, καὶ θεοπτικὸν, καὶ τῆς ὑπερτάτης φωτοδοσίας δεκτικὸν καὶ θεωρητικὸν ἐν πρωτουργῷ δυνάμει τῆς θεαρχικῆς εὐπρεπείας*, vim cognoscendi, Deumque contuendi ex exuberantis capacitate luminis, contemplandique in ipsa primigenia & primæua virtute diuinam venustatem, & præterea artificium sapientificæ transfusionis, per quam inferioribus acceptam à Deo sapientiam sine inuidia communicant *τῆς σοφοποιοῦ μεταδόσεως ἀναπεπλησμένον, καὶ κοινωνικὸν ἀφθόνως πρὸς τὰ δεύτερα, τῇ χύσει τῆς δωρηθείσης σοφίας*. Cùm igitur primæ illæ essentiæ, quæ post substantificum Dei principatum collocantur *μετὰ τὴν οὐσιοποιὸν θεαρχίαν ἱδρυμένας*, & in ipsius diuinitatis veluti vestibulis *οἷον ἐν προθύροις* omnem creatam virtutem tam visibilem, quam inuisibilem transcendunt, ab ipsomet primo initiandi principio erudiuntur, atque eminẽti quodam modo consecrantur *ὑπερβαίνουσας πρὸς αὐτῆς τελεταρχίας ὑψηλῶς* & *ἀρχικωτέρως ἱερουμένας*. Cum inquam excelsæ istæ mentes ex eo suam nobilitatem accipiant, quod non modò charitate & cognitione Deo omnium proximæ sint; sed cum ipsum amorem & lucem à Deo immediatè acceptam deriuent in alios, quos ad diuinam cognitionem & amorem promouent: cumque omnis scopus hierarchiæ ex diuina imitatione Deiformitatis *θεομιμήτου θεοειδείας* constanter & indeclinabiliter *ἀρρεπῶς καὶ ἀκλινῶς* dependeat, certumque sit totam actionem, functionemque hierarchicam *ἱεραρχικὴν πραγματείαν* esse sacram acceptionem, & simul transfusionem *μετοχὴν ἱερὰν καὶ μετάδοσιν* mundationis purissimæ & diuini luminis, atque perfectiuæ scientiæ *καθάρσεως ἀμιγοῦς καὶ θείου φωτὸς, καὶ τελεσιουργοῦ ἐπιστήμης*, quod vbique monet Dionysius. Certum quoque esse debet statum illum qui ad ingenerandum aliis diuinam cognitionem & amorem, eosque ad salutem & perfectionem promouendos obligat, omnium perfectissimum esse, & charitatem in illo demum illustrem atque perfectam esse: quod initio ostendendum susceperamus, ideoque homines cæli facere illos, qui aliorum saluti vacant, atque ab hominibus terrenis distinguere videtur Philo *lib. de Gigant.* atque in Abrahamo, dum factus est pater excelsus, aut, vt ipse interpretatur, pater electus soni ostendit.

Consectarium IX.

Comparatur status Episcopalis cum Religioso.

125 Ex doctrina superioris Consectarij facilè explicabis comparationes, quæ inter diuersos perfectionis status institui solent; atque vt ab statu Episcopali cum Religioso collato faciam initium.

Dicò primò statum Episcopalem perfectiorem esse statu Religioso: Ita omnes, neque in assertione adeo perspicua, & quam omnia quæ de Pontificum dignitate, ac maiestate alibi commodiùs afferemus, satis illustrant, immorandum diutius erit, eamque hactenus disputata validè confirmant: nobilissima enim generis superioris species omnes species generis inferioris superat: At verò Episcopatus est nobilissima species totius status perfectionis communicandæ cum omnium præcipuas actiones Hierarchicas ipse solus efficiat: ergo nobilior erit quacumque specie status perfectionis acquirendæ, qui vti ostendimus superiori Consectario, inferior est statu perfectionis exercendæ. In hoc autem statu inferiori continetur status Religiosus ex Consectario 5. Et quamvis nonnulli Religiosi ordines statum perfectionis communicandæ participent, quod ibidem significauimus; illum tamen non obtinent ea ratione, qua Episcopi, sed inferiori longe modo; imò & totum illum hierarchicum vigorem ab Episcopali deriuant, à quo etiam vim sese perficiendi capiunt. Nam status Religiosus est status perficiendus; Episcopalis autem perfectiuus ex Dionysio: à perfectiuo verò statu perfici debet perficiendus, vt patet. Denique non habent Religiosi eiusmodi hierarchicorum munerum exercitium, nisi ex quadam delegatione & commissione Pontificum, qui ordinarij pastores sunt. Cum igitur actiones huius status sint perfectissimæ cuiusdam charitatis, omniumque nobilissimæ, & quæ ex immenso in Deum amore, atque illustri contemplatione proficiscuntur, status, qui ad illas obligabit, nobilissimus quoque erit.

Dicò secundò statum Episcopalem vix sine periculo expeti, & prehensari posse, & ideirco non esse voti materiam; cum tamen Religiosus status & voueri & postulari possit. Obseruandum porrò est bona inter se comparari posse vel absolutè considerata, vel spectatis variis ipsorum adiunctis & Circumstantiis, & quæ aliquando secundum se & absolutè spectata meliora sunt aliis, nonnunquam ratione diuersarum circumstantiarum, à quibus vix in ipso vsu & praxi reipsa præscindi possunt, minus bona censentur, minusque expetenda, eo quod vix cum aliis quibusdam bonis consistere valeant, & tam multis periculis obnoxia existant, vt vix inter meliora bona numerentur, atque adeò cum aliis bonis minoribus collata illis in prudenti hominum æstimatione posthabeantur, cum de iis comparandis & ambiendis disputatur, eo quod consultius multò sit nobiliora illa bona fugere, quàm ea cum tot periculis prosequi. Neque inde ipsorum dignitas minuitur, aut æstimatio, quinimò crescit potius, quandoquidem tam illustria existimantur talia bona & in tam excelso loco collocata, vt temeritatis cuiusdam inconsultæ sit, ea ambire, iisve obtinendis idoneum se se arbitrari. Quod vbi agitur de variis statibus & dignitatibus, quæ rami sunt ab hominibus, certissimum est: quo enim illæ illustriores sunt & in reipublicæ veluti fastigio positæ, eo minus à modesto animo & tenuitatis suæ conscio prehensari debent, non quod ipsæ illustres & excelsæ per se non sint, atque adeo expetendæ; sed quia tam multa animi corporisque ornamenta requirunt ad eas sustinendas, vt qui illis ferendis idoneum se sentiet, imprudentis ambitionis nomen non effugiat, & periculum suæ famæ faciat. Quare cum status Episcopalis summam quandam perfectionem exigat, & insignia virtutum adiumenta, vt latè prosequitur Greg. *in pastoral.* Chrys. *in lib. de Sacerd.* Bernard. *in lib. de consid. ad Eugen.* Blesens. *in Canone Episcopali, & Epist.* 15. & alij non pauci, monétque grauissimis verbis Trid. *sess. 6. cap. 4. de reform.* vbi onus Angelicis humeris formidandum ex mente veterum patrum dixit: cum præterea magnam dignitatem, eximiumque honorem afferat, atque prælationem & iurisdictionem, ingentemque quoque diuitiarum vim, immensas rerum tum spiritualium, tum etiam temporalium curas & negotiorum molem. Vix propter hæc, aliaque similia sibi coniuncta appeti potest absque periculo ambitionis, præsumptionis, temeritatis, auaritiæ & cupiditatis; adeo vt per se loquendo non sit materia voti absoluti, & vt loquitur Maior, *categorici*, neque illius desiderium, aut prehensatio laudabilis, aut consulenda. Itaque Episcopatus quidem secundum suam naturam spectatus, ingens quoddam bonum & opus perfectum est; illud tamen procurare non est ex melioribus bonis propter illa adiuncta pericula, à quibus si præscinderetur, neque cũ temporalibus cõmodis quæ perfectioni ponunt obicem, cõiungeretur; sed potius incommodis contrariis vrgeretur, vt in primitiua 126

Ecclesia

Ecclesia Apostolatus, votum illius acceptandi probandum foret: quia hinc nulla esset ambitionis nota; quandoquidem iudicium de dignitate personæ relinquitur superiori, alia verò pericula cupiditatis & auaritiæ, eo casu longius absunt, imò adeo aliquando non modo acceptationem Episcopatus, sed ipsius quoque procurationem posse esse consilij, atque adeo voti materiam, quamuis rarius omninò cum ferè tale votum & desiderium supponat iudicium de capacitate gerendi tantum onus: quod iudicium periculosum omninò est, & vix præsumptionis expers existere potest: quando tamen tanta erit Ecclesiæ necessitas, tantaque difficultas vt vix vnus inueniatur, qui munus eiusmodi etiam vltrò delatum acceptare velit, illud procurare & acceptare laudandum esset, & materia voti. Quo sensu aliqui interpretantur illud Pauli, *qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*: quia tamen infrequens est admodum ille casus, fit, vt vix vnquam procurare Episcopatum sit ex melioribus bonis, vixque existat materia voti; cum e contrario votum non acceptandi Episcopatum per sese loquendo validum sit ex S.Thom. 2.2.*q.*185.*art.*2.*ad* 3. quia vouet tantum se non procuraturum, aut quæsiturum Episcopatum neque etiam acceptaturum, nisi vrgente aut præcepto, aut ea quam diximus nuper, necessitate. Itaque non fugit Episcopatum tanquam statum minus perfectum, sed vt minus securum; aut potius fugit modum minus perfectum acquirendi statum perfectissimum.

127 Quia vero status Religionis est status acquirendæ perfectionis quæ idcircò non prærequiritur tanquam necessaria quædam dispositio ad illum statum suscipiendum; ideóque in illum admittuntur peccatores aliique imperfecti, vt perficiantur, & in ea per vota trium consiliorum Euangelicorum tolluntur præcipua perfectionis impedimenta: includitque idcircò Religio, paupertatem, subiectionem & rerum temporalium abdicationem. Habet denique omnia incitamenta ad perfectionem acquirendam, fit vt & vtilior sit & sit simpliciter loquendo melius quoddam bonum, atque adeò consuli, desiderari, & voueri possit: imò votum non ingrediendi Religionem inualidum censeatur, nisi in aliquo casu ex circunstantia personæ: quia reuera opponitur meliori bono. Ex quibus omnibus vides maiorem vtilitatem & securitatem, qua pollet status Religiosus, non constituere eum in excelsiori statu perfectionis quàm sit Episcopalis status, qui præstat quidem omnibus aliis perfectione, minus tamen securus est, atque adeò omnium minimè ambiendus. Vide S.Thom. *opusc.* 19. *cap.* 19.

128 Supererat quidem grauis difficultas petita ex voto ingrediendi Religionem, quod non impleri per Episcopatum manifestè dixit Innocentius III. *cap. per tuas, de voto*: cum tamen votum impleri dicatur per commutationem rei melioris: inde enim colligi necessariò videtur statum Episcopalem non esse simpliciter meliorem, perfectioremque Religioso, neque vt talem censeri ab Ecclesia. Verum quia plurima de natura voti ad huius nodi solutionem explicanda forent, in commodiorem locum tota disputatio reiicienda erit: satis fuerit in præsentiarum quod respondet Valent. *tom.* 3. *disp.* 10. *quæst.* 2. *punct.* 4. vt votum de minori bono cedat maiori non satis esse quod aliquod bonum sit maius simpliciter, & secundum se, sed necesse est, vt certò constet esse bonum maius & melius ei homini, qui vouerat minus bonum: de nemine autem possumus certò iudicare futurum illi maius bonum & melius Episcopatum, quàm statum Religionis propter varias circunstantias & pericula Episcopatus.

Consectarium X.

An status Prælatorum inferiorum sit perfectior statu Religionis.

In hac etiam comparatione distinctione vtendum 129
est. Et vterque eiusmodi status cum alio componendus est, vel secundum se & suam rationem genericam, vel secundum nos, atque etiam rationem specificam. Et quidem

Status parochorum, aliorúmque inferiorum Prælatorum, quibus animarum cura incumbit perfectior est secundum rationem genericam, quam sit status Religionis: quia vti superius ostendimus, status Parochorum est status perfectionis communicandæ: eiusmodi autem status ex natura sua perfectior est statu perfectionis acquirendæ: quæ duo sunt à nobis superius demonstrata: ergo & nobilior erit secundum eandem rationem genericam statu Religiosorum. Quæ consecutio & manifestissima est, & probatur à Caiet. 2.2. *q.* 184. *art.* 6. aliisque Thomistis qui ne eam concedere cogantur, negant parochos esse in statu perfectionis: si enim in illo sunt, erunt tanquam perfectores, cum Religiosi sint tantum tanquam perficiendi. Et quamuis in quibusdam ordinibus sit ea quoque communicatio perfectionis atque promotio alienæ salutis: ea tamen non est cum tam rigida obligatione iustitiæ, neque cum ea immediata animarum cura, quæ ad plures actiones Hierarchicas obligat, & ad ponendam animam pro ouibus: quia tamen ex hodierno vsu facile Patochi suas parochias dimittunt, atque adeò non videntur habere immobilitatem necessariam ad statum, vti monebamus superlùs, ex hac parte erit minus perfectus status parochorum statu Religiosorum, imò vix nomen status, sed potius ministerij Ecclesiastici obtinebit.

Verum quidquid sit ea de re, si deinde hi status secundum suas rationes specificas considerentur, sese vicissim excedunt: nam actiones, ad quas obligat status patochorum, cum sint Hierarchicæ & contineant exercitium insignis charitatis in procuranda aliorum salute, etiam cum obligatione ponendi animam, si opus fuerit, reuera excedit statum Religiosum, cuius obligatio ad tam nobiles actiones non extenditur: aliunde tamen quia status Religionis consecrat totum hominem instar holocausti, totamque hominis vitam ac voluntatem, atque ad insignia consilia obligat, præceptorúmque perpetuum vsum, cum status parochorum non obliget nisi ad pauca quædam exercitia & ministeria, quæ in obseruatione sola præceptorum continentur, neque totam vitam parochi eius ministerium occupat: & quoad illam obligationem ponendi animam, ea rarò admodum contingit, imminétque aliquando vigente necessitate omnibus; cum salutem corpoream exponere pro salute spirituali proximi, nonnunquam ex vi charitatis teneamur & saltem in Religionibus, quæ animarum saluti ex suo instituto vacant, non absimilis obligatio sæpè vrget, quamuis cura, quam hæc instituta suscipiunt, non sit pastoralis & prælationem nullam afferat, ac proinde minor, minúsque immediata existat. Cum denique hic status non postulet facultatum temporalium abdicationem, sine dubio exceditur ab statu Religioso secundum ea omnia, quæ intrinseca sunt & essentialia statui Religioso, atque adeò eius rationem specificam constituunt.

Quod si hos status consideremus quoad nos, dicen- 130
dum est statum Religionis simpliciter & absolutè loquendo nobis vtiliorem, securiorem, atque adeò meliorem

liorem esse & eligibiliorem propter ingentia pericula, quæ in statu Prælatorum existunt, vt dicebamus de ipso etiam Episcopatu. Inde fit, vt Chrysost. aliique Patres immensis fere præconiis virtutem horum prælatorum, dum sanctitatem colunt & suis muneribus defunguntur, efferant, & virtute Monachi præstantiorem affirment, cum in ea solitudine difficile non sit virtutem colere, & non perturbari, vt ait Chrysostomus. Vnde tamen aliqui malè argumentantur, vt ostendant statum parrochorum esse perfectiorem Religioso: simili enim argumento idem de statu laicorum docerent: quod aduertit S.Thom. *opusc.* 18. *capit.* 23.

Hac distinctione conciliabis Doctores, quorum aliqui cum Henrico, Maior, & Gersone Parrochis fauent: alij cum S.Thom. *opusc. cit.* 2.2.*q.* 184 *art.*6.& 8. Religiosis: sed in ea contentione diutius hærendum non est: neque sane Azor. 1. *part. lib.* 11. *cap.* 25. *q.* 3. quidquam voluit definire.

Consectarium XI.

An Clericorum status sit perfectior statu Religiosorum.

131 Hæc comparatio iam definita est ea Consectario 4. vbi diximus Clericos & præsertim sacerdotes esse quidem in aliquo statu perfectionis, sed inchoato dumtaxat; at verò quis neget Religiosos, quod Consectar. 5. docuimus esse in statu perfectionis simpliciter & absolutè, & non tantum inchoatiuè: status autem perfectionis perfectior est inchoatione tantum perfectionis vt patet. Deinde esto Clerici sæculares: hos enim tantum cum Religiosis conferimus, vt vides, obligentur immobiliter ad opera perfectionis, hoc est, ad vitam eximiè sanctam, quod Isidor. *lib.* 1. *de offic. Eccles. cap.* 9. & veteres Patres passim docent, quis non videat ad vitam, moresque sanctiores Religiosos obligari. Itaque fert communis omnium sensus, qui magis offenduntur Regularium, quam Clericorum sæcularium peruersis moribus. Quis præterea nescit totam Religionis praxim vniuersamque disciplinam ad perfectionem dirigi, atque adeo infinita fere adiumenta in eam rem subministrare, & quæ obstare possent arcere: cum vita Clericorum sæcularium omnibus illis præsidiis destituta sit, & grauioribus multò periculis exposita: vnde & frequentiores bonorum sæcularium Clericorum lapsus queritur Damianus *lib.* 4. *Epist.* 14. Bernard. *serm. in parabolam de Margarita pretiosa*, aliique Ideirco Petrus Blesens. *opusc. in deprauat. operum.* Licet in Canonicum Regularem, à quo impudenter lacessitus fuerat, vehementius inuchatur, eiusque corruptos mores, & aliorum quorundam Regularium, qui sanctitatem habitu simulant acrius insectetur: hæc tamen in Religionis commendationem habet: *vitam Religiosorum, quorum diuersa sunt species, polymita enim est tunica Ioseph, & circumamicta Varietatibus sponsa Christi) tota cordis affectione veneror, ipsorumque pedes brachiis deuotissimæ humilitatis amplector: Scio enim quia præ cunctis sæcularibus & Clericis & Laicis tanto differentius virtutum titulos referunt, quanto impressioribus vestigiis Apostolorum regulis inhæserunt.* Inde in laudes Religionis excurrit: quia verò inferius ita disputat, vt & meritum & virtutem Clericorum sanctitati Religiosorum præferre videri possit, statim ita suam mentem explicat, vt Clericum studiosum & virtute præditum cum regulari, qui solo habitu & tonsura contentus suo munere non defungitur, ipsum conferre appareat, subditque hæc verba, quibus totam eam comparationem claudit & illustrat: *Non præfero Religioni quæ ad Deum via certa & directa est, nostra sæcularitatis incertum: non dico cum Naamano Sypro meliores esse fluuios Damasci, Albana & Pharphar omnibus aquis Israel. Non dico cum Gedeone, quod meliores sunt racemi Ephraim vindemiis Abiezer, neque homines Angelis, neque comparo terras cælis*, &c. vult tantum suum hunc aduersarium Religiosum, se ipsum, suumque imperfectum videre, & non temerariè de aliis, quos non nouit, iudicare. Denique habemus totius Ecclesiæ sensum, quæ Clericis omnibus veniam facit regulare institutum amplexandi, ideoque Episcopis iubet nullum huic mutationi impedimentum afferre, eo quod ea non nisi afflatu spiritus sancti suscipiatur. Ita Gregor. *lib.* 4. *Regist. Epist.* 38. *Indict.* 6. Vrbanus 11. vt refertur, 19. *quæst.* 2. *Can. duæ sunt.* Concil. Tolet. 4. *cap.* 49. & pluribus Anselm. *Epist.* 10. *ad Goffred. Episcop. Parisiens.* qui simile quid attentarat. Vide quoque non malum quandoque authorem & saltem non notatum hac in parte à censura Parisiensi Abaelard. *Epistol.* 3.

Ineptè verò obiicitur illud Hieron. *Epist.* 4. *ad Rusticum*, vbi hortatur Monachum ita viuere, vt mereatur esse Clericus: cum enim ea ætate paucissimi inter Monachos essent Clerici, & non eligerentur ad id munus nisi qui inter Monachos sanctitate præstarent, mirum non est, si Monachus clericus præponatur Monacho non Clerico: nos autem agimus de clerico sæculari cum Regolari, aut cum Monacho collato quoad perfectionem status & quamvis Monachus possit fieri clericus Regularis; non tamen abiecta professione Religiosa potest fieri Clericus sæcularis: id enim vetant leges Ecclesiasticæ, vt habes apud Greg. *lib.* 1. *Regist. Epist.* 40. *Indict.* 9. Id tamen necessarium foret, vt aliquid sua ratiocinatione efficerent aduersarij.

Consectarium XII.

Quænam Religio sit alia perfectior?

Dico primò omnem perfectionem Religionis ab eius fine proximè & mediis ad ipsum accommodatis desumendum esse. 132 Hæc assertio certissima est: cum enim in Moralibus ratio specifica sumatur à fine; ab eodem quoque perfectio essentialis rei secundum esse morale petenda erit. Et sane non aliunde quam ex fine & mediis distingui Religionum mirabilem multitudinem sapienter vidit S. Thom. 2.2. *q.* 188. *art.* 1. Quamvis enim omnes Religiones perfectionem charitatis intendant, atque ad illam enitantur per abdicationem sæculi, ad quam se tribus votis paupertatis, castitatis, & obedientiæ obligant & per traditionem, per quam totos se diuino obsequio Religiosi mancipant. Quæ tria pertinent ad rationem essentialem status Religiosi, vti supponimus ex dicendis 2. parte huius operis: atque adeo in illo conueniunt omnes Religiones; nihilominus dissident aliquando circa fines proximos, alias circa media, alias circa fines & media simul. Fines proximos appello eos, qui non tantum per se expetuntur in aliqua Religione; sed propter eos omnia opera & exercitia suscipiuntur: sunt autem hi fines aliqui gradus charitatis, aut actiones per se primò & per se proximè intentæ, vnde sortiuntur veram rationem finis, quamvis habeant quoque rationem mediorum, si cum perfectione charitatis, ad quam comparandam plurimum faciunt, cooperantur. Nihil porrò prohibet aliquid sub diuersis rationibus esse finem & medium: imò in

omnibus

omnibus finibus proximis & immediatis id cõtingit, quoties eum fine vltimo cõparantur, vt sic enim media sunt; quatenus tamen & ipsi propter se, atq; propter propriã honestatẽ expetuntur & terminãt seriẽ pluriũ actionum aliarum, fines reuera sunt vt constat ex Physicis & moralibus quod verius multo est in re, de qua disputamus. Cum enim tam varij sint actus charitatis & vix fieri possit, vt ab vna, eademque Religione simul omnes exerceantur, & æquè primò intendantur, sapienter omninò singulæ sibi aliquam partem amplissimæ illius virtutis præcipuo studio excolendam suscipiunt, & quædam eius opera impensiùs præstant; aliæ verò alia, quamuis simul omnes ad vnam charitatem eiusque perfectionem aspirent. Quia verò quælibet Religio pro vario fine proximo, quem sibi posuit, varia quoque media, quibus illum attingat sibi deligit, fit vt tum in fine, tum in mediis sæpissime differant, alias verò in fine duntaxat, aut in solis mediis. In fine quidem quando fines sunt, vel substantialiter diuersi, vt hospitalitas, & prædicatio verbi Dei; vel quando differunt saltem secundum magis & minus, vt prædicatio verbi diuini apud fideles, & eadem apud infideles quoque, & nullis locorum spatiis, nullovè personarum discrimine definita. In mediis distinctio contingit, primo quoties fines diuersi sunt; illi enim diuersa quoque media postulant & & quamuis media forent realiter eadem; nihilominus cum ad diuersos fines assumuntur, formaliter diuersa sunt, siue in ratione medij, quæ sumitur in ordine ad finem. Secundò quando finis est vnus, & idem potest nihilominus esse diuersitas saltem realis in mediis, cum nihil prohibeat eumdem finem diuersis mediis comparari. Nam ad eumdem terminum per diuersos motus, qui per diuersas lineas. diuersaque spatia ferantur perueniri potest. Quid igitur impediet, quominus duo v. g. ordines militares finem illum suum militiæ per diuersa opera & media assequantur: atque ita conueniant quidem in fine proximo, differant vero in mediis, nisi fortassis malueris hanc quoque distinctionem ex fine petere: quatenus enim per diuersa media intenditur, videtur sub alia ratione, aut modo, aut perfectione intendi, cum etiam motus, qui feruntur ad eosdem terminos reales per diuersas lineas, dicantur à Philosophis distingui per terminos formales; illi autem, qui ad diuersos terminos feruntur, distinguuntur per terminos formales & reales simul. Verum lis est de nomine: nos cum S. Thom. spectamus distinctionem realem quam à diuersis mediis realibus ad eumdem finem tendentibus petimus. Et quidem distinctio, quæ ex mediis petitur minima est; quæ verò ex fine, maior; quæ denique ex fine & mediis simul, omnium maxima. In quibus etiam singulis distinctionibus est quædam latitudo, & varij gradus constitui possunt, provt in mediis aut finibus maior, aut minor varietas reperietur. Nomine autem mediorum omnes externas obseruantias, exercitia omnia, ipsumque adeo habitum, modum regiminis, vnitatem aut diuersitatem capitis complector. Hæc enim singula etiam aliquid ad vnitatem & diuersitatem conferunt, vnde videas esse quamdam varietatem quasi specificam ex fine; aliam magis materialem, substantialem tamen & veluti indiuidualem ex mediis; aliam tantum quasi numericam ex habitu & aliis quibusdam, ex quibus non maior videtur oriri distinctio, quam inter hominem nigrum & album: qui tamen duo homines magis differunt, quam duo homines albi. Sic Monachi S. Bernardi & S. Benedicti differre quibusdam visi sunt. Duæ Religiones ad prædicandum & docendum institutæ vix in fine reali differunt; sed solum in mediis & modo: & tunc si in his mediis vota, aliaque præcipua exercitia diuersa reperiantur, hæc distinctio erit substantialis, licet non propriè specifica, nisi tandem ad finem formaliter saltem diuersum reducatur. Posse autem dari diuersitatem substantialem; quæ tamen specifica non sit, patet: nam visiones beatorum sunt eiusdem speciei ex communi veraque sententia: & tamen interdum differunt plusquam numero. Hæc porrò distinctio ex solis mediis magis apparet in diuersis societatibus, quæ intra vnam eamdemq; Religionem aliquando instituuntur, vt videmus in ordine S. Francisci. Eas enim Congregationes non malè comparat Suarez *Tract. 9. de Religione lib. 1. cap. 1. n. 7.* diuersis turmis, quibus diuersi duces præsunt, qui & insignia & arma diuersa habent, quamuis eumdem finem intendant in eadem acie, atque eodem modo dimicent. Ex his omnibus tandem vides multiplicem Religionum varietatem ex finibus proximis & mediis petitam, siue ea quodammodo substantialis specifica sit, vt cum Suare maluimus, siue tantum accidentalis; quod mauult Ferdinand. a Castro *tract. 16. disp. 1. punct. 2.* aliisque plures dicenda sit, optimè cohærere cum vnitate finis communis perfectionis nimirum comparandæ, quem finem omnes intendunt: Atque inde existere pluralem vnitatem & vnam pluralitatem, vti loquitur S. Bernard. *in Apolog. Guilel. Alba.* Ex quibus vlteriùs sequitur probatio nostræ assertionis diuersam perfectionem diuersarum Religionum ex perfectione finis & mediorum desumendam esse: quandoquidem differunt tantum substantialiter penes illa: diuersitas autem perfectionis non capietur ab iis, in quibus conueniunt, vt patet.

Dico secundo Religionem illam alia perfectiorem 133
esse, quæ habet finem perfectiorem, & media magis suo fini accommodata. Hæc assertio sequitur ex superiori, neque à quoquam negari potest: non enim aliunde petenda est nobilitas perfectionis, quam vndè perfectio ipsa petitur: provt enim causæ perfectionis nobiliores erunt, nobiliorem quoque effectum parient: Et vero perfectio Religionum capitur primario à finibus proximis, secundariò à mediis: ergo ab iis quoque petendus erit excessus perfectionis, quo vna Religio superat aliam. Quod præterea confirmatur ex eo quod perfectio, quæ est finis communis intentus ab omni statu perfectionis vt sic, est charitas: atqui fines isti proximi singularum Religionum sunt actus & actus ipsius charitatis, quod etiam monuimus superius: ergo nobiliores erunt isti fines proximi, nobilior erit participatio charitatis, quæ est ipsamet perfectio. Quoties igitur Religiones aliquæ differunt fine, ea, cuius finis nobilior, perfectiorque est, erit quoque perfectior secundum rationem finis; quando vero Religiones eumdem finem proximum intendũt, varietas perfectionis sumenda erit à mediorum bonitate: provt enim illa nobiliora perfectioraque erunt, nobiliorem & perfectiorem Religionem constituent. Hæc tamen maior aut minor mediorum bonitas hoc loco non est attendenda penes intrinsecam & entitatiuam ipsorum perfectionem ex propriis obiectis deriuatam, quæ est bonitas absoluta, sed penes ordinem ad finem & proportionem cum ipso, quæ est bonitas relatiua, & vt aliqui volunt, extrinseca, quæ vocatur vtilitas. Cum enim perfectio, de qua agimus, consistat in assecutione finis, illa media, quæ magis ad finem illum assequendũ iuuant magis sine dubio conferunt ad perfectionẽ: atqui quando sunt accommodatiora, magisque proportionata fini, tunc magis iuuant ad eum assequendum, vt patet. Tunc ergo perfectiora, & ad maiorem perfectionem Religionis, à qua præscribuntur & vsurpantur, sine dubio pertinebunt: atque adeo si fuerint adæquata fini, illumque totaliter attingant,

gant, perfectissima erunt. Hæc omnia porrò habent media ex proportione cum fine; non autem ex bonitate & honestate sua obiectiua: & fieri aliquando potest, vt quæ ex bonitate intrinseca, atque obiectiua præstant, minus tamen accommodata sint fini intento comparando, virtutum v.g. excellentiorum opera, minus idonea erunt, quam alia quædam inferioris multo virtutis exercitia. Non sunt igitur Religiones inuicem comparandæ ratione mediorum, nisi ea comparentur cum fine ad quem obtinendum ab illis Religionibus viurpantur.

Consectarium XIII.

Comparatio singularum Religionum inuicem.

134 Ex hac certissima omniumque consensu probata doctrina explicabis varias comparationes, quæ hoc loco institui possunt. Sequitur enim primò Religionem contemplatiuam perfectiorem esse actiua; nomine verò actiuæ Religionis intelligo maxime eam, quæ circa actiones corporeas charitatis occupatur, vt constat ex §. 7. hoc nostrum Consectarium tradit S Thomas 2.2.*q.*188.*art.*6. alijque omnes ad mentem Patrum, qui Magdalenæ studium, Marthæ curis præferunt, vt §. *cit.* monuimus, estque euidentissima ratio petita ex actionibus harum Religionum: nemo enim negabit actiones vitæ contemplatiuæ excellentiores esse iis, quæ à vita actiua exercentur, ipso Christo Iudice, qui optimam partem occupatam esse à Maria pronunciat: neque in re adeò perspicua immorandum ampliùs est.

135 Secundò Religio mixta perfectior est ea, quæ solum contemplatiua est: nomine mixtæ intelligo eam vitam, quæ simul & contemplationem præcipuo studio colit, & in salute spirituali proximorum procuranda æquè primò, quantum ipsi fas est, occupatur, vti §. 7. fuit explicatum. Hanc assertionem tradit S.Thom. 2.2.*q.*188.*art.*6. *& opusc.*19. *& in* 3. *dist.*35. *q.*1.*art.* 4. *q.* 2. Quem omnes discipuli sequuntur, passimque recentiores, ex quibus Suar. *tract.*9. *de Relig. lib.* 1. *cap.* 6. omni genere authoritatum & rationum eam fusissimè confirmat. Lessius verò *lib.* 2. *cap.* 4. *dubit.* 2. presse ac perspicuè idem conficit, quibus omnibus omissis Consectarium nostrum ex proximè disputatis demonstro. Illa Religio perfectior est, cuius finis proximus est perfectior, siue quæ ad perfectiora charitatis opera obligat, quod sæpiùs hactenus demonstrauimus: at verò Religio mixta per se primò tendit ad actus excellentiores charitatis, quam purè contemplatiua, tum quia & illas, ipsas actiones vitæ contemplatiuæ complectitur, & alias prætereà admodum perfectas addit, tum quia demum perfecta est Dei charitas, dum non modò nos vnit Deo, sed etiam alios ad Deum adducit, quod ex charitate Seraphica fusissimè ostendimus toto §. 8. & probant passim Patres ex Christi & Apostolorum exemplo, qui summam charitatis perfectionem attigerunt: confirmant prætereà ex Christi verbis Petrum interrogantis an se amaret, iubentisque vt illum amorem in pascendis suis ouibus probaret: non autem, quod obseruauit Chrysost. *lib.* 2. *de sacerdotio* imperauit ieiunia, humicubationes, vigilias & cætera eiusmodi, neque etiam longiores contemplationes. Vide Gregor. *lib.* 6. *Epist.* 5. *&* 1. *part. pastoral. cap.* 5. Ideoque Bernard. *ad fratres de Monte Dei* ambidextros illos, qui & vacant charitati contemplandæ veritatis, & promptissimè se foras mittunt pro veritate adimplendæ charitatis, omnibus præfert. *Et in Cantic. serm. ad illa verba cap.* 2. *surge amica mea:* ait veram, castamque contemplationem, mentem, quam diuino igne succendit tanto replere Zelo & desiderio acquirendi Deo, qui eum similiter diligant, vt otium contemplationis pro studio prædicationis libentissimè intermittat. Basilius *in constitutionibus monastic. cap.* 5. monet exemplo Domini, Moysis, & Eliæ spirituali conuersationi omnibus modis absoluendæ operatoriam & actiuam vitam seu sigillum & clausulam adijciendam esse. Itaque ad perfectionem vitæ contemplatiuæ aliquam proximorum curam saltem per orationem requirunt ipsemet contemplatiui: Richard. *super cantic. part.* 2. *cap.* 8. *& Dionys. opusc. de vita solitaria art.* 22. Deinde dilectio Dei & proximi, vt optimè aduertit ex Gregor. *homil.* 14. *in Ezechiel.* S.Thom. *in* 3. *d.* 30. *q. vnic. art.* 4. *ad* 2. quantum ad actum interiorem pertinet ad vitam contemplatiuam, quantum ad exteriorem ad actiuam. In proximos autem impenduntur eiusmodi actus, quia Deus nostra opera non indiget. Quis verò non videt eam charitatem perfectiorem esse, quæ in totum suum actum internum & externum extenditur, quod facit in vita mixta, vt patet: est enim efficacior, ac maioris sine dubio meriti. Atqui hæc ministeria spiritualia vitæ mixtæ sunt actus externi dilectionis Dei, & non tantum proximi, suntque eliciriuè à Dei dilectione, non tantum imperatiuè, vt actus corporalis eleemosynæ: quia istis actibus proximè procuratur bonum Dei, eius gloria & honor. Sunt igitur actus amicitiæ Dei. Denique nemo negat dilectionem Dei perfici extensione ad proximum propter Deum, quod S. Thom. *opusc.* 19. *cap.* 18. *&* 2.2. *q.* 184. *art.* 7. alibique sæpius affirmat. Cum igitur charitas sit perfectior in vita mixta, quàm in purè contemplatiua; erit quoque vita mixta perfectior: contemplatiua quidem suauior est, atque securior; verum priuatio illius suauitatis propter Deum non exigui meriti est, atque etiam vehementis charitatis argumentum, vt ait idem S.Thom. *in* 3. *d.* 35. *q.* 1. *art.* 4. *q.* 2. Eaque fuit Pauli charitas, qui voluit Anathema esse à Christo pro fratribus, & ad *Philipp.* 1. Eligit manere in hoc vitæ carcere, quàm dissolui esséque cum Christo, quamuis hoc postremum melius foret. Coarctor è duobus, desiderium habens dissolui, & esse cum Christo multò melius; permanere autem in carcere necessarium propter vos. Et hoc confidens scio, quia manebo & permanebo omnibus vobis ad profectum vestrum.

Dissimulandum tamen non est contemplatiuam 136
vitam securiorem esse mixta, cùm in ea leuiores, pauciores vè sint peccandi occasiones, & maiora auxilia ad quærendam perfectionem charitatis diuinæ: ideoque permittunt Pontifices Religiosis dimissa vita mixta ad contemplatiuam transire: atque hoc vnum probant, quæ ab aduersariis afferuntur; sed ea non euincunt absolutè loquendo vitam contemplatiuam perfectiorem esse mixta, de quo vno disputamus modo. Et sanè omnia, quæ *Consect.* 9. attulimus ad demonstrandam dignitatem status Episcopalis, huc pertinent, vt expendenti singula facilè constabit. Claudat itaque hoc caput Innocent. III. Episcopo Calaritano, qui Episcopatu suauioris vitæ amore ductus abdicare se cogitabat, sic scribens refertur *c. nisi cum pridem de Renunciat. Nec putes quod ideo Martha malam partem elegerit, quæ circa plurima satagebat: quia Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea: quoniam licet illa sit magis secura; ista tamen magis est fructifera, & licet illa sit magis suauis; hæc tamen magis vtilis, cum in fœcunditate sobolis lippitudo Lia, Rachelis pulchritudini sit prælata, quamuis simul in vnum & contemplatiuus esse valeas & actiuus legislatoris exemplo, qui nunc ascendebat in montem, vbi gloriam Domini cum maiori cerneret libertate; nunc verò descendebat in castra, vt cum vbertate*

maiori

maiori necessitatibus populi prouideret. Quibus postremis verbis perspicuè significat eruditissimus Pontifex vitam simul contemplatiuam & actiuam omnium nobilissimam esse. & ibidem fusiùs ostendit eiusmodi abdicatione multum meriti deperdi, quod in curanda aliorum salute comparabatur.

Non diffitemur tamen aliquando contingere posse, vt vita contemplatiua sit perfectior mixta; si nimirum ista parum omninò de contemplatione participet; plurium autem de actione, vnde fiat, vt in eo genere vitæ extinguatur deuotio interior & spiritus feruor impediatur: aut si media ad finem vitæ mixtæ comparandum sint parum accommodata, tunc enim quamuis finis perfectior sit: quia tamen media non sunt ipsi adæquata, non intenditur totaliter in tali statu per media ipsius: vnde fit vt status, qui finem eundem, aut partem eius intendit per media idonea facilè perfectior esse ostendi possit.

137 Tertiò Religio Clericorum perfectior est Monachali, quia illa ad altiorem & diuiniorem finem per se ordinatur, nempe ad diuinum cultum in supremis ministeriis, & ad salutem animarum, quantum est ex vi talis generis: quæ omnia per se non conueniunt Monachis, vt dicam *quæst. sequenti*, & fusiùs 2. *parte huius operis*, quæ in præsentiarum præsupponenda sunt.

138 Quartò Religio monachalis purè & simpliciter imperfectior est Religione mendicantium. De hac porrò diuisione Religionis monachalis alibi fusè disputabitur: nunc verò Consectarium nostrum patet ex dictis.

Quintò vita cœnobitica vtilior est, & fœlicior solitaria quæ si supponat vitam Religiosam, & exercitationem in cœnobio, ex quo ad hanc vitam tanquam ad terminum transitur, est quidem perfectior vita cœnobitica contemplatiua. Neque aliud voluit S.Thomas 2.2.*quæst.*188.*art.*8. atque ita quoque conciliabis Cassian. *collat.* 19. *cap.* 3. Basil. *quæst.* 7. *in Regulis fusio.* Bernard. *epist.* 113. & alios. Vide Azor. *tom.* 1. *lib.* 11. *cap. vlt. q.* 7. & Suar. *tract.* 9. *de Relig. lib.* 5. *cap... num.* 14.

Sextò quamuis paupertas, quæ omne dominium etiam in communi respicit, arctior sit, atque fortassis perfectior omni alia paupertate, quod modò non disputo: non idcirco tamen Religio, quæ eiusmodi paupertatem profitetur, perfectissima omnium est. Probatur, quia absoluta perfectio Religionis ex eius fine & mediis capienda est. Fieri autem potest, vt Religio, quæ arctissimam colit paupertatem; aliũde tamẽ in fine & mediis inferior sit aliis: nam arctissima illa paupertas non est accomodata semper fini charitatis intento, vt videmus in vita Episcopali. Quare quamuis eiusmodi Religio sit ex ea parte perfectior: non enim dissimulandum est eam rerum omnium abdicationem multum conferre ad tollenda impedimenta perfectionis: non erit tamen simpliciter perfectissima. Vid S.Thom. *q.* 188. *cit. art.* 7.

Septimò idem omninò dicendum est de arctissima obedientia, ratione cuius potest vna Religio esse altera perfectior partialiter & secundum quid; non tamen simpliciter & absolutè: quia in fine & in aliis mediis ipsi accommodatissimis superari poterit, vide Azor. *cap. cit. q.* 10.

Octauò eadem prorsus ratio est de austeritate & afflictione corporis: quamuis enim aliqua omnino ad comparandam perfectionem, ad vitandam videlicet mollitiem, carnem spiritui subiiciendam, rerum diuinarum meditationem, & amorem accendendum, requiratur, ex illa tamen nobilitas & perfectio Religionis simpliciter & absolutè mensuranda non est. Fieri enim poterit, vt tanta austeritas potiùs impediat, quàm iuuet finem principalem, & nobilissimum Religionis. Ita S.Thom. 2. 2. *quæst* 188. *art.* 6. Lessius *lib.* 2. *cap.* 41. *num.* 21. Azor. *cap. vlt. cit. q.* 9.

Nonò denique chorus minimè necessarius est ad perfectionem Religionis, cum ille functiones principales, ad quas aliquando Religio instituta est, impediat; sed de hac difficultate fusiùs alibi: Interim ad 1. Lessium *cit. num.* 23. & Suar. *tract.* 10. *de Religione, lib.* 1. *cap.* 8.

Consectarium XIV.

Quomodo, qui sunt in statu perfectionis, obligentur ad perfectionem.

Dico primò eum omnem, qui est in statu perfectionis, obligari ad illam pro ratione sui status, nimirum ad illam comparandam sibi, si est in statu perfectionis acquirendæ; ad communicandam verò aliis, si est in statu perfectionis exercendæ. Ratio euidens est ex dictis. Nam status perfectionis ille est, qui obligat ad opera perfectionis, quibus primo & per se perficitur operans; vel alius, cui impenduntur illa opera & ministeria. 139

Dico secundò impleri hanc obligationem præstando ea, quæ à proprio statu præscribantur: quia reuera ad aliud non obligat status, quam ad ea, quæ præscribit, & tota obligatio, vt diximus, est tantum ratione status; ergo non extenditur ad alia, quàm ad præcepta, aut definita per statum.

Dico tertiò Religiosum, cum sit in statu perfectionis acquirendæ teneri ad progrediendum in via perfectionis ratione status, quem profitetur: quod, patet ex *conclus.* 1.

Dico quartò satisfacere illi suæ obligationi Religiosum, dum intendit seruare regulam, atque vota, aliaque, quæ in sua Religione præscribuntur: quia non obligatur ad omnia consilia & media perfectionis amplectenda, sed ad ea tantum, quæ in suo illo statu particulari definiuntur: & licet habeat voluntatem nihil aliud faciendi, nullúmque aliud consilium sequendi, est expers omnis culpæ: nam seruando ea omnia: reipsa tendit ad perfectionem: ergo habendo propositum ea seruandi, habet propositum sufficiens tendendi ad perfectionem.

Quomodo verò teneatur ad seruandam Regulam, & sub qua obligatione, & quandonam ex contemptu dicatur illam violare, longior quæstio est alibi tractanda tum *lib.* 4. vbi de violatione iuris & legis agemus: tum *in* 2. *parte*, dum de statu Religioso disputabimus.

QVÆSTIO V.

De diuisione Ecclesiæ in Clericos & laicos.

De Clerici nomine. n. 1.

Quænam sit diuisio in Clericos, & laicos. n. 2.

VVlgaris est & antiqua ista diuisio; non placet autem cum Lutheranis contendere circa Clerici vocem, quam toti Ecclesiæ communem faciunt: 1

quod

quod idem quóque Caluinus effutiit: eos Bellarminus erudite confutauit *lib. de Clericis, cap. 1.* & infans est in Ecclesiastica disciplina, qui passim non videat à Patribus & Conciliis hoc nomen certo hominum generi, non autem toti Ecclesiæ tribus; ducitur verò à sorte & hereditate, vel quod diuina sorte eligantur ad factum munus, vti factum in Matthæo legimus. Ita enim interpretatur Isidorus *lib. 7. Etymol. cap. 12. & lib. 2. de Eccles. offic. cap. 1.* vel quia Dominus pars & hæreditas Clericorum est, cum & ipsi possideant Dominum & possideantur à Domino. Sic enim exponit Hieronym. *Epist. ad Nepotian.* Et in prima quidem significatione, quæ strictior est, vsurpatur tantum de illis, qui diuinis officiis & ministeriis diuina sorte destinati sunt, vt nimirum diuino altari & sacrificio deseruiant, súntque aliquo è vulgaribus septem ordinibus initiati, aut ad illorum aliquem proximè idonei per tonsuram clericalem. Secunda verò significatio Clerici latior est, & ad eos omnes qui diuino cultui & obsequio publica consecratione, & Hierarchica authoritate dedicati sunt, extenditur. Priorem significationem vsurpat Basilius *Epist. ad Amphilot. cap. 55.* dum Clericos distinguit ab iis, qui sunt extra Ecclesiam ἔξω μὲν ὄντας τῆς ἐκκλησίας: qui enim Ecclesiæ ministeriis non deseruiunt, extra Ecclesiam esse dicuntur. Neque enim eo nomine significat illo loco eos, qui a communione Ecclesiæ sunt segregati, cum eos ipsos velit propter homicidium commissum à boni communione segregari εἰργομένας τῆς κοινωνίας τοῦ ἀγαθοῦ. Clericos autem, quos existentibus extra Ecclesiam opponit, à gradu deponi κλήρικοι τοῦ βαθμοῦ καθαιροῦνται. Communiorem verò significationem Clerici vsurpant Hieronym. relatus *12. quæst. 1. cap. duo sunt*, & Eusebius *lib. 1. de demonstrat. Euangel. cap. 8.* Duo genera enim Christianorum, duósque viuendi modos esse definiunt, vnumque esse mancipatum diuino officio, deditum contemplationi, & orationi, & ab omni strepitu remotum, quo continentur Clerici Deo deuoti & conuersi: qui omnes Clerici vocantur: quia sorte electi sunt à Deo, & omnibus abdicatis Dominum pro hæreditate possident, ab eóque possidentur. Alterum verò genus eorum est, qui & vxorem ducont & terram colunt, aliisque vitæ negotiis sese implicant, iique laici dicuntur.

2 Si primam igitur vocis significationem paulò strictiorem sequamur, adæquata quidem erit diuisio in Clericos & non Clericos: quia omnes vel sunt Ministerio altaris destinati, vel non sunt: vel sunt intra Ecclesiam, vel extra illam, vt loquebatur Basilius: tunc tamen omnes, qui extra Ecclesiam sunt, & non Clerici, non continentur nomine laici; ideóque diuisio in Clericos, id est, officiis, ministeriisque Ecclesiasticis destinatos, & laicos non erit adæquata: nam præterea addendi erunt Monachi, & trimembris diuisio, qualem faciunt Patres Concil. Chalcedon. *cap. 8.* vbi Clericos canonum pœnis subiiciunt; Monachos autem & laicos excommunicant. Synod. Laodicena *cap. 36.* prohibet sacratis vel clericis ἱερατικοῖς κληρικοῖς, magos & incantatores fieri: vbi vt vides nomen sacratorum amplius est nomine Clericorum: complectitur enim omnes Deo consecratos, siue ad ministeria sacra destinentur, siue non. Eadem de causa cum Trullan. Synodus prohibuisset *can. 64.* laicis omnibus excepto Imperatore, intra septa sacri altaris ingredi, quæsiuerunt Monachi C. p. an eo edicto monachi comprehenderentur, quibus respondit Balsa *opusc. de interrogatione Monachor. tomo 6. Biblioth. Patrum*, ea lege teneri tyrones; qui triennio probabantur, & nondum monasticis vestibus induebantur, quia adhuc recta laici eant, & nondum Monachi, omnibus autem, inquit, qui sacra veste induti sunt, erit absque vllo præiudicio aditus ad sanctum altare, vt qui ne in laici quidem locum venere possint. Laici enim nomen perpetuò vsurpatur pro iis, quibus coniugio, & negotiis sæcularibus vacare licet, quod reuera Monachis non conuenit. Eandem trimembrem diuisionem facit Raban. *lib. 1. institut. Clericorum, cap. 1.*

Quod si Clerici nomen in ampliori illa significatione, qua omnes diuinis emancipatos obsequiis, & viuendi modum singularem profitentes designat ex Hieronym. & Eusebio: tunc diuisio in Clericos & laicos erit adæquata: quod omnes quidem fatentur; aliqui tamen recentiores in ea diuisione Monachos laicis ex ipsius etiam Dionysij mente accensendos esse contendunt: vt ea saltem ratione Religiosorum, quorum se hostes scriptis suis produnt, dignitatem imminuant contra veterum omnium mentem, quos hic numerare superfluum foret, affero vnum Guillielm. Parisiens. *2. part. de vniu. 2. p. cap. 141.* qui ait ordinem Clericorum apud nos continere ordinem sæcularium, & ordinem Claustralium, & in vtroque eorum multos esse ordines.

Mirum verò est Dionysium, qui tam multa discrimina inter Monachos & laicos assignauit, nobis ab aduersariis obiici *num. 6. cap. 1. de Eccles. Hierarch.* plurima discrimina constituit inter Monachos & laicos. Nam primò Monachi perficiuntur, laici illuminantur; alij verò purgantur. Secundò perficiuntur ab Hierarcha, id est, Episcopo. Tertiò habent inspectionem & perfectiorem cognitionem sacrorum, ratione cuius ad sacerdotalem ordinem proximè accedont. Quartò post vniuersum Clerum primi ad sacram communionem accedunt, atque ad adyti valuas intra chorum. Quæ etiam constant ex *lib. 8. constitut. Apostol. cap. 13.* cum populus extra chorum communicaret, quod etiam constituit Toletan. 4. *can. 37.* Quintò tam diuersos mores & instituta Monachorum à plebe facit Dionys. vt cæcus omninò sit, qui discrimen inter illos non videat, cum & ideo varia ipsorum nomina adducat & explanet: éstque eadem Gregorij *lib. 2. moral. cap. 26.* aliorúmque Patrum sententia, vt in re adeò perspicua diutius hærere pigeat alieno maximè loco; dum enim 2. parte huius operis de Religiosis disputabimus, plurima in hanc rem adducemus, & quæ obiici solent soluemus. Hoc vnum modò contendimus ipsos laicis nunquam accensos esse; sed clericis, aut medium quemdam ordinem ex priscorum omnium sensu constituisse, quod sufficit præsenti nostro instituto de partitione vniuersali Ecclesiæ in partes & membra, quibus coalescit.

QVÆSTIO VI.

De Ecclesia vt spiritualis simúlque naturalis Respublica est.

Gemina Ecclesiæ significatio. n. 1.
Diuersitas statuum. n. 2.
Duplex in Ecclesia politia. n. 3.
Gemina in Ecclesia potestas. n. 4.

Legum

Legum diuerſitas in Eccleſia. n.5.
Diſtinctio fori, perſonarum, & rerum. n.6.

1 DIximus *q.* 1. huiuſce capitis Eccleſiam ſpectari poſſe duobus modis: Primò materialiter, quatenus eſt quædam hominum communitas ad præſentis vitæ naturalem finem,& commoditatem ordinata, atque vt ſic cum aliis communitatibus infidelium conuenit,ſimilemque illis politiam poſtulat. Secundò formaliter, vt eſt Chriſtiana, & ad animæ ſalutem, atque ad vitam æternam conſequendam deſtinata, atque adeo ſpiritualis quædam & ſupernaturalis respublica eſt, atque vnum corpus, eadem fidei profeſſione, iiſdemque ſacramentis ſub vno capite Chriſto, eiuſque vicario colligatum, vti fuſiùs expoſuimus *cap.* 1. De Eccleſia igitur in hac poſteriore ſignificatione hactenus diſſeruimus, agemúſque deinceps toto opere: prior enim illa conſideratio Eccleſiæ materialiter ſumptæ ad iuris ciuilis interpretes, & politicos pertinet, vt amplius ex dicendis proximis libris de iure Ciuili,& Canon co conſtabit.

2 Ex duplici verò illa conſideratione naſcitur plurima in eadem Eccleſia diuerſitas: nam imprimis ſtatuum diuerſitas attendenda eſt: vt enim Eccleſia Reſpublica temporalis eſt, habet ſtatus libertatis, & ſeruitutis, qui varie quoque iterum diuiduntur in coniugatorum & ſolutorum, minorum & maiorum, alioſve eiuſmodi. Quatenus autem Reſpublica chriſtiana eſt, habet ſtatus laicorum & Clericorum,alioſvè,de quibus hactenus iſto capite egimus: qui etiam ſubdiuiduntur in alios, de quibus reliquo opere diſputandi locus fuerit.

3 Secundò, hinc oritur duplex politia, & regimen, quorum alterum promouet communitatem ad finem naturalem per media commoda conſeruandæ, obtinendæque paci, & tranquillitati Reipublicæ, cuius bonum commune primò,& per ſe ſpectat, etiam cum diſpendio aliquando perſonarum priuatarum, eiuſque materia, vt paucis modò complectar, quod fuſius *lib. eq.* exponam,eſt iuſtitia humana & naturalis: Alia verò politia Eccleſiæ, vt Chriſtiana eſt, ſpiritualis, atque ad ſupernaturalem finem illam promouens per media idonea: quare fælicitatem ſupernaturalem attendit, & quidquid ab illa impedit, prohibet: & quæ neceſſaria ſunt ad eam conſequendam, imperat,atque etiam plurima,quæ licèt neceſſaria non ſint, multum tamen conferunt.

4 Tertiò, poteſtas quoque gemina admittenda eſt; ciuilis vna,penes quam eſt politia illa naturalis,quam modò deſcripſimus: ſpiritualis altera tum ratione principij,tum ratione finis: quæ poteſtas ita humana eſt, vt ſimul diuina ſit, quam vnica voce Eccleſiaſticam dicimus. Harum poteſtatum diſcrimina ex obiecto,ſubiecto,principio, & fine alibi proſequemur.

5 Quartò, indè ſequitur differentia legum & Iuris: nam leges Eccleſiaſticæ eæ ſunt, quæ feruntur intuitu Religionis,& diuinæ iuſtitiæ, habentque bonum animæ pro fine, atque adeo pro materia aliquid ad illum finem ordinatum, & obſtringunt Eccleſiam, vt Chriſtiana eſt: Leges verò ciuiles attendunt bonum commune Reipublicæ & fælicitatem naturalem, qua ratione acquiri poteſt à communitate; neque aliam ſortiuntur materiam,quàm huic fini proportionatam. Et quamvis aliquando leges, ac iura Eccleſiaſtica, & ciuilia eandem materiam habere videantur; eam tamen non eodem modo; ſed longè diuerſa ratione reſpiciunt.

6 Quinto,ſequitur diſtinctio fori Eccleſiaſtici, & ciuilis: quæ enim ad perſonas,& res Eccleſiaſticas pertinent, atque delicta in iura, & leges Eccleſiaſticas commiſſa, fori Eccleſiaſtici ſunt; alia cognoſcuntur à Iudice laico: quædam verò actiones,& cauſæ dicuntur mixti fori;quia tum à Iudice Eccleſiaſtico,tum à laico cognoſci poſſunt, & datur locus præuentioni.

Sequitur quoque ſextò diſtinctio perſonarum: quæ enim diuino cultui & religioni dedicantur, Eccleſiaſticæ & ſacræ dicuntur; aliæ verò prophanæ.

Inde naſcitur ſimilis diuiſio rerum in Eccleſiaſticas, & non Eccleſiaſticas.

Septimò, diuiſio præterea rerum, & locorum: Cùm enim Eccleſia vt ſic, diuinam Religionem & iuſtitiam attendat, omnia quæ peculiari quadam ratione pertinent ad Religionem ſupernaturalem, ac diuinam iuſtitiam, dicuntur maximè propria voce, Eccleſiaſtica; cætera verò politica: quia priora illa ſubduntur politiæ Eccleſiaſticæ,& Sacræ,ac ſpirituali poteſtati,ſuoque iure reguntur. Cætera autem omnia ſubijciuntur politicæ poteſtati,ac iuri.

Quas hactenùs recenſuimus Eccleſiæ partes, vniuerſales ſunt & genericæ, quæ in ſuas deinde per plures ſpecies diſtribuendæ ſunt, & magnam noſtræ ſcientiæ Canonicæ partem occupabant: Earum idcircò fuſiſſimam explicationem in alterum operis noſtri tomum reijciemus, quem de vniuerſa Hierarchia, & omnibus perſonis Eccleſiaſticis inſcribimus: Neque enim ſacras modò perſonas, quæ Hierarchiam componunt, ſed & omnes alias, quæ cum Hierarchicis aliquam communionem habent, eo loco conſideramus, & quid circà illarum ſtatum, conditionem, dignitatem, onera, obligationes, & alia eiuſmodi conſideranda ſunt, expendimus, innumeraſque de iis omnibus iam olim excitatas, hodieque magnis animis agitatas quæſtiones, non indiligenter, neque inutiliter explicamus; nec ſine exquiſita totius priſcæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ notitia, in qua enucleanda laborarunt viri eruditi, ex quibus omnibus præiuit magnus Dionyſius Areopagita, cuius veſtigia aſſectabimur, quare non diutiùs te moramur hoc operis exordio, ne totum opus, quantum animo deſtinauimus, videamur in eius fronte velle comprehendere; vbi enim de muneribus Clericorum, & totius ſacerdotalis, pontificiæque dignitatis maieſtate, ac officiis, de Regularum obſeruantiis, de ordinis ſacri varia diſciplina, aliiſque eiuſmodi latè diſputauerimus,quid, amabo, reſtabit amplius, quod à Scientia Canonica explicandum videatur? Satius itaque viſum fuit,quæque ſuis locis apertè, & diſtinctè pertractare; quàm confusè, & perturbatè omnia in vnum nullo ferè ordine conferre; ſic enim non diſtincta corporis membra, & quam miramur partium harmoniam, ſed indigeſtam partium, ac membrorum molem haberemus. Hæc verò,quę hactenùs dicta ſunt, ſufficiunt ad ingenerandam notitiam Eccleſiæ in vniuerſum,quam diximus eſſe ſubiectum Scientiæ Canonicæ,eo modo,quo Ariſtoteles voluit Ciuitatem ſubiectam politiæ,vt monuimus *lib.* 1. non eſt verò opus, vt vir politicus initio conſideret omnes, & ſingulas, minutaſque quaſlibet partes ciuitatis, antequam politiam explicet, & ius quod regitur; ſed ſatis eſt in ciuitatem,& vniuerſas eius partes inſpiciat,antequam ius ſingulatim illarum tradat: id enim præſtabit, dum de iure ſingulorum minutatim diſputabit attentius, contentus itaq; erit deſpicere initio Ciuitatem, ea Magiſtratibus, & Ciuibus conſtantem: deindè ſingillatim, quo iure teneantur Magiſtratus, quod licèt illis omnibus commune ſit, ſinguli tamen prout diuerſam gubernationis partem nanciſcuntur,diuerſo illo in ſua gubernatione,ſiue adminiſtratione, vti debent,quare,vt illud præſcribat politicus,debet diuer-

ſos illos magiſtratus,& eorum adminiſtrationem ſingillatim noſſe,& de iis diſputare, quod idem dicendum eſt de diuerſis Ciuibus; non enim tantùm iure communi ita reguntur,quin pro varia,*ita vno communi obſtringantur*,ipſorum inter ſe,inæqualitate, diuerſis obligationibus teneantur. Sicut in corpore naturali varia membra, quibus componitur, communi quodam ſpiritu & vita donantur, ita tamen, vt ſingula ſuam propriam & diuerſam habeant,& ſicut non licet medico,vel Philoſopho de illa diſputare, quin ſingulorum membrorum temperiem, & officia,atque cum reliquo corpore connexionem,conſenſionemq; perſpexerit. Ita non poteſt ſcientia Canonica explicare, qua ratione partes Eccleſiæ, diſciplina Eccleſiaſtica teneantur, & quomodo iuri, quod diuerſimodè illa reſpiciunt,ſubiaceant, ex eo dumtaxat, quod ſint Eccleſiæ partes, niſi quales exiſtant, quomodo ſeſe habeant ad Eccleſiam, accuratè norit: quare non ſatis eſt noſſe quaſpiam, eſſe Eccleſiæ partes, eaſque aliquando præcipuas, ſed prætereà ſcire, quomodo, & qualis ſit illa pars Eccleſiæ, vt doceat, quomodo iure tum communi,tum proprio contineatur. Primùm illud executi ſumus hoc loco, vbi quænam ſint communes Eccleſiæ partes docuimus: alterum ſequenur operis Tomo, in quo de Hierarchia, & ſingulis perſonis per otium diſputabimus.



LIBER

LIBER TERTIVS.

DE MATERIA SCIENTIÆ Canonicæ, & Hieropoliticæ:

SIVE,

DE MVLTIPLICI IVRE, QVOD CONSIDERAT: & imprimis de iure naturali.

T*OTIVS Canonicæ, & Hieropoliticæ scientiæ materiam aliam non esse, quàm ius, quo sacræ Ecclesiæ politia regitur, monuimus* lib. 1. *in eo siquidem explicando, quanta quanta est occupatur, quod exemplo scientiæ ciuilis, siue politicæ confirmatur: Ea siquidem consistit in cognitione iuris, & iustitiæ, vt doceat, quodnam sit tum Ciuitatis, tum singulorum ius, ad illúdque seruandum homines instituat, & si vel ambiguum sit, interpretetur, si obscurum, illustret, eiusque æquitatem confirmet, ac tueatur. Cum enim tota illa scientia practica sit, vt docuimus* eodem lib. 1. *ciuilem actionem ad fælicitatem obtinendam informet, oportet: quod non facit, nisi eam ex iuris, & iustitiæ regulis, ac præceptis dirigendo; quare eiusmodi iuris præcepta docere omninò debet. Pari prorsus ratione scientia Hieropolitica, ius, quo constituitur illa* εὐταξία ἁρμονία, *partium omnium, personarum, officiorum, & actionum sacræ Politiæ docere, & explicare debet, & cum, vti* lib. 1. cap. 2. *fuit explicatum, non feratur in alium finem, neque aliud primarium, & formale obiectum habeat, quam actionem verè, & Christianè Religiosam, quam formandam suscipit; id præstare nequit aliter, quàm certis regulis, ac præceptis, quæ iure sacro, & Ecclesiastico continentur, & præscribuntur. Tota igitur in eiusmodi iure enucleando, interpretando, confirmando, tradendo, perscrutando debet occupari, vt quid circa omnia, & singula personarum & hominum genera, officia, & actiones requiratur, quid in singulis probandum, improbandúmve sit, aperiat, & innumeras, quæ interdum in his omnibus occurrunt, difficultates, explicet, & denique quid ad statum, & summam sacræ Reipublicæ, quidve ad singulorum priuatam vtilitatem pertineat, hoc est, vniuersum sacrum ius, siue publicum, siue priuatum, quomodo ius politicum partiantur Vlpian. & Iustinian explanet. Vides itaque amplissimam huius nostræ scientiæ materiam; cum enim hoc ius propter diuersitatem personarum, numerum actionum, & rerum, de quibus fertur, vnum & æquale esse non possit; sed varium & multiplex, & vel naturale, vel positiuum, diuinum, vel humanum, vel ex vtroque quandoque mixtum, publicum & priuatum, scriptum & non scriptum, perpetuum atque immutabile, & varium ac mutabile, vniuersale & singulare: de multiplici illo iure cognoscere debet Hieropoliticus circa singulas sacræ politiæ personas, actiones, & res, atque ipsum totius Ecclesiæ & Religionis statum, ac summam: quare id totum hoc opere, quo scientiam Canonicam tradidimus, tractandum necessariò suscepimus. Ista igitur priori parte post explicatam priori libro scientiæ Canonicæ naturam, eiusque subiectum* lib. 2. *hoc tertio, & quarto eiusdem materiam consideramus, de iure in vniuersum, eiusque speciebus, quæ ius Ecclesiasticum, quod ex pluribus partibus coalescit, componunt, accuratè nobis agendum est: vt*

demum quinto libro, ius ipsum Ecclesiasticum, eiusque naturam, & causas omnes habeamus. Reliquo deinde opere de singulis iuris huius partibus, quatenus certas actiones, officia, & personas attingunt. Et quid in singulis τὸ πρέπον, & consentaneum spectandum sit, singillatim, & explicatè prosequemur, quantum tenues ingenij vires, & improbus labor patientur.

✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤✤

CAPVT PRIMVM.

De iure in Vniuersum.



ROIOR à natura, & diuisione iuris in communi, vt inde facilius tota iuris Ecclesiastici ratio innotescat, & ad doctrinam toto hoc & sequenti libro tradendam viam nobis muniamus.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit ius.

1 DE iotis etymologia, & variis eius acceptionibus plurima dabunt Doctures *in l. 1. ff. de inst. & iure, & in inst. eod. titulo.* Vigerius *in methodo iuris, cap. 1.* Con. *lib. 1. capit. 1. & 2.* Budæ. *initio Pandect.* Aleiat. *lib. 1. parerg. cap. 29.* Cortas. *lib. de iuris arte, parte 1. cap. 13. & 14.* Iuachim. Hopetus *lib. 1. de iuris arte, §. de iuris definitione.* Ioan. Munachus *in cap. cupientes, de electione, in 6.* Glussa *in iuribus,* Loc. de Penoa *in Rubric. C. de iure fisci,* Salas *disp. 1. de legib. sect. 2. n. 7.* Mulin. *tract. 1. de instit. disp. 2.* Albertus Bolognetus *tract. de lege, iure, & æquitate, cap. 15.* vbi *n. 9.* ait se triginta significatiunes buius vocis legisse, & reddit causam, prupter quam Doctoret in multiplicandis vocum significatiunibus frequentes sint, eo quud eiusdem rei attributa eodem nomine designent, & deinde pru diuersa natura eiusmodi attriburotum, quæ vno nomine donarunt, illius nominis significationes multiplicent, quod variis exemplis illustrat, ergo prætermissa subriliori, minutiorique recensione acceptionum iutis paucas dumtaxat, easque celebriures, & quæ nostro instituto deseruiunt, afferam hoc loco.

Prima iuris acceptio pro iusto, & æquali.

Primò igitur ius significat iustum; siue æquale; 2
ea enim, quæ adæquantur, vulgò iustari dicuntur, inqoit S. Thom. *2. 2. q. 57. art. 1.* Æqualitas autem sumitur io ordine ad alterum, cui aliquid adæquatur, & Arist. *lib. 5. Ethic. cap. 5.* δίκαιον, siue ius ait esse τὸ νόμιμον, καὶ τὸ ἴσον, & *capit. 6.* ius esse medium, quod est æquum; in omni enim actione, quæ habet plus, vel minus, mediom æquum est, quud iterum probat ex opposita iniuria, quæ aliquid iniquum est, & *cap. 7.* æquum, inquit, est medium pluris arithmetica proportiooe, & propterea appellatur δίκαιον ὅτι δίχα ἐστιν: quia bifariam diuisum est, quasi δίχαιον, siue bipartitum dixeris, & δικαστὴς Iudex, quasi διχαστὴς bipartitor: quia vti dixi superius, iudex omnia ad æqualitatem redigit, & quemadmodum si linea aliqua in duas partes inæquales diuisa sit, illud quo maior pars dimidium excedit ab ea aufert, & adiungit minori. Cum autem totum fuerit æqualiter diuisum, tum verò singulæ partes suum se habere inquiunt, cum æquum quælibet acceperit : quare ad hoc æquale siue iustum tria requiruntur: Primum vt sit ad alterum : Secundum vt in altero intercedat aliqua ratiu debiti : Tertium vt constituatur æqualitas vnius ad alterum. Quare idem Aristoteles *eod. libro 5. Ethic.* asserit hoc ius esse solum politicum, & inter ciues dumtaxat : quia in eo sulo tres illæ conditiones reperiuntur, cum inter seruum & dominom, filium & patrem, non sit iustum & æquale simpliciter, sed secundum quid : quia filius est aliquid Patris: quamvis enim supposito distinctus sit; moraliter tamen repræsentat patrem, & cum sit sub patria potestate, nun habet ius distinctum à iure patris, eo quod, quæ sint filij patris quoque sint, & inter eos non possit vnquam poni æqualitas. Similiter seruus est aliquid domini, & eius instrumentum, vt dicitur *1. politic. cap. 3. & 4.* hinc Mulina *tractat. 1. de iustitia, disp. 7. n. 1.* rectè negat iustum idem esse quod debitum, cùm filij ad patrem debitum, illudque ingens existat, quod sine iniutia violari nequeat : inter eos tamen furmaliter vt pater & filius sunt, iostum simpliciter reperiri nequeat ex Aristotele : quia nimirum iustum pro æquali vsurpat, vti ustendimus.

Hoc porrò æquale consistit in æqualitate ipsarum rerum, non autem in ordine ad operantem, 3
& idcircò dicitur medium rei, & non rationi dumtaxat, vt dicam inferius : quia nimirum sumitur ex ipsa

ipsa rei quantitate secundum se, aut ex comparatione rerum, quæ ad æqualitatem redigi debent, siue ea quantitas & proportio sit Arithmetica, vt contingit in omnibus commutationibus; siue sit geometrica, qualis seruatur in bonorum communium distributionibus; nihil enim refert, inquit Aristoteles *lib.5. Ethic. cap. 7.* probúsne vir malum, aut malus probum suo iure priuarit; neque probusnè, aut improbus adulterium commiserit, sed ad solam nocumenti differentiam Iudex spectat, perindeque personis sic vtitur, atque si æquales essent: si ille iniuria afficitur, hic afficiat, ille lædatur, hic lædat, iniuriam enim duntaxat, cum sit iniqua, æquare & iustare conatur Iudex. Vnde etiam vides non dici hoc medium rei, quasi sit æqualitas quædam materialis inter rem datam, & acceptam; sed esse æqualitatem quandam formalem cum alieno iure mensurante, cui adæquatur.

4 Ideóque dixit Aristoteles 5. *Ethic. cap.8.* hoc medium non esse tantum contrapassum, siue retaliationem *τὸ ἀντιπεπονθὸς*, vt voluisse videbantur Pythagoræi, qui tale fuisse ab æquissimo iudice Rhadamanto constitutum affirmabant, quam vocem contra passi primùm in actionibus iniuriosis, vt loquitur S.Thom. 2.2.*quæst.*61.*art.*4. vsurpatam, vt quantum aliquis læsit, tantum lædatur, dentem pro dente, oculum pro oculo, & animam pro anima reddat: ad commutationes deinde voluntarias, in quibus est actio & passio, transtulerunt doctores. In hoc nihilominus contrapassio non consistere æquale quod iustum, siue ius appellamus, apparet imprimis in iustitia distributiua, quæ in constituenda æqualitate non attendit, quidnam aliquis in alterum, putà in Rempublicam egerit, sed tantum quænam sit eius dignitas, vt secundùm illam bona communia accipiat, aut onera participet: in communitationibus quoque non semper poneretur æqualitas, si semper idem specie quis pateretur, aut acciperet, quod fecit, aut dedit. Nam qui mutuo dedit centum dupliones, quorum singuli valebant decem francos, si eosdem nunc detracto valore principis lege, accipiat, non tantum accipit, quantum dedit, etiamsi idem in specie recipiat: quod etiam contingere in reparandis iniuriis latè ostendit Abulens. *in cap.21. exod. quæst.26.* qui enim principem percussit, non repercutitur tantum: qui damnum intulit non satisfacit, si idem ab illo tollatur: quia nullum ipse damnum patitur: quare manet compensanda iniuria tum alteri, tum Reipublicæ facta: neque æquum est, vt qui accipit, v.g. modium tritici, det modium auenæ, etsi sit eadem quantitas, aut qui rem alterius accipit, suam det, vt in variis opificibus ostendit Aristoteles: nam ædificator non dabit domum sutori, à quo crepidam accipiet deinde plurimum interest, inquit Aristoteles *lib.5. Ethic cap. 5.* sponte, an inuiti fecerimus: quia vti obseruat *ibid.* S. Thom. *lect.8.* aliam intulit iniuriam, qui sponte læsit; aliam qui inuitus aut nesciens, aut coactus; ex his siquidem omnibus crescit, aut decrescit iniuria, cùm tamen in contrapasso semper idem ponatur, atque ita non satisfiat pro iniuria, quæ tamen maximè reparanda fuerat ad æqualitatem. Quare siue lex talionis, Iudæis olim permissa, iusta esset, siue non, quod modo non disputo, adi Abulens. *in cap 24 Leuit. & cap.15. & 14.* Loren *in idem caput, ad v.19.* Farinac. *q.16. tom.1. pract. crimin.* Sal. *tract.14 disp.7. s. v.* & alios: non sufficit semper ad æqualitatem iniuriæ. Idcircò de ea lege xii. tabolarum: *Si membrum rupit, ni cum eo pacit Talio esto*, sic enim legendum esse obseruat Cuiac. Balduin. & Ruard. Plurimæ sunt Phauorini Philosophi apud Gellium querelæ, de quibus aliàs: oportet igitur vt inquit S.Thom. *lect. cit.* Secundum quandam proportionatam commensurationem adæquare actionem passioni, quam proportionem ait Philosophus consistere in iusta rerum æstimatione secundum indigentiam & vsum hominum, quia maioris & minoris æstimatur res, prout magis, aut minus illis indigemus ad finem aliquem humanæ vitæ necessarium, vel vtilem, vel iucundum. Est igitur æquale communitatiuum contrapassum non absolute, sed secundum proportionem & æstimationem vt tanta sit passio, quanta fuit actio, quamvis sint diuersorum generum & specierum.

R. P. Ioseph. Gibalinus de Sciem, Can.

Secunda iuris acceptio pro legitima facultate quidpiam agendi, aut habendi.

Secundò ius significat legitimam facultatem aliquid agendi, aut obtinendi quæ sine iniuria violari nequeat. Quam definitionem, & acceptionem iuris solis ferè exemplis illustrandam esse monet Molin. *tract.2. de iustitia, disp.1.* quod accurate præstitit Brisson. *lib.9. de verb. signif.* Inde enim dicitur ius ædificandi, alluuionis, aquæ ducendæ, compascendi, ius gladij, hastæ fisci, inferendi mortuum & similia, quæ passim occurrunt. Inde quoque alieni, aut sui iuris esse, vel fieri, inde denique ius integrum, saluum imminutum pristinum, & cætera eiusmodi; hæc itaque facultas potestas quædam est, & idcircò includit ordinem ad aliquid quod fieri possit, v.g. vti rebus suis, induere suam vestem, decerpere poma ex suis arboribus, accipere quod sibi iniustè fuit ablatum, neque tantum rationem potentiæ actiuæ habet ista facultas, sed etiam passiuæ: est videlicet aliquod ius vt quidpiam recipiamus, nobis aliquid fiat, aut non fiat, alamur, custodiamur, seruitius & obsequium nobis exhibeatur, ne iniuriam patiamur, ne lædamur, ne impediamur ab vsu rei nostræ. Addit Less. *lib.2. cap.2.* Tertiam quandam potentiam resistendi aut impediendi sed ea ad actiuam reuocari facile poterit. Ne quis, v.g. ædificet in tuo solo, ne fenestram aperiat in tuum hortum, aut aream: ne officiat tuis luminibus, ne venetur in tuo nemore. 5

Obiectum itaque huius facultatis siue potestatis assignant aliqui functionem, aut quasi functionem; nomine verò functionis significant actionem aliquã, & liberum vsum rerum suarum; quasi functionem autem appellant possessionem ciuilem, aut naturalem, retentionem dominij, status, & conditionis. 6

Dixi porrò hanc facultatem debere esse legitimam, hoc est, lege siue naturali siue quapiam alia concessam; alioquin ius non esset, sed iniuria: Et quia multiplex ac diuersa est lex ipsam concedens, ita & ipsa facultas multiplicari poterit.

Ex eo autem quod sine iniuria violari non possit, distinguitur ab omnibus aliis facultatibus, à naturalibus quidem; illis enim resistere licet absque iniuria, cuius incapaces sunt creaturæ irrationales. Quis enim dicat fieri iniuriam lapidi, dum prohibetur à descensu, aut boui, si abigatur à pascuis, quanquam iniuria irrogetur domino, qui ius habet pascendi in eo loco, à cæteris quoque facultatibus moralibus eadem ratione differt ista facultas: qui enim prohibetur à peccato, non patitur iniuriam, quia licet habeat facultatem peccandi; non tamen habet legitimam, quod requiritur ad iniuriam, quæ violat ius, seu facultatem legitimam quidpiam faciendi, aut habendi, violat inquam, sine causa legitima, alioquin, neque tollitur ius ab habente, neque committitur iniuria: qua ratione ne-

gatur gladius domino sui impotenti, & plurima iustissime prohibentur à principe ad bonum commune totius Reipublicæ.

7 Quæri porrò posset vlterius, quidnam sit hæc facultas hactenùs explicata, siue ius. Molin. *tract. 2. disp. 5. n. 2.* ait esse habitudinem siue relationem personæ ad id ad quod est talis facultas. Less. *lib. 2. cap. 2. num. 3.* esse quidpiam morale, non physicum ex Dei vel hominum deputatione, sicut esse magistrum, esse doctorem, Suar. *lib. 1. de legibus, c. 2. n. 5.* facultatem moralem nominat: Valent. *2. 2. disp. 5. q. 22. p. 1.* mavult esse relationem rationis, quæ tamen magni æstimetur.

Mihi quidem certum videtur contra quosdam recentiores non esse aliquid Physicum: nam si quid emptione, donatione, aliovè iusto titulo acquisiuisti, & illud à te tollatur rationabiliter inuito, violatur tuum ius; non apparet tamen quænam qualitas physica tollatur: Deo quoque ratione creationis nouum ius temporale in creaturam accedit, non tamen vlla physica qualitas aduenit, alioquin physicè mutaretur. Deinde quænam assignabitur causa effectiua huius qualitatis physicæ, quæ aliquando per solam cessationẽ actionis producitur? Si enim moriaris, & alius in loco distanti existens, acquirat ius in tua bona, & hæreditatem: an tua mors in subiecto distante eam qualitatem Physicam noui iuris produxit? Præterquam quod in vna eademque persona idem ius aliquando simul perditur, & retinetur ratione diuersorum locorum, vti vides in eo, cuius peccatum alicubi publice proditum est, & alibi manet occultum; in vno enim loco ius famæ integrum retinet, quod in alio perdidit. Denique cur potius ius istud erit qualitas physica, quam obligatio illi correspondens, v. g. ius creditoris in debitorem, asseritur qualitas Physica, cur idem non dicetur de obligatione debitoris aduersus creditorem, cui realiter obligatus manet debitor? Quod igitur alias monui de similib. facultatibus moralibus hoc ius non est aliqua qualitas, & entitas Physica superaddita personæ; sed ipsamet persona rationalis connotans aliquam actionem aut passionem, seu propriam illius personæ, siue alienam à qua intelligitur ea facultas manare: quia tali actione posita, verè eam facultatem habet talis persona; etsi enim nullam nouam entitatem Physicam habeat in ordine, tamen ad hos effectus vtendi, aut disponendi de aliqua re perindè se habet, ac si possideret aliquam vim, aut potentiam Physicam, & hæc potentia siue facultas morale quidpiam est.

Tertia iuris acceptio pro lege.

8 Tertiò passim accipitur ius pro regula operationis iustæ siue pro lege, quo sensu dixit Aristoteles *l. 1. politic. cap. 2.* ius esse iusti iudicium, & ordinationem Ciuitatis, ἡ δίκη πολιτικῆς κοινωνίας τάξις ἐστίν, & S. Thom. *2. 2. q. 57. art. 1. ad 2.* legem nominat ius scriptum, quæ videtur quoque fuisse mens Augustini *q. 31. ex 83.* atque idcircò ius quasi iussum dictum voluit. Driedo *lib. 2. de libert. Christiana, cap. 10.* existimauit ius maximè significare tum legem, tum æquitatem lege præscriptam. Agell. *lib. 10. cap. 2.* legem definit generale iussum populi. Isidorus tamen *lib. 5. origin. cap. 3.* vult legem differre à iure tanquam genus à specie, quod pridem visum fuerat Ciceroni *lib. 1. de legib.* & Pomponio *l. 2. ff. de origine iuris.* Bolognet. *tract. de iure & lege cap. 14. n. 9.* distinguit tanquam effectum à causa; præceptum enim à lege positum dicitur ius. Lex autem est ipsa ratio principis imperans, & præcepta constituens. Quæ vox etiam transfertur ad scripturam, & verba quibus ratio interna ac voluntas Principis exprimitur. Et sanè cum Caius *l. omnes populi, ff. de instit. & iure,* & Iustinian. *§. quod verò, instit. de iure nat. gent. & ciuil.* ius gentium esse dicant, quod naturalis ratio inter omnes homines constituit, manifestò docent iuris nomen non ad legem sed ad præcepta, quæ ab ipsa lege ponuntur pertinere. Quare quod dicunt omnes populos partim suo iure propriu, partim communi omnium hominum regi, significat partim propriis, partim communibus præceptis gentes omnes informari. Neque aliud existimauit Vlpian. *l. 1. ff. de inst. & iur. Priuatum,* inquit, *ius tripartitum est, collectum enim est ex naturalibus præceptis, & gentium, & ciuilibus.* Ius igitur est quod à lege præcipitur: in præcepto autem duo sunt; primum est ipsum iussum, siue iussus, aut iussio; alterum est res iussa, siue præcepta: ius autem est ipsa iussio, & actus tum interior, tum exterior, quo aliquid imperatur, quæ enim nos iura, vetustiores Romanos dixisse iussa Festus est author, propter ea quod iis iussus semper inest, & ideò a iussu iuris vocabulum deriuat Agricol. *lib. 1. de inuent. dialect.* Res porrò iussa, siue præcepta, iustum dicitur ab Aristotele, vti statim exponam, quia tamen tum ratio præcepti ipsius, tum iussio siue imperium & præceptum, tum res imperata & præcepta maximam inter se connexionem habent, immò essentialiter requiruntur ad legem, fit vt nomen legis hæc tria significet, & pro singulis vsurpetur, & maximè pro iussione, & re iussa siue pro præcepta ipsum autem ius pro lege accipiatur.

Quarta iuris acceptio pro statu, qui ex lege in rem aliquam resultat.

Ex hac tertia iuris acceptione sequitur quædam alia, quam Bolognet. *tract. cit. cap. 15. n. 15. & 16.* exponit. Cum enim legis determinatio, dispositio, siue præceptum, quod ius appellari diximus in rem, quam imperat, aut de qua quidpiam constituit, inducat nouum quendam statum, siue conditionem, quam non habet a sua natura, & seclusa ea legis determinatione, hunc ipsum statum rei à lege inductum ius nominamus, sicut sæpius statum, & conditionem naturalem cuiusque rei, eius naturam dicimus, v.g. quod fundus aliquis fertilis sit, quod vmbrosus vel apricus, naturalis status est; quod verò datus fuerit in dotem, atque ita oneribus matrimonij destinatus alienari nõ possit, & soluto matrimonio sit restituendus, est status iuris, & altera quasi natura, quæ illi fundo non quidem quà fundus, sed quà fundus talis est, accessit à iure, & hoc totum quidquid est, ius appellatur, quare & actio, quæ ex eo statu & conditione, siue iure competit, eiusdem iuris naturam assumit. Hinc dixit Vlpian. *l. si vnus, §. Pactus, ff. de pactis,* incipiet dos redire ad ius suum, quoties enim ad ius, quod naturæ eius tribuit de dote actio redit, non fit causa dotis deterior, sed suæ formæ redditur. Hinc apud iurisconsultos frequens est illud optimo iure esse, optimo iure haberi, hoc est, optima iuris conditione vel statu esse. Et quia hæc conditio profluit ex iuris dispositione; idcircò ab ea minimè distinxerunt Doctores ipsamet legis dispositionem, & tum eam, tum conditionem ab ea deriuatam iuris nomine significarunt. Quo sensu pœnam & onus à lege alicui impositum ius dixerunt, qua ratione interpretaberis illud Iustinian. *in nouell. 89.* & *authent. quibus modis naturales efficiantur sui.* Vbi ait Imperatores inuenisse modum, per quem naturales liberi priori iure liberati, legitimi fierent & paternæ substantiæ successores. Vbi interpretes vulgò dicunt iuris nomine significari pœnam ob defectum natalium; cum tamen illa incapacitas succedendi 9

succedendi in bona paterna, non sit pœna respectu liberorum naturalium, sed conditio quædam & status inductus à lege, qui ideirco iuris nomine exprimitur: simili ratione verba illa Papiniani *in l. cum hæres, ff. de diuersis & temporalibus præscriptionib.* Cum hæres in ius omne defuncti succedit, ignoratione sua, defuncti vitia non excludit. Ita exponunt vulgò doctores, vt dicant ius significare vitium, quia succedit in defuncti vitia qui succedit in eius ius, verùm liquidò constat nomine iuris designari statum, in quo defunctus constitutus erat; cum enim propter vitium vsucapere non posset, aliud idem vitium facit, vt neque eius defuncti hæres illius nomine vsucapere possit. Quidquid igitur in re aliqua ponitur, ex legis constitutione ius dicitur: atque inde nata est vulgaris illa locutio, qua dicitur aliquid fieri ipso iure, id est, à sola lege, nullo alterius facto, aut adiumento accedente, cum tamen nihil dicatur fieri ipsa lege, quamvis is totus effectus oriatur à lege & lex ac ius sæpius confundantur, frustraque rationem huiusmodi loquendi nonnulli quærunt, cum alia non sit præter vnum vsum & priscorum sapientum consuetudinem, nam conditionem & statum rei non modo ius, vti ostendimus, sed etiam legem dici constat, vt lex venditionis, donationis, locationis, pacti, contractus. Vide *l. cum in lege* 43. *ff. de contrah. empt.* & *l. in l. fundi* 77. *ff. eod. tit.* & Brissonium latè *lib.* 10. *v. lex.*

Comparantur inuicem iuris acceptiones allatæ.

20 Atque hæ sunt præcipuæ iuris acceptiones quæ faciant ad nostrum institutum, quæ si inuicem comparentur, statim apparebit ita inter se connecti, vt vna aliam connotet.

Nam ius quatenus significat æquale siue iustum, & opus cum alterius debito moraliter adæquatum, est obiectum iustitię specialis virtutis; idcircò Epiphanes Carpocratinus *lib. de iustitia* apud Clemen. *lib.* 3. *stromat.* definiuit iustitiam communionem cum æqualitate, indeque insulsissimè concludit spurcissimam communionem vxorum, multa tamen differit de æqualitate quam in vniuerso condendo seruauit Deos; sed elegantius illam explicuit Philo. *lib. de Creat. int.* vbi æqualitatem matrem iustitiæ dixit, atque in sole eam expressit; in eundem sensum Pithagoræi monitum de non transilienda æqualitate Clem. 5. *stromat. cap.* 3. & Hieronym. *Apolog. aduers. Ruffin.* de iustitia interpretantur, & sanè iustum atque æquale intendi à iustitia nemo negabit, cum ea reddat vnicuique suum, siue ponat æqualitatem cum iure alterius, vt in omnibus commutationibus, restitutionibus & distributionibus constans inductio docet.

21 Hinc fit primò medium iustitiæ rectè dici à S. Th. 12. *q.* 64. *art.* 2. & 22. *q.* 58. *art.* 9. medium rei, medium autem aliarum virtutum medium rationis, quia etiamsi harum virtutum medium sit aliquando in re ipsa, vt in certa cibi aut potus quantitate; illud tamen neque præscribitur præcise ex conditione & quantitate rei in se spectatæ, sed ex habitudine & comparatione ad operantem pensatis variis circumstantiis, secus quam accidat in iustitia, quæ res adæquandas inter se solum considerat, vt iam initio monui.

22 Secundò sequitur medium iustitiæ per se loquendo esse vnum, & idem in omnibus, quod obseruat Suar. 5.2. *tract.* 4. *disp.* 3. *sect.* 6. *n.* 7. quamvis per accidens ex ignorantia, aut aliqua difficultate & qualitate personæ variari possit; cæterarum autem virtutum medium multiplex est pro diuersarum personarum, quas attendunt, ratione, vnde & magis occultum est, & sola ratione discerni debet, cùm æqualitas rei ad rem, seclusa omni consideratione personæ, semper eadem sit, & quodammodo in indiuisibili consistat.

Tertiò colligit inde Caietan. t. 2. *q.* 64. *art.* 2. Suar. *l. c.* Valent. 1.2 *disp.* 5. *q.* 7. *punct.* 2. cur iustitia non sit media inter duo extrema vitia sibi opposita, quia non læditur nisi per defectum, non autem per excessum. Cum enim rectitudo aliarum virtutum consistat in commensuratione quadam ad operantem positis variis circumstantiis, facilè tum per defectum, tum per excessum læditur; atque ita eæ virtutes mediæ semper sunt inter duo extrema vitia sibi oppositæ. At verò medium rei quod constituit æqualitatem inter duas res, non tollitur nisi per defectum quia non datur vni, quod ipsi debetur, sed minus, cùm autem datur vni plusquam ipsi debeatur, non peccatur præcisè ex eo excessu contra iustitiam. Nam vel eiusmodi excessus consistit tantum in prauis circumstantiis tantam dationem non exigentibus, seruata tamen rei æqualitate, & tunc non peccatur contra iustitiam, sed contra prudentiam, aut aliam quamlibet peculiarem virtutem, quæ illum excessum prohibet, aut excessus est in ipsamet res data, quia plus datur vni quam debeatur, & ideò non datur alteri quod ipsi debetur, atque adeo violatur æqualitas, & medium rei destruitur. Tunc autem non committitur formalis iniustitia, nisi præcisè; quia minus datur vni, quam illi debeatur, violaturque eius ius, & fit ipsi iniuria, non autem illi cui plus datur quam debeatur, vt patet; vnicum igitur tantum vitium formaliter opponitur iustitiæ virtuti speciali: quare dixit S. Thom. 2.2. *q.* 79. *art.* 1. seruari æqualitatem iustitiæ nullum proximo nocumentum inferendo, quia nempè violari nequit ea æqualitas, nisi violando quod debitum est.

Quartò sequitur per iustitiam hominem ordinari ad alterum per alias virtutes in se se perfici, quandoquidem iustitia ponit æqualitatem cum iure alterius. 14

Quintò denique iustitia versatur circa operationes, & aliæ virtutes circa passiones, quod aduertit S. Th. 2.2. *q.* 58. *art.* 9. quod malè impugnat Buridan. *lib.* 5. *Ethic. q.* 1. iustitia enim cum ponat æqualitatem, vt diximus cum iure alterius, non fertur nisi in operationes, quibus eam æqualitatem ponit, vti amplius explicant Caietan. *in art.* 8. *q.* 58. 22. Richard. *in* 3. *dist.* 33. *art.* 3. *q.* 1. Valent. 2.2. *disp.* 5. *q.* 2. *punct.* 3. quia verò aliæ virtutes hominem in se perficiunt, quod assequuntur cupiditatum, & passionum temperatione, idcircò eiusmodi commotionibus regendis maximè incumbunt, quas non attingit iustitia nisi per accidens, quatenus impediunt æqualitatem & rectitudinem ab ipsa ponendam, immò neque tunc cohiberi passiones ab ipsa iustitia, sed à virtutibus comitantibus & auxiliantibus contendit Aragon. 2. 2. *q.* 58. *art.* 9. 15

Secundò ius acceptum pro legitima facultate aliquid faciendi, aut obtinendi est mensura operis iusti, siue æqualitatis, atque adeò iuris pro æqualitate sumpti, à quo proinde essentialiter connotatur. Quare Rebell. 1. *part. de oblig. iustit. lib.* 1. *quæst.* 1. *n.* 23. ait ius sumptum pro legitima facultate nominari ius mensurans, ius autem quod est æqualitas, dici ius mensuratum. Tunc enim opus dicitur iustum & æquale, quando commensuratur iuri, seu facultati legitimę, quam alter habet ad aliquid faciendum vel obtinendum, quod ius supponit in alio debitum, & idcircò debitum, & ius dicuntur correlatiua. Si enim habes ius aliquid faciendi aut obtinendi, statim nascitur in alio debitum, aut obligatio tibi aliquid præstandi, aut te non impediendi, & obligatio dici solet vinculum iuris; quia nimirùm non est ipsum ius, sed aliqua 16

affectio,& veluti proprietas ipſum conſequens. Quia igitur opus iuſtum conſiſtit in æqualitate, & commenſuratione debiti, & obligationis ſuius cum iure alterius, vt tantum detur, quantum alienum ius poſtulat, fit, vt neceſſariò hoc ius tanquam proxima menſura ac regula reſpiciatur à iuſtitiæ virtute, eiúſque obiecto; vnde Leſſ. *lib.* 2. *cap.* 1. *n.*7. vocat eiuſmodi ius obiectum formale Rebell.autem 1.*part. lib.* 1. *q.*1. *n.* 24. rationem formalem, ſub qua ponitur à iuſtitia æquale.

17 Obſerua tamen quamvis iſtud ius ſupponat tanquam correlatiuum debitum alterius, quod proindè intrinſecè & eſſentialiter connotatur ab obiecto iuſtitiæ,non reperiri tamen neceſſariò in omni perſona, quæ interuenit in actu iuſtitiæ: nam qui reparationem iuſtitiæ petit à iudice, non habet debitum illam petendi, ſed ius; in reo autem eſt debitum ſatisfaciendi, & in iudice reum plectendi. Creditor, qui rem ſuam coram prætore aduerſus debitorem proſequitur, ducitur ex affectu iuſtitiæ,vt ex S.Thom. colligit Rebell. *q. cit. n.*15. *&* 30. non tamen tenetur petere debitum,quod poſſet condonare,tenetur verò debitor ſoluere; & adæquare ius alienum, quam adæquationem, quia vult & proſequitur, Creditor vult & facit actum iuſtitiæ,& qui ſolutione anticipata diſſoluit æs alienum, quod nundum contraxit, etiamſi tunc non obligetur ad eum actum iuſtitiæ, tamen debitum in ſuo actu ſupponit, & commenſurat illud iuri alieno, vbi tenebitur pro aliquo tempore. Quare malè aliqui negant apud Turrian.2.2. *tom.*2. *diſp.* 1. *de iuſtitia, q.*2. æquale quod eſt obiectum iuſtitiæ particularis ſemper ſupponere obligationem in iure alieno fundatam, vide de Lugo *diſp.*1. *de iuſtit. ſect.*1. *in dubio incidenti*, vbi oſtendit requiri quidem debitum in actu iuſtitiæ, ſed non perſeuerans & actuale, ſed ſaltem quod præteritum fuerit,cum idem debitum bis poſſit per actum iuſtitiæ extingui.

18 Grauior difficultas eſt in eo, quod hoc debitum cum quo iuſtitia ponit æqualitatem, non ſatis diſtinguatur à debito obedientiæ,aliarumque virtutum,niſi per ordinem ad iuſtitiam;atque ita committitur in definitione iuſtitiæ vitioſus circulus,& explicatur ignotum per ignotius;nam iuſtitia reddit debitũ alteri;debitum autem eſt quod adæquatur à iuſtitia, quod enim ſuperius diximus cum Mulina,iſtud debitũ eſſe illud, in quo violando committitur iniuria,æquè obſcurum videtur. Quæritur enim quale ſit debitum,cuius violatio opponitur iuſtitiæ, & iniuriam ſiue iniuſtitiam committit: ſicut, ſi diceres debitum obedientiæ eſſe illud, cuius violatione committitur inobedientia, malè omninò illud definires, non ſatisfacere quoque videtur, quod hoc debitum fundetur in poteſtate legitima aliquid faciendi aut ſuſtinendi, quia quærendum ſemper reſtat, quid ſit illa facultas legitima, quam reſpicit iuſtitia,& non aliæ virtutes:nam etiam obedientia reſpicit legitimam ſuperioris poteſtatem in actiones ſubditi. Idcircò de Lugo *diſp.* 1. *ſect.* 1. *de iuſtitia,num.*5. ait hoc ius,ſiue debitum eſſe prælationem quandam moralem, qua hic homo præfertur omnibus aliis in vſu talis rei propter connexionem quandam quam habet cum eadem re in ordine ad eius vtilitatem,atque in ea connexione,& prælatione fundari vult, meum, actum: quod fuſiſſimè ibidem proſequitur. Quæ omnia vt vera ſint, docendum vlterius erit, quodnam ſit fundamentum morale illius connexionis, & prælationis rei in ordine ad vtilitatem rei, quæ tota expendi in vſus, aut vtilitatem eius, cum quo ita connexa eſt,debet. Illud verò fundamentum aliud eſſe non poteſt, quam dominium, aut legitima facultas, quam proinde dicebamus menſurare alienum debitum, & obligationem, itaque ad illam tandem deueniendum erit, neque committitur circulus inter hæc correlatiua,& inter ius menſuratum, & menſurans; hoc autem ius menſurans, & legitima facultas aliquid faciendi aut obtinendi,oritur à lege,quæ eſt eius prima origo & regula. Sumo autem legem ampliſſimè pro lege naturali & poſitiua, diuina & humana;illa enim ſic vniuerſaliſſimè accepta eam facultatem, quam ius dicebamus,tribuit: ideóque Chryſippus *l.* 2.*ff.de legibus*,vocauit legem *κανόνα δικαίων, καὶ ἀδίκων*, vt inferius exponam, & illa eadem lex facit eam connexionem moralem cum re, quæ in meam vtilitatem idcircò impendi tota debet, ſiue tribuit ius, & poteſtatem illa vtendi, & ne quis alius,me inuito,vti ipſa poſſit, ſiue eius vtilitatem percipere, quod ſi faciat, violat meum ius, & inæqualitatem reuerà ponit cum meo iure, quod fuſiùs 1. a. docuimus,inde etiam naſcitur vltima illa ſignificatio iuris pro conditione, & ſtatu, quem lex imprimit quodammodo rei.

Vera iuris acceptio in hoc tractatu.

In his tamen omnibus iuris acceptionibus ius preſſius ſumitur, & ferè prout attenditur à peculiari virtute iuſtitiæ, cuius obiectum, vel menſura & regula, ſiue proxima, ſiue remota exiſtit. Itaque in hoc tractatu noſtro ampliandæ ſunt hæ omnes ſignificationes, ita vt ius pro opere iuſto ſumptum non ſignificet dumtaxat illam æqualitatem quæ ponitur,& attenditur à peculiari virtute iuſtitiæ, ſed omne opus honeſtum, quod adæquatur cum recta ratione: quo ſenſu iuſtitia nonnunquam ſumitur pro communi virtute quæ cæteras omnes complectitur, cum ſingulæ virtutes aliquam partem naturalis rectitudinis delibent; & ſuo modo rationi rectæ adæquentur,& idcircò Ariſtoteles dixit: virtutes omnes non proprias, ſed alienas *ἀλλοτρίας* eſſe,quæ non proprium tantum, ſed alienum commodum ſpectant, atque iuſtitiæ partes quædam exiſtunt, ius præthereà quod eſt legitima facultas aliquid faciendi, aut habendi, non debet reſtringi ad ſolam illam facultatem, quam ius rigoroſum nominamus, & quæ ſupponit in altero propriè dictam obligationem ponendi æqualitatem cum alieno iure, ad cauendam iniuriam, ſed pro facultate quacunque rectè operandi à quacunque lege conceſſa vſurpandum erit, ſicut & ius pro lege non tantum iuſtitiam, ſed omnes alias materias, in quibus, & de quibus aliquid præcipitur, reſpicit, quod idem de effectu legis, ſiue conditione, quæ ex vi legis aliquid ſancientis inducitur, dicendum erit, atque ita ius ampliſſimè acceptum conſiderandum nobis erit in toto iſto opere, in quo non agemus de ſolis iuſtitiæ particularis legibus, ſed de toto iure Eccleſiaſtico, quod plurium virtutum materias complectitur, vt patebit. Itaque toto iſto tractatu nomine iuris,vel legem,vel iuſſum legis,& præcepta, & quidquid ex lege ſequitur accipimus, & ſæpius ius cum lege confundimus, duaſque illas voces ſine vllo diſcrimine accipimus. Ita dicimus ius naturale, & legem naturalem ius gentium, moribus gentium tanquam aliqua communi lege ſtabilitum, ius ciuile, & legem ciuilem, ius denique Eccleſiaſticum, & legem Eccleſiaſticam, ſiue canonicam tanquam ſynonima vſurpamus, quod ſemel obſeruaſſe ſufficiat. 19

QVÆSTIO II.

Consectaria ex doctrina superiori.

Consectarium primum. Quomodo differant apud Aristotelem δίκαιον, δικαίωμα, & δικαιοπράγημα.
Consectarium secundum. An ius differat ab æquitate.
Consectarium tertium. Vulgata definitio iuris, iurisprudentiæ, & iustitiæ.
Consectarium quartum. An ius deriuetur à iustitia.

CONSECTARIVM I.

Conani opinio. n. 1.
Bologneti mens. n. 2.

1 COnanus *lib.* 1. *cap.* 2. obseruat ius esse id qood lex, & ratio iubet; iustum aotem quod ex legis, & rationis præscripto fit. Itaque ius est antequam fiat: Et iustum vbi factum est, atque ita interpretatur Aristotelem, dum δίκαιον, & δικαίωμα, siua δικαιοπράγημα inter se distinguit, vult enim Conan. δίκαιον esse ius, & præscriptum legis; δικαιοπράγημα verò opus iustum ex præscripto legis factum. Verùm contrarium omninò voloit Aristoteles, si Argyropili versionem, & Iacobi Fabri Stapulens. commentarium sequamur: ibi enim comparat ius cum iusto, sicut iniuriam cum iniusto, iniustum autem aliud à natura, aliud ab hominum institutione, siue lege proficisci dicit. Quandiu igitur aliquid in vniuersali regula, contra quam peccatur, continetur; tunc iniustom dici putat, vbi verò ea regula certis personis est applicata, & io opus deducta, iam aduersus illam non est amplius iniustum, sed iniuria v. g. iniustom est adulterium committere, legatos violare, rem alienam subripere; ista enim pugnant cum lege, & ratione contraria, vbi autem adulterium à Tarquinio cum Lucretia fuit admissum, Legati Romanorum fuêra violati, Caij pecunia à Semptunio clanculum accepta: iam iniuria fuit commissa: quod idem de iure. (Sic enim δικαίωμα vertit Argyropil.) affirmat Aristoteles, sicut igitur non dicitur iniuria, nisi facta, & commissa actû sit, ita etiam non dicitur ius, nisi factum ipsum positum sit; sed id omne, quod pugnat cum lege, aut ipsi consonat, dicitur iniustum, aut iustum, quandiu non mandatur executioni, vbi verò perfectum reipsa est, dicitur ius, aut iniuria.

2 Veriùs tamen Albertus Bolognet. *tract. de iure, & lege, cap.* 14. *num.* 6. aliam longè esse Aristotelis mentem suspicatur, & apud ipsum δικαίωμα, & δικαιοπράγημα, non significare ius modo explicatum, cùm tale nomen nunquam datum fuerit singularibus factis, neque illud vsurparint aliquando Doctores, vt significarent quid factum esset, sed quid faciendum foret. Aduertit itaque Bolognet. Græcos caruisse voce, qua ius significarent, cum illud per νόμον legem, & δίκαιον iustum expresserint. Idcircò Aristoteles 5. *Ethic.* iostum legitimum dixit, quod nos ius nominamus. Quod autem Græci per δικαίωμα, & δικαιοπράγημα significant, nos vna voce explicare non possumus, S. Thom. quidem & Buridan. iustificationem dixêre, sed barbaro vocabulo: quare pluribus vocibus vtendum est, ita vt δικαιοπράγημα dicamus rectè factum, sed illud quod spectat ad amendationem iniuriæ quod barbarè iustificationem nominamus. Sic obseruat Eustath. qui illud δικαιώσει τὸν Κόρινθον ὁ Ζεὺς, Iupiter Corinthum iustè emendabit, explicat, iustificabit: Estque perspicua mens Aristoteles καλεῖται δὲ, inquit, μᾶλλον δικαιοπράγημα τὸ κοινὸν δικαίωμα δὲ τὸ ἐπανόρθωμα τοῦ ἀδικήματος, noluit igitur Aristoteles statuere discrimen aliqood inter iustum & ius; sed inter δικαίωμα, & δικαιοπράγημα, cum vtrumque sit iustum factum, sed vnum commune, alterum iniuriæ duntaxt emendatiuum. Ius verò prout à iusto distinguitur, nominatur ab Aristotele iustum legitimum δίκαιον νομικόν. Ius itaque est lex ipsa, siue vt monebamus, præceptum legis, iustum autem est, res ipsa iussa & præscripta lege, quandiu à rebus, personisque singularibus abstracta, in nuda iussione, & imperio continetur, vbi autem quod lege præcipiebatur effectum est, iam non dicitur ampliùs δίκαιον, siue iustum, sed δικαιοπράγημα, siue iuste factum: quod si illud factum emendauerit iniuriam priùs commissam, nominatur δικαίωμα. Ex quibus vides quomodo iustitia despicit tanquam obiectum suum illa tria δίκαιον, δικαιοπράγημα, & δικαίωμα: nam & opus iustum facit ponendo æqualitatem, quam cum iure, & legis præscripto mensurat, & inæqualitatem contra ius, & per iniuriam positam emendat.

CONSECTARIVM II.

An ius differat ab æquitate.

Ratio difficultatis. n. 1. & 2.
Æquitas ius. n. 2.
Obiecta diluuntur. n. 3.
Glossa reijcitur. n. 4.

CVm æquitas ab æqualitata videatur appellata, vti obseruat August. *lib. de quantitate animæ, cap.* 9. & ius constituat, aut significet æqualitatem, vti hactenus diximus; statim apparet. vel ius idem essa, quod æquum, vel saltem æqoom, aut æquitatem tanquam proprium obiectum respicere, qua de causa August. *loco cit.* iostitiam dixit æqulitatem: idcóque stateræ & libræ imagine exprimebatur Prou. 16. *Momentum statera iustitia apud Deum, & opera eius statera iusta.* Et Homer. dixit Iouem ὑψίζυγον ex alto librantem, monétque Eustath. inde natum asse Prouerbium, ζυγὸν πρὸς δίκην ἀθύνῃ, libra ad ius rectior: & qood fusiùs exponit Bodin. *lib. 6. de Republ. cap. 6.* παρὰ ζυγοῖς, καὶ κλήροις. 1

Licet igitur æquitas dicatur aliquando emendatio, & correctio ioris, quod lib. sequenti fusissimè docebimus; Ius tamen, quod corrigit, verum ius non erat, si iniquum erat, & ista correctio, aot emendatio veri iuris, iniustitia, aut iniuria non est, neqoe deflexio à iure, sed mollis quædam inflexio summi & stricti iuris, intra æquitatem tamen; itaque summum ius & strictum, est æquum ac bonum: impossibile anim est, vt rigor ioris non sit maxima æquitas: idcóque quod passim dicimus æquum & bonum, Sallust. dixit, verum & bonum ius, bonúmque Enni. apud Nonn. melius est virtute id est, separat procul; nihilominus ios medium, sine in quadam mediocritata consistens; æquitas potius, quam ius nominatur ab Arist. & cæteris. Hinc *l. si seruos* 25. *ff. de pignorat. act.* dicitur mediè, omnia esse à iudice despicienda; vt neque dalicatus debitor, neque onerosis creditor audiaror, & *l. filio, ff. vt legatorum nomine caueatur*, malius esse per mediocritatem, causam dirimera, in qua mediocritate semper

semper vides, æquitatem ac ius reperiri. Hinc factum porrò est, vt iustitia dicatur illa ipsa æquitas, quæ in iudiciis rigorem iuris temperat. Sic *l. placuit, C. de iudiciis: Placuit in omnibus rebus præcipuam esse iustitiæ æquitatisque, quàm stricti iuris rationem:* vbi ius strictum malè aliqui interpretantur ius scriptum, cum reuera legendum sit ius strictum, cuius est prædura, & ab humanitatis regula aliena interpretatio, & opponitur æquitati, vt homo barbarus politico, inquiunt iurisconsulti, ea igitur æquitas iustitia dicitur, vt vides, atque ita intelliges *l. eos, §. si quid, C. de appellation.* iustitiam præcipuè in iudiciis locum habere debere, id est, lenitatem & humanitatem, & Adrian. in suo edicto ad Taurio. *Et iam in maioribus delictis refert consulto quid admittas, an casu & in omnibus criminibus, hac distinctio, aut pœnam, aut iustitiam prouocare debet, aut temperamentum admittere*, vbi vides opponi pœnæ iustitiam, quæ Clementiam & veniam significat. Temperamentum esse animaduersionis moderationem, intra limites tamen æquitatis & iustitiæ.

2 Ius igitur, vel æquitas ipsa est, vel eam ponit aut præscribit, quanquam ex vsu frequentiori vocum, ius pro rigore iuris, æquitas pro eius moderatione propter varias circumstantias, quas lex & iuris præcepta non tradiderant, passim vsurpetur. Exempla huius moderationis plura dabit Glossa in *l. placuit C. de iudiciis*, & nos vniuersales regulas in tali temperando iure seruandas alteri trademus. Obseruo duntaxat in præsentiarum nullum ius iniquum dici posse; nam vt initio monui, si iustum & æquum non est, ius non est: vnde est illud Pauli *l. penult. ff. de iustitia & iure: Prætor quoque ius reddere dicitur, etiam cum iniquè decernit*, relatione scilicet facta non ad id, quod ita prætor fecit; sed ad illud quod prætorem facere conuenit. Itaque iniqui Iudicis sententia non nisi impropriè ius dicitur, ex iisque explicabis dictum Meciani *l. seruo, 65. §. cum prætor, ff. ad S. Trebellian. Cum prætor causa cognita per errorem, vel ambitiosè iubet hæreditatem ex fideicommisso restitui, etiam publicè interest restitui propter authoritatem rerum iudicatarum.* Quæ verba non probant iniquas iudicum definitiones, neque volunt ius induci per iniustitiam prætoris, quandoquidem qui iniquè damnati sunt, litem denuò instituere possunt aduersus ipsum iudicem. Nam *l. filiusfamilias. ff. de iudiciis*, Iudex tunc litem suam facere intelligitur, cum euidens arguitur eius gratia, vel inimicitia, vel sordes. Quò eodem pertinet *tit. 49. de pœna iudic. qui malè iudic. lib. 7. Cod.* & quæ Hermenopal. *in protheoria sui operis* ex Leone, & Alexand. Imperatoribus refert in nummarios, & perditæ auaritiæ Iudices: ac demùm regia constitutio anni 1539. quæ casus, in quibus litē iudicibus ipsis intendere liceat, definit sanè Theodoric. apud Cassiodor. *lib. 1. epist. 12.* Sic Eugenium, quem nouo officio aduocationis ornatat, alloquitur: *Esto innocentiæ templum, temperantiæ Sacrarium, ara iustitiæ, absit à iudiciariis mentibus aliquod prophanum, Pio Principi sub quodam sacerdotio seruiatur*: apud Plutarch. dicitur *ἱερὸν βῆμα βουλαίου Διός.* Vt quid igitur Mecianus rebus iniquè iudicatis authoritatem tribuit: quia nimirùm non tam respuitur quid iudicatum, quam quid iudicandum fuerat. Cum enim iudex vbi sententiam dixit, siue bene siue malè dixerit; iam fuerit officio functus, *l. iudex posteaquam 55. ff. de re iudicata*, neque in eam causam quidquam amplius possit, fit vt res, etiam malè iudicata, habeat authoritatem rei iudicatæ, donec nimirum ab alio Iudice, ad quem prouocabitur, iniquum iudicium rescindatur, atque ita ius facere, & pro veritate accipi dicatur *l. ingenuum 25. ff. de statu homin. l. Res iudicata 207. ff. de regul. iuris.* præterquam quod nisi manifesta sit iniquitas sententiæ præsumi soleat pro æquitate iudicis, ne quilibet sumat authoritatem examinandi, damnandique Iudicum, & prætorum definitiones, atque ita eorum vilescat authoritas.

Non facit porrò contra hanc iuris æquitatem, quod vulgò dicitur communem errorem ius facere, 3
L. Barbarius, ff. de officio prætor. atque consuetudinem iniustam licet, iuris quoque vim obtinere. Nam neque propriè error ius facit, sed communis vtilitas, quæ postulat, vt nonnulla per facti errorem commissa, alioquin tamen iusta probentur, quod in singulis locis, quæ congerunt aduersarij, vt communi errori authoritatem adstruant, facile facit obseruare, & ille Barbarius, qui communi errore habebatur prætor, iustè iudicabat, eiusque iudicia rata sunt habita, quamvis ab existimato tantum prætore fuisse facti errorem, ex quo quando iustus est, solet quoque ius diuersum nasci, vti latius dicemus alibi. Consuetudo quoque quando facit ius, nunquam aliter iniusta est, quam quod aduersetur legi, quæ licet iusta sit, iustè tamen refigi poterat, vti ostendemus alibi.

Reiicienda igitur est glossa in *cap. Ius generale, distinct. 1.* quæ asserit dari aliquod ius, quod non 4
sit æquum, nec iustum, quod exempla, quæ adducit, minimè probant, nimirum insontem pœna canonica puniri, aut aliquo bono priuari propter alienum peccatum: maritus enim fit irregularis propter adulterium vxoris, si eam deinde cognouit, quod iniquum omnino est: verùm *in tractatu de irregular.* ostendimus nullam hic esse irregularitatem, nisi adulterium publicum sit, quod foueri, aut dissimulari suspicatur Ecclesia: præterquam quod irregularitas ex defectu inculpabili incurratur sæpius: quod iniquum non est, sed maximè æquum, cum ea ratione sacrorum maiestati, & sanctitati consulatur: Legem præscriptionis iustam esse & translatiuam dominij: atque ita eum, qui legitimè præscripsit non detinere alienum, docuimus *Tom. 5. de negotiat.* quare id male etiam adducit Glossa, vt ostendat ius aliquando sine ratione, aut eum ratione & causa induci contra naturalem æquitatem: in quo dicto secum pugnat Glossa, quia si causa & ratio est, non magis cum naturali æquitate, quam cum ipsamet ratione, à qua deriuatur naturalis æquitas, pugnare potest, & ne plura iura, quæ affert, vt probet puniri Innocentem pro alieno peccato, singillatius expendam, quod suis locis commodius fiet; nonnisi tantū id contingere, vel quādo crimen publicū est, cuius proinde pœnam singulæ cōmunitatis partes sine iniuria sustinent, maxime quando ea pœna consistit in priuatione alicuius boni, quo gaudebat ea nocens communitas, vel quando bonum vnius pendet ab alio, qui si illo priuetur, non potest ipsum in alium transmittere, vt dum ob læsæ Maiestatis crimen excidit bonis, illis quoque liberi excidunt; sed de iis fusius *tom. 2. de negotiatione rerum humanarum*, dum de pœnis disputaremus, dictum est.

Consectarium III.

Vulgata definitio iuris, iurisprudentiæ, & iustitiæ explicatur.

Ex hactenus disputatis exponendæ erunt vulgates 1
aliquot definitiones, quas habet Vlpian. Nam primo probat definitionem iuris à Celso traditam, quæ dicitur ars æqui & boni. Artem porrò interpretatur Cuiac. collectionem præceptorum circa æquum & bonum, tum notitiam, scientiam, & studium æqui & boni: quia ars id aliquando significat, atque ita ius concidet cum iurisprudentia, quam idem Vlpian. definit

finit iusti atque iniusti scientiam. Neque satisfacit Cuiac. dum ait ius esse notitiam, & scientiam æqui & iniqui; iurisprudentiam verò esse habitum animi: nam & scientia quædam habitualis existit, & æquè poterit ius definiri per notitiam habitualem atque ipsa iurisprudentia. Neque video, cur ius dicatur esse tantum iurisprudentiæ, eaque significatio longè aberit ab iis, quas iuri hactenus tribuimus, explicuimusque. Existimarim itaque definiri à Celso ius, prout est in mente Principis, & legislatoris, in eo enim dum condit legem, & ius dicit, hoc est, tradit regulas & præcepta de æquitate & honestate seruanda, & iniquitate atque turpitudine cauenda, debet omninò esse ars quædam æqui & boni constituendi: æquum enim & bonum ibi pro iusto & honesto sumi iam obseruauimus superiori Consectario, & latius tradit Corras. *lib. 2. Miscell.* 18. & Alciat. *lib. 1. parerg. c.* 30. Adducor in hanc expositionem, quod eiusmodi definitionem non iuri, sed ipsi legi tribuat Hermenopal. *lib. 1. tit. 1. §. 17.* νόμος ἐστὶ τέχνη τοῦ καλοῦ. Ars nimirum illa regendi populos, & definiendi, quid tanquam æquum & bonum sequi debeant, est lex, aut ius.

Iurisprudentia verò, quæ dicitur quoque ab Vlpian. *l. vltima, ff. de iust. & iure*, iusti & iniusti scientia, est cognitio illius artis, ac regularum ab ipsa positarum peritia; sapientes nimirum Iurisperiti eorum, quæ à iure statuta sunt, causas & rationes reddunt, & quomodo illa seruanda sint, & quatenus obligent, docent: non faciunt quidem ipsi Ius; sed consulti de iure respondent, quare non habent artem æqui & boni; quia non definiunt æquum & bonum, sicut principes scripto iure: neque tradunt regulas illas vniuersales, sed illas ad singulas causas applicant, & ideo habent scientiam iuris; quia sciunt quid à iure, & quemadmodum sit constitutum: idcirco dicuntur colere iustitiam, ipsiusque velut Sacerdotes esse, atque veram & non simulatam Philosophiam affectari, ab eod. Vlpian. *l. 1.* quam Philosophiam stoicam fuisse obseruat Cuiac. *tum in comment. ad illam l. 1. tum lib. 26. obseruat. c. vlt.*

Ex quibus sapienter aduertit Bologner. *lib. de lege, cap. 3.* leges humanas non ea dumtaxat præscribere, quæ ad iustitiam virtutem particularem pertinent; sed ad quascunque alias virtutes, & quæ æqui, siue honestatis naturalis ambitu continentur. Nam abiectio clypei in acie iniustitia non est ex Aristotele *5. Ethic. c. 1.* plectebatur tamen exauthoratione *l. 2. §. Ignominiam, ff. de his, qui notam infam*, & *l. Milites, §. missionum, ff. de re militari.* Adulterium libidinis causa dumtaxat commissum, intemperantia potius est, quam iniustitia, ex Arist. Illud tamen lex Iulia capite damnabat. Atque ita de cæteris, quæ passim leges, imperant, aut prohibent, etiamsi ad alias virtutes, aut vitia, quàm ad iustitiam, aut iniustitiam reuocentur, & sanè cum Legislatores debeant bono communi totius Reip. prouidere, illudque non consistat in vnica tantum iustitia; sed in pluribus aliis, de iis omnibus aliquid præscribere debent, vt de Religione, de militia, de variis opificibus. Quia verò iurisprudentia eorum omnium, quæ legibus definita sunt, causas atque rationes inuestigat, vt iam monui, idcircò rerum diuinarum, humanarumque cognitio, atque, iusti & iniusti scientia dicitur, quæ suo sinu complectitur omnia præcepta, quæ de ciuium moribus præscribi possunt, & vniuersam politiam; à prudentia tamen nomen sumpsit, quia enim prudentia versetur circa particularia & singularia, ipsa maximè indigent iurisconsulti, qui circa casus & facta singularia consuluntur. Et quid iuris in ipsis seruandum sit, interrogantur, cum princeps non definiat singularia suis legibus, sed vniuersalia, & per regulas vniuersales, quod est proprium artis. Atque ex hac materiæ subiectæ amplitudine, & vniuersalissimo boni communis, & singulorum fine, mirum quantum eluceat iurisprudentiæ nobilitas.

Tertia definitio ab Vlpiano allata est iustitiæ, quæ dicitur constans, & perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi, quam definitionem impugnant Buridan. *lib. 5. Ethic.* Rodolph. Agricol. *lib. 2. de inuent. dialect.* atque alij. Excusant verò nonnulli, quod non soleant Iurisconsulti esse adeò Religiosi in tradendis definitionibus, quod de Varrone testatur Gell. *lib. 1.* illi enim satis erat afferre definitiones, quas Græci dicunt potius τύπους, & ὑπογραφάς, quàm ὁρισμούς, optimam nihilominus esse vulgarem hanc iustitiæ definitionem contendo, cum non modo cæteris iuris Doctoribus; sed ipsi etiam S. Thomæ 2. 2. *q.* 58. *art.* 7. probata fuerit, & ad eam facilè reuocentur cæteræ omnes, quæ ex Cicerone *lib. 2. de inuent.* & *lib. 3. ad Herenn.* Arist. aliisque circumferuntur: immo ista pressius, elegantius, atque ἐμφατικωτέρως, tradita videri poterit. Nomine voluntatis intellige, tum actum, tum habitum; hunc enim designari putat S. Thom. per vocem constantis, & perpetuæ voluntatis; actus enim non durat, sed perpetuò fluit, cùm omnis habitus sit δυσκίνητος difficilè mobilis; ineptum porrò Holoman. *epitome ad tit. 1. ff. & in commenta renouata ad inst. Iustiniani.* Donell. *com. 1. lib. 5. cap. & si qui*, alij volunt, hæc tribui Deæ iustitiæ, cuius mystæ, ac Sacerdotes dicuntur Iurisconsulti. In cæteris particulis, *ius suum cuique tribuendi.* Sumo ius tum pro iusto, & æquali, tum pro facultate legitima, ac morali aliquid faciendi, aut obtinendi, quia iustitia ponit æqualitatem vbique, & alterius ius seruat. Neque restringenda erit hæc vox ad ius, & æquale simpliciter, sed ad omnem æqualitatem extendenda, vt iustitiam commutatiuam, distributiuam, vindicem, & legalem comprehendat, si fortè diuersas species constituant. Denique vox *tribuendi ius*, non significat actionem tantum positiuam, sed omissionem quoque actionis, eo quod iustitia neque lædat alterius ius omissione boni, neque illatione nocumenti, & non modò ius illæsum seruet, sed etiam violatum, & læsum reparet. Non foret etiam difficile hanc definitionem ad iustitiam vniuersalem accommodare, si ius pro quacunque obligatione, aut respectu ad alium in virtutum exercitio caperemus.

CONSECTARIVM IV.

An ius deriuetur à iustitia.

Magnam hoc loco litem mouent Vlpiano grammatici, eo quod ius à iustitia deriuarit; quod etiam non placuit Soto *lib. 3. de iustitia, q. 1. art. 1.* cùm potius iustitia à iure deducenda fuerit, Isidorus *cap. forma, de verbor. significat.* dixit Iustitiam quasi Iuris statum, Alciat. verò *lib. 1. parerg. cap. 29.* quod vim sistat; ita vt ius ponatur ibi pro vi κατ' ἀντιστοιχίαν per elementorum, & literarum contrariam transpositionem: Sicut enim metathesis, & antithesis vnam literam ex proprio ordine ad alium transfert, vt κραδία pro καρδία, sic ἀντιστοιχία vnum elementum transfert, & aliud substituit, eamque inuersionem solemnem fuisse veteribus, dum à Græcis nomen aliquod mutuarentur, obseruat Festus, vt nates νῶτα, μορφή forma, τέρμα tenet. Iustitia igitur dicitur, quod vim sistat, ne vlterius progrediatur, atque ita Gell. vult iustos dies dictos fuisse in xii. tabul. qui iudicatis dantur: quia interim siles omnis actio, atque executio, estque iuris interstitium, vt meminère quoque Festus, & Macrob. *lib. 1. cap. 16.* dictum præliorum, quibus licebat res

rejicere,

repetere, & dierum iustorum, quibus posito in arce vexillo, exercitus sistebat. Verùm præterquam quod fictitia prorsus videtur ista ἀντιτονία in voce iustitiæ, inde enim fieret quidem, iustitiam deduci à sistenda vi, aut ex Isidoro à sistendo iure, non verò ius deriuari à iustitia, quod voluerat Vlpian. videtur mihi sapientissimus iurisconsultus non tam attendisse, grammaticalem, siue vocalem deriuationem, quàm Physicam; ius enim, quod est ars æqui & boni, æquum & bonum supponit, tanquam aliquid prius, & ab eo deriuatur, sicut à iure Iudex; æqui autem & boni nomine, partes omnes Iustitiæ continentur. Neque in his minutiis vlterius immorandum est. Consule Cuiac. *in l. 1. ff. de inst. & iure.*

QVÆSTIO III.

Quotuplex sit Ius.

1. *Diuisio iuris pro iusto, & æquali.*
2. *Consectarium primum. Distinctio iustitiæ commutatiuæ, & distributiuæ.*
Consectarium secundum. An iustitia vindex sit commutatiua.
3. *Diuisio iuris pro potestate morali aliquid faciendi.*
Consectarium primum. Quomodò differant inter se virtutes ad alterum.
Consectarium secundum. Species atoma iustitiæ, & iniustitiæ.
Consectarium tertium. An iustitia legalis sit virtus particularis.
Consectarium quartum. Obligatio restituendi ex sola iustitia commutatiua.
4. *Diuisio iuris pro lege.*

Diuisio iuris, vt significat iustum, & æquale.

1 NAm primò ius sumptum pro iusto, seu æqualitate cum debito alterius, pro diuersa æqualitate diuiditur; altera enim fit secundùm proportionem Arithmeticam, altera secundum proportionem Geometricam: quod Arist. *lib. 5. Ethic. cap. 6. & 7.* obseruat. Proportio Geometrica est habitudo inter duas proportiones, vocaturque proportionalitas, quia est proportio proportionum, & ad minimum quatuor terminos postulat, v.g. sicut se habent 2. ad 4. ita se habent 3. ad 6. vtrobique enim est proportio dupla, & Senarius tantum Geometricè excedit ternarium, quantum quaternarius excedit binarium, quamvis non sit vbique par excessus secundùm numerum, sed tantum secundùm proportionem, quæ dicitur hoc loco Geometrica: quia Geometria agit de quantitate continua, & inter quascunque duas quantitates licet dare vnam mediam, quæ qua proportione excedit vnam ex datis, eadem proportione exceditur ab altera: quod non licet dare in numeris, & quantitate discreta. Nam, v.g. inter 2. & 4. medius numerus est 3. qui non refertur eadem proportione ad extrema, inter quæ mediat: nam 3. & 2. habent proportionem sesqui alteram; 3. verò ad 4. proportionem sesqui tertiam.

2 Arithmetica proportio est inter duas quantitates non proportiones, & sumitur secundùm parem vnitatum excessum. Sic 3. habent eandem Arithmeticam proportionem ad 2. & 4. quia ab vtroque extremo distant per vnitatem, quamvis non seruent eandem proportionem Geometricam cum vtroque extremo, vt dixi. Quare hæc proportio Arithmetica non requirit quatuor terminos, vt vides. Cùm igitur ius, siue iustum sit quiddam medium, siue æquale, vti ostendimus superiori quæstione, potest æqualitas illa secundùm alteram ex allatis proportionibus constitui. Arithmeticam vocat Lessius rei ad rem, vt pretij ad mercem, rei restituendæ ad rem sublatam; Geometricam autem æqualitatem nominat proportionis ad proportionem, v. g. rei distribuendæ ad dignitatem eorum, quibus diuiditur: tantum enim aliquis ex communibus bonis recipere debet præ aliis, quantum eos dignitate superat.

Diuiditur secundò iustum & æquale, in iustum simpliciter, & iustum secundùm quid: Prius est illud, in quo reperitur perfecta altereitas iuriũ, & debiti, & perfecta æqualitas, quale est politicũ inter ciues. Iustũ secundùm quid, siue imperfectum, est illud, in quo licet in vno extremo vera ratio debiti, & in altero verum ius reperiatur; non est tamen ius reciprocum, aut perfecta iurium altereitas. Vnde fit, vt vnus nequeat alteri obligari; quia totum ius, quod supponere debet in eo, cui obligabitur, proprium est, & non potest etiam inter hoc ius, & obligationem poni æqualitas. Eiusmodi ius Arist. *5. ethic.* & S. Thom. 2. 2. *q. 57. art. 4.* dicunt esse, paternum, dominatiuum, & coniugale; cùm enim totum ius filij sit ius patris, non potest obligari pater filio, qui ius distinctum à paterno non habet, & licet filius debeat quidpiam patri; non tamen filio pater, neque filius patri æquale reddere potest: Coniuges quoque, cum sint vna caro, idem ius participant. Omnia etiam iura mancipij Domini sunt, quia quidquid mancipium est, domini est. Quæ tamen omnia intelligenda sunt de filio non emancipato; & circa bona, quorum dominium, aut vsumfructum non habet; non verò de bonis castrensibus, aut quasi Castrensibus: in vxoribus quoque excipienda sunt bona paraphernalia: & in mancipiis quædam peculia, quæ habere possunt, vt tradit Molin. *tract. 1. disp. 7. n. 4.* contra Caietan. 2. 2. *q. 58. art. 4* & Valent. *tom. 3. disp. 5. q. 1. punct. 2.* circa finem. 3

Quæstiones consectariæ.

CONSECTARIVM I.

De distinctione iustitiæ commutatiuæ, & distributiuæ.

Ex hac multiplicitate iuris, & æqualis, quod diximus esse obiectum iustitiæ necessariò sequitur eiusdem virtutis iustitiæ multiplicitas; pro diuersitate enim obiectorum, diuersos quoque esse habitus iamdiu fatentur omnes. 4

Primò igitur pro varia proportione, quæ seruatur in commensurando iure vnius cum debito alterius, varia iustitia nascitur; Quæ enim necessariò, & per se in ponenda eiusmodi æqualitate seruat Geometricam proportionem, est iustitia distributiua; quæ verò sequitur proportionem Arithmeticam, est iustitia commutatiua, quod pluribus explicat Arist. *lib. 5. Ethic.* & ex illo S. Thom. 2. 2. *q. 61. art. 2.* Commutatiua siquidem ponit æqualitatem rei cum re, & quantum fuit ablatum, tantum restitui iubet: neque considerat rationem personarum, aut illarum excessus inter se se comparat, sed solùm quantitatem rei dandæ & acceptæ. Distributiua verò, quia bonum commune diuidit

diuidit partibus, necessariò earum inter se proportionem considerat; nobiliori enim parti plus debetur de bonis communibus. Qua igitur proportione pars nobilior superat partem ignobiliorem, eadem proportione bonum, quod accipit, debet excedere illud, quod datur parti ignobiliori, quamvis autem iustitia commutatiua nonnunquam seruet proportionem Geometricam, vti ex Aristot. 5. *Ethicorum*, *cap.* 2. & 4. rectè docet Soarez *opusculo de iustitia*, *sect.* 3. & alij contra Vasquez 1.2. *disput.vlt. cap.* 4. & Turrian. *disputat.* 7. *de iustitia*, *dub.* 2. id tamen non facit propter se, siue quod intendat eiusmodi proportionem Geometricam propter se, atque in ea tanquam in suo obiecto sistat, sed quia per illam tanquam medium attingit proportionem Arithmeticam, quam vnam intendit. Cùm enim debeat emendare commercia humana ponendo æqualitatem in illis, id sæpè perficere non potest, nisi in ea emendatione sequatur proportionem Geometricam, ex qua deinde nascitur æqualitas Arithmetica rei cum re. Cùm, verbi gratia, in contractu Societatis debeat lucrum diuidi per partes inæquales inter socios, pro ratione videlicet sortis, quam singuli contulerunt, aut laboris impensi, & pacto inito, aut cùm quis obnoxius pluribus creditoribus non potest singulis satisfacere: tunc debet soluere singulis plus, aut minus, secundùm maius, aut minus debitum. In primo enim casu tantum datur singulis, quantum ipsis debetur ex contractu, quota, vel sexta parte, verbi gratia, quæ quinta pars non potest nisi per proportionem Geometricam ab aliis detrahi. Idem dicendum in alio casu; ponitur enim quantum poni potest, æqualitas cum debito absoluto singulorum creditorum, eaque intenditur, quamvis propter inopiam debitoris ea poni reipsa perfectè non possit.

6 Hinc porrò fit, vt hæ duæ iustitiæ differant essentialiter, & specificè, quod docet communis sententia contra Buridan. *lib.* 5. *Ethic. q.* 7. quia æqualitates, quas respiciunt, sunt essentialiter diuersæ. Æqualitas siquidem commutatiuæ iustitiæ est æqualitas cum iure dominij formalis, vel æquiualentis, quod quisque habet in rem suam. Æqualitas verò iustitiæ distributiuæ non est cum iure illo rigoroso, sed minùs stricto; nempè cum dignitate, quam habet aliquis ad bona communia, vel onera; vnde etiam fit, vt in istis diuersis æqualitatibus ponendis, & commensurandis iuribus vsque adeò diuersis, diuersam quoque proportionem seruent; & vna Geometricam, altera Arithmeticam sectetur, quod 2. 2. fusiùs à nobis fuit disputatum.

Consectarium II.

An iustitia vindicatiua sit commutatiua.

7 Ex dictis sequitur, an iustitia vindex, quæ ponit æqualitatem inter pœnam, & delictum, sit vera iustitia, & quænam. Et quidem si eam in iudice, aliaque legitima potestate crimen plectente consideremus, consentiunt ferè omnes eam ad commutatiuam pertinere: quia ex quodam veluti contractu, quem iniuit iudex cum Republica, vt ipsam ab iniuriis vindicaret, & parti læsæ saltem rogatus satisfaceret, ponit æqualitatem cum illo vero, & stricto Reipublicæ iure. Si autem illam punitionem comparemus cum reo, deficit quodammodo ab actu veræ iustitiæ; sic enim præscindendo ab obligatione, quâ iudex tenetur Reipublicæ, non habet pro obiecto debitum fundatum in aliquo iure alterius: Reus enim nullum habet ius ad pœnam; sed iudex habet ad illam infligendam: quanquam dici etiam posset; hoc ius, quod habet iudex, commensurari cum debito, & obligatione rei. Verùm, ius illud iudicis non est strictum, aut rigorosum fundatum in dominio formali, vel æquiualenti, quasi in rem suam, quale requiritur ad iustitiam commutatiuam: quidquid verò sit, cùm hæc iustitia ponat æqualitatem pœnæ cum delicto, etiam ex hac parte imitatur iustitiam commutatiuam; Licèt enim non ponatur perfecta æqualitas, eò quòd reus quidem patiatur, quantum potest, sed non tollatur damnum illatum: quia tamen ponitur ea æqualitas, quantum poni potest; & damnum tollitur, vti tolli potest, estque aliqua compensatio moralis. Et idcircò malè negauit Molin. *tract.* 1. *disput.* 12. *num.* 13. & *tract.* 2. *disput.* 715. *num.* 16. & *tract.* 3. *disput.* 200. *num.* 7. & 1. *part. quæst.* 21. *artic.* 1. ad commutatiuam pertinere; inde enim tantùm efficeretur, non esse perfectè commutatiuam; sed eam imitari, ad eam pertinere: quanquam cogatur interdum seruare proportionem Geometricam in ea æqualitate, & commensuratione, eo quòd culpa crescat, aut minuatur pro dignitate, & conditione offendentis, & offensi: Vnde etiam debet crescere, aut minui pœna, quæ tamen non comparatur per se, & primariò cum dignitate personæ; sed solùm per accidens, quatenus crimen, cui pœna exæquatur, ex eiusmodi dignitate leuius, aut grauius fit: quare ex proportione Geometrica, quæ interdum in iusta punitione reperitur, malè intulit Rebell. *lib.* 1. *quæst.* 14. *numero* 24. cum Soto *in* 4. *distinct.* 14. pertinere ad iustitiam distributiuam.

In ciuibus verò, qui vindictam postulant à iudice, esse virtutem specialem, fatentur S. Thom. 2. 2. *quæst.* 108. *artic.* 1. & Caietan. *ibidem*, Aureol. *in* 1. *distinct.* 46. *quæst. vnica*, *artic.* 1. *propos.* 3. Vasq. 3. *part. quæst.* 85. *artic.* 3. *dub. vnic. numero* 14. nescio, an satis consentaneè iis, quæ dixerat 1. *parte*, *disput.* 85. *numero* 27. Less. *lib.* 2. *cap.* 47. *num.* 22. immò & esse iustitiam commutatiuam, eo quòd priuatus velit poni à iudice æqualitatem cum iniuria, aut illam ponenti consentiat: dixit Rebell. *libro* 1. *quæst.* 3. *numero* 15. Valent. verò *tomo* 3. *disputat.* 5. *quæst.* 5. *p.* 1. *ad* 1. *Buridan.* esse iustitiam distributiuam, aut commutatiuam pro diuerso genere æqualitatis, quam poni postulat à iudice: quatenus verò spectat illud speciale commodum, quod ex propulsatione iniuriæ, & damni reparatione nascitur, esse specialem quandam virtutem, tum in ciuibus, tum in iudice. Placet Suarez, qui *relect. de iustitia*, *sect.* 5. *numero* 6. hunc actum reducit ad illam virtutem, ex cuius motiuo, honestate, & affectu postulat priuatus à iudice vindictam iniuriæ, aut damni reparationem, quam virtutem nihil cogit semper esse iustitiam, sed aliam quamcunque: neque aliud voluit S. Thom. dum dixit, vindicationem esse virtutem specialem, quia nimirùm ab speciali virtute honestatur, sed non semper ab eadem. An verò actus, quo ex affectu erga honestatem obiectiuam alicuius virtutis, volo alium exercere actus illius virtutis: volo, verbi gratia, alium 8

eſſe gratum, obedientem, caſtum, ſit actus illius eiuſdem virtutis in me, v. g. gratitudinis, obedientiæ, & caſtitatis, ſubtilior quæſtio eſt, de qua Lugo *diſput. 3. de pœnit. ſect. 2. num.* 30. Satis mihi impræſentiarum eſt, quod ſaltem ad eas virtutes, in quarum honeſtatem fertur, reducatur, etiamſi fortaſſis non ſit in toto rigore actus illius, qui denominet ipſum elicientem gratum, v. g. obedientem, & caſtum, cum poſſit cum actu contrario illi virtuti coëxiſtere, & qui vult alium gratum, obedientem, & caſtum eſſe, poſſit illo ipſo momento contra gratitudinem, obedientiam, & caſtitatem peccare.

Diuiſio iuris, prout ſignificat poteſtatem moralem, & legitimam, aliquid faciendi, vel obtinendi.

9 Ius vſurpatum pro facultate legitima, aliquid faciendi, aut obtinendi, diuiditur primò, in ius rigoroſum, vti appellant, fundatum in dominio, aut alio titulo ipſi æquiualenti, quale eſt ius iuſtitiæ commutatiuæ, & in ius aliud quodpiam in aliis titulis fundatum, quale eſt ius iuſtitiæ diſtributiuæ, quod in dignitate membri communitatis fundatur: eiuſmodi eſt ius, quod aliæ virtutes, quæ ſunt ad alterum, reſpiciunt, vt ius imperandi, quod reſpicit obedientia, ius gratitudinis, religionis; iis enim omnibus iuribus reſpondent proportionata debita, diſtincta à debito, quod commenſurat, & adæquat iuſtitia.

10 Secundo, ius etiam iuſtitiæ diuiditur in ius perſonale, & reale, ſiue ius in rem, & in re. Ius ad rem eſt illud, quod non tribuit actionem in rem, ſed tantùm in perſonam; quia nondum mihi res deuincta eſt, aut obligata. Eiuſmodi ius habetur per donationem, promiſſionem, emptionem, & ſtipulationem, alioſque eiuſmodi contractus, ante ipſam rei promiſſæ, donatæ, emptæ traditionem: ſi enim alteri tradatur, non poteſt promiſſarius, aut donatarius eam repetere, & manet illi, cui tradita fuit: quia nondum fuerat alteri obligata: habet tamen actionem perſonalem in illum, qui ipſum fraudauit re promiſſa, donata, aut empta.

11 Ius in rem tribuit actionem realem, & in rem ipſam, quæ obligata, & deuincta eſt. Et quia nihil magis nobis deuinctum, & obligatum eſt, quàm id, cuius ſumus domini, fit, vt dominium ſit quoddam ius in re. Quæ omnia intelligenda ſunt tam de rebus corporalibus, vt agris, vineis, fundis, prædiis, domibus, quàm incorporalibus, qualia ſunt officia, beneficia, ſeruitutes, & ſimilia, quæ obſeruat Molin. *tractat.* 2. *diſputat.* 2. niſi peculiari lege aliud ſtatuatur. Sic comparatur ius in beneficio Eccleſiaſtico per collationem eius, & acceptationem ſine alia traditione, *ex capit. ſi tibi abſenti, de præbend. in 6.* atque in pluribus aliis Vnde Molin. *ibid. numer.* 9. colligit, hanc vniuerſalem regulam, quando ex dominio, aut diſpoſitione alicuius iuris non conſtat, quod ius obtinuerit, cenſendum eſſe ius ad rem ante traditionem rei.

Adæquata porrò eſt iſta diuiſio iuris in perſonale, & reale, ſiue in ſe, & ad rem; malè enim aliqui apud Malder. *tractat.* 1. *de iuſtit. capit.* 2. *dub.* 13. adiiciunt, tertium quoddam ius in rem, quod explicant in iure hypothecæ, aut pignoris; nam reuera illud ius non eſt, niſi ad rem, neque placet Molin. qui *tractat.* 2. *diſputat.* 727. diuidit iſtud ius in illud, quod aliquis habet in rem iam ſuam, aut ſibi debitam; ſed ne ab illa acquirenda impediatur. Et prius illud ius partitur denuo in ius ad rem, & ius in ſe. Verùm, ius, ne quis impediatur ab aſſequenda re, vt pauper ab eleemoſyna, vel non eſt ius propriè dictum, vel eſt ius tantum ad rem.

Diuiditur tertiò Ius in naturale, & poſitiuum: 12
Naturale eſt poteſtas moralis, & legitima, quæ homini conuenit ex natura ſua, quale eſt ius vtendi, aut non vtendi ſuis membris, ducendæ, aut non ducendæ vxoris, ius famæ, aut libertatis retinendæ, vel abiiciendæ: Ius poſitiuum eſt facultas, quæ conuenit: ſolùm ex hominum inſtitutione, lege, verbi gratia, Superiorum, aut ex conuentione libera cum aliis. Cuiuſmodi ſunt omnes facultates, & iura, quæ acquirimus ex contractibus, conceſſione ſuperiorum, gentium moribus, & ciuilibus inſtitutis, &c.

Quartò diuiditur hoc ius in priuatum, & pu- 13
blicum: ita S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 57. *articul.* 2. Ius partitur in naturale, & illud, quod ex condicto priuato, vel publico ſeruat æqualitatem, & commenſurationem, in qua diuiſione ius non ſumitur pro lege, quæ nequit eſſe priuati in priuatum; Sumit igitur S. Doctor ius pro ea æqualitate, aut facultate, quæ vel ex natura rei, vel ex pacto, & conuentione priuata naſcitur inter contrahentes, vel ex publico placito, & ordinatione. Quamuis Rebell. 1. *part. de obligat. lib.* 5. *quæſt.* 2. *numer.* 8. *&* 9. Ius priuatum exponat œconomicum, ratione cuius, patres liberis, mariti vxoribus, & domini mancipiis leges ſanciunt.

Consectarium I.

Quomodo diſtinguantur inter ſe virtutes ad alterum.

Ex hac diuerſitate iuris collige primò, diſtin- 14
ctionem virtutum ad alterum; ita enim nominantur, quod ius aliquod alterius reſpiciant, illudque cum debito ſibi proportionato ſuo modo commenſurent, vt vides in obedientia, pietate, Religione, cæteriſque eiuſmodi. Obedientia enim attendit ius, quod habet ſuperior imperandi: pietas ius paternum: Religio ius diuinum in exigendo cultu ſibi debito; ideircò partes iuſtitiæ commutatiuæ dici vulgò ſolent omnes virtutes, quæ alienum ius adæquare contendunt; cùm tamen non ſint reuera, niſi quædam iuſtitiæ ſimilitudines, non eius partes. Nam ſi eſſent partes ſubiectiuæ, eſſent formaliter, & eſſentialiter iuſtitia propriè dicta, eáque commutatiua, cùm nullam, vt apparet, dicant habitudinem ad bona communia per proportionem geometricam obtinenda; partes verò potentiales quaſi miniſtrent virtuti iuſtitiæ, licèt totam vim eius non exhauriant, & partes integrantes, quas

aliqui

aliqui passim in virtutibus inducunt, iam olim à nobis 2. 2. reiectæ sunt. Non igitur alio modo ad iustitiam eiusmodi virtutes reuocari possunt, quàm quia ipsam imitantur in adæquando iure vnius cum debito alterius: quia verò iura, & debita longè diuersæ rationis respiciunt, idcircò tum à iustitia propriè dicta, tum inter sese differunt.

15 Sexdecim eiusmodi virtutes numerat Aureol. *in 4. dist. 14. quæst. vnica, art. 2.* quem secutus est Guido Brianson *in 4. quæst. 3. concl. 1. principali*, sed hunc numerum deinde auxit idem Aureol. *quodlib. 151. art. 4.* & viginti vnam recensuit pro quadruplici debito, vel iure. Nam ex habitudine causæ ad causam, & in collatione esse siue simpliciter, siue tantum secundùm quid, id est, bene esse, quod faciant Principes, Sancti, Prælati, & leges, nascitur ius diuinum, paternum, principum, superiorum, Sanctorum, & legale; iis enim omnibus ratione accepti ab illis esse, vel simpliciter, vel secundùm bene esse, aliquid debemus, illique omnes ius habent quidpiam à nobis exigendi; hoc igitur debitum, & ius exæquant ex Aureolo, Latria respectu Dei, Pietas respectu Patriæ, & Parentum, Dulia respectu Principum & Prælatorum, Hyperdulia respectu Sanctorum, Iustitia legalis respectu legalium. Alterum debitum fundari dicit in conditione naturali hominis, qui est animal sociale, rationale, & sibi insufficiens, si solitariam vitam agere velit. Ex prima illa conditione sequitur, debitum beneuolentiæ, affabilitatis, & beneficentiæ, cui virtutes eiusdem nominis respondent. Ex conditione rationalis est debitum veritatis, cui satisfacit veracitas. Ex tertia conditione debitum amicitiæ contrahitur, ne solitarius degat, & vt ad alterum tanquam vitæ socium afficiatur, seséque inuicem iuuent. Tertium quoddam debitum est ratione perfectionis aduentitiæ, quæ attenditur secundùm bona, aut mala, quæ in nobis reperiuntur. Hæc porrò bona, & mala variè diuidit, & ex iis varia debita colligit, variásque virtutes, quibus illis satisfiat, putà liberalitatem, honorem, reuerentiam, obseruantiam, pœnitentiam, iustitiam vindicatiuam, & alias nonnullas. Porrò denique debitum quod per actionem voluntariam contrahitur, & vel præsupponit factum, vel non præsupponit, & est quasi de pari: Si præsupponit factum bonum, exigit gratitudinem, quam iustitiam retributiuam vocat: si factum malum, sequetur obligatio iustitiæ punitiuæ, & restitutiuæ: quando verò actio voluntaria est de pari, & non præsupponit vllum factum, oritur obligatio ponendi æqualitatem Geometricam, aut Arithmeticam, quam præstant iustitia distributiua, & commutatiua.

Non placet subtiliùs expendere hanc Aureoli partitionem, in qua plurima liceret arguere, quod accuratè præstitit Raynaud. *libro quarto de virtutibus, numero septimo.* Neque immorandum nobis aliò properantibus videtur in assignando tum numero, tum essentiali distinctione singularum virtutum ad alterum: Id enim non indiligenter præstabimus *in disciplina nostra de moribus*, satis fuerit nostro instituto, quod præ se fert Consectarium; nempè ex diuersitate iuris, & debiti, quod adæquant suo modo virtutes omnes, ad alterum distingui, tum inter se, tum à iustitia; Ratióque Consectarij euidentissima est. Cùm enim hæ virtutes essentialiter tale ius respiciant, & ius illud multiplex sit, atque diuersum in diuersa habitudine, & ratione fundatum, vti diximus in diuisione iuris à nobis allata, ex ordine ad illud, debent distingui virtutes, quæ ipsum per se primò, & ex natura sua respiciunt.

Atque in vniuersum triplex constitui potest eiusmodi ius, atque debitum ipsi correspondens. 16
Vnum est perfectum, & rigorosum fundatum in dominio, aut aliquo ipsi æquiualenti, & in illa connexione rei cum aliquo in ordine ad vtilitatem ex illa percipiendam; vnde dicitur mea, aut tua, vti contendebat Lugo: quale ius est in iustitia commutatiua. Alterum ius imperfectum est ex quadam dumtaxat decentia, & honestate profectum, cui correspondet simile debitum, & obligatio: quæ vera quidem est, sed non perfecta, neque rigorosa, quale est ius, & debitum amicitiæ, charitatis, misericordiæ, gratitudinis, affabilitatis, veracitatis, & similium habituum. Tertium denique est ius perfectum quidem, ac verum, & non tantùm ex decentia quadam, cui quoque correspondet verum, & perfectum debitum; quia tamen perfecta æqualitas poni nequit inter hoc ius, & debitum, quod nunquam extingui potest, ex ea inadæquatione, aut potiùs inadæquabilitate iuris oritur maxima inter ipsum, & alia iura adæquabilia distinctio, quæ virtutes, à quibus respicitur, omninò diuersificat; eiusmodi est iustitia aduersùs Deum, Religio, pietas, obedientia, quia, vt modò non disputem, an aliquod ex debitis, quæ inadæquabilia vulgò dicuntur, possit in aliquo singulari casu per eximiam aliquam actionem adæquari; quia tamen nunquam potest omninò, & funditùs, vt ita dicam, extingui, ita vt ad nihil amplius obligetur, qui semel aliquid præstitit, quasi se omni obligatione liberarit. Dicuntur hæc omnia debita, & iura inadæquabilia, atque ita quidquid filius parenti reddiderit; habet parens ius aliud semper postulandi: quamvis subditus honorarit, & obseruarit principem, habet ille ius similem adhuc obseruantiam exigendi: obediuerit licèt legi, aut superiori, teneris nihilominus adhuc legem, dum vrgebit, seruare, & superiori imperanti parere. Hæc porrò tria genera iurium in varias deinde species subdiuiduntur, quæ distinctio sumenda erit ex diuersis titulis, in quibus fundatur; atque ex causis proximis, ex quibus oriuntur, quod in singulis virtutibus expendendum fuerit.

Consectarivm II.

Diuersæ species atomæ iustitiæ, & iniustitiæ.

Ex hac eadem doctrina vlteriùs sequitur, iu- 17
stitiam in plures species atomas subdiuidi, quod non modò verum est de iustitia commutatiua, & distributiua, quas distingui specie ex diuersitate iurium, quæ adæquanda respiciunt, demonstrauimus *§. secundo.* Sed & iam in ipsa iustitia commutatiua, quam in varias species diuidi necesse est ob eandem iuris perfecti, stricti, & rigorosi diuersitatem. Nam diuersum est specie ius, quod homo habet ad vitam, & quod habet ad famam, & ad pecunias; neque differunt tantùm penes obiecta materialia, cùm ista

singula habeant diuersam referibilitatem ad hominem, & ad eius vtilitatem, ac commoda, in qua referibilitate, & connexione, quæ fundat dominium, aut aliquid æquiualens, propter quod res mea est, & dicitur ius rigorosum, ac perfectum iustitiæ commutatiuæ, radicaliter constituitur, ex eáque necessariò exsurgit. Cùm igitur bona aliqua ad domini sui vtilitatem, & commodum diuerso modo referuntur ad nos, fundant iura, quæ ex ea diuersa referibilitate oriuntur, necessariò inter se diuersa. Commodum autem, & vtilitas, quæ ex vita, pecuniis, & fama resultat, ex earúmque dominio, diuersa omninò est, sicut & ipsa bona, quæ sunt diuersi ordinis inter se, ita vt superius per inferius compensari non possit. Ex hac igitur formali diuersitate, quam iustitia commutatiua respicit, fit, vt actus specie diuersos habeat, provt cum diuersis illis iuribus ponit æqualitatem.

18 Quia verò peccata multiplicantur, differúntque pro diuersitate honestatis, cui opponuntur, fit, vt iniuriæ, siue iniustitiæ, differant quoque specie. provt ius, quod violant, diuersum est: Itaque iniuria facta contra famam, diuersa est ab illa, quâ violantur bona fortunæ, aut vita alterius, & eæ iniuriæ distinctè in confessione omninò explicandæ erunt; non autem quòd subripueris furtum, aut vestes: quia ea furta, & iniuriæ in bona illa differunt solo obiecto materiali; at verò violatio famæ, & pecuniæ distinguuntur formaliter ratione iuris specie diuersi, quod violatur. Cùm enim bona fortunæ sint singula æquiualenter alia: omnia siquidem, & singula possunt inter se commutari, aut pecuniâ æstimari: idcóque ius ad illa non potest vllam habere ex natura sua diuersitatem, cùm tamen bona corporis; sanitas nimirùm, membra, vita diuersam vtilitatem habeant, diuersósque fines; neque sint idem æquiualenter inter se, idcóque fundant diuersa iura; atque adeò violatio iusta sanitatis, membri per mutilationem, & vitæ sunt explicandæ in confessione tanquam iniuriæ distinctæ; quod idem de violatione honoris, & famæ sentiendum est, cùm vnum ex istis non sit æquiualenter alterum, cùm possit quis honorificè tractari, & damnum famæ simul pati.

19 Ex hac eadem doctrina sequitur vlterius, iustitiam, & ipsi oppositam iniuriam differre specie, ratione personarum, quarum iura læduntur, quoties ratione ipsarum personarum eiusmodi iura diuersa sunt, verbi gratia in iis casibus, in quibus potest esse iustitia inter hominem, & Deum, immò, & etiamsi nunquam concedamus nisi iustitiam imperfectam, & minùs propriè dictam; cùm tamen ius Dei, quod in eius excellentissimo, & essentiali dominio fundatur, differat specie à iure, quod reperitur inter ipsos homines, & obligatio illæsum seruandi, atque læsum reparandi ius diuinum, longè altioris sit ordinis, quam obligatio, quâ vnus homo alteri astringitur, dubio procul iustitia, quæ æqualitatem, quam potest, ponit cum iure diuino, & quæ illud vel illæsum seruat, vel læsum reparat, differt specie ab omni ea virtute, quæ ius humanum adæquat, & violatio iuris diuini simili ratione diuersæ speciei est, à quacunque violatione iuris humani, sicut obedientia Deo debita, & inobedientia in ipsum admissa, ab obedientia, & inobedientia superioris omnis creati differt; eo quòd obligatio sequendi directionem diuini imperij, sit longè altioris ordinis ab obligatione sequendi directionem creati superioris; è contrario verò iustitia, aut iniustitia, quæ inter homines, & Angelos, aut inter homines viuos, & defunctos intercedit, in iisdem bonis, & iuribus non differunt specie præcisè, ratione personarum, quæ læduntur; quia ea personarum diuersitas non fundat distinctionem essentialem, & formalem iurium, verbi gratia, si quis detrahat de Angelo, aut homine mortuo, non peccat, peccato detractionis, specie distincto ab eo, quod committeret, si de homine detraheret; an verò id sit contra Religionem, eo quòd violetur Angelus beatus, non disputo: eadem enim ratio foret, si de homine beato detraheretur. Vide Lugo *disput. 1. de iustitia, numero 39. & sequent.*

Consectarium III.

Iustitia legalis est virtus particularis, à cæteris omnibus distincta.

Colliges tertiò, an Iustitia legalis, de qua agit S.Thom. 2. 2. *quæst.* 58. *art.* 5. & 7. Scot. *in* 4. *dist.* 46. *quæst.* 1. §. 1. & eorum discipuli illis locis, post Arist. *libro quinto Ethic. capite* 3. & 4. plures quoque iuris interpretes ad *l.* 10. *ff. de iustit. & iure.* Ioachim Hosperus *libro primo de iuris arte, §. diuiditur.* Conan. *libro* 1. *cap.* 2. & alij disputant; sit vna quædam peculiaris virtus, & quænam nominatur hæc iustitia generalis, & legalis ab Arist. aliisque deinceps; quia respicit bonum commune, & virtutes omnes in se continet: quia circa ipsarum materias, quatenus bonum commune ita postulat, occupatur: quod bonum, quia maximè legum beneficio procuratur, idcircò virtus ista, quæ eiusmodi bonum primò, & per se intendit, legalis appellatur. 20

Hanc igitur virtutem non esse vnam aliquam, sed omnium complexionem contendit Buridan. *in* 5. *Ethic.* cum quibusdam aliis Arist. interpretibus, & Oppeto *l.* 1. Baldo ad *l.* 10. *ff de iust. & iure*; neque pauca in hanc rem argumenta leges apud Aragon. 2. 2. *quæst.* 58. *art.* 6. & Salon. *ibid.* aliqui tamen noluut esse complexionem omnium virtutum simpliciter, sed earum dumtaxat, quibus homo perficitur in ordine ad alterum. Itaque exponunt Aristot. Stapleton *libro* 5. *de iustificat. prologomen.* 3. Vega *libro* 5. *in Trident. capite* 4. Albert. 5. *Ethic. cap.* 4. *tract.* 1. Vnam nihilominus, distinctámque virtutem à cæteris omnibus esse, communior sententia verè affirmat. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 58. *art.* 6. ibique Caietan. Aragon. Salon. Pesant. *disput.* 1. *in art.* 5. Soto *libro tertio de iustit. quæst.* 2. *art.* 5. Valent. *disp.* 5. *quæst.* 2. *punct.* 2. Rebell. *libro* 1. *de obligat. iust. quæst.* 3. *numero* 6. Suar. *relect. de iustit. sect.* 4. *numero* 6. Layman. *libro* 3. *tract.* 1. *cap.* 2. Molin. Less. Turrian. Lugo, aliíque passim: neque alia fuit mens Arist. quidquid contendat Less. *lib.* 2. *cap.* 1. *num.* 18. ait enim illam differre τῷ εἶναι à virtute in vniuersum, id est, secundùm essentiam: neque dixit, esse virtutem generalem generalitate prædicationis; sic enim quælibet virtus, quatenus suo modo quandam æqualitatem constituit, & debitum aliquod reddit, iustitia dicitur, vt *alibi* monuimus: neque etiam generalitate complexionis, cùm ab omnibus aliis virtutibus differre dicat τῷ εἶναι, secundùm esse: dixit igitur vniuersalem, & generalem, ratione materiæ, & causalitatis: quia omnes alias virtutes circa bonum commune occupat, 21

&

& dirigit: quo eodem sensu iniustitiam huic virtuti oppositam dixit παρανομίαν, quia pugnat cum omnium legum honestate, quam iustitia ipsi opposita in bonum commune dirigit, quod exemplo charitatis illustrat S. Thom. *art.* 6. quia enim omnium virtutum actus dirigit, imperat, & in finem vltimum ordinat, virtus generalis dici iure potest: singulæ enim virtutes solam propriam honestatem intendunt, quòd verò illa eadem honestas vlteriorem aliquem finem, sine ex natura sua, sine ex alterius alicuius directione, respiciat, sollicitæ non sunt: quod quia facit charitas, atque ita per omnium virtutum materias quodammodo vagatur, omnium forma, atque omnis, siue generalis virtus dicitur: non absimili ratione obedientia, quamvis peculiaria virtus existat, omnium tamen virtutum materias, quatenus à superiori imperari possunt, respicit; atque ita virtuteaomnes complectitur. Ea eo igitur nomine generalis iustitiæ, aut virtutis nihil conficiet Buridanus; Ratione verò minùs iuuabitur. Hæc enim iustitia habet obiectum formale, diuersum ab omnibus aliis virtutibus: nimirùm bonum commune, quod respicit primò, & per se, non tantum per accidens, & secundariò, quatenus bonum partis, est bonum totius: sic enim singulæ virtutes cùm perficiant suum subiectum; bonum quoque commune respicerent, vti obijcit Buridan. sed quatenus illud bonum commune est, & ius Reipublicæ postulat, cuius causa plurimi actus, ad quos aliunde non obligamur, imperantur, quod motiuum vides esse distinctum ab omnibus motiuis aliarum virtutum: nam quoad obiectum materiale, amplissimum illud habet hæc virtus, & per omnes alias diffusum: nimirùm illud omne, quod bono communi vtile esse potest, & ideò imperari.

22 Difficultas itaque dumtaxat est, quænam sit hæc virtus: aliqui enim dicunt esse pietatem, quâ debitum patriæ reddimus: quod non improbabile putat Lessius *capite* 2. *cit. num.* 11. Verùm, vt idem obseruat *numero* 15. Pietas debitum reddit patriæ, vt est principium ortus nostri; Iustitia verò legalis ratione vinculi; quod est inter totum, & partem, quod vinculum maius, fortiúsque aliis est: nam ipsos etiam parentes, qui sunt immediata principia nostræ originis bono communi postponere tenemur. Vult itaque Lessius *numero* 19. hanc virtutem esse obedientiam: hæc tamen non magis per se respicit bonum commune, quàm temperantia, aut qualibet alia virtus, & non nisi per accidens, quæ non solas leges, quæ communitati feruntur, & in illius bonum; sed priuata quoque præcepta, & æquè primò obseruat. Alij itaque passim volunt esse iustitiam, quamvis imperfectam, vt Valentia, aut saltem non ita rigidè acceptam, vt ait Pesantius. Verùm tota ista difficultas ex doctrina hactenùs à nobis tradita, ista, & superiori quæstione *diuersitate iurium* definienda est.

23 Obserua igitur cum Suar. *relect. cit. sect.* 4. *numero sexto*, duplex ius, & veluti dominium in Republica: Est enim imprimis dominium rerum suarum, quod habent singulæ personæ, tum ipsa etiam Respublica, & Rex, quatenus est persona publica circa bona quædam, quæ communia dicuntur; non quasi singulis è communitate, siue toti communitati sint diuidenda; sed quia sunt communitatis, quatenus vnam quandam personam sustinet, & illis ad onera etiam communia vtitur. Hoc ius pertinet ad veram iustitiam commutatiuam, vt patet, & ratione illius inter communitatem, & ciues exercentur variæ commutationes: & est per accidens, quòd tale ius in persona priuata, aut in communitate reperiatur:

Est enim vbique eiusdem rationis, & sanè Arist. 5. *Ethic. capite* 1. alterum, ad quem iustitia dicit ordinem, & cuius seruat ius dicit esse, vel Principem, vel Rempublicam, vel quemlibet alium, quod clariùs exponit S. Thom. 2. 2. *q.* 58. *art.* 5. Alterum quoddam ius est superioritatis cuiusdam ordinis, quod habet tum Respublica, tum Rex in bona omnium ciuium, non excluso priuatorum vero, & proprio dominio, vt illis in commune bonum, dum necessitas postulabit, vtatur: quod ius in ipsas actiones externas, personas, atque ipsam vitam extenditur, vt possit motali periculo vitam ciuium, dum necesse fuerit, exponere. Hinc fit, vt habeat ius condendi leges, & varios actus virtutum imperandi; atque, quod indè necessariò sequitur, possit obligare ciues, tum ad bona sua non subtrahenda vsibus communitatis, tum ad actiones certas vsurpandas. Virtus itaque, quæ tale ius Reipublicæ in sua membra seruat illæsum, & inclinat membra communitatis ad æqualitatem cum tali iure constituendam, vera iustitia est, cùm verum ius respiciat, quamvis non ita rigorosum fortassis: atque iustitia commutatiua, & particularis, atque adeò imperfecta iustitia dici poterit: quamvis enim videatur esse per modum custodiam domini superioris; quia tamen eius violatio non obligat ad restitutionem præcisè, dici nequit seuerum, & strictum ius; proprium tamen ius commutatiuæ imitatur: ait porrò S. Thom. 2. 2. *quæst.* 58. *art.* 6. hanc virtutem esse in Principe principaliter, & Architectonicè; in subditis autem secundariò, & quasi administratiuè, quibus verbis non designat duplicem iustitiam legalem, & diuersæ speciei; sed solùm diuersa munera, quæ ratione subiecti, in quo est, exercet: nam tum principem, tum subditos inclinat, vt in bonum commune sua referant, quatenus sunt membra communitatis. Princeps verò id facit, dirigendo, & imperando; subditi verò exequendo, & ministrando. Vides itaque, quomodo differat ab omnibus aliis virtutibus; à pietate quidem, quia respicit bonum illud Communitatis, cuius membrum, & pars est, qui operatur, quod non attendit pietas, quæ tantùm operatur propter peculiarem quandam coniunctionem, quam habet filius eum Patre, tanquam cum causa immediata sui esse: ab obedientia, quia non attendit formaliter honestatem obediendi; sed bonum commune ab amicitia priuata, quæ attendit bonum amici, vt amicus est ex affectu beneuolentiæ: à iustitia peculiari, quæ, vt dixi, ius strictum, & rigorosum *superius* explicatum respicit. Ex quibus omnibus sequitur contra Turrian. *disp.* 8. *de iustitia, dub.* 1. posse peccari contra hanc virtutem absque formali, & expresso contemptu boni communis: cur enim potiùs contra obedientiam, aut pietatem, aliásve virtutes, quæ sunt ad alterum, peccari poterit absque contemptu formali, eo, quòd præuideatur ea molitia, & non caueatur, vti cauere poterat, & debebat, quàm contra iustitiam legalem? Cur non satis fuerit præuideri violationem iuris, quod habet communitas in membra, & peccari contra obligationem, quam habet membrum aduersùs suam communitatem, quà membrum illius est, eámque obligationem in eo casu vrgeri? Cur vlterius ad peccatum necessarium erit illud bonum commune, cuius procuratio tunc vrgebat, contemni? Neque sapientet opponitur à Turrian. S. Thom. 2. 2. *quæst.* 59. *art.* 1. & 1. *part. quæst.* 79. *art.* 2. nam dicta cum Valentia S. D. velle tantùm eam circumstantiam non esse explicandam in confessione peccatorum,

aliquam resultat: Sic igitur ius acceptum diuiditur primò in ius naturale, & positiuum: Ius naturale continet præcepta naturalia, quæ ipsamet natura rationalis absque cuiusquam vllius alterius imperio imponit: Ius positiuum aduenit aliunde, & ponitur à superiore. Deinde ius naturale partiuntur aliqui in ius naturale diuinum, quod coïncidit cum lege æternam; & naturale creatum, quod implantatum est cuilibet naturæ rationali creatæ. Ius positiuum subdiuidendum est in diuinum, quod a Deo immediate positum est, & humanum, quod ab homine sancitur, siue ab humana potestate; quod ius iterum partiri licet in Ius Gentium, Ciuile & Ecclesiasticum, quod & Canonicum vulgò nominant. Prius illud omnium gentium moribus receptum est & earum veluti communi consensu constitutum. Ius Ciuile a priuatis politiis obseruatur: eiusmodi est ius Romanum Atheniense, Francicum, aliáque similia. Ius Canonicum ex Conciliorum, Pontificúmque decretis colligitur. Quæ omnes diuisiones, ac singula earum membra plerimas patiuntur difficultates, & a nobis sigillatim explicandę sunt, vt quodnam tandem sit Ius Ecclesiasticum, eiúsque naturam, proprietates, effectus, ac causas, certásque regulas illius aperiamus: Quod ptima ista parte nostræ scientiæ Canonicæ quærimus.



CAPVT II.

De iure legis æternæ.

QVÆST. I. *De natura legis æternæ.*

QVÆST. II. *Quomodo lex æterna à diuinis idæis, & ab aliis diuinis actibus distinguatur.*

QVÆST. III. *Quænam subijciantur legi æternæ.*

QVÆST. IV. *Quomodo nostræ actiones conuenire debeant cum lege æterna.*

QVÆST. V. *Quomodo lex æterna promulgetur, & innotescat.*



HANC inquit Tull. *lib. 2. de legibus*, video sapientissimorum fuisse sententiam, legem neque hominum ingeniis excogitatam, neque fictum aliquid esse populorum; sed æternum quoddam, quod vniuersum mundum regeret, imperandi, prohibendique sapientia; ab hac itaque æterna lege ordiendum nobis est, vt deinde ad cæteras quæ ab ipsa deriuantur, delabamur, & quomodo illarum præceptis, ac iure obstringatur Ecclesia, explicemus.

QVÆSTIO PRIMA.

Dari aliquam legem æternam. n. 1.

1. *Distingatur triplex actus diuinus.* n. 2. 3.
2. *In quo actu constituenda sit illa lex.* n. 4. 5. 6.

Quid tandem illa sit. n. 7. 8.

Eius definitio. n. 9.

1 LEgis æternæ tam sæpè meminit Augustinus, vt nemo vnus ex omni schola eiusmodi legem aliquam esse neget, Idémque tum Summistæ, tum iuris interpretes magno consensu fatentur. Quid verò ea sit singuli disquirunt, & dissentiunt vniuersi. S. Thom. 1. 2. *q. 93. art. 1.* definiuit illam rationem diuinæ sapientiæ secundùm quod est directiua omnium actionum, & motuum, sapientia enim, vt creat, ars vel exemplar, & idæa est, vt eadem creata gubernat, lex est; quia verò quælibet ad finem destinatio, & promotio non est lex, alioquin quælibet faciendi cognitio, quâ in agendo dirigimur, lex esset, quod nemo affirmarit: quamvis enim lex respiciat ea, quæ dirigit in aliquem finem, & quorum mensura est, ac regula, aliquid præter rationem mensuræ, ac regulæ includat, oportet, nimirùm impetium, & obligationem. Pluribus visa est manca S. Thomæ definitio, quæ solam directionem & cognitionem rei faciendæ, siue actionum, & motuum in creaturis ipsarúmque in suos fines destinationem, & promotionem legem æternam dixit, inde itaque lites, & iurgia circa rationem legis æternæ quotidie feruntur, quæ malim hoc loco componere, quam recensere.

Triplex actus diuinus distinguitur.

Obseruo itaque Deum triplici actu creata in proprios fines mouere: Primò enim diuinus intellectus immensa collustratus luce videt, quid singulis naturis conueniat, ad quos fines dirigi possint, aut debeant, quibúsque rationibus, & modis in illos promouendæ sint: attendit verò maximè, quid circa morum honestatem fugiendum, amplectendúmve sit; vnde malitia, vnde bonitas in singulas actiones humanas deriuetur: quid naturæ rationali consentiat, ab eadémque dissentiat; quid denique suam bonitatem, quid sapientiam in his omnibus deceat. 2

3 Hanc cognitionem excipit decretum diuinæ voluntatis singulis naturis suos fines, & media, ac modos, quibus in illos feruntur, destinantis: quod decretum maxime spectandum est circa naturam rationalem, quam Deus voluit finem illi propositum studiosis, & liberis actionibus assequi: quare aliquas actiones iubet, alias prohibet, alias ita libero voluntatis arbitrio relinquit, vt fieri, vel omitti innoxie possint; præscribit tamen modum, quo fiant, si quando illas exercere libeat, qui actus, vt paucis dicam, est voluntas obligandi creaturas ad ea, quæ iudicata sunt esse optima, & illis consentanea, siue quoad finem, siue quoad modum illa obtinendi.

Tertius actus est cognitio decreti, quod modò descripsimus; hinc enim cognoscit diuinus intellectus, quæ ratio tenenda sit in rerum gubernatione, atque imprimis in natura rationali ad suum finem promouenda, & quam obligationem diuina voluntas creaturis imponere velit.

In quonam actu diuino constituenda sit lex æterna.

4 Ex his tribus actibus prima illa cognitio dictamina practica de finibus & mediis complectens, non est lex æterna, cuius naturam quærimus contra quam videatur sentire Pesant. 1. 2. *tract. de legib. disp. 2. n. 2.* sicut neque scientia simplicis intelligentiæ, quâ Deus omnes possibiles rerum ordines, modúmque condendi singulas creaturas intelligit, est scientia practica, aut idæa aut prouidentia, priusquam ad opus externum per decretum liberum voluntatis applicetur: deinde certum est, quod *cap. superiori. q. 3.* ostendimus legem includere aliquem actum voluntatis, & iudicium prudentiale, quo legislator adhibitis in consilium

ſapientibus viris iudicat, quid, expenſis omnibus rationum momentis, & rerum articulis magis contentaneum Reipublicæ ſit, nondum obſtringere ciues, neque eos ad operandum, vel dirigere, vel mouere, niſi eiuſdem Principis voluntas accedat, & qood commodum Reipublicæ viſum fuit, à ciuibus ſeruari velit, quibus prætereà illum ſuum animum, & voluntatem ſignificet, oportet. Sic igitur neque diuina cognitio omni voluntatis actui præuia, creaturas aut obligabit, aut ad operandum mouebit, eſtque ſolùm cognitio iudicans quid faciendum, quidvè imperandum ſit; nondum tamen illud imperans, quare nullam legis, aut iuris rationem habebit. Denique hic actus intellectus reſpicit omnes creaturas poſſibiles, ſiue producantur, ſiue non producantur, éſtque merè ſpeculatiuus; cùm lex ſit actus quidam practicus, & non reſpiciat ſolos poſſibiles ſubiectos, qui nunquam futuri ſunt.

5 Alterum actum dicebamus eſſe decretum diuinæ voluntatis, fines, quos naturis ſingulis conuenire prænouit intellectus, ponentis, & ad quaſdam actiones, quibus illos aſſequantur, eaſdem obligantis. In hoc actu legem æternam conſtituit Soar. *lib. 2. de legib. cap. 3. n. 6.* Quia illa nihil aliud eſt, quàm decretum de ordine ſeruando, ex mente Auguſt. *lib. 1. de libero arbitrio, cap. 6.* Deinde, cùm lex iſta reſpiciat omnia creata, quibus imperat, aliud eſſe non poteſt, præter diuinam volitionem; rebus enim ratione carentibus non imperat Deus, loquendo, quod eſſet intellectus; ſed faciendo, quod eſt præcipuè voluntatis. Prætereà naturis rationalibus nihil imperat, & obligationem imponit, niſi diuina voluntas, cui ſi noſtræ actiones conſentiant, honeſtæ ſunt; ſi diſſentiant, inhoneſtæ; éſtque illa ſapientum omnium vox, diuinam voluntatem totius honeſtatis legem, ac fontem eſſe.

6 Non diffiteor quidem diuinæ voluntatis decretum neceſſarium eſſe ad inferendam obligationem; nego tamen in eo decreto legis æternæ rationem benè conſtitui: nam in primis eiuſmodi legem ad intellectum pertinere ſæpius affirmat Auguſt. dum ſummam rationem, cui ſemper obtemperandum eſt, appellat, *lib. 1. de lib. arbitrio, cap. 6.* incommutabilem veritatem, quæ lex omnium artium dicitur, & ars omnipotentis artificis *lib. de vera Religione, cap. 31.* Angelos in æternis, atque incommutabilibus Dei legibus, quæ in eius ſapientia viuunt, mutationes temporum peruidere *lib. 9. de ciuit. cap. 21.* Tanti magiſtri veſtigiis inhæſit S. Thom. 1. 2. q. 93. art. 1. ad 1. *Æternus*, inquit, *diuinæ mentis conceptus habet rationem legis æternæ, ſecundum quod ordinatur ad gubernationem rerum ab ipſo præcognitarum*, & quamuis eam ordinationem præuij conceptus fieri à diuina voluntate concedamus; Suarij decretum tamen ordinans eiuſmodi conceptum ad gubernationem, non dicitur lex æterna à S. Doctore; ſed conceptus ipſe ordinatus: Quod explico illuſtri omninò exemplo in ipſo Deo; nam ſcientia naturalis, quæ rerum creandarum modos omnes, & ordines attingit, dicitur ſcientia practica, vbi per volitionem liberam ad opus applicatur: quis tamen decretum, cognitionem illam ad molitionem alicuius operis admouens, ſcientiam practicam, aut artem in Deo eſſe dixerit? prætetquam quod legem ad intellectum pertinere ex vulgatis eius definitionibus, proprietatibus, & natura *cap. ſuperiori, q. 3.* dilucidè demonſtrauimus. Quare legem æternam in aliquo actu diuini intellectus diuinum decretum conſequente ponere cogimur, quod tandem non abnuit Suarez, & dicit eſſe cognitionem diuini decreti: quia inde iudicat Deus, quæ ſit ſeruanda ratio in vniuerſitatis, ſingularúmque naturarum gubernatione. Verùm, neque ea cognitio decreti imperium eſt, neque ad rationem legis, quæ in præſcribendo quodam ordine conſiſtit, neceſſaria eſt, præterquam quod eiuſmodi lex Deo ipſi gubernanti, & dirigenti creaturas, non autem creaturis ipſis ſanciretur: quare Deum primariò, non creaturas obſtringeret.

Aio igitur, legem æternam eſſe actum intellectus, qui conſequitur diuinam volitionem, electionem, & decretum de mediis, quibus in ſuos fines creaturæ omnes; ſed rationales imprimis promouentur, qui actus eiuſdem decreti, ac voluntatis ſignificatio quædam eſt, ac verum imperium. Quod ſi pergis inquirere, quis tandem actus, & quænam intellectio ſit hoc imperium, & hæc locutio, ſeu enuntiatio, & intimatio diuinæ voluntaria naturam creatam obligantis? Reſpondeo eſſe illud primum iudicium practicum de finibus, quos exigunt ſingulæ naturæ, & bonitate mediorum, atque honeſtate morum, aliiſque ſimilibus perſeuerans poſt voluntatis eas regulas probantis conſenſum, & decretum, ex cuius iudicij prælucente lumine ipſamet deinde diuina voluntas media vſurpat, & creaturas in fines deſtinatos vrget; creaturæ verò, vbi ipſis ſignificatur, ad illud, quod imperat, obligantur: quod totum illuſtratur ex iis, quæ de imperio monaſtico, quo animus ſibi ipſi, & ſuis potentiis imperat, & de imperio humani legiſlatoris fuſiùs diximus *q. 3. cit.* atque, vt aliquid afferam, quod propius abſit à re noſtra, ſcientiam ſimplicis intelligentiæ cauſam eſſe rerum omnium, atque adeò ipſam ſcientiam practicam, eruditorum conſenſus eſt. Et ſanè cùm ea ſit omnium poſſibilium ars, eorúmque rationes incommutabiles contineat, vt loquitur Auguſt. ſufficienter conſtituit Deum in actu primo ad operandum: per eam verò ſcientiam exercet Deus actum ſecundum, & reipſa operatur, per quam conſtituitur in actu primo. Hæc tamen cognitio quandiu voluntatem præcedit, practica non eſt, cùm neque quidquam operetur, neque proximè potentem ad operandum faciat Deum, ſed vbi per decretum ad opus applicatur, & determinatur; tunc eadem cognitio abſque vlla ſui mutatione practica euadit, atque etiam ex eo capite libera; quia liberam voluntatis applicationem præſupponit. Non abſimili ratione diuinam prouidentiam prima parte explicuimus, ſcientiam videlicet de fine, & mediis per voluntatem efficacem nunquam interruptam, & immobilem applicatam ad opus. Quare communiſſima, eáque veriſſima S. Thomæ, aliorúmque, quos dabit Ruis *diſp. 3. de prouid. ſect. 3.* ſententia prouidentiam conſtituit in intellectu cum connotatione voluntatis: quæ intellectio non poteſt eſſe ea, quæ præcedit decretum voluntatis, vti apparet, & oſtenditur ex iis, quæ afferunt, qui illum collocant; in voluntate ergo eſt intellectio conſequens volitionem, quæ intellectio eſt imperium; illud porrò non eſſe aliud, quàm ſcientiam, quam modò deſcripſimus, eo loco contra Granadum demonſtrauimus. 7

8 At igitur æterna lex diuina cognitio, & iudicium practicum finium, mediorum, honeſtatis, & malitiæ ſingularum actionum, atque regularum practicarum, prout voluntatem obligandi naturam rationalem ad illa media vſurpanda, & regulas ſeruandas ſequitur; ſic enim eſt verum imperium, vtpotè intimatio voluntatis obligantis, eóque recidit, niſi fallor, Valent. 1. 2. *diſp. 7. q. 3. punct. 1.* Salas *diſp. 4. de legib. ſect. 1.* & Becan. 1. 2. *tract. 3. cap. 2. q. 2.* neque abeſſe videtur Vaſq. 1. 2. *diſp. 150. cap. 2.*

Definitio

Definitio legis æternæ.

9 Non fuerit itaque difficile exponere definitionem legis æternæ allatam à S. Thom. Est enim sapientia diuina, secundùm quod est omnium actuum,& motionum directiua; nempè in proprios fines,quæ directio non est simplex dumtaxat regula,aut idæa; sed imperium,siue intimatio diuinæ voluntatis obligantis creaturas ad eas actiones,aut motiones, vel eas ipsis prohibentis; quia enim eadem diuina cognitio de finibus, & mediis post decretum diuinæ voluntatis talia media, & fines præcognitos probantis, perseuerat, dicitur verè sapientia,quæ etiam est directiua,atque obligatiua, vti *superius* explicuimus. Est igitur verum imperium,& lex,atque optimè S. Thomas sua definitione naturam huius legis, & amplissimum materiæ, in quam cadit, ambitum comprehendit, vt *quæst.* 3. ostendemus.

QVÆSTIO II.

Quomodo lex æterna differat à diuinis idæis, & aliis diuinis actibus.

1. *Difficultas quoad diuinas ideas.* n. 1.
2. *Mens Dionysij de diuinis ideis.* n. 2. 3. 4.
3. *Quid sint diuinæ ideæ ex sensu communi Patrum.* n. 5. 6. 7. 8. 9.

An sint diuina essentia, vt imitabilis. n. 10.
Essentia est similitudo, & exemplar. n. 11. 12. 13.

4. *Quid præterea requirat Dionysius ad rationem ideæ.* n. 14.

Consectaria ex doctrina Dionysij.
Consectarium primum. Quinam actus diuini constituant exemplaria. n. 15. 16. 17.
Consectarium secundum. Discrimen ideæ, & exemplaris. n. 18.
Consectarium tertium. An futura cognoscantur in ideis. n. 19.
Consectarium quartum. Quomodo verbum sit idea. n. 20.
Consectarium quintum. Quomodo ideæ diuinæ differant à scientia practica. n. 21.
Consectarium sextum. Quomodo ideæ diuinæ differant à prouidentia. n. 29.
Consectarium septimum. Quomodo diuinæ ideæ differant à lege æterna. n. 31.
Consectarium octauum. Legis æternæ, & prouidentiæ discrimen. n. 33.
Consectarium nonum. Discrimen legis æternæ ab omnibus diuinis actibus. n. 35.

NOn leuis mihi videtur ista controuersia, & quæ magnam lucem allatura sit, tum superiori quæstioni, *de natura legis æternæ*, tum sequenti *de iis, quæ legi æternæ subijciuntur.*

Difficultas quoad diuinas ideas.

1 Et primùm, quod attinet ad comparationem legis æternæ cum diuinis idæis,ratio dubitandi sumitur ex iis, quæ de idæis, & diuinis exemplaribus subtiliter suo more disserit Dionys. à quo deinceps cæteri hanc disputationem acceperunt. Ille igitur *cap.* 5. *de diuin. nomin.* agnoscit effectrices quasdam rationes essentiæ rerum vnitè in Deo præëxistentes τοὺς ἐν θεῷ τῶν ὄντων οὐσιοποιοὺς, καὶ ἑνιαίως προϋφεστῶτας λόγους, quas Theologia vocat prædefinitiones, siue prædestinationes προορισμοὺς; bonas, & diuinas voluntates θεῖα, καὶ ἀγαθὰ θελήματα, omnium existentium definitrices, & effectrices τῶν ὄντων ἀφοριστικὰ, καὶ ποιητικὰ, secundùm quas ille, qui super omnia est, ὁ ὑπερούσιος, omnia entia definiuit, & produxit τὰ ὄντα πάντα καὶ προώρισε, καὶ παρήγαγε, quibus verbis Dionys. παραδείγματα non accepit pro solis idæis, aut exemplaribus, de quibus vulgò disputant Philosophi, & Theologi,quandoquidem illa non collocat tantùm in diuina intellectione sed simul quoque in voluntate; cùm tamen idææ, & exemplaria constituantur a Philosophis, & Theologis magno consensu in intellectione: sunt enim imagines, & formæ, secundùm quas omnia creantur. Boët. *lib.* 3. *de consolat. metr.* 9. Augustin. *q.* 46. *ex* 83. Damasc. *orat. de imaginib.* Anselm. & alij, ipsúmque nomen idææ, quod primus Plato vsurpauit, teste August. *q. cit.* satis ostendit has imagines, & species ad intellectum pertinere, vt verò sensum Dionysij enucleemus, & naturam horum exemplarium explicemus, videamúsque quomodo se habeant ad legem æternam, de qua disputamus.

Dantur in Deo omnium exemplaria ex Dionysio.

Obseruo imprimis cum Pachyme, Dionysium eo loco disputare contra Platonem qui abiectè, & non satis digne ταπεινῶς καὶ ἀναξίως θεοῦ, hæc paradigmata acceperat; Dionys. autem eadem vsus voce illam piè omninò est interpretatus ὁσίως ἐξηγήσατο. Plato enim hæc exemplaria dicebat esse essentias quasdam per se subsistentes, & à Deo separatas, quarum impressione veluti sigillo singula producerentur: ita Cyrill. *lib.* 2. *contra Iulian.* Euseb. *lib.* 11. *de præparat. c.* 21 referens verba Didymi de placitis Platonis. Ambr. *lib.* 4. *de fide ad Gratian. cap.* 3. Nazianz. *orat.* 33. quo sensu eum quoque impugnat Aristot. *lib.* 3. *Metaph. à textu* 10. & cæteri deinde Peripatetici, atque Theologi, quanquam interdum aliter sensisse visus fuerit Plato, vti ex eodem Cyrill. & Euseb. aliisque colligitur: additque Cyrill. tam implicatos fuisse Platonis hac in parte sermones, vt ne quidem ipsius discipuli magistri mentem satis caperent. Contra hunc igitur errorem siue verè, siue falsò, & ex vulgi tantùm sensu Platoni tribuerent, statuit Dionys. παραδείγματα, & idæas esse in Deo vnitè, & singulariter ἑνιαίως, quod explicat exemplo solis, qui cùm vnicus sit, & vniformiter diffundens lumen suum μονοειδῶς ἐπιλάμπων φῶς; omnium tamen sensibilium essentias, & qualitates, quamvis multas, & differentes renouat, & nutrit, & seruat, & perficit, & distinguit, & vnit, & refouet, & fœcundat, & auget, & immutat, & firmat, & producit, & suscitat, & vegetat, atque ita in seipso vno omnium causas vnus vnitè μονοειδῶς anticipat. Multò igitur potiori iure concedendum erit in omnium causa præëxistere omnia, & omnium existentium exemplaria προϋφεστάναι τὰ πάντα τῶν ὄντων παραδείγματα, secundùm superessentialem quandam vnitatem, siue vnitionem κατὰ μίαν ὑπερούσιον ἕνωσιν συλλαβοῦσαν.

3 Secundò Dionysius ait, Deum primam omnium causam producere essentias secundùm effluxum, & egressionem ab essentia, siue substantia κατὰ τὴν ἀπὸ οὐσίας

ὑλας ἰκέναι: quia vti explicat Pachym. fingere sibi aliquis posset esse quidem in Deo exemplaria actionum, & munerum, & prouidentiarum προνοίων, eo quòd Paul. meminerit prædefinitionum, & prædestinationum ministerij, atque Apostolatus; non verò personatum, quæ aliquid sunt diuersum ab actionibus, & muneribus, vt hunc igitur errorem refellat Dionys. ait Deum ipsas essentias, substantias, & personas producere: atque ita ipsarum quoque apud se rationes habere; vnde differt à creatis artificibus, qui dum quidpiam arte sua moliuntur, non producunt substantias, siue materias, in quibus operantur, atque adeò non habent rationes, & ideas materiarum, ac substantiarum; sed tantùm artis, & figuræ, quam substantiæ imprimunt, siue artis, & habituum ἕξεων, καὶ τέχνης.

4 Tertiò, Dionys. reiicit opinionem Clementis Philosophi, quem deinde ad fidem conuersum Petro successisse in Romano Pontificatu Pachym. & alij existimant. Volebat porrò Clemens exemplaria esse ea, quæ sunt in singulis rebus principaliora τὰ ἐν τοῖς οὖσιν ἀρχικώτερα, quod Maxim. & Pachym. explicant exemplo lineæ, cuius superior pars intellectilibus, inferior sensibilibus constet; inter intellectilia autem, sicut & inter sensibilia quædam sunt aliis nobiliora: omnia tamen inferiora à superioribus serie quadam dependent. Opinabatur igitur Clemens in hac linea superiora esse inferiorum exemplaria, & exemplar esse ad aliquid, quia ordinem dicit ad subiectas species, quæ ab ipso dependent, quæ fuit quoque Philonis mens, Platonicam doctrinam explicantis apud Euseb. *lib.* 11. *de præparat. cap.* 12. Hunc igitur Clementis progressum negat Dionys. fieri per propria, & perfecta, & simplicia nomina διὰ ἰδίων, καὶ παντελῶν, καὶ ἁπλῶν ὀνομάτων: quia nomen exemplaris, neque propriè, neque absolutè, neque simpliciter de creaturis etiam principalioribus respectu minùs principalium, sed de solo Deo, & de iis, quæ Deo sunt propria, dicitur: nam exemplaria illa constitui propriè debent, ad quorum exemplum, speciem, & similitudinem alia formata sunt; ipsa verò non ex aliis dependent, neque ad aliorum formam, & exemplar formata sunt, vtpote primigenia, siue, vt loquuntur, originales, & primordiales rationes, & causæ; id autem nulli creaturæ quamvis præstantissimæ conuenit: quare neque Angelici spiritus erunt primaria, simplicia, atque omninò absoluta exemplaria respectu inferiorum; quandoquidem & ipsi à primo, atque summo ente suam ducunt originem. Cùm igitur creaturæ non fiant primariò, vt imitentur sua illa principia creata; sed vt in eis impleatur, quod diuina sapientia ordinauit, siue quod erat in idea, & exemplari diuino; nullæ creaturæ erunt propria, & absoluta exemplaria, neque etiam perfecta, cùm ipsa aliis exemplaribus indigeant, neque simplicia, cùm sint ad aliud exemplar formata, siue exemplata, & simul exemplaria aliorum, in quo est aliqua compositio. Quod si tamen alicui minus displiceat illa Clementis loquutio, quamvis minùs propria, monet Dionys. meminerit saltem ea in rebus principaliora, non esse summa exemplaria, neque adoranda, quod etiam Deus per Mosen edixit; non ea, inquit, tibi ostendi, vt eas post illa, hoc est, vt illa colas; sed vt per proportionem cognitionis horum omnium ad cognoscendam omnium causam adducamur. Citat Dionys. non secundùm verba, sed secundùm sensum, οὐ κατὰ τὸ ῥητὸν, ἀλλὰ κατὰ τὴν διάνοιαν, locum Exodi 25. vti obseruant Pachym. & Turrian. *in decad. Cyparrisiota, cap* 4. *scholio* 5. ibi enim Moysi iubet Deus facere secundùm exemplar in monte sibi ostensum, hoc est, vasa tabernaculi, aliáque ad cultum eius pertinentia faceret, prout illi in monte demonstratum fuerat. Hæc verò erant exemplaria quædam informata menti Mosis diuinitus. Mavult Stapulen. *in Comment. ad illud cap. Dionys.* ipsum alludere ad *cap.* 4. *Deuter.* vbi Deus negat se aliquam sui imaginem, aut formam aspectabilem præbuisse, ne simulachrum effingerent, quod adorarent; Alludit quoque ad verba Pauli *ad Rom.* 1. Inuisibilia ipsius à creatura mundi per ea, quæ facta sunt intellecta conspiciuntur, cùm ait per proportionem cognitionis creaturarum adduci nos, quoad possumus, ad cognoscendam omnium causam; inuisibilia enim illa interpretatur Turrian. exemplaria æterna, secundùm quæ omnia produxit Deus.

Quid sint diuinæ ideæ, & exemplaria ex communiori Patrum sensu.

Ex his omnibus habemus in Deo esse exemplaria omnium existentium, iam verò quid ipsa sint ex eodem Dionysio, & aliis inuestigandum restat. 5

Et quidem non esse formas aliquas reales intra Deum subsistentes, vti somniauere quidam Philosophi, constat ex vnitate simplicissima Dei, quam vbique Dionys. & maximè hoc eodem *capite* 5. disertè adstruit; esset autem Deus compositus ex exemplari, & se ipso, inquit Pachym. nisi istæ ideæ essent notiones quædam simpliciter, & vnitè supetexpansæ, & supereuenientes, super quam vniti Dei, ἁπλῶς, καὶ ἑνιαίως νοήσεις ὑπερηπλωμέναι τοῦ ὑπερηπλωμένου, καὶ ὑπερηνωμένου θεοῦ.

Non sunt etiam ipsæmet creaturæ à Deo præconceptæ siue secundùm esse obiectiuum in diuina cognitione existentes, contra Scotum *in* 1. *dist.* 35. *q.* 1. §. *ad ista*, Durand. *ibid. dist.* 36. *quæst.* 3. Ocham. *ibid. dist.* 35. *quæst.* 5. nam Dionys. tum *cap.* 5. *cit.* tum *cap.* 7. Damasc. *orat.* 1. *de imaginibus*, & *lib.* 1. *de fide*, *cap.* 12. aliique omnes, tum Patres, tum Philosophi apertissimè restantur, res creatas distinctas esse ab exemplaribus, & ideis diuinis, quarum ipsæ sunt imagines. Iustin. *exhortat. ad gentes*, Platonis sententiam, quam hausisse putat ex scriptis Mosis, referens, ait illum existimasse esse quandam speciem antiquiorem separatam ab ista, quæ sensu percipitur, quam rerum exempla, nominare solitus erat. Neque Platonem impugnant Patres, nisi quia eam formam extra Deum collocabat; non verò quod exemplar ab exemplato distingueret; id enim perpetuò tanquam certum ipsi supposuerunt. Clem. Alexand. mundum Archetypum, & intelligibilem, cuius meminit *lib.* 5. *Stromat.* distinguit à sensibili, quem vocat imaginem εἰκόνα Archetypi, tanquam exemplaris dicti τοῦ καλουμένου παραδείγματος. Rursus intellectibilem comparat vnitati, quæ percipitur intelligentia; sensibilem Senario, qui est genitalis numerus; vnde & apud Pythagoræos coniugium refert. Quis autem neget οὐρανὸν ὁρατὸν, γῆν ἀόρατον, & φῶς νοητὸν: quæ sola intelligentia percipiuntur, à mundo aspectabili distingui, in cuius ortu sensibili ἐν τῇ κοσμογονίᾳ τῇ αἰσθητῇ, Deus cœlum solidum, terram aspectabilem, & lucem, quæ videtur στερεὸν οὐρανὸν, γῆν τε ὁρατὴν, καὶ φῶς βλεπόμενον produxit; Creaturæ verò præconceptæ sunt aspectabiles, & quales in seipsis existunt. Philo apud Euseb. *lib.* 11. *de præparat. cap.* 12. meminit quoque mundi cuiusdam, & ciuitatis intellectualis, quod sit primitiuum sigillum; quæ sine dubio non conueniunt creaturis etiam præconceptis, sicut neque cætera omnia, quæ exemplaribus istis tribuunt Patres. Nam August. *q.* 46. *ex* 83. vocat ideas principales formas, & rationes rerum stabiles, atque incommutabiles, quæ ipsæ for-

matæ non ſunt, ac per hoc externæ, ac ſemper eodem modo ſe habentes, quæ in diuina intelligentia continentur, quam eandem incommutabilitatem repetit *lib. 6. de Trinitate, cap. vlt. & lib. 11. de ciuit. cap. 29.* Maximin. *in Schol. cap. 5. de diuin. nomin.* cauſas primordiales omnium exiſtentium vocat. At verò creaturæ incommutabiles non ſunt neque primariæ, & originales cauſæ: nam licèt cognitio, quâ Deus cognoſcit creaturas, antequam producantur, ſit æterna, & incommutabilis; non tamen ipſæ creaturæ cognitæ incommutabiles, & cauſæ principes dici poſſunt; falſum etiam foret, quod Auguſt. *q. 46. cit.* Anſelm. *in Monol. cap. 9.* & alij patres tam ſæpè affirmant, Deum non fuiſſe intuitum aliquid extra ſe poſitum, vt ſecundùm id constitueret, quod constituebat falſum, quòd *ibid.* aiebat Aug. neminem ſapientem dici poſſe, niſi intellectis ideis: Et quod ex Platone refert, & approbat Clem. *lib. 4. Stromat.* eum, qui ideas contemplatur, tanquam Deum virtutum inter homines. Denique verba Pauli ad Hebr. 11. *Fide intelligimus aptata eſſe ſecula verbo Dei, vt ex inuiſibilibus viſibilia fierent.* Quæ de intellectuali, & ideali mundo, ad cuius imitationem viſibilis factus eſt, Anſelmo tributus commentarius, aliíque interpretantur, de creaturis explicari nequeunt. Nam quamvis Theodoret. & Chryſoſt. per inuiſibilia intelligant nihilum, ex quo conditum fuit vniuerſum, quod ſola fides docet; cùm Philoſophia ex nihilo fieri cõſtanter pronuntiet; alij verò per inuiſibilia ſignificari exiſtiment materiam primam nudam omni forma, atque adeò ex ſcripturæ phraſi inuiſibilem; omnia verò condita, & apta eſſe verbo Dei: *Dixit enim, & facta ſunt.* Hoc tamen eſt ſatis runditer dictum, licèt verum, inquit S. Thom. *lect. 2.* qui ſic explicat, ſecundum eſt, quod verbum Dei eſt ipſe conceptus Dei, quo ſe ipſum, & alia intelligit; Deus autem comparatur ad creaturam, ſicut opifex ad opus ſuum. Hoc autem videmus, quod artifex illud, quod produxit ad extra, producit ad ſimilitudinem conceptus ſui. Quia verò tota creatura optimè diſpoſita eſt, vt potè producta ab artifice, in quo non poteſt cadere error, vel aliquis defectus; ideò pleniſſimè ſecundùm modum ſuum conuenit diuino conceptui. Intelligimus fide ſæcula, id eſt, totam vniuerſitatem, creaturæ (aptata) id eſt, conceptui Dei, ſicut artificiatum arti ſuæ, vt ex inuiſibilibus viſibilia fierent, id eſt, ex inuiſibilibus rationibus idealibus in verbo Dei, per quod omnia facta ſunt, res viſibiles ſunt productæ. Res verò, vti iam monui, non dicuntur inuiſibiles, etiam præconceptæ, ſi in ſeipſis viſibiles, & aſpectabiles ſint.

Huic Patrum authoritati accedit valida ratio; prius enim eſt exemplar creaturarum eſſe in Deo, quàm eſſe cognoſcibiles à Deo: non poſſunt igitur Creaturæ cognitæ à Deo eſſe exemplar, & idea ſui ipſarum: quæ conſequentia manifeſtiſſima eſt: Antecedens verò oſtenditur ex eo, quòd prius ſit aliquid eſſe ens poſſibile, quàm eſſe cognoſcibile; quandoquidem cognoſcibilitas, & veritas, eſt paſſio conſequens rationem entis: ergo creatura omnis priùs eſt poſſibilis, quàm ſit cognoſcibilis; at verò intelligi nequit creatura vlla eſſe poſſibilis, niſi intelligatur priùs eſſe potentia totalis, & adæquata productiua creaturæ illius: quandoquidem, vti docuimus *in Metaphyſicis*, poſſibilitas, immò & ipſa etiam impoſſibilitas creaturarum pendet à diuina omnipotentia: tum quia prius eſt Deum eſſe, quàm creaturam eſſe poſſibilem, ſiue non implicare contradictionem in ſuo conceptu, aut habere poſſe eſſe logicum: non enim ſequitur per locum intrinſecum, implicat creatura; igitur implicat Deus; bene tamen, & neceſſariò ſequitur, implicat Deus, ergo implicat creatura. Quare rectè dixit Henricus *Quodlibet. 6. q. 3.* prius eſſe poſſe actiuum, quàm poſſe paſſiuum: quia verò diuina potentia ſumma, & infinita exiſtit, debet poſſe facere omnes gradus entis, inter quos aliqui ſunt eſſentialiter inter ſe coniungibiles, & identificabiles; alij verò ſunt eſſentialiter inconiungibiles, & repugnantes, ex quibus proinde non poteſt coaleſcere aliqua eſſentia, quæ ſimul inuolueret eſſe, & non eſſe, & ſe ipſam deſtrueret; At verò potentia productiua creaturarum in Deo completa non eſt ſine exemplaribus, & ideis, quod probant omnes, quibus Patres, & Theologi harum neceſſitatem adſtruunt; ergo ſi potentia productiua priùs eſt in Deo, quàm intelligatur cognoſcibilitas creaturarum: priùs quoque in ipſo erit Ratio ideæ, & exemplaris, quàm creaturæ ſint cognitæ etiam vt poſſibiles.

Dices, in agentibus creatis idea eſt res facienda ſibi ipſi præconcepta: eſt enim obiectum, quod intuetur artifex, operando, ſiue quod ſua arte repræſentat; atqui Deus illam ipſam cognitionem creaturarum, quam habet, opere ipſo repræſentat, dum agit; immò ſi per impoſſibile non cognoſceret ſuam eſſentiam, ſed ſolas creaturas; poſſet nihilominus ipſas producere: ergo ipſæ reuera ſunt ideæ, quatenus præconcipiuntur, vti contingit in artificibus creatis.

Reſpondeo concedendo tum in Deo, tum in artificibus, illud eſſe ideam, & exemplar, quod eſt obiectum primariò cognitum, ad cuius imitationem, & expreſſionem primariò dirigitur opus, & intentio agentis: inde autem fit, vt in Deo primaria idea ſit ipſa diuina eſſentia, non autem res producenda. In artifice autem aliquando ſit res producenda; quia obiectum primariò cognitum à Deo eſt eſſentia diuina, & ad eius imitationem præconcipit creaturas, taléſque intendit eas producere, quales illas præconcipit ad imitationem ſuæ eſſentiæ, totáque diuina intentio, eiúſque potentiæ operatio, atque artis executio primariò tendit ad exprimendam imitationem, ſiue participationem diuinæ eſſentiæ: neque poteſt Deus habere aliud obiectum primariò cognitum, ad cuius expreſſionem tendat in ſuis operibus, quàm ſuam eſſentiam. At verò artifices creati aliquando habent primarium aliquod exemplar, quod intuentur, & imitantur; ſed illud ſemper ipſis externum eſt, atque ea in parte differunt à Deo aliquando, etiamſi ex aliquo obiecto moueantur; fingunt tamen aliquod opus, quod nullum fuit hactenus, componendo inuicem varia obiecta externa, illáque coniungendo, & tunc ſimulachrum, quod ſibi mente finxerunt, quodque nullum aliud ſui exemplar habet, opere exprimunt, eſtque ipſum opus præconceptum, quod tunc dicitur idea primaria; quod totum eleganter deſcribit Anſelm. *in monolog. cap. 10.* ea in re diſcrimen inter artificem creatum, & ſummam ſubſtantiam collocans; quod vt faciliùs intelligatur, diſtinguenda eſt triplex idea, ſiue exemplar; primarium vnum, ad cuius imitationem tendit agens; ſecundarium alterum, quia illud quoque intuetur agens operando: ſed non niſi ſecundariò, & quatenus eſt ſimilitudo quædam illius primarij. Primarium exemplar vocant aliqui protothypon, ad cuius inſtar fit quidpiam, & in creatis eſt ſemper forma quædam externa, vti monebamus cum Anſelmo. Secundarium verò exemplar vocant ideam proximam, & obiectiuam, eſtque illud ipſum, quod fit ad inſtar primarij exemplaris, ſiue protothypi: quatenus enim concipitur ab artifice, ipſum dirigit: quia artifex tum in exemplar, tum in rem exemplatam producendam reſpicit operando; exigit enim imaginem ad exem-

plar,

plar. Dum, v.g. Apelles Alexandrum depingit, Alexander ipse protothypon est, & exemplar primarium, quod primò intuetur Apelles; imago verò Alexandri, quam iam meditatur, & præconcipit, est idea secundaria: fatemur igitur Deum intueri quidem creaturas ad suæ essentiæ imitationem producendas, illasque præconcipere, atque adeò illis rationem exemplaris, sed secundarij tribui à Theologis; cum tamen nomen exemplaris primarij, & absolutè sumpti, soli diuinæ essentiæ conueniat, atque etiam illi vni tribuatur à Patribus, vti vidimus *superius*; neque S. Thom. videtur abnuere hanc primarij, & secundarij exemplaris rationem in Deo: nam 1.*p.q* 44.*art*.3. dixit Deum esse primam causam exemplarem omnium. Deinde addit *in responsione ad* 1. Creaturam secundùm repræsentationem rationis intellectæ à Deo attingere similitudioem Dei, vt Domus, quæ est in materia domui, quæ est in mente artificis.

9 Ad illud, quod dicebatur Deum producturum creaturas, etiamsi per impossibile illas cognosceret, non cognitâ suâ essentiâ; & tamen cognitâ essentiâ, non cognitis creaturis, non posse eas producere.

Respondeo primò, in illo casu possibilitatis Deum acturum per modum artificum creatorum; itaque alia omninò esset operandi ratio: quare neque mirum foret, si alia tune exemplaria intueretur; secundò Deus eo casu non haberet perfectam artem, & scientiam practicam; quia destitueretur primario exemplari, ad cuius imitationem omnis creatura concipienda, & producenda est, cùm in eo solo totius entitatis suus præëxistat, eiúsque dumtaxat participationes, atque imitationes quædam sint creaturæ.

10 Ex his verò nascitur alia implicatior multò quæstio, an essentia diuina, prout est imitabilis, & participabilis à creaturis, & vt talis esse cognoscitur, sit exemplar; an verò, prout est ipsamet sui intellectio, siue, vt alij dicunt, verbum Dei, & conceptus formalis attingens hanc imitabilitatem, & participabilitatem.

Existimarim ego diuinam essentiam, vt cognitam imitabilem à creaturis, esse ideam propriam, & obiectiuam, quod voluit omninò S. Thom. 1. *p. quæst.* 15.*art*.1. *ad* 3. *& art.* 2. *in c. & ad* 2.*quæst*.3. *de veritate, art*.2. *lib*. 1. *contra gentes, cap*.54. *sub fin.* atque alibi, eiusque discipuli cum Molin. 1.*p. quæst*.15. *citat. art*.1.*disput*.2. Grana. *ibid.tract*.7. *disput*.4.Val. *disp*.1. *q*.15.*part*.2. *in* 6. *sententia*, aliique, quos dabit Rius ipsos sequutus *disp*.71. *de scientia Dei, sect*.6. Cognitio autem essentiæ est vel idea formalis, vel complementum ideæ, vel conditio, sine qua non: neque aliud probant, quæ adducit Suar. *lib*.3. *de attribut. capit*.1. *num* 6. *&* 7. *& disp*.35. *meta. sect*.2. *n*. 10. Vasq. 1.*p.disput*.72. *cap*.1.*n*.2. & alij, quod vtrumque sic ostendo.

Atque in primis diuinam essentiam; vt est obiectum diuinæ cognitionis esse exemplar, & ideam, atque rationem sufficientem producendi creaturas ad illius imitationem, similitudinem, & participationem, ostenditur ex eo, quòd diuina essentia sit pelagus, & fons totius esse, quod vniuersum in diuina essentia continetur non formaliter, & vniuocè, cùm ab ipsa infinitè distet; ab ea tamen est tanquam eius participatio, & similitudo: nam quodlibet esse est particula totius esse, siue illius essentiæ, quæ ex sua plenitudine, & illimitatione continet perfectiones omnes, quæ sunt in latitudine totius entis, & quæ non est hoc, aut illud esse; sed ipsum esse; ab eo siquidem necessario est quodlibet esse etiam imperfectissimum: quatenus enim est imperfectum, non est esse, sed defectus esse, aut potius nihil, & non esse; quatenus tamen est certus quidam gradus entis, est à fonte totius entis; siue potiùs est particula totius esse absoluti; illud enim complectitur formaliter in se quodlibet esse, non quod sit hoc, & illud esse; sed quia est esse purum, & absolutum omnes perfectiones totius esse per modum cuiusdam vnionis mitabilis includens: & sicut natura humana abstracta est quid infinitum: quia æquiualet omnibus, & infinitis indiuiduis, ita ipsum esse abstractum ab omnibus particularibus per modum cuiusdam formæ subsistentis, est infinitum absolutum in genere entis: communicatione enim esse, omnia sortiuntur rationem entis. Est itaque diuina essentia forma quædam abstracta ab omni ente limitato, & modo limitante, cuius communicatione, & veluti attactu omnia, quæ sunt, accipiunt essentiam, & esse. Ideóque S.Thom. 1. *part. quæst*.4. *art*. 2. vocat Deum ipsum esse subsistens. Aug. *serm*.38. *de verbis Domini*, formam quandam, non formatam; sed formam omnium formatorum, incommutabilem, sine lapsu, sine defectu. Eodem pertinent, quæ Patres dicunt esse diuinitatis sigillum quoddam, quo creaturæ omnes sigillantur. Dionys. quoque adductus à S. Thom. pluribus docet *cap*.3. *&* 5. *de diuin. nomin.* Deum esse omnia, & non hoc, aut illud, neque hoc, aut illo modo. Vnde Damasc. *lib*. 1. *de fide, cap*.12. vocauit ὅλον ἐν ἑαυτῷ συλλαβὼν ἔχει τὸ εἶναι οἷόν τι πέλαγος οὐσίας ἄπειρον καὶ ἀόριστον, totum in se ipso comprehendens, quod habet esse, tanquam pelagus essentiæ infinitum, & interminum. Ex quibus apparet hoc genus continentiæ totius esse in Deo, aliud longè esse ab eo, quo color continetur in luce, & effectus in suis causis æquiuocis; quia non sunt in illis tanquam in fonte totius esse, neque tanquam in esse illimitato. Vnde non sunt essentialiter earum similitudo, aut imitatio, siue participatio, vti fusiùs ostendimus 1. *p*. explicantes rationem constitutiuam Dei, quam in infinitate essentiali collocabamus.

Ex hac porrò anticipatione totius esse in Deo, vt loquitur Dionys. sequitur Deum omnia cognoscere in sua essentia, tanquam in ratione formali adæquata totius esse, & in obiecto prius cognito, siue Deum sua cognitione tendere primò in suam essentiam, & propter illam priùs cognitam, tanquam obiectum formale, tendere secundariò in creaturas, tanquam in obiecta secundaria; atque ita Deus, vt ait Dionys. *cap*.7. *de diuin. nomin.* §. 2. nouit omnia, se ipsum cognoscens, & non rerum cognitione; sed sui, οὐ τῇ ἐπιστήμῃ τῶν ὄντων, ἀλλὰ τῇ ἑαυτοῦ, ibidemque dixerat non accipere ex rebus notitiam, & nequaquam geminam scientiam constituendam esse; aliam propriam, quâ se ipsum norit; aliam communem, quâ res omnes complectatur; sed vnam simplicem, quâ se cognoscendo alia omnia cognoscit, non rerum notitiâ, sed sui, sicut lumen in se ipso secundùm causam cognitionem tenebrarum anticipauit, non aliunde tenebras, quàm ex lumine cognoscens: quod ita interpretantur Maxim. & Pachym. vt Deus cognoscat creaturas, quæ ita deficiunt à Deo, sicut tenebræ à lumine: Si ponamus enim lumen ratione esse præditum, vt rogetur, an cognoscat tenebras? dicet se cognoscere, antequam sint tenebræ, non per aliquam experientiam: quia si lumen est, non sunt tenebræ: cognoscit igitur vt lumen, quia scit, si auferatur lumen, neminem quidquam visurum. Sic Deus in se, vt causa habet omnium cognitionem, quam non per experientiam acquisiuit; alioquin esset Deus posterior cognitione, aut aliquo tempore non cognouisset. Vna igitur, & eadem cognitione Deus se, & omnia cognoscit, sicut lumen cognoscendo co-

gnoscit

gnoscit tenebras. Ideoque Ansel. *in Monol. c. 32. & 33.* neget in Deo esse duplex verbum, vnum, quo se, aliud, quo creaturam dicat: alioquin verbum Dei esset similitudo creaturæ; est enim verbum similitudo eius, quod per ipsum dicitur, cùm tamen verbum, quo dicit creaturam, non sit eius similitudo, sed principalis essentia. Et sane nõ datur vnũ verbũ, quo cognoscatur obiectũ materiale; alterum, quo attingatur obiectũ formale; sed vno, eodémque indiuisibili verbo vtrũque simul obiectum repræsentatur, vnum primariò, alterum secundariò: siue vnum tanquam ratio cognoscendi; alterum tanquam cognitum per aliud, tanquam per rationem cognoscendi priùs cognitam prioritate a quo, non in quo. Præterea illa posterior cognitio, per quam Deus intelligeret creaturas per se ipsas, tanquam obiectum formale, specificaretur à creaturis, earũque intelligibilitati, tanquã suæ mensuræ cõmensuraretur: atque ita imperfecta foret: non enim aliã perfectionẽ specificã habere posset, quàm eam, quã acciperet à sua ratione specificante; ergo esset secũdũ illã rationẽ essentialiter imperfecta; quæ eadẽ causa est, propter quã communi consensu Theologi negãt in Deo geminũ amorẽ, quorũ vnus tẽdat in creaturas amaras, tanquã obiecta materialia, & secundaria propter suã infinitã bonitatem, tanquã rationẽ amandi primariò amatam; alter amet easdẽ creaturas primariò, propter intrinsecã ipsarum amabilitatẽ, tanquam propter rationẽ formalẽ amãdi primariã, & specificatiuã, quia amor iste esset omninò vt sic imperfectus: Estque discrimẽ inter cognitionem creaturarũ, & ipsarũ productionẽ, cùm enim productio sit actio Dei transiens, & aliquid creatũ, nihil repugnat eã pẽdere à creatura, & ab ea specificari, atque ita vnã creaturam produci à Deo per aliã creaturã, quanquam non vna creatura alterius productiua, sit causa eius omnino principalis, & primaria. At verò cognitio cùm sit actio immanens, & constituat Deum in vltimo gradu perfectionis, non potest ab vllo esse creato, tanquam à ratione primaria, & formali specificari; atque ita non potest cognoscere creaturam per aliquid creatum, tanquam per obiectum formale primarium, siue rationem primariam formalem cognoscendi.

Neque Deus cognoscit creaturas in sua essentia in vniuersum dũtaxat; sed singillatim secundùm illud esse proprium, & distinctum a Deo, quod habẽt, aut habere possunt, & secundùm suas omnes vltimas differentias; ita vt cognitio diuina non sistat in Deo solo, sed ad singulas realitates creaturarum progrediatur, sine vllo tamẽ discursu, vel reali, vel virtuali: Est enim vna simplex, & indiuisibilis formalissimè cognitio. Ita S. Th. 1. *p. q. 14. a. 6. & 13. & q. 20. à 2. ad 2.* Ratio à priori est, quia creaturæ non continentur confusè tantum, sed distinctissimè secundùm suum peculiare esse in fonte, & pelago interminato totius esse, quod est diuina essentia; ergò & illarum intelligibilitas secũdùm suũ proprium esse includitur in intelligibilitate diuinæ essentiæ; Disputant verò de solis vocibus Theologi, dũ quærũt, an Deus cognoscat creaturas in seipsis: si enim hæc loquẽdi formula significet creaturas cognosci in seipsis, tanquam obiectum primarium, & formale, & non in alio cognitum: sic creaturæ non cognoscuntur in se ipsis à Deo, sed in essentia diuina, quæ est ratio cognoscendi creaturas; atque ita intelligendi sunt Patres, dum negant Deum cognoscere aliquid extra se, sed in se, vbi omnia sunt. Aug. *lib. 5. de Genesi ad lit. c. 13. & in Psal. 49.* in illud: *Pulchritudo agri mecum est.* Anselm. *cap. 35. monol.* & alij. Quia enim in cognitione obiecti formalis, quasi in basi quadam fundatur cognitio obiectorum materialium, quæ connexionẽ habent cũ obiecto formali, fit, vt materialia dicantur cognosci in obiecto formali. Si verò per cognitionem creaturarum in se ipsis significetur diuinum intellectũ extendi ad distinctum esse creaturarum, quale habent, aut habere possunt extra Deum: reuerã cognoscuntur à Deo in se ipsis per illam ipsam cognitionem, quã cognoscit suam essentiam, in qua omnia illa esse, quamvis distinctissima vsque ad vltimas suas differentias contineantur vnitissime per complexum anticipatum causæ, vt in fonte, & pelago totius entitatis.

Ex his verò omnibus sequitur diuinam essentiã esse 11
exẽplar, & similitudinẽ omniũ creaturarũ: cùm enim in ea Deus videat, vti ostendim⁹, omnes creaturas secũdùm omnes differẽtias specificas, & numericas, secũdũ quas in ea cõtinentur, poterit intuendo suã essentiam, quamlibet Creaturã & quodlibet esse producere, quod est reuera ipsã essẽtiã, prout cõtinet omne esse, & ab illo participabilis, atq; imitabilis est; esse ideã & exẽplar.

Neq; dicas hanc continentiam creaturarũ in diuina 12
essentia esse tantùm eminentialẽ: quod non sufficit, vt vnũ repræsentet, aut exprimat aliud, cùm sint esse omninò distincta, vt videmus in luce continente calorem. Iã enim monui hanc continentiã eminẽtialẽ esse alterius rationis, quã ea, quæ reperitur passim inter causã, & effectũ æquiuocũ: quia causa non est obiectum formale, per quod prius cognitum distinctissimè videatur effectus in illa contentus: cùm tamẽ diuina essentia sit obiectum formale determinans diuinum intellectum ad expressissimam cognitionem cuiuslibet creaturæ.

Vrgebis: si essentia diuina est idea, & exemplar, 13
prout est imitabilis, & participabilis à creaturis, & vt talis cognoscitur: ergo creaturæ, quæ tunc vnà cum essentia cognoscuntur, complent rationem ideæ.

Respondeo negando consequẽtiã, quia nõ cognoscuntur nisi in obliquo, & vt terminus exemplaris: Nõ autem in recto, & tãquã ipsum exemplar: alioqoin aduersarij, qui volunt diuinã cognitionem esse ideã, cogerentur fateri creaturas, quæ per eã cognitionem attinguntur, esse ideã sui, quod tamen negant. Dicendum quoque esset; diuinã potentiã scientiã, aliáque attributa, quę sine creaturis intelligi nequeunt, ab ipsis cõpleri, sicut cognitio, quã cognoscitur causa, cognoscendo simul effectum in obliquo, tãquã terminum eius, diuersa lõge est ab ea cognitione, quã cognoscitur effectus in recto, & causa in obliquo, tãquãm principium effectus, & terminus relationis ipsius; neque prior illa cognitio dicitur simpliciter cognitio effect⁹, sed causæ: Et ista posterior est simpliciter cognitio effectus, nõ causę; Ita cognoscere diuinam essentiã, vt causam, & vt ideã, siue exemplar, atq; sicut imitabilem, & participabilem à creaturis, est simpliciter cognoscere essentiam; non autẽ creaturas, nisi in obliquo; quando autem cognoscitur creatura, tanquã participãs esse à diuina essentia: tunc cognoscitur in recto, & simpliciter creatura. Negamus igitur cognosci simpliciter, & in recto creaturam, quando essentia cognoscitur vt idea: quia sic cognoscitur simpliciter essentia, non absolutè, sed vt participabilis à creaturis, quæ licèt cõnotentur in ea cognitione diuinæ essentiæ: non idcircò habent rationem ideæ, sicut neq; quando cognoscuntur per conceptum formalem, in quo rationem ideę ponunt aduersarij, nõ sunt exemplaria sui. Non aliter igitur creaturæ includuntur in ratione diuinæ ideæ, quàm scientiæ, & omnipotentiæ, videlicet in obliquo, & tanquam aliquid cõnotatũ. Non negam⁹ autẽ necessariã esse cognitionẽ essentiæ, vt participabilis à creaturis, quia non potest dirigere diuinam actionem, vt operetur ad illius imitationem, nisi ipsam intuendo, vtrùm verò hæc cognitio dicenda sit idea formalis, an ideæ complementum, an conditio sine qua, non leuis quæstio est.

Quid prætereà requirat Dionysius ad completam rationem exemplaris.

Habemus hactenus, quid sint diuina exemplaria, & 14
ideæ ex communi sensu Patrum, & Theologorum: illa

tamen omnia nondum exhauriunt diuini Dionysij mentem, neque doctrinam ab eo traditam; παραδείγματα enim dixit prædefinitiones, siue prædestinationes προορισμοὺς λόγους, bonas voluntates ἀγαθὰ θελήματα, omnium entium definitrices, & effectrices ἀφοριστικά, καὶ ποιητικά: ad rationem igitur ideæ requirit Dionysius actionem aliquam voluntatis, atque etiam intellectionem distinctam ab illa, quâ Deus cognuscit suam essentiam participabilem à creaturis: per illam enim Deus nihil dum volùit, aut definiuit circa creaturas, neque suam voluntatem edidit, neque vi illios solius cognitionis quidquam producet: quia eiusmodi cognitio essentiæ, vt participabilis à creaturis, est omninò naturalis, præceditque omnem actionẽ liberam, atque scientiam practicam; cùm tamen Dionysius requirat bonas voluntates, quæ liberæ sunt prædefinitiones, quæ important intimationem quandam diuinæ voluntatis. Et deniqoe nominat rationes effectrices non solùm potentiâ, sed actu: quia secundùm illas Deus omnia entia produxit: neque rectè Rius *disp.* 82. *de scientia Dei, sect.* 8. *n.* 1. explicat Dionysij verba de obiecto, non de actu: quàm enim absonum est, essentiâ diuinam, prout repræsentat bonum, quod definitur, aut producitur, dici voluntatem definitricem, & effectricem, vt loquitur Dionysius, dicimus quidem amorem obiectum amatũ; non tamen voluntatem amantem, aut ex amore aliquid efficientem; cùm tamen Dionysius consentaneè scripturæ, & Theologiæ, vt ait, vocet ideas προορισμοὺς λόγους: alludit autem, interprete Maximo, & Pachym. ad illud ad Rom. 8. v. 3. *Quos autem prædestinauit, hos & vocauit*. Et ad Ephes. 1. v. 5. *Qui prædestinauit nos in voluntate sua*: quæ verba nullus hactenus intellexit, nisi de ipso actu prædestinationis, diuinæ vocationis, & volitionis. Damascen. allegans hunc Dionysij locum *orat.* 1. *de imaginib.* ait, has imagines, & exempla rerum, qoæ futuræ sunt, esse consilium æternum Dei, quod semper se habet eodem modo: atque ab hac consilij immutabilitate dici vult prædefinitiones; qoia erant omnia in diuino consilio expressa, antequam fierent, sicut imago domus in mente Architecti efficta, antequam ædificare illam incipiat & *lib.* 1. *de fide, c.* 11. θεὸν dici vult à θεᾶσθαι, quòd omnia intueatur, etiam antequam sint: Est enim intemporaliter intelligens ἀχρόνως διανοῶν, videt quippe omnia secundùm cuiuslibet voluntatiam intemporalem intelligentiam κατὰ τὴν θελητικὴν ἄχρονον διάνοιαν: quæ voluntaria intelligentia intemporalis est προορισμός, καὶ εἰκὼν, ipsum deinde exemplum, siue expressio, & παράδειγμα ἐν τῷ προορισθέντι καιρῷ γίνεται; vides igitur intellectionem, in qua aliqui collocabant ideas, esse voluntariam apud Damasc. & simul imaginem simúlque prædefinitionem esse: quare vtramque hanc rationem requirit ad ideam Damasc. Paradigma verò aliter accipit, quàm Dionys. nempè pro exemplato, siue ideato, quod fit in tempore definito: quare imago, & exemplar continet definitionem temporis, in quo res fieri debet, & simul modum, qoo fieri debet. Maxim. *in c.* 5. *de diuin. nomin.* ideam definit ποίησιν αὐτοτελῆ ἀΐδιον æterni Dei perfectam, & æternam Poësim: componit enim Deus quandam Poësim, dum intuendo suam essentiã videt, & aptat res, quas facturus est in tempore; sicut, dũ deinde condit creatoras, Poëmata facit; vocat enim Paul. *ad Eph.* 2. hominem ποίημα Dei & mundũ ipsum eodem nomine dònatũ fuisse ab aliis veteribus tritum est. Hanc verò Poësim dixit Maxim. αὐτοτελῆ, qua voce ostendit eam non esse creaturam sibi ipsi præconceptam; illa enim non est se ipsa perfecta. Dum igitur Deus videt suam essentiam participabilẽ à creaturis, & varios illius participationis modos, ac gradus definit, suam illam polcherrimam Poësim facit, quæ indistincta est à diuina essentia. Necessarius autem est actus voluntatis definientis: in simplici enim cognitione participabilitatis diuinæ essentiæ nulla adhuc effectio, aut ποίησις fingi potest; quare opus est volũtate effectrice, & definiente, qua voce vsum fuisse Dionysium in describendis exemplaribus obseruat Maxim. quia sola sua volitione μόνῳ τῷ θέλειν, quod verbum sonat actionem, Deus omnia definit, & producit, ἀφορίζει καὶ ποιεῖ: eadem passim est Pachymeris interpretatio; Maneat igitur παραδείγματα, & exemplaria diuina sanctissimi Dionys. qui primus illa ἰδέας explicuit, quæ Plato ταπεινῶς καὶ ἀναξίως θεοῦ tradiderat doctrinæ, non compleri per intellectionem diuinæ essentiæ, tanquam fontis, ac causæ totius esse, atque participabilis à creaturis; sed præterea prædefinitionem existentiæ creaturæ, atqoe bonam voluntatem Dei complecti.

Consectaria ex doctrina Dionysij, & natura idearum hactenùs explicata.

Consectarivm I.

Quinam actus diuini constituant exemplaria ex doctrina Dionys. hactenus tradita, plures, eaque graues difficultates exponi poterunt.

Atque in primis qoot actus diuini, & quinam re- 15
qoirantur ad rationem exemplaris, & παραδείγματος. Primus est cognitio diuinæ essentiæ participabilis à creaturis secundùm omnes modos, & gradus illius participabilitatis, qui actus est scientiæ oaturalis, & simplicis intelligentiæ, præceditque omnem actum liberum, atque etiam prior est in aliquo signo rationis cognitione possibiliom. Nam in hoc actu attinguntur possibilia tantùm in obliquo, vti diximus, & prius est subsistendi consequentia, atque prioritate, à quo essentiam diuinam esse communicabilem, quàm creaturas esse possibiles: siue prius est Deum esse ipsum esse, quàm creaturas participare partes illius esse.

Secundus actus est decretum communicandi diuinã 16
essentiã hoc, aut illo modo, & secundùm hos, aut illos gradus essendi, quod decretum dat futuritionẽ rebus, & nominatur prædefinitio: quia Deus omnes operationes, omnésque affectus, antequam sint, prædefinit, siue vult, & decernit esse futuros; vario tamen modo, prout postulat natura caosarum agentium, & effectuum producendorum: aliter enim prædefinit actus liberos, aliter necessarios, aliter bonos, aliter malos. Et quamvis Theologi communiùs vocẽ prædefinitionis de actibus liberis vsurpent, immò & Damasc. *lib.* 2. *de fide, c.* 30. restringat ad actus, quos Deus solus operatur independenter à voluntate creata, ideóque neget illa, quæ sunt in nobis, prædefiniri à Deo, quamvis illa præsciat; quia neque malum vult, neqoe virtuti vim affert οὐδὲ βιάζεται τὴν ἀρετήν, vnde ea tantùm, quæ necessariò eueniunt, prædefiniuntur ea mente Damasc. vti etiam obseruauit S. Th. 1. *p. q.* 23. *art.* 1. *ad* 1. nihilominus prædefinitionis nomen de omnibus creaturis, earúmque omnibus actionibus vsurpat Dionys. cùm exemplaria eorũ omniũ dicit voluntates definitrices, & effectrices θελήματα ἀφοριστικά, καὶ ποιητικά: quia illa voluntas, & prædefinitio, qualiscunque tãdem sit, dat futuritionem rebus.

Tertius actus est iodiciũ dictans hanc, vel illam rem 17
esse hoc, aut illo modo faciẽdam, prout diuina volũtas definiuit, atque hoc iudiciõ complet vltimò rationem exemplaris: quia neque prima illa cognitio, quæ solam imitabilitatẽ diuinæ essentiæ repræsentat, neq; volitio, quæ ex infinitis illis imitabilitatibus diuinæ essẽtiæ, & gradibus, ac modis illius participabilitatis, certũ vnum aliquem eligit, dirigit Deum in faciendo suo opere, nisi accedat iudicium dictitans, quid decreuerit voluntas, ex omnibus illis possibilibus esse faciendũ; nã artifex, qoi plures vnius domus formas mente comprehendit, aut penicillo expressit, debet vnã ex omnibus illis seligere, quam sequatur: Et deinde decretum de seruãda

illa

illa forma,& omnibus aliis reiiciendis intimari debet externis potentiis: tunc deinde à forma præconcepta, & per voluntatem approbata proximè dirigerit in suo opere. Hanc comparationem instituit eleganter,& explicat Damasc. *orat.* 1. *de imaginib.* dum quærit, cur Dionys. exemplaria vocarit prædefinitiones. Quisnam verò sit hic actus significans, & intimans definitionem diuinæ voluntatis, eligentis talem participabilitatem, diuini esse, colliges ex hactenùs disputatis, esse priorem cognitionem participabilitatis diuinæ essentiæ, per definientem, eligentémque voluntatem applicatam, atque post eam perseuerantem: quia eius cognitionis lumine illustrata voluntas accingit se operi,& Deus intuetur exemplar sibi per illam cognitionem repræsentatum, siue suam essentiam secundùm gradum,& modum imitabilitatis per eam cognitionem expressum, dum in tempore creaturam condit.

Consectarium II.

Discrimen ideæ, & exemplaris.

18 Has voces tanquam synonimas confundunt passim Theologi,& Patres, vt Iustin. *exhortat. ad gentes*, Euseb. *lib.* 11. *de praparat. cap.* 11. *&* 12. Dydim.& Philo, Aug. Anselm. aliíque; Dionysius tamen quidquid contra sentiat Maxim. *in scholys, cap.* 5. *de diuin. nomin.* omninò hæc nomina distinxit: quandoquidem exemplari,& paradigmati addidit prædefinitionem voluntatis, quod in idea non requirunt patres, vt vidimus; inde quoque fit, vt idea sit omnium possibilium; *παράδειγμα* verò sit tantùm futurorum, aut existentium: quod obseruauit quoque S. Thom. 1. *p. q.* 15. *art.* 3. vbi ait, ideam ex Platone esse principium cognitionis, & generationis rerum. Addit verò secundùm quod est principium generationis, rerum exemplar dici potest, & ad practicam cognitionem pertinet, secundùm quod principium cognoscitiuum est, propriè dicitur ratio,& potest etiam ad scientiam speculatiuam pertinere: secundùm ergo quod exemplar est, secundùm hoc se habet ad omnia, quæ à Deo fiunt, secundùm aliquod tempus; secundùm verò quod principium cognoscitiuum est, se habet ad omnia, quæ cognoscuntur à Deo secundùm propriam rationem,& secundùm quod cognoscuntur ab ipso per modum speculationis. Idem omninò vult Dionys. *lect.* 3. *in c.* 3. *de diuin. nomin.* negat enim omnes intellectuales rerum rationes dici exemplaria, sed eas solùm, ad quarum imitationem vult Deus res in se producere; quia tamen, vti statim dicam, prior illa cognitio imitabilitatis diuinæ essentiæ, licèt antecedat omne decretum voluntatis, est essentialiter practica, licèt nondum habeat illud omne, quod ad ipsam productionem operis requiritur: idcircò cæteri Theologi non distinxerunt subtilius inter ideam, & exemplar, quod Dion. Damasc. eósque secutus Thom. vsurparunt de idea actu practica, siue actu exercente suam causalitatem, & Deum in rerum actuali productione dirigente.

Consectarium III.

An futura cognoscantur in ideis?

19 Intricatissimam istam quæstionem, quam 1. *p.* fusissimè expendimus, paucis dissolues ex doctrina tradita: si enim agamus de ideis, prout sunt diuina essentia, participabilis à creaturis, & vt talis cognita à Deo ante omnem actum liberum diuinæ voluntatis, non possunt ideæ repræsentare futura contingentia; quia in illo signo rationis omnia sunt adhuc in statu possibilitatis, neque quidquam est futurum, aut non futurum: nondum igitur repræsentari possunt futura, aut non futura. Neque idea habet adhuc connexionem determinatam cum futuritione rei, alioquin res illa esset futura necessariò,& non liberè, per necessitatem antecedentem omnem actum liberum. Cùm itaque in eo signo res sit indifferens ad futuritionem, aut non futuritionem non potest cognosci, vt futura, aut non futura, sed vt possibilis dumtaxat.

Quòd si capiamus ideam pro exemplari, quod diuinæ voluntatis prædefinitionem includit ex Dionysio, nihil omninò prohibebit Deũ in suis ideis, siue exemplaribus omnia futura etiam contingentia cognoscere: quia posita ea prædefinitione, res iam determinatè futura est; ergo potest repræsentari à diuina essentia, & à perfectissima eius cognitione: diuina siquidem essentia perfectissima est in ratione obiecti primarij intelligibilis,& repræsentatiui omnis intelligibilis, neque vllo alio indiget ad determinandum diuinum intellectum, vt cognoscat omne intelligibile; supponit tamen intelligibilitatem obiecti intelligibilis; quia obiectum formale cognitionis non constituit obiecta materialia in esse veri,& intelligibilis, sed supposita ipsorum veritate, & intelligibilitate determinat potentiam cognoscitiuam sufficienter ad attingendam totam illam veritatem,& intelligibilitatem,& non nisi dependenter à diuina voluntate; voluntas igitur diuina supponenda erit, antequam cognoscantur: ea verò voluntate, & prædefinitione de futuritione, aut non futuritione rei præsupposita, nihil prorsus prohibere poterit, quominùs in diuina essentia cognita, vt imitabili à creaturis, tanquam in obiecto primario,& formali cognoscantur futura, non tantùm vt talia entia, & vt possibilia; sed etiam vt futura, aut non futura: quia iam reipsa futura, aut non futura sunt. Denique in suo decreto definiente cognoscit Deus omnia futura, quamvis diuerso modo, prout necessaria, aut contingentia sunt, vti 1. *p.* ostendimus: atqui illud decretum prædefiniens continetur in ratione exemplaris, ex Dionysio, vti pridem euicimus: igitur in exemplari Deus cognoscit futura.

Consectarium IV.

Quomodo verbum sit idea, & exemplar in diuinis.

Patres frequenter tribuunt verbo rationem ideæ, & exemplaris tanquam proprium eius characterem. 20
Euseb. *lib.* 4. *c.* 4. ait Patrem eorum, quæ futura sunt opifices rationes,& semina in verbo habuisse. Athenago *orat. pro Christianis*, primigeniam patris progeniem rerum omnium ideam,& perfectionem dixit. Basil. *lib.* 5. *adu. Eunom.* ostendit in omni artifice præcedere imaginem, ad cuius similitudinem omnia opera efformentur; creaturam autem non posse similitudinem diuinam stringère, nisi eius characterem participet. Philo quoque apud Euseb. *lib.* 11. *de praparat. c.* 12. Aug. *serm.* 18. *de verb. Domini, secundùm Ioann.* & *lib.* 2. *de Genesi ad litteram, c.* 6. *& lib.* 6. *de Trin. c.* 10. & *in Psal.* 61. atque alibi sæpius idem affirmant; grauis tamen oritur difficultas ex eo, quòd ad rationem ideæ præter cognitionem imitabilitatis diuinæ essentiæ à creaturis, requirebamus ex Dionysio prædefinitionem diuinæ voluntatis; licèt autem omnia, quæ pertinent ad intellectionem, tribui soleant verbo, eo quòd sit adæquatus terminus paternæ cognitionis: ea tamen, quæ spectant ad actionem voluntatis, spiritui Sancto accommodantur: prætereà, quæ ad ipsã essentiã pertinẽt, omnibus personis communia sunt, & de ipsis singulis æquè communiter dicuntur: einsmodi autem est esse absolutum, fons, & exemplar totius esse, participabilitas, & imitabilitas secundùm infinitos gradus, & modos essendi, siue esse absolutum ab omni esse participabile, quod diximus esse ideam obiectiuam; cognitionem autem illius par-

ticipabilitatis esse tantum vel ideæ complementum, vel conditionem, sine qua non, vel ideam formalem: quæ etiam cognitio, cùm essentialis sit, communis est omnibus creaturis.

Nihilominus à communi Patrum, & Theologorum sententia non est discedendum, & cum illis componendus erit Dionysius. Dico igitur pluribus de causis, verbum nominari à Patribus artē, ideam, & exemplar creaturarum: ad complementum enim ideæ diuinæ postulabamus cognitionem diuinæ essentiæ, vt imitabilis à creaturis: deinde prædefinitionem certi alicuius gradus, & modi illius imitabilitatis, & demum intimationem illius prædefinitionis, vt exemplar actu suum munus exemplaris exerceat. Hæc autem omnia soli verbo per proprietatem personalem conueniunt. In primis enim exprimit diuinam essentiam, eiúsque imitabilitatem ex vi suæ processionis. Præterea omnia diuina decreta dicit, & intimat creaturis, atque eo ipso exhibet exemplar, quod imitentur creaturæ, & intueatur artifex producendo creaturas: Et quia creaturæ non sunt nisi exemplata admodum imperfecta; verbum autem ex vi suæ processionis est primaria imago, non quidem essentiæ, sed patris, qui in illud transfudit suam essentiam, quæ est ipsa idea secundùm suam imitabilitatem à creaturis, idcirco & ipsummet verbum idea peculiari quadam ratione dicitur. Præterea omnia dictamina practica, suásque etiam prædefinitiones, & voluntates patre dicit, & exprimit suo verbo. Hinc fit, vt verbum sit primaria, & sufficiens ratio productiua omnium, & quam omnia imitentur: quippe quod reipsa omnia producat, & dicat, neque quidquam possit pater aut dicere, aut producere, nisi per illud, aut operando aliud intueri valeat, quàm suam illam viuentem imaginem, vti nominatur à Basil. *loco cit.* itaque dicitur εἰκὼν εἰκόνος, imago imaginis effectiua, & à sex Episcopis ad Paul. Samosaten. in Concilio Antiocheno, viuens energia, & persona cuncta operans in omnibus, quò trahunt illud Prouerb. 8. *Cum eo eram cuncta componens*; quo eodem sensu exponunt Patres Græci eiusdem capitis 8. verba: *Genuit me initium ad omnia opera sua*, ex versione LXX. Interpretum Nyssen. *orat. Catechistica, cap. 5.* vocat verbum rationem, sapientiam, & artem creationis, ac rerum ducem. August. *lib. 15. de Trinitate, cap. 11.* Sicut hominis opera nulla sunt, quæ non priùs dicantur in corde: vnde scriptum est: Initium omnis operis verbum; *Eccles. 37. vers. 20.* ita verbum Dei esse initium omnium operum diuinorum; vides itaque, quomodo præcipua actualis ideæ, quam in diuinæ essentiæ participabilitate, & cognitione illius, atque prædefinitione constituebamus, munera verbo conueniant ex ratione tum essentiali, tum personali simul, ita vt sola essentialis non sufficiat, nisi accedat personalis: atque ita eadem munera minimè conueniant aliis personis diuinis, aptéque doctrina communis Patrum cum Dionysio cohæreat: non enim verbum idea tantùm est, secundùm rationem diuinæ essentiæ participabilis, aut secundùm præcisam rationem diuinæ sapientiæ comprehendentis diuinam essentiam, eiúsque imitabilitatem; hæ enim duæ rationes conueniunt omnibus diuinis personis, cùm omnes habeant eandem essentiam, & sapientiam illius comprehensiuam, atque ita spiritus Sanctus est cognitio, & sapientia omnium creaturarum, & aliæ quoque personæ sunt volitio diuina, quæ terminatur ad creaturas producendas; sed quia verbum vi processionis, vt dixi, habet formaliter esse imaginis, & exemplaris: non enim est imago tantùm exemplata, sed viuens, & efficax. Deinde ex eodem modo processionis formaliter habet sapientiam: denique quia verbum est, quo Deus necessariò dicit quæcunque dicit; verbum autem constituitur per respectum ad dicentem, & ad obiectum, quod primariò dicit, in quo etiam clauditur respectus ad obiecta secundaria; quanquam non dicatur propriè esse verbum, & similitudo illorum obiectorum, sed primarij dumtaxat: Quare negabamus cum Anselmo verbum nominari verbum creaturarum; habet tamen ex proprietate personali, vt rerum creationem dicat.

Consectarium V.

Quomodo idea diuina differant à scientia practica.

Certum est ideam ad solam scientiam practicam 21 pertinere, non enim est nisi de re factibili, cuius est causa extrinseca, & exemplar. Itaque essentialiter refertur ad opus faciendum, aut saltem factibile, éstque omninò per accidens, quod aliquando deseruiat ad cognitionem speculatiuam, sicut ipsamet opera artis considerari possunt modo speculatiuo, & non operabili; non tamen cognoscuntur ab artifice, quatenus artifex est, nisi practicè; vnde communiter docent Theologi in Deo non esse ideas rerum non factibilium, vnúsque Alliacen. *in 1. q. 6. art. 3.* duabus diuinis personis rationem ideæ tribuit, eo quòd vna generetur, altera spiretur; sed ab omnibus meritò reiicitur, ex iis, quæ iam diximus de natura ideæ, quibus adde in creatura rationali terminum intellectus, & voluntatis non produci ad imitationem ideæ; sed necessariò, & naturaliter resultare: quare neque in Deo dici poterit per artem, & ad imitationem alicuius exemplaris produci verbum, quod est adæquatus terminus intellectionis paternæ, aut spiritus, qui est terminus item adæquatus volitionis spiratoris. Quinimò si per impossibile Deus non posset creaturas producere, non haberet ideam ipsarum, quamvis ipsas, earúmque productionem, atque etiam suam essentiam ab ipsis imitabilem comprehenderet: quia eiusmodi cognitio speculatiua tantùm foret.

Quæritur itaque quomodo idea à scientia practica distinguatur in Deo, neque quæstio est de idea, quam aliqui prototypam, sine primariam, & obiectiuam nominant, quámque nos diximus esse diuinam essentiam, vt imitabilem a creaturis: Statim enim apparet ideam, & exemplar vt sic, non esse cognitionem, sed obiectum cognitionis. Quæstio igitur est de cognitione, quæ includitur essentialiter in idea, tanquam eius conditio necessaria, & indispensabilis, & tanquam illius complementum, & quam aliqui cum Albertino nominant ideam formalem. Est autem cognitio essentiæ diuinæ, vt imitabilis à creaturis cum prædefinitione certi alicuius gradus, & modi illius imitabilitatis, vti Consectario primo fusiùs explicuimus: quæro itaque, quomodo ista cognitio differat à scientia practica.

Ratio dubitandi non leuis profectò videtur. Primò, quia illa cognitio diuina practica est, quæ respicit creaturas tanquam obiectum operabile, dirigibile, & regulabile ab ipsa, docétque modum, quo creaturæ sunt producendæ, neque alium immediatum, & proximum finem habet sub hac præcisa ratione practicæ, quàm directionem productionis creaturarum; licèt deinde totus ille finis ad aliquem finem vlteriorem referatur, sicut ipsamet productio creaturarum, quæ per eam cognitionem dirigitur, aliò refertur. Immò S. Thom. 3. *contra gentes, cap. 25. num. 6.* docet in vniuersum, omnes artes humanas, quamvis essentialiter practicas, vltimatò referri ad vltimum finem hominis, qui est speculatio. At verò hæc tria, in quibus essentialis ratio cognitionis practicæ consistit, reperiuntur in diuina idea: nam imprimis est cognitio

cognitio obiecti operabilis, & dirigibilis; nempè imitationis diuinæ essentiæ, eiusque participationis per productionem creaturarum. Secundò modos cognoscendi est quoque operatiuus; videt enim Deus omnes gradus, & modos huius participationis diuinæ essentiæ, atque productionis creaturarum: Et non tantùm quis modos, ac grados in actuali cuiusque creaturæ productione seruari possit; sed etiam quis seruandus reipsa sit ex præscripto voluntatis, quæ vnum aliquem prædefiniuit. Tertiò denique huius cognitionis finis immediatus, & proximus alius non est, quàm dirigere productionem creaturarum singularum. Nulla igitur alia scientia practica quærenda est in Deo, quàm cognitio, quæ essentialiter in ratione ideæ diuinæ includitur.

Secundò, vel consideramus scientiam practicam in actu primo, vel in actu secundo, siue actualiter dirigentem Deum, & causantem effectum, omnémque creaturam. Prior illa dicitur respectu eorum, quæ potest Deus facere; & tamen nunquam fiunt; eorum enim diuina scientia non est causa actu, sed virtute tantùm, vt explicat S. Thom. *1.p.q.14.art.16.ad 1.* Scientiam autem, quæ est tantùm de possibilibus negauit ibidem S. Thom. *in corpore articuli*, esse practicam secundùm quod scientia practica dicitur à fine; per illum verò finem intelligit S. Doctor finem operationis actualis, quo fine caret cognitio possibilium, quæ nunquam fient: Etsi enim talis cognitio, quatenus potest conuertere ad productionem creaturarum possibilium, respiciat eandem productionem, tanquam finem intrinsecum; nunquam tamen actualiter illum assequetur: vnde non dicitur perfectè practica; sed tantùm quoad obiectum operabile, per modum sciendi operatiuum; non verò quantum ad finem actualem operationis, quem nunquam attingit, ideóque est causa tantùm virtute, non actu, vt dixit S. Doctor *art. citat. ad 1.* & *q.15.art.3.ad 2.& q.3.de veritate, art.3 in c.& ad 1.& 2.& q.1.de potentia, art.5.ad 11.* Caiet. *1.p.q.14.art.16.§.circa hanc*, dicit cognitionem istam esse practicam ex fine scientiæ, cùm essentialiter dirigatur ad operationem, quandoquidem est de operabili, & in illud modo operatiuo tendit; non tamen ex fine scientis, qui sua illa cognitione nullam reuera intendit operationem. Eadem habet Ferrarl. *lib.3. contra gent. c.25.§.ad euidentiam.* Capreol. autem *in 1.dist.35.q.2.art.2.* scientiam merè possibilium, & nunquam futurorum ait in actu primo, & habitualiter practicam esse; non autem actualiter, & vltimatò. Hæc igitur scientia virtute practica, cùm sit scientia possibilium, non videtur differre à cognitione idearum, quæ simul necessariò tendit ad ideata. Si verò loquamur de scientia actualiter practica, quam causam rerum appellant Patres, & Theologi, cuius vis, vt ait Boëtius *prosa vlt. de consolat.* præsentaria notione cuncta complectens rebus omnibus modum constituit. Ipsa, inquit Dionys. *c.7.de diuin.nomin.§.3.* omnium artifex est πάντων ποιητικὴ, semper omnia componens ἀεὶ πάντα ἁρμόζουσα, causa indissolubilis ordinis, & connexionis rerum τῆς ἀλύτου τῶν πάντων ἐναρμονίας, καὶ τάξεως αἰτία; semper finea præcedentium cum principiis sequentium copulans τὰ τέλη τῶν προτέρων συνάπτουσα ταῖς ἀρχαῖς τῶν δευτέρων; & denique vnicam vniuersi concordiam, & consonantiam conciliaris τὴν μίαν τοῦ παντὸς σύμπνοιαν, καὶ ἁρμονίαν καλλιεργοῦσα. hæc igitur diuina sapientia, quæ omnium causa, & effectrix est, earúmque inter se concentus, harmonias, colligationes, atque vt loquitur alibi Dionys. ἀναλυχίας facit; hæc, inquam, sapientia non est aliud, quàm scientia possibilium determinata, & applicata ad opus per diuinam voluntatem, vti fusius ostendimus *1.parte*, nam solam scientiam, nisi adiunctam habeat voluntatem, non esse causam rerum, apertè tradit S. Thom. *1.part.quæst.14.art.8.& quæst.19.art.4.ad 4.q.25.art.1.ad 4.lib.1.contra gentes, capit.66.quæst.6.de veritate, artic.3.* Et docent magno consensu Patres, & sanè, vt ait S. Thom. *q.2.de veritate, art.14.& in 1.dist.38.quæst.1.art.1.* Scientia secundùm rationem scientiæ non importat aliquam causalitatem, hoc est, Interprete Capreolò *in 1.dist.35.q.2.art.2.conc.5.* Scientia præcisè sumpta, vt scientem afficit, non importat principium actuale actionis, nisi illi accedat determinatio voluntatis. Neque enim scientia fingi potest aliter concurrere ad opus, quàm dirigendo voluntatem, atque ex eius nutu potentias externas, quibus voluntatis definitionem intimat, atque ita illis executionem imperat. Inde autem fit, vt hæc scientia sit prior voluntate, quam dirigit proponendo illi obiectum factibile, & ostendendo modum, atque conuenientiam illius operis: atqui scientia visionis posterior est voluntate diuina, eiusque determinatione. Rursus volitio diuina libera determinat scientiam ad hoc potiùs quàm aliud faciendum; alioquin Dei scientia esset causa actualis necessaria: & omnia, quæ producuntur, necessariò producerentur. Scientia verò visionis neque habet adiunctam voluntatem; sed illam sequitur: neque dictat voluntati modum, quo res facienda est; sed iam factam intuetur, ideóque illam factam supponit; igitur eam non facit, præterquam quod illa eadem scientia, quæ erat operatiua, & in actu primo causa, siue potens ad causandum, debet deinde causare in actu secondò; Atqui scientia possibilium erat operatiua, & causa in actu primo, siue virtute; vt loquitur S. Thom. ergo ipsa eadem deinde causat in actu secundo, neque virtutem causandi accipit à consequente libera voluntate; sed tantùm determinationem, & applicationem. Itaque potentia productiua in Deo dicit essentialiter scientiam, volitionem, & imperium, quo *dixit, & facta sunt*: Et Deus constituitur vltimatò principium potens, & determinatum ad quidpiam producendum per tres illas formalitates distinctas, & simul sumptas; Potentia verò executiua non est nouum quoddam attributum adæquatè distinctum à scientia, volitione, & imperio; sicut ipsa scientia, & decretum, siue volitio inter se distinguuntur; sed est vltima quædam formalitas explicitè declarans efficacitatem scientiæ, & volitionis: atque ita vides, quomodo accedente libero decreto, scientia possibilium, quæ erat tantùm virtute operatiua, fiat actu operans, & causa, siue actualiter practica. Addidi verò imperium, quod, vt dixi aliàs, est actus intellectus intimans, & significans decretum voluntatis. Itaque ad rerum productionem duplex actus intellectus requiritur: Vnus præcedit volitionem, illique proponit obiectum factibile, & modum, atque rationes factibilitatis: alter subsequitur voluntatis liberam electionem, & definitionem, dictátque talem rem, & non aliam hoc tempore, & modo esse producendam.

Ex quibus omnibus necessariò confici videtur ideam actualem, & completum exemplar, quale posuit Dionys. esse scientiam practicam actu: quia in illo requirebamus cognitionem possibilium, determinationem voluntatis, quæ talem scientiam applicaret, & denique imperium intimans eiusmodi decretum voluntatis, vt constat ex *conf. 2.* nullum ergo discrimen constitui poterit inter exemplaria diuina, & scientiam practicam diuinam.

Respondent aliqui, ideam includere cognitionem rei factibilis à cognoscente, quod non facit omnis scientia practica; Est enim cognitio tantùm rei factibilis, eiúsque factibilitatis, à quocunque

factibilis sit: ideóq; Deus non habet ideam peccati, etsi habeat cognitionem illius possibilitatis, & modi, quo fit à creata voluntate defectibili, & hæc cognitio practica dicitur à S.Thom.1. *part.q.* 14. *art.*16. Mala,inquit,licèt non sint ab eo operabilia tamen sub conditione practica ipsius cadunt, sicut & bona, in quantum permittit, vel impedit, vel ordinat ea; sicut & ægritudines cadunt suo scientia practica medici, in quantum per artem suam curat eas. Diuina igitur scientia practica latiùs patet, quàm idea, quia ista est solùm de re factibili a Deo; illa est de re omni factibili, à quocunque factibilis sit. Non placet tamen ista solutio: quia si agamus de scientia actu practica, siue actu causante, scientia peccati non est in Deo practica,cùm illud non causet; permissio autem peccati, eiúsque impedimentum,& illius ad bonum finem destinatio, materialis quoque actio peccati, omnésque eius circumstantiæ,quæ turpes non sunt; etiamsi voluntas creata in illis constituta peccatum sit, fiunt à Deo, atque ità sub his rationibus meritò dixit S. Th. Deum habere scientiam practicam mali vt sic; quia illud fit à sola voluntate creata,vt 1.2.fusiùs explicuimus, disputantes de causa peccati,vbi cum S.Bonau. *in* 1.*dist.*38.*art.*1.*q.*1. diximus quædam esse, quorum diuina scientia est causa totalis; eiusmodi sunt ea,quæ fiunt per creationem,alia,quæ habent pro causa totali, & adæquata solam liberam voluntatem creatam; cuiusmodi est peccati malitia, etiamsi eam formaliter in peccato commissionis positiuam esse docuerimus; quædam autem,quorum causa est simul diuina scientia cum creata voluntate, ita vt ex his causis nulla sit totalis,sed vtraque partialis,quamvis vna sit primaria, altera secundaria,essentialiter in operando dependens à prima; cuiusmodi sunt omnia opera bona moralia, & non peccaminosa; actiones etiam vitales ex aliquorum sententia. Sicut autem Deus non habet scientiam practicam malitiæ moralis vt sic; ita neque habet eius ideam. Et sanè vel nihil sunt istæ formalitates malitiæ,vel sunt essentiales defectus,& aberrationes: neutro autem modo diuinam entitatem, & perfectionem participare possunt,neque proinde in ea repræsentari; idcircò etiam malitia non cognoscitur, nisi per ideam boni oppositi,vt fusiùs diximus 1.*parte*, & latè explicat Rius *disp.*19.*de scientia Dei,sect.*2. & *sequenti*: nam illa formalitas positiua,quæ est positiua dissonantia cum ratione, & honestate, quatenus est dissonantia, non cognoscitur, nisi per cognitionem rationis, à qua dissonat; aut si acriùs contendas, eam positiuam dissonantiam æquè cognosci per proptiam ideam, atque ipsam consonantiam, sicut duo contraria per proprias formas cognoscuntur; dicam Deum habere ideam huius materialis dissonantiæ, sicut & illius scientiam practicam habet; at verò malitia huius dissonantiæ in eo est,quod liberè ad ipsam ponendam voluntas creata se determinet se sola. Determinatio quidem actualis est ipse actus malus, & dissonans, ad quem materialiter concurrit Deus, & cuius proinde habebit ideam. Determinatio autem causæ, quæ & virtualis siue potentialis dicitur,non est vllo modo à Deo, quod ex Patrum, & Theologorum veterum communi sensu docuimus 1.2. Illius igitur non habet Deus scientiam practicam, neque ideam, cùm non sit aliqua entitas distincta à potentia voluntatis creatæ sese determinantis, & ab ipsa actuali determinatione, siue actione dissonante; ac proinde non habet vllam ideam particularem, licèt sciatur à Deo modo speculatiuo, non practico,siue factibili. Itaque ex hac parte scientia practica Dei, non patet latiùs ipsius ideis. Si verò agamus de materialibus actionibus peccati: Deus habet illarum ideam, cùm sint entia,& simul scientiam practicam,quæ dictat,quomodo Deus ad illas concurrere possit, non determinando voluntatem creatam, & non attingendo malitiam ipsis annexam; cur sit eadem malitia permittenda, quæ bona, ex illa elici possint, & inordinatio ad ordinem reuocari: quomodo eam malitiam creata sola voluntas committere possit, id autem diuinæ essentialiter repugnet. Non est igitur petendum discrimen diuinæ scientiæ practicæ ab ipsius ideis ex amplitudine vnius, & alterius restrictione, cùm vtraque æquè latè pateat: & omnia, quæ cadunt sub diuinam scientiam practicam, repræsententur in diuinis ideis, maximè cùm illæ definitionem voluntatis facientia, aut permittentis contineant,vti diximus.

Respondeo itaque secundò, ideam, & scientiam practicam longè diuerso modo concurrere ad rerum productionem,& Deum, aliúmve artificem dirigere: Nam idea, & exemplar dirigit tanquam obiectum cognitum, ad cuius imitationem res producenda est; cognitióque illa se habet tantùm per modum conditionis, sine qua non, sicut apprehensio in fine ad mouendam voluntatem. Scientia verò practica dirigit tanquam ars, quæ intuetur exemplar,& ideam,atque ad eius imitationem potentiam exequentem ducit, dicit atque præterea modum imitandi, & exprimendi tale exemplar, quod non facit diuina idea, quæ est tantùm diuina essentia cognita secundùm omnes gradus,& modos, quibus imitabilis, & participabilis est à creaturis; éstque potiùs obiectum scientiæ practicæ, & artis, quàm ipsamet ars, & scientia: quod in omnibus quoque creatis artificibus videmus. Et sicut cognitio finis, quo apprehenso, mouetur voluntas, non est eadem,formaliter saltem, cum cognitione deinde dirigente voluntatem in assequendo fine, quem ratione prioris illius cognitionis intendit: ita neque cognitio exemplaris, quod imitandum artifici proponitur,est eadem cum cognitione,quæ dirigit proximè potentiam in ea imitatione, quam voluntas suscepit: hæc enim cognitio priorem illam supponit. & illam tanquam materiam propositam tantùm respicit, & quod ea faciendum esse proponebat, ipsa proximè facit, dirigendo potentiam exequentem. Denique cognitio, quæ est in idea, non mouet, neque dirigit artificem; sed ipsa idea, & exemplar imitandum, quamvis non dirigat nisi cognitum: cognitio autem, & scientia practica dirigit proximè,& formalissimè.

Iam verò si lubeat cognitionem inclusam in exemplari cum cognitione practica comparare, videbimus quoque eas inter se differre. Nam cognitio imitabilitatis essentiæ diuinæ non est formalis, & directa cognitio possibilium, quæ tantùm in obliquo attingit, vti diximus: atqui cognitio de possibilibus, quam dicebamus esse virtute practicam, attingit directè, & in recto possibilia; cognitio verò, quæ ex Dionysio supponit definitiones diuinæ voluntatis, eásque intimat,vti explicuimus, ostendit tantùm eam imitabilitatem,eúmque modum,& gradum, quem ex omnibus elegit, & definiuit diuina voluntas: quare semper dirigit,ostendendo exemplar. At verò cognitio actu practica est, vti diximus, cognitio possibilium, applicata à diuina voluntate, & proximè, ac formaliter est ars dirigens potentiam exequentem, aliter omninò, quàm idea etiam actualis, quæ tantùm per modum obiecti cogniti operatur.

Cons

CONSECTARIVM VI.

Quomodo diuina exemplaria, & ideæ differant à prouidentia.

22 Ratio dubitandi est, quia Boët. *lib. 4. de consolat. prosa 6.* comparat diuinam prouidentiam formæ existenti in mente artificis: & *ibidem* definit immobilem, simplicémque rerum gerendarum formam, quæ forma omninò extrinseca rebus est, neque alia fingi potest, quam Deus mente sua veluti exsculpsit, ad cuius imitationem deinde res omnes producit. Et sicut Dionys. exemplaribus diuinis tribuit vim effectricem; ita Clem. Rom. *lib. 8. recognit. circa med.* prouidentiæ rerum omnium efficientiam assignat exemplo artificis, qui omnia ad artis libram exsculpens, formam, quam mente concipit, exprimit: Deinde iidem omninò actus cognitionis, & voluntatis videntur includi in diuina prouidentia, quos in exemplaribus descripsimus.

Dicendum nihilominus est, exemplaria diuina distingui à prouidentia, eadem planè ratione, quâ ars, & scientia practica ab iisdem idæis differt; eo quòd idæa, & exemplar sit obiectum cognitum, quod deinde diuina prouidentia in sua ordinatione, & dispositione attingit. Cognitio quæ Deo repræsentat suam essentiam imitabilem, omnésque eius imitabilitatis gradus præsupponitur ad prouidentiam: Postquam enim diuina voluntas elegit ordinem aliquem ex illis, quos diuinus intellectus in illa cognitione tum siue essentiæ participabilis, tum creaturarum possibilium ostendit, exequitur, & aptat media cum fine; vnde à S. Thom. 1. *p. q.* 116. *art.* 2. prouidentia dicitur ordinatio effectuum in Deo. In rebus autem extra Deum sunt ipsæ causæ ordinatæ à Deo ad effectus producendos; quæ ordinatio causarum dicitur quoque fatum. Idææ igitur nihil ordinant, sed repræsentant ordinabilia, aut varios ordines possibiles: sapientia deinde istos ordines inter se confert, atque varia media cum diuersis finibus comparat; voluntas ex illis ordinibus vnum aliquem præfert, quem deinde idæa, siue exemplar repræsentat, & prouidentia exequitur. Eóque tandem recidunt, quæ 1. *part. de natura prouidentia* disputauimus.

CONSECTARIVM VII.

Quomodo diuinæ ideæ, & exemplaria differant à lege æterna.

23 Huc tandem pertinebat longior ista disputatio *de ideis diuinis*: cùm enim contineant ex Dionysio diuinæ voluntatis definitiones, non videbantur à lege æterna distingui. Illa enim aliud non est, vt patet ex *q. superiori*, quam diuinæ voluntatis intimatio: quare Vasq. 1. 2. *in notis ad art.* 1. *quæstionis* 91. confundit idæas cum lege ista, quia & idææ sunt regulæ quædam operum, sicut lex æterna, quæ idcircò impropria tantùm lex est.

Respondeo tamen legem æternam distingui à diuinis exemplaribus, quod ex natura legis æternæ *q.* 1. & natura exemplarium hoc loco explicata, facilè constabit: in primis enim exemplar est rerum producendarum; lex autem est productorum directiua: deinde lex mouet subditum ad opus; idæa verò dirigit artificem ipsum. Quare lex æterna fertur creaturis, non Deo: idæa autem, & exemplar Deo proponitur imitandum in operando; idcóque si opus aberraret ab eo exemplari, Deo tribuendus esset defectus, non creaturæ; neque enim accusamus statuam, vel imaginem, quæ non repræsentat prototypon; sed Apellem, vel Polycletem, qui male expressit, aut sculpsit Alexandrum. Idæa nullam obligationem imponit; sed tantùm exhibet exemplar, quod exprimendum est: potest autem artifex, si habeat varia exemplaria, vnum aliquod aliud imitari velle; at verò lex obligationem imponit subditis faciendi, quod dictat; & idcircò directio legis non est simplex quædam regula, sicuti est directio idææ; sed est directio per imperium, atque intimationem diuinæ voluntatis obligantis creaturas ad aliquas actiones, & alias ipsis prohibentis. Licèt itaque fateamur cum Dionysio in diuino exemplari contineri definitiones, & bonas voluntates diuinas, omnium effectrices, atque ita necessaria sit duplex cognitio; prior vna, quæ diuinam definitionem præcedat; altera, quæ illam sequatur. vti explicuimus hactenus; hæc tamen cognitio subsequens diuinam voluntatem, eámque significans, & exprimens, quæ maximè videtur habere rationem legis æternæ, nihil aliud facit, quam repræsentare exemplar approbatum à diuina voluntate, siue exhibere diuinam essentiam sub certo quodam gradu, & modo imitabilitatis, quem maluit diuina voluntas exequi relictis omnibus aliis; non intimat autem illam diuinam voluntatem, tanquam obligantem creaturam ad certam illam imitationem, aut opus, vti facit lex; immò illa cognitio, quæ sequitur definitionem voluntatis eligentis vnum aliquod exemplar, non est, nisi prior illa perseuerans, & ad opus applicata per voluntatem, quam non intimat Deo, neque etiam operi; sed pergit repræsentare Deo exemplar, quod ante repræsentabat, & quod imitandum, exprimendúmve suscepit eius voluntas; intimatio autem illius voluntatis diuinæ est quidem lex, & imperium; sed non respectu actus diuini immanentis, sed actionis externæ, vti fusiùs ostendam *quæst. sequenti.* Aliud igitur est cognitionem aliquam subsequi voluntatem, eámque etiam, si libeat, significare aliquo modo, eo quòd illam includat in suo conceptu adæquato, quod in diuino exemplari fatemur. Aliud verò eandem voluntatem intimare, & tanquam obligantem aperire, quod pertinet ad legem, & imperium.

CONSECTARIVM VIII.

Legis æternæ, & diuinæ prouidentiæ discrimen.

Distinximus *Corollario 6.* diuinam prouidentiam à diuinis idæis: superest, vt illam ipsam prouidentiam à lege æterna secernamus. Nam S. Maxim. *cent.* 13. prouidentiam appellat definitionem, ac legem diuinam rebus omnibus insitam. Boët. rationem in summo omnium principe constitutam, quâ cuncta disponit. Aug. *lib.* 1. *de lib. arb. cap.* 6. legem æternam definit esse eam, quâ iustum est omnia esse ordinatissima; vnde eius immutabilitatem ostendit; neque enim vlla vis, vllus casus, vlla rerum labes vnquam effecerit, vt iustum non sit omnia esse ordinatissima; hoc autem munus quis neget esse diuinæ prouidentiæ, quam S. Thom. *Coroll.* 6. adductus definiebat ordinationem effectuum in Deo existentem; & *q.* 22. 1. *p. art.* 1. rationem ordinis rerum in finem, quæ definitio coïncidit omninò cum eâ, quam legi æternæ tribuit idem S. Doctor 1. 2. *q.* 93. *art.* 1. vti *initio quæst. superioris* retulimus. 24

Neque dicas legem spectare creaturas rationales, quibus modum agendi præscribit: atque adeò solas actiones morales respicere, & necessitatem, atque obligationem imponere: quod non facit prouidentia. Nam hinc tantùm habetur prouidentiam ampliorem,

& vniuersaliorem esse; & legem æternam illius tantùm partem quandam esistere.

Respondeo nihilominùs cum S.Thom. *q. 5. de veritat.art.1.ad 6.* prouidentiam, & legem æternam distingui sicut principia generalia, & conclusiones, & sicut dictamina vniuersalia à iudiciis particularibus prudentiæ. Lex enim æterna præscribit regulas, & modos vniuersales, quibus omnia moueri, & in suos fines dirigi debeant; prouidentia verò eas regulas singulis actionibus accommodat, éstque veluti executio, & applicatio legis æternæ. Qua de causa S. Thom.1.2. *q.91. art.1. & q. 93. art.1.* dixit legem æternam esse rationem diuinæ prouidentiæ: quia nimirum ea fons est, & origo diuinæ prouidentiæ, vti interpretatur Conrad. *in art.1.q.91.* licèt è contrario legem æternam à prouidentia voluerit oriri S.Maxim. *cent.3.cap.12.* Ex prouidentia, inquit, procul dubio definitio, atque lex diuina inest rebus; sed prouidentiam accipit pro præscriptione finis,& mediorum; & legem pro eius prouidentiæ effectu. Si quis autem obstinatè contenderet legem æternam esse partem prouidentiæ,maximè circa creaturam rationalem versantis; cùm in politiis principum cura magnam partem in ferendis legibus occupetur; non perfractè ego abnuerem, quod concedit Villalob. *tom.1.tract.2 diffic12.* quanquam semper ea maneret differentia, quam indicauit Salas *disp.4. de legibus, sect.4.* quòd lex imponat necessitatem agendi, non prouidentia.

Consectarium IX.

Quomodo lex æterna differat ab omnibus aliis diuinis actibus.

25 Huiusce difficultatis solutio manifesta fit ea iis, quæ de natura legis æternæ diaimus *priori quæst.* & comparatione, quam cum diuinis exemplaribus, & prouidentia instituimus hoc loco. Inde enim liquet primò, legem æternam differre ab actibus intellectus; cùm necessariò dicat actum voluntatis obligantis. Secundò, differt ab actibus necessariis voluntatis: quia lex essentialiter respicit subditos, quibus imperet; Creaturæ autem omnes non caistunt, nisi ex libera diuina voluntate. An verò positâ illâ creaturarum existentiâ, Deus aliquid necessariò prohibeat, aut imperet, inquiremus *cap.seq.* Tertiò, lex æterna non dicit solum actum voluntatis, sed imperium intimans eam voluntatem: quod imperium est actus intellectus, vti diximus. Quartò, ab actibus illis, qui præsupponunt voluntatem liberam, qui sunt maxime ideæ ea Dionysio, prouidentia, & scientia practica actu causans, differt lex æterna, vti ostendimus hactenùs, & ex obligatione, quam imponit creaturis: quod non faciunt actus enumerati, satis ostenditur. Neque vlli sunt alij actus, cum quibus possit comparari.

QVÆSTIO III.

Quænam subijciantur legi æternæ?

1. *Omnes, & sola creatura subijciuntur legi æterna.* n.1.2.
2. *Actiones diuinæ immanentes non subduntur legi æterna.* n.3.4.5. & 6.
3. *Irrationalia subduntur.* n.7.
4. *Creatura item irrationales.* n. 8.

Consectaria.

Consectarium Primum. Boni, & mali. n. 9.
Consectarium Secundum. Beati, & Damnati. n. 10.
Consectarium Tertium. Effectus legis æterna. n. 14.
Consectarium Quartum. Immutabilitas legis æterna. n. 15.

Circa obligationem legis æternæ duo quærenda sunt: Primum est, quinam obligentur lege æterna; alterum est, quomodo obligemur, siue quanta sit eius legis obligatio, & quatenus actiones nostræ illi consentire debeant: quorum primum hac quæstione; alterum sequenti eaequor. 1

Omnes, & sola creatura subduntur legi æterna secundùm suas omnes actiones, quamvis diuerso modo.

Vides amplissimam materiam legis æternæ, quam designauit S.Thom. cùm definiuit esse rationem diuinæ sapientiæ omnium actionum, & motuum directiuam, siue prout ordinatur ad gubernationem rerum. Itaque tam fusè porrigitur ista lex, quàm ipsa Gubernatio vniuersitatis, quæ cùm ad singula quæque descendat, nihil planè inter creata reperire est, quod ordinem legis æternæ fugiat. Et sanè, cùm lex æterna sit principium quoddam vniuersale respectu prouidentiæ, quæ est veluti applicatio, & executio eorum, quæ à lege æterna præscribuntur, & dictantur, si prouidentia singula dirigit ea præscriptis sibi regulis à lege æterna: circa singula quoque legem æternam versari necesse omninò est, illisque media, & modos, quibus suos fines attingant, assignare. Ea creatura autem aliæ sunt rationales, aliæ irrationales: atque ea rationalibus alij sunt beati, in termino nimirum, vel damnati, alij in via, eorúmque actiones sunt bonæ, vel malæ, vel necessariæ, vel liberæ. Dico autem omnes creaturas tum rationales, in quocunque statu sint, tum irrationales subijci diuinæ legi æternæ secundùm omnes, & singulas suas actiones, quamvis diuerso modo pro diuersitate ipsarum, & actionum. Addidi particulam eaclusiuam in propositione, dum dixi omnem, & solam creaturam subijci huic legi, vt exciperent Deum secundùm omnes suas actiones: quæ omnia singillatim confirmanda sunt. 2

Prima pars propositionis: Nulla actiones diuinæ immanentes subduntur legi æterna.

Ago de propria legis subiectione: nam quod obseruauit Salas *disp.4. de legib. sect.2.* Multa iurgia sunt hoc loco de modis loquendi. Distinguo igitur actiones Dei immanentes à transeuntibus; ex immanentibus verò aliæ sunt necessariæ, vt diuinæ productiones, cognitio simplicis intelligentiæ, aliæque nonnullæ; quædam verò sunt liberæ, & quidem quod attinet ad diuinas actiones necessarias, v. g. diuinas productiones, certum est eas non subijci legi æternæ, cùm lex non sit regula eorum, quæ ab intrinseco necessaria sunt, & certum, ac determinatum modum essendi habent ea sua natura: ea enim dirigi, ac regulari nequeunt. Neque vllus dicet dari legem, ac regulam, per quam dirigitur verbi generatio, & spiratio spiritus sancti: quod idem dicendum est de omnibus actionibus intellectus diuini, quæ volitionem omnem liberam antecedunt; illæ enim sunt necessariæ, & determinatæ ex natura sua, cùm nequeant esse liberæ, 3

nisi

nisi beneficio voluntatis; quam tamen, vti diximus, præcedunt.

4 Restant igitur solæ actiones diuinæ liberæ, quas, si propriè loquamur, nego subiici legi æternæ, cùm S. Thom. 1.2.*q*.93.*art*.4. Alensi 3.*p*.*q*.26.*mem*.8.*art*.1. Valent. 1.2.*disp*.7.*q*.3.*punct*.3. Suar. *lib*.2.*de legib*.*c*.2.*n*.5. & aliis: fateor quidem in Deo esse dictamina practica, siue cognitiones honestatis, ac turpitudinis actionum, & quod diuinam naturam, ac voluntatem deceat, & dedeceat; nego tamen huiusmodi cognitionem esse legem, aut Regulam obligantem diuinam voluntatem, aut illam etiam dirigentem, quasi aliud velle possit, quàm quod honestum esse ostendit intellectus: nam neque voluntatem alicuius superioris intimat, quod tamen ratio legis postulat. neque determinat voluntatem, quæ ex sua natura determinata est ad honestatem, quam non potest non velle, & non amare, & turpitudinem necessariò auersatur. Ostendit dumtaxat intellectus, quid sit in obiecto turpitudinis, aut honestatis, quidque deceat diuinam naturam, támque ex se se determinatur voluntas ad amandum amabile, & auersandum odibile, quàm ipse intellectus ad cognoscendum cognoscibile; est enim per se ipsam essentialiter recta, & non per aliud quidpiam, indéque dici ur esse ipsa ratio, non rationabilis à S. Thoma 1.2.*quæst*.93.*artic*.4.*ad* 1. & 1.*p*.*q*.21.*art*.1.*ad* 2. quod secundùm diuinam voluntatem fit, iuste fieri, & secundùm illam Deum esse sibi ipsi legem. Idcircò reiecimus alias Scotum, qui *quæst*.4.*prologi*, §.*etsi obiicitur contra hoc*, non existimabat improbabile, diuinam scientiam respectu sui ipsius esse practicam; quia etiam, vt versatur circa essentiam, est rectificatiua amoris eiusdem essentiæ: quod implicat, cùm ille amor non sit rectificabilis, sicut neque obliquabilis, nec defectibilis à sua rectitudine: sicut igitur non potest lux illuminari, nec rectitudo rectificari. aut regula regulari; ita neque diuinus amor non tantùm erga se ipsum; sed etiam erga omnia alia; inde quoque fit, vt, diuina scientia practica non sit per modum prudentiæ Ethicæ, quæ proprias actiones operantia dirigat, cùm illæ sint essentialiter honestæ: ita Rius *disputat*.16.*de scientia*, *sect*.5.*numer*.6. Quod itaque diuina voluntas prærequirat iudicium intellectus de bonitate, aut turpitudine obiecti, id non oritur, quod indigeat regulari, & dirigi ab ipsa, ne erret, aut quod ab illo obliganda sit; sed quia ea est natura omnis voluntatis, vt prælucentem cognitionem essentialiter exigat cum ipsa, vt talis, cæca sit. Nihil igitur Deo malum est, quia prohibitum, cùm superiorem non habeat, à quo ipsi prohibeatur; neque ipse sibi quidquam prohibere possit propriè dicta prohibitione, qui enim sibi ipsi aliquid imperat, si deinde animum mutet, non dicitur peccare contra legem, sed leuitatis, & inconstantiæ arguitur: quæ quia repugnat Deo, non potest agere contra suum decretum, non quod illud decretum sit ipsi lex; sed quia id repugnat naturali, & essentiali eius immutabilitati. Immò neque fingi potest in Deo aliquod imperium monasticum, sicut in nobis, quo vna volitio, vel realiter, vel virtualiter imperet, & causet aliam: ea enim causalitas volitionis imperatæ ab imperante, vi cuius ponitur, & cuius obiectum est. vnde etiam fit, voluntatem non ferri in sua obiecta omnia vno, & indiuisibili actu; sed ad illa per quosdam veluti gradus prorepere: quæ omnia Deo repugnant, & ostendunt non modo reale istud imperium; sed neque virtuale in Deo admittendum esse. Nam virtualis omnis causalitas, & dependentia in diuinis volitionibus, cùm dicat virtualem imperfectionem, reiicienda omnino est. Idcircò negamus in diuino intellectu virtualem discursum, qui præmissas, & conclusiones, quamvis sola ratione distinctas contineat, ita vt Deus assentiatur conclusioni formaliter, vt conclusio, & illatio est, siue prout ordinem habet ad præmissas sola ratione distinctas: tunc enim Deus reuerà haberet pro motiuo sui assensus præmissas, quamvis virtualiter tantùm distinctas, & virtuali quodam progressu ab vno obiecto cognito ad aliud cognoscendum moueretur: quod omnino repugnat; quia quælibet ex istis cognitionibus, quarum vna existit causa alterius, siue actualis, siue virtualis, est imperfecta. Aliud porrò est Deum videre conclusionē in præmissis, & principiis eius; aliud elicere conclusionem ex præmissis, quod obseruauit S. Thom. 1.*p*.*q*.14.*art*.7. nam quando conclusio cognoscitur in principiis, est cognitio secundi obiecti in primo, & in ea cognitio est vnica ratio formalis, quæ primarium, & secundarium obiectum afficit: & cùm cognitio principij formaliter, & explicitè contineat cognitionem conclusionis, nihil opus est procedere vlteriùs: quare neque formaliter, neque virtualiter Deus discurrit, & ab vno obiecto mouetur ad aliud, sicut, quia viso colore formaliter, & explicitè videtur illius figura, non dicitur oculus à visione coloris moueri ad visionem ipsius figuræ, etiamsi illæ visiones distingui possint ratione ratiocinatæ. At verò quando cognoscitur conclusio ex principiis illatiuè, etiamsi id fiat vno, & indiuisibili actu reali, est progressus ab vno cognito ad aliud incognitum, & tantum vi eiusmodi illationis cognitum; quia eius cognitio non continetur nisi virtualiter, & implicitè in cognitione primarij obiecti, sed ex illo colligitur. Itaque motiuum assentiendi in eo actu est ordo illationis, & connexionis, & non ipse Deus: Repugnat autem Deum habere aliud obiectum formale suæ intellectionis, quàm se ipsum: sic enim non erit intellectio diuina, nisi ratione subiecti, & dependebit motiue ab aliquo creato, & extra Deum. Videt quidem Deus effectus habere necessariam connexionem cum sua causa, & conclusionem cum principiis, ratione cuius Angeli, & homines possunt tum ex causis effectus, tum ex effectibus causas cognoscere, atque conclusionem ex præmissis inferre; ipse tamen non facit istas illationes, neque habet pro medio suæ cognitionis aliquid extra seipsum, & dum cognoscit aliquam causam habere ordinem ad effectum, vi illius ordinis non cognoscit effectum. Ex quibus omnibus imperium etiam virtuale à diuinis volitionibus validè reiicitur: tam enim repugnat dependentia virtualis vnius diuinæ volitionis ab alia, quàm vnius intellectionis ab alia: quia sicut in discursu virtuali cognoscitur conclusio propter ordinem, quem habet ad præmissas, atque ita aliquid aliud præter Deum est obiectum formale diuinæ alicuius intellectionis; ita volitio imperata non elicitur nisi propter ordinem; quem habet ad imperantem, atque ita proximum eius obiectum formale non erit diuina bonitas, quod est absurdum.

Atque hinc deducitur ratio à priori; quare, etiamsi in Deo distinguere possimus varias volitiones pro diuersitate volitorum, easque priores, aut posteriores pro diuersis signis rationis, quæ ex ipsismet obiectis volitis distinguimus; non tamen propterea vna volitio fingi possit imperari ab alia, aut elici dependenter, siue causaliter ab illa etiam causalitate virtuali; quia impossibile est volitiones, quæ mouentur ab eodem obiecto formali, ad plura obiecta materialia, habere causalitatem inter se; ita vt vna imperari, aut causari ab alia dicatur; etiam si vna consequatur aliam, siue intelligatur existere, nondum intellectâ, aut cogitatâ aliâ: vbi enim est idem formale motiuum actus, ibi & idem actus est: atqui actus imperans, & imperatus 5

habent

habent diuersa obiecta formalia, vt apparet, v.g. actus electionis, quo volo medium propter finem ipsum immediatè, & in recto amatum, habet pro obiecto bonitatem finis, estque eiusdem speciei cum amore finis, cùm in vtroque actu, finis in recto ametur, at verò quando amo medium propter proportionem, quam habet ad finem, ad quem acquirendum idcircò vtile est, obiectum eius actus non est finis; sed ordo, & proportio ipsius medij ad finem, qui tunc non amatur in recto; sed tantum in obliquo: Sic etiam in charitate, quâ amo hominem immediatè propter Deum; obiectum formale est ipse Deus, qui simul amatur in recto; Et ideò est actus charitatis Theologicæ. Si autem amo hominem propter ordinem, quem habet ad Deum, etiam vt bonum supernaturale, amoris illius obiectum formale non est Deus ipse, sed aliquid creatum: nimirum ordo Creaturæ ad Deum, vt bonum supernaturale: vnde est amor quidem supernaturalis, non tamen Theologicus: quia non amatur Deus in recto, sed in obliquo duntaxat; quo etiam modo attingitur à Religione, aliisque virtutibus supernaturalibus; quas tamen negamus esse Theologicas. Quoties igitur aliquæ volitiones habent vnum, & idem obiectum formale, etiamsi attingant diuersa obiecta materialia, & ad illa ordine quodam extendantur, propter ordinem, & connexionem, quam ipsa obiecta materialia seruant inter se, vna non potest dici causari ab alia, aut ab ipsa imperari; sic enim, vt ostendi, deberent sortiri diuersa obiecta formalia. Atqui omnes diuinæ volitiones habent idem obiectum formale proximum, & immediatum. Igitur etiamsi intelligantur esse distinctæ ratione, & priores, ac posteriores in diuersis signis rationis; vna tamen non poterit dici virtualiter causari, aut imperari ab alia: ergo nulla actio diuina immanens subiicitur, aut imperio, aut legi æternæ, quod probandum susceperamus.

6 Alia porrò ratio est de actionibus transeuntibus, cùm enim sint aliquid creatum, & obiectum diuinæ volitionis; nihil prohibet, quin & imperentur ab actu diuino immanente, & legi æternæ subiiciantur. Non fert quidem Deus sibi ipsi legem, vti iam monui, quâ se obliget res condere, aut conditas hoc, aut illo modo gubernare; sed rebus ipsis conditis legem ponit, quam pati debent: Et sanè actio transiens non se ipsam determinat; sed indiget aliquo alio, à quo determinetur: nimirum ab illo actu, quo eius existentia secundùm omnes circumstantias præscribitur. Iudicium igitur, quod enuntiat diuinam volitionem, & decretum de re quapiam hoc modo facienda, est lex, quam ponit Deus respectu illius actionis faciendæ.

Secunda pars propositionis: Irrationalia subduntur legi æternæ.

7 Quamvis creaturæ irrationales nullius obligationis propriè sumptæ capaces sint; æternæ tamen legi subduntur, quatenus per eam diriguntur, & gubernantur: quod innumeris locis affirmat Augustin. & S. Thom. 1.2.q.93. *art.*5. optimè exponit, cur creaturæ eiusmodi, quamvis subdantur creaturarum rationalium gubernationi, non dicantur tamen subesse ipsarum legibus, & nihilominùs quia subsunt diuinæ prouidentiæ, eius legibus teneri dicuntur, non quidem præcepti, & formalis obedientiæ; sed per modum principij directiui: atque in eo lex diuina differt à creata, quòd ad Creaturas quoque irrationales porrigatur, cùm creata solas rationales afficiat. Ratio huius discriminis petitur ex natura legis. Est enim Regula directius actionum legi subditorum, atque adeò earundem actionum principium, ipsa legis denuntiatione, & imperio impressum subdito: ad eius enim deinde normam suas actiones fingat subditus, necesse est. Atque ita cùm vna creatura rationalis alteri legem ponit, meri subditi principium quoddam actionum, quæ ad illud exigentur, tanquam ad Regulam imprimit. At verò licèt homo, aut Angelus moueat creaturas rationales in finem, & variè illas dirigat; nullum tamen ipsis imprimit principium directiuum consequentium actionum; sed suis propriis actibus eiusmodi creaturam dirigit: ac proinde neque illi creaturæ, quam mouet, legem ponit. Cùm enim irrationalia seipsa non moueant in finem, sed à rationali moueantur, lex lata irrationalibus, actuum, quibus in fines sibi destinatos tendunt, directiua, caderet in actus ipsius legislatoris, quibus ea irrationalia moueret in finem, qui proinde sibi ipsi ferret legem, quæ proprios actus directiuos creaturarum irrationalium regularet. Quæ legis acceptio impropria admodum foret: quia lex est directiua actuum, qui fiunt à subditis, & nemo sibi propriè subiicitur. Potest igitur creatura rationalis mouere quidem, & dirigere irrationalia; non verò illa legibus vincire. At verò quæ Deus toti naturæ etiam irrationali principia omnium actionum imprimit, eam non tantum agere, & mouere in finem: sed suis etiam legibus adstringere dicitur, & omnes motus, atque actiones naturæ sibi subdere per impressionem principij intrinseci actiui: quæ impressio idem facit, quod promulgatio legis in naturis rationalibus. Idcirco S. Doctor *art.6.q.cit.* ait creaturas irrationales subdi legi æternæ per modum actionis, & passionis, in quantum participatur ab eis lex æterna per modum interioris principij motiui: quare ad hanc subiectionem non est opus ratione in his creaturis; neque enim illarum obedientia est humana, sed diuina, inquit S. Thom. *art.5. ad* 2. Eo quòd diuina ratio imperans ad plura se extendat, quàm creata, vti expositum fuit, ita membra corporis mouentur ad imperium rationis; quam tamen non participant. Hoc porrò imperium non fit per denuntiationem aliquam, sed per ipsammet motionem, & impressionem quandam, quæ est principium motus subsequentis: sic irrationalia à diuina ratione, quæ ipsis omnium actionum principia impressit, moueri, illique vt legi subdi dicuntur. Eò referas illud Psalm. 148. *Præceptum posuit, & non præteribit.* Et prouerb. 8. *Legem ponebat aquis, ne transirent fines suos:* quam legem concedo quidem esse ipsam aquarum naturam, quibus eam inclinationem indidit Deus, vt ex assignata sibi cauitate nunquam ad terram operiendam restagnarent. Nego tamen hanc legem non esse eam, de qua modò disputamus, vti contendit Vasq. *in notis ad art.*1. *q.*91. *1.2.* Nam cùm lex consideretur vel in mente Legislatoris, vel in ipso subdito, in quo est principium internum directiuum actionum: hæc natura aquarum, & aliarum creaturarum est lex, quam Deus insculpsit creaturis sibi subditis, tanquam principium directiuum actionum naturalium, quibus in suos fines à naturæ conditore diriguntur. In mente autem Dei est conceptus diuinæ mentis talem naturam in finem ordinantis, vti *priori quæstione* dictum est, & *sequenti* iterùm explicabitur. Neque tantùm actiones horum agentium naturalium æternæ, & diuinæ legi subduntur; sed ipsi etiam defectus; & si enim accidant præter ordinem causarum particularium; non tamen præter ordinem vniuersi, cuius bonum diuina, & æterna lex respicit, & ad illud omnes actiones partium, earúmque etiam defectus dirigit.

Tertia pars propositionis: Creatura rationales subijciuntur æternæ legi.

8 In hac assertione omnes consentiunt; Nam vel loquimur de actionibus naturalibus, & necessariis, & illæ eodē modo subijciuntur huic legi, quo actiones creaturarum irrationalium; vel agimus de actionibus moralibus, & liberis, quæ sunt propriæ naturæ rationalis. Eæ autem actiones vel præcipiuntur, vel vetantur à lege æterna cum obligatione, & necessitate obediendi secundùm exercitium actus, aut saltem quoad specificationem, & modum eius: nam licet plures actus omitti licitè possint, neque præcipiantur; si tamen vsurpentur; præcipitur, vt debito modo fiant, & referantur ad finem honestum.

Quòd si admitteremus actus indifferentes in indiuiduo, illi permitterentur à lege æterna, vt potè non dissonantes naturæ rationali. Deinde omnes actiones morales subijciuntur huic legi quoad præmium, vel pœnam: illa enim statuit, vt nulla actio bona careat sua mercede; nulla mala immunis sit à pœna: quæ tamen præmij, & supplicij definitio non videtur esse à lege æterna, vti obseruat Suar. *lib. 2. de legib. cap.* 2. *n.* 16. quia ea præscriptio præmij, & pœnæ non est actuum moralium præceptio, aut directio, & potiùs impletur per diuinæ prouidentiæ efficacitatem, quàm per creatam voluntatem, quæ materiam tantùm suppeditat, quam Deus remuneretur, aut puniat: quia tamen singulis actionibus distinctè sua præmia, & pœnæ definiuntur; idque fieri nequit, quin prohibeantur actiones, quibus decernuntur supplicia, & probentur illæ, quibus præmia destinantur. Idcircò etiam lex supplicia, & præmis præscribens rationem legis induit, quia saltem obligat ad pœnam subeundam post flagitium patratum: quamvis autem nemo obligetur præmia capere, ex eorum tamen destinatione dirigimur ad similes actiones faciendas.

Quæstiones consectariæ.

CONSECTARIVM I.

An tum boni, tum mali subijciantur æternæ legi.

9 Hoc explicat S.Thom. 1.2. *q.* 93. *art.*6. cuius doctrinam ea hactenus disputatis facilè capies: Natura rationalis duplici modo legem æternam participat; habet enim inclinationem ad bonum, & finem suum, sicut aliæ omnes naturæ ratione destitutæ: Et prætereà cognitione sui finis prædita est, atque ad illum assequendum suis propriis actibus tendere debet: vnde fit, vt tum per modum principij interni, impressionem æternæ legis recipiat, sicut de cæteris naturis irrationalibus disputabamus; tum per modum directionis, ac legis propriè directæ, illius vera, propriáque obligatione teneatur. Vterque autem hic modus subiectionis perfectus quodammodo est in bonis: quia cognitioni naturali boni, per quam lex æterna promulgatur, vti dicam *inferius*, accedit supernaturalis cognitio fidei, prudentiæ, & sapientiæ, cæteráque lumina supernaturalia. Inclinationi verò naturali ad bonum, aduenit motiuum gratiæ, & virtutum tum naturalium, tum supernaturalium: vnde fit, vt iusti perfectissimè subsint diuinæ legi. Quod autem dixit Paul. *ad Galat.* 5. eos, qui spiritu Dei ducuntur, non esse sub lege, significat tantùm non premi quasi pondere quodam, & iugo: quia sancti volentes implent ea, quæ legis sunt, propter gratiam Spiritus sancti eorum cordibus infusam. In quam rem sic disserit Aug. in Psal. 1. *Iustus non est sub lege: quia in lege Domini est voluntas eius; qui enim in lege est, secundùm legem agit: qui sub lege est, secundùm legem agitur: Ille ergo liber, hic seruus.* Addit S. Thom. *art.*6. *cit. ad* 1. Iusti hominis opera, quatenùs à Spiritu sancto agitur, magis esse ipsius spiritus, quàm ipsius hominis. Cùm itaque spiritus non sit sub lege: ita neque opera viri iusti, vt à spiritu procedunt: vnde Paul. 2. ad Corinth. 3. *Vbi spiritus domini, ibi libertas.* Quod autem 1. *ad Timoth. cap.* 1. dicitur iusto non esse lex posita de lege veteri, quæ Christianos, & iustos non ampliùs obligabat, rectè aliqui exponunt; alij cum Vasq. 1.2. *disp.* 166. *cap.* 2. *de lege accusante, & damnante:* nam iusti sub eiusmodi lege non sunt.

10 Quod attinet ad impios, illi quantum ad actionem imperfectam subsunt huic æternæ legi: nam & illam imperfectè cognoscunt, & ad bonum naturale imperfectè inclinantur: ea enim naturalis, & congenita ad bonum propensio per prauos habitus deprauatur, & cognitio naturalibus commotionibus, malisque, ac vehementibus affectionibus obnubilatur, excæcatúrque; ideóque Paul. *ad Rom.* 8. dicit prudentiam carnis inimicam esse Deo, & legi subiectam non esse: quia nimirùm inclinat ad actiones diuinæ legi contrarias: quod tamen ad perfectam eiusmodi subiectionem deficit ex parte actionis, suppletur ex parte passionis: quia in tantum patiuntur, quod lex æterna dictat de eis, in quantum deficiunt facere, quod legi æternæ conuenit. Hæc S. Thom. quæ desumpsit ea August in. *lib. de catechis. rudib. cap.* 18. Nouit Deus ordinare deserentes se animas, & ex earum iusta miseria inferiores partes creaturæ suæ conuenientissimis, & congruentissimis legibus admirandæ dispensationis ordinare. Et *lib.* 19. *de Ciuit. cap.* 23. ait, miseros in sua miseria sine ordine non est, & à beatis ordine seiungi. *Et lib.* 3. *de libero arbit. c.* 11. pluribus ostendit, ordinem à Deo constitutum non violari vitiis creaturarum, atque alibi sæpè: cùm enim peccando Deum deserit, in Deum incidit; quod multis etiam disserit Boët. *lib.* 4. *de consolat. prosa* 6. disputans de diuina prouidentia; tandémq; sic concludit: Ordo enim quidam cuncta complectitur, vt quod ab assignata ordinis ratione discesserit, hoc idem, licèt in alium tamen ordinem relabatur, ne quid in Regno prouidentiæ liceat temeritati, quod ipsum Alens. 3. *p. q.* 26. *memb.* 8. *art.* 4. similitudine Circuli explicat; ipsa, inquit, lex æterna, sicut Circulus est: qui enim fugit vnam partem, appropinquat alteri: & ita cùm mali ab vna parte recesserint, in aliam, quantum est ad punitionem, incidunt.

CONSECTARIVM II.

Damnati, & Beati subsunt diuinæ legi æternæ.

11 Ita omninò colligimus tum ex proximè dictis, tum ex comparatione diuinæ prouidentiæ, & legis æternæ *superiùs* instituta: diximus enim prouidentiam esse veluti executionem, & applicationem illius legis: quare quæ subsunt diuinæ prouidentiæ, subsunt quoq; legi æternæ, & de reorum suppliciis, ac damnatione nemo dubitat, de iisque agit August. *locis citatis*, & lex ordinans supplicia certa, & æterna est, ordinémque diuinæ iustitiæ in fasciculis zizaniorum aduertit Gregor. *lib.* 9. *moral. cap.* 27. *& cap.* 39.

&

Et in lance iustitiæ, in qua ponderantur supplicia, nullus quidem ordo, sed sempiternus horror apud infectos inhabitat. *Iob.* 10. quia nullus ibi est ordo dignitatis, aut nobilitatis. *Sap.* 17. vnâ catenâ tenebrarum omnes erant colligati: deinde turbatur omnis ordo naturæ: quia ignis vrit, neque consumit, ardet, neque lucet; aliáque similia insolita contingunt. Et denique in ipsorum mente inordinatio, & confusio atrox existit. Gregor. *lib.* 9. *moral. cap.* 39. Reprobis ergo ordo in supplicio non erit: quia in eorum mente atrociùs ipsa mentis confusio sæuit, quam tamen mitâ potentiâ iudicantis, æquitas ordinat, vt pœna animum quasi inordinata confundat.

Beatos omnimodè subiici diuinæ legi quis neget Audi Cassiod. in Psal. 118. vers. 44. *Custodiam legem tuam semper in sæculum, & in sæculum sæculi*; ibi, inquit, alia erit lex Domini, quam se promittit populus custodire sanctissimos: Scit enim per hanc vmbram legis ad mysterium æternæ legis ascendi, & mox: scit denique fidelium ibi esse leges, quas se professus est sine fine seruare.

Consectarium III.

Effectus legis æternæ.

13 Multiplicitas horum effectuum ex dictis manifestò colligitur: nam si lex æterna sumatur, vt est præceptum impositum creaturis rationalibus, quas in ordine ad opera moralia obligat, & qua ratione propriè solùm lex est, & consideratur hoc loco, soli effectus morales, & non naturales, iique honesti ab hac lege, vt à regula, & causa exemplari, seu mensura procedunt. Mali autem sunt quidem materia huius legis eus prohibentis; non tamen ab ea causantur, sicut diximus nuper peccata cadere sub diuinam prouidentiam, quatenus Deus iis ad varios fines deinde ordinatissime vtitur; non sunt tamen effectus diuinæ prouidentiæ, neque Deus lege sua iubet fieri hos actus peccaminosos, vt illis deinde ad bonos fines, iustitiæ, v.g. suæ manifestationem commissis bene, & sapienter vtitur. Si verò sumatur lex ista vniuersalissimè; prout etiam rebus irrationalibus quandam obligationem, & necessitatem imponit, omnes effectus diuinæ prouidentiæ, sunt quoque effectus legis æternæ, quæ, vti diximus, est prima eius radix, & origo.

Consectarium IV.

Multiplicitas legis æternæ.

14 Legem æternam ex diuerso modo obligandi creaturas, & ex diuersitate materiarum, atque obiectorum, circa quæ versatur, in plures partiuntur Theologi; ipséque August. *lib.* 9. *de ciuitat. cap.* 22. meminit legum æternarum, & incommutabilium: quia tamen omnes hæ materiæ, siue obligationes, siue partiales leges vnum bonum commune spectant, & ad illud dirigunt omnes actus, quos imperant; ideo S. Thom. 1. 2. *q.* 93 *art.* 1. *ad* 1. vnam legem dici vult. Totalis est de nomine, in qua tricari abundantis otio hominis est.

Consectarium V.

Immutabilitas legis æternæ.

15 Si consideremus hanc legem, prout naturas liberas, & rationales obligat, cùm ea præcipiat tantùm actus essentialiter bonos, aut modum, quo si fiant actus non imperati, bene fiant, aut saltem non malè: & ille modus sit quid essentialiter requisitum ad excludendam malitiam ab actu, qui illius, sicut & bonitatis ex suo obiecto capax est; cùm sit ad vtramque indifferens. Cùm præterea eadem lex omnes actus essentialiter malos, prohibeat, proculdubio inuariabilis est; quia non potest imperare, aut non prohibere quod prohibet: neque etiam prohibere quod imperat, secundùm id præcisè, quod imperat: quæ omnia faciliùs intelligentur *ex cap. sequenti*, vbi *de iure naturali* disputabimus. Si attendamus hanc legem in naturis irrationalibus, quas per modum principij interni mouet in suos fines, vti fuit explicatum: eáque de causa rerum omnium inter se ordinem, & causarum seriem coaptat; immutabilis quoque est; quia Deus statas fixit naturis leges, situs, & fines, & quæcunque ordinat, immutabiliter ordinat; facit quidem nonnulla contra legem ordinariam, & aliquando præscriptum ordinem transgreditur, vti in miraculis: nihil tamen contra legem vniuersalissimè sumptam committit; sed vnam eius partem exequitur, dum in altera dispensat; quare nullus eximi potest ab ea lege. Etsi enim in his circumstantiis non obligetur ad aliquam actionem, obligetur ad aliam: vnde fit nullum affectum esse fortuitum, & casualem respectu diuinæ prouidentiæ, & legis æternæ; sed omnes, & singulos à Deo ordinatos fuisse, atque adeò in illis diuinam, æternámque legem minimè violari: quod sæpius affirmat August. *q.* 28. *ex* 83. *lib.* 3. *de Gen. ad litter. cap.* 21. *in psalm.* 148. ad illud: *Ignis, grando, nix, glacies, quæ faciunt Verbum eius*: Et in Psalm. 31. *Veruntamen in diluuio aquarum multarum.* Do verba Prosperi *in psal.* 148. Nihil fortuitis motibus subiacet, & singula quæque eius legibus seruiunt, qui, vt vult, de omnibus, atque in omnibus secundùm causas occultæ rationis operatur. Boët. *lib.* 5. *de consolat. prosa* 1. rationem reddit: Quis, inquit, coërcentem ordinem cuncta Deo locus esse vllus reliquus temeritati potest? Et mox licet igitur definire casum esse inopinatum, & ex confluentibus causis, in iis, quæ ob aliquid geruntur, euentum. Concurrere verò, atque confluere causas facit ordo ille ineuitabili connexione procedens, qui de prouidentiæ fonte procedens cuncta suis temporibus disponit: quod deinde explicat comparatione Tygridis, & Euphratis, qui ex eodem fonte manant, & post longum aquarum diuortium, denuo confluunt, in eóque confluxu, quæ duo illa flumina conuehunt, permiscentur, non fortuitò planè; cum quodlibet flumen sua lege regatur.

Rupis Achæmeniæ scopulis vbi versa sequentum,
Pectoribus figit spicula pugna fugax.
Tygris, & Euphrates vno se fonte resoluunt,
Et mox abiunctis dissociantur aquis.
Si coëant, cursúmque iterum reuocentur in vnum,
Confluere alterni, quod fluit vnda vadi.
Conueniant puppes, & vulsi flumine trunci,
Mistáque fortuitos implicet vnda modos.
Quos tamen ipsa vagos terra decliuia cursus
Gurgitis & lapsi, defluus ordo regit.
Sic quæ permissis fluitare videtur habenis,
Fors patitur frænos, ipsáque lege meat.

Idcircò, licèt in vniuerso omnia fluctuent; fixa tamen, & stabilia esse, comparata cum ordine diuinæ legis, & prouidentiæ, eleganter ostendit Nazian. *orat.* 3. *in Julian.* & *orat.* 15. *in plagam grandinis.* Et sanè cùm omnis effectus fuerit certò, & euidenter præcognitus à Deo, non poterit ipsi esse, aut fortuitus, aut præter eius intentionem, saltem illum permittendi, euenire, aut ordinem, quem non nisi ex præui-

sione

sione omnium, quæ contingere poterant, constituit, effugere. Quare Deus vult illum effectum, qui respectu alicuius causæ particularis fortuitus est, & præuidit omnia, ex quibus defectus ille, aut casus contingit. Quæ omnia fusiùs 1. *part.* quondam explicuimus.

QVÆSTIO IV.

Quomodo legi æternæ actiones humanæ conformes esse debent.

Status quæstionis n. 1.

Voluntati diuinæ præcipienti tenemur consentire. n. 2.

An etiam consulenti, & permittenti. n. 3.

An antecedenti, & efficaci. numer. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10.

An voluntati quidpiam decernenti ex præuisione nostri actus liberi. n. 11.

Consectaria.

Consectarium primum. Quatuor vulgares modi consentiendi diuinæ voluntati. n. 12.

Consectarium secundum. An possimus nolle, quæ fiunt à Deo independenter à nobis. numer. 13.

Consectarium tertium. An liceat impedire quod fit, Deo volente. n. 14.

Consectarium quartum. Quid faciendum, reuelata propria damnatione. n. 15.

Consectarium quintum. An diuinis inspirationibus fas sit sine culpa repugnare. numer. 16.

Consectarium sextum. An sit optimum consentire cum diuino volito materiali, & formali. n. 17.

1 HVc spectabat tota ista disputatio, vt nimirum nobis constaret, quomodo iure legis æternæ regamur, & diuinæ illi regulæ adæquari debeant actiones humanæ; vt verò doctorum dissidia, qui ferè de solis vocibus pugnant, facilè conciliemus: Obserua imprimis nos hoc loco nomine legis æternæ significare diuinam voluntatem prohibentem, aut præcipientem: quia, licèt formalis ratio legis in eiusmodi voluntate non consistat; illam tamen necessariò supponit, aut essentialiter connotat.

Deinde obiecta voluntatis diuinæ adæquatè partior in actus voluntatis humanæ, & obiecta alia ab eiusmodi actibus distincta.

Denique suppono diuinam voluntatem aliam esse prohibentem, vel præcipientem; aliam consulentem tantùm, vel permittentem. Præterea aliam esse antecedentem, aliam consequentem, vel saltem comitantem tantùm. Nam Deus aliqua obiecta vult independenter ab omni arbitrio libero creato, & illa voluntas dicitur antecedens; aut vult sumpta occasione ex actibus libertatis creatæ, quomodo vult damnationem Iudæ propter peccata ab ipso liberè commissa: quæ voluntas nominatur consequens, aut comitans; Sic enim vult concurrere cum Petro negante, & cum Iuda prodente: sic olim istas voces vsurpaui 1. *part.* rejectis aliis significationibus, in quibus inutiliter tricantur Interpretes: allata siquidem acceptio est omnino ad mentem Chrysostom. *homil.* 1. *in epist. ad Ephes.* & Damasc. *lib.* 2. *de fide, capit.* 29. ex quibus hanc diuisionem desumpsere Theologi.

Prima Propositio.

Legi æternæ præcipienti, aut prohibenti tenemur conformare nostram voluntatem, & velle, vel nolle quod Deus vult nos velle, aut nolle.

Expositio, & confirmatio propositionis.

Hanc propositionem non erit difficilè ostendere ex doctrina, quam tradidit S.Thom. 1. 2. *qu.* 19. *art.* 4. vbi docet bonitatem creatæ voluntatis potiùs pendêre ex lege æterna, quàm ex ratione creata. Quia ratio, quæ est regula, & mensura voluntatis humanæ, vti probauerat *artic.* 3. id habet à lege æterna, quæ est ratio diuina, eòque trahit illud Psalm. 4. *Multi dicunt, quis ostendit nobis bona? signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Quæ verba sic interpretatur S.Doctor: Lumen rationis, quod in nobis est, in tantum potest nobis ostendere bona, & nostram voluntatem regulare, in quantum est lumen vultus tui, id est, à vultu tuo deriuatum: vnde manifestum est, quòd multò magis dependet bonitas voluntatis humanæ à lege æterna, quàm à ratione humana: Et vbi deficit humana ratio, oportet ad rationem æternam recurrere: diuina igitur voluntas, & lex æterna est regula nostræ voluntatis, ex S. Thom. atqui non potest esse alio modo regula, nisi prout vult aliquid nos velle, aut nolle, vt inquit Durand. *in* 1. *disput.* 48. *quæst.* 2. quia in habentibus cognitionem, & libertatem, vnum non regulat aliud; nisi quatenus proponit, vel imponit quid, & qualiter agat: id verò facit diuina voluntas, dum imperat, aut prohibet aliquid; eo enim ipso vult nos velle illud, vel nolle; immò, licèt Deus nollet aliquid, si tamen vellet nos illud velle; aut si ipse vellet aliquid, & vellet nos illud nolle, esset tantùm regula nostræ voluntatis, quatenus vellet illud nos velle, aut nolle; Et ea tantùm in re nostra volitio deberet diuinæ consonare: quo sensu dixit Anselm. *lib. de lib. arb. cap.* 6. Nulla est iusta voluntas, nisi quæ vult, quod Deus vult illam velle. Præterea negari nequit diuinam voluntatem habere vim imponendi obligationem, quam omnino supponit lex æterna, vti *quæst.* 1. fuit expositum: potest igitur nos obstringere, vt velimus quod illa vult nos velle.

Obserua tamen hoc præceptum conformandi se cum diuina voluntate præcipiente, esse aliquid generale intrinsecè in omnibus præceptis implicitum; neque inducere specialem malitiam distinctam à violatione cæterorum præceptorum, nisi fortè committeretur ex contemptu, & inobedientia formali, quâ quia velit à diuina voluntate formaliter dissentire: violaret enim tunc speciale illud præceptum, quo Deus exigit ab homine, vt se diuinis imperiis subiiciat: quod subiectionis præceptum nascitur ex ipsa intrinseca rei honestate, & naturali dominio Dei in hominem. Seclusa enim per impossibile omni voluntate diuina, hanc subiectionem præcipiente: teneretur nihilominus voluntas creata Deo se subiicere, ob essentialem, & omnimodam dependentiam, quam 2

ab ipso habet; sed tunc diuina voluntas non esset propriè lex; sed mensura dumtaxat, & regula obiectiua: neque tunc Deus vellet nos aliquid velle: quare essemus extra casum, de quo egimus modò. Obligatio igitur per modum veri præcepti consentiendi cum lege æterna, siue volendi, aut nolendi, quod Deus nos velle, aut nolle iubet, oritur ea ipsa diuina voluntate imperante hanc conformitatem, & simul nos aliquid velle, aut nolle: neque propterea timendus est progressus in infinitum; quia diuina voluntas, etiamsi simplicissima sit: eminenter continet omnem reflexionem in se ipsam: Quare & simul vult nos aliquid velle, & vult nos conformari illi voluntati, quâ vult nos velle, quod non tantùm de re volita; sed etiam de modo volendi intellige; quia aliquando Deus imperat, vt velim aliquod obiectum; non tamen motiuum, aut modum volendi assignat, sed liberum relinquit; vti factum fuisse in Christo circa præceptum subeundæ mortis plurimi Theologi docent. Aliquando imperat efficaciter, vt velim ea tali motiuo, & tunc efficaciter, atque modo assignato, & ex præscripto motiuo, velle debeo. Immò si Deus absolutè, & efficaciter, velit hominem aliquid efficaciter velle, non posset homo non illud non efficaciter velle; alioquin diuina voluntas efficax frustraretur suo effectu; atque ita non esset efficax, quæ foret manifesta contradictio: Non disputo autem impræsentiarum, an Deus possit absolutè, & efficaciter velle hominem aliquid efficaciter velle, antecedenter ad omnem præuisionem futuræ compensationis?

Secunda Propositio.

Diuinæ voluntati consulenti, aut permittenti licet repugnare.

Expositio, & confirmatio propositionis.

4 Hæc assertio manifestissima est: nam Deus consulit virginitatem, & permittit peccatum; fas tamen est ambire nuptias, & virginitatem nolle: tenemúrque peccatum, quod Deus permittere vult, odisse. Ratio huius propositionis petenda est ex natura voluntatis permittentis, & consulentis: non enim propriè, & proximè versantur circa actum voluntatis creatæ, quem liberum omninò relinquunt: neque Deus vult nos velle, aut non velle illum actum, quem permittit, aut consulit; alioquin esset præceptum, non consilium, aut permissio: Author quidem nobis est Deus, vt velimus, quæ consulit: quia consilium est non tantùm de re bona, sed etiam meliori, & in permissione mali vellet nos nolle quod permittit: quia ferè semper permissio est de re mala. Itaque si voluntas consulens, & permittens præcisè sumantur, non sunt efficaces, aut inefficaces respectu creatæ voluntatis, cui integram optionem relinquunt. Includunt tamen alia quædam, quorum respectu sunt efficaces; nempè voluntatem exhibendi concursum necessarium ad eliciendum actum permissum, si ad illum se libertas creata accingat. Præterea voluntatem non impediendi quod permittitur: non tenetur autem voluntas creata velle actum permissum; immò sæpius debet illum nolle, vt iam monui. Et quamvis melius foret velle actum, qui consulitur; tamen in abiectione illius præcisè sumpta, nullum peccatum est.

Tertia Propositio.

Diuinæ voluntati antecedenti, & efficaci non debemus, neque honestè possumus per voluntatem efficacem, & nitentem ad oppositum repugnare, quamvis ab illa per affectum simplicis displicentiæ dissentire liceat, & de obiecto materiali à Deo volito tristari. 5

Expositio, & confirmatio propositionis.

Dixi in primis non posse nos reluctari per voluntatem efficacem, siue quæ suo modo, & in quantum potest, comitatur ad effectum voluntati diuinæ antecedenti, & efficaci contrarium: quia vanus esset totus ille conatus noster, & temerarius, cognitâ efficaciâ diuinæ voluntatis antecedentis, & absolutæ, cui nemo resistere potest; si enim antecedens est, non expectat consensum liberi arbitrij creati, & iniuriam Deo irrogaret, quia eius voluntatem irritam, & inanem reddere tentaret: si tamen cognita non sit ea voluntas, vti sæpius contingit, in contrarium niti non solùm possumus; sed etiam aliquando tenemur propter diuersa motiua: atque ita tenemur tutari vrbem, & Patriam, quam Deus tradere decreuit hostibus, atque precibus sollicitare, vt mala auertat, quæ tamen inferre statuit; non vt nos diuinis decretis, quæ an efficacia, & absoluta sint, nescimus, opponamus; sed vt pietati aduersùs Patriam satisfaciamus.

Dixi secundò nos posse per affectum simplicis displicentiæ dissentire diuinæ voluntati antecedenti, & efficaci, & tristari de obiecto materiali à Deo volito, non quòd doleamus diuinam voluntatem impleri, aut quòd tale obiectum nobis displiceat sub ea ratione, sub quâ à Deo volitum est, aut quia volitum est; sed ob alia honesta motiua, & sub diuersis rationibus, sub quibus nobis, aliísve malum, & incommodum est: quis enim neget nos posse tristari de pœnis à Deo inflictis, & malis ab ipso immissis? eáque est Augustini mens *cap.* 101. *Ench.* aliquando autem bona voluntate homo vult aliquid, quod Deus non vult, etiam ipse bona multò ampliùs, multóque certiùs voluntate. Nam illius mala voluntas esse nunquam potest, tanquam si bonus filius Patrem velit viuere, quem Deus bona voluntate vult mori: Et rursùs fieri potest, vt hoc velit homo voluntate mala, quod Deus vult bona: velut si malus filius velit mori Patrem, velit hoc etiam Deus; nempè ille vult quod non vult Deus: Iste verò vult quod vult Deus; & tamen bonæ voluntati Dei pietas illius potiùs consonat; quamvis aliud voluerit, quæ huius idem volentis impietas tantum interest, quod velle homini quid Deo congruat, & ad quem finem suam quisque referat voluntatem, vt aut probetur, aut improbetur. Similia habet Anselm. *lib. de voluntate Dei.* Vult homo quod non vult Deus, & habet inde premium à Deo: non vult homo, quod vult Deus, & inde consequitur laudem, & *lib. de similitudin. cap.* 159. non semper debemus velle quod Deus vult, sed hoc velle debemus, quod Deus vult nos velle debere: quod explicat exemplo discipulorum S. Martini, qui nolebant magistrum tolli è vita; quod tamen Deus volebat: ipse Christus de subeunda morte tristabatur. Qua de re vide Sal. t. 2. *tract.* 7. *disp.* 5. *à num.* 5.

Ratio

7 Ratio huius assertionis perspicua est: quia hæc voluntas displicentiæ simplicis non est contraria diuinæ voluntati efficaci: quamvis enim sint de eodem obiecto, non sunt tamen propter eadem motiua; ac proinde non pugnant formaliter inuicem, v.g. mors Patris displicet filio, vt sibi mala, & parenti; placet autem Deo, vt ad ordinem suæ prouidentiæ, quæ bonum communé, aliósque fines potiùs, quàm priuata singulorum commoda respicit, pertinet: quod S. Thom. explicat 1.2.*q.*19.*art.*10. exemplo Latronis, cuius supplicium iudex imperat; vxor autem auertere conatur; idque idem in Christo mortem depreeante manifestum apparet: Hæ igitur voluntates, licèt sint de eodem obiecto materiali; cùm tamen sub diuersis rationibus in illud tandant, non se inuicem destruunt. Causam reddit S. Thom. *art. cit.* ex eo, quòd voluntas nunquam feratur in suum obiectum, nisi provt à ratione proponitur: atqui vnum, & idem obiectum sub vna ratione proponitur vt bonum, & sub alia vt non bonum, aut etiam vt malum: quando igitur voluntas vult illud asse, secundùm quod proponitur vt bonum, est bona; & si velit illud idem, non secundùm quod proponitur sub ratione mali, est etiam bona. Fieri itaque potest, vt si vnus, & idem velit aliquid esse; & non esse absque vlla pugna, & contradictione, & vtraque illa volitio sit bona: quod idem faciliùs continget in diuersis, & maximè in Deo, & creatura; diuersam enim rationem boni spectant: nam Deus, cùm sit vniuersi factor, & moderator, apprehendit bonum totius vniuersi, & quidquid vult vult, sub ratione boni communis, quod, inquit S. Thom. est sua bonitas, quæ est bonum totius vniuersi; apprehensio autem creaturæ secundùm suam naturam, est alicuius boni particularis proportionati suæ naturæ. Contingit autem aliquid esse bonum secundùm rationem particularem, quod non est bonum secundùm rationem vniuersalem, aut è conuerso. Et ideò contingit, quòd aliqua voluntas est bona, volens aliquid secundùm rationem particularem consideratum, quod Deus non vnit secundùm rationem vniuersalem, aut è conuerso. Sicut etiam diuersorum hominum voluntates circa opposita possunt esse bonæ: quia sub diuersis rationibus particularibus volunt aliquid esse, aut non esse.

8 Idcircò dixeram in assertione non possa nobis displicere obiectum, quod Deus vult efficaci, & antecedente voluntate: quia per illud diuina voluntas impletur, aut quia à Deo volitum est, aut sub illa eadem ratione, sub qua à Deo volitum est; sic enim nobis sapientissimus diuinæ prouidentiæ ordo displiceret. Aug. *in psal.* 35. Voluntas Dei est aliquando, vt sanus, aliquando vt ægrotus sis: quando es sanus, dulcis est voluntas Dei, & quando ægrotus, amara est voluntas Dei. Non recto corde vis, quare? quia non vis voluntatem tuam dirigere ad voluntatem Dei; sed Dei vis curuare ad tuam: quia nempè quæritur, sa ita male à Deo haberi, & excipi, &c. Vide eundem *in Psalm.* 63. ad illa verba: *Et laudabuntur omnes recti corde, & in Psalm.* 93. ad illud: *Omnes, qui recto sunt corde.* Hæc omnia paucis expressit S. Thom. *art.* 10. *cit.* posse nos discordare à diuina voluntate in obiecto materiali, non formali, hoc est, posse nos non velle, aut nolle eandem rem, quam Deus vult; non posse tamen eam nolle, propter rationem, & finem, propter quem Deus illam vult.

9 Quod dixi autem de voluntate diuina efficaci, & antecedenti, cui per simplicem affectum displicentiæ dissentire possumus: idem quoque aio de voluntate imperante: nam simplici affectu ferri in obiectum contrarium licebit, & de re imperata tristari propter alia motiua, quàm illa, propter quæ Deus rem huiusce-modi imperauit. Deus, v. g. imperauit alicui matrimonium, si id ipsi euidenti reuelatione constet: tenetur ille efficaciter velle matrimonium; poterit tamen simplici affectu amare illibatam castitatem, & quantum in se est, velle illam seruare, si ita Deo visum fuisset: quia hæc displicentia matrimonij, & complacentia in castitate non repugnat voluntati efficaci, per quam obedit præcepto de ineundo matrimonio, cùm habeant diuersa motiua, & non sese inuicem destruant, & Deus eo ipso, quod imperauit nuptias, non prohibuerit simplicem virginitatis affectum. Non negarim tamen Deum posse ita præcipere affectum efficacem aduersùs aliquod obiectum, vt etiam prohibeat affectum inefficacem, & simplicem circa oppositum, & illi voluntati imperanti obligari tenebimur.

Quarta Propositio.

Non est necessariò consentiendum diuinæ voluntati, aliquid ex præuisione nostrorum actuum liberorum decernenti.

Expositio, & confirmatio propositionis.

Supponendum est, vti initio monui, Deum plurima 10
decernere, ex præuisione dumtaxat futuræ determinationis liberi arbitrij creati; quoties nimirùm res decreta pendet à nostris liberis actibus, siue tanquam à causa, siue tanquam à conditione. Dico igitur tunc nos minimè teneri consentire diuinis eiusmodi decretis; sed posse nos ab illis discedere; immò necesse nonnunquam est, vt illis nixu quodam, & conatu reluctemur. Ratio est, quia Deus illo suo decreto relinquit nobis plenam libertatem, vt in quamlibet libuerit partem, flectamur; quanquam ipse præuiderit, quam partem reipsa sumus amplexuri, & ex ea præuisione decreuerit: nulla igitur fit iniuria diuinæ voluntati, si ei non consentiamus, neque illi resistere dicimur: atque ita Petrus, cui reuelata erat futura Christi negatio, etsi simul reuelata esset diuina voluntas, de concursu exhibendo ad substantiam actus peccaminosi, non debebat illi voluntati diuinæ efficaci, & vt aliqui vocant, comitanti concordare; sed contrà niti tenebatur; alioquin Petrus fuisset simpliciter perplexus, & necessariò peccasset: nam & consentiendo, illi voluntati diuinæ comitanti, & illi resistendo peccasset; & tamen alterutrum necessariò facere ipsum oportebat: nimirum, aut consentire, aut non consentire. Adde voluntatem antecedentem; quâ Deus negationem, & peccatum Petro prohibebat; contrariam fuisse huic voluntati comitanti, quâ decreuerat concurrere cum Petro liberè peccante; tenebatur autem Petrus obsequi diuinæ voluntati antecedenti, quæ erat præcepti, non isti, quæ eiusdem Petri libertatem supponebat. Idem dicendum est de voluntate consequenti: possumus enim nolle nostram damnationem; immò & deberemus eam impedire, & si, ea decreta fuisset, atque bonis operibus vacandum foret, vt statim dicam ampliùs.

Quaestiones Consectaria.

Consectarium I.

De quatuor vulgaribus modis consentiendi cum diuina voluntate.

11 Quatuor modis consentire possumus cum diuina voluntate. Primò, in volito materiali, siue, vt aliqui loquuntur, in causa materiali, quando volumus illam ipsam rem, quam Deus vult. Secundò, in causa finali, quando volumus propter eundem finem. Tertiò, in ratione causæ effectiuæ; quia volumus, quod Deus vult nos velle. Quartò denique, in causa formali: quia ex eodem habitu & forma, charitatem videlicet, quæ habet rationem principij formalis, volumus. Et quidem ex superioribus propositionibus colligitur, licitum esse aliquando dissentire à Deo in volito materiali, in causa verò formali nefas est positiuè, & contrariè repugnare; nolendo scilicet positiuè obtineri finem illum, quem Deus sibi præfixit: quanquam possis negatiuè te habere, aut etiam tibi alium finem particularem proponere; qui tamen finem communem à Deo intentum non excludat. In causa effectiua perpetuò consentiendum est; quia semper velle nos oportet, quod Deus vult nos velle, vti constat ex prima propositione; in causa denique formali, siue in principio charitatis, consensus necessarius non est consensus, nisi ad meritum; non autem ad implendam obligationem legis æternæ, & naturalis de consonantia nostræ voluntatis cum diuina. Atque hæc doctrina lucem dabit *a.1. q.19.1.2.* S.Thom.

Consectarium II.

An possimus nolle, quæ videmus à Deo fieri, neque à nobis pendent.

12 Existimant Gab. *in can.lect.68. lit.N.& in 1.dist. vlt.quaest.*1. Mai. *ibid. dist* 17.*quaest.*1.*concl.*4. Gregor. *dist.* 48. *quaest.*1. *conclus.*2. & alij, ita nos consentire debere diuinæ voluntati, vt quoties videmus Deum aliquid absolutè velle; quia illud neque est malum culpæ, neque malum pœnæ supponens culpam, neque eius positio, aut continuatio pendet à nobis; non possimus de illo tristari, ne quidem per simplicem displicentiam. Exemplum habemus in pluuia, caloribus, atque aliis eiusmodi. Ratio est, quia, ex dependentia essentiali, quam nostra voluntas habet à diuina, obligatur illi sese adaptare, alioquin deflectit à sua regula, atque adeò errat.

Respondeo nihilominus hæc omnia, quatenus sunt nobis incommoda, aut amicis, posse nos auersari simplici affectu, & inefficaci, atque etiam velle Deum non voluisse: poterat enim non velle; siue nobis dolere potest, quod Deus ista voluerit. Patet ex tertia propositione, quia Deus non præcipit, vt ista velimus; sed potiùs, vt illa patiamur; & cùm displicentia ista nostra habeat diuersum motiuum ab illo, quod intendit diuina voluntas, non propriè pugnat cum illa, vti diximus. Quare, si quis molestè ferat flare boream, suæ valetudini infensum, aut spirare austrum, aut perincommodam esse anni tempestatem; quamvis ignorare non possit Deum ita velle, itaque decreuisse, non peccat, neque de ea animi molestia accusare se debet in confessione, quandiu fuerit tantum simplex quædam displicentia.

Consectarium III.

An liceat impedire, quod fieri videmus diuina voluntate, quando eius continuatio est in nostra voluntate.

Videt aliquis domum suam fortuito incendio conflagrare, patrem, aut vxorem ægrotare, sibi aliquod aliud malum creari: neque ignorat, hæc omnia ex diuina voluntate contingere: quæritur, an possit adhibere conatum ad ea mala impedienda, extinguendum incendium, curandam patris valetudinem, & auertendum infortunium; an verò, ne diuinæ voluntati resistat, abstinere debeat ab omnibus remediis? 13

Respondeo, in primis diuinam voluntatem de incendio domus, morte patris, aliisque eiusmodi sæpissimè esse voluntatem consequentem & pendêre ex officio, aut remediis, quæ patri ægrotanti exhibebit filius; aut ex diligentia extinguendi ignem domum depascentis: quare, cùm ea voluntas integram nobis relinquat libertatem, nihil impediet, quominus adhibeantur omnia ista media ad impediendum, quod Deus vult eiusmodi tantùm voluntate; immò id aliquando necessum erit. Itaque filius curabit parentis depositi sanitatem, quantum poterit. Quòd si constaret Deum antecedenti, & absoluta voluntate mortem patris decreuisse, fas adhuc esset adhibitis remediis vitam patris protrahere, & mortem retardare; quandoquidem ignoratur, quo momento Deus decreuerit vitam patris abrumpere; si verò faciamus certò nobis constare de hora, & momento mortis absolutè, & efficaciter definitis: tunc non liceret quidem medicamentis, aliisve curis mortem ita decretam retardare, aut vitam prohibere; id enim inane prorsus foret; fas tamen esse illa ipsa medicamenta, & remedia propter alia motiua adhibere, nempè, vt satisfieret diuinæ alteri legi, cultum, & obsequium aduersùs parentes præcipienti, vt quis suum animum in Patrem restaretur, vt ingrati notam effugeret, si Patrem desereret. Præterea posset illi displicere mors patris, quatenus est personæ coniunctissimæ separatio; placere verò, quatenus à Deo sapienter, & ex suaui suæ prouidentiæ ordine definita est. Idem dices de Vrbe seruanda, etiamsi Deus ab hostibus eam diripi decreuerit, déque pluribus aliis similibus.

Consectarium IV.

Quid faciendum esset illi, cui reuelata foret propria, aut alterius damnatio.

Respondeo, in primis illum teneri non peccare, 14
& ad finem vsque vacare bonis operibus, eodem modo, atque si suam damnationem futuram ignoraret: quia ea reuelatio relinquit totam libertatem: Et Deus volens alicuius pœnam, non vult propterea eius peccatum; sed ex peccato præuiso decernit damnationem certò futuram, non necessariò, nisi necessitate consequenti, & hypotheticè, per quam, quod futurum est, non potest non esse futurum, etiamsi absolutè possit non esse futurum; sicut res præsens non potest non esse præsens, etiamsi res illa possit non esse præsens: nam in præsenti locutione includitur sensus compositus, non in secunda, vti fuit expositum *prima parte.* Quare peccatum non redditur per eam reuelationem ineuitabile alio modo, quàm per præscientiam, quæ rem futuram præsupponit, non facit.

facit. Itaque peccatum reuelatum non aliter est ineuitabile, quàm quia quod futurum est, non potest non esse futurum, vt dixi.

15 Secundò, non liceret supposito vltimo peccato, & finali, petere, ne damnaretur: quia facta ea suppositione damnatio non ampliùs pendet ex nostra voluntate, sed solius Dei.

Tertiò, posset, & teneretur seruare omnia præcepta, præter præceptum spei, & vitare omnia peccata, etiamsi eam reuelationem apertoriam; ea enim sola loquimur, esse sciret: contra Henriq. *lib de fin. bonum. capit. 13. num. 6.* Quia reuelatio relinquit liberam voluntatem, & voluntas illa damnationis consequitur præuisionem liberæ voluntatis; neque impedit exhibitionem gratiæ sufficientis, cui posset cooperari voluntas, licèt non sit reipsa cooperatura suâ culpâ, quam Deus præuidet: potest igitur non peccare, & seruare præcepta, licèt reuera peccatora sit, & aliquod præceptum non seruatura. Quòd si peccata omnia vitare possit, & implere præcepta, ad id omninò tenetur; alioquin si non teneretur cognita diuina voluntate de sui damnatione, vitare peccata, & seruare præcepta, non peccaret non seruando præcepta, & non vitando peccata, quæ est manifesta implicantia: nam peccaret, & non peccaret: & damnaretur propter peccata præuisa; quæ tamen nulla deinceps committeret: quare falsò dixit Gabriel *lect. 68. & 69. in canon.* posse eiusmodi hominem licitè velle peccare; si enim licitè peccet, non peccabit.

16 Negaui tamen posse istum, aut teneri implere præceptum spei: quia reuelatio decreti de damnatione futura ponit conditionem, cum qua impossibilis est actus spei, qui est de re futura, & non tantum possibili: alioquin damnari possent sperare beatitudinem, quæ ipsis non est absolutè impossibilis, & ineptè Lorca 2. 2. *sect. 2. disp. 18. numer. 9.* dixit teneri hunc hominem desperare futuram suam beatitudinem, & simul sperare possibilem, eo quòd ea reuelatio nihil detrahat possibilitati beatitudinis; nam spes non versatur circa solum possibile, sed circa futurum. Poterit quidem manere spes circa futuritionem mediorum sufficientium; verùm reuelatio non cadit in non futuritionem illorum mediorum; sed in non vsum omnium, & singulorum. Quare neque hic sperare poterit vsurum se omnibus, & singulis istis mediis, & non peccaturum: neque obstat quod teneatur vitare damnationem, vti malè obiicit Azor. *tom. 1. lib. 2. capit. 25. q. 3.* quia non idcirco potest sperare non futuram damnationem, quam certò scit esse futuram, & à Deo decretam.

17 Non poterit nihilominus seruare præcepta, & vitare peccata ex intentione obtinendi salutem: quod concedimus Salæ *tract. 7. disput. 5. numer. 25.* Poterit autem hæc omnia efficaciter velle ex alia quapiam intentione, v. g. vt obediat diuinis mandatis, vt sua obligatione se liberet: quod malè negat idem Salas: hoc enim non est falsificare diuinam scientiam, aut inanem reddere diuinam voluntatem, illique se opponere, sed cooperari gratiæ, & obligationi non peccandi satisfacere.

18 Quartò, cui facta foret reuelatio damnationis certò futuræ, posset petere à Deo auxilia sufficientia ad vitanda peccata, & seruanda præcepta. Ita Pesant. 2. 2. *quæst. 22. disput. 2.* Suar. *lib. de orat. capit. 15. numer. 8.* qui addit posse peti, vt ex parte reprobi non fiat auxilium illud inefficax, Sal. *tract. 7. disput. 5. numer. 25.* Vasq. 1. 2. *disput. 72. num. 15.* non poterit tamen petere auxilium efficax, & congruum, aut beatitudinem ex absoluta, & efficaci voluntate illius, absolutè petendo, vt eueniat. Cùm enim constet Deum decreuisse contrarium, nempe negare auxilium congruum, & vitam æternam, quamvis ex culpa reprobi, non possumus sperare velle, quod Deus absolutè non donandum esse decreuit, aut non puniat quod puniturum absolutè, & efficaciter statuit, ideóque Christus, cùm sciret absolutè decretam esse suam passionem, quæ tamen non nisi præuisis peccatis Iudæorum decreta fuerat, conditionatè tantùm orauit, vt calix ille transiret à se: simili quoque ratione possumus affectu simplici, quantum est ex parte nostra desiderare salutem reprobi cogniti, illamq; postulare, & auxilia, quibus saluari posset, si velit, immò & auxilium congruum, ipsámque beatitudinem vellet affectu conditionato, quoties illa voluntas conditionata non habet vim intentionis, neque ordinatur ad effectum; suscipitur tamen propter rationem aliquam honestam, v. g. charitatem, hoc modo, vtinam Deus decreuisset mihi, aut Titio, quem ex euidenti reuelatione scio esse reprobum, dare gratiam congruam: vtinam saluaret, vti reuera possum.

Cui facta fuerit reuelatio de damnatione futura, 19
poterit de sua salute desperare actu positiuo, & velle suam damnationem, non quidem quoad omnia, quæ includit; aliqua enim sunt intrinsecè mala, sed quatenus est obiectum diuinæ voluntatis, & actus diuinæ iustitiæ, quanquam simul de futuritione illa tristari valeat, & affectu conditionato beatitudinem velle, vti iam monui. Ita Salas *tract. 7. disput. 5. num. 25.* Val. 2. 2. *disp. 2. 4. 1. punct. 3.* Kon. *disput. 20. de actib supernat. num. 109. & 110.* Pesant. 2. 2. *q. 21. disput. 2.* contra Becan. 2. 2. *capit. 17. quæst. 8. numer. 5. & 6.* qui id concedit in eo, cui reuelata est damnatio futura propter peccata iam commissa, quæ Deus condonare non vult; negat autem de eo, qui reuelatur damnandus, ob peccata deinceps committenda, eo quod possit adhuc non peccare. Suar. quoque *disputat. 2. de spe, sect. 2. num. 8.* negat esse propriam desperationem: quia licèt credere debeat se damnandum, & non possit sperare; non tamen potest odisse beatitudinem, aut velle ea carere, aut de diuina misericordia conqueri, verùm, falsum est ad propriam desperationem necessarium esse odium beatitudinis, aut nolitionem eius; aut concipiendum esse vllum defectum in diuina misericordia; sed tantum requiritur iudicium de nunquam obtinenda beatitudine, quâ tamen quis impensè cupit, ideóque de impedimentis sibi appositis dolet, & tristatur: Hoc autem iudicium, huncque beatitudinis amorem, & dolorem de eius amissione habere facilè potest is, cui rectò cognita fuerit sua futura damnatio: fide enim, seu certa alia cognitione scit se, licèt ex propria culpa, nunquam adepturum beatitudinem, quam tamen vellet obtinere: ideóque de eius amissione summoperè tristatur: neque in eo processu facit vllam iniuriam diuinæ misericordiæ, neque opponit se diuinæ voluntati, neque supponit vllum iudicium falsum, aut aliquem turpem voluntatis affectum. Nam neque vult suam damnationem absolutè; sed quatenus est obiectum diuinæ voluntatis, & actus iustitiæ. Neque odit beatitudinem, neque peccare vult, etsi sciat se liberè peccaturum: Et solo defectu propriæ voluntatis, diuinæ gratiæ se non cooperatorum; sed tantùm non vult sperare beatitudinem, quam sperare non potest: quare abiicit omnem spem obtinendi tam immensum bonum, quod tamen cuperet, & reuera, si vellet, posset obtinere; sed suâ culpâ voliturus non est, scitque se non esse voliturum.

Consectarium V.

An diuinis inspirationibus non obsequi sit peccatum, & quale?

20 Dininæ inspirationes nobis diuinam voluntatem significant: Si igitur tenemur diuinæ voluntati consentire, interioribus illustrationibus, atque motibus, quibus eadem voluntas nobis innotescit, obsequi nos oportebit, quoties saltem eiusmodi instinctus diuinos esse existimabimus. Itaque peccati saltem venialis damnat Tolet. *lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 6. eum, qui diuiois inspirationibus non respondet: quod idem dixit Scotus *in* 2. *dist.* 21. *quæst.* 1. Gabr. *ibid. dist.* 22. *quæst.* 1. *art.* 3. & *in* 4. *dist.* 16. *quæst.* 5. *art.* 21. *notab.* 1. Idémque significare videntur, qui dicunt peccatum veniale non esse contra præceptum cum S. Thom. 1. 2. *quæst.* 88. *art.* 1. *ad* 1. & Bon. *in* 4. *dist.* 42. *art.* 1. *quæst.* 1. quibus præiuerat Alens. 2. *part. quæst.* 106. *memb.* 5. *ad* 3. inde enim sequitur peccatum veniale esse contra consilium, quandoquidem non est contra præceptum: atqui diuinæ inspirationes consilia sunt; idem denique sentiunt, qui diuina consilia minima præcepta vocari à Christo *Matth.* 5. dixerunt, apud Vegam *lib.* 11. *in Tridentin. cap.* 2. Probatur hæc sententia; quia *Matth.* 25. Virgines, quæ extinctis lampadibus non fuerunt paratæ ad excipiendum sponsum, fatuæ dicuntur. Deinde in iudicio ista diuinarum inspirationum abiectio discutietur. Tertiò, iniuriâ aliquâ censetur quis afficere amicum, quem bene monentem non audit. Quartò, omissio, vel actio contra diuinas monitiones non est bona, ergo est mala, quandoquidem nullus omninò actus indifferens in indiuiduo admittitur. Denique, cùm hæ Inspirationes sint plerumque de meliori bono, saltem Religiosus, qui vi sui status obligatur perpetuò tendere ad perfectionem, eiusmodi inspirationibus obsequi debebit, vt vitet imperfectionem.

21 Verùm facilè explicatur tota ista difficultas ex prima. & secunda propositione, & distinctione voluntatis diuinæ præcipientis, & consulentis, *inibi* allata.

Dico igitur primò, fas esse non consentire, siue negatiuè tantùm negando consensum, siue positiuè per actum contrarium diuinis inspirationibus, quoties significant tantùm diuinam voluntatem consulentem; illa enim, vti ostendimus *secunda propositione*, nullam imponit obligationem voluntati creatæ; sed illam omninò liberam relinquit; seclusa verò ea obligatione, nequit fingi culpa vlla. Et reuera dari eiusmodi plurima diuina consilia in lege euangelica, quæ licitè omittantur, fusè contra hæreticos ostendunt Bellarm. *lib.* 2. *de statu monach.* Suar. *lib.* 1. *de statu religioso, capit.* 6. & 7. aliique passim, apertéque tum Paulus, tum Christus ipse de consilio virginitatis edicunt. Ratio à priori est; quia in violatione, & abiectione consilij diuini nulla fingi potest diuina iniuria. Nam vel illa inspiratio, & consilium significat actum diuini tantùm intellectus indicantis quidpiam esse vtilius, & conuenientius ad salutem, vel actum diuinæ voluntatis volentis id fieri à nobis, quod melius esse indicat eius intellectus. Si primum dicas; nam reuera consilium est actus intellectus, non fit iniuria consulenti, quoties eius iudicium, & consilium non mandatur execution; sed quando contrario iudicio refutatur, & improbatur, qui, v. g. existimaret iudicium, & consilium Christi de Virginitate sequenda, non esse bonum, aut virginitatem non esse medium conuenientius ad beatitudinem, & sanctitatem acquirendam; quàm nuptias, reuera iniuriam faceret Christo, cuius sensum suo iudicio posthaberet; at verò qui, licet certò sciat illud Christi iudicium de aptitudine, & vtilitate huius medij, verissimum, & infallibile, non habet tamen animum illud amplectendi, immò aliquid ipsi contrarium, bonum tamen, & honestum, nuptias videlicet suscipit, non facit vllam iniuriam Christo consulenti, quod etiam in non sequendis amicorum consiliis inter homines eodem modo contingit. Quòd si dicas diuinam inspirationem de exequenda quapiam re esse significationem voluntatis iubentis, dicam illam voluntatem non esse absolutam, & efficacem, quæ explicatur per verbum, *volo*, sed simplicem affectum, eúmque inefficacem, quæ per verbum, *vellem*, exprimitur: quæ posterior voluntas non inducit obligationem: *Vellem te colere virginitatem, te Religiosum fieri*; id tamen non impero, sed tuæ optioni relinquo: ostendo dumtaxat, quid magis è re tua foret, & quid mihi magis gratum accideret, immò potest Deus velle efficaciter aliquid fieri, non tamen ad id obligare, v. g. voluit efficaciter S. Thom. esse religiosum; non tamen ad id ipsum obligauit; è contrario verò non habuit voluntatem efficacem, ne Petrus negaret Christum: nam reuera non negasset; & tamen ipsum obligauit ad non negationem, & ad contrariam confessionem. Potest igitur in Deo esse voluntas efficax; vel de rei executione, vel de obligatione imponenda, quæ sola posterior cum peccato violatur. Quare, quando diuina inspiratio significabit tantùm diuinam voluntatem consulentem, cùm eo ipso indicet eam voluntatem non esse efficacem quoad imponendam obligationem, absque noxa reiicietur.

Neque virgines fatuæ dictæ sunt, quòd peccauerint tantùm contra consilia vocantis Dei; sed quia præceptis non paruerunt, cùm retenta lampade fidei, operibus, & charitatis oleo caruerint. Vide Maldonat. in illud *Matthæi* 25. hæ quidem omissiones diuinarum inspirationum expendentur in Iudicio, sicut & omnia opera etiam bona, non vt puniantur; sed vt diuinæ prouidentiæ in damnando, vel saluando æquitas appareat. Vide Suar. *tom.* 2. *in* 3 *part. disp.* 57. *sect.* 7. Quod si demus omnes actus esse in indiuiduo bonos, vel malos, erit omissio diuinarum inspirationum, si fiat ex honesto fine, bona; si illo careat, mala. Difficilius videtur, quod de obligatione Religiosorum ex vi proprij status afferebatur. Verùm, quid ferat ea obligatio, dicam 2. *parte huius operis*: breuiter moneo eam non extendi, nisi ad tria vota, & consilia Euangelica, quæ profitentur, vti Sanch. *disp.* 5. *n.* 10. scribit, aliique docent.

Dico secundò, diuinas Inspirationes, quæ significant voluntatem præcipientem, v. g. monent de vitando aliquo peccato, non posse inculpabiliter abijci: quia reuera significant, siue intimant diuinum præceptum, quod tunc vrget, & nisi pareatur his monitis, violatur.

22 Dico tertiò, hanc resistentiam, & abiectionem diuinæ inspirationis non habere specialem malitiam distinctam, ab ea, quæ committitur in violatione præcepti, de cuius obseruatione inspiratio monebat. Ita Sanch. *disp.* 7. *cit. n.* 11. quia non apparet, vnde oriretur ista specialis malitia, & significatio præcepti obligantis, non affert vllam nouam obligationem distinctam ab obligatione præcepti, quod significat; quod etiam in humanis videtur.

Consectarium VI.

An optimum sit, semper cum diuina voluntate in volito materiali, & formali consentire.

23 Diximus non tantùm posse nos non velle, quod Deus vult; sed etiam aliquando teneri: nam non possumus velle peccatum; quod tamen Deus voluntate saltem consequenti fieri vult; ergo non possumus semper conformari diuinæ voluntati in volito materiali, & formali. Neque iudæi poterant velle Christi mortem etiam ex illo motiuo, ex quo illam Deus, & Christus voluêre; obiectum enim intrinsecè malum, quale erat Christi mors, non potuit honestari ex fine extrinseco.

Respondeo nihilominus laudabile esse velle idem quod Deus vult, & sub eadem ratione quo vult: cùm enim diuina voluntas sit æquissima, si nostra ipsi conformis existat, non poterit non esse recta. Ea porrò conformitas maximè elucet, quando in volito materiali, & formali simul diuina voluntas, & nostra consentiunt, eáque aliquando erit felicitatis nostræ non exigua pars. Sicut enim duo oculi aciem simul dirigunt in idem obiectum, vnde fit, vt non videatur obiectum duplici visione: ita voluntas diuina, & creata in idem simul obiectum, & ea eodem motiuo tendent. Ipsa Dei voluntas non erit à tua diuersa; sed sicut tu quod ille; ita & ille volet in cunctis quod tu, inquit Author. *lib. de similitudinib. cap. 63. apud Anselm.*

24 Quod autem objiciebatur de morte Christi, quam sine peccato non potuêre velle Iudæi, probat dumtaxat, ne ipsum quidem Deum potuisse velle mortem inferre Christo à Iudæis libere, & culpabiliter agentibus: sic enim peccatum voluisset. Voluit igitur tantùm permittere, & non impedire, cùm posset, & nos idem velle possumus, sicut & pœnam à Deo vindice inflictam in odium peccati, non personæ, vt persona est, velle licet ob idem motiuum, vt videlicet diuinæ iustitiæ satisfaciamus, quod nos impedire, quin ea nobis displiceat, quatenus est nostrum malum, sicut dolemus de Christi morte, quatenus ipsum cruciabat.

QVÆSTIO V.

De Promulgatione legis æternæ.

1 PRomulgationem necessariam esse, vt lex obliget subditos, omnes æquè consentiunt, & fusè docebitur *inferiùs*; cùm enim lex contineat voluntatem, & imperium legislatoris, non apparet quomodo possit subditos, quibus intimata non fuit, obstringere ad parendum: difficile autem fuerit explicare, quo pacto promulgatio ista reperiatur in lege æterna, quandoquidem ab æterno nullæ erant creaturæ, quibus ea promulgaretur. Nam quòd Thomistæ respondent præsentes fuisse omnes creaturas in nunc æternitatis falsum est, si de alia præsentia, quàm de obiectiua loquantur; ea verò non sufficiebat ad hanc promulgationem, alioquin lex Mosi data in monte Horebo ab æterno sancita, & promulgata diceretur. Nam diuinæ menti Moses, Mons Sina, populus Israëliticus, lex, tonitrua, cæteráque omnia fuerunt ab æterno præsentia, vti objecit Vasq. *in not. ad art. 1. q. 91. 1. 2.* Idcirco Becan. 1. 2. *tract. 3. cap. 2. q. 4.* concedit hanc legem non habuisse rationem legis ab æterno, siue spectetur in subditis, qui nulli erant ab æterno, siue in legislatore, in quo ab æterno nullus fuit actus imperij, cùm nulli essent, quibus imperaret. Hunc autem actum præter iudicium de regula practica tradenda, & voluntatem obligandi, requirit lex. Eodem recidit Val. 1. 2. *disp. 7. q. 3. punct. 3. sub fin.* dum ait hanc legem non esse æternam formaliter, & secundùm omnia, quæ includit, scilicet promulgationem; sed materialiter tantùm, quia illud diuinæ sapientiæ decretum, quod hominibus in tempore promulgatur, æternum est. S. Thom. 1. 2. q. 91. *art.* 1. ait, promulgationem huius legis ex parte Dei promulgantis æternam fuisse; non verò ex parte creaturæ audientis: promulgatio siquidem est Verbo diuino, & scripta in libro vitæ: quæ omnia æterna sunt, sed ab æterno creaturæ, quæ tunc non existebant, innotescere non poterunt. Verùm, hanc promulgationem in Verbo, quam Medina, aliique Thomistæ amplectuntur, Vasq. Becan. aliique iure confutant: quia æterni Verbi processio personalis est, non essentialis; ideóque neque ad ideas, neque ad legis æternæ promulgationem exigitur; alioquin solus pater esset Legislator. Liber autem vitæ, cùm nihil aliud sit, quàm ipsa diuina sapientia, vt est notitia actualis omnium, quæ facienda sunt, non sufficit ad promulgationem, si nulli tunc erant, quibus sanciretur lex, & qui eius descriptionem in diuina mente legere possent. Quare Suar. *lib. 2. de legib. cap.* 1. respondet promulgationem istam tribui Verbo à S. Thom. per appropriationem, sicut ideæ, aliáque omnia, quæ ad intellectum spectant, ipsi tribuuntur, eo quòd terminet paternam intellectionem, & illi vi suæ processionis communicetur, quidquid in fœcunda Patris mente, siue intellectione continebatur. Et denique per illud pater seipsum, aliáque omnia dicat, & loquatur: promulgatio autem, & libri vitæ scriptio essentialis prorsùs est. Voluit igitur tantù S. Thom. legem diuinam de modo gubernandi creaturas in tempore posse dici ab æterno propriè legem, connotando promulgationem in tempore factam, quamvis aliæ leges non habeant perfectam, & consummatam rationem legis, donec reipsa promulgentur; cuius discriminis rationem assignat eo loco Suar. immutabilitatem diuini decreti, quod sine vlla sui mutatione pro tempore obligat: quia verò decretum hominis mutabile est, non habet vim legis latæ, sed ferendæ, donec actu promulgetur: Et quamvis subditus sciat legem iam esse animo Principis conceptam, immò & literis exaratam, non obligatur tamen ad eius obseruationem, eo quòd possit adhuc mutari à principe; vbi verò diuina lex innotescit, siue reuelatione, siue quo alio modo, statim obligat. Ex hac nihilominus Suaris doctrina habetur dumtaxat legem æternam, quamvis propriè promulgata non fuerit, habuisse vim obligatiuam pro tempore, non autem obligantem: quod tandem fatetur ipse Suar. *lib. 2. cit. cap. 4. n. 10.* Cùm actualis obligatio sine actuali promulgatione facta illis, quos obligat, intelligi nequeat. Vtrùm verò ex vi obligatiua, quamvis nondum actu obliget, possit ipsa lex æterna, priuilegio quodam verè, & propriè lex nuncupari, quæstio est de nomine. Certum est actualem obligationem, quæ est aliquis effectus temporalis, in lege æterna, vt sic non reperiri. Certum deinde est ad eam actualem obligationem exigi promulgationem, per quam lex ista innotescat

creaturis rationalibus, quæ solæ propriè ea lege obligari possunt. Quærimus igitur, quomodo ista promulgatio legis æternæ fiat in tempore.

Propositio unica.

2 Dico igitur legem æternam promulgari sufficienter ad inducendam obligationem creaturis rationalibus per legem naturalem, & positiuam, tum diuinam, tum humanam.

Expositio, & confirmatio propositionis.

3 Prima pars de promulgatione legis æternæ per legem naturalem, satis ostendi non potest, nisi explicatâ naturâ legis naturalis, quod *cap. sequenti* præstabimus. Quare satis fuerit impræsentiarum afferre verba August. *lib. 83. q. 53.* ea hæc, inquit, ineffabili, atque sublimi rerum administratione, quæ fit per diuinam prouidentiam, quasi transcripta est lex naturalis in animum rationalem, & *lib. 1. de libero arbitrio, cap. 6.* æternæ legis notionem nobis impressam dicit. Damasc. verò *lib. 4. de fide, cap. 23.* legem æternam aduenire menti nostræ, & illam vrgere: qui aduentus aliud intelligi nequit, quam impressio quædam. S. Thom. 1. 2. q. 91. *art. 2.* legem naturalem definit participationem legis æternæ in natura rationali: quod probat ea Dauide: *Signatum est super nos, &c.* quasi, inquit, lumen rationis naturalis, quo discernimus, quid sit bonum, & quid malum, quod pertinet ad legem naturalem, nihil aliud sit, quàm participatio legis æternæ in natura rationali. Idipsum *q. 19. art. 4.* dilucidiùs explicarat, ex quibus omnibus sic breuiter colligo: Non potest lex naturalis esse legis æternæ transcriptio, participatio, impressio, notio: neque lex æterna nostrarum actionum regula mediante naturali lege, ea eo tantùm, quòd naturam, atque ipsi inditam rationem acceperimus à Deo, vt à primo ente, & fonte totius esse, nisi ab eodem, vti legislatore pendeat: qua verò ratione lex naturalis à Deo, vt à legislatore profluit, nisi quia diuinæ, & æternæ legis manifestatio, & significatio quædam est? Et sane, nisi illud fateamur, æternam & naturalem legem ex albo legum eradamus, oportet; quod contra communem sensum voluit Vasq. Æterna enim neque quidquam imperabit, neque ad sui obseruationem obligabit, cùm nihil assignari possit, quo promulgetur creaturis, si legem naturalem eius promulgationem esse negaueris: lex quoque naturalis lex non erit; quia nullius superioris imperium, & voluntatem significabit; cùm natura sibi ipsi superior non sit, neque quisquam sibi legem ferat; manifestabit igitur tantùm lumen rationis naturalis, ostendentis, quæ bona, aut mala sunt; nihil autem imperabit, aut prohibebit: quæ innotescent multò clariùs, & pluribus confirmabuntur *cap. seq.*

4 Dixi secundò, æternam legem promulgari per legem positiuam; illa enim lex concepta vt est in mente legislatoris, est ipsamet lex æterna, inadæquatè sumpta; vt autem existit vel in subditis, vel in superioribus, illam præconum instar edicentibus, est participatio excellentissima legis æternæ, vel potiùs est ipsa lex æterna, secundùm aliquam sui partem sancita: quare tota obligatio, quam parit eiusmodi lex, oritur proximè à Deo, & diuina est: Reliqua enim omnia, quæ ad illam concurrunt, sunt tantùm signa illius obligationis, quod fusiùs exponetur *cap. 3.*

5 Dixi tertiò, leges quoque humanas esse participationes legis æternæ, ac proinde promulgationes, siue, vt alij volunt, effectus legis illius, quæ sola est lex per essentiam, & à qua omnes aliæ deriuantur, vt ex Aug. *lib. 1. de lib. arbit. cap. 6.* passim docent Theologi. Hæc porrò intimatio, & promulgatio legis æternæ aliter fit per legem naturalem, & diuinam positiuam; aliter verò per leges humanas. Nam naturalis est immediata legis æternæ promulgatio, aut ipsamet lex æterna in naturæ tabulis exarata, vt diximus. Diuina est etiam eadem lex æterna præconio sensibili sancita, tum naturalis ratio, tum Moses, v. g. promulgans legem æternam; non sunt leges ab ea distinctæ; sed eam tantùm proponunt, aut applicant: quare & eandem obligationem inducunt, obligationem, inquam, proxime ex diuina voluntate ortam, & signa tantùm proxima illius voluntati. At verò lex humana est verè noua lex distincta ab æterna, & quam homines reipsa condunt, & non tantùm diuinam proponunt: vnde hæc lex comparata cum æterna est eius potiùs effectus, aut participatio quædam, quàm promulgatio, sicuti omnes creaturæ sunt participationes entis per essentiam: & quia legem æternam imitantur, & remotè ab ea vim suam hauriunt: eaenim sanciunt, v. g. parentum esse superiori iustè, & legitimè præcipienti; proximè verò vim obligandi habet ab humana voluntate, cui potestatem imperandi Deus concedere voluit, neque illi aliam, vt monui, suorum superiorum regulam, quam sapientissimam Dei mentem intueri possunt. Vnde illud *Prouerb. 8.* Per me Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt, & ipsi quoque principes diuinitùs sancire suas leges dicuntur, *l. vlt. cap. de præscript. longi temporis, l. Deo authore, §. neque, C. de veteri iure enucleando,* atque alibi, & Antiphanes dicebat omnes humanas leges ab vna diuina, quæ tantum potest, quantum libet, deriuari: ad legem enim duo exiguntur: primum est, vt sit rationi consentanea, vt sit efficax ad obligandum; omnia porrò conformitas cum ratione, est, participatio diuinæ, summæque rectitudinis, omnisque humana potestas condendarum legum à supremo Dei dominio, ex quo habet, vt imperare possit omni creaturæ, deriuatur. Quoties igitur homines in condendis legibus rationem naturalem consulunt, vti omninò consulere debent, toties legem æternam intuentur, vt ad eam suas leges exigant, cùm lex naturalia, & æterna non sint duæ quædam leges; sed vna sit tantùm alterius transcriptio, & promulgatio, vti eam monui.

Consectaria.

Plurima hinc colligi possent: Primò, legem æternam nunquam per se solam immediatè obligare, nisi adiuncta sit ei naturalis, vel alia quæpiam: Secundò, leges omnes ab æterna deriuari. Tertiò, rectè definitum fuisse ab Aug. peccatum, dictum, vel factum, vel concupitum contra legem æternam, atque alia nonnulla, quæ *sequenti capite* commodiùs explicabuntur.



CAPVT III.

De iure naturali, & quomodo illo regatur Ecclesia.

QVÆST. I. *Quid sit ius naturale.*

QVÆST. II. *De materia, & præceptis iuris naturalis.*

QVÆST. III.

Qvæst. III. *de immutabilitate iuris naturalis.*



Iure legis æternæ delabor ad ius legis naturalis, quæ æternæ transcriptio quædam est, & cæterarum omnium origo, ac matrix, vt cum Tertullian. *cap.* 6. *aduersùs Iudæos* loquar.

QVÆSTIO I.

Quid sit ius naturale.

1. *Existentia legis naturalis.* n. 1. 2.
2. *Quid ea sit.* n. 3. 4. 5. 6. 7. & 8.
3. *Quid sit ius naturale.* n. 9.

Consectaria.

Consectarium primum. Legis æternæ, & naturalis distinctio. n. 10.

Consectarium secundum. Legis naturalis, & conscientiæ discrimen. n. 11.

Consectarium tertium. An lex naturalis sit in omnibus. n. 12.

Consectarium quartum. An dari possit ignorantia inuincibilis iuris naturalis. n. 14. 15. & 16.

Consectarium quintum. Efficacia legis æternæ. n. 17.

Consectarium sextum. Definitio peccati ab Augustino tradita. n. 18.

Consectarium septimum. Omne malum est formaliter tale, quia prohibitum. n. 19.

Consectarium octauum. Malitia est contra naturam rationalem. n. 22.

Consectarium nonum. An lex naturalis sit in brutis. n. 26.

Consectarium decimum. Definitio iuris naturalis ab Vlpiano tradita.

Consectarium vndecimum. Distinctio iuris naturalis in primæuum, & secundarium.

1 QVia ius, vt in hac tractatione sumitur, significat id, quod est constitutum à lege, nequit explicari ius naturale, nisi priùs legis naturalis naturam, & proprietatem explicemos, maximè cùm passim Doctores ius, & legem, & ius naturale cum lege naturali confundant.

Existentia legis naturalis.

2 Statuendum verò imprimis est, dari legem aliquam naturalem, hoc est, naturæ ipsi insitam, non aliqua humana authoritate latam: In publico mundi est, inquit Tertullian. *lib. de corona milit. cap.* 6. in naturalibus tabulis, ad quas prouocat Apostolus, nempè veluti præscriptis libellis denuntiata, quis nescit legem naturalem, & naturam legalem? Paul. quem allegat Tertullian. id ipsum asserit *ad Rom.* 2. cùm ait: Gentes sine lege peccauerunt. Cùm tamen ex eiusdem Pauli mente, vbi lex non est, neque peccatum, neque præuaricatio sit. Verùm *in eodem cap.* 2. dicit: Gentes naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt: Eiusmodi leges non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente ipsis conscientia ipsorum, & inter se inuicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus in die, cùm iudicabit Deus occulta hominum. Neque in re adeò perspicua, & in quam omnes omninò consentiunt, adstruenda, diutius laborandum videtur, eius potiùs natura, quæ pluribus non satis perspecta fuit, declaranda nobis est.

Quid sit lex naturalis.

Vasq. 1. 2. *disp.* 150. *cap.* 3. *n.* 22. legem istam existi- 3
mauit esse naturam rationalem, vt non implicat contradictionem independenter ab omni voluntate, & iudicio diuino: quia, cùm aliqua sint essentialiter honesta; alia inhonesta: & omnia honestas sumatur à conuenientia cum lege, & regula; sicut & inhonestas à disconuenientia existere debet; talis aliqua regula independenter ab omni diuino iudicio & voluntate, à quibus sicut non pendent aliarum rerum essentiæ, sed supponuntur, vt possibiles in priori quodam signo, ita neque essentialis turpitudo actionum essentialiter turpium ab iis diuinis actibus pendere debent. Alij dicunt naturam rationalem, vt habet vim discernendi actiones sibi conuenientes, aut disconuenientes, esse hanc legem: alij esse ipsum intellectum, siue ipsam rationem, per modum habitus: alij notitiam practicam, & actuale iudicium rationis dictantis quidpiam esse fœdum, vel honestum; ego hæc omnia dissidia nullo negotio compono.

Aio enim in primis, naturam rationalem esse qui- 4
dem mensuram, & regulam obiectiuam, seu radicem, & fundamentum omnis honestatis, & inhonestatis; non verò legem: primum quidem constat *ex* 1. 2. vbi id ostendimus. Et sanè, quidquid conuenit naturæ rationali, à recta ratione probandum est, ab eáque probatur; alioquin recta non est, si iudicat quidpiam esse appetendum, quod vel nude, & ex sua natura spectatum, vel vestitum suis circumstantiis, & vt apprehenditur, & proponitur, non conuenit naturæ rationali; aut si respuendum, edicit, quod eidē naturæ conueniens non est: quare mensura vltima, ad quam exigenda est honestas, aut inhonestas actionis, est ipsamet natura rationalis: non idcircò tamen lex est; mensura enim, & fundamentum latius patet, quàm lex: nam indigentia pauperis est fundamentum proximum honestatis eleemosynæ; finis est mensura, & regula mediorum: obiectum est mensura actuum, & fundamentum omnis moralitatis, ac prima radix. S. Thom. facit beatitudinem regulam honestarum actionum; prout enim in illam tendunt, aut ab ea recedunt, honestæ sunt, aut turpes. Quis tamen hæc omnia legem appellarit, nisi figuratè loquatur? Admittenda prætereà foret lex legis in omni lege; cùm enim omnes leges humanæ iustæ esse debeant; & omne iustum alicui regulæ adæquetur, præëxistere necessariò oporteret regulam aliquam, cui, quia consonabunt omnes leges, & iustæ dicentur; atqui illa regula, & fundamentum rectitudinis lex est, ex Vasquez: dabitur igitur lex cuiuslibet legis. Falsum etiam fuerit, quod vulgò Patres Theologi, ac Philosophi demonstrant, legem naturalem esse participationem diuinæ legis: quia non erit à Deo, vt legislatore; sed vt creatore, seu ente per essentiam; & omnia entis origine. Natura siquidem rationalis non est rationalis per ordinem ad Deum legislatorem; sed per ordinem ad ens per essentiam, cuius est participatio, & effluxus quidam. Denique ratio legis consistit in imperio, & voluntate quidpiam iubente, & prohibente, & ad aliquid obligante, quod non facit natura ipsa rationalis, quæ nequidem

quidem vt ſic iodicat, quid fugiendum, quidve amplectendum ſit.

5 Aio ſecundo loco, legem naturalem in ipſa ratione, & vi coguoſcitiua conuenientiæ, & diſconuenientiæ actionum cum natura rationali collocandam eſſe, cum S. Thom. 1.2. *q.94.art.1.* quem communiùs doctores ſequuntur, quia verò vis illa cognoſcitiua ipſi naturæ rationi eſſentialis eſt; idcircò lex naturalis dicitur ſcripta eſſe in cordibus à Paul. *ad Roman.* 2. quæ verba interpretatur Ambroſ. *lib. de fuga ſæculi, cap.* 3. quem loquendi modum & alij *inferius* adducendi ſeruant, eóque ſignificant aliquid ad rationem, & oon ad ipſam naturam immediatè pertinens. Cicero *in libris de Republ.lib.6.cap.* 8. definit rectam rationem naturæ congruentem, ipaéque Vaſq. *diſp.cit.n.25. & in notis ad art.1. q.94.1.2.* ait, iudicium practicum, quo iudicamus, quid honeſtum, & quid turpe ſit, eſſe ſecundariam legem applicantem primariam illam, quam ipſe exiſtimat eſſe naturam rationalem, vnde ſolis verbis à nobis diſſidet: cùm enim hæc vis cognoſcitiua, & ratio, quam ipſe ſecundariam legem nominat, humanas rationes proximè dirigat, exigendo nimirum, & commenſurando illis cum natura rationali, cui conſentiunt, aut diſſentiunt, profectò affirmat rationem eſſe veram, & propriam, ac formalem legem; naturam autem rationalem eſſe dumtaxat menſuram, & regulam obiectiuam.

6 Aio tertiò, legem naturalem formaliter ſumptam, conſtituendam eſſe in actu rationis: quia lex, vt ſic, eſt imperium quoddã ſuperioris, & actu dirigit actionea inferiorum: illud autem non dicit habitum, ſed actum: ideóque in eo legem naturalem collocauit S.Thom. 1.2. *q.94. art.1.* eiúſque vulgò diſcipuli, conceditque Vaſq. *ibid. diſp.* 150. Si verò conſideremus legem iſtam, vt ſcriptam indelebiliter in tabulis cordis, quod permanentiam ſonat, eſt ipſummet lumen naturale rationis, ſiue, vti loquitur S.Thom. præcepta naturalia habitualiter in mente permanentia. Neque aliud voluit Alenſ. 3. *parte, q.27. mem.* 2. Cùm dixit eſſe rationem per modum habitus, quod confirmatur ex Analogia ad legem poſitiuam, quæ non modò ſignificat iudicium, & cognitionem actualem, quâ dirigitur ſubditus conformiter regulæ aſſignatæ à ſuperiori; ſed etiam ſignum externum, cui impreſſa eſt voluntas, & imperium ſuperioris, quòdque ad cognitionem actualem excitat, eáque mediante dirigit ſubditum: ideóque ſcriptam legem nominamus.

7 Aio quartò, legem naturalem non eſſe ſolùm iudicium practicum, iudicans, quid iuſtum, iniuſtúmve ſit; ſed imperans, aut prohibena, quod honeſtom, vel turpe eſt, contra Vaſq. *diſp. ſæpius cit. n.25.* & Valent. 1.2. *diſp.7. q.4. punct.1. ad* 2. Vbi vult eſſe imperium; ſed accideotaliter, & affectiuè tantùm: quia poſito illo iudicio, quo iudicatur, quid faciendum, aut omittendum ſit, imperat ſibi deinde aoimus: iudicium tamen, & dictamen rationis practicæ, quod præcedit eiuſmodi imperium, vera lex eſt; quod idem exiſtimauit Salas *diſp.5. de legib. n.7.* qoia tota obligatio naſcitur ex eo iudicio practicò. Perſtandum nihilominua eſt in ſententia à nobis tradita, dicendúmque cum Suar. *lib.2. de legib. cap.6. num.5.* legem non conſiſtere abſque præcepto, & iudiciom non eſſe legem, vt malè ſenſit Gregor. *in 2. diſt. 34. p.1. art.* 1. §.2. cum Gabriel. *in 2. diſt. 45. q.1. art.1.* Corduba *lib.3. q.10. ad* 2. Sala 1.2. *tract.* 13. *diſp.* 2. *n.* 65. & aliis quibuſdam, quod facilè oſtenditur primò; quia notitia, ſeu propoſitio obiecti, & iudicium de illius malitia, aut bonitate, lex non eſt: cùm enim ea malitia ſit aliquando à lege humana, nullus dicet notitiam practicam, ſiue obiecti prohibiti propoſitionem eſſe legem; alioqoin ea notitia daret malitiam obiecto prohibito, & non tantùm oſtenderet illud eſſe prohibitum. Vnde colligitur, neque notitiam obiecti prohibiti lege naturali, eſſe legem naturalem, niſi fiat per modum præcepti: ſi enim ea notitia eſſet regula, & lex, obiectum ſumeret ab ea ſuam malitiam; quod tamen illam priùs habere ſupponitur, & non tantùm illam accipere ab eiuſmodi notitia, & iudicio practico.

Secundò, lex omnis ſit ab aliquo ſuperiori, quod ex Chryſippo quoque obſeruauit Martian. *l.1. ff. de legib.* Id verò non conuenit huic notitiæ practicæ: neque vllus ſibi ipſi imperare, niſi admodum impropriè, dicitur. Quod verò ea de cauſa nonnulli contendunt legem naturalem noo eſſe propriam legem, pugnat cum communi Doctorum ſenſu, atque S. Thom. imprimis 1.2. *q.71. art.5. ad* 4. Immò hanc legem maximè propriam eſſe, ab eáque cæteras omnes deriuari, fusè docebimus *q.4.* non ſatisfacit porrò Bolognet. *tract. de lege, &c. cap.3. n.31.* dum ait, rationem imperare cæteris potentiis; nam ea coërcitio ſenſuum, & motionum, quam imperat, fit ab ipſamet ratione; ſibi ipſi igitur animam imperare neceſſe fuerit: cùm tamen ſuperior ſe ipſo noo ſit, quod ad verum imperium omninò requiritur. Quod ſi verum, & proprium imperium non ſit, neque erit vera, & propria lex, quam tamen Bolognet. *ibid. n.* 25. ita propriam eſſe contendit, vt leges humanæ ad eam comparatæ vix eiuſmodi nomen mereantur. Fefellit porrò aduerſarios, quòd hæc notitia practica, ſit proxima applicatio legis, tom naturalis, tum alterios cuiuſcunque ad opus: vnde & regula, ac menſura proxima immediata, & veluti formalis dicitur: qoæ tamen & vlteriorem regulam, ac menſuram obiectiuam, & præterea legem neceſſariò ſopponit, quod ampliùa explicabimus *inferiùs*.

Aio deoique, legem naturalem eſſe rationem naturalem notificatiuam diuinæ voluntatis prohibentis, quæ naturæ noſtræ diſſentanea, & præcipientia, quæ eidem naturæ conſentanea ſunt, in ordine ad finis naturalis conſecutionem: quam definitionem ex parte expreſſit Gerſon. *tract. de vita ſpirituali, lect.2. Coroll.5.* & facilè accommodari poteſt naturæ, tum puræ, tum ad ſtatum gratiæ eleuatæ. Cùm enim gratia ſit natura quædam, legem aliquam ſibi conoatnralem habet, éſtque lumen fidei ipſi debitum, qood notificat, quæ illi ſtatus repugnant, aut conſentiunt: Atque hanc vtramque legem reſpectu duplicia illioa ſtatus agnoſcunt Theologi apud Suar. *lib.1. de legibus, cap.3. n.* 51. de priori tamen lege, quia facilior, notior, & alteram præcedit, diſputari ſolet. In definitione verò à nobis allata nihil obſcurum apparet: conſtat enim ex *cap. ſuperiori, q. vltim.* legem naturalem eſſe promulgationem legis æternæ, ac proinde notificatiuam voloontatis diuinæ prohibentis, aut iubentis: idcircò hanc legem diuini luminis impreſſionem, & communicationem eſſe, pluribus oſtendit Bolognet. *cap. 3. cit. n.8.* ipſéque Tull. *lib.2. de legib.* vbi legis huius dignitatem commendat, eam eſſe ſummam rationem Iouis, aptam ad iubendum, & ad vetandum, perfectámque in mente ſapientis: & ſanè alioquin, vt *in illa q. vlt.* colligebamus, lex naturalis, & lex æterna ex albo legum contra communem omnium ſenſum eradendæ erunt, cùm vna iudicet tantùm quid bonum, & malum ſit, quod ad legem non ſufficit, & altera noo ſit regula morum, neque imperet ei quidquam, aut prohibeat, cùm nihil aſſignetur, per quod promulgetur, & intimetur. 8

Quid sit ius naturale.

9 Ex definitione legis naturalis non difficile fuerit explicare naturam iuris naturalis: cùm enim, vti diximus *cap. superiori, q.* 1. Ius sit id, quod constituitur à lege quasi iustum, quidquid lex naturalis prohibet, aut præcipit, id ius naturale dicetur; quod idcircò continet omnia præcepta legis naturalis, & definitur, quod ex instinctu naturæ rationalis omnibus hominibus commune est; siue quod natura omnes homines docuit. Et quamvis sint plurima eius, vt iam monui, præcepta, & iterum dicam q. 2. vnum tamen dicitur hoc ius, quod in omnibus hominibus eadem imperet, & vetet, & idem vbique eodem tempore, & in omni statu naturæ, siue integræ, siue lapsæ, siue reparatæ, siue puræ, siue ad finem supernaturalem eleuatæ: cùm enim lex naturalis sit implantata naturæ, aut ipsi tanquam, proprietas congenita, sequitur rationem specificam, & proprietatem indiuiduadem, vt cæterarum omnium proprietatum inductio manifestum facit, & sanè, si rationem, siue lumen intellectuale in actu primo consideremus, patet illud semper idem esse. In actu quoque secundo, siue prout est cognitio actualis; eadem quoque est circa principia vniuersalissima, quæ ex solis terminis innotescunt: circa principia autem minùs nota, & quæ ex vniuersalioribus per modum conclusionum deducuntur, diuersa quidem in diuersis hominibus est cognitio; sed inde dumtaxat efficitur iuris naturalis applicationem, & obligationem non esse semper eandem apud omnes, quamvis semper maneant eadem præcepta cum negatiua, tum affirmatiua, ex quibus hoc ius naturale coalescit: quod tamen non semper æquè obligat, cùm ante rationis vsum non promulgetur, vt dicam q. 4.

Consectaria.

CONSECTARIVM I.

Quomodo lex æterna, & naturalis distinguantur.

10 Ex doctrina hactenus tradita colliges in primis legem æternam, & naturalem non esse duas distinctas leges, sed in vnam coalescere, quod apertè tradit S. Thom. 1. 2. *q.* 93. *art.* 5. & ex illo fusè Vulcurrunus *de regimine mundi*, 1. *p. q.* 3. *principali q.* 3. 4. & 9. sicut lex in mente legislatoris, & in tabulis, quibus affixa prostat scripta, aut præconis voce promulgata, seu ipsius legislatoris ore sancita, non sunt diuersæ leges, sed vna, & eadē: lex autē æterna inscripta naturæ rationali, lex naturalis dicitur. Et quidem immortali cœlo duobus grandioribus adamantibus Decalogū quondā incidit Deus: hanc verò legem suam æternam micantissimis radiis veluti signatorio scalpro in immortalibus laminis inscripsit ad splendorem illustrius, perennius ad immortalitatem, vocalius ad publicum veluti præconium, & promulgationem. Hanc enim eximiam incisionem, & illustrem cælaturam factam fuisse suaui diuini vultus irradiatione, & lumine testatur Dauid Psalm. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, à quo nimirum fluxerit lumen illud substantiale, quod animas habere dixit Cassiod. *lib. de anima*, quod respicit sine sole, & videt sine extraneo lumine Deus. Dionysio *capite quarto, de diuin. nomin.* §. *sexto*, fons luminis est, & perennis quædam effusio radiorum ἀκτὶς ἀγαθή, ὑπερβλύζουσα φωτοχυσία, inexhausto profluuio ex immensa sui plenitudine mentem omnem supramundanam, circummundanam, & mundanam inundans, & eam illuminans πάντα τὸν ὑπερκόσμιον, καὶ περικόσμιον, καὶ ἐγκόσμιον νοῦν ἐκ τοῦ πληρώματος αὐτῆς καταλάμπουσα, & omnes earum intelligendi facultates renouans, atque continens, καὶ τὰς νοερὰς αὐτῶν ὅλας ἀνανεοῦσα δυνάμεις, καὶ πάντας περιέχουσα. Mundanas mentes, humanas intelligo, supermundanas, & circummundanas angelicas, quæ vel diuinæ contemplationi vacant, vel variis circa vniuersitatem ministeriis distinentur, interpretor cum Scholiaste, Maximo, & Paraphraste Pachymere; vel, vt etiam huic postremo placet, ὑπερκόσμιον spiritualem, περικόσμιον animalem, ἐγκόσμιον carnalem mentem expone: has enim omnes Sol Deus illuminat, & in illis legem, quæ quid sequendum, fugiendúmve sit, imperet, sua irradiatione insculpsit, quo cæstro nullum extat illustrius: idcirco S.Thom. 1. 2. *quæst.* 10. *art.* 4. Sic exponit verba Dauidis allata: Lumen rationis, quod in nobis est, in tantum potest nobis ostendere bona, & nostram voluntatem regulare, in quantum est lumen vultus tui, id est, à vultu tuo deriuatum: vnde concludit; bonitatem voluntatis humanæ magis pendere à lege æterna, quàm à ratione humana: quia nimirum actio magis pendet à lege, quàm à tabulis, quibus ea inscribitur: aut à præcone, cuius voce edicitur. Actus rationis, & iudicium practicum est velui præco promulgans diuinam legem. Ratio autem in actu primo, siue per modum habitus, vt loquuntur, sunt veluti tabulæ, quibus inscribitur, vt loquitur Paul. *ad Rom.* 2. Et apud Prudentium.

Ite ipsi in vestra penetralia mentis, & intus
Incisos apices, & scripta volumina cordis
Inspicite, & genitam vobiscum agnoscite legem.

Vna igitur lex est naturalis, & æterna; communi tamen loquendi vsu, à quo discedere non placet, in duas distinguimus; quia legem æternam in Deo concipimus; naturalem in nobis.

CONSECTARIVM II.

Lex naturalis differt à conscientia.

Colliges secundò, malè Salam *disp.* 5. *de legib. sect.* 4. confundisse legem naturalem cum conscientia confudisse, eo quòd aliqui Patres ita loqui videantur, vt Chrys. homil. 12. *ad popul.* ait enim, legem in conscientia positam esse, & per se discibilem bonorum, & contrariorum scientiam Basil. *homil.* 12. *in init. Prouerb.* Synderesim nominat legem intellectus nostri. Neque abnuit Damasc. *lib.* 4. *de fide, cap.* 2. & 3. Differunt tamen ratione: quia conscientia est applicatio legis tum naturalis, tum alterius cuiuscunque; est enim dictamen practicum in particulari de eo, quod hic, & nunc agendum est: Lex autem naturalis est regula quædam vniuersalis circa agenda, quatenus naturæ consentanea, aut dissentanea sunt. Quare conscientia latiùs patet, cùm omnem regulam non tantùm naturalem, immò neque veram dumtaxat; sed etiam existimatam applicet, éstque interdum erronea, quod nomen legi competere nequit: Si enim erret, lex non est. Deniqne lex naturalis est tantùm de agendis: Conscientia est quoque de præteritis, quæ illam sæpiùs mordent, & vellicant. Differt quoque lex naturalis à Synderesi: quia ista est solum iudicium practicum de bonitate, & malitia obiecti sine vlla præceptione, & prohibitione: quod non sufficere ad rationem legis ostendimus. Prætereà Synderesis non ostendit ea dumtaxat, quæ ex natura sua mala sunt; sed etiam ea, quæ à lege positiua turpitudinem accipiunt, aut honestatem.

CON

Consectarium III.

An lex naturalis sit in omnibus.

12 Quæstionem istam pluribus proposuit Bolognet. *tract. de lege, iure, & æquitate, cap.* 4. eo quòd ex vulgari Aristotelis, & sapientum omnium sensu, omnis peccans sit ignorans; immò *lib.* 3. *Ethic. cap.* 2. dixit incontinentem electione carere: incontinens inquit, cupiens quidem, non tamen eligens est: quoniam cupiditas aduersatur electioni: excæcat enim mentis aciem, ne, quæ proba, aut improba sunt, iudicet; quod maximè cernimus in iis, qui scelera sua ostentant; neque vllis conscientiæ stimulis pungi ampliùs videntur: ab his recta ratio, quam legem naturalem esse dicebamus, abesse profectò videtur. Accedit, quod Plato; ipsúmque secutus Tullius legem naturalem definiant rationem prudentiæ; & summam rationem tunc dicit legem esse Tull. cùm in hominis mente confirmata est. Denique legem à delectu deriuati existimat, & Græcus, qui νόμον ἀπὸ τῦ νεμῶς, vel ἀπὸ τῦ νομίζειν à distributione dixerunt, arguit, eámque rem, inquit, illi græco putant nomine suum cuique tribuendo appellatam; ego verò à deligendo, nam vt illi æquitatis, sic nos delectus vim in lege ponimus; at verò in improbis, & sceleratis hominibus nulla prudentia, nullúsque delectus ex Aristotele reperitur: nulla igitur in illis lex est.

13 Verùm, contrarium omninò ex doctrina à nobis tradita necessariò colligitur: cùm enim lex naturalis sit insculpta ipsi naturæ, ea deleri nequit, neque recta ratio ita excæcari, vt honestatem sequendam esse non edicat, neque propensio ad eandem honestatem radicitùs extirpari: quod fateantur, oportet, aduersarij, dum improbos peccare dicunt: violant enim aliquam legem. Lex igitur in illis aliqua est; alioquin non peccarent, & ideò peccant, quia legem violant, rectam rationem præsidem quidem habent; sed eam non audiunt omnes cytharœdi, inquit Aristoteles, opus est pulsare cytharam; periti verò, ac probè docti cytharœdi rectè pulsare: sic hominis cuiusque est agere cum ratione; probi verò hominis est rectè cum ratione operari. Quid verò ferat vulgare pronuntiatum, omnem peccantem ignorantem esse *lib. proximo* fusiùs dicemus. Satis fuerit impræsentiarum ostendere eam ignorantiam nunquam eiusmodi esse, vt lumen rectæ rationis penitus excæcet, aut legem naturalem è mente peccatoris refigat: quod imprimis apparet ex conflictu rationis, & animi affectibus, qui animam ad aliquid turpe concitant agitati: quibus obijcit ratio, quæ à flagitio dimouere possunt. Hanc verò luctam, & rectæ rationis vim etiam scelestissimæ mentes experiuntur, dum grande aliquod scelus moliuntur. Ita apud Ouidium Altæa deliberat, an vltura sit fratrum suorum necem, ipsius Melagri filij, cuius artibus perierant, nece, vbi dixit:

——— Pereat sceleratus & ille,
Spémque patris, regnúmque trahat, patriæque ruinam.
Occurrit ratio meliora suadens.
Mens vbi materna est, vbi sunt pia vota parentum?
Hei mihi! quo rapior? fratres ignoscite matri.
Inde igitur æstus animi.
Et cupio, & nequeo: quid agam, modò vulnera fratrum,
Ante oculos mihi sunt, & tanta cædis imago:
Nunc animum pietas, maternáque nomina frangunt.

Quod idem contigit Medeæ apud eundem Ouidium *lib.* 7.

——— Pro damno Regna parentis,
Atque ope nescio, quis seruabitur aduena nostra, &c.
Coniugiúmne putas, speciosáque nomina culpæ
Imponis Medea tuæ? quin aspice quantum
Aggrediare nefas, & dum licet, effuge crimen.
Dixit, & ante oculos rectum, pietásque, pudórque
Constiterant, & victa dabat iam terga cupido.

Mytra quoque obscœno patris amore incensa cum ratione infandum crimen dissuadente disputat, *libro* 10.

Illa quidem sentit, fœdóque repugnat amori.
Et secum, quò mente feror? quid molior, inquit.
Dij (precor) & pietas, sacratáque iura parentum,
Hoc prohibete nefas, scelerique resistite nostro.

Vbi tamen vicit cupiditatem ratio, quæ scelus non potuit impedire, illud minuere conatur, & aliqua etiam quandoque specie virtutis inducere, aut causas, quibus venia dignum censeatur, inquirere: quod in eadem Medea videmus.

Quem nisi crudelem non tangat Iasonis ætas,
Et genus, & virtus, quem non vt cætera desint,
Forma mouere potest? certè mea pectora mouit.
At nisi opem tulero taurorum afflabitur ore,
Concurrétque suæ segeti tellure creatis
Hostibus, aut auido dabitur fera præda draconi.
Hæc ego si patiar, tum me de tygride natam,
Tum ferrum, & scopulos gestare in corde fatebor.

Falsâ igitur pietatis personâ sibi ipsi volens imponit Medea, vt patrem, & patriam insigni facinore prodat. Neque Myrræ desunt aliquæ rationes, quæ obscœnos patris amplexus licitos esse quarundam gentium exemplo, ipsiúsque naturæ, quæ simile quid cæteris animantibus indulgeat, honestent.

Si tamen scelus; sed enim damnare negatur,
Hanc venerem pietas, coëúntque animalia nullo
Cætera delicto, nec habetur turpe iuuencæ
Ferre patrem tergo.
Fœlices, quibus ista licent, humana malignas
Cura dedit leges, & quod natura remittit,
Inuida iura negant: gentes tamen esse feruntur,
In quibus ex nato genitrix, & nata parenti
Iungitur, & pietas geminato crescit amore.

Præterea in ipso facinoris procinctu etiamsi victa cupiditate mens, illud omninò perficere decreuerit, dum illud iam aggreditur, sæpè torpet, & propter conscientiæ stimulos contremiscit, quod in Myrrha expressit Ouidius, quæ audiens à nutrice facilitatem criminis, quod cogitarat.

——— Infœlix non toto pectore sentit
Lætitiam virgo, præsagáque pectora mærent:
Sed tamen & gaudet, tanta est discordia menti.

Deinde dum propior sceleri fit, iámque paternis thalamis accedit.

——— Thalami iam limina tangit,
Iámque fores aperit, iam ducitur intus, ac illi
Poplite succiduo genua intremuêre, fugítque
Et color, & sanguis, animúsque relinquit euntem,
Quóque suo propior sceleri est, magis horret, & ausi
Pœnitet, & vellet non cognita posse reuerti.

Demum peracto scelere vindex conscientia satis ostendit vigere præconem legis scelus prohibentis, licèt fateamur in ipso æstu passionum non audiri internum istum monitorem, illiúsque clamoribus obfirmatum animum vix moueri. Denique sapienter aduertit Aristoteles *lib.* 3. *Ethic. c.* 1. improbos ignorantes esse, non tamen propter ignorationem operari: quia etsi non attendant ad plurima, vti deberent, & in propositionibus particularibus sæpissimè fallantur; nunquam tamen ea laborant ignorantia, quæ liberam electionem impediat, alioquin non peccarent.

Maneat

Maneat igitur vnam, & eandem legem naturalem in omnibus etiam sceleratissimis reperiri, quamvis non ab omnibus obseruetur.

Consectarium IV.

An detur ignorantia inuincibilis iuris naturalis.

14 Hæc quæstio superiori affinis est, etiamsi enim lex naturalis, quæ est recta ratio, in omnibus reperiatur: fieri tamen poterit, vt legis illius iussa, & præcepta non cognoscantur, atque ita non seruentur absque culpa, eò quòd intellectus apprehendat aliquid esse consonum legi naturali, quod tamen reapse ab ipsa dissentit. Erit igitur quidem in omnibus hominibus lex naturalis, non tamen cognitio ipsius.

Verùm, cùm hactenus docuerimus legem naturalem esse indelebilem: Ius quoque ab ipsa constitutum omni ex parte ignorari non posse, dicendum est. Quare obseruandum est quædam esse principia vniuersalissima iuris naturalis, vt bonum amandum est, malum fugiendum: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*; alia verò ex principiis vniuersalissimis facilè, & immediate deriuantur, cuiusmodi fere sunt Decalogi singula præcepta. Tertiò denique, quædam sunt, quæ multò operosius ex eiusmodi principiis inferuntur: Ea sunt omnia, quæ sunt quidem intrinsecè mala, quorum tamen malitia non ita manifesta est, vt contractus vsurarios esse illicitos iure naturali, vti & polygamiam, aliáque similia.

15 Iuris igitur naturalis circa principia vniuersalissima nulla dari potest ignorantia inculpabilis, & inuincibilis: idque voluerunt Alens. 1. *p. q.* 153. *memb.* 3. Durand. *in* 3. *dist.* 25. *q.* 1. *ad* 1. alijque veteres apud Vasq. 1. 2. *disp.* 122. *cap.* 1. Et Sayr. *in claui lib.* 2. *cap.* 9. *numer.* 16. Gratian. *in C. turbatur,* 5. *q.* 4. §. *notandum quoque*, cui concinit *lex* 2. *C. de in ius vocando*, vbi ignorantia non excusat libertum, qui Patronum non impetratâ veniâ in ius vocauit: quia naturali ratione ille honor debetur patrono. Qui omnes absolutè negarunt dari ignorantiam inuincibilem iuris naturalis: quia hæc principia per se nota sunt, & ex cognitione terminorum, sicut principia quædam speculatiua. Quamvis igitur possit quis vel ex animi perturbatione de iis non cogitare; vel ea falsa terminorum apprehensione circa ea falli; non potest tamen ea terminis intellectis, & bene perceptis ignorare. Quod ipsum, vti *superius* monui, docet experientia synderesecos fodicantis etiam sceleratissimos, aut saltem leuiter monentis. Si enim sciunt se malè agere, dum turpe aliquid admittunt, nouerint oportet, hæc saltem vniuersalissima principia.

16 Secunda verò illa principia, quæ ex vniuersalioribus illis immediatè deducuntur, ad breuissimum aliquod tempus, & ob aliquam circumstantiam, quæ videtur excusare à peccato, ignorari possunt, non tamen toto vitæ tempore: quia via diutius durabit ea circumstantia, & tam nota sunt, iámque naturæ consentanea, vt vix fieri possit, quin eorum fœditas, ac turpitudo animam aliquando pulset, & dubium, aut suspicionem aliquam concitet, tunc autem desinit ignorantia inuincibilis esse. Denique ea, quæ discursu operosiori indigent, vt à principiis colligantur, à rudioribus ignorari inculpabiliter possunt, quandoquidem à peritioribus nonnunquam de ipsorum veritate disputatur. Ita Vasq. 1. 2. *disp.* 122. *cap.* 2. Valent. *ibid. disp.* 6. *quæst.* 6. *punct.* 2. Corduba *lib.* 1. *quæst.* 4. Sayr. *in claui, lib.* 2. *capit.* 9. *numer.* 17. Azor. *lib.* 5. *instit. cap.* 13. *q.* 1. Sanch. *in decalog. lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 33. Baldell. *lib.* 1. *disp.* 29. *num.* 55. Salas 1. 2. *tract.* 13. *disput.* 8. *sect.* 4. *num.* 13. Suar. *lib.* 2. *de legib. cap.* 9. *numer.* 7. Curiel. 1. 2. *q.* 76. *art.* 2. *dub.* 4. §. 2. *conc.* 2. Malderus 1. 2. *quæst.* 6. *art.* 8. *disput.* 38. *de ignorantia inuincibili, q.* 4. §. *dico* 2. Atque ita potuit sibi quis persuadere inuincibiliter furandum esse, ad succurrendum alteri, vsuras licitas esse, mortis metu flagitium committere, vxorem repudiare, fornicari, mentiri, aliáque nonnulla ex natura sua mala non esse. Vasq. ait se vidisse Rusticum, qui pium opus existimaret ægroto cum morte luctante mortem accelerare, illum in alterum latus versando, & Azor. fatetur eandem ignorantiam apud rudiores quosdam circa mendacium bono fine, vt ad tuendam alterius vitam prolatum. Quod vero Plutarchus, cæterique referunt de prauis quorundam gentium moribus, quæ flagitia contra prima, & notissima principia iuris naturalis passim exercebant, non probat eas laborasse ignorantia inuincibili, ea in parte, sed cupiditate abductas eiusmodi flagitia non punijsse.

Consectarium V.

Efficacia legis æternæ.

Habemus ex disputatis *hoc & superiori capite* nobiliori multò ratione legem æternam creaturas dirigere, quàm lex positiua suos subditos. Cùm enim lex sit principium quoddam actionum subiecti per denuntiationem, & imperium externum impressum eius menti, vt ad illius normam suas deinde actiones fingat: Deus suam legem ita promulgat, vt illam in ipsis creaturis inurat, sitque principium internum, & motiuum actionum, quas deinde eliciunt. Et idcircò creaturæ omnes subduntur diuinis legibus, quia ab illis accipiunt per impressionem principium elicitiuum actionum, quibus in suos fines diriguntur, quæ impressio idem in illis præstat, quod promulgatio in humanis legibus, aut etiam diuinis positiuis. Quia verò homines nullum indere valent principium actiuum, aut directiuum cæteris animantibus ratione carentibus: idcircò etiamsi ea in suos fines mouere possint; non tamen legibus suis adstringere, vt obseruauit S. Thom. 1. 2. *q* 93. *art.* 5. 17

Consectarium VI.

Veram esse definitionem peccati ab Augustino allatam.

Augustin. *lib.* 22. *contra Faust. cap.* 27. definiuit peccatum, dictum, factum, vel concupitum contra legem æternam: quæ definitio ex hactenus disputatis verissima est, quandoquidem omnis actus malus est; quia aberrat à sua lege, & regula, aut quia est cōtra aliquod ius; ius autem naturale, vti iam monuimus sæpiùs, ex S. Thom. continetur primò in lege æterna; secundariò verò in iudicatorio rationis humanæ; Et cùm lex naturalis sit promulgatio legis æternæ, atque vna, eadémque lex cum ipsa, reuerà peccatum omne, quod est contra legem naturalem, est etiam necessariò contra legem æternam. Vnde fit, vt hæc Augustini definitio non differat ab ea, quam nos ea mente S. Thom. aliorúmque Doctorum tradidimus 1. 2. dum actum malum diximus esse actus liberi dissonantiam cum recta ratione practica. Primò, quia lex diuina, & æterna est ratio diuina: Et quidquid est contra æternam legem, est contra diuinam rationem, quæ cùm rectissima sit, quod illi repugnat, rectæ rationi repugnat. Quod autem contra aliquam rectam rationem est, contra omnem rectam rationem de eodem est: Nam circa idem quælibet recta ratio, cuilibet 18

rectæ rationi consonat, & nulla alteri aduersatur: sicut nec virtus veritati: quidquid igitur est contra rectam rationem practicam humanam, est contra æternam legem, vt disputat Gregor. *in 2. dist. 35. q. vn. art. 2. con. 1.* tum quia, vt dixi, recta ratio humana, est promulgatio legis æternæ: tum quia, etiamsi id non daremus, est conformis rationi diuinæ. Idcircò idem Greg. *ibid.* definiuit peccatum actum voluntarium contra rectam rationem, vt abstraheret à diuina, & creata: quia actus liber, malus non est, quod repugnet rationi diuinæ, vt diuina est, sed vt recta, licèt diuina non possit non esse rectissima: Si tamen per impossibile deficeret omnis ratio recta, & aliquis ageret secùs, quam agendum esse dictaret aliqua ratio recta, si adesset, peccaret: quia tunc ageret, secùs, quàm deberet agere, sicut quando agit, vt dictat ratio, agit vt debet, ac proinde tunc non peccat.

Consectarium VII.

Omne malum formaliter tale est, quia prohibitum.

19 Ita affirmat S.Thom. 1.2 *q. 71. art. 6. ad 4.* & alij, quos dabit Salas 1.1. *disp. 1. num. 53. tract. 13.* Necessaria igitur est semper aliqua lex prohibens ad malitiam formalem, & omne peccatum aliquo iure prohibitum est, vel positiuo, vel naturali, quod S Thom. vt *superius* retuli, ait contineri, primò quidem in lege æterna; secundariò verò in naturali iudicatorio rationis humanæ: ideóque negat Paulus ibi esse præuaricationem, vbi non est lex, *ad Rom. 4.* Quæ verba non rectè exponit Vasq. 1.2. *disp. 97. n. 12.* de iis, quæ seclusa prohibitione honeste fieri poterant, cuiusmodi erant pleraque in lege veteri, de qua agit Paul. eo loco, qui inde eius maxime infirmitatem & inutilitatem ostendit: quod cùm vires ad impetrata facienda non suppeditaret; ea tamen, quæ ex se aut bona, aut indifferentia sunt, sua prohibitione mala redderet, & illicita, atque induceret præuaricationem, quæ sublata lege nulla foret. Patres tamen communi consensu de omni peccato ea verba intellexerunt: vnde Augustinus peccatum definiuit in ordine ad legem æternam, *lib. 22. contra Faust. cap. 27. lib. vero de duab. animab. contra Manich. cap. 11.* voluntatem retinendi, vel consequendi quod iustitia vetat, *lib 1. qq. ad Simplic. q. 1.* hominis inordinationem, atque peruersitatem, *lib. 2. de consensu Euangelist. cap. 4.* legis transgressionem, quod etiam dixit Ambros. *lib. de Paradiso cap. 8.* quæ definitiones falsæ forent, si posset dari peccatum sine violatione legis. Neque secum pugnat Idem Augustinus dum *in psal. 70.* ait, Paganum, qui legem non accepit, iniquum esse, sed non transgressorem, siue præuaricatorem; voluit enim dumtaxat ostendere peculiarem rationem, propter quam Iudæi, & Christiani, quibus data lex est, præuaricatores dicantur. Denique ipse Ioann. *Epist. 1. cap. 3.* peccatum definiuit ἀνομίαν, in quem locum plurima in hanc rem congerit Iustinian.

20 Vt verò huius consectarij doctrina lucem accipiat, gemina malitia, & honestas in actu humano distinguenda est: vna est obiectiua, radicalis, & fundamentalis, quæ à consonantia, vel dissonantia cum natura rationali petenda est, vti iam sæpius monui, quæque omnem diuinam prohibitionē antecedit. Altera est honestas, & malitia formalis, quæ deriuatur à conformitate, vel difformitate cum aliqua lege, à qua dum actus dissidet, dicitur præuaricatio, & peccatum: quæ duæ moralitates vnam tantùm ex duobus respectibus coalescentem efficiunt. Lex igitur æterna, cuius lex naturalis, sicuti ostendimus, promulgatio est, facit actum formaliter malum, dum illum prohibet, cùm anteà esset tantùm radicaliter, obiectiuè, & fundamentaliter malus, nondum autem formaliter peccatum: posse enim duas istas rationes malitiæ seiungi videmus in pueris, & amentibus, à quibus actus obiectiue, & fundamentaliter mali exercentur sine crimine, & peccato; immò & nonnunquam cum laude ab inuincibiliter errantibus. Actus igitur malus formaliter est, quia fit contra legem naturalem, & æternam, illum tanquam naturæ rationali contrarium prohibentem: neque Vasq. 1.2. *disp. 97. cap. 2.* aliique aduersarij aliud probant, quam dari malitiam aliquam fundamentalem obiectiuam, omnem diuinam prohibitionem antecedentem, quod vltrò damus; negamus tamen actum versantem circa talem malitiam obiectiuam fore formaliter malum, nisi accedat prohibitio aliqua ipsi operanti intimata, quam libere violet per illum actum. Impossibile verò est circa malitiam obiectiuam essentialem non dari prohibitionem legis æternæ. Tres enim in Deo actus necessariò ponendi sunt; primus est cognitio comprehensiua naturæ rationalis, per quam videt quid ipsi consentaneum, & quid dissentaneum sit: secundus est displicentia de illo actu, qui cum natura rationali pugnat, cum voluntate illum prohibendi: Tertius est ipsamet prohibitio, & impositio obligationis, ne eiusmodi actus fiant. Atque hi omnes actus necessarij sunt vt vides: falsò enim contendunt aliqui, omnem diuinam prohibitionem esse liberam; non enim potest non prohibere Deus, quæ intrinsecè mala sunt, etsi possit ea permittere: Voluntas enim permittens rectè cohæret cum prohibente. Hæc autem prohibitio est lex æterna, quam lex naturalis, siue recta ratio practica tanquam præco quidam omni tuba vocalior edicit, dum quidpiam præscribit, aut vetat: falsóque affirmant Nominales Dei voluntate honestari posse actum naturâ suâ malum, cùm & ea prohibitio non possit non poni, & malitiā fundamentalem supponat in actu independenter ab omni actu diuinæ voluntatis, sicut ea eo quòd iure naturali prohibeatur actus extrinsecè malus, v.g. mendacium, malè inferebant Epicurei à nobis alibi retecti, malitiā tantū esse ex opinione: nā & malitia fundamētalis intrinseca eiusmodi actibus est, & malitia formalis deriuatur à prohibitione naturalis legis: Recta enim ratio non potest non illos prohibere. Existimauit quidem Suarez *lib. 2. de legib. c. 6. & 1. 2. tract. 3. disp. 7. sect. 1.* ex duplici illa prohibitione necessaria legis æternæ, & naturalis integrari vnam malitiam formalem, ex duobus veluti respectibus actus dissonantis geminæ legi inseparabiliter conflatam: vnde fiet, vt in Atheo, aut in alio, qui legem æternam non nouit, aut certè de ea nō cogitat, non sit veluti omnimodè consummata ratio malitiæ formalis & præuaricationis. Malim tamē affirmare esse vnitam simplicē malitiā, cùm vna, eadémque lex reipsà violetur, sicut quando edictō inferioris magistratus Principis authoritate latum violatur: Licet enim non cogitetur de diuina prohibitione, eo ipso tamen, quòd violetur lex ab eo, non tantum vt naturæ rationalis conditore, sed vt Legislatore lata, offenditur ipse Deus, vt patet in exēplo allato de lege Principis ab inferiori magistratū promulgata. Etsi enim nihil cogitetur de principe, cuius authoritate sancita est lex; violatur tamē reuerà lex Principis; vt quid enim opus erit cogitare de authoritate legis, vt fiat contra legem, si semel constat, legem latam esse, quod non constare non potest, vbi naturæ rationali insculpta legitur, & per iudicium practicæ rationis prohibentis actum tanquam eidem naturæ dissentaneum promulgatur.

Vnde explicabis importunam illam quæstionem, 21
quid nimirùm contingeret, si fingeremus actus essentialiter malos non fuisse à Deo prohibitos; tunc enim ratio indicaret solùm quid naturæ foret disconueniens,

ueniens, nulliusque superioris prohibitionem denunciaret; ergo vel non essent illi actus formaliter mali, quod est absurdum: vel malitia ista non deriuatur à dissonantia cum lege, quod hactenùs negauimus: vel denique recta ratio est lex naturalis, non alterius superioris promulgatio, quod tamen hactenùs contendebamus. Existimo igitur eam hypothesim, quâ præscinditur diuina prohibitio ab iis, quæ essentialiter, & naturâ suâ mala sunt, secum pugnare, seipsam destruere, atque adeò admittendam non esse, sicut rideretur ille, qui abrogatâ lege, eius tamen edicto, & promulgatione subditus obligari fingeret. Quare molesta illa quæstio de Atheo, aut alio quopiam inuincibiliter ignorante numen aliquod, & supremum legislatorem existere, an peccet, & præuaricetur, cùm nullam legem violare se putet, inutilis est. Nam, cùm ille Atheus legem à Deo, non tantùm vt naturæ conditore, sed vt legislatore latam, & à ratione naturali promulgatam infringat præuaricatur, & Deum legislatorem offendit, & non potest dari promulgatio legis, nisi supponatur lex. Maneat igitur nostri consectarij veritas, omnem actum formaliter malum talem esse, quia est aliqua lege prohibitus. Quod enim aliqui excipiunt actum venialem, quem idcircò vulgata Augustini definitione comprehendi negat Magist. *in* 2. *dist.* 35. reiiciendum est: cùm enim peccatum veniale sit reuerà peccatum, est vera præuaricatio: ergo contra legem aliquam positiuam scilicet, vel æternam, ac naturalem: atque ita communiter docent omnes, quos dabit Salas 1. 2. *tract.* 13. *disp.* 16. *n.* 27. cum Curiel 1. 2. *q.* 88. *art.* 1. *dub.* 3. §. 1. quia tamen lex principaliter ordinat ad finem vltimum, vt ait S. Thom. 1. 2. *q.* 71. *art.* 6. *ad* 3. Et ab eo fine vltimo non auertit omninò, sed potiùs retardat malitia venialis, non dicitur esse contra legem; sed potiùs præter legem, quo sensu loquutus est sine dubio Magist. *loco cit.* & Bonau. *in* 2. *dist.* 42. *art.* 2. *q.* 2. *ad vlt.* Bellarm. *lib.* 1. *de statu peccati, cap.* 11. ait, peccatum veniale esse solùm materialiter contra legem: quia non tollit finem legis, qui est charitas; alioquin, qui vnum peccatum veniale admisisset, fieret omnium reus. Similia tradit Stapletoo. *lib.* 12. *de iustificat. c.* 5. *&* 7. Soto *lect.* 6. *de discrimine peccatorum*, Azor. 1. *part. lib.* 4. *cap.* 8. *q.* 3. Suar. *lib.* 2. *de voto, cap.* 3. *n.* 8. Verùm, quidquid sit de eo loquendi modo, certum manet, malitiam quoque venialem ex legis naturalis, aut positiuæ prohibitione desumendam esse.

CONSECTARIVM VIII.

Malitia est contra naturam rationalem.

22 Consentiunt quidem omnes in huius consectarij veritate asserenda, vt videbis apud Baldell. *lib.* 2. *Theologiæ moralis, disp.* 4. In reddenda tamen illius ratione, Victoria enim *relect. de homicidio, n.* 2. & Caiet. *in* 1. 2. *q.* 71. *art.* 2. §. 3. *concl.* 3. *&* §. 4. *ad* 2. petunt causam ex eo, quòd malitia pugnet cum inclinatione naturali ad bonum; sed si agant de inclinatione actiua, ea æquè tendit in bonum sensibile, cui est annexa turpitudo moralis, atque in bonum honestum. Si verò loquantur de inclinatione passiua, siue ad recipiendum, illa æquè naturalis esse videtur ad malitiam, atque ad honestatem. Salas 1. 2. *tract.* 13. *disp.* 2. *n.* 190. ait, malitiam pugnare cum inclinatione carendi quolibet malo: sed priùs docere debuit vitium esse malum naturæ: quod autem *ibidem* addit, malum morale priuare hominem pluribus bonis; nempè virtutibus, & promptitudine ad honestatem, non satisfacit; inde enim sequeretur, peccata opposita virtutibus infusis, & supernaturalibus, non fore contra naturam, quod tamen ipse meritò negat, contra Medinam 1. 2. *q.* 71. *art.* 2. Sequela porrò ista probatur: quia illud solùm potest dici contra naturam, quod opponitur perfectioni naturali, quod non conuenit malitiæ priuanti perfectione indebita, & supernaturali. Itaque Medina *loco cit.* hanc contrarietatem petit ex pugna, quam habet malitia cum recta ratione, quia natura hominis est viuere secundùm rationem. Idem habet Azor. 1. *part. inst. lib.* 4. *cap.* 1. *q.* 3. Neque multùm abest Valent. 1. 2. *disp.* 7. *q.* 4. *punct.* 3. dum hanc oppositionem nasci dicit ex eo, quòd violetur obligatio naturalis ad bene operandum, posita voluntate benè operandi, ex illo vniuersalissimo principio, & præcepto iuris naturalis; *bonum est sectandum, & malum fugiendum.* Restat tamen grauis difficultas: Nam recta ratio non iudicat malum esse fugiendum, nisi quia naturæ opponitur: quare prior est oppositio malitiæ cum natura rationali, quàm cum honestate iudicij dictantis illam esse fugiendam.

Ex doctrina nihilominus à nobis tradita, soluitur hic modus, & Consectarium nostrum ostenditur ex distinctione duplicis malitiæ fundamentalis, & formalis, quæ ambæ integrant vnam malitiam, per quam actus denominatur malus, & suam habet oppositionem cum natura, ac lege naturali. 23

Malitia igitur fundamentalis, & obiectiua est contra naturam rationalem, quia est eius imperfectio, & ipsi non conuenit. Ita Vasq. 1. 2. *disp.* 9. *c.* 2. & Curiel. *ibid. q.* 71. *art.* 2. *concl.* 3. Esse enim contra naturam opponitur ei, quod est esse secundùm naturam: illud autem est secundùm naturam, quod est perfectio eius, & per quod natura tendit ad optimum, seu coniungitur fini suo perfectissimo: atqui bonitas moralis etiam supernaturalis coniungit naturam rationalem suo fini; ergo malitia, quæ opponitur illi bonitati, est contra naturam rationalem, quam remouet, aut retardat à suo fine, & consequenter est eiusdem naturæ imperfectio: quod totum confirmatur ex definitione eius, quod secundùm, aut contra naturam est tradita ab Aristot. *lib.* 2. *Physic. text.* 5. Secundùm naturam, inquit, sunt & hæc; nempè materia, & forma, & quæcumque ex his insunt per se, vt igni ferri sursum, hoc natura quidem non est, neque habet naturam; sed à natura: quod ampliùs explicat exemplo virtutis, & vitij 7. *Physic. cap.* 3. *text.* 18. Virtus, ait, perfectio quædam est, vnumquodque enim, cùm accepit propriam virtutem, dicitur perfectum: tunc enim maximè habet id, quod est secundùm naturam; vitium autem est ipsius corruptio, & abiectio. Consentiunt veteres interpretes, Simplic. *in* 2. *Physic.* à natura, inquit, latius est, quàm esse secundùm naturam: nam secundùm naturam ea tantùm dicuntur, quæ sibi propriam perfectionem obtinent; alia autem, vt cœcitas, & eiusmodi, sunt à natura tantùm. Themistius *ibidem* similia tradit; à natura sunt, quæ secundùm naturam esse nequeunt, vitia, oblæsionésque ab ipsa natura contractæ. Philoppon. *ibid.* secundùm naturam tantùm de actionibus perficientibus dicitur. Cùm igitur honestas moralis sit perfectio naturæ rationalis, secundùm naturam esse diceretur: & illi opposita malitia, quæ est eiusdem naturæ rationalis imperfectio, contra naturã esse dicenda erit. 24

Malitia verò formalis est contra naturam rationalẽ, quia repugnat rectæ rationi, ea, quæ contra naturam sunt non tantùm ostendenti, sed etiam, vt explicuimus, prohibenti, quia talia sunt. Id omninò voluit S. Thom. 1. 2. *quæst.* 71. *art.* 2. vbi ex eo, quòd bonum hominis sit secundùm rationem esse; & malum præter rationem esse, & ratio sit forma constitutiua hominis: concludit, vitium esse contra naturam hominis, vt homo est: quam rationem pluribus vrget Curiel. *in eum* 25

art. Consentit August. *lib.9. de Ciuit.cap.*17. vbi ita concludit: Non itaque esset vitium recedere à Deo, nisi naturæ, cuius id vitium est, competeret esse in Deo. Idcircò hominem per vitia efferari, & in brutum abiectâ hominis formâ degenerare, tradidit Philo. *lib. de Abraham.* in illud: *Hæ sunt generationes Noe.* Chrysost. *homil.de patientia Iob,& tom.5.serm.*47. in illud: *Paulus adhuc spirans*, Basil. in Psal.115. *Omnis homo mendax.* Richard. Victor *prolog.in cant.& lib 3.de eruditione.inter.hom.cap.*2. Parisiens. *tractat.de peccatis, initio*: atque etiam Philosophi, qui in Centauros, & similia monstra degenerare dixerunt. Tyr. *dissert.* 34. *n.*200. Trismegist, *cap.*3. *Asclepin.* Galen. *lib. de cognosc.& curand.animi affectibus. sub medium*, atque alij. Hæc porrò omnia conueniunt etiam peccatis, quæ virtutibus supernaturalibus opponuntur, & quibus violantur leges positiuæ dumtaxat. Nam posito præcepto de actu supernaturali, de actione alioquin non mala, aut indifferenti dumtaxat, dictat ratio illud violandum non esse, & actum illi contrarium, à fine vltimo reuocare, adeóque esse imperfectionem naturæ rationalis. Atque ex his omnibus reiicies, quæ obiiciuntur apud Ouiedo *tract.*4. *Theologico, controuers.*4. *punct.*2.§.3. quæ ipse fusiùs resoluit.

Consectarium IX.

An lex naturalis sit in brutis, & aliis creaturis irrationalibus.

26 Ita affirmat, seclusa omni metaphora, & verborum translatione, Michaël Vulcurrin. 1.*p. de regimine mundi, quæst.3.principali q.*8. quia lex naturalis est participatio legis æternæ, & eius ingressio, atque inclinatio ad actus, quibus creaturæ ad suos fines diriguntur. Omnes igitur inclinationes naturales sunt lex naturalis, atque ius naturale, quod confirmatur ex iis, quæ fusè diximus *cap.superiori q.3.§.*2. vbi ostendimus, ipsa quoque irrationalia verè, & propriè subiici legi æternæ, atque ab ea regulari: cùm tamen, licèt ab hominibus regantur, nequaquam dicantur humanis legibus adstringi: quia nimirùm lex imprimit suis subditis principium internum directiuum actionum, quas imperat: quod humana lex præstare nequit, respectu irrationalium; illud verò facit lex æterna, respectu ipsorum animalium.

27 Nihilominùs, cùm legem naturalem constituerimus ex mente S. Thom. in ratione practica significante diuinam voluntatem, & legem æternam aliquid prohibentem, aut imperantem; Et ratio soli homini, non cæteris animantibus insit, dicendum omninò est, soli homini naturalem legem insculptam esse, & quamvis cætera animantia, immò & omnes Creaturæ regantur lege æterna, quæ est diuina ratio *superiori capite* explicata, ab eáque proficiscantur varij instinctus, & inclinationes eorum naturæ consentaneæ; non idcircò tamen legem naturalem in se habent; ad hoc enim requireretur, vt non tantum mouerentur, regerentúrque à lege diuina; sed eius transcriptionem, rationem videlicet in se mouentem, à diuina distinctam haberent, vt eruditè philosophatur Bologner. *tract. de iure, &c. cap.5.n.*9. Idcircò S. Thom. 1.2. *q.*91.*art.*2. dixit, bruta quidem diuinam rationem participare, non tamen rationabiliter. Multum verò interest inter sagittam in certum scopum emissam, & inter auem in certum etiam locum volantem: Etsi enim in sagitta motus sit, vti in aui, & vtrique motui certus scopus destinatus; auis tamen alio modo mouetur, nimirum à se ipsa, & à propria, atque insita facultate motiua, ex intentione, quam ex dictamine phantasicè suscipit; in sagitta verò nullum alium motum vides, quam ipsi à mouente extrinseco impressum: Neque dices sagittam non se mouere, sed moueri ab alio. Bruta igitur habent quidem, sicut & cæteræ creaturæ motum, quo in suos fines tendunt, illumque rationalem, cum ex intentione certi finis proficiscatur, sed totus à lege diuina mouente, & dirigente existit: Non habent verò vllam rationem in se mouentem, per quam in vnum locum potiùs impellantur, quàm alium: atque adeò, licèt diuina lege æterna regantur, non tamen dici debent habere in se ipsis legem naturalem, & legis æternæ transcriptionem, quâ se ipsa regant, nisi admodum impropriè, quatenus motus ipsis imprimitur à mouente extrinseco rationabili. Itaque tota ista quæstio vel de nominibus est: vel, si de re ipsa agamus, hoc vnum concludi poterit instinctus, & inclinationes, varias omnium creaturarum esse in illis inditas à Deo, vt fines, ad quos illas destinauit, assequantur: illam autem tum destinationem ad finem, tum inclinationum impressionem, veluti mediorum exhibitionem esse à diuina ratione ordinatissima, quæ lex est; creaturæ vero rationali impressam esse rationem, quæ diuinam voluntatem, & legem obligantem ipsi significet, vt eam exequatur, quamvis ab illa discedere possit, si velit, quæ omnia vera sunt, & à nobis hactenus exposita: Et probant veram legem naturalem non nisi in natura rationali reperiri, neque aliud, quæ de animantium arte, & industria congerunt, quàm sapientiam diuinæ rationis, quæ tales inclinationes illis impressit, ostendunt.

Consectarium X.

Definitio iuris naturalis à Iustiniano, & Vlpiano tradita.

Ex superiori consectario nascitur difficultas circa definitionem iuris naturalis, quam Iustinian. §.*ius naturale, Institu.de iure naturali,* & Vlpian. *l.*1.*ff.de iustitia, & iure*, attulerunt; nimirum ius naturale illud esse, quod natura omnia animalia docuit, in eóque numerant maris, & fœminæ, coniunctionem, & liberorum educationem. Verùm, cùm Ius sit id, quod lege constituitur, ius naturale erit, quod etiam monuimus, quod lege naturali iussum est; vbi igitur non erit lex naturalis, neque dabitur ius naturale; quare, cùm *Superiori consectario* brutis negauerimus legem naturalem, iisdem quoque ius naturale negandum erit. Deinde Ius omne æstimandum est ex ratione, ita vt, vbi ratio non est, ibi neque ius sit, sicut iustitia sine ratione fingi potest. Vnde fit, vt personæ, quæ rationis vsum non habent, iure naturali non obligentur, nisi ex tutoris authoritate. Cùm igitur bruta rationis expertia sint, neque iuris capacia erunt, immò neque iniuriæ: quare, si quem lædant, aut offendant, non iniuriam, sed damnum, & pauperiem fecisse dicuntur, *l.*1. §.1.*ff.Si quadrupes pauperiem*, quod si iuris incapacia sint bruta, erunt quoque iuris naturalis; cùm ius naturale verum ius sit, immò omnium primarium, & qualitas illa naturalis non possit esse sine subiecto hoc loco. Malè igitur ius naturale definitum fuit illud, quod natura omnia animantia docuit, quod probat Bologuer. *c.*6. *n.*9.& 10. ex ipsiusmet Vlpiani verbis: nempè *docere*, & *peritia*, quæ nonnisi μεταφορικῶς de brutis vsurpari possent, atque etiam ex voce *censeri*, quæ signat in eundem ordinem & numerum adscribi, ideoque verit Theoph. ἐδίδαξε γὰρ οὐ μόνον ἀνθρώπους, ἀλλὰ καὶ τὰ λοιπὰ ζῷα ἐν τοῖς πρώτοις τοῦτον τὸν νόμον ἀναγεγραμμένα.

Respondeò primò, Sclin. *in inst.iuris.* Consultū crassius, seu liberius accepisse ius naturale pro inclinatione naturali, & potius ὁρμὰς φυσικὰς, quàm ius naturale de

finiuisse. Eandem vocis abusionem obseruat Ioann. Corras. *in l. 1. ff. de iustitia, & iure*, sicut & Cicero *lib. 1. de legib.* nomen virtutis brutis aliquando tribuit, quamvis idem Author *tract. de iure ciuil. in artem redigendo, p. 2. c. 3.* propriam iuris acceptionem hoc loco tueatur. Et sanè vix ferendus est eiusmodi vocum abusus in tradendis definitionibus; quanquam negandum non sit, iurisperitos grauioribus curis occupatos, suas definitiones ad scolæ subtiliores regulas non semper exigere. Idcircò istam passim arguunt Oldendelpi. *lib. 1. variar. lection.* Anton. Vacca *in expositione loco obscurior. tit. 1. de iust. & iure*, & *l. 1. §. ius naturale.* Praeterus *in lexico iuris, v. Ius.* Castro *lib. 1. de legib.* Conan. *lib. 1. comm. iuris ciuil. c. 6.* Valla *lib. 4. elegantia*, aliique.

29 Respondeo secundò cum Couart. *in regul. peccatum, 2. p. §. 11. n. 4.* duplex esse ius naturale: vnum, quod Deus docuit omnia animantia per instinctus naturales; alterum, quod solis hominibus lumine naturalis rationis notum est: Prius illud homini, & brutis commune est, & dicitur naturale: Posterius, quod homini proprium sit, neque iam late pateat, ac prius, sitque tantùm naturale secundùm quid, & denique non contineat iustum naturale secundùm absolutam sui rationem, sed vt alteri conueniens, & dicitur ius gentium, quæ etiam distinctio videtur esse S. Thom. 2. 2. q. 57. art. 3. Ius igitur diuiditur in naturale, & ciuile. Ius naturale iterum subdiuiditur in illud, quod commune est omnibus animantibus, & iuris naturalis appellationem retinuit, & illud, quod est proprium hominibus, & ius gentium à iuri sconsulto dicitur, quibus Couart. consentire existimat S. Thom. 1. 2. q. 95. art. 4. ad 1. dum ait, ius gentium esse quodammodo naturale homini, quatenus rationali; distingui tamen à iure naturali, quod est omnibus commune. Verùm, manet difficultas superior, cùm ius naturale in rationis naturalis, ac legis præceptis constitutum sit, illius omninò incapacia sunt bruta. Quare non potest dari ius aliquod omnibus animantibus, & ip si homini commune.

30 Tertiò igitur idem Couartu. *ibid.* Turrecremata *in c. humanum, dist. 1. art. 5.* Valent. *1. 2. disp. 7. q. 4. punct. 2.* Faber *in iurisprud. Papinian. tit. 2. princ. 1.* Corrasi. *c. 3. cit.* respondent Vlpian. sumpsisse ius non pro lege, sed pro materia legis, siue non accipere ius formaliter, sed materialiter tantùm. Cùm enim lex naturalis versetur circa quædam omnibus animantibus communia, cuiusmodi est liberorum procreatio, & educatio. Ideò dixêre, ius naturale commune esse omnibus animantibus ratione materiæ, ita vt quod bruta instinctu quodam, & impetu naturæ faciunt, id homines cum ratione præstent; ideóque actus illi non dicuntur esse iuris naturalis; quia ab hominibus, & brutis fiunt, sed quia cum naturæ necessitate fiant à brutis, ab hominibus iure, & lege naturali reguntur, quod apparet ex exemplo allato ab Vlpian. de maris, ac fœminæ coniunctione, quod nos matrimonium appellamus. Non enim voluit, quamlibet maris, & fœminæ coniunctionem iuris naturalis esse, sed cum ea adiectione, quam nos matrimonium appellamus. Hæc enim sola inter homines fit cum ratione, quod idem vides in educatione liberorum: quod igitur obiicitur, bruta esse incapacia iuris, & iniuriæ, verum est de iure formaliter, non autem materialiter sumpto. Idipsum aliter explicat Bolognet. *c. 6. de iure, &c. n. 6.* quod naturales inclinationes etiamsi in brutis nullam legem, aut ius constituant, in hominibus tamen ad legis naturalis præcepta, & iuris scientiam constituendam plurimum conferant, eo quòd ex naturalibus eiusmodi inclinationibus legis naturalis regulę, ac positiones sumantur, ex illisque deinde sciẽtia iuris constet, vt ex maris, & fœminæ coniunctione, liberorum educatione, & iniuriarum propulsatione,

R. P. Ioseph. Gibalinus de Scient. Can.

quæ toti naturæ animantium communis est, colliges: cur enim lex, quæ liberos alere iubeat, aut abiicere prohibeat, iusta dicetur, nisi quia id ipsum natura non modo homines, sed ipsa etiam animantia docuit. Quare, quod susceptos liberos ex damnato, & nefario coïtu, nullo iure teneatur pater educare, nihilq; illis possit relinquere, etiam in causam alimentorũ, id fit, quia illos non solùm lex nullo modo agnoscit, sed nec natura ipsa, *nouella 89. c. vlt.* vnde sumpta est authentic. *ex complexu, C. de incestis nuptijs*, alioqui non posset per constitutiones immutari, quod esset legis naturalis: quod autem dicitur ea lex naturæ 2. *q. 2. de statu hom.* vt qui nascitur sine legitimo matrimonio matrem sequatur, non significat coniunctionem maris, & fœminæ extra iustas nuptias esse ex iure naturali, sed non minùs matrem liberos vulgò quæsitos tanquam suos agnoscere debere, tanquam natura suos, quamvis nullo iure susceptos. Quare sapienter ius canonicum eiusmodi liberis alimenta relinqui voluit à parentibus, ne fame pereant, *cap. cum haberet, de eo, qui duxit in matrimon.*

Hanc eandem iuris naturalis acceptionem pro eo, quod naturæ instinctu omnia animalia, ipsique homines appetunt, eo tamẽ discrimine, vt homines id ipsum faciant ex rationis directione, quod cætera animantia, & bruta solo naturali præstant. Vnde, si homines eo tantùm instinctu, & non ratione in illis omnibus agerent, non vt homines agerent, sed brutorum instar, ostendit Ioannes Artesius *tract. de iure naturali gentium, & ciuili, c. 1.* atque ita definit ius naturale esse id, quod homo facit ratione, quod faceret instinctu, nisi ratione vteretur, & per accidens esse, id ius fieri ratione ab homine, cùm solo instinctu fieri possit, siátque à bestiis, quas idcircò Epicurus apud Tulli. *lib. 2. de finib.* Specula naturæ dixit, quia ab illis plurima, duce natura, rectè fiant; quod apparet in maris, & fœminæ coniunctione, procreatione, & educatione liberorum, & cæteris eiusmodi, de quibus passim Iurisconsulti, & Plato *in conuiuio.* Et quidem de generatione prolis Aristot. *lib. 1. de Repub. cap. 2.* quàm ea naturalis sit, de educationis legibus naturæ insitæ *liban. declamat. 16.* Tulli. *lib. 2. de natura Deorum, c. 4. de finib.* & *in Topic.* & *Tuscul. 1.* Origenésque ait *in Psalm.* brutis esse, *Idioua*[illegible] *νόμιμα*; denique hoc sensu passim ius naturæ legem naturæ in ipsis animantibus agnoscunt sacri, profanique scriptores, Nazianz. *in prolog. 1.* Cassiodor. *liban. declamat. 44.* αἰδοῦνται τὰ θηρία τὴν φύσιν, quæ, aliáque perplura eo loco eruditè Artesius.

Quartò eodem ferè recidit, quod aliqui duplex ius 31
naturale in homine constituunt; vnum, ad quod inclinatur secundùm naturam sensitiuam sibi cum cæteris animantibus communem: Alterum est, ad quod inclinatur secundùm naturam rationalem. Primum illud simpliciter naturale dicitur secundùm istud ius gentium. Hæc tamen expositio minùs placet, quia nequit accommodari verbis Iurisconsulti, quia exempla quædam, quæ recenset in iure gentium, pertinent ad ius naturale simpliciter, vt vim vi repellere, & iniuriam propulsare; hoc enim natura docuit omnia animantia; deinde, etiamsi ius naturale versetur circa actus naturæ sensitiuæ communes omnibus animantibus, non tamen eos dirigit secundùm naturam sensitiuam absolutè consideratam; sed vt contractam per differentiam rationalem, atque in illis ipsis actibus sensitiuis modum rationalem præscribit, & alium longè, quàm dictet instinctus naturalis brutorum: vnde etiam multa prohibet in illis actibus, quæ permittit instinctus brutis, vt vagum concubitum; iure quidem habetur secundùm varios gradus naturæ humanæ dari diuersa plura naturalia, vti ostendit Gambacurtius *lib. 1. de immunitatibus Ecclesiæ, cap. 11. num. 19.*

non verò ius naturale commune dici posse brutis, & hominibus.

Dicendum itaque est Iurisconsultum minùs propriè locutum fuisse in hac prima acceptione iuris naturalis, quod iterùm *cap.* 8. disputantes de iure gentium monebimus, intereà varias iuris naturalis acceptiones apud Iustinian. & Iurisconsultos dabit Bolognet. *tract. cit. cap.* 20.

Consectarium XI.

Distinctio iuris naturalis in primæuum, & secundarium reijcitur.

31 Vulgaris est ista iuris naturalis distinctio: Primæuum aliqui dicunt, quod homini, & cæteris animantibus commune est, ad quod pertinet susceptio liberorum, eorum educatio, aliáque, quæ ex *lib.* 1. *officior. Ciceronis* colliges. Secundarium, quod solis hominibus conuenit. Verùm, cùm primæuum illud ius, reipsa ius non sit, inutilis est ea partitio.

Alij verò vocant primæuum illud, quod primò ratio docuit omnes homines; secundarium verò, quod ex naturali quidem iudicio proficiscitur, non tamen simpliciter ab initio sic fuit, sed postea communi omnium gentium vsu, & necessitatibus ita exigentibus, fuit constitutum, & interdum recedit à primario iure naturali, eique detrahit, vt in seruitutibus introducendis; interdum et quidpiam addit, vt diuidendo rerum dominia. Verùm, hoc ius humanum, & positiuum est, non naturale, vti dicemus *alibi*. Malè igitur constituitur iuris naturalis species; deinde cùm ex hactenùs traditis ius naturale ex ratione naturali æstimandum sit, & ratio naturalis dicatur illa, quæ omnibus hominibus insita fuit, fieri nequit, vt geminum sit naturale ius, nisi sit quoque gemina ratio naturalis, aut quod non fuit aliquando ius naturale, subinde fiat ius naturale, sicut, vt sit hodie aliqua ratio naturalis, quæ aliquando non fuit, quod magis explicabitur *quæst.* 3. ex istius iuris, sicut & rationis naturalis immutabilitate.

QVÆSTIO II.

De materia, & præceptis iuris naturalis.

Vnica propositio. n. 1.
Notationes ad eius probationem n. 2. 3. 4.
Datur aliqua malitia, & honestas essentialiter talis. n. 2.
Eáque secundùm triplicem naturæ inclinationem. n. 3.
An dentur propositiones practicæ per se nota. n. 4.
Probatio propositionis. n. 5.
Necessaria est cognitio malitiæ, & honestatis. n. 6.
Consectarium primum. An omnis virtus sit materia iuris naturalis. n. 7. 8. 9.
Consectarium secundum. An lex naturalis imperet modum operandi. n. 10. 11. 12.
In quo consistat modus benè operandi. n. 13.
Consectarium tertium. An decalogus sit iuris naturalis. n. 14.
Consectarium quartum. Proprietates iuris naturalis. n. 15.

Plurima in hac difficultate dissidia potiùs fortassis de vocibus, quàm de rebus existunt, soláque videtur difficultas in certa legis naturalis, & quæ ad alias leges non æquè pertineat, materia designanda, eo quòd lege qualibet posita, sit de iure naturali eam, quandiu non resigetur, aut eius obligatio aliunde non desinat, seruare.

Propositio vnica.

Dicendum nihilominus est, illud omne, quod habet in se, & seclusa omni lege positiua, euidentem, & necessariam, atque immutabilem veritatem honestatis, aut malitiæ, esse materiam legis naturalis, quæ illud aut prohibet, aut præcipit, siue omnia, quæ intellectus, & ratio apprehendit euidenter, vt mala naturæ rationali, aut illi necessariò bona, seclusa omni lege externa, prohiberi, vel præcipi ab eadem ratione. 1

Expositio, & sensus propositionis.

Suppono, quod iam sæpius monui, aliqua esse essentialiter, & ex intrinseca sua quidditate conuenientia naturæ rationali; alia verò dissonantia. Illa dicuntur essentialiter bona, & honesta, hæc verò essentialiter mala: Et quia, quæ conueniunt rei essentialiter, non possunt illi non conuenire, & æquè immutabilia sunt, atque ipsa essentia. Idcircò quæ essentialiter mala sunt, bona esse non possunt; imò neque non bona, & quæ essentialiter bona sunt, semper talia sunt, & neque mala, neque non bona fieri possunt, nisi ipsorum essentia mutetur. Sicut quando ab amente actus essentialiter turpis fit: nam ille actus reuera in se turpis est, licèt non sit formaliter malus, quia actus formaliter essentialiter malus est actus liber, cuiusmodi nō est ille, qui fit ab amente, qui tamen, quia suam essentialem, & fundamentalem malitiam sumit ab obiecto, manet fundamentaliter essentialiter malus, & nunquam non malus fieri poterit malitia fundamentali, quod idem de actibus essentialiter bonis, si qui sint eiusmodi merè naturales, dicendum erit. 2

Suppono præterea, hanc intrinsecam, essentialémque malitiam, & honestatem, quam à conuenientia, & disconuenientia cum natura rationali deriuari diximus, secundùm triplicem naturæ inclinationem ad bonum, sumendam esse, quod obseruauit S. Thom. 1. 2. *q.* 94. *art.* 2. prima inclinatio ad bonum, est secundùm naturam sibi cum omnibus aliis communem, atque ita fertur in omnia, quæ necessaria sunt ad sui esse conseruationem: secunda inclinatio est ad ea, quæ sunt consentanea naturæ animali, & sensitiuæ: tertia ad ea, quæ conueniunt naturæ rationali, vt rationalis est. Cùm enim omnes istas inclinationes debeat regere ratio, in illis omnibus sunt quædam præscribenda, vt circa primam inclinationem, quæ ad cibum, iniuriam propulsandam, tuendam vitam, similia, quæ pertinent, ad secundam, alteram autem inclinationem ea, quæ ad coniugij vsum, educationem liberorum, & appetitum boni sensibilis spectant: vltimæ inclinationi diuinus cultus, honor parentum, iustitia, veritas, aliæque virtutes maximè ad alteram conueniunt; etiam omni lege positiua seclusa, ita vt nisi isti præstentur, inordinatio quædam & inhonestas sit in natura secundùm aliquam ex istis inclinationibus: Si verò benè se habeat natura in omnibus istis, prout illam etiant, vt rationalem decet: nam priores illæ duæ inclinationes, quæ homini cum cæteris omnibus rebus, vel saltem cum animantibus

tibus communes sunt, aliud postulant, quatenus contractæ sunt per differentiam rationalem; quam in se solùm, & abstractè cōsideratæ, vel cum aliis gradibus, & differentiis entis continent: alioquin nulla maior honestas, nuliáque alia turpitudo circa istas actiones cōmmnes in homine, quàm in belluis quærenda foret, quod nemo nisi bellua cogitabit, & sanè cùm in ratione entis gradus communes non differant realiter à differentiis, & mediis ipsos contrahentibus, sintque proinde eiusdem realis entitatis, & nobilitatis cum suis differentiis; in ratione quoque moris eandem nobilitatem nancisci debent; & cùm ratio moralitatis in sola natura rationali reperiatur, actiones inclinationum naturæ communis homini, & aliis animantibus in solo homine capaces erunt moralitatis, & in eo à ratione regi, ac temperari debebunt: honestas igitur, & malitia reperietur in eiusmodi actionibus ab homine elicitis, prout nempè natura rationalis postulat illas elici, aut non elici.

3 Suppono tertiò, hanc malitiam, & honestatem intrinsecam, & essentialem euidenter, aut ineuidenter, & obscurè cognosci à ratione. Primò enim dantur quædam propositiones practicæ per se notæ, quæ nempe, penetratis terminis, statim percipiantur, non propter necessariam connexionem attributi cum subiecto; id enim rarò, aut fortassis nunquam contingit in propositionibus merè practicis, eo quòd praxis, & operatio, quæ prædicatur, nunquam sit de essentia, & intrinseca ratione subiecti, vt vides in illo euidentissimo, vniuersalissimóque principio: *Bonum est amandum*, nam licèt amabilitas sit essentialis bono, non tamen ipsa amatur actualis, vt patet, non dicuntur igitur propositiones practicæ per se notæ, sicut in speculatiuis, eo quòd in illis attributum sit de essentia subiecti; sed quia innotescunt ex sola penetratione terminorum, & indemonstrabiles sunt, cùm non habeant aliam suæ veritatis causam, quàm ipsammet sui subiecti essentiam, vt in principio allato vides; Bonum enim amandum est, quia bonum est, & impossibile est, vllam aliam causam huius propositionis afferre, & ignorare; si quis cognoscat, quid sit bonum, quidve amor. Hæc etiam euidentia nascitur ex variis circumstantiis, ex manifesta experientia, & demùm ex inclinatione voluntatis, suaptè natura determinatæ ad obiecta eiusmodi propositionum: tunc enim intellectus quoque determinatus est ad ostendendum appetitui tanquam bonum, aut malum id, ad quod prosequendum, vel fugiendum naturaliter determinatus est. Sic, qui sentit calorem ignis, aut videt albedinem niuis, nullo discursu assentitur, ignem esse calidum, & niuem esse albam. Hæ porrò propositiones per se notæ sunt, tum ipsa principia vniuersalissima: *Bonum est amandum, & malum est fugiendum*. Tum aliqua particularia: *Deus est colendus: Iustitia est seruanda*. Sicut enim in scientiis aliqua sunt principia generalissima, quæ vagantur per omnes scientias, vt quodlibet est, vel non est: alia, quæ pertinent ad singulas scientias, in iisque sunt vniuersalia, vt in physica: Omne corpus naturale est mobile; alia verò particularia in singulis materiis: ita etiam principia moralia quædam sunt vniuersalissima, alia magis particularia: prima pertinent ad omnes omnino actiones, eáque paucissima existunt; alia verò sunt prima in quovis gradu triplicis inclinationis naturalis priùs assignatæ, quæ nimirum faciunt ad primarium finem cuiusque inclinationis absolutè consequendum, & conseruandum, quod obseruauit sapienter Caietan. *in art. 2. q. 94.* & ex illo Valent. 12. *disput. 7. quæst. 4. punct. 2.* Hæc verò omnia principia indemonstrabilia, & euidentia propter causas allatas existunt. Secundò, in istis propositionibus euidentibus numero illas, quæ facili omninò discursu à quovis intellectu ex principiis vniuersalioribus naturaliter euidentibus deducuntur. V. g. legitimè contrahens matrimonium, non est impediendus, neque prohibendum est coniugatis, quin iure sui matrimonij vtantur: adulterium, & furtum mala sunt.

Quædam verò alia, sunt quidem essentialiter, & intrinsece inhonesta, atque naturæ rationali secundùm aliquam ex ipsius inclinationibus disconuenientia, vel honesta, & alia reipsa conuenientia eidem naturæ rationali; ea tamen conuenientia, & disconuenientia, honestas, & turpitudo nobis admodum obscura est, eo quòd nonnisi operoso discursu ex principiis generalibus deduci possint: vnde fit, vt vel sæpius ignorentur, etiam inuincibiliter, vel à paucis cognoscantur, vel propter diuersas circumstantias, quibus carere vix possunt in praxi, & in exercitio, ne diuersam rationem induant, v. g. per se notum quidem est, capiendum esse cibum, ad vitam nimirum conseruandam, ad quod naturaliter inclinamus: non liquet tamen, quâ mensurâ, & ratione capiendus sit cibus ex naturæ rationalis præscripto. Notum etiam est, licère coniugibus vti suo iure, non tamen statim quando, & quomodo id licitum sit. Quis nescit Deum esse colendum, & parentes obseruandos, sed quo cultu, quáve obseruantia, non æquè omnibus perspectum est; ita non euidens est, an vsura, & an omnis fornicatio sit intrinsece mala, vti tamen reipsa est. 4

Probatur propositio.

His obseruatis, patet sensus nostræ propositionis: 5
nimirùm, legem naturalem habere pro materia ea, quæ intrinsecè, atque essentialiter bona, vel mala sunt, & quæ talia euidenter esse nouit, præcipere, aut prohibere.

Quod probatur imprimis à S. Thom. 1. 2. *q. 94. a. 2.* quia necessariò ratio practica prohibet, quæ apprehendit, vt mala, & præcipit prosequi, quæ apprehendit vt bona humanæ naturæ; cuiusmodi sunt ea, quæ conueniunt, aut disconueniunt naturæ rationali secundùm triplicem eam inclinationem *superiùs* explicatam. Non enim potest ratio imperare voluntati, vt prosequatur, quæ mala esse ostendit, aut fugiat, quæ bona esse demonstrat. Cùm impossibile sit quoque voluntati odisse bonum vt sic, aut amare malum, nisi ex bono, quod odit, immixta appareat aliqua ratio mali, & malo, quod amat, aspersa guttula aliqua boni, & tunc reuera odit malum, & bonum prosequitur. Deinde non potest naturalis ratio non prohibere quæ inhonesta nouit; alioquin vel illa ratio iam recta non esset, vel illa, quæ permitteret, aut iuberet, inhonesta non essent; quia, qui illa præstaret, non peccaret; ageret enim consentaneè legi imperanti, aut permittenti tanquam rem non malam. Quare omnis turpitudo, & inhonestas essentialis alicui actui, lege naturali omninò, & necessariò prohibetur. Quod si agamus de præcepto affirmatiuo, certum etiam est, omnem honestatem euidentem, & necessariam ad morum rectitudinem eadem lege naturali præcipi; quia opposita ratio continet inordinationem moralem euidentē, seu aliqua ratio necessaria est ad ordinationem, & honestatem morum, opposita ratio inducit inhonestatem; nisi igitur ratio naturalis præcipiat honestatem necessariam ad morum rectitudinem, licebit absque ea honestate, aut etiam contra illam operari: ergo illa non erat necessaria ex natura rei ad morum rectitudinem, quod tamen supponebatur.

Tertiò, hæc omnia, quæ intrinsecè mala, aut hone-

sta sunt, prohibentur, quia mala sunt, & iubentur, quia honesta; neque sola prohibitione, vel præcepto bona, aut mala sunt, quandoquidem, vti diximus, habent sibi intrinsecam, & essentialem malitiam. Atqui quæ eiusmodi sunt, non præscribuntur à lege positiua; illa enim addit necessitatem quandam, & obligationem aliquam, quam non postulat natura rei. Et sua prohitione, vel facit rem non malam, vel saltem auget obligationem, & necessitatem illam cauendi: ergo quæ ita prohibentur, lege naturali omninò prohibeotur, cùm non sit alia lex, quàm positiua, vel naturalis.

Quartò, nemo negat vniuersalissima, & indemonstrabilia principia esse materiam legis naturalis: ergo & conclusiones ex illis euidenter deductas, atque etiam principia particularia æquè euidentia. Probatur consequentia, quia conclusio continetur per se in principio suo: qui igitur vnum probibet, alterum quoque prohibeat, necesse est. Sicut in speculatiuis, qui assentitur principio, necessariò assentitur conclusioni, quam euidenter cognoscit in illo contineri, aut ex illo deduci: quæ eadem ratio valet circa principia particularia, quæ & euidenter nota sunt ex vi terminorum, & continent obiectum intrinsecè malum, aut bonum, atque vt tale euidenter cognitum.

Quintò experientia sanè id docet. Nam Religionis obseruantiam, pietatem, veritatem, & fidelitatem, & plurimas circa ista omnia actiones præcipi iure naturali fatentur omnes, vbi de iis interrogantur, iisque terminis explicantur: Et si quid in istis peccauerint, habent statim remordentem conscientiam, quamvis nullum alium externum monitorem audierint, aut legem, quod in gentibus quoque immanitate barbaris deprehendimus.

6 Postulabam verò ad materiam legis naturalis præter intrinsecam actionis malitiam, & honestatem, eius euidentiam; quia, etiamsi omnis actio intrinsecè bona, vel mala, sit apta materia, quæ à lege naturali imperetur, aut prohibeatur; Reipsa tamen non prohibetur actu, aut iubetur, nisi illius notitia actualis, aut habitualis habeatur, quandoquidem actualis prohibitio, & imperium fit per rationem, eiusque dictamina, quæ voluntati nihil aliud obijcere possunt, quàm quod cognoscunt, vt patet, indéque fit, vt circa particulares actiones disputent Philosophi, & sæpius etiam errent, quia ipsarum turpitudo, vel honestas obscura admodum est, propter diuersas circumstantias, quæ iudicium rationis immutant: neque vllus omninò est, qui hanc euidentem notitiam ad legis naturalis præcepta non postulet. Vbi igitur ea, quæ intrinsecam malitiam habent, innotuerint, vt talia, siue per penetrationem solam terminorum, siue per veram illationem ex principiis vniuersalibus, vel particularibus proximam, aut remotam; certam tamen, & necessariam, iam actu continebuntur à lege naturali, ad quam necessariò, & ex sua natura pertinent: quare nostra propositio confirmata manet, ex qua plurima consectaria deducam.

Consectarium I.

An omnis virtus sit materia legis naturalis.

7 Colliges primò, An lex naturalis omnium virtutum actus imperet. Ratio dubitandi est, quia diximus, omnem actionem essentialiter bonam esse materiam legis naturalis, atqui virtus omnis eiusmodi est: neque enim fieri potest, vt actus virtutis non sit bonus; ergo omnis virtus est materia legis naturalis; id tamen absurdum videtur, primò: quia nonnullæ sunt virtutes, quæ pugnant cum inclinatione naturali, vt virginitas, quam esse virtutem à castitate distinctam existimauit S. Thom. 2.2. q. 152. art. 3. & q. 155. art. 1. deinde materia legis naturalis certa, & determinata esse debet, quandoquidem immutabilis est, vti constabit q. sequenti, & à natura, quæ ad vnum determinatur, præscribitur; virtutum tamen plurimarum actus ex variis circumstantiis determinantur, & vnà cum illis mutantur, vti in temperantia facile aducrtes. Denique vna tantùm lex naturalis admittenda erit, omnisque alia superflua erit; nihil enim noui imperabit, sed vel naturalem tantùm explicabit, & promulgabit, vel eam determinabit.

S. Thom. 1.2. q. 94. art. 3. omnes actus virtutum in communi sumptos reuocat ad legem naturalem, non autem in particulari: sic enim plures sunt consilij, non præcepti, vt virginitas. Primum autem illud probat, quia naturalis inclinatio hominis tendit ad hoc, quod est ipsi conueniens; nempè, vt agat secundùm rationem, quod fit per virtutem. Eadem repetit q. 100. art. 2. quia lex diuina præcipit ea omnia, per quæ ratio hominis bene ordinatur ad communicationem cum Deo, id autem fit per omnes virtutes. Sanctum Doctorem interpretatur Suar. lib. 2. de legib. cap. 7. n. 12. vt velit, omnes actus virtutum aliquando obligare sub veniali propter illam rationem S. Thomæ, quia ex omnibus virtutibus integra hominis rectitudo consurgit; quare contingere oportet, aliquam opportunitatem, in qua præcipiatur exercitium cuiusque virtutis, vt homo omni ex parte rectus existat. Verùm, non appatet hæc obligatio; satis enim fuerit, si in omni sua actione homo operetur secundùm rationem, ad quod non fuerit opus omnium virtutum actus exercere, vt variam hominum sortem, & virtutum multitudinem expendenti facilè constabit. 8

Placet igitur, quod ait Valent. t. 2. disp. 7. q. 4. punct. 4 S. Thom. loqui de virtute, secundùm quod omnibus virtutibus commune quid est: nempè bonum rationis, secundùm quod omnis virtus à lege naturali præcipitur, non quasi sit opus, omnes virtutum actus sub illa saltem ratione communi exercere, nam eiusmodi communis ratio distingui nequit à ratione propria, & specifica singularum virtutum; sed quia sufficit, vt actus præceptus suo tempore exerceatur, ideóque illud præceptum vniuersalissimum: *Bonum est faciendum*, non obligat nos, vt faciamus, quidquid aduerterimus esse consentaneum naturæ rationali; alioquin nulla essent opera consilij, sed vt si nobis operandum sit moraliter tunc benè, & honestè operemur. Eodem recidit, quod aliqui dicunt, omnes actus omnium virtutum quoad specificationem contineri præceptis iuris naturalis; non tamen quoad exercitium, cùm in quacunque materia operemur, teneamur seruare iuris naturalis, & rectæ rationis, ac virtutis, in cuius materia operamur, regulas, quod fiet, etiamsi non exerceantur reipsa singuli singularum omnium virtutum actus, vt actus matrimonij, ipséque S. Thom. q. 94. cit. art. 1 fatetur multa secundùm virtutem fieri, ad quæ natura non inclinat, sicut igitur lex æterna, quatenus est præcipiens, non se extendit ad omnia naturalia, vti ostendimus cap. superiori, q. vltima, ita neque lex naturalis, quæ æternæ transcriptio quædam est, non complectitur suo imperio omnia bona, sed aliqua indicat, & approbat, non tamen præcipit, atque hoc sensu dici posset materiam legis naturalis esse quidem omnes, & singulos omnium, & singularum virtutum actus, tum quoad specificationem, tum quoad exercitium, diuerso tamen modo, eo quòd omnes secundùm specificationem præcipiat; secundùm exercitium verò partim præcipiat, partim consulat.

fulat. Quidni etenim dicemus voluisse dumtaxat S. D. omnes virtutes naturales esse homini, eò quòd tum propensionem ad illas habeat, tum quædam veluti ipsarum semina, quod Damasc. *lib. 3. de fide, c.* 14. Augustin. *q.* 3. *ex* 83. & *lib. de quant. anima, cap.* 16. Arist. *lib. 2. Ethicor. cap.* 1. Plato *in menon.* Cicer. *lib.* 1. *de legib. & 2. de Inuent.* aliique dixerunt, atque ita virginitas, siue illam distinctam virtutem facias à castitate, siue illi tantùm perfectionem aliquam adijcere dicas, cum Vasq. 1.2. *q.* 100. *art.* 2. *dubit.* 2. & Sal. 1.2. *tract.* 24. *disp.* 5. *sect.* 5. *n.* 23. conformis est rectæ rationi, & inclinationi naturali ad perfectè vacandum Deo. Natura enim etiam ad illam perfectam cum Deo communicationem inclinat.

CONSECTARIVM II.

An lex naturalis imperet modum operandi.

10 Secundò colligitur ea nostra doctrina, legem naturalem non solùm imperare opus secundùm se, sed etiam modum necessarium, vt bene, & honestè fiat; quia, vti diximus, imperat actum studiosum, & honestum; quia honestus est: ergo imperat quidquid necessarium est, vt honestè fiat, alioquin violando honestatem seruaretur lex naturæ, quæ tamen prohibet omnem inhonestatem, & turpitudinem: quidquid igitur ad honestatem actus imperati necessarium est, imperatur à lege naturali, quæ iubet omninò te bene, & ex virtute operari, quoties operaris moraliter.

11 Ad illud autem requiritur primò, vt actus sit de obiecto bono, & non essentialiter malo. Secundò, vt fiat à sciente, & cognoscente, ex cognitione videlicet sufficiente ad actum humanum; quia non impletur nisi per actum humanum, vt patet in omnibus aliis legibus: aliud enim est formaliter impleri, aliud partis obligantis materiam tolli, ac proinde obligationem extingui. Sic ebrius dans eleëmosynam, eo momento, quo ad illam obligabatur, tollit materiam obligantis tunc, nempè necessitatem proximi, non tamen illud formaliter implet, eò quòd non agat humano modo, neque tunc facit actum formaliter honestum, & virtoris, quod idem contingit in illo, qui ebrius quoque soluit debitum: quia enim sine actu libero ponit æqualitatem, tollit omnem materiam obligationis ad restituendum, quæ nascebatur tantantum ea inæqualitate. Et idcircò posita æqualitate, quocunque modo, & actu, siue humano, siue non humano: cessat obligatio illam denuò ponendi. Non requiritur porrò scientia, cùm absque illa fiat actus humanus, & non peccetur contra præceptum, illud quidem non ita perfectè implet operans, atque si ex eius cognitione operaretur; formaliter tamen implet, contra quam velit Suar. *lib. 2. de legib. c.* 10. *n.* 10. quia attingit actum, ad quem per se refertur præceptum, & sanè vix vnquam Rustici implerent legem naturalem, si ex eiusmodi cognitione præcepta implenda forent.

Requiritur tertiò, vt actus fiat à volente, & eligente; per voluntarium autem non excludimus quamcunque displicentiam, aut tristitiam, quæ ex difficultate operis sæpissimè suboritur, sed quæ voluntarium ex parte saltem tollit, cùm quis ita sibi in eò opere displicet, vt inuitus illud faciat, vt si abesset coactio, illud non faceret, etiam stante eadem lege naturali, & obligatione.

Quartò denique exigitur, vt actus ex intentione honestatis, & ex omnibus suis circumstantiis honestus sit, quæ omnes conditiones fusiùs *lib. proximo* explicabuntur. Modus igitur ex omnibus istis operandi imperatur à lege naturali imperante actum honestum, & omnem turpitudinem prohibente.

Atqueadeò plurimùm dissidet lex naturalis ab 12
omnibus aliis, quæ implentur substantialiter, siue materialiter per actus malos, vt dum quis audit sacrum propter vanam gloriam, non tamen qui eleëmosynam dabit ea praua intentione, qui coniugi petenti reddet debitum propter delectationem; qui parenti cultum exhibebit, vt eum decipiat, legem naturalem implebit, quia violatur, & in illis omnib. ius naturale secundū legem benè operandi non impletur, succurritur quidem necessitati proximi, sed violatur lex humilitatem imperans: seruatur iustitia in redditione debiti coniugalis, sed violatur temperantia in effusione libidinis: pietati paternæ satisfit per eam obseruantiam, sed virtus alia simul impetitur: quare ius naturale nunquam impletur, si secundum aliquam circumstantiam actionis imperatæ non seruetur.

CONSECTARIVM III.

An Decalogi præcepta pertineant ad ius naturale.

Respondeo cum S. Thom. 1.2. *q.* 100. *art.* 3. perti- 13
nere, sequitur ea dictis, quia illa proximè, & euidenter ex primis principiis naturalibus practicis deducuntur, atque per modum conclusionum demonstrantur, nisi quatenus aliquid cæremoniale, aut determinationem ad aliquam actionem singularem continent, cuiusmodi est sanctificatio Sabbathi. Nam licèt Dei cultus sit de lege naturæ, quod tamen fiat hoc, aut illo die, à lege positiua est: quare reijcimus Scot. *in* 3. *d.* 37. *vn.* qui dixit, præcepta secundæ tabulæ non esse strictè de iure naturæ, ex quo falsam quoque elicit conclusionem, à Deo esse dispensabilia. Si enim id daremus, dandum quoque esset, antè legem Mosaïcam illa minimè obligasse, neque modò obligare gentes barbaras, quibus nulla lex innotuit hactenus; quamvis enim apud ōmnes seruentur, inde tantùm efficeretur esse de iure gentium, quod, vt dicam, mutabile est, itaque adulteria, furta & alia eiusmodi scelera, & olim licita fuissent, & modò forent apud eas nationes, quibus vel Mosaica lex nota non fuerat, vel Euangelica, quæ antiquam Mosaïcam hac in parte instaurauit, non innotuit, contra Paul. qui affirmat gentes, quæ leges non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt facere, & eos, qui sine lege peccauerunt, sine lege perire.

CONSECTARIVM IV.

Proprietates iuris naturalis.

Explicatâ iuris naturalis naturâ, & obiecto, mani- 14
festæ fiunt eius proprietates. Prima est communitas, & vniuersalitas, cùm vna sit, & eadem apud omnes, vti docet ex Cicerone *in lib. de Republ.* Lactant. *lib. 6. instit. cap.* 3. atque Arist. 2. *Rhetoric. cap.* 13. Secunda est rectitudo, & æquitas, de qua fusè, elegantérque Tyrius *dissert.* 37. & 40. Tertia, aliæ leges sunt tantùm eius particulæ, vt ait Facundus Hermaniensis, qua de re *q. vltima.* Quarta, qui eam violant, pœnas subeunt acerbissimas. Postrema, eáque omnium, maximè reciproca est immutabilitas, ex iis proprietatibus duæ solùm postulant maiorem lucem; nimirum immutabilitas, de qua dicam *q. seq.* & exterarum legum ab ista origo, quam *q. vltima* explicabo.

QVÆST.

QVÆSTIO III.

De immutabilitate iuris naturalis.

1 CONstans est, & diffusa in omnes lex ista, quã neque per Senatum, neque per populum solui possumus, neque derogati ex hac aliquid licet, neque tota potest abrogari, neque quærendus est explanator, aut interpres illius, neque erit alia Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia posthac; sed & omnes gentes, & omni tempore vna lex, & sempiterna, & immutabilis continebit. Ita apud Lactantium. *lib. 6. Instit. cap. 3.* disputat Tulli. in opera de Republica, quam eandem legis, & iuris naturalis immutabilitatem agnoscit Gratian. *dist. 5.* cui concinit *cap. sunt quidam 25. q. 1.* Clement. *Ne Roman. de electio. cap. cum tanto, de consuetudine, cap. pastoralis, de re iudicata, cap. super eo, de vsuris.* Ius Cæsareum *§. sed naturalia, ff. de iure naturali, & §. minus, ff. de hæredib. quæ ab intestat.* atque alibi sæpius, & magno consensu DD. longæ tamen sunt ambages in definienda ista immutabilitate, quænam vel ea sit, & an secundùm omnia, quæ ius naturale præscribit, an secundùm aliqua tantùm, an respectu humanæ potestatis, an etiam diuinæ, an in qualibet facti circumstantia, an in quibusdam solùm, an deinde circa plurimos casus, in quibus videtur facta fuisse nonnulla mutatio huius iuris, cùm aliter, quàm illud præscribat hactenus, leges humanæ videantur definiuisse, ideóque plurima sunt tum Theologorum, tum iuris interpretum dissidia, quæ facilè mihi componi posse videntur, si prius aliqua obseruaueris.

Notationes definiendæ controuersiæ.

Distinguo imprimis geminam legis mutationem: propriam vnam, impropriam alteram. Prior illa fit, quando per solam extrinsecam legislatoris, aut illi æqualem potestatem habentis voluntatem, lex refugitur, aut abrogatur, aut licèt eadem lex, eiúsque obligatio perseueret, eximitur aliquis à superiore, ex cuius venia facit aliquid licitè contra legem, quod sine peccato, aut pœna facere nequiuisset, eò quòd suo facto legem obligantem violasset, vel quando lex emendatur pro aliquo casu ex quadam æquitate, quæ postular, ne lex in illis circumstantiis obliget, & reuerà illum casum nunquam sua lege complecti voluit Legislator; immò si ad illum aduertisset, ipsum excepisset: denique, quando non vsu, aut contrariis etiam moribus obliteratur, antiquatúrque sensim lex. In his omnibus vides mutari propriè, & directè leges; quia mutatio immediatè cadit in ipsam legem, non in aliquid aliud, vnde sequatur deinde mutatio in lege: nam stante eadem materia, eodémque obiecto, suis circumstantiis vestito, nunc non obligat, cùm antea circa illud idem, & eodem modo acceptum obligaret; quia vel desiit lex, aut emendata, aut cum aliquo circa illam dispensatum fuit. 2

Altera verò quædam est mutatio legis impropria, & indirecta, per quam mutatur materia, & obiectum legis primò, & per se; quia facta mutatione desinit pertinere ad legem, ad quam priùs pertinebat, subtrahitúrque eius obligationi: non mutatur itaque lex in se, sed eius obiectum. Cùm enim lex non imperet, aut prohibeat illud obiectum, sed aliud, quod priùs positum fuerat, non potest dici, mutato obiecto, mutari legem, nisi admodum impropriè; illa enim semper vrget, quoties ponitur obiectum, quod illa prohibuit, aut imperauit, quod in præceptis affirmatiuis facilè intelliges, quæ dicuntur obligare semper, & non pro semper, v. g. præceptum de ieiunio, aut confessione, licèt hoc, vel illo tempore non obliget, sed solùm in propriis circumstantiis, non ideircò mutatur; quia tota illa mutatio est extrinseca ratione materiæ, quæ semper non occurrit; si enim occurreret, vrgeret tunc præceptum. Neque absimili ratione negatiua præcepta desinunt obligare circa aliquam materiam, quoties ea non occurrit cum ea difformitate, & circumstantia, sub qua fuit prohibita; ea tamen mutatio tota extrinseca est, manétque præceptum in se immutabile, atque semper, & pro semper obligans: sic omnia entia connotatiua, & relatiua, mutato termino, & extremo, quod respiciunt, mutari dicuntur extrinsecè, quamvis intrinsecè eadem permaneant, immò & aliquando in sese immutabilia prorsus sint. In speculatiuis quoque mutato obiecto mutatur propositio non intrinsecè, sed extrinsecè, quia ex falsa fit vera, aut ex vera falsa. 3

Obseruandum secundò est, diuersam esse iuris naturalis materiam; quædam enim ab humano consensu, & libero arbitrio pendent, vt sont pacta, conuentiones, & quæ ex iis nascuntur actiones; alia materia est independens ab omni humano consensu, vt præceptum diuini amoris, & cultus, pietas in parentes, 4

& ferè omnia præcepta negatiua vt non furandi, non occidendi & non infamandi mustè. Rursus hæc materia independens ab omni humano arbitrio aliquando pendet ex supremo Dei dominio, à quo mutari potest; aliquando etiam ab eo dominio omnino independens est. Primum vides in cæde hominis, cuius vita pendet à dominio Dei, qui illam vbi voluerit & quibus voluerit modis, auferre potest; secundum alueris in odio Dei, inde fit, vt quorundam actuum, quos natura ipsa imperat, aut prohibet honestas, aut turpitudo radicaliter, siue potiùs fundamentaliter, aut materialiter pendeat à supremo Dei dominio, aut etiam humana potestate; eo quod tum Deus, tum etiam aliquando homines mutare possint materiam quæ ratione circumstantiarum, quibus affecta erat, fundabat malitiam, vel bonitatem actuum iure naturæ præceptorum, aut prohibitorum: quando verò nulla potestas, neque humana, neque diuina habet ius in materiam fundantem turpitudinem, vel honestatem, tunc moralitas actionum versantium circa talem materiam, independens est, etiam radicaliter, & fundamentaliter à diuino dominio, etiam supremo; v.g. malitia odij Dei prorsus independens est à Deo, quia Deus nequit illius actus materiam vllis conditionibus, & circumstantiis vestire, quibus fiat obiectiuè bona, aut saltem non mala, ac proinde si terminet actum liberum odij Dei, illum necessariò inficiet, quidquid è contrariò Deum statuere fingamus, ex suppositione impossibili, vt dicam *in consectarus*. Cùm tamen tum Deus, tum etiam homo possit cædem alterius aliquando iustè imperare, aut perficere; quia vita hominis pendet ex diuino dominio, ipsi homini quibusdam in casibus illam imperante: vnde facere potest Deus, vt occisio non sit homicidium, iure naturali prohibitum; non autem vt homicidium iure naturali prohibitum, sit bonum, aut non malum: sic etiam dum imperat rem alienam capi, facit, ne illa acceptio rei alienæ sit furtum, quia donatur à vero, & supremo domino accipienti, neque iustè inferior dominus sibi à Deo auferri, alterive donari, & se pati iniuriam queri potest; non facit autem sua illa donatione, vt furtum iure naturali prohibitum, licitum sit, vt optimè explicat Caietan. 1 2. *q.* 100. *art.* 8.

Obseruandum tertiò est, ius naturale duplex esse: vnum improprium, & in ampliori quadam significatione acceptum, quidquid nimirum rationi naturali consentaneum est, etiam si ab illa non præscribatur: v. g. filium succedere patri ab intestato; quia tamen possunt occurrere plures casus, in quibus eadem recta ratio naturalis dictabit, filium priuari posse, aut etiam iure debere, hæreditate; idcircò ea successio filij in hæreditate paterna, non est de iure naturæ, nisi admodum impropriè: quatenus habet aliquod fundamentum in eo iure. Alterum ius naturale proprium est, quod aliquid præcipit, & dictat faciendum, aut omittendum, de quo quærimus, an sit mutabile, an non; nam priùs illud satis constat per leges humanas sæpius mutari: Cùm enim lex omnis iusta esse debeat, consentire quoque debet cum ratione naturali, atque adeò fundari in iure naturali, à quo proinde deriuari dicuntur omnes leges, vti *q. vltima* exponam; quæstio itaque est hoc loco de iure naturali propriè dicto, & præceptiuo.

Suar. *lib.* 2. *de legib. cap.* 14. aliter distinguit ius naturale; vnum vocat præceptiuum, quod, vt dixi, tradit regulas, & principia bene operandi, quódque habet intrinsecam immutabilitatem. Omnis enim regula necessariò recta, & nequit esse obliqua: Iam enim non esset regula rectè operandi, sed obliquè. Alterum verò ius nominat Suar. dominatiuum, quod confert ius, aut rationem, ad vtendum aliquâ re, & se habet veluti materia respectu iuris præceptiui, & consistit in quodam facto esse, conditione, & habitudine rerum, quæ omnia pendent ex diuersis circumstantiis, & omninò mutabilia sunt. Hæc diuisio iuris naturalis non omninò coincidit cum distinctione iuris naturalis in positiuum, & negatiuum, siue permissiuum, & concessiuum. Nam libertas non est de iure præceptiuo; est tamen de iure positiuo, dominatiuo, non permissiuo, & negatiuo dumtaxat; alioquin non magis libertas esset de iure naturali, quàm seruitus, atque ita potuisset vnus homo, stante iure naturæ, alium in seruitutem redigere, neque ius naturæ violaret, quod nemo dixerit: nimirùm, quia libertas, licèt non sit de iure naturali præceptiuo, est tamen de iure naturæ dominatiuo; quilibet enim habet dominium suæ libertatis, quâ sine causa priuari nequit. Itaque ius naturale dominatiuum distinguendum est à negatiuo, siue permissiuo, ad quod spectant omnia, quæ non prohibentur iure naturali. His obseruatis, sit.

Prima Propositio.

De mutatione propria, & directa legis naturalis.

Lex naturalis est prorsus immutabilis, vera, & propria atque directa mutatione, quæ fiat per desitionem, abrogationem, dispensationem, & emendationem, siue Epijkiam.

Expositio, & confirmatio propositionis.

6 Hanc legis immutabilitatem tradunt illi omnes, qui neque ab humana, neque à diuina potestate quidquam detrahi, aut dispensari posse, in lege naturali docuerunt, Alens. 3. *par. q.* 27. *mem.* 4. *art.* 5. §. 5. Vincent. *in speculo morali, lib.* 1. *part.* 2. *ad* 3. D. Thom. 1. 2. *q.* 94. *art.* 4. & 5. & *q.* 100. *art.* 8. & 2. 2. *q.* 66. *art.* 2. *ad* 1. Caietan. Medin. Conrad. aliique ad locum citatum, 1. 2. Sot. *lib.* 1. *de iustitia, q.* 4. & *q.* 7. *art.* 3. & 5. & *lib.* 2. *quæst.* 1. *art.* 8. Molin. *tract.* 1. *disput.* 4. & *tract.* 5. *disput.* 49. *n.* 4. & *disp.* 57. *n.* 6. Azor. 1. *par. instit. lib.* 6. *cap.* 2. *q.* 2. & 3. Valent. *tom.* 2. *disput.* 7. *q.* 4. *punct.* 5. & 6. Suar. *lib.* 1. *de legib cap.* 13. *n.* 2. & *cap.* 14. & 15. & *lib.* 8. *de voto, cap.* 9. Sal. 1 2. *tract.* 14. *disp.* 5. *sect.* 7. *n.* 32. & *sect.* 9. Ferrari. *de legib. cap.* 28. Vasq. *disp.* 179. *c.* 2. 1. 2. Richard. *in* 3. *dist.* 37. *art.* 1. *q.* 5. Palac. *ibid. disp.* 1. §. *iam verò*, Carthusian. *q.* 5. *ibid.* Dyonis. Cistercien. *q.* 5. *art.* 2. *con.* 2. Paludan. Bassolis. & alij *in eand. dist.* 37. Heruæ. *in* 1. *dist.* 47. *q.* 3. *art.* 3. Albert. *in sum.* 1. *part.* 2. *tract.* 20. *q.* 8. *art.* 2. Vigeri. *Instit. Theologica, cap.* 17. §. 1. *n.* 7. Victoria *relect. de homicidio, n.* 13. Vincent. *in speculo lib.* 1. *part.* 2. *dist.* 6. Conrad. *lib.* 3. *q.* 10. Adrian. *quodlib.* 20. *art.* 3. Abulens. *in cap.* 20. *Exodi, q.* 35. qui omnes etiam de diuina potestate agunt; de humana verò quacunque idem affirmant Almain. *de potestate Ecclesiast. cap.* 13. *con.* 1. Driedo *lib.* 2. *de libertate Christiana, cap.* 4. *sub fin.* Maior. *in* 4. *dist.* 24. *q.* 12. Catharin. *lib.* 6. *contra* Caietan. *cap.* 2. Victoria *Relect.* 2. *de potestate Papæ*, Sylu. *verbo Papa.* August. Triumph. *de potestate Ecclesiæ, q.* 53. *art.* 1. Turrecrem. *in sum. cap.* 54. & 57. & *lib.* 2. *de potestate Eccles. c.* 107. Picard. *lib.* 1. *instit. tit.* 2. *de iure naturali*, *cc.* §. *sed Naturalia*, Nauarr. *consil.* 4. *n.* 16. *de desponsat. impub.* & *in cap.* 1. *ita quorundam, de iudæis, penult n.* 1. & 7. Couarru. *in Regul. peccatum, part.* 2. §. 11. *n.* 3. & *in cap. quamuis pactum, part.* 2. §. 4. *n.* 6. & in *epitome quarti decretali. part.* 2 *cap.* 6. §. 9. *n.* 3. Barbosa. *in Rubric. ff. soluto matrimonio,* 1. *parte, n.* 104. Lancellot. *de potestate Pontificia,*

lib.

lib.2.§.4. vbi plures refert Ludouic. *art. paramo. lib. 3. de origine, & progressu sanctæ inquisition. q.8.n.98.* Ioann. Baptista Caccialup. *de pensionib. Eccles. q.19.n.64.* Rebuff. *de decimis, q.13. n.106.* Marquardus de Susannis *de cœlibatu sacerdotu non abrogando*. Gregorius Rhamnusius *de affinitate, n.12.* Matth. de Afflictis *decis.391.* Ioan. Franc. Balbus *de præscriptionibus, §.5. n.2.* Bald. Angel. & Imola *in l. filius a patre, §. finali, ff de liber. & posthum.* Claudius Cantiuncula *de officio iudicis, cap.6. n.7. 8. & 79.* Michaël Vlcarrunus *de regimine mundi, part.1. q.4. n.57. & 76.* Constant. Rogerius *de legis potentia, n.2.* vbi Barthol. Bald. aliósque dabit.

7 Hanc tamen assertionem, tot, vt vides, Doctorum authoritate munitam, alij non ignobiles pluribus impugnant, quorum aliqui contendunt ab humana etiam potestate mutari quidpiam in iure naturali posse. Felin. *in cap. ne innitaris, de constitutionibus, n.7.* Abbas *in cap. Quæ in Ecclesiarum, de constitut. n.11. & in cap. fina. de consuetudine, n.3. & in cap. à nobis, de decimis, n.4.* Nauarr. *consil.2. qui filij sint legitimi, n.8.* pro contraria sententia superius adductus, Angel. verò Papa, Hieronym. Paul. *in practica Cancellariæ, tit. nobilia super dispensat. matrimonij,* Laurus de P. Iutiis *de statutis, n.13.* Albericus *de statutis, part.2. q.10. num.7.* Lancellotus *de statutis, de non legando 11. vor. solidos, q.5. n.62.* Stephan. de Fridericis *de interpretat. iuris, n.71.* Albert. Bolognet *de leg. iure, & aquit. cap.26. n.6.* quamvis *n.3.* videatur contrarium velle. Alexand. *lib.2 cons.1. n.2. & consil.2. n.7. lib.6. consil.134. Animaduertis, n.37. & lib.7. Concil.32. Charissime n.9.* Anastasi. *consil.239.* *Can. relat. de pœnitent. part.5.* Henriq. *lib.8. c.15.* Sanch. *lib.8. de matrim. disp.6. n.5.* qui & alios dabit. Hi verò omnes multò potiori ratione eam vim mutandi ius naturale Deo concedent, quod faciunt Scot. Durand. & alij plures *inferius*, dum *de dispensatione Decalogi* disputabimus in Consectariis referendi, aduersùs igitur hos omnes probatur nostra propositio.

8 Primò quia præcepta naturalia sunt dictamina rectæ rationis, de iis, quæ habent turpitudinem, aut honestatem intrinsecam, & essentialem independenter ab omni diuina, & humana voluntate. Sunt igitur ea dictamina propositiones sempiternæ veritatis, atque necessariæ, sicut ipsarum obiectum necessarium est, ergo & immutabiles: vel enim mutaretur cognitio illa practica, vel obiectum: istud mutari nequit, cùm sit essentialiter tale; cognitio etiam practica mutari nequit; fieret enim ex vera falsa, si affirmaret, quod anteà negabat, aut negaret, quod affirmabat, nulla facta in obiecto mutatione; si enim antea verè affirmabat, nunc falsò negabit quod affirmabat. Hoc igitur iudicium non est dictamen rectæ, sed aberrantis rationis; quare non magis ista iudicia practica sunt mutabilia, quàm speculatiua, quoties sunt propositiones perpetuæ veritatis, vti sunt ista, de quibus agimus: Sunt enim, sicuti fuit *q. superiori* explicatum, principia per se nota, aut conclusiones ex ipsis necessariò, & euidenter deductæ; quæ proinde eandem necessitatem veritatis, atque ipsa principia continent: quandiu itaque manebit idem obiectum, idem prorsùs de ipso iudicabit ratio naturalis, amandum videlicet, aut fugiendum esse: quia verò obiectum illud mutari nequit per solam voluntatem diuinam, aut humanam, quandoquidem independenter ab illa habet malitiam, vel honestatem fundamentalem sibi intrinsecam; neque præceptum illud prohibens, aut imperans mutari poterit. Quod si fiat aliqua mutatio in obiecto, eiúsque circunstantiis, per quam non sit ampliùs obiectum talis præcepti, non proptereà mutatur præceptum ipsum, quod semper prohibet, aut imperat, illud ipsum obiectum, quod prohibebat, aut imperabat priùs.

Dices nos *q.1.§.10.* docuisse omne malum esse formaliter malum, quia prohibitum: sublata igitur prohibitione, quod per solam extrinsecam voluntatem prohibentis fieri potest, non erit ampliùs malum, ac proinde lex, quæ illud vitandum edocebat, non ampliùs obligabit, cur enim prohibebitur quod malum non erit, vel enim ipsa lex sublata probibitione desinet, vel saltem non obligabit. 9

Respondeo imprimis malum prohibitum iure naturali habere malitiam intrinsecam fundamentalem independenter ab omni prohibitione, ac proinde tale, vt non possit non prohiberi à diuina voluntate, & ratione naturali, quæ quatenus est notificatiua illius diuinæ voluntatis, est lex naturalis, vti diximus *q.1.* quare suppositio, quâ remoueretur prohibitio ab obiecto legis naturalis, & intrinsecè malo, seipsam destruit; quia supponit non prohiberi à diuina voluntate, quod à diuina voluntate non potest non prohiberi, si sit intrinsecè malum. Itaque supponitur simul obiectum illud esse intrinsecè malum, & non esse intrinsecè malum, quandoquidem actus liber poterit tendere in illud, & non esse intrinsecè malus, ac non prohibitus; quidquid enim Deus non prohibet, malum non est essentialiter, cùm tam implicet Deum non prohibere quod est intrinsecè malum, quàm illud velle. Si igitur tendat voluntas in obiectum à Deo non prohibitum, non facit actum malum formaliter, & tamen liberè tendit in obiectum intrinsecè, & essentialiter malum malitia fundamentali, ex qua necessariò exsurgit malitia formalis actus; quomodò enim actus non erit formaliter disconueniens iudicio rectæ rationis, si eius obiectum sit essentialiter disconueniēs naturæ rationali, atque vt tale cognitam volitionem liberam terminet. Iam igitur impossibile erit remouere malitiam formalem à tali actu, cui omninò essentialis est, quàm malitiam fundamentalem ab eius obiecto, cui essentialis quoque, & intrinseca esse supponitur; támque impossibile est rationi rectæ non prohibere actum, quem ratione sui obiecti videt esse essentialiter malum, quàm non esse rectam; cùm tamen recta esse supponatur. Cùm igitur hæc omnia essentialia sint, immutabilia sunt, vt ipsæ rerum essentiæ atque propositiones sempiternæ veritatis.

Secundò. Hæc eadem ratio demonstrat nullum ex 10 illis modis, quibus fit vera, & propria legis mutatio, fingi hoc loco posse: nam primò nequit desinere lex naturalis, nisi ipsa ratio, & natura rationalis desinat: displicet enim, quod ait Valent. *1.2. disp.7. q.4. punct.5.* de potentia absoluta posse ex hominum mentibus deleri synderesim, quia est habitus extrinsecus essentiæ hominis. Nam synderesis habitualiter, & in actu primo, vti illam considerat Valentia, nihil aliud est, quàm ipsum lumen naturale inclinans ad notitiam principiorum vniuersalium practicorum, seu potiùs illorum notitiam eliciens, quod lumen, vt vides, extingui omninò non potest. Non negarim quidem pertinaciùs, ex horum principiorum cognitione repetita gigni aliquem habitum, vti contingit in speculatiuis; sed de eo habitu non agimus. Synderesis verò in actu secundo est ipsamet actualis cognitio horum principiorum moralium naturalium, & dictaminum practicorum: Et posse quidem naturā humanā totā priuari à Deo vsu rationis, quod tamen non esset legem naturalem desinere, aut abrogari, quæ semper obligabit, vbi innotescet: quis, amabo, dicat, eum, qui alterum vi detinet, ne sacrum audiat; abrogare legem audiendi sacrū? poterit quoque respectu quorundam principiorum, quæ non ita euidentia sunt, nesciri, & occultari ad breue aliquod tempus, vti ostendimus. Hæc tamen ignorantia quamvis excuset tunc à culpa, non abrogat legem, vt patet.

Secundò. Impossibilis est vera dispensatio, quæ conce

concedat, vt aliquid licitè fiat, manente, & perseuerante tota lege, quod sine eiusmodi venia illicite fieret, quia, vt iam dixi, nequit Deus non prohibere quod est intrinsecè malum, vti tamen faceret sua illa dispensatione, quæ causa multò magis id ipsum probat de homine, qui nequit mutare rerum naturas, & rectè operari contra dictamen rectæ rationis, esset enim aperta implicantia.

11 Denique Epikia propriè sumpta in legem naturalem cadere nequit. Non enim est nuda interpretatio, ac declaratio legem in eo singulari casu non obligare; ad id enim solum prudentia, & doctrina requiritur, sed est emendatio legis, quæ cùm verbis vniuersalibus lata sit, in casu quodam particulari iudicatur non esse obseruanda, quia facta est inutilis, & noxia; quare legislator in eo casu suam ipse legem emendaret. Idcircò Aristoteles *lib. 5. Ethic. cap 4.* dixit, æquitatem esse meliorem iusto, quod peccat, id est, deficit, & *cap.* 10. dixit esse emendationem iusti legitimi, vti fusiùs alibi docebimus. Atqui iustum naturale nunquam peccat, aut deficit; non enim præscribit aliquid tantum generaliter, & absolutè; sed consideratis omnibus circumstantiis debitis, quid faciendum, aut fugiendum sit, recta ratio præscribit; sicut itaque neque natura, neque recta ratio deficere, & peccare potest, ita neque ius naturale. Igitur impossibilis est Epikia ad emendandum, aut supplendum defectum iuris naturalis. Et sanè Buridan. *lib. 5. Ethic. c. 27.* S .1.2. *tract.* 14. *disp.* 5. *sect.* 10. Caietan. 2. 2. *q.* 120. *art.* 1. Soto *lib. 1. de iust. q. 7. art. 3. ad 3.* qui in iure naturali aliquam Epikiam admittendam esse contendunt, id accidere tantùm fatentur, quando ius naturale continetur in vniuersalibus præceptis, & per generales regulas nobis innotescit; quæ deinde in singularibus euentibus deficiunt: nam quando naturalis ratio dictat singulariter, quid in vnaquaque facti specie in his, illisve circumstantiis sit faciendum, nulla possibilis est, aut emendatio, aut exceptio, vel ampliatio; quod enim tunc natura, & ratio suggerit, non potest non esse conueniens rectæ rationi, emendabile itaque non est; atqui lex naturalis non tantùm vniuersalia, sed ipsa omnia singularia præscribit, eáque in parte differt à lege humana: ergo nunquam emendabilis est, sed omni ex parte immutabilis.

SECVNDA PROPOSITIO.

De mutatione impropria, & indirecta legis naturalis.

12 Dicendum nihilominus secundò est, legem naturalem esse impropriè, & indirectè mutabilem ratione materiæ, quæ nonnisi vt certis circumstantiis affecta, est obiectum iuris naturalis, illisque conditionibus spoliata, desinit esse tale obiectum.

Expositio, & confirmatio propositionis.

Hanc propositionem tradunt saltem illi omnes, qui *superiori* §. aliquam mutabilitatem in iure naturali agnoscebant; neque rationes, & exempla ab illis adducta aliam mutationem, quam hanc impropriam, & indirectam probant, idipsum docet S. Thom. 1. 2. *q.* 100. *art* 8. dum ait, præcepta naturalia, quatenus continent rationem debiti, & iustitiæ, esse indispensabilia, secundùm quod autem determinantur ad speciales modos, esse dispensabilia; per ordinem autem, siue rationem debiti intelligit Caiet. debitum non in communi, sed iuxta conditiones, secundùm quas in subiecta materia vniuscuiusque præcepti actus præscribitur, siue affirmatiuè, siue negatiuè. Per applicationem autem præceptorum ad speciales actus, in quibus ordo, siue ratio debiti reperitur, intelligit S. D. præcepta, quatenus respiciunt actus absolutè, seclusis conditionibus, secundùm quas in ipsos adæquatè feruntur; quia igitur in istis specialibus actibus, potest fieri aliqua variatio conditionum, secūdùm quas præcepta naturalia ad eiusmodi actus determinantur, & applicantur; idcircò fieri potest, vt ad eos non applicentur, & determinentur præcepta naturalia defectu conditionum, secundùm quas illos actus adæquatè respiciebant; vnde obligatio naturalis circa illos actus amplius non manet. At verò si maneat idem ordo debiti, iustitiæ, & virtutis, quia manet idem actus adæquatè secūdùm omnes conditiones, secūdùm quas terminabat præceptum naturale, non potest illud idem præceptum nō terminare, neque in eo potest cessare ratio debiti, neque proinde obligatio naturalis circa ipsum: quod explicat Caiet. in præcepto non occidendi, in quo ordo iustitiæ est, vt non occidatur homo innocens, aut priuata authoritate cum cæteris conditionibus, sub quibus Deus, & lex naturalis prohibent hominis cædem: in quo ordine nulla potest esse dispēsatio, neque cædes cum illis conditionibus, sub quibus à lege naturali prohibetur, licita fieri: Si tamen mutetur aliqua conditio, sub qua prohibebatur cædes, illa quidem licita fuit, non tamen in præcepto naturali fiet propria mutatio, cùm illud non respiciat eam cædem cum illis conditionibus, sed impropria erit mutatio dumtaxat ratione materiæ, per quam nō mutatur præceptum: quod amplius explicat Caiet. in hac propositione: *Mortui non possunt resurgere*, quæ in sensu, in quo pronuntiatur, & demonstratur: nempè de potentia, & virtute naturali verissima, & necessaria est; quādo verò Deus mortuum suscitat, non propterea propositionem illam falsificat, aut exceptionem ab illa facit; quia tunc non operatur ex principiis naturalibus, sed aliis superioribus, & eminentiori quadam virtute, de qua non negabat propositio, quæ proinde manet semper vera, & immutabilis. Ita hæc propositio practica: *Non est occidendum*; in sensu in quo fit, id est, priuata authoritate cum cæteris conditionibus, est propositio necessaria, & necessariò consequēs ex principiis practicis per se notis, éstque impossibile illā aliter se habere; neque Deus eam falsificat, aut ab ea quidpiam excipit, cùm iubet fieri actum, qui sine suo iussu esset homicidium: nam non idcircò iubet operari præter, aut contra præceptū, sed supra, inquit Caiet. quod tamen postremum mihi non probatur, sicut neque quod addit, actus substratos rationi homicidij, adulterij, & furti relatos ad rationē naturalem, à qua discordant, verā rationem homicidij, adulterij, & furti induere: vt autē huiusmodi actus ex diuina ratione exercentur, non sunt homicidia, adulteria, & furta; hoc, inquam non placet, cùm enim naturalis ratio sit solùm ratificatio diuinæ rationis, si naturalis ratio prohibeat actus illos tanquā adulteria, furta, & homicidia: Diuina quoque ratio, quæ naturalem innotescit, eadē necessariò prohibebit, præterquàquod, vt aliàs cum Gregorio argumentabamur: Quod vni rationi rectæ dissonat, omni rationi rectæ dissonat; quare modus ille loquēdi, dum Deus cædem hominis imperat, illum operari supra præceptum, quia actum à superiori quadam potestate imperatum exerceri iubet, minimè retinendus videtur. Sed dicendum neque contra, neque præter præceptum committi eam cædem; quia reuerà in illam non cadit præceptum, sed in aliā, quæ fit priuata authoritate, & cum aliis conditionibus, sub quibus adæquatè sumptis respicitur à præcepto naturali. Itaque ea propositio; *Non est occidendum*, vera semper manet, in sensu, in quo enuntiatur, neque falsificatur per mutationem materiæ. Ex quibus omnibus efficitur, mutationem materiæ præcepti naturalis bene consistere cum eiusdem præcepti immutabilitate. Quandoquidem hæc mutatio non est nisi extrinseca præcepto, quod per illam impropriè,

& indirectè dumtaxat mutari dicetur. Esse porrò talem aliquam mutationem extrinsecam, indirectam, & impropriam admittendam innumera probant exempla, quorum aliqua dabimus in consectariis, & docet ipsa ratio; nisi enim ea potestas concessa esset etiam hominibus, plurimi occurrerent casus, in quibus vix bene hominum communitati prouideretur, vt si domino etiam furioso reddendum esset depositum, quia alienum retinendum non est, si omnis cædes esset iniusta, etiam dum necessaria est ad suæ vitæ tuitionem aduersùs iniustum inuasorem, iam principium aliud naturale: *Repulsionem iniuriæ licitam esse ad sui conseruationem*, falsum esset, similiaque quamplurima incommoda acciderent. Et ferè inutilis foret omnis potestas legumlatiua humana, quæ suis legibus necessariò addit, aut detrahit iuri naturali, aut illud declarat, aut determinat, vti videbimus *q. vlt.* hæc enim omnia per mutationem materiæ iuris naturalis ferè fiunt.

CONSECTARIVM I.

In quibus præceptis naturalibus fieri possit mutatio extrinseca ratione materiæ.

13 Ex his colliges primò, quænam præcepta naturalia possint impropriè, siue extrinsecè mutari ratione materiæ; omnia enim non possunt, sed illa dumtaxat, quorum materia mutabilis est: primò quia supponit prævium consensum, & arbitrium humanum ad fundandam obligationem; quare cùm ea materia, vt terminat præceptum naturale, secundùm aliquam conditionem necessariam pendeat à voluntate libera, mutabilis est, atque, ea facta mutatione, cessat sine vlla relaxatione, aut dispensatione obligatio legis naturalis. Secundò quoties materia, prout fundat honestatem, aut turpitudinem iure naturali prohibitam, vel imperatam, pendet à supremo Dei dominio: potest Deus eiusmodi materiam per variationem alicuius circumstantiæ subtrahere obligationi naturali, quæ vnà cum materia, quam respicit, desinere omninò debet. Ea verò præcepta, quæ habent materiam independentem in sua obligatione, ab omni humano consensu, & supremo dominio Dei, sunt omninò immutabilia ratione materiæ, quia, cùm ea materia sit immutabilis, quandiu manebit, manebit quoque obligatio circa illam, & actioni, quam terminabit, honestatem, aut turpitudinem communicabit; est enim illi essentialis, & ab omni etiam diuina voluntate, ac potestate independens, vti explicuimus §. 1. Ex qua regula ad singula naturalia præcepta applicata, quænam omninò immutabilia sint, quænam verò saltem extrinsecè variari possint, statim agnosces.

CONSECTARIVM II.

A quo fieri possit mutatio indirecta naturalium præceptorum?

14 Huius quæstionis solutio manifesta sequitur ex doctrina tradita. Nam in præceptis, quæ supponunt aliquid prævium ab humano arbitrio dependens, neque dicunt ordinem ad supremum Dei dominium tanquam naturæ totius authoris, & fontis, mutatio materiæ fieri poterit ab humana potestate, quæ in eam materiam, aut in conditiones, ex quibus oritur obligatio naturalis, habet aliquod ius, vt in præscriptionibus, vsucapionibus, & aliis per humanas leges iuri naturali additis, ostendam *inferiùs* in aliis consectariis; hæc autem humana potestas aliquando Ecclesiastica, & Pontificia est, atque idcircò quadam ex parte supernaturalis, & diuina, aliquando est ciuilis, & purè humana pro diuersitate materiæ, in qua fit mutatio. Immò nonnunquam priuatus homo simile quid poterit. Si enim, v.g. cedit suo iuri remittendo debitum, aut iniuriam, cessat naturalis obligatio satisfaciendi, aut restituendi, subtractione materiæ illius obligationis; ridiculus verò esset, qui diceret dispensari tunc in iure naturali. Quando verò materia obligationis naturalis soli dominio subditur, tunc ab eo dumtaxat, & non ab humana potestate mutari poterit, vt patet: hoc verò contingit, quoties non supponitur actus voluntatis operantis, vt naturalis obligatio consurgat; nam licèt ex contractu, voto, iuramento statim naturalis obligatio sequatur, sequitur tamen, supposita dumtaxat voluntate contrahentis, vouentis, & iurantis, & sine ea non consurgeret; in iis itaque, si quæ fieri possit mutatio, fiet ab humana potestate, in aliis omnibus à solo Deo fieri poterit.

CONSECTARIVM III.

An odium Dei possit fieri licitum.

Ita quidem existimarunt Ocham. *in 2. q. 19. ad 3. & 4. dubium*, Gerson. *lect. de vita spiritual. Corollar. 10. & alphabeto 61. litt.* E. & F. Alliacens. *in 1. q. 14. art. 3.* Andreas de Castronouo *in 1. dist. 48. q. 1. art. 1.* neque improbabile putarunt Almani. *3. moral. c. 15.* & Cordub. *lib. 3. q. 10.* Verùm, hæc sententia iure meritò à Parisiensibus damnata fuit teste Soto *lib. 2. de iustitia, q. 3. art. 8.* & nouissimè à Vallisoletanis inquisitoribus, vti refert Salas *1. 2. tract. 24. disp. 5. sect. 9. n. 45.* Omissis verò variis rationibus *alibi* adductis, dum ostenderemus dari aliquas actiones essentialiter malas, manifestum est consectarium ex nostra propositione. Ius naturale immutabile est in se, & solùm ratione materiæ variari potest; atqui materia huius præcepti naturalis odium Dei prohibentis, immutabilis est, quia est independens in omnibus suis circumstantiis, ab omni diuina voluntate, eiúsque supremo dominio; quidquid enim iubeat, aut faciat Deus, odium Dei, erit semper odium Dei, atqueadeò obiectum præcepti naturalis illud vetantis: ergo, cùm neque præceptum, neque eius obiectum mutetur, neque mutari possit, maneat, necesse est, integra obligatio talis præcepti: quare si violetur, verè peccabitur. 15

CONSECTARIVM IV.

Mendacium nunquam posse esse licitum.

Ex bono aliquo fine, & in sui, aut aliorum vtilitatem, atque ad vitanda maxima damna, mentiri fas esse existimarunt plerique: id enim licere principi in plebis vtilitatem Plato. *lib. 3. de Republ.* quod ex Origene refert. Hieronym. *apol. 1. adu. Ruffin.* Celsus apud Origen. *lib. 4.* confert medicamento, quo interdum vti fuerit opus, quæ eadem fuit Luciani mens in Philoph. & Philosophos quoque id permittere, contendunt aliqui apud Arrian. *lib. 4. dissert. Epicteti, capu. 6.* quod duci ad animos militum incendendos persuadet Onosand. *in Stratagem. cap. 23.* aliisque multis concedit fusè Tyri. *dissertat. 3.* atque Stoïcorum quoque asperrimos fateri, facturum aliquando bonum virum, vt mendacium dicat, refert Fab. *lib. 12. cap. 2.* & Stobæ. *Eclog. Ethic. c. 4.* plures casus, in quibus licitū sit mendacium Alciat. *in concilio, circa materiam duelli*, Bodin. *lib. 4. dæmon. c. 5.* id permisit iudici in exquirenda veritate à reo obstinato. Denique mendacij vsum aliquādo probarunt Heliod. *lib. 1. Hist. Æthiop.* Eust. *lib. 3. Eth. c. 1. & lib. 2. c. 2.* Burlæ. *4. eth. part. 3. tract. 4. c. 2.* Albert. adducēs Iouian. Pont. *lib. 4. de obed. c. 52.* Pasc. *lib. de Leg. c. 54.* Monachi quidam olim apud Cantipratan. *lib. 2. cap. 26.* 16

cap. 26. Cassian. *lib.* 5 *instit. cap.* 37. *&* 39. *& collat.* 17. *cap.* 17. Chrys. *homil.* 32. *&* 53. *in Genes.* & *ad eaSdem lib.* 1. *de Sacerdotio.* Ideóque hæret ambiguus admodum Franc. Patricius *lib.* 4. *de Regno, tit.* 1. mitto nouatores, Caluinum, qui teste Bolseco *in eius vita, cap.* 21. mendacium, vbi agitur de causa Euangelij, suadet, Albericum Gentil. *qui lib.* 2. *de bello, cap.* 5. ad decipiendum hostem probauit: Et denique Machiauell. cui mendacij vsum pro opportunitate placuisse exprobrat Molan. *lib.* 1. *de fide hæret. seruand. cap.* 2. *&* 3. Ribadeneyra *lib.* 2. *de Principe, cap.* 15. Denique saltem ea diuino iussu licitum reddi posse mendacium, concessit de Rubione *in* 3. *dist.* 38. *q.* 2. *art.* 1. *ad* 1. Et probant, quia ab Abrahamo, Sara, Iacobo, aliísque piis viris in scripturis videmus vsurpata fuisse mendacia, Deo non improbante, immò & opus per mendacium, & fraudem factum remunerante.

17 Dicendum nihilominus est, nunquam licitum posse esse mendacium, quod cæteri omnes Theologi magno consensu docent, quos dabit Andr. Scholtus *lib.* 2. *de silent. cap.* 15. Drusseldio *de confess. malefico* 2. *membr. quæstion. dub.* 3. Delrio *lib.* 5. *disquisit. magic. sect.* 5. *initio*, Molan. *lib.* 5. *de fide hæretic. seruanda, c.* 5. Becan. *simili tractatu, cap.* 6. & alij passim. Omissis verò rationibus, quas expendunt fusiùs Theologi; ex nostra doctrina hæc communissima, veráque sententia euidenter demonstratur, mendacium ex sua natura malū est, neque fieri potest vlla mutatio in præcepto naturali, illud prohibente, quandoquidem eius materia secundùm circumstantias, & conditiones necessarias ad fundandā eiusmodi malitiam, est omninò independens à diuina voluntate, & supremo eius dominio. Impossibile igitur est, vt aliquo casu fiat licitum, atque impetretur à Deo, quæ singula facilè ostendo, atque imprimis mendacium esse intrinsecùs malum, adeóque à præcepto naturali prohiberi, patet ex eo, quòd mendacium sit dictum contra mentem, siue enuntiatio facta cum voluntate fallendi prolata, hoc est, à sciente se falsum dicere; in eo autem dicto falso cum voluntate fallendi, est peruersio ordinis naturalis; cùm enim verba instituta sint à natura ad exprimendas mentis cogitationes, vt Basil. *homil. in illud: Attende tibi*, eleganter explicat sæpiúsque monet August. *locis adducendis*, si illis vtamur ad fallendum, & aliud exprimamus, quàm quod mente gerimus, reuerà ordinem naturalem peruertimus. Neque potest natura probare id, quod contra eius institutionem, siue contra ipsammet rerum naturam facimus. Cùm ergo in mendacio appareat naturalis peruersio, ipsum ex sua natura malum esse necesse est, quod expressissimè dixit Arist. *lib.* 4. *Ethic. cap.* 7. non posse verò Deum mutare hoc naturale præceptum, æquè euidens est, cùm non possit facere, vt natura verborum, aliorúmve eiusmodi signorum non sit, vt mentis internos conceptus exprimant, quibus si non adæquentur, quacunque de causa id fiat, erit peruersio naturalis ordinis. Neque id pendet à diuina voluntate, neque à diuino dominio; quidquid enim lex statuat, vel faciat circa verba, & signa, illorum natura erit esse instituta ad exprimendas cogitationes, non autem ad fallendum, vti ait August. quare si fallant ex intentione proferentis, deficiunt à suo fine naturali, atque peruersitatem continent; neque fingi potest vlla mutatio in materia huius præcepti naturalis non mentiendi, ex quo mendacium, siue dictum contra mentem, & falsa enuntiatio cum voluntate fallendi, non maneat obiectum, & materia illius præcepti naturalis, atque adeò honestari, aut non malè pronuntiari possit, siue à Deo, siue ab homine, & ex quacumque causa, & vtilitate; quamvis possit in re aliquando taceri veritas, aut eludi per æquiuocationem, aut restrictionem mentalem, vt *alibi* dicemus. Modò loquimur de mendacio, quod nunquam licitum esse contendimus. Ideóque Basil. *lib. de Spiritu sancto*, dixit esse extremam malitiæ lineam, & bonum virum nunquam ad mentiendum cogi posse, docet Porphyr. apud Euseb. *lib.* 6. *de præparat. c.* 4. Sed omnium disertissime August. *lib. de mendac. & lib. contra mendac. & in Psal.* 5. *& in Enchirid. à cap.* 18. *ad* 23. cui deinde subscripserunt reliqui PP. si qui enim in contrarium afferuntur, vt Chrys. & Cassian. illi de æquiuocationibus, aut mentalibus restrictionibus loquuti sunt, eásque lato, & improprio nomine mendacium nominarunt, vt non operosum fuerit demonstrare; quanquam & aliquos næuos interdum in magnis viris fateri cogamur, in quibus tamen non numerandus videtur Heliodor. cuius historia non modò Ecclesia probata non fuit, sed ob illam Episcopatu motus est. Eustatius etiam nuper allatus non soli mendacio, sed ipsi quoque adulterio fauit: dixit enim illud cum Tyranni vxore ad libertatem patriæ aliquando licitum esse. De Philosophis, qui in plerisque aliis cæcutierunt, non multùm solliciti sumus, quæ denique ex scripturis referunt, facilem habent explicatum, cùm aut mendacium non contineant, sed figuratam loquutionem, aut æquiuocationem, aut in iis etiam sancti viri aliquando leuiter errarent; aut denique non probentur mendacia, quamvis, quæ ex illis opera sequuta sunt, aut cum ipsis præstita, sua laude non careant, quod discurrenti per singula facilè constabit, & DD. passim ostendunt, nobis ad alia properantibus immorari in iis modò non licèt, maximè cum *alibi* fusiùs de fraude, & dissimulatione sit agendum. Nunc August. verbis *lib. contra mendac. c.* 15. concludendū est hoc Consectarium: *Nihil iudicandum est dicere, qui dicit aliqua iusta esse mendacia, nisi aliqua iusta esse peccata, ac per hoc aliqua iusta esse, quæ iniusta sunt.*

Consectarium V.

An Decalogi præcepta sint dispensabilia.

Præcepta secundæ tabulæ dispensabilia à Deo, dixit 18
Scot. *in* 3. *dist.* 37. *q. vn.* Gabr. *ibid. q. vnic. art.* 2. Nicolaus de Hüsse *q.* 2. *conc.* 2. Marsil. & Alman. *in eand. dist.* 37. Bonau. *in* 1. *dist.* 47. *q. vlt.* Gabr. *ibid. q.* 3. probat Scotus, quia hæc præcepta non sunt de iure naturæ, aut conclusiones ex illo deductæ; alioqui diuinus intellectus iudicaret necessariò, illa esse seruanda, cui iudicio diuina quoque voluntas necessariò consentiret; atque ita non esset libera circa obiecta etiam creata. Denique beatitudo hominis non pendet ab aliquo actu erga creaturam, vti tamen faceret, quia Deus non posset dispensare ab omni actu erga creaturam, qui in his præceptis imperatur. Quæ omnia immeritò reiiciuntur à Caiet. 1. 2. *q.* 100. *art.* 8. nam & falsum est, hæc secundæ tabulæ præcepta non esse iuris naturalis, & quæ obiicit Scot. æque impugnant præcepta primæ tabulæ: nam si illa sint indispensabilia, eodem modo determinabitur diuina voluntas ad volendum necessariò aliquid creatum, quod est obiectum illorum præceptorum, quæ necessitas, cùm sit hypothetica, Deo minimè repugnat; si enim vult naturam rationalem creare, debet necessariò velle eam obligari ad præcepta naturalia tum primæ, tum secundæ tabulæ: simile etiam est, quod ait Scot. beatitudinem non pendere ab aliquo actu circa creaturam, ac proinde ab eo omni Deum dispensare posse: nam mendacium verum non auertit totaliter ab vltimo fine, & tamen esse indispensabile ostendimus *proximo Consectario.* Quis præterea negat actus circa creaturas esse media necessaria ad consequendam beatitudinem, posito, quòd creatura rationalis, illam suis actibus obtinere debeat. Durand. *in* 1. *dist.* 47. *quæst.* 4. *art.* 3. *num.* 16. cui consentit ferè

Maior *in* 3. *dist.* 37. *q.* 10. distinguit inter præcepta negatiua, & affirmatiua, illa dixit indispensabilia, præter illud non occidendi, quia ab aliis non potest tolli ratio indebiti; præcepta verò affirmatiua primæ tabulæ sunt quoque indispensabilia; non autem secundæ tabulæ, quia, cùm ea, quæ pertinent ad primam tabulam, ordinent hominem ad Deum, non potest ab illis tolli ratio debiti, sicut non potest tolli à creatura dependentia à Deo in esse physico, ita neque in esse morali: quare fieri nequit, vt non debeat Deo cultum, primæ veritati fidem, &c. Affirmatiua autem secundæ tabulæ ordinant hominem ad proximum tantùm, ideóque ab iis ratio debiti tolli potest: quia sicut Deus potest ordinem dependentiæ in esse physico tollere, ita in esse morali, & sicut efficere poterat, vt Abel non acciperet esse ab Adamo, ita ne illi debeat cultum. Verùm non placet hæc doctrina: nam, positâ dependentiâ filiorum à parentibus, debitum, quo illis obstringuntur, indispensabile est: Esto, potuerint alios habere parentes: quare si quidpiam huic debito morali contrarium Deus imperet, vt filium violentas manus afferre parenti, iam mutat materiam, vt in qualibet alia cæde innocentis quam imperat, vt dicemus, vtitúrque supremo dominio, quod non est dispensare in præcepto naturali, vti constat *ex nostra propositione* 2. & ex notatis *initio huius quæstionis*, quâ eadem ratione reiicimus Maiorem citatum, qui idcirco dicit, omnia præcepta affirmatiua esse dispensabilia, quia potest Deus non concurrere ad quemlibet actum præceptum: nam tollere facultatem ab aliquo implendi præceptum, non est dispensare cum illo, vt vides.

19 Fatemur tamen vltrò, aliquod esse discrimen hoc loco inter præcepta primæ & secundæ tabulæ, quòd aliqua ex his, quæ proximum respiciunt, habeant materiam mutabilem ratione variarum circumstantiarum, quarum variatione subtrahi potest à præcepto, quod in illam cadebat, vt in occisione, & aliis videbis *in sequentibus consectariis*, ideóque dicuntur dispensabilia, sed impropriè admodum; quâ etiam ex parte differunt præcepta negatiua ab affirmatiuis: quia in negatiuis quando pura sunt, rarius contingit illa mutatio materiæ. Itaque nunquam licet colere plures Deos, aut mentiri. Dixi, quando pura sunt, quia aliquando inuoluunt necessariò actiones aliquas, vti exponam *lib. sequenti*, ratione quarum potest fieri mutatio: affirmatiua verò præcepta ferè omnia ratione materiæ mutari possunt, quia non obligant semper, & pro semper, sed pro opportunitate; potest autem Deus aut cedere iuri suo, aut obiectum mutare, aut auferre necessitatem addendo circumstantias, quæ illam impediant.

20 Altisiodorens. *in summa, lib.* 3. *tract.* 7. *cap.* 1. distinguit quatuor gradus necessitatis in præceptis naturalibus: nam aliqua necessaria sunt ad Dei similitudinem, & charitatem habendam; alia ad augmentum, & conseruationē eiusdem charitatis, & diuinæ similitudinis, & sine quibus, illa nihilominus permanere possit de potestate absoluta, vt præceptum prohibens polygamiam; alia sunt, quæ, præsupposito aliquo humano actu, obligant, vt votum, matrimonium; alia denique, quæ à superioribus, & Ecclesia feruntur, sed præterquam quod hæc vltima præcepta sunt iuris humani, & positiui, non naturalis, non doceret Altisiodorens. cur aliqua ita sint necessaria, vt sine ipsis repugnet obtineri, seruarique diuinam similitudinem, & sine aliis, vt polygamia possit, atqueadeo, cur aliqua sint dispensabilia, & non alia: neque affert rationem, quâ ostendat, aliqua verè esse dispensabilia. Alij igitur cum Bartholom. de Spina *de potestate Papæ, n.* 13. Mols. *tr.* 5. *in sum. tract.* 9. *cap.* 13. *n.* 38. Deum dispensare posse in his præceptis simpliciter fatentur, quos Sanch. *lib.* 8. *de matrim. disp.* 6. *n.* 5. *& lib.* 7. *disp.* 8. *n.* 7. aliique superius adducti *in* 1. *propositione* sequuntur, quos tamen reiicimus, dum negauimus in vniuersum legem naturalem mutabilem esse per dispensationem.

Dicendum igitur est, nulla decalogi præcepta esse dispensabilia vera, & propriè dicta dispensatione; quia illa nō cadit in præcepta naturalia, vti fusè ostendimus *propositione* 1. Aliqua tamen ex his præcepta impropriè admodum dispensari possunt per mutationem extrinsecam materiæ; eam enim mutationem indirectam, & externam præcepti naturalis admittendam esse, & non pugnare cum iuris naturalis immutabilitate demonstrauimus *propositione* 2. Quia verò omnium præceptorum decalogi materia non est mutabilis etiam à Deo, eò in non pendeat à suis circumstantiis à diuino dominio, aut humano contractu; idcircò omnia decalogi præcepta non sunt dispensabilia, etiam impropriè, & indirectè per hanc materiæ mutationem, de qua explicandus est Bernard. *lib. de præcepto, & dispens. cap.* 6. & alij, qui videntur Deo tribuere facultatem dispensandi in lege naturæ: quænam verò præcepta hanc materiam mutabilem habeant, *in sequentibus corollariis* disces.

CONSECTARIVM VI.

An præceptum de colendo Deo sit dispensabile.

Non ago de præcepto negatiuo non colendi Deos alienos, statim enim apparet, eius materiam esse immutabilem, & Deum non posse iubere, vt alicui creaturæ honor sibi debitus deferatur, cùm ea æqualitas intrinsecam, & essentialem iniuriam diuinam contineat, quam etiam ipse sibi inferret, efficéretque inordinatissima illa iussio, neque Deus abdicare se potest debito illius honoris, qui alium creaturæ debitum superet: quandoquidem in eius essentiali infinitate fundatum est. Quæstio igitur est de præcepto affirmatiuo possit, v.g. Deus cedere iuri suo, & creaturam eximere obligatione exhibendi ipsi cultum vllum externum, atque ita illam omninò liberare tertio decalogi præcepto, quod iure quærit Scotus *in* 3. *d.* 37. *q. vn.* & sanè Suar. *lib.* 2. *de legib. cap.* 15. *n.* 23. concedit, nullam in ea diuini iuris cessione physicam implicantiam reperiri; esse tamen indecentiam quandam moralem; foret enim quædam veluti prodigalitas, si Deus suo iure cederet, maximè per totam æternitatem: neque enim diuinam sapientiam deceret. Existimarim ego, etiam physicè repugnare, vt Deus non modò velit cultum sibi à creatura rationali debitum non reddi, sed etiam nolit illum sibi ab ea deberi, atque ita se abdicet iure illum pro aliquo tempore, aut semper exigendi, quod omninò necesse est, vt dicamus creaturam exsolui obligatione naturali colendi Deum cultu externo. Si enim manet in illa debitum illius cultus, manet quoq; obligatio naturalis, quod si non maneat obligatio naturalis, pereat quoque necesse est debitum illud propter cessionē, & condonationem factam à Deo, postquam non habet ampliùs ius exigendi cultū: ius enim, & debitum sunt relatiua, & vno pereunte, aliud simul necessariò perit. Deū itaque posse se abdicare hoc iure, æquè repugnat, atque se spoliare supremo dominio, quod habet in omnia creata, cū vtriusque iuris eadē sit radix, & origo; nempe essentialis dependentia naturæ rationalis ab ente per essentiam, cui proinde se, & omnia sua debet, eúmque colere eo ipso, quod ab ipso est. Impossibile autem est fundamentum, & radicem proprietatis, atque obligationis manere, & proprietatem illā, aut obligationē nō exsurgere. Infinitas essentialis, & dependentia totius esse à primo esse, est fundamēt &

supremi

supremi dominij, ideóque nequit tolli hoc supremum dominium à Deo, neque subiicibilitas à creatura, nisi dependentia tollatur ab ipsa, & infinitas essentialis à Deo. Atqui ius, quod Deus habet exigendi cultum à creatura, fundatur in eadem Dei essentiali infinitate, & obligatio naturalis creaturæ cultum illum reddendi, in eius essentiali dependentia; ergo quandiu manebit essentialis dependentia in creatura, & infinitas essentialis in Deo, manebit quoque obligatio naturalis in creatura præstandi Deo cultum aliquem externum, & in Deo ius illum exigendi. Adde, quòd indecentia moralis infert repugnantiam physicam in Deo, quod alias 1. p. fusiùs docuimus, cùm physicè repugnet, Deum aliquam indecentiam moralem committere; ergo si sit indecentia moralis in cessione, & abdicatione istius iuris, vtpotè quæ prodigalitas quædam existat, & cum diuina sapientia non satis consentiat, erit quoque repugnantia physica, Deum illam admittere.

Consectarivm VII.

Relaxatio voti non derogat iuri naturali.

22 Votum, cuius naturalis est obligatio, siuè sit iustitiæ, siue fidelitatis, siue religionis, siue omnium istarum virtutum simul, relaxatur irritatione, dispensatione, & commutatione; neque tamen quidquam iuri naturali detrahitur, manétque semper immutabile.

23 Quod in irritatione quidem manifestum est; ea enim fit ex vi potestatis dominatiuæ, quam qui habet in personam vouentem, aut in materiam voto promissam, ratione cuius fit, vt tale votum subditi, sit conditionale essentialiter, & postulet ad sui firmitatem consensum superioris, tanquam conditionem, sine qua non. Vnde, ea conditione non posita, desinit obligare, quod est de natura voti conditionalis. Superior verò, qui non consentit, aut repugnat voto subditi, vtitur suo iure; non enim tenetur in votum subditi consentire, aut se abdicare iure, quod habet in materiam voto promissam, quod idem contingit, quando irritatio ista impropria tantùm est, & solùm voti suspensio, eo quòd voti executio præiudicet iuri superioris, qui etiam potestatem habet illam impediendi cùm possit, aut sua prohibitione ipsam illicitam reddere, aut eam subtrahendo impossibilem facere, vti latiùs explicamus *secunda parte huius operis*, disputantes de irritatione voti, in quibus omnibus vides, non mutari ius naturale in hac elisione obligationis naturalis, eo quòd illa pendeat à voluntate humana, necessarias conditiones ad ipsam ponente, aut tollente; cùm itaque tollatur votum aut suspendatur per irritationem, mirum nō est, si eius obligatio naturalis cesset.

24 In dispensatione verò voti idem fit euidens. Cùm enim votum sit promissio, aut contractus, quo Deus ius acquisiuit in rem voto promissam, potest remitti ea actio, & illud ius tum à Deo, tum nomine ipsius, & facta ab illo potestate ab Ecclesia, atque ita tota obligatio voti cessat; sicut facta remissione creditoris, vel vices illius gerentis, debitum omne extinguitur, vti explicant Suar. *lib.6. de voto, cap.9.* Less. *lib.2. de iust. cap.14. dub.12.* Vasq. *1.2. disp.178. n.13.* Becan. *ibid. tract.3. c.3. q. vlt. n.11.* Basil. Pont. *lib.8. de matrim. cap.2. n.9.* Ferdinand. *tract.3. disp. vlt. punct.2. & tract.15. disp.2. punct.9.* aliique. Idcircò Basil. Pont. *lib.8. de matrim. cap.2. n.9.* negat hanc remissionem obligationis propriè dici posse dispensationem; dici etiam posset cum Valent. *1.2. disp.7. q.4. p.6. & 2.2. disp.6. q.6. punct.7.* Henriq. *lib.7. de indulgent. cap.23. num.5. litt. A.* dispensari in lege humana, quam sibi vouens indixerat, & qua stante, tenebatur ex iure naturali, & diuino seruare votum; sicut stante qualibet alia lege humana iusta, tenetur subditus iure naturali, & diuino superiori obedire in illa materia legis; quando verò fit dispensatio, non relaxatur ius diuinum, sed illius materia tollitur, videlicet lex humana, quæ erat materia iuris naturalis, ac diuini.

Denique voti commutatio cùm non tollat vinculum, & obligationem voti purè, & simpliciter, sicut dispensatio; sed tantùm sub onere noui vinculi, & obligationis priori subrogatæ, non detrahit iuri naturali Deo acquisito, sed in aliud mutat, quod Deus æquè acceptat, quia aut maius, ipsique gratius est, aut, si sit æquale, vel inferius, ipse illi mutationi annuit per prælatum, qui eius vices sustinet. 25

Consectarivm VIII.

Matrimonij dissolutio non est mutatio, aut dispensatio iuris naturalis.

Supponendum est, matrimonium esse contractum iure naturali ex fine suo, & institutione indissolubilem, quod grauiter, & ornatè probat Ambros. *lib.8. in Luc. sub init.* & plures deinde Theologi docuerunt, cum Vasquez *disputat.2. de matrim. cap.7.* Basil. Pont. *libr.1. de matrim. cap.13.* Bellarmin. *libr.1. de matrimon. cap.12.* Siue maiorem quandam indissolubilitatem capiat à ratione sacramenti, vti plures contendunt, de quibus vide Sanch. *lib.2. disp.13. &* alios, siue non: neque enim nos de harum sententiarum veritate quidpiam pronuntiamus hoc loco, sed priorem sententiam de indissolubilitate naturali matrimonij supponimus; quia ea vna habet difficultatem, quàm tractamus *hac quæst. de mutabilitate iuris naturalis.* Constat enim iam olim Deo annuente datum fuisse libellum repudij, *Deut.24.* quo soluebatur matrimonium, non modò quoad thorum, & habitationem; sed etiam quoad vinculum, vti probant Sanct. *lib.10. disp.1.* Bellarm. *lib.1. de matrim. cap.17.* Kouinch. *disp.26. de sacram. dub.1.* Pont. *lib.7. de matrim. cap.50.* quod etiam repudium communibus ferè omnium gentium moribus erat vsurpatum. Deinde matrimonium ratum, & nondum consummatum dissolui per professionem religiosam certum est, *ex cap.2.7. & 14. de conuersion. coniugator.* & Trident. *sess.24. can.6.* immò & Pontificem grauibus de causis id posse, contendunt permulti, quod dabit Sanch. *lib.2. de matrim. disp.14.* quin immò matrimonium consummatum dissoluitur per conuersionem alterius coniugis ad fidem, quando non potest habitare cum infideli sine contumelia creatoris, aut infidelis à fideli è conuerso diuertit, *cap. quanto, & capite gaudemus de diuortiis,* in eúmque sensum Ecclesia semper intellexit verba Pauli *1. ad Cor. 7.* atque in his omnibus videtur ius naturale mutationem quandam pati, & dispensationem, quod non diffitentur nonnulli Doctores. 26

Perstandum nihilominus est in doctrina tradita: cùm enim tota ista obligatio naturalis matrimonij nascatur ex humano consensu, & contractu, ex quo ius, & vinculum reciprocum oritur in contrahentibus, potest Deus, qui est supremus dominus tum voluntatum contrahentium, tum iuris omnis, & dominij, ius istud remittere, atque obligationem ipsi correspondentem annullare: neque tunc dispensatur in præcepto indissolubilitatis matrimonij, sed mutatur materia proxima illius contractus, nempè ius, & dominium, quod contrahentes tradunt in propria corpora, quod ipsi quidem nequeunt priuata sua authoritate reuocare, vt in cæteris contractibus; Non ligant tamen supremum Dei dominium, quin possit illud ius transferre, aut irritare, tanquam

rem suam; quando igitur Deus vtitur sua potestate connaturali, non tollit ius naturæ, vt patet, neque in eo dispensat, idque ipsum poterit Ecclesia per potestatem sibi à Deo factam, & sapienter obseruat Ponti. *lib.* 1. *cap.* 13. hanc mutabilitatem matrimonij ab extrinseco per supremum Dei dominium in eius materiam, non impedire indissolubilitatem, & perpetuitatem, quam habet ab intrinseco, sicut in physicis illæ substantiæ, quæ ex natura sua non postulant destrui, aut corrumpi, dicuntur perpetuæ, & immortales, vt Angeli, cœli, etiamsi ab extrinsecu per diuinam potentiam destrui omninò possint, & votum nemo negat ex natura sua inducere obligationem perpetuam, quamvis illam Deus remittere valeat: ad perpetuitatem enim naturalem contractus sufficit, si non sit in potestate contrahentium, illum mutuo consensu rescindere, vti in aliis passim contingit, etiamsi à Deo sit destructibilis, & rescindibilis eiusmodi contractus per remissionem, vel extinctionem obligationis, quam procrearat; sicut potest Angelos, & cœlos natura sua perpetuos in nihilum redigere, si lubeat.

Consectarium IX.

Polygamiæ permissio non derogat iuri naturali.

27 Hoc etiam loco Polygamiam non modò contra ius diuinum, sed etiam naturale esse supponemus cum Sanch. *lib.* 7. *de matrim. disp.* 80. Couarr. 4. *decretal.* 2. *p. capit.* 7. §. 3. Bellarm. *lib.* 1. *de matrim. cap.* 11. Henriq. *lib.* 12. *cap.* 16. Pontio *lib.* 7. *de matrim. cap.* 49. & aliis, quod insinuant satis euidenter Nicol. 1. *ad consulta Bulgar. cap.* 5. Innoc. 3. *cap. gaudemus de diuortiis*, & Trident. *sess.* 24. *initio, & ibid. canon.* 2. & sanè cum omnibus matrimonij finibus parum cohærere videtur ea simultanea vxorum pluralitas, nimirum cum generatione, cohabitatione, & indiuidua societate, & remedio concupiscentiæ, vti expendenti constabit, & fusiùs prosequuntur DD. nósque *alibi.* Certum nihilominus est, absque culpa quondam ex diuina concessione vsurpatam fuisse etiam à sanctissimis viris Polygamiam, vti docet August. *lib.* 3. *de doctrin. Christian. c.* 12. & *lib.* 22. *contra Faustum, c.* 47. aliique passim: derogatū igitur fuit iuri naturali, aut in eo dispensatum.

28 Verùm, cùm, vti iam sæpius monuimus, totum matrimonium, ipsiúsque obligationes, ac iura fundentur in humano consensu, & contractu, quo fit mutua traditio corporum, potest Deus propter supremum suum dominium illam traditionem, quæ nonnisi dependenter ab illo fieri valet, variis modis temperare; atque ita mutando materiam contractus, mutare quoque materiam iuris naturalis ex eo contractu consequentis. Polygamiam igitur iure concessit, quia potest vsum corporis viri, qui vni tantùm fœminæ per contractum matrimonij datus erat, permittere duabus, atque inhabilitatem contrahendi cum secunda tollere, vt ait Becan. 1. 2. *tract.* 3. *cap.* 4. *q.* 4. *n.* 9. Siue vt vir tradat ius in corpus suum pluribus nouis vxoribus, sine iniustitia aduersùs priorem, cui iam tradiderat, sicut potest tradere ius ad cupiendum aliena bona, & occidendum etiam innocentem, propter supremum illud dominiū: quæ eadem ratio ostendit contra Sanch. & Bellarm. atque etiam Kon. *disp.* 16. *de Sacram. n.* 29. posse Deum concedere, vt vna vxor plures habeat maritos; etsi id nunquā fuerit permissum, illáque maritorū pluralitas videatur multò magis pugnare cum matrimonij variis finibus, quā pluralitas vxorū; cur tamen supremus dominus nequit permittere vxori, vt dominiū sui corporis absque iniuria prioris mariti tradat aliis, à quibus & ipsa vicissim dominium in ipsorum accipiat corpora.

Qua eadem ratione Oseæ accessit diuino iussu ad scortum, & quamvis aliqui velint non fuisse verum matrimonium, cùm neque Oseas, neque illa mulier illud intenderit, cùm tamen Deus potuerit facere ius Oseæ in corpus illius mulieris fornicariæ sine ipsius consensu, reuerà non accedebat ad non suum, in quo est turpitudo fornicationis.

Hæc tamen omnia permitti nequeunt à Pontifice, 29
aliáve humana potestate, quia cùm, vt dixi, concedantur a Deo dumtaxat ex supremo dominio, quod habet in materiam iuris naturalis, quod necessariò desinit, mutatá materiâ, in quam cadebat; cùm nulla humana potestas quidpiam valeat in eiusmodi materiam; non poterit etiam indirectè, & impropriè tollere obligationem iuris naturalis in eiusmodi rebus, nisi per extraordinariam potestatem à Deo communicatam, quam non communicasse ex eo colligimus, quod neque Ecclesia illam sibi vsurparit vnquam, neque necessaria sit ad bonum commune, & gubernationem Reip. Christianæ, ex illáque grauiora multò incommoda sequerentur, quàm ex eius carentia.

Consectarium X.

An actus iure naturæ irriti aliquando validari possint.

Huius quoque quæstionis explicatio, ex superiori 30
doctrina traditur. Est porrò actus iure naturæ prohibitus, duobus modis irritus. Primò quando iure naturæ prohibetur propter defectum potestatis, aut materiæ incapacitatem, atque ita matrimonium irritum, viuente priori coniuge, & quælibet secunda donatio eiusdem rei, manente priore, inualida sunt, quia per priorem corporis, aut alterius rei traditionem, ablatum est dominium rei donatæ, & consequenter potestas illam denuò dandi: Si verò fuère tantùm sponsalia, aut promissio, quia ista non tollunt dominium, nisi sequuta traditione, non impediunt validitatem matrimonij, aut donationis consequentis. Contractus quoque per dolum substantiales ipsi, extortus nullus est, quia est inuoluntarius: Voluntas autem est sola facultas moralis ritè, & validè contrahendi. Secundò quoties actus iure naturæ prohibetur propter eius turpitudinem, & indecentiam; quandiu ea indecentia perseuerat, irritus est, ita nullum est matrimonium contractum inter consanguineos in primo gradu: Matrimonium tamen contractum post simplex votum castitatis, validum est; quia votum non abstulerat potestatem in corpus proprium, sed ligarat; & actualis sui traditio per matrimonium efficacior est, quàm promissio, quæ erat tantum in voto, nulláque est turpitudo in reddendo deinde debito. Venditio etiam iniusta valida est, quia vendens habet rei, quam vendit, dominium, quod in alium transferre potuit, malitiáque, siue indecentia illius venditionis cessat, vbi restituent excessum pretij, ratione cuius fuerat iniusta. Cùm itaque vltra eos duos casus nulli omninò actus sint inualidi, & irriti ipso iure naturæ, vti contendit Suar. *lib.* 2. *de legib. cap.* 12. statim apparet, omnes diuina saltem potestate validari posse, quia imprimis potest Deus dare potestatem illi, qui eius defectu faciebat actum inualidum, vt diximus, in secundo matrimonio, viuente priore coniuge fieri posse; nam potest dare dominium in suum corpus illi, qui eo se spoliauerat, potest sine consensu contrahentis, aut fraude circumuenti concedere alteri dominium rei, de qua contrahebatur. Secundò potest sæpius mutare materiam, ne in ea reperiatur ampliùs illa indecentia, ra-

tione

tione cuius actus iure naturæ irritabatur, verbi gratia si necessaria sit ad propagationem generis humani copula fratris, vel sororis; immò patris & filiæ, non erit indecens illorum matrimonium, vt in primis Adami liberis factum fuit. Quia porrò vix vnquam humana potestas poterit tollere geminam istam causam, ex qua iure naturali progerminat inualiditas alicuius actus, cùm neque possit indecentiam illius materiæ tollere, aut potestatem, cuius defectu nullius est, operanti restituere; idcircò vix vnquam actus iure naturali inualidus, per humanam potestatem validatur.

Cætera consectaria.

31 Non est, quod immoremur in explicandis cæteris consectariis, quæ ex doctrina *superius* tradita de immutabilitate iuris naturalis deduci possent, de cæde etiam innocentum aliquando imperata à Deo, & in quibusdam casibus etiam hodie indirectè permissa, de redditione depositi, de diuisione dominiorum, acceptione rei alienæ, præscriptionibus, vsucapionibus, seruitutibus, bellis, aliisque similibus, quæ iure gentium, aut ciuili sunt inducta; in his enim nullam factam fuisse propriam mutationem, aut dispensationem in iure naturali, statim apparet ex hactenus disputatis, & ampliùs ostendimus *inferius* suis locis.



CAPVT IV.

De obligatione iuris naturalis.

QVÆST. I. *An lex naturalis obliget.*
QVÆST. II. *Ad quid obliget lex naturalis.*



CIRCA obligationem iuris, siue legis naturalis plura disputanda sunt. Primum, an lex naturalis obliget. Secundum, ad quid obliget. Tertium, quænam sit radix proxima eius obligationis. Quartum, quando, & quos obliget. Quintum, quàm grauis sit ea obligatio, quæ fusiùs in sequentibus explicabuntur.

QVÆSTIO I.

An lex naturalis obliget.

Vnica propositio n. 1.
Lex naturalis obligat in conscientia ibid.
Semper obligat n. 2. 3.
Triplex obligatio n. 3. 4.
Sola lex naturalis non obligat in conscientia. n. 5.

Propositio vnica.

1 Dicendum est, legem naturalem semper obligare in conscientia, non tamen solam.

Expositio, & confirmatio propositionis.

Manet *ex superiorib. qq.* hæc propositio ferè probata: cùm enim ostenderimus, legem naturalē non distingui à lege æterna, cuius promulgatio quædam est, statim apparet ipsam obligare, sicut & lex æterna obligat. Deinde, cùm lex naturalis sit ipsamet ratio naturalis notificatiua diuinæ voluntatis prohibentis, quæ naturæ nostræ dissentanea, & quæ eidem consentanea sunt, præcipientis ad finis naturalis consecutionem, non potest non obligare ad vitanda, quæ ipsi repugnant, & ea consectanda, quæ conueniunt. Est enim debitum illud maximè naturale, per quod vnaquæque natura sibi debet, vt nihil sibi faciat dissentaneum, cui debito si addas obligationem in ordine ad culpam, quod nominant obligationem in conscientia, habebis veram, & propriè dictam obligationem, quam esse præcipuum effectum omnis legis, omnes æquè fatentur; in eo enim differt præceptum à consilio, quod affert quandam necessitatem operandi, aut non operandi ad vitandam culpam; cùm consilium plenam libertatem relinquat. Vide Ambros. lib. de viduis, circa fin. *Præceptum in subditos fertur, consilium amicis datur, vbi præceptum est, ibi lex est, vbi consilium, ibi gratia.* Et sanè, cùm omnis lex vim aliquam coactiuam cum directiua habeat, & tamen non semper ponat pœnam, necessitatem aliquam faciendi, aut omittendi quidpiam inuehat, oportet; alioquin inutilis prorsus esset: eius enim præcepta pro arbitrio seruarentur, aut violarentur, quæ omnia iterùm manifesta fiunt ex materia iuris naturalis *q. 2.* explicata; illam enim diximus esse ea, quæ sunt essentialiter mala, & quæ essentialem, necessariámque conuenientiam cum natura rationali ad finis, & beatitudinis eius assecutionem habent; quis enim dicat illa fieri, aut ista omitti sine peccato posse, adde immutabilitatem huius legis, quam *proxima quæstione* satè demonstrauimus; si enim sine culpa violari posset lex naturalis, aut in ea dispensari, sanè mutabilis esset. Denique Paul. *ad Roman.* 2. de lege naturali gentibus etiam cognita disputans, ait: gentes, qui sine lege, positiua nimirum, & distincta à naturali, peccauerunt, sine lege perituros, subditque, conscientiam ipsorum illis reddidisse testimonium, hoc est, arguere, quæ in legem naturalem peccauerunt.

Lex naturalis semper obligat in conscientia.

2 Maior difficultas est in altera parte nostræ propositionis, nimirum legem naturalem semper obligare in conscientia, hoc est, omnem obligationem iuris naturalis semper esse ad culpam. Distinguunt enim aliqui duplex debitum, & obligationem ex iure naturali ortam; vnam nominant legalem, aliam moralem, atque hanc solùm postremam obligare in conscientia, & ad culpam volunt, afferuntque in hanc sententiam Couarr. *in cap. cùm in officiis, n. 10. & in cap. cùm esses, n. 5. de testament. & in cap. quamuis pactum 2. pa. §. 4. n. 5.* Sed alia longè eius mens est, vt statim constabit, perstandúmque est in assertione posita; Et obligatio naturalis nunquam ab obligatione in conscientia separanda est: Omnis enim obligatio naturalis ad vitandum aliquid, nascitur ex intrinseca, & essentiali turpitudine eius; quis autem dicat, actum essentialiter turpem non esse vitandum, aut sine culpa poni posse. Obligatio verò naturalis ad agendum aliquid, oritur ex intrinseca eius connexione cum honestate virtutis, ad quam seruandam in nostris actibus natura ipsa rationalis nos obligat; omissio itaque ipsius culpabilis erit. Omnis igitur naturalis obligatio, siue ad agendum, siue ad non agendum, in conscientia, siue ad culpam est; quare distinctio illa vulgaris obligationis naturalis in legalem, & moralem reijcienda est, si aliquam ex his obligationibus velit esse proprium,

priam, & tamen non obstringeret conscientiam; si enim velo:t aliquam esse duntaxat per modum cuiusdam consilij, & ad melius esse, in latitudine tamen alicuius virtutis, certum est illam obligationem non esse propriam; quandoquidem nullam necessitatem affert, neque eius violatio culpa est.

Distinguunt quidem aliqui, cum Rebell. 2. *part. de obligat. iustitiæ, lib.* 1. *q.* 8. *n.* 10. triplicem obligationem, naturalem, ciuilem, & honorariam, quâ viri honorati ex quadam honestate obligantur, v. g. ad seruanda sua promissa ex virtute fidelitatis, aut veracitatis, & aut ad gratias agendas ex gratitudine. Verùm illi DD. non negant, hanc quoque obligationem esse naturalem, si propriè loquantur, cùm fateantur obligari sub culpa veniali, immò & aliquando peccari posse mortaliter contra gratitudinem, contendit Couarru. *in cap. cùm in officiis, n.* 10. *de testament.* ex S. Thoma, & Caietan. 2. 2. *q.* 107. *art.* 3. idcircò & eam obligationem ex ratione naturali procedere, atque adeò naturalem esse deducit Fortuni. Garcias *in l.* 1. *§. ius naturale, ff. de iustitia & iure, illat.* 10. quamvis, qui beneficium contulit, non habeat ius ab eo, cui benefecit, remunerationem exigendi, cùm animo liberali fecerit; ideóque remuneratio debita ei non est ex obligatione legali, sed ex honesta, & morali, vt significat S. Thom. 2. 2. *q.* 106. *art.* 4. 5. *&* 6. Quare nulla actio datur in foro aduersus ingratos; eiusmodi enim actionibus omnia fora minimè sufficerent, quamvis secùs visum fuerit Macedonibus, teste Seneca. *lib.* 5. *de beneficiis, cap.* 6. & Atheniensibus ex Valerio Maxi. *lib.* 5. *cap.* 3. quod idem de Persis testantur Zenophon. *lib.* 1. *Cigropæd.* Stobæ. *serm.* 41. & Themist. *in comm. de amicitia.* Hæc igitur 4. obligatio consideratur in ordine ad iustitiam, siue vt respicit ius alterius secluso omni iure ciuili, & humano, siue enim ipsi assistat, vt loquuntur, ius humanum, siue non assistat, modò non resistat, & non elidat, vti potest, ius alicui partum, oritur hæc obligatio in altero, v. g. contrahente, & in foro conscientiæ obstringit, quamvis non pariat actionem ciuilem. Sic defraudans citra medium iusti pretij, tenetur naturaliter, & in conscientia restituere, non tamen ciuiliter; quia non datur actio aduersùs ipsum. Obligatio verò honoraria, & moralis spectat ad alias virtutes, quàm ad iustitiam, & non respicit ius rigorosum alterius, sed morum honestatem, ex qua nascitur, vti ostendebamus in gratitudine, veracitate, & fidelitate; illa tamen & naturalis est, & in conscientia, atque ad culpam obligans, & verè, ac propriè naturalis obligatio est. Quare Couarru *in cap. quamvis pactum,* 2. *part. §.* 4. *n.* 5. facit duplicem naturalem obligationem, vnam quidem, quæ insurgit ex honestate, ac debito morali, alteram, quæ ex legis, ac iuris naturalis vinculo oritur, quod colligit ex S. Thom. *loco proximè citato,* atque ex Baldo, *in l.* 1. *Cod. de Sacrosanct. Eccles. n.* 55. prior pertinet ad honestam quandam obseruationem, quæ tamen necessaria non est, ex vi legis humanæ nimirum; sed ex vi honestatis moralis: posterior ex vi præcepti legalis, & necessitatem restituendi in animæ quoque foro affert. Vides itaque in communi illa diuisione obligationis in naturalem, & ciuilem, nomen naturalis obligationis restringi ad eam, quæ nascitur ex iustitia, & respicit ius proprium alterius, absque adminiculo iuris positiui, vti loquuntur: Obligatio ciuilis vim haber ex iure humano, quæ iterùm duplex est, quædam in iure humano ita fundatur, vt ius naturale nihil circa illam statuat; cuiusmodi est illa, ad quam lex humana, aut sententia iudices ex falsa præsumptione obstringit; tunc enim non obligor in conscientia, etsi lex ciuilis iubeat, eáque iniqua non sit; hæres adiens hæreditatem, non confecto inuentario, obligatur in solidum omnibus creditoribus & legatariis defuncti, etiam vltra vires hæreditatis, *l. vlt. c. de iure deliberandi,* ad quod tamen in conscientia non teneri, docent communiter DD. apud Molin. *tract.* 2. *de iustitia, disp.* 217. *n.* 7. quando verò lex ciuilis, aut Canonica fundatur in veritate, tunc obligat in vtroque foro, vt dicam *alibi*, ea tamen obligatio non dicitur naturalis nisi eo modo, quo omnis obligatio ad culpam, potest aliqua ratione dici naturalis, quod statim inquiram. Altera est obligatio ciuilis, quæ adiunctam habet naturalem, quam aliqui vocant mixtam ex ciuili, & naturali; quoties nimirùm tum naturalis æquitas, tum ius ciuile ipsi assistens, eam inducit, & dat etiam actionem in foro externo. Sic obligatio, quam habet hæres ex solemni testamento est ciuilis; quia datur actio vi illius; & simul naturalis, quia, etiamsi negaretur actio aduersùs hæredem, vt fit in testamento minùs solemni, obligaretur tamen in conscientia ex multorum sententia exequi supremam testatoris voluntatem, vti haber Couarru. *in cap. cùm esses, n.* 5. *de testam.* sic Plini defuncti voluntates sibi potiores iure esse, dixit, vti refert idem Couarru. Potest verò separari obligatio naturalis à ciuili, & ciuilis à naturali, neque, vnâ sublatâ, perit altera; si enim debitor absoluatur à iudice; quia creditor non probauit mutuum, debitor tamen manet in conscientia ligatus; si verò creditor condonet debitum debitori, & deinde ab illo contra promissionem factam repetat, neque debitor excipere possit in iudicio, & se tueri defectu probationum, obligabitur ciuiliter ad solutionem, & damnabitur à iudice, non tamen tenebitur in conscientia, & naturaliter; Obligatio igitur naturalis est ea, quæ, secluso omni iure humano, ex ipsa lege naturali nascitur, siue in materia iustitiæ, siue in quacunque alia virtute; ciuilis verò, quæ fundatur in iure humano, & respicit ius alterius, éstque dumtaxat ratione fori externi negantis, aut concedentis actionem; quanquam etiam sola naturalis obligatio quandoque aliquos habeat effectus in foro externo, vt ostendit Lessi. *cap.* 17. *lib.* 2. *n.* 23. & Couarru. *in cap. cùm in officiis, n.* 10. & *in cap. cùm esses, n.* 9. *de testament.* de qua re nos *alibi*. Nunc verò hoc vnum contendo, omnem obligationem naturalem, esse ad culpam, & in conscientia, quod, nisi fallor, ostendimus euidenter.

Dixi porrò in nostra propositione vniuersali solam obligationem naturalem non esse obligationem in conscientia, cuius contrarium videri poterat, eo quòd natura præcipiat seruandam esse legem positiuam, tum diuinam, tum humanam, ac proinde omnis obligatio in conscientia, erit effectus legis naturalis, quòd si agamus de effectu remoto, & mediato, fatendum est; non autem si de effectu proximo, & immediato, qui est à sola lege humana, v. g. obligatio ieiunandi, est à lege Ecclesiastica, non verò naturali; quamvis natura dictet, illam legem, sicut & alias omnes, vbi posita est à superiore, seruandam esse, quod fusiùs exponit Suar. *lib.* 2. *de legibus, cap.* 9. *n.* 51. *& sequentibus.* 5

QVÆSTIO II.

Ad quid obliget lex naturalis.

Propositio. 1.

Notatio 1. *Vnus est finis humanarum actionum.* n. 2. 3. & 4.

Notatio 2. *Quomodo finis vltimus per actus humanos intendatur* n. 5.

Notatio 3.

1 ANimus non est, singillatim persequi hoc loco omnia, quæ sunt iuris naturalis; esset enim rea infinitæ operæ, sed io vniuersum tradere materiam omnem, quam complectitur ius naturale, quæ *q.2.* iam aliqua ex parte assignata fuit.

2 Dicendum est, legem naturalem obligare ad nunquam peccandum, sed ad semper benè operandum, hoc est, conformiter rectæ rationi, tum ratione obiecti, tum ratione omnium circumstantiarum, vt natura rationalis omnibus, & singulis suis actionibus tendat io finem suum naturalem, & ab eo nunquam, vel leuiter discedat.

Expositio, & confirmatio propositionis.

Hæc assertio coïncidit cum vulgari, & naturali principio: *Bonum est amandum, & malum fugiendum:* malum enim morale culpa, & peccatum est; bonum verò honesta actio rationi rectæ conformis, quæ eo ipso finis naturæ rationalis assecutio quædam est; omnis enim recessus, & exorbitatio à fine pugnat cum recta ratione; si quando igitur natura rationalis operari vult, rectæ rationi consentire debet; alioquin sua illa operatio mala erit; malum autem non prohibere non potest recta ratio, vtpotè naturæ rationali repugnans, vti *q. 2.* fuit ostensum; loquimur autem de solis actionibus humanis, id est, liberis: reliquæ enim, licet videantur soli homini conuenire, vt prima obiecti cognitio, & motus primò primi non sunt propriè humanæ; quia non conueniunt homini secundùm substantiam, & modum; humanus enim agendi modus, est agere ex ratione, & voluntate: vnde actiones non liberæ, quamvis homini soli conueniant secundum aliquid, non tamen ex toto illi conueniunt. Itaque S.Thomam, dum 1.2.*q.*1.*art.*1. definit actionem humanam, quæ conuenit homini, vt homo est, interpretantur Vasq. *in comm. illius articuli;* Et Medin. *ibid.* Val.1.2.*disp.*1.*q.*1.*p.*1.& Azor. 1: *partis Inst.* 1.*lib.*1. *cap.* 1. de actionibus igitur propriè humanis, & liberis loquimur, easque omnes ex præscripto naturæ debere esse bonas, & honestas contendimus, alioquin peccari; vt verò illustrior fiat nostra propositio nonnulla obseruanda sunt.

NOTATIO PRIMA.

Vnum esse finem humanarum actionum.

Atque in primis non modò singulos actus habere vnum aliquem finem vltimum, in quem tendant, sed omnium quoque effectibilium vnicum esse finem, quem simpliciter vltimum appellamus. Primùm illud optimè probat Arist.1. *Ethic. cap.*2. *& lib.*1. *Metaph. cap.* 2. *textu* 8. *&* 9. ex natura ipsius finis, qui est id, quod propter se, & propter quod reliqua omnia appetuntur: vnde in eo figitur tota nostra intentio, atqui si non esset aliquid vltimum, sed ad aliud referretur, neque appeteretur propter se, sed propter aliud; neque alia etiam propter ipsum, totáque nostra appetitio esset inanis, & consultatio superflua; nunquam enim attingeremus finis exequutionem, & adeptionem; sed semper versaremur io mediis: itaque finis aliquis vltimus cuilibet saltem seriei actionum assignandus est, quod omnibus exploratum est.

Dixi prætereà, concedendum esse omnibus effectibus vnum finem simpliciter vltimum, qui ad alium referri nequeat, vt contingit in aliis finibus particularibus, qui, licèt vnam aliquam seriem actionum terminatint, possunt in alia serie induere rationem medij, & ad alium finem actu dirigi, immò & dari posse fines aliquos intermedios, ad vlteriorem finem actu ordinatos, iam aliàs docuimus, contra Vasq. 1.2. *disp.*4. *cap.*2. Et fusiùs ostendit Montesin. *ibid. tom.*1. *disp.*2.*q.*1. omninò ex mente S. Thomæ; agimus igitur de fine simpliciter vltimo. cuius vnitatem, & existentiam ratione omnium effectibilium demonstramus ex eo, quòd cùm omne ens ab alio, necessariò pendeat ab ente à se effectiuè, debet quoque ab eodem pendêre finaliter: cùm enim omne agens finem intendat, ens à se producendo omne ens ab alio, non potest non intendere finem, cúmque nobilissimum, nempè se ipsum. Ens autem à se vnicû est, ergo & finis omnium effectibiliũ vnicus erit, cùm ad alium referri nequeat; quod enim independens est à causa effectiua, caret quoque causa finali. Confirmatur, quia cùm quælibet res creata sit propter aliud, vel dabitur progressus in infinitum in causis finalibus, vel dabitur aliqua res, quæ propter nullum finem facta fuerit; vtrumque absurdum est, cùm repugnet dari actionem sine scopo, & fine, & progredi in infinitum in causis essentialiter subordinatis, cuiusmodi sunt fines actu finalizantes; quia illa causa dicitur alteri subordinari essentialiter, quam vt suæ virtutis actiuæ fontem actualem necessariò supponit; si autem infinitas supponeret, nunquam ad hanc vltimam deriuata fuisset virtus actiua; in finibus autem subordinatis causalitas finis trahitur à prioribus ad posteriores per intermedios, qui omnes pertransiri, & attingi debent, ita vt, vel vno sublato, tota hæc causalitas, & veluti tractio, ac derivatio virtutis dissoluatur, quod est, fines esse essentialiter subordinatos, vt aduertit Gil. *lib.* 1. *tract.*8.*c.*8.*n.*3. vbi inter fines actu finalizantes omnem subordina-

subordinationem per accidens reijcit; neque repugnat S.Thom. 1. 2. q. 1. art. 4. vult enim tantùm finem semel præfixum vni actioni, posse ad vlteriorem deinde à voluntate dirigi: atque ita in infinitum iteratis actionibus voluntatem progredi.

4 Ex hac porrò ratiocinatione facilè colliges, dari quoque vnum finem naturæ rationalis, quia idem omninò finis est ipsius operis, qui operationis, per quam opus fit. Cùm igitur natura rationalis a Deo, tanquam ab opifice sit, neque Deus in illa tanti operis molitione alium sibi figere potuerit finem, quàm seipsum; neque natura rationalis alium finem habere poterit, in quem & perpetuò contendere debeat; & in quo solo quiescere valeat, ex qua quietatione animi in sui finis vltimi adeptione, illum cum beatitudine passim confundunt DD. cùm in sola possessione boni pleni, hoc est, in perfecto bene esse quiescat animus, ac proinde solam beatitudinem propter se expectat, & omnia alia propter ipsam: quæ sunt conditiones finis simpliciter vltimi. Sapienter tamen aduertit Becan. 1. 2. tract. 1. cap. 1. q. 1. beatitudinem, & finem vltimum penes connotata differre, cùm beatitudo nihil aliud, quàm summi boni plenitudinem importet, finis autem vltimus addat rationem causæ mouentis agens: quare quamvis Deus sit sua sibi beatitudo, impropriè tamen dicitur esse sibi sua causa finalis, licèt eius actiones externæ, quia sunt aliquid creatum, habeant propriè causam finalem.

NOTATIO SECVNDA.

Quomodo finis vltimus per actus humanos intendatur.

5 Quæstio porrò non exigua est, quomodo bonum, seu beatitudo sit finis omnium actuum humanorum tum singulatim, tum collectiuè sumptorum, quandoquidem vt statim monebo, constet, plures actiones humanas, malas nimirum, ab vltimo fine & beatitudine deflectere. Idcircò commune illud effatum negat Scot. *in 4. d. 49. q. 10. litt. T T.* neque firma videtur ratiocinatio Medinæ 1. 2. *q. 1. art. 6. con. 5.* Deum, sicut est causa efficiens boni delectabilis quod per peccatum quæritur, ita esse causam finalem eiusdem actionis, quia quod est causa operis est causa operationis vt iam ostendimus: inde enim tantum probatur, Deum quidem ex natura sua existere finem cuiuslibet actionis & operis, non tamen quatenus ea operatio prodit à causa libera, tunc enim vt aliquid finalizet, debet ex præsupposita cognitione intendi formaliter, aut virtualiter, hoc est, vel in se, vel in alio, ex sua natura ad illud ordinato. Deinde si Deus principiaret actu peccatum tanquam eius finis, dici posset aliquis per peccatum conuersus in Deum, nihil enim aliud est conuersio in Deum, quam operatio propter Deum tanquam propter finem. Displicet etiam quod Caietan. *in art. 6. citatum ad 1. Scoti.* Et Durand. *in 2. dist. 38. q. 4. n. 8.* vt huic difficultati satisfaciant, dixerunt omne agens intellectiuum ante singulos actus particulares, qui tendunt in diuersa bona creata, elicere vnum actum circa finem simpliciter vltimum siue Deum, in cuius virtute omnes deinde consequentes ad finem simpliciter vltimum referantur. Nam fictitius est ille actus, & quamvis admitteretur, alij omnes deberent esse in eo connexi, vt ad eumdem finem tenderent. Itaque nequidem omnes boni actus ad Deum vt finem simpliciter vltimum tendunt, aut si sufficiat vnum actum in vltimum finem præcessisse, vt reliqui consequentes in eumdem finem referri dicantur, omnia deinde opera bona erunt, & honesta: & quamvis illi DD. loquantur de solis actibus bonis, vnus tamen ille actus eos præcedens, non faceret vt finis ab eo intentus, alios omnes intermedios principiaret: quia causatio finalis supponit cognitionem & appetitionem finis, ex qua mediatè vel immediatè oritur electio medij ad finem; at verò electio omnium actuum bonorum non oritur immediatè ab illo actu primo, quia non sunt simul cum illo, neque etiam mediatè, quia oporteret posteriores semper esse connexos cum iis qui proximi sunt illi intentioni, vti iam monui, cum tamen experientia doceat nullam esse eiusmodi connexionem, & posse nos pro arbitrio alios aliis præmittere. Vnde reijcitur quod Montesino. *tom. 1. in 1. 2. disp. 2. q. 5. n. 85.* existimat hanc formalem voluntatem vltimi finis, esse voluntatem beatitudinis in communi, quæ cæteras volitiones bonorum particularium præcedit, itaque exponit S.Thom. Ex vi enim istius voluntatis beatitudinis etiam in communi, cæteræ volitiones consequentes non fierent propter beatitudinem vt monui: dicunt igitur omnes alij passim *in q. 1. art. 6. 1. 2.* Vasq. *disp. 6. cap. 1. & 2.* Granad. *controu. 1. tract. 1. disp. 2. n. 8.* Tamner. *disp. 1. q. 1. dub. 4. num. 43.* Murcelado *disp. 1. diff. 11.* Lorca *disp. 8.* Martines *q. 8. art. 6. dub. 1.* Ouiedo *tract. 1. controu. 1. punct. 2. n. 11.*

Dicunt igitur alij omnes actiones humanas ferri in beatitudinem in communi non communitate abstractionis, vt optimè obseruat Valent. 1. 2. *disp. 1. q. 1. punct. 5. & 7.* Sed communitate collectionis, quâ omnia bona particularia, quibus operans apprehendit sibi bene esse, inuicem colligantur; quia igitur quilibet singulis operationibus eò tendit, vt sibi bene sit aliqua ex parte, omnibus etiam illud intendit, vt sibi omni ex parte bene sit: quare cùm nihil aliud sit optare beatitudinem, quam appetere omne bonum, seu plenum bonum omnis mali expers, sequitur eum qui omnes suos actus dirigit in suum perfectum bene esse, saltem apprehensum operari propter beatitudinem: atque hanc beatitudinis in communi appetitionem apertè tradit August. *lib. 13. de Trinit. cap. 3. & 4. lib. 10. confess. à cap. 20. ad 23.* lib. 13. *de Ciuitate cap. 5. conc. 2. in psalm. 32. & conc. 1. in psalm. 118. lib. de Epic. & Stoic. cap. 3.* quo postremo loco vbi reddidit rationem, cur benè operans, hoc ipso quod appetit bonum, prosequatur beatitudinem, quia videlicet illo ipso bono apprehendit sibi bene fore, subdit etiam eum qui male facit, v.g. furem appetere furando beatitudinem, quia miserum est non habere; si ergo miserum est non habere, beatum putat habere. Superius dixerat, qui malus est, malus non esset, nisi inde se beatum esse posse speraret. Salui. *lib. 3. de Eccles.* asserit disceptatorem ab humano genere esse naturam quæ sibi bene esse non velit, hæc nihilominus beatitudinis etiam in communi appetitio nonnisi implicita est, quia licet quisquis quolibet suo actu bonum appetat, vel mali carentiam; sibique in illo bene esse velit, non tamen formaliter beatitudinem in communi appetit; immò neque de illa cogitat nisi impliciè & virtualiter, vti fusius docet Ouiedo, *punct. 2. citato n. 12.* sic Tyrius *dissertat. 23. n. 37.* vti varia maria sunt vnius partes, ita & singula bona vnius summi boni particulas esse, Boëth. *lib. 3. de consolit. prosa 2.* hominum animum, etsi caligante memoriâ, bonum summum repetere dixit, sed velut ebrium, domum quo tramite reuertatur ignorare. Quia verò hæc beatitudo est quædam, vti diximus, collatio bonorum quibus nobis plenè bene est, & hæc bona tum effectiuè, tum finaliter pendent essentialiter à Deo, qui vnum summum & plenum bonum est, & bonum omnis boni, neque vllo alio bono bonum, inde singulos etiam hominum actus remotè sal-

tem

tem & interpretatiuè tendere in Deum colligunt aliqui cum Sal. 12. *tract.* 1. *disp.* 8. *sect.* 5. quæ tamen finalizatio admodùm impropria est: cùm enim finis non agat nisi cognitus, vbi cognitio non est, nulla etiam motio, quæ voluntatem alliciat ad actionem, fingi potest: quare durum & improprium eum loquendi modum vocat Vasq. t. 2. *disp.* 6. *cap.* 3. sed maximè vrget quod hic modus tendendi in Deum tanquam in finem, vltimum, conuenit omnibus actionibus etiam malis, vti explicat August. *tractat. contra Epicur. cap.* 3. *cit.* & fusiùs *lib.* 2. *confession. cap.* 6. cùm tamen malæ actiones à Deo tamquam vltimo fine nos auertant, vt patet, & eo ipso peruersus est homo, quod bonum quærit, & malum facit. *Non vides* inquit Aug. *cap.* 3. *cit. quia bonum & malum contraria sunt? bonum quæris, & malum facis? in contrarium curris, quando peruenis.* Et *lib.* 2. *confession. cap.* 6. vbi fusiùs ostendit, peccatorem in suis malis actionibus, defectiua specie & vmbratica, fallentibus vitiis Deum imitari, tandem concludit. *Peruersè te imitantur omnes, qui longè se à te faciunt, & extollunt se aduersum te, sed etiam sic te imitando indicarunt creatorem te esse omnis naturæ, & ideò non esse, quo à te omnimodè recedatur.* Hæc igitur peruersa & vitiosa imitatio, atque tenebrosa similitudo, vti loquitur ibid. Aug. non potest dici tendentia in Deum tamquam in finem, cùm sit recessus ab eo fine.

Notatio Tertia.

Duplex finis naturæ rationalis, proximus & vltimus, & quomodo vnus ad alium ordinetur.

6 QVare vt explicetur quomodo natura rationalis tendat in suum finem, atque ab illo aberret, simulque aptiatur obligatio naturalis semper honestè operandi, & omnibus suis actibus finem vltimum respiciendi, vti habet nostra propositio. Distinguo duplicem finem naturæ rationalis, vnum vltimum, alterum proximum, qui ad vltimum tamen actu refertur. Considero verò naturam rationalem vt rationalis est, hoc est vt est natura quædam non ex necessitate naturæ ad vnum determinata, sed quæ ratione & iudicio in agendo vtitur, séque ad finem suum liberè & sine necessitate mouet. Finis igitur ipsius vltimus extrinsecus rationis & prudentiæ omniúmque actionum humanarum est fœlicitas naturæ intellectualis. Hæc autem fœlicitas spectari potest duobus modis. Primò in confuso & sub ratione communi & vniuersali boni. Secundò in particulari, quatenùs scilicet est certum definitúmque bonum, perfectissima nimirùm contemplatio, perfectissimi omnium obiecti, siue possessio boni beantis possidentem, quod obiectum dicitur beatitudo obiectiua, eius verò possessio beatitudo formalis, & quidem obiectum beatificans siue beatitudo obiectiua est solus Deus, quod ex conditionibus, quas Arist. tribuit fœlicitati colligitur. Primò vt sit aliquid simpliciter perfectum 1. *Ethic. cap.* 2. Secundò per se expetatur 10. *Ethic. c.* 9. & 1. *Ethic. cap.* 6. Tertiò sit quid optimum, pulcherrimum, delectabilissimum, 2. *Ethic. cap.* 15. Quartò omnium finis 1. *Ethic. cap.* 14. Quintò honorabilissimum. Sextò, 6. *Ethic. cap.* 16. nullius indigens & per se sufficiens 10. *Ethic. c.* 17. Septimò causa, & principium bonorum 1. *Ethic. cap.* 16. Octauò bonum supra omne bonum 1. *Ethic. c.* 4. Nonò cum stabilitate possideri possit à beato, quæ omnia in solum Deum cadere constat, vt fusissimè atque eruditissimè ostendit Theophilus Raynaud. *in disciplina morali dist.* 1. *q.* 2. & 3. fœlicitas porrò formalis est summi illius boni possessio per actionem intellectiuam; certum enim est primò, hanc fœlicitatem debere esse quidpiam intrinsecum homini quem formaliter beatum constituit, vt vbique supponit Arist. non potest autem esse aut ipsa essentia aut potentiæ beati: essentia enim cum sit illud ex quo res est, quamdiu est, reperitur in omnibus etiam miseris, quod idem valet in potentiis naturalibus, ex quo etiam sequitur hanc beatitudinem non posse esse habitum, aut speciem impressam, aut quidpiam aliud per modum actus primi, quia vt argumentatur Philosophus 10. *Ethic. cap.* 6. & 1. *magn. moral. cap.* 4. fœlicitas esset in dormientibus, immò & in miseris. Nam quidquid pertinet ad actum primum, reperitur in duplici illo statu; prætereà non coronantur in Olympicis qui fortes sunt habitualiter, sed actualiter, vt dicitur 1 *Ethic. cap.* 3. ergo debet constitui formalis fœlicitas in aliquo quod se habeat per modum actus secundi immanentis; cùm enim consistat in coniunctione beati cum obiecto beatifico, nulla alia coniunctio fingi potest, quam per modum actus primi vel secundi, primum exclusimus, manet igitur secundum. Nam quod aliqui fingunt nescio quem illapsum Dei in mentem, non possunt suam sententiam explicare, nisi altero ex duobus modis assignatis; si enim dicant eum illapsum ex diuina præsentia nasci, iam omnes essent beati, cùm omnibus Deus præsens sit: est igitur aliqua actio immanens beatitas hæc, & quidem non vegetans aut sentiens, quæ vt argumentatur Philosophus, communes sunt plantis ac pecudibus, nec hominis propriæ. Est igitur aliqua actio rationalis intellectus scilicet & voluntatis, siue sola illectio essentialiter requiratur, siue etiam amor quod postremum probabilius censeo cum Scoto, neque alio modo obiecta supposito distincta possidere possumus, quàm illâ metaphoricâ præhensione, & quasi tentione; dicitur autem illa possessio, perfectissima obiecti perceptio, quia per illam nobis confert omnia bona conuenientia, & vnitur nobis, quàm optimè potest, in ordine ad possessionem, quæ tunc censetur esse, quando percipiuntur à possidente fructus, quos obiectum de quo agitur conferre potest. Atque hæc de fine vltimo & extrinseco.

Iam verò finis immediatus proximus & extrinsecus naturæ rationalis, est ipsummet bonum rationis, id est bonum quodcumque suppositi totius, siue materiale sit, siue spirituale, non absolutè spectatum, sed vt rationis ductu, & perceptione ordinatur in finem vltimum, fœlicitatemque naturæ rationalis. Voluntas enim & natura rationalis considerari potest duobus modis. Primò quatenùs est voluntas & appetitus intellectualis naturæ, & vt sic fertur in bonum in vniuersum, vt in finem, ideóque pueri, & amentes cùm bonum vtile & delectabile appetunt, illud voluntate appetunt. Secundò considerari debet natura rationalis præcisè vt rationalis est, & voluntas, quatenùs est principium operationum naturæ rationalis, quatenùs rationalis, id est vt ratione dirigente tanquam regulâ actionum suarum vtitur; sic autem bonum illius & finis est bonum rationis. Nam finis vniuscuiusque naturæ est bonum illi conueniens, bonum autem conueniens naturæ rationali quà rationalis est, est bonum honestum; honestum enim nihil aliud est, nisi bonum naturæ rationalis, siue regulatum per rectam rationem, vt ostendemus fusiùs *q. sequenti.* Voluntas quidem rationalis, quia est indeterminata & libera, æquè tendit in obiecta opposita, in honestum scilicet & turpe, nunquam tamen tendit nisi in bonum quod est ordinabile per rationem, quod si per illam ordi- 7

nctur,

netur, & vt sic appetatur, actio honesta est, sin ab ea non ordinetur, & sic appetatur, actio turpis est, & obiectum inhonestum, vt *illâ quaest.* dicemus : vnde manet obiectum voluntatis rationalis quà rationalis est, siue vt ratione in agendo vtitur, necessariò & essentialiter habere ordinem ad rectam rationem vt regulam, cui erit conforme vel difforme, finis tamen eius non est obiectum difforme illi regulæ, vt patet, ergo est obiectum conforme rectæ rationi.

8 Atque hunc duplicem finem intrinsecum & extrinsecum, vltimum & proximum naturæ rationalis, explicamus exemplo artium. Architectonica v.g. habet pro fine vltimo & extrinseco habitationem; illius enim gratiâ domus ædificatur, pro fine proximo & intrinseco domum ipsam quam efficit; sic fœlicitas est finis vltimus naturæ rationalis, quia eius assequendi gratiâ omnia ratione fiunt; at verò ipsum honestum, seu bonum rationis præscriptione definitum, & ordinatum ad finem vltimum naturæ, est finis proximus & intrinsecus rationis, & quidem si de fine vltimo & fœlicitate in abstracto, aut in confuso agamus, natura rationalis appetitu innato ad illam determinata est, & propterea nihil appetere potest nisi bonum. Ratio enim formalis obiecti mouet voluntatem, & illam obiectiue determinat ad speciem actionis; cùm enim sit indifferens non modò circa diuersa obiecta, sed etiam circa idem, quod diuersis, & oppositis actibus attingere potest, indiget omninò aliquâ ratione extrinseca mouente & determinante ad speciem actionis : quæ ratio motiua alia non est, quàm ratio obiecti per intellectum apprehensa : atqui ratio mali mouet voluntatem ad odium sui; non potest igitur illam determinare ad amorem sui, cùm eadem ratio formalis obiecti nequeat determinare voluntatem ad oppositos actus. Idem siquidem manens idem formaliter, & materialiter, & sine libertate causans, non potest esse principium contrariorum; obiectum autem naturali modo & non liberè mouet potentiam, nequit igitur simul ad actus oppositos immutatum mouere voluntatem. Adde nullum appetitum ferri per se in malum vt malum est : appetitus enim est inclinatio quædam naturæ, atqui inclinatio naturalis est in aliquid simile aut conueniens, vnicuique autem naturæ, insitæ sunt propensiones ad conseruationem sui, & ad ea prosequenda, quæ naturæ consentanea sunt, & nulla est quæ in malum destructionémque sui propendeat : voluntas igitur & appetitus naturaliter in bonum abstractè & in confuso sumptum determinatus est, itaut nihil aliud appetere ac velle possit, quàm bonum siue fœlicitatem in confuso, aut in communi, quam etiam in omnibus semper prosequi debemus. At verò ad fœlicitatem in particulari, Deum scilicet, natura rationalis non ordinatur determinatè, & per modum naturæ, quia alioquin deficere non posset, sed ad eam se ordinat actu per rationem, libertatémque suam, atque per suas actiones, sicut materia prima non ordinatur ad formam perfectissimam, quæcumque tandem illa sit, nisi in confuso : quia per se primò ordinatur ad formam; at verò ad formam rationalem determinatè ordinatur, cùm ad illam disponitur ab agente : in eo tamen differt natura rationalis, quod se ipsam per se ad finem suum ordinat, aut ab illo pro libertate deflectit.

9 Ad finem porrò proximum quem diximus esse bonum conueniens naturæ rationali, vel iudicio rationis, ordinatur quidem ex sese natura rationalis, vt per illud tanquam per medium vnicum & necessarium finem suum vltimum ac beatitudinem assequatur. Et idcirco, quam habet obligationem & debitum tendendi in suum finem vltimum, eandem habet circa finem proximum per se & essentialiter ordinatum ad vltimum; quia tamen libera est, neque ad vllum certum actum determinata, sicut deficere potest à fine vltimo, ita & à fine proximo : quinimmò si à fine proximo nunquam discederet, aut discedere posset, nunquam etiam à fine vltimo resilire & diuertere posset, cùm eo ipso quòd finem proximũ attingat, tendat per illum in finem vltimum : aliud igitur est naturam rationalem quà talis est, ordinari per se ad bonum honestum, aliud verò ad illud determinari; hoc enim vltimum non consistit cum libertate ad opposita naturæ rationalis creatæ, & inferret impeccabilitatem; priùs autem illud neque tollit libertatem, neque potentiam peccandi, sed tantùm exigit vt natura sequatur ductum & præscripta rectæ rationis, quamuis possit non sequi si lubeat violando obligationem quam habet, ac proinde peccando; vnde fit vt voluntatis rationalis obiectum non possit esse nisi aliquid regulabile & dirigibile per rectam rationem, quia nullum omninò bonum siue res siue actio sit, attingitur à voluntate rationali vt sic, quod non possit dirigi à ratione, id est, de quo recta ratio non possit aliquid præscribere, quamvis voluntas propter suam libertatem non cogatur parere rationi, ad quod tamen tenetur & obligatur; quare eam obligationem violando peccat, quia sic auertit se à suo fine vltimo, ad quem per actionem contra rectæ rationis imperium factam, tendere nequit, immò ab illo vt inferiùs dicam sese auertit. Quare manet quod superiùs dicebamus, obiectum voluntatis rationalis esse aliquid regulabile & dirigibile per rectam rationem, finem verò proximum esse actum per rectam rationem circa tale obiectum regulatum.

Probatio propositionis vniuersalis.

Ex his omnibus certissimis principiis facile fuerit 10 propositionem initio positam demonstrare. Dixi primò legem naturalem esse obligare ad non peccandum, & ad semper benè operandum, id est conformiter rectæ rationi. Si enim non violaret peccando aliquam legem & obligationem, non peccaret, vti ostendimus : Deinde si obligatio ad non peccandum non esset ex lege naturali, seclusâ lege positiuâ, nullum esset peccatum. Denique si actio honesta est ea, quæ cum recta ratione consentit, vti dicemus *q. sequenti*, actio inhonesta erit ea, quæ non consentit eidem rectæ rationi. Duæ enim rationes oppositæ eidem regulæ adæquari non possunt, vti videmus in rectitudine, & curuitate. Impossibile igitur est vt recta ratio, quæ actionem honestam præscribit, inhonestam, & turpem, vtpote sibi dissentientem, non prohibeat. Sicut igitur impossibile est vt actio dissentiat à rectà ratione, & inhonesta non sit, ita fieri nequit, vt quis à recta ratione dissentiat, & non peccet, siue vt non obligetur ad consentiendum semper rectæ rationi, & nunquam ab ea dissentiendum circa obiectum quod regulabile est à recta ratione, quale existit illud omne quod est obiectum voluntatis rationalis, vt rationalis : quæ omnia lucem accipient à quæstione sequenti. Atqui omnis actus consentiens rectæ rationi bonus & honestus est, dissentiens verò eidem malus, & turpis : ergo si lex naturalis obligat ad semper consentiendum rectæ rationi, & nunquam ab ea dissentiendum, obligat ad nunquam peccandum, & ad semper benè operandum, tum ratione obiecti, tum omnium circumstantiarum eius, quia vt dicam inferiùs, vna aliquando circumstantia vitiat totum actum.

Dixi

11 Dixi secundò naturalem legem obligare naturam rationalem, vt omnibus & singulis actibus tendat in suum finem: hæc assertio constat etiam ex notatis. Omnis enim natura obligatur tendere in suum finem tum proximum, tum vltimum: atqui finis naturæ rationalis proximus est bonum honestum, siue actio honesta; & finis vltimus ad quem proximus ille essentialiter refertur, est Deus, vti ostendimus in notatis. Igitur obligatur naturaliter natura rationalis perpetuò siue omnibus suis actionibus rationalibus tendere in Deum, & nunquam nisi in ordine ad illum finem operari. Idem enim est finis naturæ, potentiarum & actionum accidentiúmque illius: cùm ergo natura rationalis per se ad vnum aliquem finem vltimum, & beatitudinem ordinetur; omnes quoque illius potentias, actiones, & accidentia in eum finem referri necesse est, & consequenter omne quoque obiectum illius, vel est finis ille vltimus, vel aliquid quod ad eum finem ex se ordinatum sit, aut quod ipsa ad eum finem ordinet. Et sanè quidquid appetit natura rationalis vel per se, & propter se illud expetit, vel propter suum finem vltimum. Primum nequit sine peccato; constitueret enim in re creata finem vltimum, ergo ad secundum obligatur; hoc est ad referendam suam actionem, & bona quæ appetit ad finem vltimum.

Verùm minimè necessarium est, vt actu aliquo rationis formali & expresso in vltimum finem referantur omnes actiones naturæ rationalis; sufficit enim si virtualiter, aut ex natura sua illum respiciant, neque fortassis aliud voluit Scot. cùm vti superiùs retulimus, negauit *in 4. distinct. 49. quæst.* 10. omnia appeti propter finem vltimum, quod ipsum contra Caietan. & alios demonstrauimus, cùm experiamur nos sine vlla expressa, actuali & formali cogitatione vltimi finis honestè atque ex rationis præscripto operari, quia nimirùm omnes actiones honestæ ad vltimum finem naturâ suâ referuntur: deinde omne bonum conforme rectæ rationi regulísque prudentiæ, siue quod ex præscripto rationis eligitur; vel est vltimus finis, vel ad vltimum finem naturæ rationalis refertur: nam bonum conforme rationi est bonum conforme naturæ rationali; Bonum autem naturæ, vel appetitur propter se & sui ipsius gratiâ, sine vlla relatione vel virtuali vel actuali in aliquid vlterius, quomodo solus vltimus finis honestè amari potest; vel non amatur gratiâ sui ipsius, sed saltem virtualiter ad alium finem refertur. Si autem illud ad quod refertur est debitus finis naturæ humanæ, est honesta actio, si est aliud quidpiam, facit actionem turpem. Actio igitur honesta virtualiter ordinatur in finem vltimum, alioquin honesta non non est, quod etiam confirmatur ex eo, quod illud quo primò natura quæpiam determinat se ad agendum, est inclinatio propensióque in finem proprium & vltimum naturæ: atqui actus rationis & prudentiæ est id quo primùm natura rationalis vt rationalis, determinat potentias naturales ad agendum, est ergo inclinatio in finem: aut igitur inclinat in finem immediatè, aut certè in aliquid quod ad finem referatur, quod igitur ex præscripto rationis & prudentiæ fit, virtualiter saltem in finem vltimum ordinatur. Vnde vides quo sensu Aristot. *cap. 2. lib. 8. Ethic.* dixerit bonum honestum esse per se expetendum, quia formaliter non appetitur propter aliud bonum, sicut vtile, quod includit relationem formalem ad aliud, quamuis honestum virtualiter includat ordinem ad vltimum finem, quia nimirùm est conforme rectæ rationi; cùm enim ratio recta sit vti iam monui, determinatio naturæ rationalis & ordinatio illius virtutis in finem, necessariò obiectum ei consentaneum, quodque tale est, quale ipsa dictat, virtualiter quoque ad eum finem ordinatur. Non est quidem causa physica productiua finis, sed est medium morale, mouens rationabiliter Deum tanquam authorem naturæ ad vltimum finem, veluti præmium conferendum; æquum enim est, vt qui liberè, & quantum in ipso est, finem vltimum prosequitur, naturæ consentaneis operationibus si eum perfectum absolutúmque habere per se non possit, illum ab Authore naturæ tanquam præmium honestæ vitæ assequatur. Ex quibus omnibus tandem confirmata manet tota nostra propositio: nimirùm naturam obligari ad semper honestè operandum, & ad tendendum in suum finem singulis suis operationibus, vel formaliter actu expresso, quod rarò contingit, vel virtualiter per actiones natura sua ad illum ordinatas, cuiusmodi sunt omnes & solæ actiones honestæ, quæ ex rationis præscripto fiunt.

Consectarium I.

Omne peccatum est auersio à Deo, & vltimo fine natura rationalis.

Ex his omnibus colliges primò, omne peccatum 12
includere essentialiter auersionem à Deo, quatenùs est vltimus finis naturæ rationalis, quod fatetur S.Thom. 1.2. *q.* 71 *art.* 6. *ad* 3. vbi ait Augustinum designasse hanc inordinationem siue auersionem, dum definiuit peccatum per oppositionem ad legem æternam, quæ ordinat principaliter hominem ad finem: vnde etiam reliqui Theologi aiunt peccatum aliquid addere supra actum malum, scilicet auersionem, quæ distinctio inanis est, cùm omnis malitia sit auersio à Deo, & fine tum naturali tum etiam supernaturali. Rationem nostri Consectarij ex doctrina hactenus tradita facilè deduces, eámque attigit Scot. *in* 2. *dist.* 37. *quæst. vnic.* Et qui eum descripsit Gabr. *ibid. dist.* 35. *quæst. vnic. art.* 3. *dub.* 1. quod in omni peccato voluntas inordinatè se habeat circa aliquid ad finem necessarium, aut ex natura sua, aut ex diuino præcepto: clariùs dici posset actum malum esse inordinabilem ad finem, & per eum naturam agentem, inordinatum etiam reddi; cùm tamen suis actibus & ad finem ordinari, & ad illum assequendum tendere debeat, vti nuper ostendebamus. Distinguenda verò est duplex auersio: formalis vna, virtualis altera, formalis quâ expressè finis ille respicitur; quæ iterùm duplex est contraria, & negatiua: contraria est expressa notitia finis, aut eius odium, & abiectio: Negatiua est non velle finem, cum velle deberet, atque formalis ista auersio siue contraria siue negatiua sit, non est essentialis omni malitiæ; constituit enim speciale peccatum, vt patet in odio Dei, & in omissione præcepti charitatis, quando actu ad sui obseruationem obligat. Virtutis autem auersio, est communis omni peccato, quia in eo voluntas inordinatè versatur circa aliquid, ratione cuius impeditur vel saltem retardatur à fine consequendo, & quod propter inordinationem voluntas circa illud versantis, & contra rationis præscriptum agentis, est etiam inordinabile ad finem à quo consequenter auertitur voluntas. Sicut inquit Scotus citatus, intellectus negans conclusionem, virtualiter auertitur à principio, quàm connexionem principij & cõclusionis comparanit etiam cum connexione operis nostri & finis vltimi Caiet. *loco statim citando.* Consonat his omnibus August. *lib.* 12. *de ciuit. cap.* 8. *Deficis* (voluntas) *non ad*

mala sed malè, id est, non ad malas naturas, sed ideo malè, quia contra ordinem naturarum, ab eo quod summum est, ad id quod minus est, neque enim auri vitium est auaritia, sed hominis peruersè amantis aurum, iustitia derelicta, qua incomparabiliter debuit auro anteponi, & *cap.9. nec talem facit, nisi defectio, qua deseritur Deus*: quia nimirum omne obiectum est regulabile per rectam rationem, & per illam ad vltimum finem ordinabile, vti ostendimus: quando igitur in eo appetendo voluntas non sequitur impetium rationis illud ad finem ordinantis, quando igitur in eo appetendo voluntas non sequitur imperium rationis illud ad finem ordinantis, peruerse illud appetit, & fine suo vltimo, atque etiam proximo diuertit.

13 Obiicit Vasq. 1.2.*disp.96.cap.2.* auersionem istam non esse de essentia peccati, quia Philosophi qui moralem malitiam nouerunt, eam auersionem ignorarunt; existimat itaque eam auersionem esse tantum aliquid cum peccato mortali coniunctum, quia priuat nos charitate, qua Deo coniungimur: quæ priuatio etiam in statu puræ naturæ reperiatur, eo quòd peccatum mortale deberi nequeat sine gratia, & charitate, & in statu puræ naturæ, homo per peccatum mortale habet debitum non habendi gratiam, & charitatem quâ Deo vt fini supernaturali coniungatur, ab illo auersus dicitur: Resp. malè Vasq. supponere ad hanc auersionem necessariam esse Dei cognitionem, quia quod aliquid sit ordinabile, aut inordinabile ad finem, non pendet à cognitione operantis, vt aduertit Suar. 1.2.*tract.5.disp.1.sect.1.num.8.* auerti enim potest aliquis, & recedere à termino etiamsi de eo nihil cogitet: deinde priuatio charitatis, & gratiæ sequitur ipsam malitiam, & auersionem actus, ergo non rectè in ea priuatione, auersionem quæ aliquid prius est constituit Vasq.

14 Dixi porrò peccatum esse auersionem à fine tum naturali tum supernaturali, quamvis priorem dumtaxat in tota ista controuersia de lege naturali spectemus; rectè enim obseruat Caietan. 1.2.q.71.*art.6.* §.*ad euidentiam*, Deum ita esse finem naturalem & supernaturalem simul creaturæ rationalis, vt illæ duæ finis rationes sibi inuicem velnti subordinentur. Nam finis supernaturalis supponit quodammodo naturalem, quem non destruit, sed potius perficit, sicut gratia vt vulgò dicitur, supponit & perficit naturam; quare quidquid Deo vt fini naturali creaturæ rationalis repugnat, idem vt fini supernaturali opponitur, quamvis quidquid ordinatur ad Deum vt finem naturalem assequendum, ad eundem vt finem supernaturalem non ordinetur, cum opera nudè naturalia nullam habeant proportionem cum fine supernaturali: vnde sequitur actum malum cum rectæ rationi opponatur, quæ ordinatur ad Deum vt finem naturalem, necessariò quoque ab eodem fine naturali animum abducere, & consequenter à supernaturali. Sapienter igitur dixit S.Thom. 1.2.*quæst.73.art.7.ad 1. Auersionem à regula rationis sequitur auersio à Deo, cui debet homo per rectam rationem coniungi.* Ad extremum moneo nomine auersionis à fine significari quamcumque ab eo deuiationem, aut retardationem, vt conuenire possit etiam malitiæ veniali; cùm enim per actum ita vitiatum impossibile sit hominem ad Deum progredi, ab eo auerti suo modo dicetur.

CONSECTARIVM V.

Quomodo peccatum sit conuersio ad creaturam vt ad finem vltimum?

Præter auersionem ab vltimo fine & bono incommutabili, quam in omni peccato reperiri contendebamus, conuersionem ad bonum commutabile agnouit August. *lib.12.de ciuit.cap.6.* à quo Mag. *in 2. d. 35.* & cæteri deinceps Theologi acceperunt, quod eodem modo est intelligendum atque de auersione; cum enim omne peccatum constituatur in aliquo actu non ordinato, neque vt sic ordinabili ad finem vltimum, necessarium est vt ille actus, eiusque obiectum ad finem aliquem alium ordinetur, aut propter se ipsum expetatur. Vtroque autem modo est formalis aut saltem virtualis conuersio ad bonum creatum, in quo ita sistitur, vt neque ad Deum tendatur, neque per illum actum tendere possibile sit. Si autem de conuersione formali & actuali atque expressa agatur, non videtur illa omni malitiæ essentialis, vt in odio Dei in quo non includitur ea formalis conuersio, sed potius vt præuia præsupponitur contra Azor. *tom.1.lib.4.capit.2.quæst.1.* quoties tamen in peccato reperitur formalis conuersio inordinata ad bonum commutabile, ea mala est, & ad rationem talis malitiæ pertinet, est enim formaliter dissonans rectæ rationi, ergo & formaliter mala; quare malitia illius actus est dissonantia cum recta ratione ea auersione à Deo, & conuersione ad bonum commutabile consurgens. 15

Neque benè obiicit Becan. 1.2. *tractat.1.capite 5. quæst.1. numer.8.* eam conuersionem tendere ad bonum vt bonum est, & ab eo specificari, quamvis tendat in obiectum indebitum, indéque fieri malam, non tamen esse ipsam malitiam, confundit enim Becan. speciem physicam cum morali, physica enim petitur à bono in quod tendit, moralis autem dissonantia cum recta ratione, eò quòd in obiectum indebitum feratur: Et quidem tendentia physica est ipse actus malus, non malitia; dissonantia autem illius tendentia à recta ratione, est formalis malitia, conuersio itaque: sicut & ipsa auersio duobus modis considerari solet, primò pro actu quo voluntas formaliter conuertitur ad obiectum inordinatum, & virtualiter à Deo recedit, & sic non est malitia, sed fundamentum ac subiectum eius: secundò pro dissonantia cum recta ratione, seu turpitudine, quæ est in ea actuali conuersione & auersione, vt ita loquar, quo sensu vsurpamus, cum dicimus auersionem, & conuersionem esse aliquid essentiale malitiæ. Salas autem 1. 2. *tractat.13. disputat.2. numer.46.* idcircò solam auersionem dicit esse de essentia malitiæ & peccati; quia peccati ratio consistit in priuatione, quæ nomine auersionis non conuersionis significatur, immò licet malitia commissionis quidpiam positiuum foret, in positiuo tamen à Deo recessu, constitui solùm deberet. Sed negari nequit omni positiuo recessu ab vno termino, coniunctum esse necessariò & essentialiter accessum ad terminum oppositum; quandoquidem simul atque vnus terminus deseritur, oppositus acquiritur, vt contingit in actu, quo quis Deum bonum incommutabile deserit & commutabile prosequitur. Vtraque igitur ratio auersionis à fine & conuersionis ad aliud fini oppositum essen

essentialis est omni ferè peccato, quamquam quæri posset, quænam ex illis duabus rationibus magis essentialis sit; nam Caietan. 1. 2. *quæst.* 71. *art.* 6. existimat auersionem pertinere simpliciter ad malum, conuersionem autem ad peccatum, vt est malum morale & voluntarium, de qua duplicis mali inutili distinctione plura diximus 1. 2. Quare in ea immorandum non est hoc loco; alij cum Suar. 1. 2. *tract.* 5. *disput.* 1. *sect.* 1. conuersionem faciunt materiale & auersionem formale, sed sumunt vtri iam nomini conuersionem pro physica tendentia in obiectum inordinatum. Existimatim ego dissonantiam cum recta ratione desumendam esse ab inordinatione obiecti ad quod voluntas conuertitur formaliter, & virtualiter auertitur à Deo fine vltimo: Vnde fit vt per obiecta inordinata ad quæ fertur voluntas, distinguantur species malitiæ diuersæ: præterquam quòd auersio illa virtualis, est velut quædam ratio generica, quæ maior aut minor est pro varia conuersione ad obiecta inordinata, vti videmus in peccato mortali & veniali, in quibus inæqualis est auersio à Deo, quia conuersio ad obiecta inordinata inæqualis est, optiméque omninò vidit Curiel. *in* 1. 2. *quæst.* 71. *art.* 6. *dub.* 1. §. 8. *ad tertium*, non posse in actu commissionis præscindi auersionem à conuersione, tanquam duas rationes specificas. Conuersio enim quatenus respicit suum obiectum, non est conformis legi, sed ipsi contraria: Quare sicut conuersio nequit præscindi ab ordine ad obiectum, ita neque à contrarietate cum lege; in cæ verò contrarietate est auersio virtualis à fine, vti fuit superiori Consectario explicatum.

16 Quod verò dicatur passim peccator finem suum vltimum in bono creato constituere, in quo aliqui ponunt conuersionem omni peccato grauiori intrinsecam, non ita intelligendum est, vt peccator formaliter omnia sua opera referat ad bonum illud creatum prauè conceptum, & in illud tanquam in finem omnia destinet, cùm sæpissimè nouerit obiectum illud non esse summum bonum, & illud ipsum ad aliud referat; atque nonnumquam plura simul peccata committat, tunc enim plures fines simpliciter vltimos haberet; quod essentialiter pugnat cum ratione vltimi finis, quamuis igitur peruersa voluntas tunc non tendat in Deum, non tamen bonum creatum in quod fertur, statuit tamquam omnium suarum actionum, & totius vitæ finem, quod vnum negauit Scot. *quodlib.* 18. *littera CC.* Interpretatiuè tamen censetur finem vltimum in creatura constituere, quia ita se gerit, ac si alium finem non haberet, & reddit se inordinabilem, & irrestrictibilem ad finem suum simpliciter vltimum, cùm graui peccato dissoluatur amicitia quam habebat cum suo fine, cuius assecutio impossibilis est cum tali operatione, quod quia non contingit in culpa veniali, non censetur per eam voluntas finem suum vltimum in bono creato constituere. Ita Vasquez 1. 2. *disput.* 5. *cap.* 1. & 2. vide Montesinum 1. 2. *disput.* 2. §. 2. & 3. quòd non placet, quod dicat constitui finem vltimum in creatura per peccatum quoad affectum, quia diligitur creatura plusquam Deus, quod mihi optimè reiecisse videtur Adrian. *quodlib.* 7. *quæst.* 3. sufficit explicatio à nobis allata: neque in his ampliùs immorandum videtur. Consule etiam Ouied. *tract.* 1. *controuers.* 1. *p.* 4. vbi fusè ostendit peccatorem amare creaturam plusquam Deum, & ipsi illam præferre, cùm Deum malit amittere, quàm creaturam, & illam etiam omnibus aliis creaturis quæ in Deo continentur eminenter consequenter præferat, atque

R. P. Ioseph. Gibalinus de Scient. Can.

iti in creatura finem vltimum interpretatiuum constituat.

Consectarivm III.

An lex naturalis obliget ad operandum, ex dilectione Dei, & finis vltimi.

Obseruandum in primis est, dari aliquem amorem Dei naturalem, hoc est Dei, & authoris naturæ, & finis vltimi naturalis: quod constat ex damnatione propositionis 34. Baij, quæ sic habet: *Distinctio illa duplicis amoris naturalis quo Deus amatur vt author naturæ; & gratuiti, quo Deus amatur vt beatificator, vana est, & commentitia ad illudendum sacris literis, & testimoniis Patrum excogitata.* Et sanè cùm Deus sit bonum omnium amabilissimum, & maxime naturæ rationali proportionatum, & vt tale naturaliter cognoscatur, cur voluntas illud bonum naturaliter non amabit: hic amor duplex est, beneuolentiæ scilicet & concupiscentiæ. Prior fertur in Deum propter se ipsum, & quia bonum illi volumus; posterior tendit in Deum quatenus est bonum amantis, qui sibi vult tale bonum; vterque autem eiusmodi amor potest esse perfectus, aut imperfectus. Amor beneuolentiæ imperfectus est, vel ratione obiecti, vel ratione modi; ratione obiecti imperfectus est, quando complacet quidem sibi in diuinis bonis internis, illique etiam cultum & honorem exhibere debet, non idcircò tamen statuit nunquam sibi contra diuinam legem, quæ est ipsamet, vti diximus naturalis lex, indulgere: atque ita nunquam à Deo suo vltimo fine discedere; itaque eiusmodi amor affectiuus quidem est, sed non obedientialis. Amor imperfectus ratione modi fertur in omnia bona diuina, estque adæquatus ex parte obiecti, est tamen simplex tantùm complacentia, aut tenue quoddam & inefficax desiderium, seu actus conditionatus qui exprimitur per *vellem*, qui non mouet efficaciter ad omnem præceptorum naturalium obseruantiam, neque excludit omne peccatum mortale, amor perfectus & summus, tum ratione obiecti, tum ratione modi tendendi est amor Dei super omnia; quæ particula denotat non tantùm velle sibi in Deo complacere, propter immensam eius bonitatem, quam vult & gaudet inesse Deo, sed etiam velle Deo placere in omnibus & super omnia: quare vult formaliter aut virtualiter fugere quidquid, quoquo modo diuinæ bonitati contrarium est, appellatúrque obedientialis, qui excludit omne peccatum mortale, omnemque actualem effectum Deo contrarium atque rationem amicitiæ participat, si ea dari possit inter Deum, & creaturam, estque summus, quia eius ratio motiua & formalis est summa Dei bonitas naturalis & naturaliter cognita, & proponit saltem virtualiter seruare omnia præcepta naturalia.

Amor concupiscentiæ est ille, quo sibi homo magis Deum suum vltimum finem cupit, quam reliqua omnia bona, neque propterea se magis diligit, quam Deum. In eo enim actu non est duplex dilectio, altera Dei, altera sui ipsius, quæ inter se comparentur, & quarum vna dicatur alterâ maior, aut minor, sed vna tantùm quâ Deus amatur homini tanquam subiecto, & quæ inter omnes dilectiones eius generis maxima est & super omnia. Vterque porrò amor tum beneuolentiæ, tum concupiscentiæ iterùm distingui potest ratione efficacitatis; nam licet vterque quan- 18

do summus est proponat seruare omnia præcepta naturalia, de quibus modò tantùm loquimur, sicut de amore tantùm naturali, & eo momento quo durat, excludat omnem grauem offensam à Deo & vltimo fine remouentem, atqueadeò inuehat præcepti tunc vrgentis impletionem, non sufficit tamen vt omnibus impedimentis quæ decursu longioris temporis occurrent, resistat. Quare non est nisi secundum quid, & ex aliqua parte efficax. Alter verò absolute & simpliciter efficax est, quia non modo vult aliquo momento Deo super omnia, & in omnibus placere, sed etiam deinde in singulis, quæ sese dabunt occasionibus, id præstabit, omniáque contraria superabit; quare ille amor totius legis naturalis impletionem includit. His positis.

20 Dicendum est primò dari præceptum naturale negatiuum dilectionis Dei super omnia, hoc est prohibemur naturaliter quidquam, etiam nos ipsos amare supra Deum, siue amore beneuolentiæ, siue amore concupiscentiæ. Itavt nunquam velimus in aliquo Deo displicere, atque ita aliquod bonum aliud creatum illi præferre; nunquam etiam velimus potiùs carêre Deo nostro vltimo fine, quàm aliquo alio bono quod simul cum illo consequi non possumus, siue vt potiùs eligamus carêre omni bono, quàm nostro fine vltimo. Hæc assertio perspicua est ex terminis: in eo siquidem amore boni alicuius supra vltimum finem nostrum, est euidentissima peruersitas: finis enim vltimus ille est, qui appetitur propter se, & omnia cætera appetuntur propter ipsum. Si igitur aliquid appetamus propter se ipsum, & illud non referamus, immò neque referre possimus ad finem vltimum, aut si id quod est finis vltimus ad aliud referremus, propter quod nimirum illum expetimus, naturalem omninò ordinem peruertimus: deinde quidquid fit contra inclinationem naturalem naturæ rationalis vt rationalis, malum est, vtpote pugnans cum ratione; atqui amor alicuius obiecti supra vltimum finem, est contra eiusmodi inclinationem, quia inclinatio naturæ rationalis tendit ad Deum suum finem vltimum supra omnia, atqueadeò supra se ipsam. Quod tradit S. Thom. 2. 2. *q. 26. art. 3.* atque alibi sæpius, eiusque vulgò interpretes cum Suar. *lib. 3. de Angel. cap. 5. num. 3.* Sala. 1. 2. *tract. 13. disp. 2. n. 197.* Lorca 22. *sect. 3. disp. 17. n. 5.* Scot. *in 3. d. 27. q. vn Litt. Q.* Durand. *ibid. dist. 29. q. 2.* & alij contra Gab. *dist. 29. citata q. vn. art. 1. dub. 3.* vbi Bonauenturam allegat. Verùm si nihil aliud voluerit quam quod voluit Bonauentura, nobis minimè aduersatur. Probat verò Scot. quia ratio naturalis dictat aliquid esse summè diligendum inter omnia naturalia, illúdque esse Deum. Adde naturam fore malè institutam, eiúsque peruersam inclinationem, quæ ferret ad dilectionem sui ipsius aut alterius alicuius obiecti creati supra Deum. Et malè Gab. cum Bonauentura concedunt inclinationem naturalem ad malum propter appetitum sensitiuum ad obiecta mala tendentem. Nam ille appetitus inclinat quidem ad bonum sensitiuæ partis, quod non est necessariò connexum cum turpitudine, quamvis aliquando sit propter diuersas circumstantias, quæ superabiles ab ipso sunt, quia tamen sinit se plerumque voluntas trahi eiusmodi illecebris appetitus, & amplectitur bona sensibilia, licet videat cum turpitudine esse connexa, idcircò concupiscentia dicitur fomes peccati: vnde tamen nulla malitia aut in ipsam naturam, aut in eius authorem refunditur. At verò dilectio sui ipsius supra Deum vltimum finem, essentialiter mala est, & non potest non esse mala: quare inclinatio ad illam non poterit non esse mala, & eius author, malè instituisse naturam, dicendus omninò erit. Prætereà charitas supernaturalis naturam destrueret, quia eius appetitu innato pugnaret. Deniq; S. Thom. 2. 2. *q. 16. art. 3.* probat, quia pars magis inclinatur ad bonū totius, quàm ad bonum propriū, vti in naturalibus, & in politicis ostendit inductio; Deus autem est bonum commune & totius, quia est commune, & fontale principium boni ac beatitudinis, quam singula participant: ergo bonum diuinum seu Deum magis quàm se ipsam natura rationalis diligere debet. Hanc rationem multis impugnant Scot. & Durand. locis citatis, cùm exempla à S. Thom. allata non enunciant partem amare magis totum, quàm se ipsam, non in naturalibus quidem, quia etiamsi aqua ascendat ad vitandum vacuum, vt patet inquit Scot. *litt. F.* in vrinali euerso & candela infra posita, illa tamen non se mouet sursum, cùm habeat vnum tantùm principium formale motiuum determinatum ad motum oppositum, sed mouetur ab aliquo extrinseco, violenter atque contra propriam inclinationem: itaque ille motus tribui debet virtuti regitiuæ partium vniuersi: simili ratione actio manus excipientia ictum vt auertat à capite, tribuenda est homini, qui partem minus principalem pro primaria obijcit. Durandus similiter circa politica differit: nam etiamsi aliquis exponat se morali periculo pro alio, cum tamen non magis quàm se ipsum diligit, cùm ad tuenda bona externa sæpiùs eiusmodi periculum adeamus, quæ omnia diluit Caietan. *illo art. 3.* Lorca verò citatus ait nihil aliud velle S. Thom. quàm inclinationem naturalem cuiuslibet entis non sistere in bono proprio, sed naturâ suâ vlteriùs ordinari in bonum Dei, non contra proprium bonum, sed quia bonum proprium essentialiter ordinatur ad bonum totius: quare pars non amat bonum proprium, nisi quodammodo in bonum totius. Quod disertè voluit S. Thom. 1. 2. *quæst. 109. numero 3.* vnde fit vt cum quælibet res particularis amet bonum proprium propter bonum commune vniuersi, dicatur naturaliter amare bonum commune etiam plus quàm proprium, id est potiori iure, cùm bonum commune sit ratio formalis amandi bonum proprium: vnde etiam sequitur vt velit potiùs carere proprio bono, quàm bono communi, & bonum commune est conseruatio boni partis, quæ perstare non potest sine bono communi, quod totum verum est respectu Dei, idque sufficit vt dicamur naturaliter inclinari ad amorem Dei super omnia, quatenùs præferre debemus ex naturali ratione bonum Dei bono nostro, quod essentialiter pendet à bono Dei, immò quia amamus bonum nostrum, quod in bono diuino, tanquam fonte totius boni continetur, bonum diuinum amamus, illúdque omnibus præferimus.

Neque benè obijcitur illud vulgare, amorem fundari in coniunctione, quæ maior nobis est, cum nobis ipsis quàm cum Deo, etiamsi ab illo accipiamus esse; nam & patrem non magis naturaliter quàm nos diligimus, neque magis illi quàm nobis coniuncti sumus: hoc itaque vulgare effatum intelligendum est, quando reliqua omnia sunt paria. Cùm enim ista coniunctio non sit ratio formalis cui amor innitatur, sed tantùm conditio quædam præsupposita, vbi illa maior est, non debet semper esse maior amor; nam alia sunt, quæ illum defectum coniunctionis quodammodo supplent, cuiusmodi est in hoc casu dependentia essentialis à Deo tamquam à toto fonte totius nostri esse: vnde fit vt totum nostrum esse in illo tamquam in sui principio contineatur. Vnde colligit Durand. *q. 2. citata n. 17.* 21

quantum

quantum pars diligit se in toto, & ciuis in communitate tantùm diligere se creaturam in bono diuino; & sicut si pars si libera, & rationalis esset, debere se opponere pro toto, ita etiam creatura pro Deo. Bonauenturam interpretatur Koninc. *disp. 25. de actibus supernaturalibus, n. 55.* de inclinatione naturali ad vehementius, intensius & sensibilius amandum Deum quàm nos ipsos, aliáque omnia bona creata hanc enim inclinationem sapienter negat Bonau. nobis verò sufficit, si inclinetur natura rationalis ad amandum super omnia Deum, & vltimum finem, modo super explicato, vt dicamus dari præceptum negatiuum prohibens amare nos ipsos, aut aliquid creatum, supra Deum.

22 Dicendum est secundò, dari præceptum generale diligendi Deum, quod in omnibus aliis præceptis naturalibus includitur, quatenùs illorum obseruatio est virtualis quoque Dei dilectio, quia vti vidimus, omne peccatum est auersio ab vltimo fine, & omnis actus honestus conuersio virtualis ad ipsum: siue quia obseruatio mandatorum est ipsa dilectio Dei; cùm id verum etiam sit in amore supernaturali, de quo dixit Paul. *Plenitudo legis est dilectio:* Et Christus Ioan. 14. *Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me.* Vagatur itaque per omnia præcepta naturalia, præceptum de diligendo Deo, quatenùs præcipimur non offendere Deum, vti facimus violatione cuiuscumque præcepti, maximè grauioris. Hæc assertio ita explicata, neminem aduersarium habet.

23 Dicendum est tertiò. Dari quoque speciale præceptum naturale dilectionis Dei super omnia, ita a. 2. Valent. *disp. 3. q. 19. punct. 1.* Lorca *ibid. sect. 3. disp. 47.* & Turrian. *tom. 1. disp. 97. dub. 1.* Koninc. *disp. 24. de actibus supern. dub. 2. n. 28.* Sanch. *lib. 2. in Decalog. c. 35. n. 1.* Bonac. *disp. 3. q. 4. punct. 1.* Ferdinand. à Castro *tract. 4. disp. 1. punct. 2. num. 3.* Suar. *disp. 5. de charitate, sect. 1.* aliique contra Vasq. *de pœnitent. q. 90. art. 1. dub. 4. n. 40.* consentaneè omninò iis quæ docuerat 1. 2. *disp. 95. cap. 2.* amorem Dei absolutum super omnia supernaturalem esse; inde enim sequitur neque de illo præceptum naturale dari posse. Hoc idem præceptum negant Molin. 1. *p. q. 63. art. 2. & 3. vn. memb. 2. § id etiam.* Bann. 2. 2. *q. 44. art. 1. dub. 1. concl. 2.* Maldonat. *in cap. 2. Matth. v. 39.* Iansen. *in concord. Euangel. cap. 81.* Sanctius *disp. 1. selecta, n. 21.* quibus fauent S. Thom. 2. 2. *q. 44. art. 1. & 2.* & PP. qui passim dicunt nos totam legem implere, & Deum diligere, si mandata seruemus, ita Bern. *serm. 50. in Cant.* Gregor. *homil. 30. in Euangel.* Immò & Ioan. *epist. 1. cap. 2. Qui seruat mandatum Dei, verè in hoc charitas Dei perfecta est.* Quod confirmant etiam ex mandato dilectionis proximi, quod nullum est distinctum à cæteris quæ proximum respiciunt; fateturque Suar. *disp. 5. de charitate, sect. 4. num. 4.* hoc præceptum non obligare ad actum internum dilectionis proximi. Neque probant passim Theologi quod Lorca 2. 2. *q. 44. art. 2. disp. 58. n. 10.* obligat nos ad amorem proximi eliciendum, saltem qui in omnes feratur.

24 . Nihilominùs quamuis hæc sententia non sit improbabilis, eámque non satis prudenter Lorca *loco citato, disp. 57.* tanquam impiam & erroneam configat, probabilior nobis communis videtur quam in nostra assertione posuimus, nempè dari distinctum præceptum naturale de diligendo Deo super omnia. Quia cùm dentur naturalia præcepta de mediis ad finem vltimum consequendum necessariis, multò magis de ipsomet fine prosequendo dari debet, atqui primum illúdque maximè necessarium medium ad finem consequendum, est amor eius propter seipsum, quoties igitur natura rationalis suis liberis actionibus finem aliquem prosequi tenetur, illum quoque amare propter seipsum, & alia omnia quæ ad ipsum referuntur amare propter illum obligatur. Finis verò vltimus naturæ rationalis, quémque ipsa libere prosequi debet, est Deus; ergo illum amare tenetur vt vltimum finem, hoc est supra omnia, nimitùm illum propter ipsum amando, & omnia alia propter ipsum. Et quamuis non teneatur omnia obiecta creata amare, ex imperio actuali amoris finis vltimi, sicut neque formaliter illa referre actu explicito in finem vltimum, sufficiátque virtualis amor, & relatio quæ reperitur in omni actu honesto, qui ex natura sua tendit ad finem vltimum, (vti diximus Consectario superiori) atque ita non teneamur semper ex dilectione formali, & actuali Dei operari, licet teneamur nunquam operari contra dilectionem etiam naturalem Dei super omnia. Nihilominùs inde non sequitur nunquam nos teneri naturaliter ad actum formalem amoris Dei super omnia, siue vt vltimi nostri finis; quod autem dicunt PP. ipséque Christus dilectionem in obseruatione præceptorum omnium consistere, non pugnat cum hoc præcepto particulari; loquuntur enim de dilectione omnimodè absoluta & perfectè efficaci, atque perseuerante, qualis non est ea obseruatio, quæ vel vnum præceptum violat. Deinde monent dilectionem probari ipso opere, & eorum quæ imperantur executione: quod autem non censeatur distinctum hoc præceptum in Decalogo, in quo præcepta naturalia continentur, non significat illud in omnibus aliis tanquam rationem quandam vniuersalem includi, cùm ad illa omnia supponatur tanquam præambulum quoddam, sed sufficienter aliunde innotescat. Neque necesse fuit omnia præcepta naturalia iis tabulis à Deo includi, atque cùm S. Thomas aliique, vti alibi monuimus, dicant Decalogum continere quasdam conclusiones ex iure naturali facilè quidem deductas, quas tamen propter rudiorum captum distinctius tradere fuit operæ pretium, quis non videat ex iure naturali, siue ex inclinatione naturæ rationalis ad suum finem vltimum amandum, æquè facilè colligi præceptum de illo amore, atque cætera præcepta quæ naturalia fatentur omnes, & in Decalogo continentur, súntque explicata quoque rudioribus *Deut. 12.* quamquam neque illo loco, neque alibi tam traditur hoc præceptum, quàm modus eius explicatur, nempè vt amor ille sit *ex toto corde, tota anima,* &c. hoc est appretiatiuè supra omnia, vti alibi disputantes de charitate, & amore supernaturali exponemus. Eandem enim vim habent hîc voces in præcepto naturali atque in supernaturali. Quod denique dicebatur de dilectione proximi, non vrget, quia vt alia omittam suo loco afferenda, cùm proximus non videat affectum internum, satis fuerit datum fuisse præceptum de opere externo, non autem de actu interno, nisi quatenùs est necessarius ad opus externum præstandum, vt beneficentiæ, & misericordiæ, atque ad vitandum odium, & offensionem proximi. Cùm autem diuinus amor Deo pateat, & sit cultus illi debitus, ex quo etiam maximè confirmatur tota ista doctrina, cùm præceptum colēdi Deū vt authorē naturę sit maximè naturale, cultus autē verus amorē cōtineat, alioquin fictus & simulatus erit.

Ad extremum dici possit, hunc amorem Dei super 25
omnia absolutum, non esse possibilem solius naturæ viribus; ac proinde de illo dari non posse præceptum naturale maximè in pura natura, & non eleuata ad finem supernaturalem, qualem omninò spectare debemus, dum de præceptis merè naturalibus agimus. Verùm hæc quæstio ad tractatum de gratia spectat, vbi rem totam vnica distinctione definiuimus; diximúsque amorem Dei absolutum super omnia, hoc est qui omnis præcepti naturalis impletionem præponat, & grauem

uem offensam ex dispositione operantis efficaciter pro eo breui tempore quo durat, excludat, non tantùm naturalem esse, sed etiam viribus solius naturæ lapsæ, multò magis puræ, proximè elicibilem esse, quod fusiùs *ibid.* ostendimus: Dilectionem tamen naturalem Dei super omnia, omnimodò absolutam, perfectè efficacem, & perseuerantem, atque reipsà omnia præcepta dum occurrent, per longum tempus exequentem in statu naturæ lapsæ per solas vires liberi arbitrij esse impossibilem, quo sensu dixit Augustin. *Epist.* 107. liberum arbitrium ad diligendum primi peccati granditate nos perdidisse. In pura verò natura fuisset quoque opus cogitatione aliquâ, congruâ, & beneficio aliquo naturali, quia vires prouidentiæ naturalis minimè superasset: neque etiam in hoc naturæ corruptæ statu omnis cogitatio congrua ad honestum reipsà impellens, gratia Christi est, vt contra Vasq. *suo loco* fuit ostensum. Maneat igitur nos ex lege naturali obligati ad dilectionem naturalem Dei super omnia, quamvis non teneamur semper, & in omnibus ex illa dilectione formali, & actuali operari, quod erat nostrum consectarium: quandonam verò hoc præceptum implendum sit disquiremus inferiùs, cum in vniuersum quæremus de tẽpore quo lex naturalis obligat.

Consectarium IV.

An omnia infidelium opera sint peccata.

26 Quæstioni isti causam dedit superior doctrina; cùm enim ad dilectionem Dei super omnia, atque ad honestatem naturalem lege naturali obligemur, opera quæ eiusmodi naturali obligationi satisfaciunt omninò honesta erunt; cùm autẽ illa ab infidelibus quoque exerceantur, non est cur peccata aut turpia dicantur: Et sanè, cùm obiectum & modus tendendi in obiectum, atque obligatio, aliáque omnia sint merè naturalia, non apparet cur ab infidelibus eiusmodi opera honesta fieri nequeant: quare qui nullas virtutes veras reperiri in infidelibus, aut omnia ipsorum opera mala esse dixerunt, delusi quibusdam Augustini aliorumque Patrum verbis, reijciendi sunt. Nam PP. dum bona opera negant infidelibus, loquuntur de operibus honestis meritoriis, sine quæ aliquo modo conducant ad salutem, cuius primum initium fides omninò est, honestatem autem moralem merè naturalem, & præciso omni ordine ad salutem nusquam negant. vt manifestè videbis apud Augustin. *lib. de spiritu & littera cap.* 27. & alibi; neque necessitas fidei ad actum merè naturalem demonstrari vnquam poterit, sed solùm ad opera pietatis, vti loquuntur PP. quæ omnia disputantes de gratia eiusque necessitate fusissimè sumus prosequuti contra quosdam veteres Theologos.

27 Reijciendus quoque est Gregor. *in 2. dist. 39. art. 1. conc. 1. & art. 2. Coroll. 1. & 2.* vbi negat homines posse honestè operari, nisi propter Deum dilectum, in quem videlicet suos actus referant, vel actuali dilectione, vel virtute præcedentis alicuius dilectionis, eò quòd nihil creatum sit propter se diligibile, sed solùm propter Deum. Nam vel loquitur de dilectione supernaturali, idcóque adducit plurima Augustini loca *ex lib. 1. de doctrin. Christia. cap. 27. & 31. lib. 9. de Trinit. cap. 8. lib. 83. qq. quæst. 30. lib. 1. de morib. Eccles. c. 14. lib. 19. de Ciuit. cap. 25.* vel de dilectione tantùm naturali. Primum dici nequit, quia cùm totus ille actus naturalis sit, neque excedat vires naturales liberi arbitrij, non apparet cur ad suam honestatem requirat imperium dilectionis supernaturalis, alioquin lex naturalis obligaret ad dilectionem supernaturalem; quod nemo dixerit. Dilectionem autem Dei naturalem minime ad quemlibet actum honestum naturalem requiri, duobus superioribus consectariis euicimus, atque in ipsa propositionis explicatione euidenter ostendimus, vt ampliùs *q. sequenti* apparebit. Vbi honestatem actus constitui per conformitatem rectæ rationis dicemus: ad id autem non requiritur vlla formalis dilectio Dei, quæ actu tunc existat, aut quæ prius extiterit, & nunc virtute influat. Et sanè vti iam monui alias: lõge aliud est diligere quidpiam vt summum bonum; aliud verò vt bonum per se diligibile, quod postremum conuenit bono honesto, quamvis creato. Augustinus autem vult dumtaxat nihil amari posse vt fruendum, & vltimum finem, quod etiam non fit, dum honestatem amamus per se & propter se; nam in illa non constituitur vltimus finis, ad quem ipsa sua natura refertur. Idcóque illâ vtimur, non fruimur.

28 Multo potiori iure explodenda est impia Lutheri & Caluini hæresis, qui omnia opera etiam iustorum peccata mortalia esse mentiuntur: quam insaniam pluribus prosequi nostri instituti non est. Vide Bellarm. *lib. 5. de gratia cap. 4. & lib. 4. de iustific. cap.* 10. aliosque deinceps, qui nouatorum errores stylo prosecuti sunt. Moneo dumtaxat illos pro more, scripturæ verbis abuti: dum enim Paul. ad Rom. dixit. *Omne quod non est ex fide, peccatum esse.* Fidei nomine non intelligit fidem Theologicam, quâ Deo quidpiam reuelanti credimus, sed iudicium conscientiæ. Eius itaque sententia est: *Omne quod non est ex fide*, id est, quod fit contra iudicium conscientiæ peccatum est, ipso quoque Beza interprete, eodemque modo intelliges illud *ad Tit. 1. Omnia munda mundis, inquinatis autem & infidelibus nihil est mundum*, loquitur enim de delectu ciborum, qui fit contra fidem, & iudicium conscientiæ. Illud vero *ad Heb. 11. Sine fide impossibile est placere Deo*, vel de ipsis personis, non autem de singulis earum actionibus intelligi debet, vel de actionibus quæ in ordine ad salutem Deo placeant. Isaïas sacrificia Iudæorum abominationes vocat; non quia Deus abominaretur sacrificia quæ ipse instituerat, atque adeò præceperat; sibi enim ipsi aduersaretur: sed quia ea sacrificia Iudæi pluribus peccatis abominabilia reddebant, & nihilominus sibi blandiebantur, quasi impune peccare liceret, modò sacrificia imperata præstarent: quo etiam sensu Augustinus aliique PP. aliquando loquuti sunt, cùm infidelium opera honesta esse negarunt, quia ea aliqua circumstantia ferè corrumpebant; enim vanam gloriam aut aliud eiusmodi, potiùs quàm ipsam honestatem intenderent.

Consectarium V.

Dantur actus ex obiecto indifferentes.

29 Diximus in nostra propositione legem naturalem obligare naturam rationalem tendere omnibus suis actionibus in finem suum vltimum, quod facit vel formali, actuali expressa illius appetitione, vel relatione actuum suorum in ipsum: actualitem aut virtuali dumtaxat, eò quòd actiones quas facit naturâ suâ ordinentur ad finem vltimum, eiusmodi verò sunt solæ actiones honestæ, ad quas idcircò semper obligatur; quâ etiam de causa *ibidem* diximus bonum honestum esse finem proximum naturæ rationalis. Ex his porrò sequi videtur, omnes & singulas actiones liberas hominis, esse honestas vel turpes; vel enim ordinantur formaliter aut virtualiter ad finem vltimum ipsius, vel non ordinantur: si primum honestæ sunt; si secundum sunt malæ, quia per eas natura rationalis non

tendit

tendit in suum finem, neque proximum, neque vltimum, vti tamen tendere tenetur ex lege naturali, quam proinde violat, ac peccat: quidquid enim fit contra legem, maximè naturalem peccatum est. Quærimus igitur hoc loco, an hoc consectarium ex doctrina à nobis tradita necessariò colligatur.

30 Obseruandum verò est actū omnē considerari posse vel secundum suum obiectum materiale aut formale *quod*, vel secundum rationem formalem *sub qua* actus tendit in illud obiectum. Et quamvis ab hac vltima ratione formali *sub qua* sumatur proxima ratio specifica actus, quia tamen illa accedit ratione vniuersaliori, & materiali, aut generica desumpta ab obiecto materiali aut formali *quod*, & capitur à fine, qui aliquando est extrinsecus obiecto actus, ac denique quamvis in omni actu dum exercetur hic & nunc reperiatur, non tamen imbibitur in obiecto actus, neque in ipso actu secundum rationem illam vniuersalem & abstractam considerato. Idcircò dicitur actus secundum rationem finis, & rationis formalis *sub qua*, tendit in suum obiectum spectatus, sumi in indiuiduo, aut secundum exercitium: consideratus verò præcisè secundum obiectum in quod tendit, dicitur sumi secundum obiectum, vel secundum rationem genericam, aut etiam specificam, sed materialem tantum, secundum quam solam nunquam exercetur, cum omnis actus singularis qui fit, habeat suam rationem specificam formalem, quam sumit à fine suo proximo & intrinseco, siue à ratione formali *sub qua* tendit in obiectum suum, quæ ratio formalis *sub qua* aliquando est intrinseca ipsi obiecto actus, aliquando extrinseca, vti iam monui. v. g. actus iustitiæ vel restitutionis habet pro obiecto tum ipsum actum externum restitutionis, tum ipsam rem quæ restituitur, tum denique æqualitatem quæ reponitur, & quam intendit actus iustitiæ. Et quidem actus restitutionis, resque restituta est eius materia; æqualitas autem quæ per eiusmodi restitutionem reparatur, est formale *quod*. Si verò actus intendat eam æqualitatem propter honestatem ipsi intrinsecam, tunc eadem æqualitas siue eius honestas est ratio formalis *sub qua*, & non tantùm ratio formalis *qua*, siue obiectum formale *quod*. Nam si eam honestatem æqualitatis per se non intenderet, sed propter aliud v.g. vt vanam gloriam captaret; aut Deo placeret, tunc ratio formalis *sub qua* & specificatiua actus esset finis ille externus vanæ gloriæ aut charitatis; quod si tenderet in eam æqualitatem propter ipsius honestatem, quam tamen deinde totam ad aliam aliquam honestatem referret, vti fieri posse dicam alias, tunc in eo actu esset duplex ratio formalis *sub qua*, duplexque ratio specifica, ac denique duplex finis vnos internus alter externus obiecto materiali aut formali *quod* actus, quod fieri posse in moralibus constabit alibi. Quærimus igitur, an dentur aliqui actus indifferentes, qui neque boni neque mali sunt, neque in finem naturæ rationalis ordinentur formaliter aut virtualiter, neque etiam illi opponantur vllâ ratione, tum secundum suum obiectum & rationem genericam atque specificam materialem, tum secundum rationem formalem *sub qua*, à quâ abstrahere nequeunt dum exercentur, considerati. Et quia quidquid accipit existentiam singulare est, & indiuiduum, idcircò actus secundum exercitium sumptus, dicitur actus secundum indiuiduum. Ex quibus omnibus tandem intelligere licet sensum vulgatæ quæstionis, an dentur actus indifferentes secundum obiectum, siue secundum speciem, & an secundum indiuiduum siue secundum exercitium: primam partem huius quæstionis expendimus isto consectario, alteram verò sequenti.

31 Dico igitur dari actus indifferentes secundum obiectum & secundum speciem, cuius assertionis sensus est, vti sapienter aduertit Medina *in* 1.2.*q.*18.*art.*8. & Durand. *in* 2.*dist.*40. *q.*1. non quod indifferentia conueniat actui secundum speciem, quasi de natura specifica actus sit indifferentia; sic enim vbi esset illa natura, semper retineret indifferentiam, neque actus ille posset in exercitio reddi bonus aut malus, vti optimè argumentatur Vasq. 12.*disp.*52. *cap.*4. negatiuè igitur capienda est ea indifferentia, hoc est illud obiectum non esse rationi consonum, aut dissonum, posse tamen vtrumque fieri, itavt negatio malitiæ, & bonitatis quæ per indifferentiam importatur, præponatur copulæ verbali, non postponatur, faciátque hanc sententiam. Non est de natura huius actus præcisè ad suum obiectum comparati, vt sit bonus aut malus, sed potest fieri bonus aut malus, quæ sententia vera est, ista verò negatio postposita copulæ verbali est de natura specifica huius actus, non esse bonum, aut malum falsa est, inde enim sequeretur non posse reddi bonum aut malum, nisi suam naturam specificam abiiceret, ideóque rectè definit Curiel. *dub.* 1.*in art.*8.*q.*18. 1.2. indifferentiam esse negationem bonitatis & malitiæ, cum non repugnatia ad illas. Denique consideratio actus moralis ex solo obiecto, absque circumstantiis est generalis & vniuersalis, inquit Durand. citatus, ideoque quidam eam vocant considerationem secundum speciem: consideratio vero actus ex obiecto & omnibus circumstantiis ipsius, est particularis & singularis respectu primæ, ideóque dicitur consideratio actus secundum indiuiduum, & actualem existentiam, quæ est cuiuslibet rei secundum esse singulare, & cum omnibus circumstantiis suis actualitas.

Hæc sententia ita explicata est S.Thom. 1.2.*quæst.* 18. *art.*6. & omnium eius interpretum, & neminem illi aduersari existimo, ne ipsum quidem Scotum, cuius mens vulgò alia esse fertur *in* 2. *dist.*7. *quæst.*1. & *dist.*41. *q. vn.* Et *quodlib.* 18. Ille enim illis locis nequaquam sumit bonitatem & malitiam ab obiecto solo, sed suo fine, & aliis accidentalibus circumstantionato, vt ipse loquitur; moralitas enim obiectiua, siue à solo obiecto desumpta, generica tantum est per eam, quæ deriuatur à circumstantiis contrahibilis. 32
Cùm igitur in omni actu omnes circumstantiæ debitæ sint, aut non sint; nullus omninò actus secundum speciem quam non sumit à solo obiecto sed circumstantionato, erit indifferens, sed aut bonus aut malus saltem priuatiuè; duplicem enim malitiam distinguit Scot. illis locis; priuatiuam vnam, quoties aliqua circumstantia actui debita deest, contrariam alteram, quando indebita circumstantia ponitur, actus v.g. qui non ordinatur in finem debitum, quamvis non referatur in finem prauum, est malus priuatiuè non contrariè: inter malitiam igitur oppositam contrariè bonitati, datur media quædam ratio, non tamen inter bonitatem, & malitiam priuatiuam: cùm autem hanc saltem malitiam priuatiuam dicat Scot. reperiri in actu secundùm speciem considerato, hoc est circumstantionato, consequenter indifferentiam tollit ab omni actu secundum rationem specificam formalem atque etiam indiuidualem; secundum quam concedit quidem actum non esse bonum, aut malum contrariè, esse tamen necessariò bonum, aut malum priuatiuè affirmat. Quare non dissentit à communi sententia Scot. neque negat actum ex nudo & solo obiecto materiali, aut formali *quod*, atque secundum rationem vniuersaliorem & specificam posse esse indifferentem, quamvis in modo loquendi & assignanda ratione duplicis malitiæ non fuerit fortassis probandus, quia vti aduertit Caietan. *in art.*8.*q.*18.*citato*, quidquid tandem

sit malitia, priuatio debiti finis, aut alterius cuiusvis circumstantiæ, facit actum contrariè, & non tantùm priuatiuè malum; facit enim difformem rectæ rationi quæ difformitas quamvis positiua, vti verius existimamus, existat; exurgit tamen in actu, posita priuatione finis debiti, sicut destructa albedine exurgit vera & realis atque positiua dissimilitudo cum alio pariete albo.

33 Communem hanc sententiam Inductione potius quam probatione confirmandam esse iure merito dixit Caietan. Quis enim affirmet leuare humo festucam, radere barbam, spuere, ambulare, aliáque eiusmodi præcisè spectata & absque vllo alio fine extrinseco esse bona, aut turpia, esséque materiam Confessionis: & quis eiusmodi nugas confitentem sine stomacho ferret? ad quam virtutem amabo ista referent? quis nescit in Concilio Constantiensi damnatum esse Hussium, quod negaret opera indifferentia, quæ damnatio non potest nisi de actibus secundum obiectum præcisè sumptis, intelligi, cum vti constabit ex consectario sequenti, nulli sint actus indifferentes in indiuiduo & secundum exercitium. Idem apertè tradit Hieron. *ep. ad Augustin.* quæ inter Augustinianas vndecima numeratur. Denique ratio à priori facilè redditur; honestum enim est quod ex se pendet à ratione dirigente, vt à lege & regula, naturáque sua ordinatur ad finem naturæ rationalis, atqui hæ rationes secundum se spectatæ non pendent à ratione, neque vllam habent ad finem vltimum relationem, neque etiam ab illo auertunt; ideóque, neque præceptæ, neque prohibitæ sunt: igitur neque bonæ neque malæ, sed omnino indifferentes existunt.

34 Obicies, conformitatem & difformitatem cum recta ratione implicare oppositionem contradictoriam, atque ita excludere medium omne etiam ratione obiecti. Cur enim potiùs cessabit ea implicantia ratione obiecti actus, quàm ratione finis, & aliarum circumstantiarum actus. Quare, si contradictoriè opponi volumus duas istas rationes conformitatis & difformitatis in actu considerato secundum suum finem, & omnes alias circumstantias, debemus quoque idem fateri in actu secundum obiectum solùm spectato, atque ita illum fateri necessariò bonum, aut malũ, nõ autem indifferentem, siue à malo & bono abstrahentem: sicut igitur potest dari obiectum quod neque conforme neque difforme est rationi, ita poterit dari finis, aliáve quælibet circumstãtia, quæ neque difformis, neq; conformis erit rationi, ab ea igitur actus neq; conformitatem, neque difformitatem cum ratione, hoc est neque honestatem, neq; turpitudinem hauriet. Quod si dicas finem, eò quòd non sit conformis rationi, quamvis cum ea non pugnet, fundare malitiam moralem; dicam quoque obiectum non conforme rationi similem fundare malitiam, atque ita vel non datur actus ex obiecto indifferens, vel dandus quoque erit ex fine & in exercitio, cum vbique oppositio conformitatis & difformitatis contradictoria sit, & medium excludens, aut vbique sit tantùm contraria.

35 Huic grauissimæ difficultati plures solutiones leges apud Montesin. *disp.* 25. 12. *q.* 1. *n.* 14. Respondet S. Thom. *art.* 8. *citato ad* 1. duplicem esse priuationem; vnam quæ nihil relinquit formæ in subiecto, sic cæcitas & tenebræ totam potentiam visiuam & lucem tollunt, neque medium aliquid patiuntur. Alia quædam priuatio est, quæ consistit tantùm in priuari, siue est via ad priuationem, vt ægritudo: Ea verò non excludit omne medium, eiusmodi est malitia opposita bono. Hæc doctrina, quam variè expendit Caietan. & Montesino *n.* 19. *q. cit.* difficilis prorsus est. Et sanè, quod etiam dicit Valent. 1. 2. *disp.* 1. *quæst.* 13. *punct.* 5. non satisfacit, quia priuatio bonitatis respectu obiecti, siue malitia ex obiecto, tollit omnem bonitatem ex obiecto; ostendendum tamen fuerat, quomodo obiectum mediũ quendam statum sortiri queat, in quo & priuatũ sit bonitate, & simul non omni malitiâ careat. Respondet itaque Valentia aliquãdo communiter inter priuatiuè opposita non dari medium in subiecto capaci, secùs in incapaci: sic Angelus, neque albus neque non albus dicitur. Obiectum autem de quo agimus, impertinenter se habet ad vltimum finem: ideóque incapax est bonitatis, & malitiæ, quæ proinde ratione ipsius non opponuntur priuatiuè. Eodem recidit quod Becan. 1. 2. *tract.* 1. *cap.* 5. *q.* 5. *num.* 7. dixit illum solùm actum moralem esse capacem bonitatis, & malitiæ ex obiecto, qui habet obiectum honestum aut turpe. Hæc responsio petit principium; quærimus enim, quare si bonitas includat ordinem ad vltimum finem, illius ordinis carentia non afferat malitiam, & cur obiectum aliquod assignetur, quod neque honestum neque turpe sit, cùm non detur vllus finis, qui neque honestus neque turpis existat. Persantius itaque *in art.* 9. *q.* 18. 1. 2. *disp. vnic.* respondet, hæc accidentia priuatiuè opposita non habere pro subiecto naturam abstractam & specificam, sed entitatem realem. Vnde fit vt neutrum illorum necessariò insit naturæ specificæ actus; quamvis ipsius entitati alterum necessariò insit: sic homo abstractè & in se consideratus, neque cæcus est, neque videns, cùm tamen omnis homo singularis & indiuiduus cæcus sit, aut videns: animal neque est rationale neque irrationale, & tamen omne animal reipsa est alterum ex istis: quia igitur aliqui actus secundum naturam suam specificam includunt bonitatem, aut malitiam, alij verò neutram includunt, sed ab vtraque abstrahunt, ideircò aliqui sunt essentialiter boni & mali, & non tantùm secundum rationes indiuiduantes; alij verò abstrahunt ab his rationibus secundum speciem considerati, quia illa non includit essentialiter conformitatem aut difformitatem cum ratione. Verùm neque hæc satisfaciunt positæ difficultati, semper enim quærendum restat, quare non conformitas cum ratione, petita ex fine aut alia circumstantia, fundet necessariò malitiam in actu, & similis non conformitas ex obiecto non producat eandem malitiam.

Dicendum igitur est cum Durand. *in* 2. *dist.* 40. *q.* 1. *n.* 3. malitiam esse priuationem conformitatis debitæ cum ratione recta; vbi autem ratio non est magis recta affirmando quàm negando, ibi actus non debet potiùs esse conformis rationi affirmanti quàm neganti, ac consequenter neque malus erit, si consentiat rationi affirmanti rem esse faciendam, neque si illi dissentiat, & consentiat rationi neganti. v. g. cogitatio dictat leuandam esse humo festucam, altera cogitatio negat esse leuandam. Hæ propositiones sunt vel contrariæ, vel subcontrariæ, vt omnis homo est iustus, nullus homo est iustus: aliquis homo est iustus, aliquis homo non est iustus: atqui contrariæ in materia contingenti possunt esse simul falsæ, non tamen simul veræ, vt omnis homo est iustus, nullus homo est iustus, sunt simul falsæ, non tamen simul veræ. Subcontrariæ in eadem materia contingenti possunt esse simul veræ, vt aliquis homo est iustus, aliquis homo non est iustus, non tamen possunt esse simul falsæ, quælibet autem ex istis omnibus propositionibus potest esse vera, aut falsa, cùm neutra sit ad veritatem aut falsitatem determinata, vt docet ipsarum materia contingens. Sicut igitur potest hoc loco esse vera affirmatio tollendi festucam, eademque potest esse falsa, ita volitio illi conformis, potest esse bona aut mala; & sicut illa affirmatio in se præcisè considerata, & nullo 36

alio

motiuo addito indifferens est ad veritatem & falsitatem, ita & volitio indifferens est ad bonitatem, & malitiam. Quare siue sequatur cogitationem dictantem esse tollendam festucam, siue non sequatur, non erit bona, aut mala ex eo præcisè, quia non est debita conformitas cum ratione affirmante, neque cum ratione negante: vtraque igitur conformitate scilicet, & difformitate dumtaxat sumpta carere potest.

De fine verò longè alia ratio est, quia vt dicam inferiùs, debetur omni actui dum exercetur conformitas cum fine honesto; quare si ea conformitate priuetur, malus erit, atque repugnans rectæ rationi, quæ dictat hominem operari debere iuxta finem suæ naturæ debitum, hoc est conformem naturæ rationali, vt rationalis est. Et sanè sapienter adnectit Valent. *punct. 5. citato*, obiectum actus latiùs patere quàm eius finis extrinsecus. Nam omnes actiones etiam brutorum habent sua obiecta, cùm tamen non agant propter finem formaliter, ordinando scilicet media ad ipsum, id enim solius naturæ rationalis vt sic, proprium est; quare finis potiùs pertinet ad actum humanum vt sic, quam obiectum; & quamuis creatura rationalis non debeat sibi semper proponere obiectum bonum, sufficitque indifferens, alioquin nunquam posset pluribus obiectis, quæ eiusmodi sunt vti, tenetur tamen semper finem bonum, & honestum, hoc est rationi congruum in omni actu & circa quodlibet obiectum sibi constituere, alioquin defectu eius, male operabitur, & non tantùm non consentiet rectæ rationi, sed illi repugnabit.

Consectarium VI.

Nulli dantur actus humani indifferentes in indiuiduo, & secundum exercitium.

37 Ita S.Thom. 1.2. *q.* 18. *art.* 9. *& ibid.* Conrad. Medin. Caietan. Curiel. Pesant. Valent. Montesino. *disp.* 25. *n.* 39. cæterique interpretes. Suar. 1.2. *tract.* 1. *disp.* 9. *sect.* 3. Salas *tract.* 7. *disp.* 4. *sect.* 3. & passim recentiores contra Gab. *in* 2. *dist.* 41. *q. vnic. con.* 1. Almain. *tract.* 1. *moral. cap.* 14. Vasq 1.2. *disp.* 51. *cap.* 2. quamquam ex istis Almain. alio sensu accipiat actum indifferentem quàm nos: eum videlicet, qui cum ex obiecto bonus sit, quia tamen non refertur actu in Deum non dicitur bonus, quæ sententia iam superiùs reiecta fuit. In sententia igitur illa verè fuit Alexand. 3. *parte q.* 35. *memb.* 3. & Bonauent. *in* 2. *dist.* 41. *art.* 1. *q.* 3. Ouiedo *tract.* 4. *contro.* 7. *punct.* 5. *n.* 66. qui *n.* 65. alios enumerauit.

Hoc consectarium probatum manet ex dictis in propositione nostra vniuersali. Primò ex fine proximo immediato & proprio naturæ rationalis vt sic, quem diximus esse bonum honestum, siue bonum rationis, aut quod habet ordinem ad rationem; illud enim solum conuenit naturæ rationali vt rationalis est: atqui omnis actio & motus cuiuscumque naturæ per se & essentialiter ordinatur ad finem proprium naturæ operantis, nec potest circa alium finem operari, & si est determinata ad vnum, necessariò & semper finem prosequitur: si autem sit indifferens ad opposita, semper necessariò tendit in finem proprium naturæ operantis, vel ab eo positiuè deflectit: quia omnis potentia quæcumque tandem illa sit, vel determinata, vel indifferens ordinatur essentialiter ad aliquem finem à quo specificatur, & extra quem ferri nequit; ergo illius omnis actio ad eumdem finem necessariò refertur, vel eum persequendo, vel ab eo deficiendo; alioquin si ad aliud quidpiam ferri posset potentia non specificaretur à proprio fine, neque illius terminis circumscriberetur; quandoquidem extra sui proprij finis sphæram extendi posset, quod omninò implicat: actio verò & potentia ab eodem specificantur, cùm actio sit id quo potentia realiter tendit in finem suum. Si igitur potentia necessariò & essentialiter respicit suum finem proprium, vel illum prosequendo, vel ab eo positiuè deficiendo, actio quoque illius eundem finem respiciet, ipsúmque aut attinget actu, aut ab illo deficiet. Omnis ergo actio naturæ rationalis tendit in honestatem, quæ est finis proprius ipsius, vt diximus, vel ab ea positiuè deflectit: si primùm bona & honesta est. Si secundum mala, vtpotè discedens positiuè ab honestate, ac proinde difformis rectæ rationi, & opposita fini proprio naturæ atque potentiæ, à qua elicitur: neque datur aliquid medium inter illam tendentiam ad honestatem, & non tendentiam; siue tendentiam ad aliquid aliud, vel honestati oppositum, vel non honestum; quia etiam tendentia ad non honestum est recessus ab honesto, cùm accessus ad vnum terminum includat essentialiter recessum à termino opposito sicut honestum, & turpe contrariè pugnant.

Secundò probatur ex vltimo fine naturæ rationalis, quem diximus esse Deum, & ad quem omnem actionem humanam tendere debere vel actuali & formali intentione, vel virtuali relatione, eo quòd actio ex natura sua absque vlla alia expressa intentione, aut cogitatione ad ipsum ordinetur, *ibidem* ostendimus: 38
atqui sola actio honesta ordinatur ad finem vltimum naturæ humanæ, turpis enim deficit ab ea, indifferens autem neque virtualiter & ex natura sua ad eum finem ordinatur, alioqui iam honesta foret, cùm sæpiùs definierimus honestum ex ordine ad finem naturæ rationalis; neque ex formali aliqua, & expressa relatione, nam per eiusmodi relationem actualem ad finem vltimum, ea actio fieret honesta, & non maneret ampliùs indifferens. Confirmatur ex eo quòd omnis actio humana per se atque ex natura sua tendat in vnum aliquem finem quo fruitur, & in quo vltimo quiescit; vel ergo tendit in bonum aliquod creatum in quo vltimò quiescit, & peccatum est; vel tendit in Deum virtualiter aut formaliter, & actio honesta est, neque datur medium inter finem vltimum & non finem vltimum, inter Deum, & ens creatum. Quare omnis actio cum necessariò tendat in finem aliquem, qui est aut Deus, aut ens creatum, necessariò erit honesta, vel turpis: atque ex his duabus rationibus solues quæ opponit Ouiedo *punct. citato, n.* 6. 7. 8. *&* 9. hos actus neque ex obiecto suo formali, neque ex vlla alia circumstantia bonitatem, aut malitiam sumere; quia poni de facto potest, sine alia noua circumstantia quæ accedat obiecto: Nam iam docuimus debere operationi addi finem naturæ operantis in quem tendat aut à quo deficiat positiuè.

Tertiò, actio honesta dicitur, vti ampliùs explicabimus *q. sequenti*, quæ est consentanea iudicio rationis constituentis quid in quaque re sequendum, quidvè fugiendum sit, eique vt legi & regulæ congruit; actio verò mala est, quæ ab eodem iudicio deficit; 39
atqui nulla actio humana fingi potest quæ non sit ei iudicio consentanea, vel contraria, quia actio humana est deliberata; deliberationis verò conclusio est iudicium dictans hoc illúdvè esse faciendum. Vel ergo actio iudicio congruit, id est facit quod recta ratio iudicat esse faciendum, vel quod iudicat non esse faciendum: si primum, est actio honesta, si secundum, turpis. Puerile porrò est quod aliqui respondent, rectam rationem indicare non obligari nos ad ponendam actionem honestam, sed solùm ad non ponendam malam, fásque esse ponere indifferentem, quia alia

illa actio ex se & suo obiecto indifferens, si reipsa ponatur consentaneè iudicio rationis rectæ, illam hîc & nunc præscribentis, iam per illam conformitatem fit honesta, neque potest manere indifferens, & fieri consectanea rationis rectæ dictamini; haberet enim formalem honestatem, & tamen non esset honesta, quod tam implicat, quam parietem habere albedinem & album non esse.

40 Quartò, inter contradictoriè opposita non datur medium respectu subiecti vtriusque extremi aut prædicati capacis quod addo vt omnia effugia præscindam: at verò bonitas & malitia moralis sunt prædicata contraria respectu actionis humanæ, quæ vtriusque subiectum proprium est, ergo inter duas istas rationes non dabitur medium, & altera necessariò inerit suo subiecto, & omnis actio humana necessariò bona vel mala existet: Sola minor huius argumenti probanda est primò ex comparatione ad veritatem, & falsitatem, quæ etiam contradictoriè opponuntur ratione assensus & dissensus intellectus atque propositionis: eodem enim prorsus modo se habent bonitas & malitia respectu voluntatis. Deinde malicia est carentia alicuius debiti actui, honestas autem est integritas ac perfectio omnium debitorum; priuatiuè igitur opponuntur. Denique quæ in quocunque gradu ita sunt incompossibilia, vt nunquam simul in eodem subiecto existere queant, inuoluunt contradictoriam oppositionem inter se; atqui ita se habent honestas & turpitudo actionis; si enim honesta est, nulla ex parte potest esse turpis; aut si ex aliquo turpis est, prorsus honesta non est.

41 Ad extremum hæc omnia confirmantur ex Christi verbis *Matth.* 12. *v.* 36. dum in die iudicij reddendam nobis esse rationem de quocumque verbo otioso edicit, & puniendos condemnandósque ob eiusmodi verba, inde enim diuini iudicij seueritatem commendat, mortalibusque metum incutit, vti aduertit Theophilact. quod si verba otiosa, hoc est vana, inutilia, & quæ honesto fine carent, mala sunt, opera quoque otiosa, hoc est, fine honesto carentia mala erunt, indéque sic licebit argumentari. Omnis actus singularis, & indiuiduus vel habet honestum finem, vel eo caret: si primum, bonus & honestus est; si secundum, est inutilis, vanus, otiosus & consequenter malus, ac diuino iudicio plectendus: qui discursus efficax est, si à verbis otiosis ad opera liceat arguere, & si verborum otiositas in ipsorum inutilitate atque finis debiti carentia consistere doceatur: primum passim conceditur; quod enim aliqui apud Bonau. *In* 1. *dist.* 41. *art.* 1. *q.* 3. quem inuitum vt existimo, in suas partes trahunt aduersarij, distinguunt hac in parte inter verba, & opera, quod verba sint signa instituta ad mentis manifestationem, & homini, quatenus rationalis est conueniant; ac proinde si fine careant, otiosa dici iure debeant, cùm ad eum finem ex sua natura ordinentur, quod non contingit in operibus, insulsum est: Nam verbum otiosum, signum etiam est, & mentis conceptum exprimit, neque dicitur otiosum, quod careat eo fine ad quem à natura destinatum est, vt videlicet sit signum mentis, sed quia tota illa externa mentis expressio per verba non ordinatur ad finem naturæ rationali conuenientem; opera verò æquè pertinent ad naturam rationalem, & si fiant rationalia ad ipsius finem tendere debent. Iam verò verbum otiosum esse illud quod omni fine caret, patet ex communi PP. sensu, si vnum Chrysostomum excipias, qui in illud cap. 12. *Matth.* calumnias & mendacia inter illa verba enumerat. Theophilactus tamen qui Chrysostomum sublegere solet, addit esse quoque verbum vanum & risum mouens, quod etiam non improbat Chrysost. & sanè ex ipso contextu, & Christi sermone id apparet, iam enim nominarat periuria, blasphemias, aliáque verba mala, cùm ad exaggerandam diuini iudicij trutinam addit, reddendam quoque esse rationem de verbis otiosis, quæ mala non videntur hominibus. Basili. ergo *in Regul. breuiorib. interrogat.* 23. definit verbum otiosum, quod ad vsum non facit. Origen. *hom.* 1. *in psal.* 38. quod neque boni neque mali quidquam facit. Gregor. *hom.* 6. *in Euang.* quod caret iusta necessitate, aut vtilitate. Bern. *lib. de* 3. *custodia* quod non habet rationabilem causam. Hilari. *can.* 12. *in Math.* & Romig. *ibid.* ineptum & inutile.

Dices, in antiquis quibusdam codicibus non legi ἀργὸν otiosum, sed πονηρὸν malum, atque ita Christum arguere Pharisæos qui illum in dæmonio eijcere dæmonia blasphemabant, & illos ad diuinum iudicium prouocare: præterea in quibusdam aliis codicibus omittitur vox otiosum, & malum, diciturque duntaxat *de omni verbo quod dixerint homines, reddent de eo rationem*: Verùm cùm emendata lectio vulgata habeat verbum otiosum, illudque PP. passim esse inutile & fine carens definiant, validum argumentum ex Christi verbis ducere licuit. Adde Augustin. qui *lib.* 2. *de peccatorum meritis & remissio. capit.* 18. pluribus docet contra Philosophos, non posse dari medium quendam statum, in quo voluntas nec bona nec mala sit, non agit autem de merito operum siue bonitate, quam Theologicam vocant; nam certum est aliqua opera neque esse meritoria, neque digna supplicio: agit itaque de bonitate morali, quæ sine bonitate meritoria, aut theologica reperiri potest, quare fatetur Vasq. Augustinum facere à nobis.

Malè autem obiicit Nazian. *qui orat.* 3. *in Iulian.* ait dari media quædam opera in Euangelica lege; non enim quisquis supplicio dignus non est, statim laudem meretur; nam hæc opera media non sunt indifferentia eo sensu, quo in ista disputatione vsurpantur à Theologis: Inuehitur enim Nazianz. in Iulianum, qui Christianos honoribus & magistratibus arcebat abutens Euangelij verbis, quibus suadet Christus honores fugere, & nouissimum locum tenere. Asserit verò Nazianz. in lege Christiana esse medium quoddam ad quod omnes obligentur, & præterea sublimiorem quandam perfectionem ad quam inuitentur tantùm Christiani, non obligentur. Itaque opera media non sunt, quæ neque mala, neque bona sunt, sed quæ habent mediocritatem quandam sanctitatis, qui loquendi modus placuit SS. PP. Idcircò Ambros. *lib.* 1. *Offic. cap.* 11. distinguit duplex officium, medium vnum cui aliquid deest, & alterum perfectum, quod Græcis κατόρθωμα: primum colligit ex Christi Verbis, *si vis ad vitam ingredi serua mandata.* Secundùm ex his, *Si vis perfectus esse, vade vende omnia quæ habes & da pauperibus.* Huc pertinent quæ habet Hieronym. in illa verba *Ezechiel. cap.* 20. *Dedi eis præcepta non bona*: non enim inquit, statim sequitur vt quod bonum non est, sit malum, sicut etiam Apostolus dicit, bonum esse homini vxorem, vel mulierem non tangere, sed propter incontinentiam, vnumquemque possidere vas suum in sanctificatione, & castitate, quod si non fecerit, nec bonum est nec malum. Quibus verbis Hieronym. recenset coniugium inter opera indifferentia, cùm tamen certum sit, esse bonum, maximè in lege Christiana, in qua est sacramentum: negat igitur duntaxat Hieronym. coniugium esse bonum, id est, perfectum; sicut & Ezechiel Dei præcepta non bona vocat, inde tamen non sequitur aut diuina præcepta, aut coniugium esse mala; sed in medio quodam perfectionis posita.

Obiicies primò, sunt plurima opera propter solam ia-

commo

commoditatem aut delectationem naturæ, vel etiam naturalem, quæ nemo damnare audeat malitiæ, v.g. ambulare & studere delectationis solius causa; honesta tamen non sunt, quia ad honestatem operis debet per se intendi ipsa honestas, quod tamen non fit in his operibus, immò neque plerumque in aliis, quæ proinde tantùm materialiter honesta erunt; vt si quis largiatur eleëmosynam, reddat alienum, adeat periculum, neque de honestate misericordiæ, iustitiæ, aut fortitudinis cogitet, hi actus honesti non sunt, vt alibi monebimus ex Aristotele, quis tamen malos esse contendat? Quod si dicas actus qui fiunt naturæ subleuandæ causâ bonos esse, nulla erunt aut verba aut opera otiosa; fiunt etiam semper propter aliquam oblectationem, aut commoditatem, eámque non turpem, alioquin essent euidenter mala, nullúmque erit opus indifferens etiam ex obiecto, quia omne obiectum erit aut commodum aut delectabile naturæ: Ideóque similia ista opera indifferentia esse dixit apertè Hieronym. *epist.* 89. quæ est ad Augustin.

Secundò, non potest assignari vitium ad quod reuocentur, & virtus quam impugnent hi actus, si mali sunt, neque si boni sunt, cuius virtutis sint, maximè dum non præcipiuntur; tunc enim ab obedientia aut ab alia virtute præceptum imponente honestarentur.

Tertiò, tota ista malitia non erit nisi omissionis, quod nimirùm non fuerit positus actui finis, qui poni debuerat.

Quartò denique graue iugum imponimus conscientiis; omnia enim ferè opera mala erunt, malitia veniali & omissionis, & idonea materia confessionis, quis porrò illum absoluat, qui non aliud dicet, quàm se confricasse manus solius frigoris depellendi causâ nullo alio sibi honesto fine præfixo, aut se nates purgasse solius naturæ subleuandæ gratiâ, deliberatè tamen & scienter.

43 Respondeo opera, quæ fiunt ob naturæ commoditatem, aut delectationem ex rationis præscripto, quia rationi congruum est, dare hanc naturæ, aut animo delectationem, aut illi incommodo & necessitati occurrere, honesta esse, quæ verò secùs fiant, si deliberatè fiant mala esse, quia homo in omni actione deliberata debet rationem consulere, & sequi, non tantùm circa grauiora, vt volunt Salas. 1. 2. *tract.* 1. *disputat.* 4. *sect.* 3. *n.* 18. & Azor. *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 4. v.g. vt teneamur vitam, & salutem tueri, idque honestum sit, sed etiam circa alia minutiora quæ non videntur necessaria, sed tantùm commoda. Itaque deambulatio, laxatio animi, ipsáque narium purgatio eo quo dixi fine susceptæ bonæ sunt, & si eo fine carent malæ, quia tamen plerumque vix aliter fiunt, quàm instinctu quodam naturæ, sine vlla aduertentia, aut deliberatione rationis, sed ex sola imaginatione, vt in brutis contingit, fit vt eiusmodi opera neque honesta, neque inhonesta sint, cùm moralia & deliberata non sint, vt ait S. Thom. *art.* 9. *q.* 18. qui eò quòd aliquo modo subsint imperio rationis, à qua potuerunt præueniri moralia esse contendit.

Quod spectat ad opera virtutum misericordiæ, iustitiæ & similium, quæ afferebat obiectio, quoties ea deliberatè fiunt, & non referuntur ad aliquem prauum finem, vt iram, vindictam, vanum honorem, habent honestatem finis proximi, & extrinseci, & suscipiuntur, quia ratio dictat bonum esse subleuare alienam miseriam, depositum reddere, aduersis non frangi: hæc enim dictamina, & principia practica statim occurrunt, & ex illis sine vllo operosiore discursu, etiam vulgus hominum operatur, neque alio modo intendi per se honestatem natura est, vti suo loco docebimus.

Quod verò addebat obiectio, nullum fore opus, aut verbum otiosum, nullúmque opus indifferens ex obiecto, si opera ista ad commodum naturæ facta, bona sint, non sequitur vt vides, quia quoties opus carebit omni vtilitate vanum erit, atque si à ratione deliberatè operante procedat, malum: obiectum autem cuiuslibet operis non habet ordinem ad commodum naturæ, & quamvis haberet, regulabile foret à ratione, poteritque illi regulæ esse conforme, aut non conforme, modo explicato superiori consectario, ac proinde indifferens. Vbi tamen reipsâ exercebitur & ponetur actus circa tale obiectum, nisi à ratione recta reguletur, quæ dictet hîc & nunc naturæ sentienti concedendum esse quod ipsi commodum aut delectabile est; malus erit, vt dixi. Ex quibus omnibus vides hæc opera vix esse otiosa, aut mala, cùm vel fiant ex inaduertentia, vel conformiter rectæ rationi. Quare non inijcimus laqueos conscientiis etiam meticulosis, licet minimè negemus hæc opera quando fiunt deliberatè, & non conformiter rationi, æque esse materiam sufficientem absolutionis sacramentalis, atque verba otiosa; non erit verò malitia dumtaxat omissionis vti obiiciebatur, sunt enim actus positiui non habentes conformitatem cum recta ratione & suâ regula proxima, cui sicut reliqui actus mali repugnant.

44 Quod denique quærebant cuiusnam vitij sint isti actus quando sunt mali, & cuius virtutis quando boni, dissentiunt DD. nam Medin. *in art.* 9. *quæst.* 18. *citata* reuocat ad prodigalitatem temporis, cùm tamen prodigalitas sit vitium, ad alterum omnibus eiusmodi actionibus conuenire nequit: alij dicunt esse vitium quoddam speciale otiositatis, cuius tamen vitij neque Arist. neque S. Thomas vsquam meminere. Alij opponunt charitati per omissionem, eò quòd quilibet obligetur ex charitate consulere proprio bono, vel Dei, vel proximi, sed hac ratione omnia peccata charitatem læderent. Alij opponunt per excessum quemdam Eutrapeliæ cuius est moderari delectabilia, ludos, symposia, & alia einsmodi; cùm tamen disputemus solùm de operibus, quæ fiunt ob naturæ commoditatem, aut delectationem: de operibus enim quæ pertinent ad obiecta peculiarium virtutum excitari nequit difficultas; si enim bona sunt, ad eas virtutes pertinebunt, si mala ad vitia virtutibus illis opposita. Opera igitur illa naturalia vel referuntur ad aliquem finem extrinsecum bonum, & ab illo suam honestatem specificam hauriunt; quandoquidem nullam habent ab obiecto proprio, idque voluit S. Thom. *art.* 9. *citato ad* 3. dum ait quietem corporis pertinere ad bonum virtutis in eo, qui corpus suum ordinat ad bonum virtutis: vel non referuntur ad vnum finem extrinsecum, si tamen tunc iudicentur conuenientia ad sustentationem corporis iuxta prudentiæ regulas, honesta erunt, & ad moderatam saluris curam pertinebunt, aut ad virtutem curam corporis moderantem; siue ea sit temperantia, siue quælibet alia, & vnica tantùm virtus, aut plures. Quando verò eiusmodi opera mala erunt, reuocanda erunt ad vitia illis virtutibus opposita, aut ad malitiam finium extrinsecorum propter quos suscipiuntur: quod fortassis voluit Salas, dum dixit ad nullum habitum peculiarem vitiosum, aut studiosum reduci hos actus, sed disiunctiuè ad plures.

45 Objicit primò Vasq. 1. 2. *disp.* 52. *cap.* 4. omnem speciem habere quoque aliqua indiuidua: quare si dantur actus secundum speciem indifferentes, dabuntur quoque secundum indiuiduum; Et si ambulatio secundum speciem neque bona, neque mala sit, ambulatio quoque singularis siue hîc & nunc posita,

erit

erit quoque indifferens, & neque bona neque mal i.

Resp. Nos hactenùs tantùm dixisse actus esse indifferentes secundum speciem materialem: & in ordine ad obiectum materiale aut formale *quod*, quia verò actus nunquam reipsa ponitur nisi illi obiecto materiali & formali *quod* accedat ratio formalis *sub qua*, quæ est vltimò specificatiua, & ab illa desumitur bonitas aut malitia, vti euidenter ostendimus. Deinde fatemur totam naturam specificam & quidquid ex ordine ad obiectum sumitur reperiri in actu singulari, & indiuiduo, in eóque seruare suam indifferentiam, atque adeò si nihil aliud accederet, actum singularem fore indifferentem. Quia tamen vti obseruat Durand. *q. citata n.* 10. indiuiduum plurima includit, quoad existentiam suam, quæ in ratione specifica etiam formali non includuntur, ab illis necessariò desumitur bonitas aut malitia: quare omnis actus in indiuiduo siue in exercitio, siue secundum rationes aduenientes differentiæ specificæ, bonus, aut malus existit.

46 Dices hinc sequi omnia obiecta fore indifferentia, & omnes actus qui non sunt essentialiter boni, aut mali, quia bene aut malè fieri possunt, dici quoque indifferentes, vt homicidium, acceptio rei alienæ.

Resp. Medin. *in art.* 8. *q.* 18. 1. 2. hos actus non esse indifferentes, sed malè sonantes, itaque distinguit quatuor actuum ordines verum actum habere ex obiecto suo bonitatem aut malitiam vel neutrum habere, implicat oppositionem contradictionis, & omne medium excludit; quare illa malesonantia actuum ad aliquam partem illius contradictionis reuocanda erit. Dico igitur actus qui benè aut malè fieri possunt esse indifferentes ex obiecto, quia tamen aliqui propter adiungi solitas circumstantias ferè semper iustè fiunt, non solent numerari inter indifferentes, neque illi qui passim bene vel malè fiunt, cum nullas habeant adiunctas conditiones, quibus frequentius corrumpantur, quàm honestentur.

Ad extremum moneo putam omissionem si dari queat, indifferentem esse posse, vt pura omissio voti, quia tunc non est opus vllo fine ad omittendum; non esset enim pura omissio, quia requireret intentionem alicuius finis. Quod verò aliqui disputant hoc loco cum Suar. 1. 2. *tract.* 3. *disp.* 9. *sect.* 1. qui proximus mouit hanc controuersiam. Salas. *ibid. tract.* 7. *disp.* 4. *sect.* 2. *n.* 9. Luisi. Turrian. *in select. disp.* 31. *dubio* 75. Ripalo *tom.* 1. *de ente supernat. disp.* 69. *sect.* 2. Ouiedo 1. 2. *tract.* 4. *cont.* 7. *p.* 8. An dentur actus supernaturales indifferentes, ad aliam materiam omninò spectat, & plura de natura actuum supernaturalium alibi examinanda supponit. Mihi certum est neque in indiuiduo, neque ex obiecto, seu secundum speciem, modo nuper explicato, hos actus supernaturales indifferentes esse posse, cùm obiectum actus supernaturalis vt sic sit semper honestum sed de eo alias.

CAPVT V.

De causa proxima obligationis iuris naturalis. Et an recta ratio quæ est ipsissima lex naturalis illam constitutam ostendat tantùm.

QVÆST. I. *An recta ratio constituat moralitatem siue honestatem ac malitiam. An verò tantùm ostendat.*

QVÆST. II. *Quisnam actus sit recta ratio constituens moralitatem.*

QVÆST. III. *de synderesi.*

HOc caput omninò necessarium est ad plenam notitiam iuris & legis naturalis hactenùs explicatæ, quod etiam lucem affundit pluribus atque grauissimis difficultatibus: quare illud paulò fusiùs & distinctiùs explicandum erit.

QVÆSTIO I.

An recta ratio constituat moralitatem siue malitiam & bonitatem.

Status quæstionis n. 1.

Prima difficultas. Quid sit moralitas & quid actio moralis ibid.

Propositio n. 3.

Moralitas est dirigibilitas à ratione n. 4. 5. 6.

Quid sit ea dirigibilitas tum in obiecto tum in actu n. 7. 8.

Obiecta diluuntur n. 9. 10.

Non est tantum denominatio n. 11.

Neque noua entitas n. 12.

Neque relatio rationis n. 13.

Est ordo ad rationem n. 14.

Noua formalitas, connotatio, & respectus secundum dici n. 15. 16. 17.

Vel si sit relatio an realis n. 18.

An verò cathegorica n. 19.

Multiplex moralitas n. 20.

Secunda difficultas. Quid sit bonitas moralis num. 21.

Varia sententia n. 22.

Notationes de natura boni, & mali naturalis n. 23. 24.

De Natura bonitatis moralis num. 25. 26. 27. & 28.

Tertia difficultas. De malitia morali n. 29.

Quid ea sit. n. 30. 31. & 32.

Est positiua disconuenientia à n. 33. ad 49.

Obiecta diluuntur n. 37. 38. 39. 40. & 44.

Huic dissonantiæ accedit quadam priuatio numer. 49. & 51.

Explicantur P.P. n. 50.

Quarta difficultas. An recta ratio constituat bonitatem, aut malitiam. n. 52.

Prima propositio. De honestate obiectiua n. 53. 54. 55. 56. & 57.

Honestas obiectiua non antecedit omnem actum rationis n. 58. 59. 60. 61. & 62.

Grauissima obiectio diluitur 63. 64.

De honestate formali. n. 65.

Ratio practica est causa honestatis in actione. 66. 67. & 68.

Modus quo ratio causat honestatem actionis 69. 72. 73. & 74.

Quid sit Praxis n. 70. 71.

Natura

1 LEgem naturalem definiebamus nuper, *rectam rationem notificatiuam diuinæ voluntatis prohibentis quæ naturæ rationali repugnant, & præcipientis aut probantis quæ eidem naturæ conueniunt.* Itaque cùm proxima radix obligationis sit lex, necessariò efficitur primam proximámque radicem obligationis naturalis esse rectam rationem, quæ est ipsissima lex naturalis. Verùm, quia recta ratio variis modis se habere potest & comparari cum honestate ac turpitudine, quam prohibet aut præcipit, vel quam constituit, ipsáque etiam multiplex est, neque semper obligat. Deinde non apparet vnde eius rectitudo sumenda sit, plurimæ supersunt difficultates *sequentibus qq.* explicandæ, hac verò comparamos rectam rationem cum honestate & malitia morali, & quærimus an eam constituat, an verò iam constitutam voluntati dumtaxat repræsentet fugiendam, aut amplectendam, quod exponere non possumus, nisi honestatis & turpitudinis causas proximas ac fontes simul aperiamus.

PRIMA DIFFICVLTAS.

Quid sit moralitas, & actio moralis.

2 Ordimur à natura moralitatis & actionis moralis, vt deinde faciliùs ad bonitatem siue honestatem, & malitiam quæ sunt eius species delabamur.

PROPOSITIO.

3 Moralitas est regulabilitas, siue dirigibilitas à ratione, additque aliquid tum obiecto tum actioni quam moralem constituit, non tamen denominationem solùm extrinsecam, aut nouam entitatem distinctam, aut respectum solius rationis; sed ordinem ad rectam rationem dirigentem: qui ordo est formalitas, & connotatio quædam, potiùs quàm relatio realis quamquàm in actione morali id non negarem pertinacius: est porrò duplex moralitas, vna formalis, & altera obiectiua, quæ vtraque iterùm in honestatem, malitiam, & indifferentiam subdiuiditur.

Expositio, & confirmatio propositionis.

Moralitatis nomen vndecumque deriuetur quod fusiùs inquirit Montesino 1.1.*tom.*1.*disput.*22.*quæst.*1. Analogum est ad actus humanos, & plura alia entia, quæ moralia nominantur ab ordine quem dicunt ad actus morales, quorum nimirùm sunt causæ, vel obiecta, vel effectus, vel circumstantiæ, vel aliquid consequens, & aliquo modo cum ipsis connexum, quia verò forma significata nomine analogo reperitur primariò in præcipuo analogato, siue intrinsecè siue extrinsecè, & in aliis tantum per ordinem ad illud primum, in eo quoque considerari debet: ideircò moralitas primariò in actu humano consideranda est, & quid ea tandem sit, vndéque sumatur inquirendum. 4

Dixi primò, moralitatem in vniuersum esse dirigibilitatem, siue regulabilitatem à ratione contra Durand. *in* 1.*dist.* 38.*q.*1.*n.*6. Salas 1.2 *tract.*7.*disp.*1.*sect.*1. Suar. *ibid. tract.*3.*disp.*1 *sect.*2.*n.*15.& *lib.*7.*de legib.c.*1.*n.*3. Conrad. 1.2.*q.*18.*art.*5. Gran. *contr.*2.*tract.*9.*disp.*1. à quibus non multùm abest Becan. *ibid.cap.*3.*q.*4. qui omnes in libertate constituunt, eò quòd omnis & solus actus liber sit moralis. Sequimur tamen Kom. *disp.*3. *de actibus supernaturalib. dub* 1.*n.*16. Vasq. 1.2.*disp.*73. *c.*9. Montesi. 1.2.*tom.*1.*disp.*22.*q.*3.*n.*14. Ouiedo 1.2. *tract.*4.*controu.*1.*p.*1.*n.*10.& 11. Hurtado *tract.de bonit. & malitia, disp.*1.*diff.*1. Curiel. *q.*18.*art.*1.*dub.*1.*conc.*1. quamquam hic postremus *conc.*2. hanc dirigibilitatem consideret in obiecto, alij in actu. Nos cum moralitatem in vniuersum definiamos, in vtroque consideramus, quamuis vti iam monuimus, primariò reperiatur in actu. Non esse porrò libertatem, sed eam dumtaxat supponere euidenter ostendit variatio moralitatis perseuerante eadem libertate; nam actus bonus si continuetur accedente notitiâ prohibitionis, malus est, etiamsi idem omninò & entitatiuè immutatus perseueret, cum eadem libertate plures propterea species moralitatis eiusdem ordinis ac generis eidem actui adueniunt, vt patet in furto ad adulterandum suscepto, cùm tamen vnica sit libertas. Quamuis autem moralitas & libertas sese perpetuò comitentur, non idcircò tamen sunt vnum & idem; quandoquidem aliquando moralitas est primariò in actu, in quo est secundariò tantùm libertas: Actus enim externus sæpè primariò prohibetur, dátque rationem obiecti respectu actus interni, cui malitiã suam communicat, sed ab eo rationẽ voluntarij, & liberi secundariò tantùm accipit: Deinde quomodo bonitas & malitia quæ sunt species diuidẽtes genus moralitatis, constitui possunt sub libertate tanquam membra opposita; regulabilitas verò & dirigibilitas à ratione commodè diuiditur in consonãtiam & dissonantiam cum ratione dirigente, aut indifferentiã. Denique cùm moralitas conueniat obiecto & actioni, quamuis non æquè primò libertas vix in obiectum actionis humanæ cadit, cui tamen conuenit dirigibilitas, quia nullum est obiectum, quod ex rationis præscripto amari aut reiici non possit: idcircò Curiel. *loco cit.* definiebat actum moralem tendentiam liberam in obiectum à ratione regulabile, & sanè obiectum est aliquo modo bonum aut malum, quia à ratione regulatur, vti inferius exponam. Horum omnium ratio à priori est indeterminatio, atque libertas voluntatis humanæ, cùm enim non sit determinata ad vllum obiectum, atqueadeò ad bonum ac malum deflectere possit, indiget profectò aliquâ lege, & regulâ, cuius ductu ac præscriptione dirigatur; ea verò est recta ratio, quæ & definit bonitatem ac malitiam obiecti, & eandem voluntati cæcæ ostendit, dictatque simul quid agendum, fugiendúmve sit, & 5

relinquit in eius arbitrio sequi quam libuerit partem: si suam regulam sequatur, honestè operatur; si ab illa discedit, turpiter agit.

6 Quæ in contrarium affert Suar. *sect. 2. citata num.* 14. vel postulant quid sit hæc dirigibilitas, quod statim exponam, vel docent tantùm libertatem necessariam esse ad moralitatem actionis; amor enim beatificus dirigitur à ratione dictante amandum esse summum bonum intuitiuè cognitum, & tamen moralis non est, non alia sane de causa, quam quia est necessarius & non liber. Verùm hanc necessitatem libertatis nos vltrò fatemur cum S. Thoma *in 3. d. 23. quæst. 1. artic. 5. quæst. 2. 1. 2. quæst. 18. artic. 5. & 9. & quæst. 2. de malo art. 6. in lib. 3. contra gent. cap. 9. & 10. & in 2. Ethic. lect. 1.* quod enim determinatum est ad vnum, non indiget directione, cùm semper & necessariò, atque eodem modo fiat, neque vti sapienter obseruauit Durand. aptum est ingenerare morem ac consuetudinem, quæ ratio probat contra Lorcam 1. 2. *disput. 23.* non sufficere libertatem aptitudinalem, sed requiri actualem ad actus moralitatem. Idcircò aliqui nominant libertatem, conditionem, sine quâ non, aut aliquid præuium & essentialiter connotatum ad moralitatem, quæ est aliquid consequens ad libertatem. Ego existimo moralitatem esse proprietatem actionis liberæ, non autem prædicatum essentiale ipsius; postremum istud probant superius adducta, & maximè mutatio successiua moralitatis, eadem entitate & libertate actionis perseuerante, esse tamen proprietatem. Suadet illa coniunctio necessaria inter libertatem & moralitatem, cùm solæ, & omnes ac singulæ actiones liberæ, sint honestæ vel turpes, vti ostendimus *quæst. 5. Consectario vltimo*, & quia causa propter quam voluntas rationi tanquam regulæ subordinatur, est eius indifferentia ad bonum & malum: formalis igitur ratio moralitatis est ordo ad rectam rationem.

7 Dixi secundò, moralitatem addere aliquid subiecto quod tale formaliter constituit, hoc est non esse ipsam substantiam actionis, aut obiecti moralis, sed aliquid ab ipsa separabile, immutata natura totius obiecti, & actus de quo potissima, vti monui, quæstio est: Et quidem de actu externo, qui suam honestatem, aut turpitudinem accipit ab interiori fatentur omnes.

De malitia actus interni distingunt aliqui: nam eam, quæ sumitur ab obiecto directè volito dicunt esse differentiam essentialem actui voluntatis, etiam in genere naturæ spectato, quod negant de malitia deriuata ex obiecto tantum indirectè volito: Bonitatem verò quæ sumitur ab obiecto suis omnibus circunstantiis vestito, contendunt esse differentiam specificam, physicam, & entitatem actus interni, quod postremum docent Gal. *in 3. dist. 23. quæst. 1. lit. K. & P.* quia deueniendum est ad actum aliquem intrinsecum bonum, ne si quilibet sit talis ab extrinseco, hoc est ab alio actu, cogamur progredi in infinitum. Huic sententiæ accedunt Becan. 1. 2. *tract. cit. capit. 4. quæst. 2. num. 7.* Suar. *disp. 4. cit. sect. 2.* vbi idem tribuit Almaino sed malè vti constabit inferius. Conrad. 1. 2. *quæst. 19. art. 4.* Azor 1. *parte, lib. 2. cap. 5. quæst. 1.* Nos vero sequimur Vasq. 1. 2. *disput. 55. capit. 2.* Salam. *tract. 7. disput. 2. sect. 8.* Kon. *disp. 3. dub. 8.* Durand. *in 2. dist. 38. quæst. 1.* Bonau. *ibid. dist. 41. artic. 1. quæst. 2.* Scot. *in dist. 17. quæst. 2. § quantum ad istum*, eandemque fuisse mentem S. Thom. multis contendit Caietan. *in artic. 1. quæst. 19. 1. 2.* Et fanè, cùm bonitatem ac malitiam compatet cum veritate & falsitate, nobis euidentissimè fauet. Constat enim eandem intellectionem ex mutatione solius obiecti externi ex vera fieri falsam, veritas igitur aut falsitas non est differentia specifica intellectionis, ergo neque bonitas ac malitia erunt differentiæ specificæ physicæ ex mente S. Thomæ, qui proinde quoties bonum, & malum nominat, differentias per se actuum voluntatis, agit de actibus consideratis in genere moris, non in genere entis, aut secundum esse physicum.

Probat verò efficaciter nostram assertionem Caietan. ex multiplici moralitate, quæ interdum accedit eidem actui; voluntas enim furandi propter adulterium habet duplicem malitiam; & voluntas dandi Eleemosynam ob diuinum amorem, habet geminam bonitatem, atqui impossibile est eandem entitatem habere duas naturales & physicas differentias, quibus in duplici specie atoma collocatur: quod & vulgò traduut philosophi, & nos disputantes de actu fidei & scientiæ simul fusiùs ostendimus. Nullus prætereà datur actus humanus, qui ex bono fieri non possit malus, aut saltem non bonus, & nullus est malus, qui non possit fieri bonus aut non malus eodem permanente obiecto, mutatâ solùm conditione operantis; quod videmus in actibus versantibus circa obiecta prohibita; accedente enim prohibitione, aut eâ detractâ & notitiâ illius, mutantur moraliter, actus autem qui feruntur in obiecta naturâ suâ, & omni prohibitione præcisâ ex mutatione aduertentiæ aut libertatis fiunt aut boni aut non mali; mutatio tamen & præcisio prohibitionis aut libertatis, cùm sit omninò extrinseca actui, illum physicè & intrinsecè non mutat, quod maximè verum erit, si constituas moralitatem in libertate: neque satisfacit Azor. dum ait mutari physicè actum mutatâ eius moralitate, quia mutatur obiectum, quod tale non est, nisi prout terminat actum: sic enim ea vestitur omnibus circunstantiis, quibus mutatis necessariò quoque obiectum ipsum mutatur. Quare obiectum aliud longe est, quando est prohibitum, aliud verò quando non est prohibitum, quamvis verò id daremus, quod amplius discutietur, quando tamen sola conditio operantis vt libertas, quæ nullo modo attingit aut obiectum, aut actum intrinsecè, non valebit hoc effugium, quod tamen non displicuerat Suari. *sect. 2. citata.* 8

Quare quod obiici solet, differentiam essentialem in genere naturæ desumi ab obiecto, eiusque ratione motiua, quæ in actu bono, est ipsa honestas obiecti; non vrget, quia ad bonitatem moralem actus, non sufficit sola honestas materialis, vt loquuntur, obiecti, siue bonitas obiectiua, vndecumque ea sumatur, sed exigitur libertas, & deliberatio, siue directio rationis, quæ dictet hoc obiectum honestum hîc & nunc appeti honestè posse, immò & appetendum esse. Si hoc igitur iudicium aut libertas varientur, etiamsi actus tendat in eandem honestatem materialem, sitque idem in specie naturæ, diuersus tamen erit in specie moris. 9

Frustra quoque argumentantur ex habitibus, quorum differentiæ essentiales sunt bonitas & malitia. Etsi enim id concedat Salas *disput. cit. num. 78.* negetque inde efficaciter colligi idem in actibus, qui ad sui moralitatem requirunt libertatem operantis, quod non est necesse in habitibus, qui dicuntur boni, si inclinent in actum tendentem ad obiectum bonum & honestum; dato tamen quod legitima sit illatio ab habitibus ad actus etiam hoc loco, vti concedunt Lessius *lib. 13. de diuin. perfectionib. numer.* 178. quandoquidem habitus totam suam moralitatem ab actibus à quibus generantur, & ad quos inclinant, sortiuntur, & extrinsecè tantùm boni aut mali denominantur, vti obseruat Becan. *tractat. capit. 4. quæst. 3.* 10

quæst.3. ideóque dixit S.Thom. 1. 2. *quæst*.71. *art*.3. habitum minus bonum esse suo actu. Nego tamen bonitatem & malitiam moralem esse differentias essentiales habituum, quod sapienter docuit Durand.*in* 2.*dist*.40 *q*.3.*n*.3.

21 Dixi tertiò, moralitatem non esse tantùm denominationem extrinsecam, contra Vasq. 1. 2. *disp*.73. *cap*.9. quem tamen non benè reiicit Suar. ex eo quod ea denominatio sumi deberet ab alio actu priori, in quo esset intrinsecè moraliter; nam licet formæ significata nomine analogo sit secundariò tantùm in minus præcipuis analogatis, & primariò in præcipuo, in eo tamen non debet esse intrinsecè: nam potest esse forma omnibus omninò extrinseca; sic color, & substantia denominantur tantùm extrinsecè visa, quamuis color sit primariò simpliciter & per se visus; substantia verò secundariò tantùm & per accidens. Ratio à priori est, quia analogiæ fundatur in proportione quam habent inter se analogata. Hæc autem proportio reperiri potest respectu formæ extrinsecæ; quare licet forma extrinsecè denominans realis sit, & alicubi, proinde realiter atque intrinsecè reperiri debeat, non tamen cum eodem effectu ac denominatione: obiecta, v.g. denominantur extrinsecè visa à visione, quæ forma realis est, & in oculo reperitur, quæ tamen non nominat visum, sed videntem: Quamuis igitur actus voluntatis diceretur extrinsecè moralis, non propterea deberet moralitas in aliquo priori actu intrinsecè reperiri, sed eo ipso quod voluntas rationem dirigentem actum sequatur aut non sequatur, dicitur moralis, sicut dicitur liber, eò quòd à potentiæ indifferente ita ponatur, vt possit non poni, quæ denominatio extrinseca est vti fatentur aduersarij, neque tamen in aliquo priori actu intrinsecè reperitur. Nihilominùs eiusmodi extrinsecam denominationem reiicimus hoc loco, quia ista dirigibilitas à ratione, aut ordo ad rectam rationem includit mutuam quamdam relationem, aut proportionem inter actionem, siue rem quæ dirigitur, & rectam rationem dirigentem. Sicut enim actio conformis est rectæ rationi, ita & recta ratio cum eadem actione congruit. Ergo ea conformitas in vtroque extremo reperitur, ideóque vtrique inest intrinsecè, sicut proportio quæ est inter duas quantitates, non est sola denominatio extrinsecæ, quia in vtroque formaliter, & æquè intrinsecè est. Nam sicut quaternarius est dimidius octonarij, ita octonarius est duplus quaternarij. Plura alia congerit Montesino 1.2.*tom*.1.*disput*.22.*quæst*.7. *num*.83. vt ostendat bonitatem moralem esse aliquid reale in actu, & maximè vrget bonitatem supernaturalem actus, quæ reuerà dici nequit denominatio tantùm extrinseca.

22 Dixi quartò, moralitatem non esse nouam quamdam entitatem, siue ea partialis sit, quæ tendat in obiectum formale, quæ vnà cum altera parte tendente in obiectum materiale, integret totum actum, siue accidens aut modus quidam realiter entitati actus adueniens. Non primum, quia nulla fingi potest pars in actu, quæ simul non tendat in obiectum formale & materiale, cùm sit verè & essentialiter actus, quem sine suo obiecto motiuo, quod est obiectum formale, non magis licet, quàm sine sua essentia, considerare. Quod attinet ad modum aut accidens entitati actus superadditum, illud aliud esse nequit, quàm dependentia à principio libero, quæ tota physica est: deinde quidnam amabo entitatiuè aduenit actui, quando per notitiam prohibitionis ex bono fit malus, maximè cùm non pendeat effectiuè à notitia, vti in physicis ostendimus olim. Sanè in mutatione moralitatis actus videmur in totam illius entitatem perseuerare.

Dixi quintò, moralitatem non esse relationem rationis contra Can. aliósque quibus adhæsit Vasq. malitiam commissionis describens 1. 2. *disp*. 95. *cap*.9. Et Anton. Peres. *certam*.8. *Scholast*. *dub*. 2. qui omnes ne videantur dicere moralitatem existere tantùm per intellectum, obseruant hoc ens rationis non habere solum actum intellectus pro ratione fundandi, vti entia rationis logica, & secundæ omnes intentiones, quæ proinde non dicuntur esse in rebus nisi fundamentaliter ante intellectus operationem, per quam accipiunt suum esse formale: nam quæ habent suam etiam rationem fundandi in rebus, sunt etiam suo modo formaliter ante intellectus operationem, & suum etiam subiectum formaliter denominant, etiamsi ad aliquod complementum, exigant deinde actum rationis. Quam doctrinam videtur probare Molina 1.*part*. *quæst*.42. *art*.1. *disput*.1. Et manifesta apparet in relationibus mariti & vxoris, domini & serui, quæ reales non sunt, quamuis nullo intellectu cogitante Caïa sit vxor Titij, Amphitrus seruus Pompeij, quod ipsum Peres. *num*.46. aliter exponit, nimirùm sicut potentiæ dicuntur formaliter tales, antequam habeant habitudinem actualem ad obiectum, quod est tantùm adhoc tale in actu primo, cùm nondum exerceat officium obiecti, ita actus poterit denominari malus malitia formali, ante actuale exercitium actus rationis in quo ea materia consistit; sufficit enim si istud ens rationis sit per modum actus primi in suis fundamentis & ratione fundandi, à quibus per intellectum ad actum secundum, & exercitium extrahitur. Quæ expositio singularis est, & vix intelligibilis, quomodo forma antequam suum munus actuale exerceat: subiectum in quo etiam nondum existit denominet: ideóque Vasq. malitiam simpliciter relationem rationis dixit: quod idem quoque concessit de honestate Molin. 1. *part*. *quæst*.5. *disput*.*vnic*. Sed vt vidimus non satis explicant, quomodo moralitas existat nullo intellectu cogitante. Deinde cùm fundamentum huiusce relationis non sit sola entitas actus aut obiecti, sed prout dicit ordinem ad rationem, cui dissonat, aut consonat realiter, quærimus quid sit iste ordo, quidve ea consonantia, aut dissonantia: quare manet integra difficultas. Falsò verò dixit Vasq. esse dominum, doctorem, maritum, signum seu significatiuum ex instituto, valorem in moneta, & cætera eiusmodi esse entia rationis, realia enim sunt; quia quamuis liberum aliquem actum voluntatis supponant, vbi tamen per deputata aliqua res est, talis omninò manet, & ab ea deputatione sic denominatur, atque ab effectu talis deputationis moraliter permanente, vti diximus alibi, & iterùm dicemus; omnes autem denominationes extrinsecas entia rationis esse æquè falsum est; si enim sumantur formaliter, sunt ipsi actus reales intellectus denominantes rem aliquam; si verò sumantur obiectiuè, sunt antecedenter ad omnem actum intellectus, nimirùm res ipsæ non habentes intimam sibi formam, à qua denominantur; quæ tamen forma realis est licet extrinseca, quod ostendit Durand. *in* 2. *distinct*.42. *quæst*.1. *num*.6. exemplo sanitatis, quæ cùm sit soli animali intrinseca, ab ea tamen medicina, coelum, pulsus, & pleraque alia denominantur. 23

Dixi sextò, moralitatem esse ordinem ad rectam rationem tamquam regulam directiuam & præceptiuam; 24 quod satis patet ex 1. parte nostræ assertionis, in qua

constituebamus moralitatem in dirigibilitate à recta ratione; ea enim dirigibilitas aliud fingi non potest, quam ordo ad regulam, neque verò ea in parte vlla est difficultas, sed in eo quod hic ordo adueniat entitati, quæritur quid de nouo afferat: quare

15 Dixi septimò hunc ordinem esse nouam quandam formalitatem & connotationem atque respectum secundum dici, ita Montesino 1.2. *tom.* 1. *disp.* 22. *q.* 5. *n.* 48. Oniedo *punct. citat.* Obserua enim formalitates in eo distingui à realitatibus, quod diuersæ realitates includant diuersas entitates, quarum vna non est realiter, & entitatiuè altera, siue sint separabiles, siue non; sunt enim res & res, siue entitas & modus realiter distinctus; at verò diuersæ formalitates ita differunt, vt quamvis sint vna eadémque indiuisibilis entitas; vna tamen non includitur in altera formaliter, id est, in conceptu alterius, vt animalitas & rationalitas in homine sunt vna simplicissima atque indiuisibilis entitas; vna tamen non est formaliter alia, quia rationalitas non includitur in conceptu animalitatis, neque illa in vicissim includit, vt ea vtriusque definitione constat. Hæ porrò formalitates aliquando perfectè præscindunt à subiecto in quo sunt, etiamsi nihil ipsi reale addant; aliquando nequeunt ita præscindi à subiecto, vt illud non includant necessariò, v.g. animalitas præscindit ab homine vti & rationalitas; consideramus enim & definimus animalitatem non definiendo hominem, simitas verò neque à naso in sua definitione abstrahere, primæ illæ formalitates sunt aliquid distinctum ratione à subiecto cui adueniunt, aut quod constituunt, & sicut pars realis distinguitur realiter ab altera comparte, si cum illa comparetur, atque etiam à toto quod alteram compartem includit; vt albedo ab albo, & marmor ab albedine, cùm inuicem separari possint, ita & pars formalis & per rationem, distinguitur tum ab altera parte formali, tum à toto quod constituit. Sic rationalitas ab animalitate, atque etiam ab humanitate & ab homine ratione differt, ex qua distinctione rationis sequitur abstrahibilitas perfecta & simplex per rationem, sicut à reali distinctione nascitur separabilitas realis. At vero formalitates quæ nihil reale afferunt distinctum etiam ratione à realitate subiecti, sed sunt ipsummet subiectum, non secundum se absolutè, & quoad prædicata quidditatiua quibus essentialiter constituitur, cõsideratum, sed quatenus comparatur cum altero vel cum seipso sub peculiari aliqua ratione, ab illo præscindi nequeunt, sed illud essentialiter includunt. Nihil enim à sua essentia abstrahibile est, priores illæ formalitates absolutæ sunt. Istæ verò dicuntur connotationes, quæ non sunt quidem formalitates in se ab omni alio præcisæ, neque respiciunt suum subiectum, aut illud constituunt absolutè & in ordine ad se tantùm, sed vt cum alio quodam extrinseco termino comparatur; neque tamen sunt respectus reales, cùm non respiciant suum terminum tanquam purum terminum, sed cum aliqua dependentia ab ipso; ac proinde tanquam sui causam: non sunt etiam respectus rationis, quia existunt nullo intellectu cogitante: quia verò aliud cum quo vt dixi illorum subiectum comparatur, connotant, dicuntur connotationes: v.g. binarius cum quaternario comparatus habet rationem seu proportionem dimidij ad illum, quâ proportione caret secundum se absolutè consideratus, vt est quidam numerus duabus vnitatibus constans, neque cum vllo alio confertur. Hæc verò ratio dimidij in binario non est relatio rationis, neque relatio realis distincta ex natura rei, neque modus quidam absolutus, quia omni entitate aut modo, à duabus vnitatibus per intellectum, & multò magis realiter præcisa, binarius dimidius est quaternarij, quia dimidium esse, est bis in altero contineri: atqui binarius quamvis omnia alia præter simplicem entitatem duarum vnitatum remoueantur, bis continetur in quaternario; ratio ergo dimidij non distinguitur à duabus vnitatibus, est ergo formalitas solùm, aut est binarius ipse non absolutè spectatus, sed collatus cum quaternario, quem connotat vt numerum in quo bis continetur. Idem in proportionibus quantitatum continuarum spectari potest; nam æquale, alteri æquale est, etiamsi omnis modus aut ratio realis præter quantitatem remoueatur. Nam vel nec excedit nec exceditur quantitate alterius, & æquale est; vel excedit aut exceditur & est inæquale; excedit autem & exceditur solâ quantitate suâ.

Hinc vides in re etiam simplicissima cuiusmodi est vnitas, duas rationes distingui posse, vnam absolutam per quam in se & secundum se constituitur; alteram connotatiuam, quæ ei conuenit non solitariè spectatæ, sed vt comparatur cum altera, cuius societatem coniunctionemque exigit, & connotat, quæ rationes dicuntur formalitates, quia vna nihil realiter includit quod non includat altera, sed solùm est fundamentum eandem rem diuerso modo concipiendi; & quia terminus cognitionis seu conceptus obiectiuus est actus & forma, seu est res prout præcisè vni conceptui formali & non alteri non synonimo obiicitur; idcircò eiusmodi rationes formalitates appellantur: sed quia formalitates istæ vel negationem aliquam adiiciunt, vel ea comparatione vnius rei cum alia, mutuóque consensu & coniunctione exurgunt, fit vt à nobis neque concipi, neque explicari valeant, nisi ad modum relationum, & propterea dicantur relationes secundum dici: Deinde quia res absolutæ, conceptæ tamen per modum relationum & sic significatæ non habent eam Relationem quæ in ipsis esse fingitur, concipitur, & significatur. Aliqui vocarunt istas formalitates, relationes rationis, non quòd propriè sint relationes rationis, quæ solo figmento intellectus existant, sed quia nec concipi, nec explicari sine respectu aliquo rationis possunt: vel certè quia formalitas positiua præter realitatem subiecti, nihil includit nisi respectum rationis, quamvis ille respectus non sit de formali ratione ipsius; quare non dissident hi DD. à nobis nisi solis vocibus. 16

17 His obseruatis probata manet assertio, nempè dirigibilitatem à recta ratione, siue ordinem ad rationem dirigentem esse formalitatem quandam actionis humanæ, quæ ei conuenit, non absolutè spectatæ, sed vt cum recta ratione comparatur, tanquam cum regula cui subordinatur, & à qua dirigitur, quæ formalitas non est aliquid distinctum ab actione humana, sed ipsamet actio comparata cum ratione tanquam cum regula: Ex ea enim comparatione oritur ea formalitas, quæ non est noua entitas, sed connotatio quædam & fundamentum cuiusdam respectus rationis; & quamvis hic ordo aut formalitas relatio non sit, sed quidpiam absolutum; quia tamen concipi & explicari nequit, nisi per modum relationis, dicitur respectus secundum dici: quia quamvis sit aliquid absolutum secundum entitatem, formaliter tamen spectatum, exigit concomitantiam alterius, illúdque essentialiter connotat. Quod dixi de dirigibilitate actionis humanæ, idem planè dicendum est de dirigibilitate obiecti, quod ea ordine ad rectam rationem à qua regulabile est, morale constituitur, vti *initio* monuimus.

18 Dixi octauò non esse tamen pugnandum acriùs, si quis contendat hanc dirigibilitatem siue ordinem ad rationem dirigẽtem, esse relationem realẽ ad rationem à qua dirigitur, & cum qua consentit aut pugnat tum actio,

actio, tum eius obiectum; cum enim ex Logicis supponamus relationem non esse nouam entitatem, aut realitatem maiorem, aut minorem aduenientem subiecto, hic ordo non erit noua entitas distincta ab actu, sed noua tantùm formalitas, cuius etiam ratio fundandi potest esse aliquid extrinsecum, & nullam necessariò mutationem physicam inuehit in actum, cui adueniet, aut decedet; neque mirum erit eam ab intellectu aut voluntate aliáve causa nihil realiter influente pendere, tum quia ipsa non est noua entitas, ac proinde causam, realiter in ipsam influentem influxu, distincto ab eo quo liberè ponitur entitas actua, non exigit, vt dicam inferius; tum quia vt ponatur, aut pereat relatio, sufficit eius terminum poni, aut tolli, statim enim ea ex suo fundamento & termino suo modo resultat, siue terminus & fundamentum ac ratio fundandi liberè ponantur, siue necessariò; vbi autem mutatur prohibitio, vel attentio, vel libertas, ponitur aut tollitur terminus, vel ratio fundandi huius relationis moralis, nempè lex aut ratio practica, aut obiectum ipsi dissonum, & libertas quæ est ratio fundandi: illis enim omnibus positis necessariò actus conformis, aut difformis est suæ regulæ, ac proinde bonus vel malus.

19 Dices hanc relationem non esse cathegoricam, quia non purè respicit suum terminum, sed est eius effectus, quandoquidem à ratione quæ sola huius ordinis ac dirigibilitatis terminus constituitur, pendet directiuè, vt iterùm explicabimus inferius.

Resp. in ratione practica de qua *quæst. sequenti* fusiùs duo distinguenda esse, videlicet cognitionem obiecti attentionémque ad varias circumstantias, quibus præuidetur actum honestandum, aut inficiendum esse, quod est iudicium quoddam speculatiuum, deinde dictamen vitandi aut faciendi id quod per iudicium speculatiuum cognitum fuit: In hoc verò vltimo actu & dictamine, duæ iterùm rationes distinguendæ sunt, vna directiua voluntatis agentis, altera illius actionis terminatiua; sicut in eodem patre terminante filiationem, distinguimus rationem causæ filium producentis, & rationem absolutam hominis generantis, terminantis filiationem, & non producentis, neque causantis eam, nisi terminatiuè. Vnde sicut in filio esse à patre non est filiatio seu relatio, sed est esse effectum & fundamentum relationis necessariò connexæ, ita actum humanum causari à ratione practica, non est relatio sed effectus quidam cui accidit deinde necessariò relatio: ab illa tamen dependentia quam habet vel non habet à recta ratione, actus humanus denominatur illi conformis aut difformis, bonus aut malus. Hæc omnia confirmantur ex reali & prædicamentali relatione scibilis ad scientiam, & mensurabilis ad mensuram, quam contra vulgus interpretum, qui relationes non mutuas in hac parte admittunt, stabiliuimus olim.

20 Ex quibus omnibus facilè definies, actionem moralem esse actionem humanam à recta ratione dirigibilem; obiectum verò morale quod ordinem ad rationem dirigentem habet. Vnde quoque colliges extremam partem nostræ assertionis, quæ diuisionem moralitatis assignabat primò in formalem, & obiectiuam: formalis dicitur ea, quæ in ipsa actione tanquam forma reperitur, de qua tota ferè est disputatio, illa enim sola constituit virtutem aut peccatum. Obiectiua moralitas est ordo obiecti ad rectam rationem, eiúsque cum illa consonantia, aut dissonantia, quæ est radix & fundamentum moralitatis formalis, siue id à quo petitur & deriuatur ab obiecto vel solo, vel suis circumstantiis instructo, moralitas formalis in actum. Quando enim actus voluntatis liber fertur in obiectum rationi dissonum, malus est; bonus verò quando tendit in obiectum secundum omnes suas circumstantias rationi eidem consonum.

Secundò, vtraque ista moralitas tum formalis tum obiectiua iterùm diuiditur in honestatem, malitiam, & indifferentiam: Nam tum actio tum obiectum vel consonant suæ regulæ, vel illi dissonant, vel medio quodam modo se habent, neque consonant neque dissonant: Consonantia constituit honestatem, dissonantia turpitudinem & malitiam. Medius verò status indifferentiam, quod quomodo fiat sequentibus propositionibus explicabitur.

SECVNDA DIFFICVLTAS.

Quid sit bonitas moralis.

Explicatâ naturâ moralitatis, non fuerit operosum eius species quæ sunt bonitas & malitia definire. 21

PROPOSITIO.

Dicendum est bonitatem esse conuenientiam actionis vel obiecti cum natura rationali vel ipsa ratione.

Expositio, & confirmatio propositionis.

Hæc assertio manifesta relinquitur ex superiori; quia tamen suos habet aduersarios, sigillatim explicanda fuit. Varias sententias de bonitatis natura colligit Ouied. 1. 2. *tract.* 4. *controu.* 3. *p.* 1. ego præcipuas solùm attingam.

Existimant igitur aliqui bonitatem formalem actionis humanæ constituendam esse in integritate & perfectione omnium, quæ ad actionem humanam natura rationalis postulat; malitiam verò in aliquo deficere, & carentiâ esse debiti, ex quibus deinde consequantur relationes istæ, reales aut secundum dici conuenientiæ, vel disconuenientiæ cum natura rationali. Quod verò de honestate, & malitia formali actionis affirmant, idem suo modo de bonitate, & malitia obiectiua dicendum erit; obiectum enim quod tale est, quale natura rationalis postulat, vt actio humana versetur circa illud, bonum est; quod autem caret aliquo à natura rationali, requisito ad actionem eandem terminandam; malum est, ac proinde consonum, vel dissonum naturæ rationali & rationi. Ita S.Thom. 1. 2. *q.* 18. *art.* 1. consentaneè iis quæ docuerat 1. *p. q.* 5. *art.* 1. *ad* 1. bonum esse idem quod perfectum, & id quod est vltimò perfectum, esse simpliciter bonum, cui verò aliquid deest, esse bonum secundum quid. Non videntur dissentire Scot. *quodlib.* 18. & *in* 2. *dist.* 40. *q.* 1. & *dist.* 7. *q. vnic.* Gab. *ibid. q. vnic.* Greg. *dist.* 26. *q.* 1. *art.* 1. Conimb. *disp.* 5. *Ethic. art.* 1. *&* 2. *q.* 1. *&* *q.* 2. *art.* 2. Becan *tract.* 1. *q.* 5. *n.* 4. Almain. *tract.* 1 *morali. cap.* 13. *&* 14. quia deficiente aliquo eorum quæ recta ratio exigit, eo ipso actio mala est, præcisis omnibus aliis; si autem nihil desit, quamuis alia omnia reiiciantur, actio honesta est & rationi consentanea: Et sanè vti argumentabatur S. Thomas, hoc solùm bonum est in rebus simpliciter & absolutè, quod est integrum atque perfectum, vt aurum bonum cui nihil deest ex auri perfectionibus substantialibus, aut accidentalibus. Nihilominus nos contendimus bonitatem actionis non consistere formaliter, & essentialiter in ea integritate, quamquam & ea supponatur, sed in conuenientia cum natura rationali, & malitiam in opposita disconuenientia non formaliter in solo defectu alicuius esse debiti; quamuis & ille quoque defectus necessariò importetur. Quia verò placuit S.Thomæ eiúsque interpretibus passim ex analogia ad bonitatem & malitiam naturalem, ad bonitatem malitiámque moralem argumentari, ex eadem quoque comparatione nostram explicabimus confirmabimúsque sententiam. 22

Notationes

De natura boni & mali naturalis.

23 Obserua igitur primò, bonitatem naturalem entis duplicem esse, absolutam scilicet & respectiuam: prima est per quam aliquid bonum est ad seipsum, & sine ordine ad alterum: per bonitatem verò respectiuam alteri bonum est. Distingui porrò has bonitates ex eo patet, quod Deus ita bonus sit, vt licèt omnis creatura foret impossibilis, nō desineret esse bonus, & tamen nulli alteri esset bonus aut conueniens, immò bonitas respectiua fundatur in bonitate absoluta. Bonitas igitur absoluta, quam aliqui vocant bonitatem simpliciter, consistit in absoluta rei cuiusque integritate & perfectione: Vnde fit, vt eâ proportione ipsi conueniat quà ens; si enim ens sit mancum & mutilum, habet quoque bonitatem manccam; si verò perfectum sit, erit & perfectè bonum in suo genere. Quæ omnia indicat Augustin. *in Psalm. 102. Omnes,* inquit, *creaturæ habent quoddam bonum suum integritatis suæ & perfectionis naturæ suæ.* Hæc autem integritas non modò reperitur in compositis, sed in simplicibus etiam entibus, in quibus inadæquatas rationes essentiales concipere licet, ex quibus constitui essentiam & veluti integrari adæquatè intelligimus. Idcircò aliqui vocant hanc bonitatem essentialem. Bonitas respectiua, quæ dicitur etiam bonitas secundum quid, est conuenientia entis vnius cum altero, propter quam conuenientiam res appetibilis est appetitu innato, aut elicito, proprio, aut improprio, siue alteri conueniat per modum formæ, siue materiæ, siue partis, siue obiecti, siue quacumque aliâ ratione.

Vtraque porrò ista bonitas dicit aliquid positiuum, Respectiua enim dicit conuenientiam, aut perfectionem & rationem, propter quam vna res alteri commoda est & proportionata: Bonitas absoluta dicit ipsam rei integritatem, siue essentialem tantùm, siue etiam accidentalem, in quibus conceptibus nihil negatiuum includitur, quamvis bonitatem absolutam siue integritatem & perfectionem rei explicemus sæpius per negationem defectus alicuius perfectionis debitæ. Hoc verò positiuum quod ab vtraque bonitate importatur, non est aliquid distinctum ab entitate rei, quæ bona est, cùm omne reale sit ens: Sed bonitas absoluta addit supra ens collectionem eorum omnium, quæ ad eius integritatem & absolutionem maximè essentialem necessaria sunt, non quod bonitas hoc modo absoluta excludat etiam virtualiter ens, sed quia distinctè dicit hæc omnia principia essentialia, quæ tantùm confusè significantur ab entitate. Bonitas relatiua addit habitudinem rei ad aliud cui conueniens est, quæ habitudo non est relatio, esset enim vel rationis vel realis: non primum, quia nullo intellectu cogitante vnum ens, est alteri bonum: non secundum, quia neque est prædicamentalis, neque transcendens, quia prædicamentalis exigit existentiam actualem sui termini, & rationem fundandi distinctā à suo subiecto, seu re relata cui accidit, & essentialis non est, cùm tamen ista habitudo sit ad rem etiam non existentem, neque aliam postulet fundandi rationem quam ipsammet naturam cui implantatur, & cui proinde essentialis est, aut ex eius essentia proximè, immediatè & necessariò fluens. Neque propterea dici poterit transcendens, & essentialis, deberet enim reperiri in omni prorsus entitate & essentia; atqui diuina essentia quæ maximè bona est creaturis, nequit ad eas referri trāscendentaliter, vt 1. *part.* docuimus; sequeretur enim aliquid Deo essentiale pendere à creatura, & perire per locum intrinsecum, positâ impossibilitate creaturæ. Est igitur hæc habitudo noua formalitas & cōnnotatio duntaxat alterius habentis naturam capacem, aut naturaliter propensam ad eiusmodi perfectionem sibi conuenientem, vel est ipsamet entitas connotans aliud, cui commoda est; quod tamen neque intelligi neque explicari potest sine relatione, ideò dicitur relatio secundum dici.

Ex his omnibus sequitur primò, bonitatem absolutam siue perfectionem & integritatem, esse passionem entis, non autem conuenientiam, quæ non competit rebus quà entia sunt absolutè, sed solùm in ordine ad alterum. Ratio est, quia passio entis debet cum ente reciprocari, & conuerti, atqui sola integritas absolutáque perfectio, non autem respectiua conuenientia, cum ente reciprocatur, quia quod cum aliqua re conuertitur, debet ei & secundum se spectato, & cum quocumque comparetur semper conuenire: id autem non conuerti dicitur, quod conuenit tantùm secundum quid, aut aliquando, aut in ordine ad aliquid tantùm, vt quod cum homine conuertitur, ei conuenit quocumque modo consideretur, & cum quocumque comparetur, vt rationale, risibile &c. at verò esse patrem, sapientem &c. non possunt cum homine conuerti, quia non semper illi conueniunt. Atqui integritas essentialis omni omninò enti conuenit & cum eo absolutè spectato, quacumque ratione consideretur, siue in ordine ad se, siue in ordine ad aliud, semper & necessariò: nam nulla res est, quæ essentiâ careat, & cùm ea sit instar numeri indiuisibilis, eam integram perfectámque esse necesse est; & propterea quælibet res siue alteri bona sit, siue mala, perfecta tamen semper est, & bona bonitate absolutâ. At verò ratio conuenientis non competit enti absolutè spectato & secundum se, sed duntaxat secundum quid, alioquin omne ens omni enti conueniret, nec vllum vlli repugnaret. Prætérquamquod subiectum quod cum aliquo prædicato reciprocatur, non potest cum contrario illius prædicati reperiri, atqui contrarium integritati non potest enti conuenire; contrarium tamen conuenientiæ plerumque conuenit: Eadem enim res pluribus rebus repugnat, & contraria est, quàm consentanea: Et propterea si ratio conuenientiæ esset passio entis, ratio quoque disconuenientiæ, proprietas etiam esse deberet, & non minus malum enti propriè conueniret, quàm bonum. Denique ratio integritatis conuenit enti quà ens est, & quà est id quod habet essentiam, at verò ratio conuenientiæ, est formalitas consequens differentiam ipsam vltimam quà talis est, nam calor est conueniens igni, non formaliter quà ens est, sed quà est ens tale, ignis scilicet & calor.

Obserua secundò, malitiam naturalem cum opponatur bonitati, necessariò duplicem esse, absolutam videlicet & relatiuam. Malitia absoluta est defectus alicuius pertinentis ad integritatem rei, ideóque consistit in carentia bonitatis, siue integritatis, qui defectus & carentia si sit essentialis, cùm vt iam monui, essentiæ quacumque mutatione pereant, sicut numeri, & res non possit existere peremptâ essentiâ: hæc malitia est merum nihil, aut non esse alicuius entis; si autem defectus & carentia pertineat tantùm ad integritatem accidentalem, quia cum eo defectu potest adhuc res existere, etsi ea malitia sit carentia, & quoddam non esse, res tamen mala verè existit, estque tantùm denominatiuè mala; ita dicimus aurum, vinum, & malleum malum, quia non habent omnia ad perfectionem auri, vini, & mallei requisita, quæ omnia fusè exponit Gregor *in 2. dist. 34. q. vnic. art. 1.* & probat ex Augustin. aliisque 24

PP.

PP. qui malum in carentia debitæ perfectionis ponunt, & contra Manichæos contendunt, nullam dari puram malitiam, nullámque malam substantiam, seu naturam, has enim voces vsurpant indiscriminatim, quia hæc malitia in aliqua entitate fundari debet, illa autem entitas bona est in se, & solùm mala propter carentiam sibi debiti, quæ carentia nihil est, neque adeò ipsa malitia.

Altera malitia est respectiua, quæ à S. Anselmo *lib. de prædestinat. & lib. de casu Diaboli cap.* 16. dicitur malitia incommoditatis, estque disconuenientia & disproportio vnius cum altero, cui proinde res disconueniens, incommoda, nociua & mala dicitur; ita venenum animanti malum est; atque hæc malitia est semper coniuncta cum aliqua bonitate, quia res quæ alteri est mala, sibi ipsi bona est, cùm habeat totam suam integritatem essentialem, immò & sæpè etiam accidentalem, cum plerumque incommoditas, quam vna res alteri infert, adueniat, aut augeatur per accessum alicuius accidentis. Agnouit hanc malitiam Augustin. cum eandem rem & bonam & malam esse sæpiùs dixit *lib. de natura boni contra Manichæos cap.* 5. *&* 6. ostendit omnem naturam excepto summo bono corrumpi posse, & eam omnem, quæ corrumpi potest bonam esse, non enim ei posset nocere corruptio, nisi adimendo & minuendo quod bonum est.

Hoc malum relatiuum duplex est: vnum dicitur ab euentu, siue causale, quia creat alicui aliquod incommodum, vel priuando illud aliquo bono, vel infligendo aliquod malum; sic vna substantia alteri mala est: alterum est formaliter malum, quia seipso alteri tanquam forma inhæret, & illud male afficit: qua ratione accidentia dicuntur mala suis subiectis, calor aquæ, frigus igni, de quo malo quæritur an sic formaliter priuatio, an v.g. calor sit malus aquæ, quia ipsam priuat aliquâ perfectione sibi debitâ. Ita enim existimat Gregor. *loco citato*, quem sequitur Suar. *disp.* 11. *Metaph. sect.* 1. *n.* 10. *&* 1. 2. *tract.* 3. *disp.* 7. præsertim *sect.* 1. *n.* 13. Peonot. *lib.* 8. *cap.* 10. Et alij vulgò: rem mihi definiuisse videtur Anselm. qui *lib. citato* sic habet, *Est autem aliquod bonum, quod dicitur commodum, cuius contrarium est malum, quod est incommodum. Hoc malum aliquando nihil est, vt cæcitas, aliquando est aliquid, vt dolor.* Illud itaque, quod alteri malum est, & disconueniens, vel est tantùm priuatio boni debiti, vel aliquid positiue repugnans subiecto, illudque contra naturam disponens & afficiens; prioris mali exemplum habemus in cæcitate, surditate, aliisque perfectionum naturalium priuationibus; hæc enim dicuntur malè afficere sua subiecta, dum illorum bonum tollunt, licet aliqui numerent hæc mala, inter mala simpliciter siue absoluta, sed non bene, cùm ista sint mala aliis, videlicet subiectis, & ea in parte differant etiam à negationibus puris, quæ licet sint mera non entia, & nihil boni, sicut neque entis contineant, nulli tamen mala sunt, cùm non includant subiectum, vnde fit etiam vt neque absolutè mala sint, alioquin vbicumque reperirentur, mala essent, quod falsum est: nam carere ratione, neque malum est bruto, cùm non sit contra eius naturam, neque illi disproportionatum, neque in se malum est, alioquin & bruto malum esset.

Alterius mali quod non est per modum priuationis, sed quia positiuè malè afficit subiectum cui formaliter, & non solùm causaliter malum est, appositissimum exemplum attulit Anselmus, nempè dolorem, qui non est tantùm malum animantis, quia remouet ab ipso bonum voluptatis, sed quia prauè disponit subiectum; alioquin insensibilitas, & dolor idem essent, siue non lætari, & dolere: sic etiam error non tantùm tollit ab intellectu perfectionem scientiæ, sed se ipso intellectum malè afficit, & se ipso illi malus est, alioquin idem malum esset nonscire, & errare; quod idem de calore respectu aquæ, frigore respectu ignis, aliisque eiusmodi dicendum est, alioquin omnes errores v.g. essent æquales in ratione mali intellectualis, quia omnes priuant tota scientia contraria.

Neque dicas eam formam denominari malam, quia causat eam priuationem perfectionis debitæ propter incompossibilitatem formalem quam habet cum ipsa. Nam in eo est malitia huius formæ v.g. caloris respectu aquæ, quod malè afficiat subiectum nempè contra naturam. Quæro enim an aqua priuata à Deo frigore nullâ aliâ inductâ qualitate æquè malè disposita foret, atque illa quæ non modò caret frigore, sed etiam calore afficitur: si enim dicas hanc peius dispositam esse, quia habet formam incompossibilem cum frigore; ergo illa forma eo ipso quòd est incompossibilis cum frigore, malè afficit aquam, éstque illi formaliter mala; hoc autem est totum positiuum. Deinde optimè argumentatur Lessius *lib.* 13. *de diuin. perfectionib. n.* 171. negatio perfectionis debitæ quam affert calor aquæ, fundatur in aliqua entitate positiua; in illa igitur erit malitia formalis & ab eo denominari poterit calor malus aquæ.

Addo nihilominus hoc malum formale positiuum secum semper afferre priuationem alicuius debiti subiecto, quod malè afficit & disponit, vt patet in exemplis allatis: & ratio perspicua est, quia hæc forma expellit à suo subiecto sibi contrariam perfectionem, si in subiecto eam inuenit; sin minus eius aduentum impedit: quare & eius priuationem rectè causare dicitur, atque hinc fit, vt ea forma dicatur malè afficere subiectum, illíque esse mala duplici ratione, & quia positiuè repugnat subiecto, quod contra naturam disponit, & quia carentiam perfectionis debitæ inducit v.g. calor aquæ malus est tum se ipso, tum quia priuationem frigoris tanquam effectum quendam secundarium inuehit; primarius enim est facere formaliter aquam calidam contra eius naturam. Ratione autem positiuæ repugnantiæ & primarij effectus calor dicitur primariò malus aquæ; ratione verò frigoris quod secundariò causat eadem aqua, illi quoque malus, sed secundariò tantum dicitur: Secundariò inquam, quia hic effectus siue priuatio in natura caloris, & positiua pugna, quam habet cum aqua, & eius perfectione, nempe calore, fundatur, neque opus est ad hanc secundariam malitiam priuatiuam fundandam, vt perfectio, quæ tollitur, aut impeditur, sit eo tempore debita, sed sufficit si sit vera perfectio subiecti, quæ illi inesset, aut inesse posset id temporis, nisi forma contraria ipsi poneret impedimentum per suammet entitatem, ratione cuius est primariò mala subiecto. Atque de hac malitia secundaria priuatiua existimo loquutos esse PP. quos affert Gregor. *in* 2. *dist.* 34. *quæst.* 1. *art.* 1. *con.* 1. vt ostendat malitiam relatiuam esse priuationem debiti & carentiam alicuius esse. Sic Aug. *capit.* 12. *Enchirid. Cum verò corrumpitur natura, ideò malum est eius corruptio, quia eam qualicumque priuat bono; nam si nullo modo priuat, non nocet; nocet autem adimendo bonum & cap.* 11. dixerat corporibus animalium nihil aliud est morbis & vulneribus affici, quàm sanitate priuari: frequentius autem in explicanda mali natura vsi sunt PP. hac priuatione boni, quia & ipsa notior erat, & longiùs aberat à Manichæorum fatuitate, maximè cum prior illa malitia licet priuatiua, non distinguatur ab entitate naturali, quæ tota in se spectata bona est, vt ibidem latè prosequitur August. & nos iam obseruauimus.

Quanam sit natura bonitatis moralis siue honestatis.

25 Ita explicatâ naturâ bonitatis & malitiæ naturalis, facile fuerit ad bonitatem & malitiam moralem progredi. Aio igitur bonitatem moralem esse conuenientiam actionis vel obiecti cum natura rationali, non autem esse formaliter integritatem eorum, quæ postulat natura rationalis in actione vel obiecto vt sint bona, id est ipsi conuenientia, quamvis reipsa idem sint: sicut enim animal rationale est illud cui nulla deest perfectio essentialiter requisita ad hominis constitutionem, sic bonum rationi conueniens est illud, cui nihil eorum deest, quæ recta ratio postulat: & si actio est conueniens naturæ rationali, & talis qualem recta ratio postulat, eam necessariò sequitur bonitas transcendentalis, scilicet quòd habeat omnia, quæ natura rationalis in actione sua requirit; & è contrariò si nihil ei deest, necessariò talis est, qualem recta ratio postulat, quia vti diximus in prima notatione, omnem entitatem rationémque realem sequitur integritas & perfectio essentialis tamquam passio illius transcendentalis. Entitatem quidem in communi sequitur integritas in communi; entitatem autem talem & in particulari integritas particularis; ergo honestatem, & conformitatem cum recta ratione sequitur integritas honestatis & conuenientiæ, sicut hominem integritas hominis: honestas igitur & bonitas actionis est formaliter conuenientia illius cum recta ratione, integritas autem illius est passio transcendentalis quæ ab eadem conuenientia non differt, sed eandem formaliter includit; sicut ratio boni includit formaliter ens; neque hæc integritas quidquam addit ad conuenientiam præter negationem defectus: Nam bonitas ista est forma & ratio per quam actio constituitur in genere moris: atqui non constituitur in esse morali per integritatem formaliter, sed per conuenientiam cum natura rationali, quia integritas actionis moralis præsupponit ipsam actionem moralem: priùs enim ratione intelligitur actio esse constituta in genere moris, & honesti, quàm intelligatur esse perfecta & integra: sicut prior est ratio entis, quàm boni perfecti & integri; quare sicut integritas in communi, est proprietas consequens rationem entis in vniuersum, eáque posterior: ità integritas actionis moralis erit proprietas consequens naturam actionis moralis, eáque posterior; quamvis enim vtraque formaliter includat alteram formaliter, conceptus tamen formalis integritatis posterior est conceptu rei quæ integra dicitur, quia est ipsamet res, sed additâ solùm negatione defectus, eo modo quo vnum est posterius ente; Nihil tamen est reale & positiuum præter rationem entis, sed solam negationem adijcit: quia igitur plenitudo siue integritas eorum quæ essentialiter postulat natura rationalis in sua actione, & ipsa conuenientia actionis cum natura rationali, non se excludunt inuicem formaliter, sed sese includunt, sicut ens, & bonum siue perfectum, & integrum, immeritò S. Thom. alijque honestatem actionis in ea plenitudine esse debiti, siue eorum quæ natura rationalis præscribit, vt actio ipsi conueniat, collocarunt; quamquàm priùs concipi debeat hæc conuenientia actionis, quàm huius conuenientiæ perfectio.

26 Secundò idem ostenditur, quia rectitudo actionis pendentis à regula & lege, est formaliter conformitas cum eadem lege, cuius præscriptione regitur: vel enim actio ex se naturaque sua rectitudinem habet, & ita ad proprium finem determinata est, vt sine alterius ductu ab eo deficere nequeat, cuiusmodi sunt actiones agentium naturalium, & in iis rectitudo essentialis est, ordo scilicet intrinsecus ad obiectum & terminum; vel actio deficere potest à fine, & consequenter ex se non habet rectitudinem, sed indiget regulæ alicuius ductu; & tunc recta erit quando regulæ dirigenti conformis erit, ergo rectitudo huiusmodi actionis est conformitas cum sua regula. Iam verò actionem moralem pendere essentialiter à ratione tamquam à regula modum agendi præscribente diximus *diffic.* 1. & iterum docebimus inferius, neque vllus est qui negare audeat.

Denique forma essentialiter respectiua, & per se ordinata ad alterum, tamquam propria perfectio illius, non potest absoluta aut quasi absoluta ratione definiri, nam differentia talis formæ per se ad alterum ordinare includit formaliter, & quà talis, & non solùm connotatiue relationem transcendentalem; cùm autem definitio debeat explicare differentiam definiti, & illa sit relatiua, non poterit per rationem absolutam tradi. Atqui actio moralis & honesta, quà talis est, est forma essentialiter respectiua. Est enim perfectio naturæ rationalis; integritas autem & plenitudo esse debiti, est ratio absoluta, aut quasi absoluta, quia per eam res nequit formaliter concipi in ordine ad aliud, sed in ordine ad seipsam; perfici enim, integrari, & constitui dicitur formaliter in ordine ad id quod perficitur; ergo nequit honestas quæ forma est essentialiter relatiua definiri per integritatem, & plenitudinem; quæ est ratio absoluta aut quasi absoluta: quod postremum addidi, quia absolutum dicitur duobus modis: primò enim significat aliquid quod non modò non ordinatur ad aliud, & solùm in ordine ad seipsum concipitur, sed illi etiam repugnat ad aliud ordinari, eiusmodi est suppositum, quod quà tale non potest esse perfectio intrinseca alterius. Secundò dicitur aliquid absolutum, quia non ordinatur per se & formaliter ad aliud, & concipitur in ordine ad seipsum, ei tamen repugnat ordinari: sic perfectum quà perfectum concipitur in ordine ad se, quod non impedit, quin ad alterum referri queat, quod videmus in omnibus relatis transcendentibus: relatum tamen vt sic etiam includat materialiter aliquam rationem quasi absolutam, per eam tamen vt sic definiri nequit: vnde fit vt non liceat in actione honesta vt sic, duplicem bonitatem distinguere, absolutam vnam, respectiuam alteram, & priorem illam in integritate constituere, posteriorem in conuenientia, quia actio honesta vt sic, formaliter relatiua est, & bonitatem relatiuam habet, neque per absolutam aut quasi absolutam formaliter explicabitur. 27

Quid verò obijciunt, positis omnibus quæ ratio præcipit, actionem honestam esse, aliquo verò deficiente, vitiosam, & turpem esse, non efficit integritatem illam esse rationem formalem honestatis; nam si quid sit in se indiuisum, est ens; si autem intelligatur in se ipso diuisum, est nihil: non idcircò tamen illa indiuisio & integritas, est ratio constitutiua entis: ratio enim constitutiua non est ea, quâ positâ res ponitur, & quâ sublatâ tollitur, sed quâ primum positâ res intelligitur formaliter esse, quamvis reliqua per intellectum remoueantur: atqui positâ integritate, non ponitur honestas, nisi consequenter, & eâ sublatâ non tollitur, nisi consequenter; sicut posito risibili ponitur homo, eóque sublato tollitur, non formaliter sed consequenter tantùm: at verò positâ conuenientiâ cum ratione, etsi nihil aliud intelligatur, honesta actio intelligitur: quod verò dicunt positâ integritate etiamsi omnia remoueantur actionem honestam esse, implicat contradictionem, vna enim formaliter alte- 28

ram

ram includit, sicut passio entis & ens quæ sese mutuò includunt. Sicut igitur bonum naturale quod perfectione & integritate explicatur, est bonum transcendentale, & passio entis, ita etiam actionis honestæ integritas, est passio transcendentalis illius; hæc tamen iam supponit honestatem, per quam actio humana constituitur in specie actionis moralis, vti fuit explicatum.

Tertia Difficultas.

De malitia morali.

29 Venio ad aliam speciem moralitatis, nimirùm malitiam oppositam honestati, & dico illam non esse formaliter solam priuationem alicuius requisiti ad honestatem, sed disconuenientiam cum natura rationali, vel ratione, etiamsi huiusmodi priuatio includatur tamquam aliquid secundariò, & necessariò connexum in illa disconuenientia: ideóque eiusmodi priuatio vocatur à quibusdam malitia secundaria.

30 Omitto varias sententias circa naturam malitiæ & peccati, quas distinctius collegit Ouiedo *tract. 4. contro. 4. punct.* 2. cùm pleræque vocibus tantùm dissentiant; *controu. verò* 5. latè examinat an malitia commissionis sit quid positiuum, nos paucis quantùm fert nostrum institutum, rem hâc propositione definimus: quæ nostræ propositionis sententia videtur tradita fuisse à S. Thoma pluribus locis: nam 1. *p. q. 8. art.* 1. *ad* 2. *Bonum*, inquit, *& malum sunt differentia specifica in moralibus; bonum per se, malum verò in quantum est remotio finis*, id est, vt est priuatio rectitudinis debitæ. Addit deinde: *nec tamen remotio debiti finis constituit speciem in moralibus, nisi secundum quod adiungitur fini indebito*: quasi diceret, differentiam constitutiuam actionis malæ, esse ordinem ad finem indebitum, ex quo sequitur priuatio rectitudinis debitæ; sicut in rebus naturalibus, inquit, D. Thom. non inuenitur priuatio formæ substantialis nisi adiuncta alteri formæ. Quare concludit differentiam constitutiuam mali, esse bonum quoddam adiunctum priuationi rectitudinis. Et *in solutione* 3. *argumenti*, bonum, & malum esse contraria, quia bonum est quod est ordinatum & conforme rationi, malum verò quod non solùm est deordinatum, sed etiam quod est nociuum: disertissimè verò *lib. 3. contra gent. cap. 9. ad* 1. *&* 2. & præsertim *ad* 3. his verbis. *Est igitur malum morale & genus differentia non secundum quod est priuatio boni rationis ex quo dicitur, sed ex natura actionis ordinata ad aliquem finem qui repugnat rationi, sicut irrationale est differentia animalis non propter priuationem rationis, sed propter talem naturam ad quam sequitur remotio rationis*. Et *q.* 1. *de malo ad* 12. *Bonum & malum sunt differentia in moralibus, in quibus malum positiuè aliquid dicitur, secundum quod actus esse voluntatis denominatur malus à volito.* Idem asserit 1. 2. *q.* 18. *art.* 1. *ad* 2. *& q.* 2. *art.* 1. *in corp.* ait enim species peccatorum non ex priuatione, sed ex ordine positiuo ad obiecta desumi; non desumitur verò species nisi à ratione constitutiua, vt patet; eadem est mens omnium illorum, qui rationem formalem peccati in positiuo aliquo collocant inferiùs afferendi.

31 Probatur verò imprimis hæc assertio ex analogia mali moralis ad malum naturale, cuius naturam paucis explicuimus *notatione* 2. Distinguo igitur duplex malum morale, sicut & naturale, absolutum nimirùm & respectiuum. Primum est defectus bonitatis moralis, quæ si concipiatur in actu ad modum reliquarum priuationum, quæ sua subiecta à quibus formam contrariam remouent, dicuntur afficere, constituit actum in se & absolutè malum: quatenùs videlicet caret aliquâ perfectione, quam saltem secundum gradum genericum habere potuit, aut certè quam non habet: nam negatio sufficiet ad hanc malitiam, quæ pura non est sed mixta, aliquâ bonitate videlicet entitatis ipsius actus, quæ in genere naturæ bonum quoddam est? pura autem malitia absoluta, quæ in solo defectu bonitatis moralis consistat, dari nequit, sicut neque pura malitia naturalis. Si enim denominet aliquod subiectum, iam pura non est, cùm sit in aliquo bono, si verò nullum subiectum afficit, aut denominat, nusquam est, cùm non subsistat per se, esset enim substantia & aliquod bonum; si igitur est, in alio est, si in alio est, in bono est: vnde eleganter & acutè dixit Augustin. *cap.* 13. *&* 14. *Enchirid.* hæc duo contraria bonum & malum contra Dialecticorum effata perpetuò simul esse, cum omne bonum, præter summum, malum sit defectu alicuius bonitatis, & omne malum sit in aliquo bono: per carentiam autem & defectum bonitatis non intelligit Augustin. priuationem propriè dictam, siue carentiam debitæ perfectionis, quia sic plura bona creata reperire liceret, quæ nullâ vitientur malitiâ, & nullâ sibi debitâ perfectione careant.

Alterum malum morale, est respectiuum quod naturæ rationali liberè, & ex ratione operanti disconuenit, de quo solo hoc loco disputamus, quódque aliqui vocant malum simpliciter, non quod sit malum absolutè & in esse, seu non relatiuè ad aliud, sed quia per Antonomasiam illud mali nomen meretur, vt dixit Basil. *orat. quod Deus non sit author malorum*: & *orat.* 2. in Hexham. Origen. *lib. 6. contra. Celsum.* Philast. *contra Coluthian.* Theodoret. *lib. 5. de Græco. affection.* potest verò sicut in naturalibus, ita etiam in moralibus aliquid esse disconueniens naturæ rationali duobus modis, primò per modum puræ priuationis, nempè omissio actus honesti debiti, quando violatur præceptum affirmatiuum, sicut cæcitas & surditas est mala oculo & auri: neque appositè aliqui hanc malitiam omissionis absolutam vocant, eò quòd nihil habeat mixtum boni, si præcisè consideretur, & forma existat absque actu qui est eius causa: nam dixi in notatis priuationem includere subiectum, illudque suo modo afficere, ac proinde illi esse malam, non autem sibi ipsi, quare est malitia omninò respectiua. 32

Secundò igitur aliquid est malum homini per modum positiuæ operationis & formæ, quæ malè afficit suum subiectum, eò quòd difformis sit rationi, ad cuius nutum operari tenetur natura rationalis; inde verò sequitur quoque in subiecto eius actionis disconuenientis priuatio aliqua bonitatis, & actus honesti, quem potuisset habere operans. Nam quamvis tunc fortassis non teneretur ponere contrarium illi quem elicuit, tenebatur tamen, supposito quod vellet operari, ad aliquem honestum finem tendere: nullum autem finem honestum habere potest, dum hunc malum elicit, eò quòd sit formaliter incompossibilis cum alio actu bono, maximè circa idem obiectum & in iisdem circumstantiis; quare priuat operantem quem formaliter afficit, aliqua perfectione, & illum in ordine ad suam connaturalem perfectionem malè disponit, immò aliquam perfectionem tunc debitam, vt dixi, excludit per formalem incompossibilitatem, quam habet cum omni bonitate moralis operationis, cum tamen aliqua etiam nunc sit debita operanti, supposito vt iam monui, quod liberè velit circa tale obiectum operari. Hæc igitur disconuenientia cum ratione includit in suo conceptu in obliquo, siue per modum connotationis, aut virtualiter negationem aliquam, aut priuationem; itavt duæ istæ rationes sint inuicem inabstrahibiles & impræcisibiles, primò

quia

quia quodlibet contrarium dicit exclusionem alterius extremi oppositi : secundò quia ista disconuenientia, est recessus à regula cui conformari debuit natura rationalis in operando : quilibet autem recessus inuehit exclusionem accessus ad eumdem terminum, quod fit vel non accedendo ad terminum, vel positiuè ab eo sese remouendo ; ideoque violatur conuenientia cum lege rationis, siue ab ea recedatur priuatiuè, se illi non accommodando, siue per contrarium motum illi repugnando, qui motus contrarius, eo ipso quòd sit elongatio, & recessus a lege, est non conformitas, & non conuenientia cum illa; hæc autem negatio conformitatis non modò non excludit positiuum recessum & disconuenientiam, sed illam necessariò supponit, & ratione illius crescit aut minuitur, diciturque maior, aut minor malitia seu non conuenientia cum lege, prout magis positiuè receditur per disconuenientiam, & repugnantiam contrariam à lege : quæ omnia illustrari possunt ex locali ad vnum aliquem terminum accessione & elongatione.

33 Contendo igitur neque priuationem actus honesti debiti, modo superius explicato propter actum disconuenientem ipsi incompossibilem, neque non conuenientiam cum ratione, quæ in omni formali & positiua disconuenientia necessariò & impræcisibiliter includitur, esse malitiam formalem respectiuam, primariam, vt aliqui loquuntur; sed ipsammet formalem disconuenientiam, quæ essentialiter quidem includit non conuenientiam, & formaliter excludit per sui incompossibilitatem in eodem subiecto omnem bonitatem, honestatem & rectitudinem rationis. Itaque in humana actione tria distinguimus : primum est ordo ad obiectum ex quo sumitur ipsa naturæ differentia, estque subiectum honestatis & malitiæ : secundum est idem ordo ad idem obiectum, non absolutè spectatum, sed vt dissentaneum rationi ; quamvis enim directè non appetatur vt dissentaneum ; nullus enim propter malum operatur, appetitur tamen indirectè ; qui enim peccat, id potiùs eligit, quod malum est, quàm carere bono, quod inordinate appetit : sicut qui sectionem venæ eligit, directè dolorem non eligit, sed sanitatem appetit; eligit tamen indirectè, quia potiùs eligit tunc dolere quàm carere sanitate : tertium in eo ordine ad obiectum dissentaneum rationi, duo iterùm distinguenda sunt, vnum est positiua tendentia in tale obiectum, quatenùs ex eo sequitur priuatio conformitatis cum recta ratione : alterum est ipsa negatio aut priuatio conformitatis, quæ ex ea tendentia in tale obiectum necessariò tanquam ex suo fundamento, & causa proxima resultat. Et hæc priuatio mala quidem est suo subiecto, sed ordo positiuus & tendentia ad obiectum ex qua resultat talis priuatio, est primaria malitia formalis respectiua, quod primò ostenditur ex ipsa natura dissonantiæ, contrarietatis, disconuenientiæ, & difformitatis : nam formaliter disconueniens ex eo præcisè aliquid alteri dicitur, quod sit positiua entitas, quæ afficiat subiectum contra propriam naturam : vnde sequitur quoque priuatio formæ eidem subiecto conuenientis propter formalem incompossibilitatem quam habet cum illa, vti explicuimus exemplo caloris respectu aquæ. Ratio enim disconuenientiæ in calore non est priuatio frigoris, sed ipsamet entitas caloris, non absolutè spectata, sed comparata cum aqua, quam contra eius naturam, atqueadeò malè disponit, & ex qua formam ipsi conuenientem, nimirùm frigus formaliter expellit. Idem videmus in proportionibus quantitatum, diameter enim & costa quadrati sunt incommensurabiles, quia nulla est determinata quantitas quæ aliquoties repetita possit vtramque metiri : incommensurabilitas autem illa est disproportio quædam positiua & non sola negatio proportionis : nam & costa diametro, & diameter costæ est incommensurabilis : duo autem opposita non sunt duæ negationes, vel priuationes, sed necessariò alterum positiuum esse debet : est ergo incommensurabilitas in Diametro, certa quædam ac determinata quantitas cum certa quadam proportione, ex qua fit, vt ipsa & costa communi aliqua mensura mensurari non possint. Itaque non est solùm Diameter costæ negatiuè disproportionata, sed etiam positiuè : quod ipsum in concentu sonorum illustrius apparet, in quibus dissonantiæ peculiares, species oppositas constituunt ; nam cùm sonus sono dissonat, concentum auribus ingratum efficit, & illa dissonantia, non est mera negatio consonantiæ & concentus, sed positiua formalitas respectiua, ex eo orta, quod vterque sonus est perfectio quædam positiua, quæ ex natura sua excludit alium certum sonum : quare si simul iungantur, consonare nequeunt : hæc tamen negatio vel priuatio proportionis debitæ, & necessariæ ad concentum vnius soni cum alio, non dicitur dissonantia ; sed ille sonus cum altero collatus ; vnde sequitur ea necessaria huiusmodi priuatio proportionis debitæ. Denique contrarietas positiua est fundata in positiua entitate naturæ vnius cum altera, quam excludit à suo subiecto. Et quamvis ex positione vnius contrarij sequatur non esse alterius in eodem subiecto, nullus tamen constituit contrarietatem formaliter in illo non esse. Quamvis igitur actio humana vt est ordo ad obiectum rationi dissentaneum, sit fundamentum, & causa priuationis conformitatis cum recta ratione; quam natura rationalis in actione sua postulat, est tamen positiuè dissentanea rationi, & non tantùm priuatiuè, & dissonantia est formalitas constitutiua actionis humanæ in genere moris, non autem sola negatio vel priuatio conformitatis ex ea dissonantia consequens, aut etiam in illa essentialiter inclusa.

Quod secundò demonstratur ex eo, quòd malitia sit differentia contrahens genus moralitatis, & diuersas species sub ipso constituens ; actio enim mala vt sic est species rationis moralis, sicut & actio bona, ergo malitia quæ formaliter constituit actionem malam, est differentia moralitatis : atqui impossibile est genus diuidi & speciem constitui per priuationem, sed omninò necessaria est differentia aliqua positiua; fieri enim nequit, vt ens indeterminatum determinetur per illud quod nihil est, cùm determinare sit propriũ formæ, & actus : ergo genus non poterit determinari per priuationem, quæ & non esse, & quoddam nihilum est. Deinde, vt aliquid repugnet alicui subiecto, cui prius non repugnabat, debet illi aduenire aliquid positiuum, v.g. animal abstrahit ab homine, & bruto, & sic caret quidem perfectione rationis, sed negatiuè tantum, non positiuè, quia ipsi non repugnat ratio, quæ illi per propriam aliquam differentiam aduenire poterit : quare vt animali repugnet ratio, quæ anteà non repugnabat, debet illi accedere forma aliqua rationi contraria, & cum ea incompossibilis; v.g. irrationabile, quod non est mera negatio rationis, sed positiuum quoddam negationem rationis secum trahens. Ratio omnium istorum est, quia eidem prorsus immutato eadem conueniunt, & repugnant: similiter actio moralis abstrahit à bona & mala, & caret perfectione bonitatis, quæ tamen illi non repugnat ; vt autem illi bonitas repugnet, non sufficit sola illius priuatio, quam habebat in abstracto considerata, sed necessaria est forma positiua nimirùm malitia, quæ afferat repugnantiam cum bonitate, illi úsque incapacem 34

reddat

reddat actionem moralem, quod confirmatur: quia forma, & eius priuatio, immò in vniuersum nulla priuatiuè opposita possunt esse species eiusdem generis: quia genus debet prædicari essentialiter & in quid de subiectis speciebus, quibus idcircò inesse debet. Idem autem prædicatum, maximè essentiale nequit reperiri in esse positiuè, & non ente ipsius; vel enim illud prædicatum est ens positiuum, & tam non erit essentiale negationi entis, vel est negatiuum, & non erit de essentia positini. Quis enim dixerit lucem & tenebras esse species sub eodem genere qualitatis contentas; cùm qualitas non prædicetur de lumine & tenebris, neque coloratum de albo, & non albo; ac proinde non est genus respectu ipsorum, cùm priuatiuè non album, non sit coloratum.

35 Dices differentiam constitutiuam actionis in genere moris, esse ordinem positiuum ad obiectum bonum, sed inordinatum, qui ordo est subiectum priuationis; per diuersos autem illos ordines positiuos ad diuersa obiecta diuersificantur species in genere moris.

Resp. neque contrarietatem actuum, neque rationem specificam in genere moris peti posse ab entitate materiali ipsorum, cuiusmodi est ordo ille positiuus ad obiectum: & ratio euidens est; per id enim actio humana mala constituitur in genere actionis moralis, & in specie malæ actionis sub eodem genere, per quod est formaliter mala: atqui non est formaliter mala per illum ordinem positiuum, vti contendunt aduersarij, sed præcise per priuationem bonitatis: ergo priuatio bonitatis erit ratio propriè constitutiua actionis in genere moris: & distinctiua specierum sub eodem genere, non autem ordo positiuus ad obiectum, eiusdem priuationis subiectum materiale; quod autem hic ordo sit non modò subiectum materiale priuationis, sed etiam causa ex qua per modum cuiusdam proprietatis sequitur ea priuatio, non iuuat aduersarios, vt dicant constitui actionem in genere moris per positiuum ipsius ordinem non absolutè spectatum, sed vt est principium, & causa priuationis bonitatis, quia vel illud subiectum præcisâ priuatione, & quoad entitatem suam positiuam, etiam connotantem priuationem, est malum, & sic habemus malum formaliter includere rationem positiuam, quod negant aduersarij; vel nec malum est, nec in ratione mali formaliter includitur, & sic non potest esse ratio constitutiua generis, aut speciei moralis. Nam actio mala constituitur formaliter in specie moris per malitiam tamquam formam, eo enim formaliter est in specie moris, quo est formaliter mala: quod verò aliqui distinguunt hoc loco inter entia moralia, & physica, quod priuatio sufficiat ad constituendam speciem in genere moris, non autem entis physici, inane est; cùm æque genus debeat prædicari essentialiter de speciebus subiectis in moralibus, atque in Physicis; & ratio positiua nequeat assentialis esse enti positiuo & eius priuationi: deinde ens morale, est ordo quidam, & respectus ad rectam rationem vti ad regulam; & primum genus moris est actio humana cum eo ordine ad rectam rationem: secundum genus est obiecti ab eadem ratione dirigibilitas, quod fuit explicatum prima difficultate: atqui omnis species ordinis & respectus ad rationem tamquam ad regulam debet esse ordo quidam, non verò ordinis priuatio: atqui nec ordo, nec relatio distinguitur, aut specificatur per negationem, neque ordo qui est genus, potest de priuatione ordinis prædicari vti iam sæpiùs monuimus; confirmátque constans inductio: in nullo enim genere priuatio & habitus constituunt duas species eiusdé generis, sed differunt vt ens & non ens, v.g. lumen, tenebræ, visus, & cæcitas, aliaque similia, quod idem videmus in artefactis; in quibus peccatum est quod contra regulas & præcepta artis fit; Nullus verò dixerit domum male constructam esse speciem domus, quia ille defectus est tantùm priuatio perfectionis debitæ ex præceptis artis. Cùm igitur in moralibus turpe sit quod fit contra prudentiæ regulas, si malitia moralis sit sola priuatio perfectionis debitæ, actio mala & honesta non different specie, sed solum vt ens, & non ens.

Tertiò vitia extrema eidem virtuti opposita nôn distinguerentur specie inter se. v. g. timiditas & audacia, quæ cùm eadem fortitudine pugnant, eiusdem speciei forent; quod idem dico de auaritia & prodigalitate, quæ vni liberalitati opponuntur, quia priuationes specificantur à forma qua priuant, siue cuius sunt non esse: atqui hæc vitia priuant vnâ eadémq; formâ honestatis virtutis, cum qua pugnant: igitur non differunt specie. Hoc argumentum torsit aduersarios, qui idcircò varia effugia excogitarunt, sed inutiliter: ait igitur Becan. 1. 2 *tract.* 5. *cap.* 5 *q.* 1. *n.* 15. virtutem quæ in mediocritate consistit, habere duplicem bonitatem formaliter, & ratione distinctam, quæ duplex debitum inducunt, & duplici præcepto affirmatiuo scilicet & negatiuo subijciuntur, liberalitatis v.g. honestas, est dare quantum oportet, non plus, aut minus: horum autem vnum prohibetur, alterum imperatur; hoc tamen vtrumque præceptum negatiuum esse mauult Salas. 1. 2. *tract.* 13. *disp.* 2. *numero* 38. *&* *disputat.* 5. *numero* 7. quia prohibet defectum & excessum: verùm hinc tantùm habetur diuerso modo hæc vitia opponi virtuti eidem, vnum videlicet per excessum, alterum per defectum, vtrumque tamen priuat totâ mediocritate virtutis, atque eius proinde honestate; eandem igitur specie priuationem causant, ab eademque mala denominantur: quod enim priuatio habeat diuersas causas, formam, cuius ipsa est non esse, destruentes aut impedientes, non mutat eius speciem: Nam non illuminatio aëris siue fiat per solis recessum, aut interiecto corpore opaco, aut etiam diuinitùs, subtractâ vi illuminatiuâ, est eadem non illuminatio & priuatio lucis in aëre, neque ex istis causis mutat speciem: deinde quamvis concederemus diuersos illos respectus ad mediocritatem virtutis, inde tamen non diuersificarentur priuationes: nam vita certum quendam temperatúmque calorem postulat, itavt nimio & minori etiam pereat: quis tamen priuationem vitæ ex nimio calore, & ex defectu caloris distinguat specie. 36

Falsum prætereà est, honestatem virtutis in medio positæ esse formaliter multiplicem, est enim vnica & indiuisibilis ab vtroque extremo per eandem formalem perfectionem recedens, v.g. liberalitas dicit solam perfectionem dandi sicut oportet, quæ violatur siue minus, siue plus quàm oportet, detur. Neque liberalitas considerata præcisè provt vni extremo solùm repugnat, habet rationem virtutis, illa enim oppositio tota in altero extremo reperitur: nam auaritiæ, quæ dat minus quàm oportet, repugnat prodigalitas, quæ non dat minus quàm oportet, & tamen virtus non est, quia licet non det minus quàm oportet, dat plus quàm oportet. Eadem igitur indiuisibilis perfectio & honestas liberalitatis fundat duplicem oppositionem formalem cum duplici extremo, & funditùs à quolibet tollitur. Quod autem dicebatur de duplici præceptó, facilè reijcitur; quia si alterum ex illis sit affirmatiuum, non violabitur, nisi per omissionem actus imperati; cùm tamen extremum vtrumque peccatum v.g. auaritiæ & prodigalitatis sit peccatum commissionis:

sionis : neque vlla sit potior ratio, cur præceptum de extremo per excessum opposito sit affirmatiuum, quàm præceptum de extremo deficiente, immo cum vtrumque extremum malum sit, nullum potest esse materia præcepti affirmatiui, sic enim ab illo imperaretur : si autem vtrumque præceptum sit negatiuum, nihil ipsi opponi poterit nisi per aliquid positiuum.

37 Idcircò Suar. *disp. 11. metaph. sect. 1. num. 17.* existimat, actus malos differre specie, quamvis eandem specie formam, eandemque honestatem à suo subiecto excludant, quia malitia non consistit in priuatione contrariæ formæ, sed debitæ rectitudinis, quæ est in ipsomet actu : quare pro actuum diuersitate diuersa est. Quæ responsio petit principium; quærimus enim quænam sit rectitudo quâ priuatur actus, si enim sit eiusdem speciei in diuersis actibus, vt contingit in peccatis extremis eidem virtuti oppositis, de quibus agimus, eadem erit priuatio, quæ ex subiectis quibus inhæret, nequit diuersificari; sicut neque reliqua accidentia, quæ idem specie compositum faciunt in diuersis subiectis, vt vides in marmore, lacte, ebore, niue, cerussa, quæ in ratione albi non differunt specie.

38 Quare Valent. *1. 2. disp. 2. quæst. 13. punct. 3. sub fin.* concedit, hos actus differre quidem specie materiali, aut vt ipse loquitur positiuâ morali, quæ sumitur ab entitate actus liberi, tale obiectum respicientis, nón autem specie formali seu priuatiuâ, quæ à perfectione quam remouet sumi debet : Verùm cùm hæc peccata auaritiæ & prodigalitatis eandem liberalitatis perfectionem remoueant, non different specie formali priuatiuâ, atqui ab illa debet formalis desumi ratio peccati ex aduersariis. Tertiò non different formaliter in ratione peccati, neque proinde necessariò in confessione exprimenda erunt, satisque fuerit dicere violatam à se esse liberalitatem : Deinde quæro, an ista species positiua materialis, moralis sit præcisâ priuatione, quod videtur concedere Valentia : ergo est bona vel mala. Cum omnis moralitas sit bonitas aut malitia, indifferentiam enim exclusit Valentia ab actu singulari indiuiduo & exercito, qualis est ille de quo agimus, & sanè actus liber tendens in obiectum intrinsecè malum, nequit esse indifferens ad bonitatem & malitiam; nunquam enim his omnibus stantibus potest fieri bonus, ergo malus est, ergo malitia non est in sola priuatione bonitatis.

39 Quartò, non modò vitia de quibus agimus non different specie inter se, sed ne quidem inuicem opponentur, quod nemo absurdum esse non dixerit. Probatur verò hæc consequentia, quia duæ rationes negatiuæ, aut per negationes constitutæ non opponuntur inuicem, vt constat ex logicis, in quolibet enim membro oppositionis, alterum semper est positiuum; neque licet ad entitatem actionis substractam his priuationibus recurrere, atque ex illa sumere oppositionem, quia istæ entitates cum versentur circa idem obiectum, non habent vnde inuicem opponantur seclusâ priuatione aut aliâ quapiam formalitate, vt vides in sumptione nimij aut parcioris cibi : deinde ea oppositio sumpta penes entitates, erit omninò naturalis, non autem moralis, quam vnam modò quærimus. Ergo auaritia & prodigalitas non opponuntur inuicem in ratione malitiæ.

40 Quintò honestum & turpe, bonum & malum sunt contraria ex Arist. *cap. de oppositis & cap. de qualitate in prædica.* Et sanè sunt duæ species, quæ ex eodem subiecto scilicet ex actione humana se expellunt: ergo, sunt ambo positiua, cùm contrarietas sit interna positiua, in eoque differat ab oppositione priuatiua & contradictoria, & iam ostenderimus formam & priuationem eius non posse constituere duas species sub eodem genere, vti sunt duo contraria: definiuntur enim *quæ sub eodem genere maximè distant.* Denique cùm plures ex aduersariis admittant actus indifferentes & medios inter honestos & turpes, necessariò debent admittere extrema positiua, inter quæ medium aliquod constituunt, cùm inter formam, & priuationem, inter ens, & non ens nihil mediare valeat : quod autem respondent aliqui, honestatem quidem & malitiam opponi priuatiuè, subiecta autem ipsarum, nimirum ipsos actus quos assiemne pugnare contrariè, vt odium cum amore, iam sæpius reiectum fuit; inde enim fieret bonum, & malum non esse formaliter opposita, sed materialiter, quatenus habent subiecta contraria. Deinde cum subiectum priuationis & formæ sit vnum & idem, idem sibi ipsi contrarium foret, maximè cùm eadem actio successiuè turpis & honesta esse queat; & idem oculus, quia est subiectum cæcitatis, & visus, sibi ipsi contrarius fieret. Neque effugiunt vim argumenti qui dicunt, entitatem actionis malæ non esse contrariam actioni honestæ, nisi adiunctâ priuatione rectitudinis, itavt non malitia in abstracto; sed in concreto sit contraria bono. Nam eodem modo quis diceret cæcitatem quidem in abstracto, visui, aut lumen tenebris contrarium non esse; cæcum tamen & videns, illuminatum, & tenebrosum contrariè opponi. Deinde nihil est alteri contrarium in eo, in quo conuenit cum ipso; neque ratio propter quam contraria sunt, potest fingi quidpiam vbique commune, atqui subiectum idem vel numero vel specie commune est malitiæ, & honestati, ergo subiectum illud non est ratio propter quam bonum & malum sunt contraria, sed ipsa malitia & bonitas : denique æquè inane est quod aliqui hanc contrarietatem desumunt ex obiectis actionum, quia obiectum actionis honestæ opponitur obiecto actionis malæ; positiuæ enim actiones, quæ per se tendunt in contrarios terminos, sunt per se & formaliter contrariæ, non solùm terminatiuè, & extrinsecè, neque solùm album, & nigrum, calor & frigus sunt contraria, sed etiam dealbatio, & denigratio, calefactio, & frigefactio.

Sextò, si malitia sit sola priuatio rectitudinis virtutis oppositæ, omissio, & commissio contra eandem virtutem essent eiusdem speciei, ita argumentatur Macron. *in 1. dist. 43. quæst. 4.* v.g. non audire sacrum, & irreuerenter audire, non amare Deum, & illum odisse, non tueri innocentem, & illum occidere, cùm præcepta illa obligant : quæ sequela absurdissima est; probatur tamen, quia commissio, & omissio eandem honestatem tollunt, & vna indiuisibili forma priuant, cum quælibet harum malitiarum sit priuatio totius formæ, seu virtutis oppositæ. Iam verò monui nihil omninò conferre priuationis causas ac modos, ad eius diuersitatem specificam; quinimò ne quidem grauitate different hæc peccata, cùm per quamcumque istarum priuationum pereat tota forma; neque licebit ad subiecta materialia priuationum recurrere vti facit Rubion. *in 2. dist. 35. quæst. 1. art. 1. ad* 1. & Becan. qui ait omissionem priuare toto actu, commissionem verò aliquâ tantùm circumstantiâ debitâ; nam tota malitia est in priuatione rectitudinis debitæ, quæ æque fit per commissionem, atque per omissionem, quamvis diuerso modo. 41

Septimò hæc priuatio constitutiua malitiæ deberet esse priuatio conformitatis cum lege negatiua vetante actum qui committitur, atqui ea conformitas non potest tolli per priuationem solam, quia eiusmodi conformitas cum lege negatiua, est cessatio ab actu prohibito, siue est non operatio, & pura negatio; quæ 42

si

si tollatur per aliam negationem, dabitur negatio negationis, quod est impossibile, & malè in physicis concessit Salas *tract. 13. disput. 2. num. 31.* vbi ait videntem carere caritate, habereque priuationem priuationis: nam intelligibile non est, quomodo non esse alicuius entia tollatur per aliud non esse, & aliter quàm per illud ipsum esse, cuius est non esse; quamdiu enim non erit illud esse, erit necessariò eius non esse; & quandiu non ponetur aliquod esse, non erit illud esse, cuius existit non esse: Atqui per aliud non esse quodcumque illud sit, & per aliam quamcumque negationem, non ponitur aliquod esse, ergo non tollitur vllum non esse: tam igitur absurdum est dari negationem negationis, quàm dari non esse, alterius non esse: Fateor quidem videntem carere cæcitate, quia nempè habet formam positiuam, quæ sustulit illud non esse, quod nominatur cæcitas. Quod verò dicitur videns carere cæcitate, & non habere non esse, non significatur impropio eo loquendi modo, non esse potentiæ visiuæ tolli per aliud non esse, sed tantùm quodlibet oppositum includere virtualiter negationem sui extremi, quod destruit, atque ita ens, negat virtualiter non ens, non est tamen formalis negatio non entis, sed positio entis. Cùm igitur non detur negatio negationis, impossibile est conformitatem negatiuam tolli per negationem ipsius: atqui conformitas cum præcepto negatiuo est negatio quædam, nempè non operatio prohibita illo præcepto, cui consentio non agendo: illi igitur non possum dissentire, etiam per aliam negationem istius negationis: præterquàmquod hæc conformitas cum præcepto prohibente, non est honestas aut bonitas, illius igitur priuatio non erit priuatio bonitatis, neque proinde malitia; non occisio enim, non furtum non est formalis bonitas, neque qui non furatur, aut qui non occidit, dicitur formaliter bonus.

43 Denique si bonitas sit conuenientia cum natura rationali, non conuenientia ipsi priuatiuè opposita erit tantùm non bonitas, atqui non bonitas, & malitia distinguuntur, sicut non conuenientia & disconuenientia; quod enim alicui non congruit, non statim illi malum, & disconueniens est. Omnis quidem disconuenientia supponit, immò & dicit virtualiter non conuenientiam; non est tamen formaliter sola non conuenientia; & quot nobis non sunt conuenientia, non semper nos affligunt & lædunt; quare neque disconuenientia neque incommoda, aut mala nobis sunt.

44 Dices, actionem esse bonam quæ habet omnia quæ ratio postulat, vbi autem priuatur aliquo ipsorum, fieri malam, omnibus aliis per intellectum præcisis: Cùm igitur solâ positâ vel sublatâ priuatione rectitudinis, ponatur & tollatur malitia, in priuatione formaliter constituenda erit; vnde etiam facilè intelligitur quomodo actio, quæ secundum suam entitatem voluntati bona est, possit sine vlla noua forma fieri mala eidem voluntati, immò & quomodo & formaliter bona, fiat etiam formaliter mala, nulla forma aut entitate accedente aut decedente, sed solâ intellectâ priuatione.

Respond. aliquid simpliciter & absolutè & in se malum esse, quoties careat perfectione aliquâ debitâ; vt verò alteri malum sit formaliter, non modò alteri cui malum est, priuationem alicuius boni ipsi debiti afferre, sed prætereà illud formaliter se ipso malè afficere debet, vti diximus in notatis. Calor enim malus est aquæ, non quia ipsemet calor caret perfectione aliquâ sibiipsi debita, sed quia est causa priuationis frigoris aquæ debiti; & sic est malus causaliter aquæ; formaliter autem malus est, quia suâ positiuâ entitate malè afficit aquam, & illam contra propriam naturam disponit; vnde resultat necessariò priuatio frigoris debiti. Quod enim alteri nocet, illúdque debitâ aliquâ perfectione per seipsum entitatem priuat, illi sua entitate positiua contrarium, & malum est: Sic igitur actio peccati caret quidem perfectione debita actioni naturæ rationalis, atque eo ipso est simpliciter mala, quod tamen non sufficit ad constitutionem malitiæ moralis quæ relatiua est, sed ipsamet entitas actionis secum eam priuationem trahens, positiuè dissentanea est. Itaque falsum est in actione mala primò intelligi priuationem rectitudinis, sed priùs intelligitur tendentia libera in obiectum contra legem rationis, indéque sequitur priuatio rectitudinis quæ adhiberi poterat, aut debebat, posito quod natura rationalis circa tale obiectum cognitum voluerit liberè operari; & sic calor in aqua antequam priuatio frigoris, quæ ex caloris forma sequitur, intelligitur, itavt entitas actionis quæ bona est voluntati, illi fiat mala, non sola priuatio, sed aliquid prius, ipsa nimirum dissonantia cum ratione, concipienda erit: poterit autem accedere, absque vlla mutatione intrinseca, & entitatiua actionis per solam mutationem extrinsecam termini aut obiecti, quod in omnibus entibus connotatiuis, & relatiis videmus; in ipsáque priuatione fateri debent aduersarij; nouæ enim priuationes & negationes supponunt aliquam mutationem fundamenti ea quo resultant.

Octauò denique assignari nequit subiectum huius priuationis in qua formalem malitiam constituunt aduersarij, cum neque sit ipse actus, neque operans. Atque imprimis non est ipse actus: nam sunt aliqui actus incapaces vllius rectitudinis, vtpote ex suo genere, & intrinsecè mali; non igitur erunt capaces priuationis formæ, quam suscipere nequeunt. Ita argumentatur Mairon. *in 2. distinct. 43. quæst. 4.* Immò valet hoc argumentum in omnibus actibus malis, vti obseruat Less. *lib. 13. de diuin. perfection. numero 169.* quia cum iisdem circumstantiis cum quibus mali sont, non possunt bene fieri ab agente libero; & latè idem demonstrat Vasq. *1. 2. disput. 95. cap. 8.* in furto, homicidio, adulterio, iustitiæ oppositis; furtum enim non priuatur rectitudine iustitiæ, quam neque habere tenebatur, neque poterat in talibus circumstantiis, neque satisfacit Rubioni, dum ait *in 2. dist. 35. quæst. 1. art. 1.* quemlibet actum, etiam odium Dei positum extra suum subiectum, aut in proprio subiecto à solo Deo, bonum esse posse. Nam si actos non essent morales, de quibus solis agimus; deinde quamuis essent non mali, idcircò tamen boni forent, neque proinde dicentur priuati bonitate quam habere non possunt, falsúmque est eiusmodi vitales actus extra proprium subiectum poni vnquam posse, & quamuis à solo Deo in proprio subiecto produci possint, id tamen negamus de odio Dei, quod essentialiter malum esset. 45

Respondeo igitur alij, omnem actum voluntariæ esse amorem alicuius boni, quod honestè appeti potuit: quare cum propter adiunctam circunstantiam, v. gr. odij Dei careat honestate, cuius capax erat, rectè ea priuatus dicetur: verùm quamvis daremus omnem 46

actum voluntatis esse amorem, atque in ipsa fuga includi alterius obiecti prosequutionem, quod modo non disputo, ille tamen actus qui simul erit prosequutio boni indebiti, & odium Dei boni illius concupiti prosecutionem impedientis, aut prohibentis, non tantùm malus est, quatenùs est prosecutio, sed etiam formaliter quatenùs est odiom, atqui quatenùs habet hanc odij circumstantiam, incapax est rectitudinis oppositæ, vt patet: ergo eius priuationem non habet, neque quatenùs est auersio formalis Dei habet solam carentiam charitatis, sed aliquid ampliùs, cum odisse sit aliud quam non amare. Non est igitur malus hic actus propter rectitudinem soli odio Dei oppositam, quam tunc non tenebatur habere, etiamsi teneretur non habere odium.

Resp. itaque Valent. 1.2. *disput*.6.*quæst*.2. *part*.2. hominem si velit operari, teneri operari consentaneè & pertinenter, vt ipse loquitur, ad vltimum finem, ideóque singulis ipsius actibus debitam esse rectitudinem, quæ si exulet, verè priuati dicentur forma sibi debitâ.

Hinc tamen sequeretur primò totam hanc rectitudinem immediatè debitam esse operanti, non ipsi actui, vti colligit Turrian. *opusc*.11.*disp*.4.*dub*.1. Secũdò eum qui peccaret, quia caret actu sibi debito, & contra præceptum affirmatiuum, peccare omissione. Tertio illa generalis obligatio rectè operandi comprehendit debitum omnis rectitudinis in communi; cur igitur in actu particulari odij Dei, erit priuatio rectitudinis charitatis oppositæ, cùm tunc eius præceptum non obliget; & quamvis obliget, eius omissio non erit odium Dei, qui est actus positiuus; tenebatur quidem ille benè operari, eliceréque actum bonum, non tamen dilectionem Dei, & denique tunc solùm tenebatur non ponere odium Dei: atque præceptum illud violare non potuit, nisi actu positiuo, cùm negatio non tollatur negatione.

47 Idem præterea Valentia 1.2.*disp*.2.*quæst*.13.*part*.3. respondet, actui secundum rationem genericam actus humani deberi rectitudinem, licet secundum rationem specificam, & indiuidualem incapax illius fortassis sit, priuatus tamen benè dicitur, sicut talpa priuatus visu, qui ipsi conuenit tantùm, quatenus animal est, non autem quatenùs est animal hoc specificum, quod pluribus impugnant Vasq. 1.2. *disput*.95. *cap*.5. Salas. *tract*.13.*disput*.2. *num*.29. & alij passim: vel enim actui secundum gradum genericum debentur omnes bonitates, vel vna aliqua specifica & numerica; vel bonitas tantùm in communi. Non primum vt patet, neque etiam secundum, quia illud debitum reperiretur semper in ea ratione generica, ideóque omnes actus sub eodem genere essent priuati eadem bonitate, & forent eiusdem malitiæ, maximè quoties nullius alterius bonitatis capaces forent: non etiam tertium admitti potest, nempè deberi gradui generico actus bonitatem in communi tantùm, eius enim bonitatis priuatio non dabit malitiam specificam.

Dices, gradum genericum in actu humano indiuiduali spectari, vt iam contractus est, & per exercitium potentiæ liberæ ponitur in esse, huic enim actui indiuiduo debetur talis bonitas non secundum omnem sui gradum, sed secundum genericum; sic enim huic homini indiuiduo debetur vis nutritiua, non quatenùs est intellectiuus, sed quatenùs est vegetatiuus. Verùm inde tandem sequitur hunc actum non esse peccatum formaliter secundùm gradum specificum, quia secundùm illum non habet illam priuationem rectitudinis sibi debitæ, in qua tamen priuatione consistit tota malitia; deinde gradus genericus contractus ad specificum nihil amittit, & per quamcumque differentiam contrahatur, idem vbique præstat: quare si in vno aliquo composito sit principium alicuius proprietatis, erit quoque in alio, quod conuenit omnibus rationibus & gradibus superioribus vniuocis, & non transcendentibus. Ratio à priori est, quia contrahuntur per gradus & modos, qui sunt extra ipsorum essentias. Vnde illas suâ accessione non mutant, sed tantùm diuersa composita constituunt: Transcendentia verò contrahuntur per modos, in quibus essentialiter includuntur, & qui sunt expressiores tantùm quidam conceptus. Sic ens per perseitatem restringitur ad substantiam, & per inaliëtatem ad accidens, qui modi cùm non sint merum nihil, clauduntur in communi ratione entis, confusè tamen, & cum aduenire dicuntur enti; ens tamen explicitè concipitur vt substantia, aut vt accidens. Quia igitur ratio entis inclusa identificatur etiam formaliter suæ differentiæ, & modo contrahenti, cui nõ identificatur inalietas, fit vt ens contractum ad substantiam sit formaliter diuersum ab ente contracto ad accidens, etiamsi ens in sua abstractione nullam differentiam dicat formaliter; gradus verò superiores non transcendentes iidem omninò sunt, siue abstractè siue concretè considerentur: quare quod conuenit homini vt animal est, aut vt vegetans est, conuenit omnibus in quibus animal, aut vegetationis principium reperitur, quia animal contractum ad hominem, non mutatur formaliter, neque sibi quidquam aliud identificat formaliter. Quare vbicumque reperietur ratio generica actus, eadem vbique erit, & quod in vno exiget, in alio quoque exiget, & si in actu odij Dei dicat priuationem charitatis, in omni alio actu, ad quem per quamcumque differentiam contrahetur idem dicet.

Ex his reiicitur alterum subiectum quod huic priuationi debitæ rectitudinis assignabatur, scilicet voluntas operantis; cùm enim nullum vrget præceptum, nullus est debitus actus operanti, aut non hic potiùs, quàm alius; nulla igitur erit priuatio, aut saltem nulla erit determinata, quod tamen ad certam & singularem malitiam exigitur. Deinde cum sit carentia actus debiti, erit malitia omissionis, & semper erit explicanda malitia commissionis in actu positiuo quem habet operans, & quem non deberet habere, qui non modò illi non conuenit, sed eum maximè dedecet; & præterea cùm actus bonus & malus formaliter dicatur, bonitatem & malitiam in se ipso habere debet. Vide plura apud Suar. 1.2. *tract*.3.*disp*.7. *sect*.2. 48

Ex his omnibus tandem efficitur, malitiam formalem actionis moralis non posse constitui in sola priuatione bonitatis, aut consonantiæ cum ratione, sed in dissonantia cum eadem ratione, quamquam & aliqua priuatio includatur in ea dissonantia, ideóque illam aliqui vocant malitiam secundariam, alij volunt constituere quidem essentialiter malitiam, sed partialiter tantùm, ex eo quod ex actu contra præscriptum rationis facto, & priuante naturam rationalem perfectione ipsi debita, resultat quidam respectus secundum dici, & formalitas, quæ dissonantia dicitur, éstque vera malitia, atqueadeò ex aliquo positiuo & negatiuo coalescit. Mihi quidem hæc postrema controuersia de solis vocibus esse videtur, nihilominùs existimarim totam rationem malitiæ in ea dissonantia collocandam esse, non autem in priuatione, 49

ne, nisi consequenter, cum à sola dissonantia diuersitas specifica & oppositio malitiarum, tum inter sese, tum cum bonitate, non autem à priuatione peti valeat, quod hactenus fuit ostensum.

50 Porrò à priuatione ista quæ multiplex aliquando est, peccatum sæpiùs nihil, aut non ens denominatur: qua de causa non fuerit operosum explicare, quæ vndique ex PP. congerunt aduersarij, vt doceant malitiam esse priuationem; vt enim non eam per singula ipsorum dicta, quæ res esset infinitæ operæ, ad tria præcipua omnia reuocari facilè possunt.

Primò enim dicunt malum nullam esse naturam, substantiam, entitatem, essentiam: Et tunc impugnant Manichæos, qui fingebant malum esse quamdam naturam per se subsistentem, aut saltem rem aliquam à bono distinctam, quæ fluxisset à principio quod esset summum malum: hæc enim omnia nomine entis significari in ea disputatione à PP. fusiùs docet Gregor. *in 2. distinct. 34. quæst. vnic. art. 1.* ideóque August. negat peccatum esse naturam aut rem, esse tamen actionem *lib. 1. Hypognost. sub fin. & lib. 4. sub init. & lib. de natura boni, cap. 28.* Nos quoque non dicimus malitiam esse rem aliquam aut entitatem, sed connotationem & formalitatem modo superiùs explicato.

Secundò dicunt PP. peccatum esse negationem perfectionis & bonitatis, inordinationem auersionémque à Deo, defectionem virtutis, similiáque nomina negatiua vsurpant: Primò quia est priuatiuum aliquid causaliter, cùm causet priuationes plures, quo modo morbum priuationem sanitatis nominant: Et Fulgentius sub malo quod priuationem boni esse definiuit, numerat malum pœnæ *lib. de fide ad Petrum, cap. 21.* Secundò, quia difformitas & recessus à recta regula includit formaliter negationem conformitatis modo explicato, quod non facit conformitas cum ratione siue bonitas; explicari enim tota potest sine vlla negatione, vt in Regulato comparato cum regula facilè intelligitur, idcircò non significatur bonitas nomine priuatiuo, quamquam & aliqui priuationem bonitatis dixerint, atque ita amaor non esse, vt vitent miserum esse.

Tertiò, dicunt PP. cum August. malum esse non ens, & nihil, ideò nullam habere causam efficientem, sed deficientem. Primò eo sensu quo Paul. *1. ad Corinth. cap. 8.* dixit, idolum nihil esse, quia nihil est eorum, quæ sibi delusi homines esse persuadent. Idoli autem ac peccati similitudine eam in rem vtitur Augustin. *tract. 1. in Ioan.* Ideóque addit, homines dum peccant fieri nihil, quia se à summo esse & fonte totius esse auertunt, ab eóque deficiunt: quomodo Athanas. *lib. de Incarnat. Verbi*, dixit peccatum esse tantum per fictionem mentis, quia homo peccando commenta quædam, quæ nullâ veritate subsistunt efformat, sicut Idololatræ idolum fabricantes. Secundò, quia peccata à Deo non fiunt, nihil sunt, ex Damian. *opusc. 36. cap. 9.* Tertiò, quia non habet causam efficientem, non enim est opus aliquo influxu distincto ab illo quo producitur ipsa entitas actus mali, & ad producendam malitiam, vt exponam inferiùs.

51 Vnica videtur superesse difficultas, quænam tandem sit illa priuatio quam diximus includi in dissonantia, & in malitia formali: nam æquè operosum videtur, formam quæ priuet assignare, atque si in illa totam formalem rationem malitiæ collocaremus, vt constabit expendenti singula argumenta aduersus naturam ac subiectum priuationis huius allatæ.

Resp. hanc priuationem esse conformitatem ad legem & rationem præscribentem actum rectum, posito quod voluntas velit operari, quæ priuatio est etiam virtutis & honestatis contrariæ, furtum, v.g. turpe est, quia est contrarium huic legi non esse furandum, & naturæ rationali, quæ huic præcepto parendum esse indicat, & consequenter ille actus priuatus est honestate virtutis contrariæ, & conformitate cum ratione; quia præceptum negatiuum, quamuis absolutum prohibeat exercitium mali actus, virtualiter tamen, & ex suppositione, quod velit circa illud obiectum, furtum scilicet, voluntatis actum elicere, est præceptum affirmatiuum præcipiens, vt non nisi honestè operetur; & quamuis qui operatur circa vnum obiectum, non teneatur potiùs ad vnam honestatem, quàm aliam, tenetur tamen ad eam quæ ducitur ex obiecto, v. g. qui circa rem alienam, aut furtum elicere vult actum voluntatis, tenetur ex præcepto non furandi nolle furari, atque adeò ponere in suo actu honestatem iustitiæ, quæ ex obiecto, furto scilicet, aut re aliena ducitur; quamuis possit ex quocumque alio motiuo extrinseco, vt charitatis nolle furari, tuncque in actu erit duplex honestas, vna ex obiecto, altera ex fine extrinseco; si tamen furari velit, priuatur honestate iustitiæ quam ponere tenebatur: Deinde semper est saltem negatio conformitatis oppositæ illi disconuenientiæ, quæ reuera est in actione humana; iam enim monui initio non esse necessariam ad hanc malitiam respectiuam, quæ est in forma malè afficiente naturam rationalem, vt habeat priuationem propriè dictam perfectionis debitæ, sufficit enim negatio perfectionis quam potuisset habere illa forma, quæ tunc benè afficeret subiectum, & illi mala atque incommoda non esset, quamquam & debitum aliquod ferè semper reperitur. Nam si actio humana consideretur absolutè & si ne ordine ad rectam rationem, mala non est; quamuis enim careat perfectione, quam ratio requirit, ea tamen perfectio non est ei debita, nisi in ordine ad rectam rationem, sicut calor non est malus, quamuis careat perfectione frigoris, nisi comparetur cum aqua; tunc enim malus aquæ est, & quia priuationem frigoris causat, & quia malè afficit aquam; actio quoque furti mala est naturæ rationali quam malè afficit, & priuat conformitate quam debet habere cum ratione, vti sæpiùs explicatum fuit.

Quarta Difficultas.

Quomodo se habeat recta ratio ad honestatem & malitiam, an illas constituat, aut constitutas supponat.

Hæc quæstio necessaria est ad absolutam explicationem causarum honestatis & malitiæ, ad quam ponendam, aut vitandam obligat vniuersa lex naturalis, vti diximus *quæst. superiori*, quia verò duplex est tum honestas tum malitia, nimirum formalis & obiectiua, de vtraque sigillatim disputandum erit, ordior verò ab honestate. 52

Prima Propositio.

De honestate obiectiua.

Dicendum igitur primò est, mediocritatem in qua

53

ratio formalis honestatis obiectiuæ consistit, non esse ex natura ipsa ante actuale iudicium practicæ rationis definitum, sed definiri & determinari à ratione, quæ spectato fine naturæ rationalis, & circumstantiis, determinat modum & mensuram obiecti, practicè dictando quomodo & quatenùs appetendum sit.

Expositio propositionis.

54 Ex prima difficultate, atque ex sæpiùs dictis constat bonum honestum, esse bonum rationis, siue rationi conueniens, siue bonum naturæ rationalis, hoc autem considerari potest tribus modis: primò vt est materia quædam susceptiua turpitudinis, vel honestatis, & sic non est obiectum naturæ rationalis, siue appetitus rationalis, sed solùm materia circa quam versari potest, sicut lignum, vt est susceptibile formæ domus, non est obiectum artis seu materia. Secundò considerari potest bonum cum ordine ad rationem aut naturam rationalem; abstrahendo tamen ab ordine conformitatis, aut difformitatis cum natura rationali, quo modo est propriè bonum morale, & genus cuius differentiæ essentiales sunt honestum, & turpe. Tertiò consideratur cum ordine ad rationem cui conforme, aut difforme est, & sic iam est honestum aut turpe: secundò verò modo consideratum, est obiectum naturæ rationalis quà talis est, sic enim postulat obiectum de quo ratio præcipere possit quomodo, & quatenus appetendum sit, quodque indifferens sit vt bene ac malè appetatur, siue abstrahat à turpi & honesto, cùm natura rationalis ipsiusque appetitus vt sic, si sit defectibilis, cuiusmodi est omnis creatura, nequeat habere obiectum quod natura sua rectum sit, sed quod ratione dirigi valeat, alioquin defectibilis non esset, quia non posset nisi rectum appetere: sicut si delectatio formaliter quà delectatio, esset obiectum naturæ rationalis quà rationalis est, nihil nisi delectabile appeteret. Ratio à priori est, quia actionis dirigibilis & contingentis, quæ potest bene vel malè fieri, obiectum non est aliquid quod ex se naturáque suâ certum sit, sed est materia quædam capax rectitudinis, & contrariæ obliquitatis, & consequenter quod regulam quandam, vt causam dirigentem postulet, cuius præscriptione rectum fiat; quod inductio manifestat in omnibus artibus; actio enim ædificandi quia benè & malè fieri potest, habet pro fine domum; quæ & benè & malè quoque fieri poterit, & materia domus non postulat per se, atque ex natura sua rectam domus formam, alioquin ex ea materia numquam domus malè fieri posset. Sic igitur si obiectum actionis rationalis esset aliquid necessariò rectum, actio quoque circa illud versans, esset necessariò & semper recta: nam actio non est vitiosa, nisi quia circa obiectum non rectum versatur: cum igitur actio appetitus rationalis contingens sit, neque per se, naturáque suâ formam honestatis postulet; materia illius, & obiectum non erit aliquid quod naturâ suâ rectum sit, sed quod possit esse rectum aut obliquum, turpe, & honestum, propter ordinem quem dicit ad rationem à qua dirigi potest, sine quâ præcipere potest quomodo, & quatenus appetendum sit: nullum porrò bonum existit siue vtile, siue delectabile, siue materiale, siue immateriale, de quo ratio quippiam præscribere non possit, & quod proinde, non sit obiectum appetitus rationalis, cuius actio omnis ob aliquam circumstantiam poterit esse vitiosa, cum nullum sit bonum quod non vel sit vltimus finis naturæ rationalis, vel ad illum suo modo non conferat? Obiectum igitur naturæ rationalis defectibilis & ad bonum indeterminatum, siue non necessitatum, est bonum, de quo recta ratio præcipere potest quomodo, & quatenùs appetendum sit in ordine ad finem naturæ rationalis: fateor quidem ex istis obiectis quædam vel ex natura sua ordinari ad finem vltimum, vel ex intentione operantis. Illa tamen non necessario appetit natura, sed ab illis se auertere potest, aut etiam quæ ex natura sua ad finem vltimum tendunt, non bene appetere.

Honestas igitur obiectiua, vti sæpiùs diximus, est 55
conformitas obiecti cum recta ratione, quia in eo est id quod ratio præscribit, sot requirit, vt honestè possit appeti, neque enim aliud fingi potest ista conuenientia in obiecto; quod facilius explicatur, si dicamus esse mediocritatem quandam, eò quod eiusmodi ac veluti mensuræ existat, quam natura expetit, itavt nec eam excedat, neque ab ea deficiat, & medium obtineat inter nimium, & parum. Ideircò Aristot. 2. *Ethic. capit. 6.* definit virtutem, habitum electiuum consistentem in mediocritate, quoad nos, *ἐν μεσότητι πρὸς ἡμᾶς*, id est, nobis conueniente, & naturæ consentanea, quia nempe obiectum virtutis est materia quædam ita determinata, vt neque excedat proportionem debitam naturæ rationali, neque ab ea deficiat, sed vt dixi, media obtineat inter nimium & parum, cibus v. g. est materia quædam bona & appetibilis, sed quia nimio natura obruitur, parciore deficit: vt sit materia virtutis & obiectum actionis honestæ, eâ quantitate esse debet, quæ nec nimia, nec exigua existat, & tunc habet honestatem obiectiuam; siue est obiectum quod fundare potest honestatem actionis circa ipsum versantis. Neque sanè conuenientia illa obiecti cum natura rationali, cùm proportio quædam sit, melius explicari potest, quàm per commensurationem obiecti cum exigentia naturæ rationalis, vel rationis; omnis autem mensura consistit in mediocritate, siue inter excessum, & defectum; quando enim res vtroque carent, tunc inter se adæquatè sunt commensuratæ, & inuicem aptè conueniunt. Atque hic fuit Sapientum omnium sensus, ideóque Theages Pythagora apud Stob. *serm. 1.* virtutem definit habitum decori; Decorum verò quid neque deficit, neque excedit. Similia tradit Sen. *lib. 2. de Benef. capit. 16. & lib. de vita beata capit. 13.* Philo *de migrat. Abraham.* Hieron. *quæst. 8. ad Demetr.* & *in Epitaphio paula.* Nyssen. *hom. 6 in Ecclesiast.* Cassian. *collat. 2. capit. 16.* Isidor. Pelus. *lib. 3. epist. 131. & 320. & lib. 4. epist. 2. 10.* Nazianz. *orat. 32.* Bernard. *5. de consid. capit. 8.* aliique passim rationem virtutis in mediocritate collocant, ipséque Augustin. *lib. 4. contra Iulian. capit. 3.* probat antiquam philosophorum definitionem virtutis, esse nimirum habitum naturæ modo atque rationi consentaneum, quod probat Durand. *in 3. dist. 33. quæst. 3. numer. 4.* quia vel actio suam regulam adæquat & bona est, vel ab illa exorbitat, siue per excessum siue per defectum, & sic mala est, atque à medio deflectit: neque enim inde sequitur quamcumque virtutem habere duo vitia extrema sibi opposita, id enim pridem negauimus in iustitia, ea tamen in medio est ex Arist. *5. Ethic. c. 5.* quia vti exponit, S. Thom. *ibid. lect. 10.* Iusta operatio est medium quiddam inter facere, & pati iniuriam, & qui iniuriam patitur, minus habet, quam eius ius ferat, qui

qui infert, plus sibi sumit quàm sit ipsi debitum; ideóque iustitiæ medietas est effectiuè, inquit S. Thom. quia est constitutiua medij, & obiectiue, quia eius obiectum est medium quoddam. Denique cùm omnis virtus excludat dissonantiam cum ratione quoad omnes circumstantias, medium aliquod deposcit: Non miror autem an ista mediocritas reperiatur in virtutibus Theologicis, quia cum illæ sint supernaturales, nósque de sola lege naturali, & honestate ad quam ipsa obligat, agamus, satis fuerit, si mediocritatem in virtute naturali assignemus. quanquam Durand. *loc. cit. & in 3. dist. 27. quæst. 2. num. 4.* sapienter obseruet, quod licet in his virtutibus nequeat dari medium ex parte obiecti primarij quod Deus est, potest tamen ex parte obiecti secundarij, cum plura, v. g. aut pauciora quàm par sit reddere quis possit, quod idem habet S. Thom. 1. 2. *quæst. 17. artic. 5. ad secundum.* Deinde medium quoad modum operandi versandique circa primarium obiectum, dari poterit in his virtutibus.

56 Nomine verò obiecti intelligimus omnia quæ præsupponuntur actui, & non se tenent ex parte operantis, sed ipsum obiectum circumstant cum ordine ad rationem, si sunt circumstantiæ morales obiectiuæ, quia non nisi prout illis affectum est obiectum, terminat actionem hanc in indiuiduo.

57 Quæstio igitur quam expendimus hoc loco est, vtrum sola ipsa natura rationalis præcise spectata, ante rationis iudicium, sit causa adæquata honestatis, & mediocritatis commensurationis obiecti, ita vt priusquam ratio iudicet aut quidquam agat circa illud obiectum, eius honestas, & mediocritas iam determinata, definitáque sit ex natura rei, an verò requiratur rationis iudicium, quod eiusmodi mediocritatem definiat, eò quòd natura ipsa nihil omninò determinatè postulet, quod non fuerit prius rationis arbitrio præscriptum: dicimus, v. g. cibum non esse obiectum honestæ actionis, nisi prout in mediocritate conuenienti naturæ rationali consistit, ita vt neque eam nimius obruat, neque parcior inanem relinquat. Quærimus itaque verum natura Milonis, spectatis omnibus circumstantiis, & fine, tantùm cibi postulet, nec plus nec minus independenter à iudicio rationis; an verò hodie illud non postulet certam determinatámque mensuram, sed tunc demùm determinetur, cùm ratio modum mensurámque præscripserit.

Confirmatio propositionis.

58 Contendo verò honestatem obiectiuam fundatam in mediocritate materiæ, non esse antecedenter ad actum rationis illam dumtaxat enunciantis & repræsentantis, sed subsequi iudicium rationis per quòd dirigatur, definiatur, & suo modo causetur, contra Aureol. apud Capreol. *in 2. dist. 35. quæst. vnic. in argument. contra primam conclus.* Suar. *disputat. 10. Metaph. sect. 2. num. 13. & disput. 8. sect. 5. num. 3.* à quibus non abesse videtur Becan. 1. 2. *tract. 1. cap. 5. q. 1. n. 10.*

59 Primò, quia mediocritas materiæ, eáque progerminans honestas obiectiua, non semper eadem est, sed mutatur sæpiùs pro arbitrio operantis, aut nouis circumstantiis accedentibus: quod enim priùs erat medium, accedente lege superioris, aut obligatione quam sibi operans voto, promissione, iureiurando, contractu; aliáve ratione volens & lubens sibi imponit, medium ampliùs non est, sed excessus, defectúsve, quæ, v. g. vbi quantitas erit hodie mediocris, cras accedente præcepto diuino nimia fuerit: Atqui si medium honestatis ex naturâ sua determinatum foret, non posset per aliquid extrinsecum mutari; quod enim natura aliqua per sese postulat, semper & vbique postulat, atque in quibusuis circumstantiis, quidquid in contrarium libera voluntas obnitatur, & statuat: Sic ignis natura semper postulat superiorem locum, terra infimum, siue impediatur ab eius assecutione, siue aliud iubeat libera voluntas, cuius insana idcircò haberentur in hanc rem imperia, quia non determinatur ab alio, quod iam suâ naturâ determinatum est, nisi mutetur ipsa natura. Si igitur medium virtutis naturâ suâ definitum, determinatúmque est, mutari non poterit, & semper natura rationalis tale medium postulabit, aliúdque omne ipsi dissentaneum, disproportionatum, & incommensurabile erit; ac proinde honestas, quæ est conuenientia cum natura rationali, ex eo germinare non poterit.

60 Secundò, quoties materia susceptiua est alicuius formæ, quam tamen naturâ suâ non exposcit, ideóque ad illam introducendam nullæ sunt institutæ causæ naturales & necessariæ, eam non poterit recipere nisi dependenter ab intellectu, & industria agentis intellectualis, quod actionem formæ illius productiuam efficiat, siue dirigendo, siue exemplariter idealitérque, siue quo alio modo illam causando, quia, verbi gratia, lignum aut marmor non postulat ex natura sua formam Mercurij aut Veneris, & nulla est causa necessaria ad eam formam inducendam à natura per se instituta, nunquam fiet Mercurius aut Venus nisi arte, & industria Phidiæ, alteriúsve alicuius artificis. At verò materia honestatis obiectiuæ non postulat ex natura sua honestatem, aut mediocritatem ex qua resultat, neque vllæ sunt causæ naturales per se ordinatæ ad eam inducendam, opus igitur erit intellectus operatione & industriâ, quæ in talem materiam inducat eiusmodi mediocritatem, atque vnà cum ipsa honestatem: quod apparet inspecta singularum virtutum moralium de quibus modò agimus, materia, tùm remota, tum proxima; proxima quidem sunt vel passiones vel actiones quædam externæ; Remota verò earumdem passionum atque actionum materia; & quidem passiones non postulant natura sua mediocritatem, alioquin nunquam forent immoderatæ, neque vlla omninò causa naturalis fingi potest, quæ illas temperat, & ad mediocritatem adducere valeat, præter rationem dictantem, quatenùs delectatio sit admittenda, aut reiicienda; quando & quatenùs irascendum sit. Idem dico de actionibus externis, quæ sunt proxima obiecta & materia virtutum; illæ enim nullam habent ex natura sua definitam mediocritatem; vt apparet in actione externa restitutionis; idque verius est in materia remota, auro, cibo, periculis, delectationibus, malis, quibus per accidens omninò est, vt bene aut aut malè appetantur plus aut minus quàm deceat, moderatos aut immoderatos animi motus creant. Vides itaque nullum in omnibus istis determinatum esse ex natura sua medium, sed determinandum esse à ratione. Dices non esse quidem definitum ex parte materiæ, esse tamen ex parte naturæ, quæ illud & non aliud postulat. Resp. naturam non posse dici determinatam, nisi quia medium, & bonum determinatum respicit: Deinde si mediocritas materiæ determinata non est, ergo per rationem determinan-

da erit, quod vnum contendimus; etiamsi enim ratio determinando hanc mediocritatis materiam, comparet illam cum natura rationali, aliásque circumstantias expendat, nihilominus suâ determinatione causat mediocritatem in materia virtutis, & consequenter honestatem obiectiuam inde resultantem; & eam non præsupponit neque solùm aut speculatur, aut repræsentat, sed practicè constituit.

60 Tertiò, si natura rationalis determinatè ex se postulat certam in qualibet materia mediocritatem, extra illam ferri non poterit, sed in eam perpetuò tendet: quia nulla natura ferri potest extra fines obiecti proprij, ad quod ex sese determinata est: ideóque quoties determinatè ex ratione sua intrinseca postulat certum finem & non alium, extra illum ferri non poterit. Cùm igitur natura rationalis postulet determinatam mediocritatem & honestatem, extra illam nunquam ferri poterit, ac proindè neque errare, cùm quod ad vnum determinatum est, nunquam ab illo exerret: desinet prætereà esse libera & defectibilis, quia habebit potentiam determinatam ad illud medium & honestum. Nam natura postulans certum determinatúmque bonum ad quod ipsamet determinata est, habet quoque potentiam determinatam ad illud idem determinatè prosequendum: alioquin reuerà ad illud determinata non esset. Sic ignis quia est determinatus ad locum superiorem, habet potentiam motiuam determinatam ad illum, quæ perpetuò agit, nisi per accidens impediatur. Vnde vlteriùs sequitur superfluas fore omnes virtutes, quæ non dantur, nisi vt potentiam indifferentem ad benè & malè operandum, determinent ad operationem bonam & naturæ rationali conuenientem. Denique inutilis erit prudentiæ, cuius munus est actiones virtutum dirigere; vbi autem est determinatio ad vnum; inutilis, immò, & impossibilis est omnis vera, & propria directio, sed solùm impropria per remotionem impedimentorum.

Quartò, his accedit geminata ratio à priori: prima ex natura prudentiæ & rationis practicæ; omnis enim habitus & actus practicus facit suum obiectum, & non supponit factum, sic enim esset speculatiuus. Prudentia igitur & ratio practica ex qua procedit actio honesta, ponunt honestatem in actione, quod facere nequeunt, nisi illam quoque in eius obiecto constituant, saltem idealiter, vt videmus in ædificatoria, quæ non aliter dirigit actionem ædificandi nisi proponendo absolutam domus ideam, quod in aliis quoque artibus obseruare licet. Verùm non placet vrgere hanc rationem hoc loco, quia inferiùs vbi explicabitur sigillatim modus, quo prudentia, & ratio efficiunt actionem honestam, ea meliùs intelligetur.

61 Quintò igitur, alia ratio à priori quam fusiùs proponere visum est, petitur ex natura ipsa naturæ rationalis; illa enim neque completè rationalis constituitur, nisi per rationem practicam, neque ante ipsam determinantem quid bonum sit, quidquam determinatè postulat, sed tantùm in confuso, appetitu innato, vt materia prima formam in vniuersum, antequam ad certam aliquam per dispositiones determinetur: Tota igitur determinatio mediocritatis & honestatis ex ea profluentis, est à ratione definiente & determinante, non ab ipsa natura rationali antecedenter ad omnem actum rationis: hæc consequentia manifestissima est; honestas enim obiectiua non potest esse conformitas cum natura rationali, nisi illa sit vltimò & completè constituta in esse naturæ rationalis: si igitur non constituitur talis nisi per rationem practicam, honestas etiam obiectiua non erit ante rationem practicam, sed per illam complebitur. Deinde si natura rationalis nihil intelligatur sibi determinatè deposcere ante eandem rationem practicam, sanè non intelligetur etiam obiectum esse determinatum, eò quòd determinatè a natura postuletur & definiatur.

62 Difficultas igitur tota versatur in probando gemino illo antecedente; & primò quidem naturam rationalem non esse completè rationalem ante rationem practicam obseruauit Durand. *in 1 dist. 38. q. 1. n. 7.* itavt ante iudicium illud de eligibilibus, homo sit tantùm in esse physico naturæ, & inchoatiuè in esse morali, & rationali. Cùm enim esse morale rationale præter libertatem, includat ordinem ad finem vltimum propriâ operatione assequendum, donec natura aliqua sit proximè apta tendere in assecutionem finis illius vltimi, non erit completè & formaliter moralis rationalis: atqui non tendit in finem aut ab illo deflectit, nisi suis actibus bonis vel malis circa obiectum, ipsi vt ad finem illum ordinatè consentaneum aut dissentaneum, in quo progressu actionum constat initium duci à ratione practica, quæ voluntati proponit obiectum eligendum aut fugiendum, tanquam aptum aut ineptum assequendo fini. Cùm igitur illud iudicium rationis constituat primò naturam proximè aptam ad tendendum in suum finem vltimum, illam etiam primò constituit in esse morali rationali completo. Vnde nihil illi naturæ in esse morali spectatæ dissonat aut consonat, nisi accedat rationis iudicium de agibilibus: ideóque actus amentium & infantium non sunt boni aut mali, immò neque morales aut rationales.

Alterum antecedens, nimirùm actum rationis determinantis quid sequendum fugiendúmve sit, esse ipsam determinationem naturæ, quâ positâ postulat certum determinatúmque bonum, cùm anteà nihil determinatè postularet, nisi bonum in confuso appetitu innato, ostenditur ex differentia naturæ rationalis, ejúsque indeterminatione & aliarum naturarũ, quæ ad vnum determinatæ sunt. Nam imprimis naturæ determinatæ ad vnum, habent appetitum tum innatum, tum elicitum, simili modo determinatum, cùm naturæ indeterminatæ indifferentisque appetitus sit indeterminatus & indefinitus, eò quòd bonum postulet indefinitum, & non vnum aliquod certum definitúmque: cùm enim appetitus sit inclinatio in bonum naturæ appetentis, & natura indeterminata nullum habeat bonum singulare determinatum, neque illius appetitus in bonum determinatum feretur. Secundò, ideircò naturæ materiales sunt determinatæ ad vnum bonum appetendum appetitu innato vel elicito, quia propter suam imperfectionem sunt determinatæ ad vnum esse particulare, præter quod nullum aliud habere possunt. Ignis v.g. nihil aliud esse potest siue realiter siue intentionaliter, quàm ignis. Quare cum ignis est actu, habet totam suam actualitatem & determinationem quam per se habere potest, nempè suum esse particulare & determinatum: vnde sequitur, vt determinatum quoque bonum postulet, nimirùm conseruationem illius esse particularis, neque aliud quidquam appetere potest, sed est determinatus ad ea prosequenda, quæ ei consentanea sunt, & contraria fugienda. At verò natura intellectualis creata, quia non habet totum esse quod potest habere, & nondum habet, quod fieri potest: quare neque quidquam naturâ suâ determinatè intelligit, neque determinatè appetit: Natura verò intellectualis increata, siue Deus, quia est actu ipsum esse

esse & purus actus, expérsque omnis potentialitatis, est omnium maximè determinata; quæ determinatio ex maxima ipsius perfectione & actualitate sequitur; non est verò determina ad aliquid extra se, eò quòd in suo esse contineat omne esse. Quare neque est in potentia ad aliquid, cùm omnia intelligibilia actu intelligat, & omnia appetibilia, aut odibilia actu appetat & oderit. Ratio à priori omnium istorum est, quia determinatio naturæ oritur ex illius actualitate: Actus enim est qui determinat, & potentialitas est indeterminatio, ideóque determinatio & actualitas idem sunt; vt vides in materia prima, quæ non est aliquid determinatè, sed solùm rerum omnium materialium inchoamentum: homo verò est aliquod determinatum à forma & actu hominis determinante in certo genere & specie potentialitatem materiæ. Quando igitur aliquid est actu, est determinatum; quando est potentiale, est indeterminatum: & si sit potentiale ad plura, est indeterminatum ad plura, si sit actu totum quod esse potest in suo genere, est determinatum in illo genere; neque in quidquam aliud ferri potest: quia igitur Deus est actu in omni genere, expersque omnis potentialitatis, ideóque est summè determinatus; quæ determinatio, vt dixi, oritur ex summa eius actualitate & perfectione. At verò cæteræ naturæ intellectuales cùm non sint quidquam intelligibiliter eorum ad quæ sunt in potentia, sed possint omnia fieri per species à rebus acceptas, aut à Deo infusas, aut quocumque alio modo; sicut sunt indeterminatæ quoad esse actuale, sunt etiam indeterminatæ quoad rationem boni, & vt nihil sunt actu in genere intelligibilium, ita neque quidquam naturâ suâ intelligunt, id est non postulant vnum potiùs intelligibile quàm aliud, siue nullum certum intelligibile respiciunt, sed omnia, ita neque vllum bonum determinatè appetunt etiam appetitu innato, sed solùm confusè, vt materia formam.

Ex quibus tertiò sequitur, vt quemadmodum actus formæ materialis est determinatio materiæ, & naturæ materialis, ex qua determinatione tamquam radice sequitur appetitus innatus, quo bonum actui ac formæ consentaneum appetit, & postulat, ita naturæ intellectualis determinatio actualis, quâ constituitur in actu, est actualis intellectio, & consequenter eadem est proxima causa radicalis determinati appetitus eliciti, quo bonum aliquod particulare apprehensum prosequitur. Ratio euidentissima est, quia si ex se naturáque suâ determinata esset ad aliquod certum definitúmque genus boni, illud solùm posset appetere, sicut si ex se determinata esset ad aliquod genus entis intelligendum, illud solùm posset intelligere; sic materia prima si quam formam naturâ suâ postularet, eam solam posset accipere. Si quis igitur dicat, naturam rationalem ante iudicium aut apprehensionem boni particularis, illud postulare, idem esset atque si diceret, materiam primam ex se, & ex natura sua postulare formam ignis, aut aquæ. Hinc vulgatum axioma. *Appetitus innatus sequitur formam realem, elicitus apprehensam*, quia appetitus determinatus non sequitur nisi determinatam naturam; natura vero intellectualis non determinatur nisi per formam apprehensam, intellectionis scilicet. Licet itaque naturam rationalem considerare duobus modis: primò vt natura quædam est, & habet certum esse determinatum, & sic habet quoque appetitum innatum ad bonum determinatum, videlicèt sui conseruationem & quæ ad eam conferunt, vti de igne dicebamus: secundò vt est intellectualis, potestque bona intelligibilia & cognoscere, & appetere: hoc modo autem cùm sit indeterminata in ordine ad intelligenda ea, quæ intelligere potest, & actu nondùm intelligat, erit quoque ad illa appetenda indifferens; appetit quidem appetitu innato formam intellectiuam, siue actum intellectionis per quem determinatur, seu fit actu intelligens, sicut materia appetit formam, & omnis potentia actum: sed quando potentia est vniuersalis ad plures actus, vt materia ad formas, non appetit nisi in communi actu, non autem aliquem determinatum, & non hunc potiùs quam alium. Natura igitur appetit intellectionem confusè, & in communi, non vnam aliquam determinatam, neque proindè bonum aliquod particulare, ad quod appetitus debet determinari per intellectionem illud repræsentantem: hoc in anima rationali manifestum fit: vt enim est forma corporis, eo modo determinata est, quo omnes aliæ formæ naturæque animalium, & appetitu innato determinatè appetit bonum sensitiuæ partis, idque necessariò illudque infallibiliter assequitur, nisi per accidens impediatur: vt verò est forma intellectualis & à materia independens, cùm omnium naturarum intellectualium indeterminatissima sit, & pura potentia in genere intellectualium, non postulat nisi confusè bonum intellectuale, aut vt intellectualiter repræsentetur, donec ad vnum aliquod per intellectionem determinetur.

Ex quibus tandem concludo, actum rationis definientis quid bonum malúmve sit, quid amandum fugiendúmve, esse ipsammet determinationem naturæ rationalis quâ positâ posui certum determinatúmque bonum, & antè illud iudicium nihil omninò determinatum exigit; nisi bonum in communi appetitu innato. Ratio euidentissima habetur ex dictis, quia natura potentialis & indeterminata ad omne genus boni, nullum determinatè bonum postulat, & illa solùm quæ determinatur ad aliquod esse, determinatè appetit id, quod illi esse particulare consentaneum est, atqui natura rationalis sine actuali iudicio rationis, est indeterminatissima, vti ostendimus, cùm sit quasi pura potentia: ergo ante illud iudicium nihil determinatè appetit: quia verò actualis ratio, est actus & complementum naturæ rationalis, quod etiam demonstrauimus, est quoque illius determinatio actualis, & consequenter id ex quo tamquam ex radice sequitur bonum determinatũ, & determinatus appetitus boni, quod bonum cùm sit conueniens naturæ rationali ipsum appetenti, honestum est. Quemadmodum materia prima vt est potentia ad formam ignis, & vt est ignis inchoatè, non postulat determinatè esse sursum, neque locus ille est illi vllo modo conueniens, sed eo ipsò quo materia actuatur, recipitque formam ignis, & fit ignis completè & actu, eo ipso sine vlla alia mutatione locus superior est illi consentaneus; & consequenter causa illius conformitatis, est ipsemet actus ignis, & appetitus quoque innatus ignis determinatè postulat eum locum: sic natura rationalis in actu primo considerata, antequam per actum rationis determinetur, est veluti materia prima indeterminata. At verò completa per actum rationis determinatè iudicantis aliquid esse amplectendum, eo ipso tale obiectum ita determinatum naturæ rationali consentaneum est, ex quo etiam sequitur determinatus appetitus elicitus illius boni.

Grauissima obiectio.

Obiicies cum Aureolo *l. c.* cognitionem habere se 63
tantùm applicatiuè & commensuratiuè, hoc est applicare voluntati obiectum circumstantionatum, siue

mensuram obiectiuam actus honesti ; proponere autem non constituere; honestas enim obiectiua tunc est , cùm materia aliqua in tali quantitate & circumstantiis decet naturam humanam , quod totum reperitur antecedenter ad actum rationis. Non enim ea materia in ea quantitate decet naturam humanam , quia ratio ita proponit, & iudicat, immò potiùs ratio pronunciat obiectum illud esse decens & conueniens, quia tale est antecedenter, v.g. natura Milonis cum hoc temperamento , & his circumstantiis post vnius diei laborem,tantùm & non plus cibi expetit ; quia ea quantitas illi conueniens est: ideóque iudicat ratio cibum in ea quantitate esse illi conuenientem, præcedit siquidem iudicium rationis ipsa indigentia naturæ ; postulat enim id quo indiget , & nonnisi quantum ipsi satis est , ergo non plus nec minus ; si enim aut plus aut minus postularet , malum & disconueniens postularet ; & sicut indigentia naturæ in qua fundatur appetitus cibi, præcedit rationis actum, ita & appetitus proportionatus illi indigentiæ , ac proinde determinatus cibus qui tali indigentiæ & appetitui commensuretur ; hæc porrò commensuratio quantitatis cibi cum natura Milonis in his circumstantiis , quam vides præcedere rationem, fundat actionem honestam ; ideò enim voluntas capiendi cibi huius , honesta est , quia appetitur cibus tantus quantus necessarius est ; ergo est honestas obiectiua posita ante rationem , à qua proinde non constituitur, sed ostenditur. Quod totum confirmatur ex artibus , quarum obiecta pendent quidem in suo existere ab idea & operatione artificis ; at verò quoad esse seu essentiam omninò independentia sunt ; vt igitur honestas obiectiua fundet actu siue terminet honestatem formalem actus , necessaria est actio rationis, per quam ponatur in rebus & existat actio honesta; vt verò obiectum habeat totum id,quod necessarium est ad fundandam terminandámve actionem honestam , quando ponitur , non est necessarius actus rationis , immò illi præsupponitur obiectum , eiúsque cum natura rationali commensuratio.

64 Resp. honestatem obiectiuam sumi dupliciter : primò materialiter siue fundamentaliter , secundò formaliter. Primo modo est quidem conuenientia & mediocritas obiecti comparata cum natura vt natura quædam est : secundo modo sumpta est ipsamet materialis mediocritas & honestas comparata cum eadem natura , sed vt rationali, & actiua rationaliter: Omnis enim conuenientia & conformitas , qualis est honestas, duos terminos postulat , obiectum scilicet siue bonum conueniens, & naturam cui in certis circumstantiis positæ conuenit, & cùm honestas sit conuenientia boni cum natura rationali non quomodocumque, sed vt rationalis est , & actiua quatenùs rationalis est , atque hanc conuenientiam , nomino formalem honestatem obiectiuam ; cùm prior illa sit tantùm materialis mediocritas , quæ præsupponitur ad formalem tamquam eius fundamentum, & radix: distinguo prætereà duplex rationis iudicium, vnum speculatiuum quo cognoscit materiam & obiectum, illúdque cum natura comparat ; alterum practicum , quo definit tale obiectum esse conueniens , illúdque determinat & prosequendum esse edicit : verbi gratia natura Milonis consideratur vt est quædam natura corporea , eo temperamento iisque viribus , vt post vnius diei laborem 20. libras cibi ne fatiscat , & ne nimium obruatur , postulet, idque totum est independenter à iudicio rationis, ea tamen mediocritas non est nisi materialis, & non formalis honestas , sed qualis in pabulo iumenti, & naturæ cuiuslibet animantis reperitur. Nam & certa cibi quantitas ne hoc iumentum in his laboribus deficiat , aut ne eo grauetur determinata est. Itaque quamuis natura rationalis existat in certis circumstantiis ante iudicium rationis , atque independenter ab illo exigat aliquem cibum certum , ipséque cibus existat, non tamen adhuc cibus ille est determinatus, sed indifferens ad medium honestatis excessum & defectum ; neque poterit natura rationalis illud ipsum quod postulat sibi determinate immediatè , nisi accedat iudicium rationis , sine quo est formaliter indeterminata : quare nondùm est in obiecto formalis honestas , sed fundamentalis propter mediocritatem materialem, siue remotam. Potest verò ratio circa totum hoc obiectum versari , tum speculatiuè comparando materiam , siue cibum cum natura Milonis vt corporea est , atque etiam vt rationalis est, tùm practicè post eiusmodi factam comparationem & varias circumstantias expensas ,pronuntiando definiendóque hunc cibum, & non alium esse conuenientem & capiendum , non autem ampliorem aut parciorem : & sanè natura rationalis , & vt sic actiua, nihil omninò sibi definire immediatè & formaliter potest,sed solùm mediante ratione,tamquam instrumentali regula, aut exemplari determinante idealiter ,vt dicam iterùm inferiùs,& mediocritatem constituente. Quare formalis mediocritas, quæ vel est formalis honestas obiectiua, vel eius proximum fundamentum, ex quo illa absque vllo alio causæ alterius influxu progerminat,quod in omnibus formalitatibus maximè connotatiuis & relatiuis commune est , sicut monebimus in consectariis ; hæc inquàm mediocritas in cibo , est ipsemet cibus in certa quantitate connotans naturam , cui in certis circumstantiis congruit , & iudicium rationis tamquam causam illius proximam , & immediatam. Itaque negandum est causam adæquatam formalis honestatis obiectiuæ præcedere iudicium rationis ; quia natura in certis circumstantiis etiam vt postulat certum definitúmque bonum,non est causa adæquata & proxima honestatis obiectiuæ , sed solùm remota, opus enim est mediocritate formali, vt nimirùm sit medium inter excessum & defectum; hoc autem non habet à parte rei , antequam determinetur à natura rationali mediante iudicio rationis idealiter & exemplariter , hanc mediocritatem cum obiecto constituente : propterea iudicium dicitur regula formalis ; natura verò ipsa rationalis in certis circumstantiis existens, regula radicalis ; est enim id quo determinatur iudicium ad ita formaliter de obiecto iudicandum; ex vtraque autem regula radicali & formali cum obiecto per eas regulato, & directo , constituitur formalis honestas obiectiua, quæ est radix & fundamentum proximum honestatis formalis ipsius actionis. Quod addebatur de obiecto artis siue artefacto , quod pendet quidem ab arte secundum existentiam, non autem secundum essentiam, nihil efficit.quia etiam artefactum suo modo ab arte tamquam à causa ideali pendet , vt in secunda propositione explicabitur.

Secvnda Propositio

De honestate formali.

Dicendum est secundò iudicium rationis constituere honestatem formalem actionis humanæ, per modum Ideæ aut exemplaris , atque Regulæ proximæ. 65

Hâc propositione non tantùm contendo honestatem formalem actionis humanæ pendere à iudicio rationis,

tionis, sed etiam modum quo id fiat explico. Et quidem prima pars huius assertionis euidens est: nam in primis dantur quædam actiones turpes, aliæ verò honestæ, quæ neque ex obiecto neque ex vllis circumstantiis repugnant aut consentiunt naturæ rationali, sed solùm quia dissident à iudicio rationis, aut illi consonant honestæ vel turpes sunt: ergo earum actionum honestas & turpitudo pendet à iudicio rationis tamquam à causa. Quæ consequentia perspicua omninò est, quia omnis dependentia vnius ab alio est in aliquo genere causæ. Deinde cùm nulla alia causa huius honestatis aut turpitudinis assignari queat, & iudicio rationis posito, ea oriatur, sine dubio iudicium, illius causam esse oportet. Quare tota difficultas esse videtur in probando antecedente, quod tamen perspicuum est in eo, quod fit ex conscientia erronea, quamvis enim ex sese honestũ sit, atq; naturæ rationali in se spectatæ conueniens; quia tamen contrarium est iudicio rationis licet erranti, turpe & inhonestum est: si quis v. g. existimaret hodie præceptum esse ieiunium, & non ieiunaret, peccaret omninò; si verò ieiunaret honestam actionem faceret, ieiunium tamen, & non ieiunium in se spectatum ex natura & obiecto suo, non est contrarium naturæ rationali secluso iudicio rationis, ideò omnis turpitudo & honestas talis ieiunij aut non ieiunij, oritur ex eo, quòd tunc ratio existimet, quamvis falsò, esse ieiunandum, & eiusmodi rationi actio consentiat aut dissentiat.

67 Secundò, obiectum actionis honestæ vt sit honestè expetibile, pendet tamquam à vera causa à iudicio practico rationis definientis mediocritatem in qua ipsius honestas obiectiua consistit; ergo actio ab eodem iudicio vt causa honestatis pendebit: antecedens tota superiori propositione fuit confirmatum; consequentia verò manifesta est; obiectum enim est vna ex præcipuis causis actionis, siue finalis siue formalis extrinseca dicatur: si ergo obiectum ipsum quod est causa actionis pendet à iudicio rationis vt à causa, ipsam quoque actionem ab eo pendere necesse est; idcóque prudentia dux omnium virtutum moralium dicitur, quia earum actiones dirigit, non solùm proponendo, sed etiam constituendo, & definiendo proprium singularum obiectum, modúmque & debitum proportionis in illis constituendo, vti fuit explicatum. Idcóque Arist. 2. *Ethic. cap.* 6. illam mediocritatem, in qua virtutem consistere dicebat, vult definiri à ratione *ἐν μεσότητι ὡρισμένῃ λόγῳ* atque ita vt prudens definierit, *ὡς ἂν ὁ φρόνιμος ὁρίσειε*: & S. Thom. 1. 2. *q.* 66. *art.* 3. *ad* 3. prudentiam ait non solùm dirigere virtutes morales in eligendo ea quæ sunt ad finem, sed etiam in præstituendo finem: Est autem finis vniuscuiusque virtutis moralis attingere medium in propria materia, quod quidem medium determinatur secundum rationem prudentiæ, quod *q.* 9. fusiùs explicabimus. Si igitur ratio determinat finem, medium, & modum actionis honestæ, eius sine dubio honestatis causa est, vnde.

68 Tertiò efficaciter & à priori probatur conclusio. Omnis enim actio quæ potest benè aut malè fieri, pendet ab aliqua causa dirigente, & modum agendi præscribente, vt constans inductio probat, & ipsa natura talis actionis. Cùm enim dirigibilis sit, & seipsam dirigere non possit, ab alio dirigatur oportet, cuius directionem si sequatur bona erit, vtpotè conformis suæ regulæ; si verò exorbitet à regula, obliqua erit & mala; actionem verò omnem humanam posse vel honestè, vel turpiter fieri, atqueadeò dirigibilem esse quis neget: sapienter verò obseruauit Gab. *in* 3. *dist.* 26. *quæst. vn. art.* 3. *dub.* 5. allegans Scotum, duplex esse medium virtutis, vnum ex parte obiecti, alterum ex parte actus ipsius: In temperantia verbi gratia medium obiecti est cibus, qui neque nimius sit neque parcior quàm oporteat; ex parte actus, vt cibus ille moderatus, modo debito sumatur. Mediocritatem obiectiuam vocat Durand. *in* 3. *dist.* 27. *q.* 2. *n.* 4. modum secundum proportionem medij ad superfluum & diminutum; mediocritatem verò ex parte actus secundum determinationem circumstantiæ: In actionibus quidem moralibus reperitur vtraque illa mediocritas: in Theologicis verò & supernaturalibus reperitur ea saltem, quæ ex parte actus assignatur, vt *ibid.* Gab. & Durand. ostendunt: atque ita verum est, omnem virtutem in medio consistere, tunc autem vti superiùs obseruauimus cum eodem Durand. *in* 3. *dist.* 9. *q.* 1. *n.* 11. superfluum & diminutum non semper accipitur secundum quantitatem rei, cùm magnanimitas sit circa maximos honores, & magnificentia circa maximos sumptus, sed accipiuntur in comparatione ad rationem rectam, vt fiat sicut debet fieri quantum ad omnes circumstantias: quod in Religione & diuino cultu *ibid.* ostendit: quamvis enim Deo non possit exhiberi plus quàm ipsi debeatur, poterit tamen reddi aliquis cultus, qui sit contra rationem ex parte facientis, si aut subiectum ipsum corrumperet, aut alia implenda impediret; idcóque monet Paul. *ad Rom.* vt rationabile sit obsequium nostrum: Et quamvis nolim hoc loco disputare, an modus petitus ex circumstantiis constituat potiùs mediocritatem obiecti quàm actus, cùm obiectum non sumatur nudè, sed cum omnibus suis circumstantiis; id enim alibi commodius explicabitur; certum est aliàs circumstantias comitari obiectum, alias ipsummet operantem: Ratio verò vti fuit sæpiùs demonstratum definit vtramque mediocritatem tum obiecti, tum circumstantiarum, & modi operandi, ac proinde dirigit actionem honestam, eiusque honestatis causa est, quod vnum probandum susceperamus.

SECVNDA PARS PROPOSITIONIS.

Modus quo ratio causat honestatem actionis.

Atque ex his non difficile fuerit explicare secun- 69
cundam nostræ propositionis partem, nimirùm rationem causare actionem honestam per modum ideæ & regulæ proximæ; cùm enim causet dirigendo, & hæc ratio non sit speculatiua sed practica, nequit aliò modo actionem voluntatis causare: nam effectiua & physica causalitas intellectus in actionem voluntatis pridem à nobis reiecta fuit in physicis. Hic verò causandi modus ex aliis notitiis practicis & artibus facilè intelligetur.

Obserua igitur praxim à qua notitia dicitur pra- 70
ctica, esse quamlibet actionem naturæ rationalis à recta ratione dirigibilem: dixi quamlibet actionem siue factiua sit, siue actius; variè enim has voces vsurpat Arist. qui aliquando per actionem *πρᾶξιν* intelligit eam, quæ nullum relinquit opus post se, qualis est cytharisatio, aliquando vsurpat pro actione immanenti quacumque, aut pro ea quæ est regulabilis moraliter, de qua nos hoc loco disputamus; factionem verò *ποίησιν* aliquando eam intelligit, quæ relinquit opus post se, cuiusmodi est architectonica, aliàs quamcumque transeuntem, aliàs eam quæ est ab artifice regulabilis; quocumque igitur modo voces istæ *πρᾶξις καὶ ποίησις* vsurpentur ab Aristotele: qua de re consule Vasq. 1. *p. disp.* 8. *cap.* 6. & Raynaud. *lib.* 2. *de virtutibus sect.* 1. *cap.* 4. *n.* 45. *& sequentib.* illas omnes actiones hoc loco complector, sicut & actiones intellectus & non solius voluntatis contra Scot. qui *q.* 4. *prologi* definit

definit praxim actum alterius potentiæ ab intellectu naturaliter posteriorem intellectione, & natam elici conformiter rationi rectæ, ad hoc vt sit rectus: cui consentit Durand. *ibid. q. 6. num. 5. & 19. & Tolet. q. 4. proœmiali Logicæ* quos confutant Fons. *in lib. 2. meta. c. 3. q. 2.* Gillius *lib. 1. tract. 5. cap. 1. n. 4.* Molin. *1. p. q. 1. art. 4. disp. 1.* quia etiam actus intellectus est dirigibilis per certas regulas, actus igitur regulans aliquam intellectionem non minori iure dici debebit practicus, quàm is qui regulat actũ voluntatis; quãquàm actio practica semper distincta sit ab actione quam dirigit; & quæ praxis est: quare malè obijcitur quod vulgò asseritur ex 3. *de anima. tex. 49.* intellectum fieri extensione practicum: nam neque id apud Arist. legitur, neque aliud significat quàm intellectum extendi vt dicebam ad alium actum, quem reguler, & dirigat. Complector etiam actus voluntatis tum imperatos contra Scot. *quæst. 1. prologi, §. primò igitur dico*; cadunt enim sub electionem, ac proinde regulabiles sunt, tum elicitos contra Caietan. qui putat dictamen rationis quo dicitur voluntati esse aliquid faciendum, aut non faciendum non esse practicum; nam sequeretur dictamina prudentiæ, synderesεos, & consultationis non esse practica, quod nullus affirmarit: comprehendo quoque actus voluntatis circa vltimum finem, quia sunt obnoxij defectibus, & errori, quoties versantur circa illum finem non clarè cognitum, ideóque amorem Patriæ falsò dixit esse praxim Molina *1. part. q. 4. art. 4. disp. 1.* quem confutat Gilli. *tract. citato cap. 2. n. 8.* Denique comprehendo actionem tum internam tum externam contra Capreol. *q. 2. prologi, art. 1. concl. 2.* Vbi id negat de actione externa. Dixi porrò praxim esse actionem naturæ rationalis, vt comprehenderem actiones Angelorum, atque ipsius etiam Dei; excludo autem opera brutorum quia non propriè agunt, sed aguntur, vti obseruat Arist. *6. Ethic. cap. 2. & 1. magnor. moral. cap. 17.*

Addidi in definitione praxeos, illam esse actionem quamcumque dirigibilem à recta ratione, quibus postremis vocibus, non intelligo rationem dumtaxat moralem, sed etiam artificiosam, vt vocant contra Lessi. qui *lib. 1. de virtutib. cap. 1.* negat cantum, & saltum, si considerentur vt diriguntur solùm ab actu, & non à prudentia esse praxes.

71 Ex his sequitur primò, actum practicum ex natura sua posteriorem esse aliquo actu intellectus, cùm eum supponat tanquam directiuum: secundò ex natura sua esse contingentem: quæ enim naturâ suâ determinata sunt, non indigent regulâ, ideóq; nutritio in homine praxis non est, immò moralem indifferentiam & libertatem acquirunt. Fonsec. *lib. 6. metaph. cap. 1. q. 5.* Suar. *disp. 44. Metaph. sect. 13.* Gilli. verò *tract. 5. c. 2.* & Mendos. *disp. 11. de anima sect. 2.* solâ contingentiâ contenti sunt. Quia actus qui fit ab amente ex habitu artis, non est liber, & tamen est aliquando praxis, cùm dirigatur à cognitione practica, nisi dicas illum habitum ex sua natura ordinari ad actum liberum, & eiusmodi actus amentis fieri potiùs vi phantasiæ quàm intellectus dirigentis, id tamen semper affirmare non licet. Placet itaque Gilli. qui sapienter distinguit, vultque actus voluntatis, vt sint praxes & capaces rectitudinis moralis, debere esse liberos, siue imperati siue eliciti sint, reliquos verò posse esse dumtaxat contingentes & capaces rectitudinis artificialis, licet aliquando morali careant: dicas enim illas rectitudines distinctas & separabiles esse nemo negabit, Ouiedo *contr. 1. Logic. punct. 2. §. 5. num. 16.* omnem effectum qui pender ab actu voluntatis siue libero siue necessario praxim esse dixit respectu cognitionis, quæ dirigit talem actum voluntatis, siue quæ proponit voluntati talem effectum, qui proinde fit dependenter à tali cognitione, quæ idcircò practica dicitur in ordine ad illum effectum; quia cognitio practica est ea omnis quæ ita obiectum proponit voluntati, vt ex vi illius voluntas possit imperare exequutionem potentiæ cui talis obiecti siue effectus productio incumbit: Cognitio enim practica est causa sui obiecti; vt statim dicam, omnis autem cognitio dirigens actum voluntatis siue liberum siue necessarium à quo producitur aliquis effectus, habet omnem causalitatem quam potest habere in suum obiectum, ergo est practica: quæ doctrina vera quidem est, sed paulò amplior & vniuersalior, cõprehendit enim omnem cognitionem prælucentem voluntati agenti & dictantem quidpiam faciendũ esse, aut non faciendum, siue voluntas circa obiectum propositum libera, siue determinata sit, quo sensu certum est iudicium practicum semper præcedere volitionem quamcumque, cámque suo modo causare, vti suo loco explicabitur: non sumimus autem in hac disputatione cognitionem practicam in ea ampliori significatione, sed pro ea solùm, quæ simul est directiua, & regulatiua, quæ omninò connotat terminum dirigibilem & regulabilem, qualis non est actio prorsus determinata, & necessaria, ad eam enim neque præceptis neque lege vlla opus est; ideóque definimus noticiam practicam quæ respicit praxim vel tanquam finem in quem ordinatur, licèt fortassis ex illa non sequatur, vel tanquam effectum quem immediate repræsentat voluntati bonum, & amabile, nisi id faciat per modum regulantis & dirigentis, ac proinde respicit actionem aliquo modo contingentem, quòd apertè tradit Aristoteles *lib. 6. Ethic. cap. 4. & lib. 3. anim. textu 51.* Talem igitur actionem quæ sola praxis est vt dixi, regulat & efficit cognitio practica, aut eius regulatiua est; non enim mensura desinit esse mensura, quamvis non actu mensuret, quamquam dum actu dirigit, sit quodammodo magis propriè & actu practica, ideóque illam tunc simpliciter practicam dixit S. Thom. *1. p. q. 14. art. 6.* & ideò negat in Deo Ideas practicas respectu possibilium *q. 15. art. 3. ad 2.* Debet porrò ea noticia esse immediatè directiua; neque sufficit vt aliqua notitia, quæ immediatè reguler, deducatur ex anteriori, vt illa anterior practica quoque dicatur, alioquin falsò dixisset Arist. *1. posterio. textu 30.* quasdam scientias practicas subalternari speculatiuis, conclusiones enim scientiæ subalternantis, ex quibus subalternatæ practicæ deducuntur, essent speculatiuæ. Denique noticia practica respicit praxim vt obiectum, quia tendit in operabile prout est operabile, id est modo operabili, quia nempè considerat modum quo opus factibile est, non autem ipsum tantùm opus, ideóque Arist. *6. Metaph. textu 1. & 7. Metaph. text. 25.* dixit, principia praxeos esse in artifice, non autem contemplationis in contemplante. Et *lib. 9. text. 3.* vocat scientiam practicam, potentiam; quia nimirùm in arte artificij omnia requisita ad directionem & causationem operis reperiuntur. Ex quibus omnibus efficitur noticiam practicam atque artem habere rationem causæ respectu actionis & operis à quo dicitur operatiua, actiua vel effectiua, & maximè propriè practica à praxi, quæ quamcumque actionem atque factionem regulabilem à ratione comprehendit. Hanc causalitatem apertè agnouit Arist. *6. Ethic. c. 2.* vbi enim dixit electionem esse humanarum actionum principium, subdit, electionis verò appetitus & ratio, quæ alicuius causa est, vbi duplex principium electionis assignat, primum intentionis finis siue appetitum; ille enim mouet ad consultandum de mediis & ad illa eligenda. Alterum est ratio, quia alicuius causa est λόγος ὁ ἕνεκά τινος, nempè

nempè practica, & quæ non contenta solius veritatis cognitione, vlteriùs tendit ad operationem, quod idem inferiùs monet, & 6. *met.text.* 1. *lib.* 7. *text.* 22. & 23. *lib.* 3. *de anim.text.* 49. & 57. & 2. *physic.tit.* 2.24.25. & denique quoties distinguit scientiam practicam à speculatiua, quod hæc non referatur ad alium finem, illa verò maximè & *libr.* 2. *met. text.* 3. *libr.* 3. *de anima tit.* 449. & *lib.* 2. *Ethic. cap.* 2. & *lib.* 6. *cap.* 2. Estque communis sapientum vox, notitiæ practicæ opponi contemplatiuam, quæ hæret in sui obiecti cognitione, neque illud dirigit, aut circa illud quidquam omnino efficit, atque hæ duæ cognitiones adæquatè diuidunt omne genus cognitionis, siue sint differentiæ eius essentiales, siue accidentales tantum, qood modo non disputo. Sanè Arist. ipso initio nomine artis & doctrinæ siue methodi comprehendit omnem intellectum, tum speculatiuum tum practicum, sicut nomine praxis siue electionis omnem appetitum electiuum & executiuum, vti obseruat *ibid.* S. Thom. vt inde ostendat omnes humanas actiones, quæ non habent aliud principium, quàm duplicem illum intellectum & appetitum, expetere bonum, quod amplius explicant Albert. magn. & Faber Stapuleus. Et frustrà se torquet Eustratius diligens & vetus interpres in inquirenda ratione, cur ab Arist. in ea enumeratione præterita, scientia sit πᾶσα τέχνη, καὶ πᾶσα μέθοδος: doctrinæ enim siue methodi nomine scientiam vt dixi contemplatricem, sicut artis nomine, quamcumque notitiam practicam intelligit. Hæc enim vsurpatio methodi pro scientia, & doctrina contemplante familiarem fuisse Arist. obseruat eo loco Gifarius, vt *initio lib.* 1. *de anima lib.* 1. *de analytico posterior.* & *lib.* 1. *de physico auditu.* Immò perraro sumit Aristot. pro ratione docendi, quam tamen videtur propriè significare μέθοδος, eam enim appellat ipse libentiùs τρόπον.

72 Videndum porrò restat, quomodo ars & notitia qoæcumque practica suam causalitatem in actionem & praxim, siue opus, quod ab ea pendet; & vt vno verbo dicam, in obiectum suum exerceat: ex qua obiecti operabilitate essentialiter differt à notitia speculatiua. Obserua igitur in omnibus notitiis istis practicis finem & obiectum formale, vnum & idem esse; obiectum vero totale & adæquatum, quod certum est conflari ex ratione materiali & formali, debere necessariò coalescere ex materia, & fine, qui tanquam forma inducitur in illam matetiam; sicut in omnibus artibus contingit, quæ in suam materiam seu subiectum inducunt aliquam formam, vt Statuatius figuram Mercurij in marmor: Ideóque obiectum materiale harum notitiarum vocatur subiectum in quo: Illud porrò opus quod ex ea materia & forma ipsi impressa exurgit, est opus artis siue artefactum, & eius subiectum vel obiectum totale: ex eo siquidem distinguitur à cognitione aut scientia præcisè sumpta, & à cognitione merè contemplatiua, quod faciat suum obiectum, non verò illæ aliæ cognitiones. Vt verò constet quod constituebamus, finem & obiectum formale confundi in practicis, distinguendus est duplex finis, vt diximus alibi cum Zabarella *lib.* 1. *de nat.logic. c.* 15. & Gilli. *lib.* 1. *tract.* 5. *c.* 3. *n.* 2. & 3. alter est internus, primus, proximus, & immediatus, quem ex se naturáque suâ, primò & principaliter intendit habitus aut notitia, siue actualiter siue aptitudinaliter, quod fusius disputat Gilli. *cap.* 5. hic autem finis interdùm distinguitur ab operatione, quâ acquiritur, vt in artibus factiuis, hoc est quæ relinquunt aliquod opus post se. In ædificatoria v.g. domus differt ab operatione, qoamquàm ipsamet ædificatio & operatio dici posset finis, sed impropriè, cùm sit via ad finem; aliquando verò non distinguitur finis ab ipsamet operatione; vt in musica sonus, in nautica nauigatio: quem geminum finem tradidit Arist. 1. *Ethic.cap.* 1. dum dixit alios fines esse ἐνεργείας, alios esse præter illas, opera quædam ἔργα τινά, quod ipsum explicatiùs docet Galen. *initio comment. de constit. art. medic.* Addit autem Arist. opus quod remanet, esse perfectiorem ac præstabiliorem finem, quàm actionem, vt domus, aut portos, præstat ædificatione, & molitione per quam producatur. Rationem reddit S.Thom. quia res genita perfectior & præstabilior est generatione: non dicit itaque Arist. vti monet sapienter hoc loco Burleus, opus esse perfectius qualibet actione, sed ea, quæ ipsum opus cum qno comparatur, anteccessit, eiúsque quasi generatio est; aliqua enim est actio, quæ quia sequitur opus, atque ex opere nascitur, ipso perfectior est opere, melior quidem domus est quàm ædificatio, sed non est melior quàm habitatio, cuius gratiâ eadem domus est ædificata.

Alter finis artis externus & remotus dicitur, externus quidem, quia non fit ab ipsa arte. Licet ab ea intendatur, v.g. in ædificatoria habitatio commoda, est finis, cùm reuerà ab ea intendatur, non fit tamen ab ædificatoria illa habitatio, & ideò dicitur illi externa. Hic porrò finis iterùm duplex est, vnus per se intentus ab arte, vt habitatio commoda in domificatoria, scissio in artefactiua gladij, non tamen actualiter intendi debet, sed virtualiter tantùm, v.g. qui gladium fabricatur aptum ad scindendum, dicitur intendere scissionem, licet de ea nihil cogitet. Alter finis temotus est ille, qui intenditur ab artifice, vt lucrum in eo qui discit medicinam, vt eam deinde exercendo lucretur; hi verò fines externi inutiles sunt ad specificandam artem aut notitiam practicam: itaque solùm de interno loquor, cum aio coïncidere eum obiecto formali in habitu practico: quod apertè affirmat Arist. cùm 6. *ethic. cap.* 4. dixit artem esse circa generationem & productionem, operis scilicet: quare pro materia circa quam assignat opus ipsum, quod etiam finis est, cum illud vnum intendatur ab arte: simili ratione obseruat Niph. 1. *de interpret.* Arist. semper initio suorum librorum vocare obiectum intentionis & finis, qnod videlicet ad illud tota feratur cognitio. Et cum distinctio specifica notitiarum petatur ob obiectis, & practicæ atque speculatiuæ dissideant penes fines, relinquitur obiecta esse fines, omniúmqoe artium inductio idem euidenter ostendit: Idcircò vulgare illud in practicis esse solum finem & materiam, non autem proprium obiectum, quod pluribus exponit Zabarella *loco citato.* quamquàm sæpiùs finis notitiæ practicæ dicatur illa ipsa operatio, sicut praxis quàm dirigit & regulat, ideóque passim Arist. ait notitiam practicam esse propter finem, cuius ipsa causa sit, & principium: quâ ratione speculatio non est propter finem, quia non est per se alterius operationis principium, & nonnunquam est ipse vltimus finis, vt contemplatio Dei, in qua consistit humana fœlicitas.

Notitia igitur practica, quæ est potentia & causa 74 respectu operationis, quam respicit vt finem suum proximum, & vt effectum à se regulabilem, vel mensurabilem, exercet hanc suam causalitatem, primò proponendo modum quo fieri debet operatio quam regulat. Secundò per iudicia & dictamina practica, quibus præscribuntur varia præcepta praxeos, quæ tum potentias internas tum externas pro ratione operis faciendi dirigunt. Tertiò proponendo finem ad quem collimat ipsa operatio, quæ praxis est, quando vel ab ea distinctus est, aut eiusmodi operatio pendet à voluntate imperatiuè, vel eliciriuè, quia cognitio finis, est directiua eorum quæ sunt ad finem; & sicut

definit praxim actum alterius potentiæ ab intellectu naturaliter poſteriorem intellectione, & natam elici conformiter rationi rectæ, ad hoc vt ſit rectus: cui conſentit Durand. *ibid. q. 6. num. 5. & 19.* & Tolet. *q. 4. proœmiali Logicæ* quos confutant Fonſ. *in lib. 2. meta. c. 3. q. 2.* Gillius *lib. 1. tract. 5. cap. 1. n. 4.* Molin. *1. p. q. 1. art. 4. diſp. 1.* quia etiam actus intellectus eſt dirigibilis per certas regulas, actus igitur regulans aliquam intellectionem non minori iure dici debebit practicus, quàm is qui regulat actũ voluntatis; quãquàm actio practica ſemper diſtincta ſit ab actione quam dirigit, & quæ praxis eſt: quare malè obijcitur quod vulgò aſſeritur ex *3. de anima, tom. 49.* intellectum fieri extenſione practicum: nam neque id apud Ariſt. legitur, neque aliud ſignificat quàm intellectum extendi vt dicebam ad alium actum, quem reguler, & dirigat. Complector etiam actus voluntatis tum imperatos contra Scot. *quæſt. 1. prologi, §. primò igitur dico*; cadunt enim ſub electionem, ac proinde regulabiles ſunt, tum elicitos contra Caietan. qui putat dictamen rationis quo dicitur voluntati eſſe aliquid faciendum, aut non faciendum non eſſe practicum; nam ſequerentur dictamina prudentiæ, ſyndereſeos, & conſultationis non eſſe practica, quod nullus affirmarit: comprehendo quoque actus voluntatis circa vltimum finem, quia ſunt obnoxij defectibus, & errori, quoties verſantur circa illum finem non clarè cognitum, ideóque amorem Patriæ falsò dixit eſſe praxim Molina *1. part. q. 4. art. 4. diſp. 1.* quem confutat Gilli *tract. citato cap. 2. n. 8.* Denique comprehendo actionem tum internam tum externam contra Capreol. *q. 2. prologi, art. 1. concl. 2.* Vbi id negat de actione externa. Dixi porrò praxim eſſe actionem naturæ rationalis, vt comprehenderem actiones Angelorum, atque ipſius etiam Dei; excludo autem opera brutorum quia non propriè agunt, ſed aguntur, vti obſeruat Ariſt. *6. Ethic. cap. 2. & 1. magnor. moral. cap. 17.*

Addidi in definitione praxeos, illam eſſe actionem quamcumque dirigibilem à recta ratione, quibus poſtremis vocibus non intelligo rationem dumtaxat moralem, ſed etiam artificioſam, vt vocant contra Leſſi. qui *lib. 1. de virtutib. cap. 1.* negat cantum, & ſaltum, ſi conſiderentur vt diriguntur ſolùm ab arte, & non à prudentia eſſe praxes.

71 Ex his ſequitur primò, actum practicum ex natura ſua poſteriorem eſſe aliquo actu intellectus, cùm eum ſupponat tamquam directiuum: ſecundò ex natura ſua eſſe contingentem: quæ enim naturâ ſuâ determinata ſunt, non indigent regulâ, ideóq; nutritio in homine praxis non eſt, immò moralem indifferentiam & libertatem acquirunt. Fonſec. *lib. 6. metaph. cap. 1. q. 5.* Suar. *diſp. 44. Metaph. ſect. 13.* Gilli. verò *tract. 5. c. 2.* & Mendoſ. *diſp. 11. de anima ſect. 2.* ſolâ contingentiâ contenti ſunt. Quia actus qui fit ab amente ex habitu artis, non eſt liber, & tamen eſt aliquando praxis, cùm dirigatur à cognitione practica, niſi dicas illum habitum ex ſua natura ordinari ad actum liberum, & eiuſmodi actus amentis fieri potiùs vi phantaſiæ quàm intellectus dirigentis, id tamen ſemper affirmare non licet. Placet itaque Gilli. qui ſapienter diſtinguit, vtique actus voluntatis, vt ſint praxes & capaces rectitudinis moralis, debere eſſe liberos, ſiue imperati ſiue eliciti ſint, reliquos verò poſſe eſſe dumtaxat contingentes & capaces rectitudinis artificialis, licet aliquando morali careant: dicas enim illas rectitudines diſtinctas & ſeparabiles eſſe nemo negabit, Ouiedo *contr. 1. Logic. punct. 2. §. 3. num. 10.* omnem effectum qui pendet ab actu voluntatis ſiue libero ſiue neceſſario praxim eſſe dixit reſpectu cognitionis, quæ dirigit talem actum voluntatis, ſiue quæ proponit voluntati talem effectum, qui proinde fit dependenter à tali cognitione, quæ idcircò practica dicitur in ordine ad illum effectum; quia cognitio practica eſt ea omnis quæ ita obiectum proponit voluntati, vt ex vi illius voluntas poſſit imperare exequutionem potentiæ cui talis obiecti ſiue effectus productio incumbit: Cognitio enim practica eſt cauſa ſui obiecti; vt ſtatim dicam, omnis autem cognitio dirigens actum voluntatis ſiue liberum ſiue neceſſarium à quo producitur aliquis effectus, habet omnem cauſalitatem quam poteſt habere in ſuum obiectum, ergo eſt practica: quæ doctrina vera quidem eſt, ſed paulò amplior & vniuerſalior, cõprehendit enim omnem cognitionem prælucentem voluntati agenti & dictantem quidpiam faciendũ eſſe, aut non faciendum, ſiue voluntas circa obiectum propoſitum libera, ſiue determinata ſit, quo ſenſu certum eſt iudicium practicum ſemper præcedere volitionem quamcumque, eámque ſuo modo cauſare, vti ſuo loco explicabitur: non ſumimus autem in hac diſputatione cognitionem practicam in ea ampliori ſignificatione, ſed pro ea ſolùm, quæ ſimul eſt directiua, & regulatiua, quæ omninò connotat terminum dirigibilem & regulabilem, qualis non eſt actio prorſus determinata, & neceſſaria; ad eam enim neque præceptis neque lege vlla opus eſt; ideóque definimus notitiam practicam quæ reſpicit praxim vel tanquam finem in quem ordinatur, licèt fortaſſis ex illa non ſequatur, vel tanquam effectum quem immediatè repræſentat voluntati bonum, & amabile, niſi id faciat per modum regulantis & dirigentis, ac proinde reſpicit actionem aliquo modo contingentem, quòd apertè tradit Ariſtoteles *lib. 6. Ethic. cap. 4. & lib. 3. anim. textu 51.* Talem igitur actionem quæ ſola praxis eſt vt dixi, regulat & efficit cognitio practica, aut eius regulatiua eſt; non enim menſura deſinit eſſe menſura, quamvis non actu menſuret, quamquam dum actu dirigit, ſit quodammodo magis propriè & actu practica, ideóque illam tunc ſimpliciter practicam dixit S. Thom. *1. p. q. 14. art. 6.* & ideò negat in Deo Ideas practicas reſpectu poſſibilium *q. 15. art. 3. ad 2.* Debet porrò ea notitia eſſe immediatè directiua; neque ſufficit vt aliqua notitia, quæ immediatè reguler, deducatur ex anteriori, vt illa anterior practica quoque dicatur, alioquin falsò dixiſſet Ariſt. *1. poſterio. textu 30.* quaſdam ſcientias practicas ſubalternari ſpeculatiuis, concluſiones enim ſcientiæ ſubalternantis, ex quibus ſubalternatæ practicæ deducuntur; eſſent ſpeculatiuæ. Denique notitia practica reſpicit praxim vt obiectum, quia tendit in operabile prout eſt operabile, id eſt modo operabili. quia nempè conſiderat modum quo opus factibile eſt, non autem ipſum tantùm opus, ideóque Ariſt. *6. Metaph. textu. 1. & 7. Metaph. text. 25.* dixit, principia praxeos eſſe in artifice, non autem contemplationis in contemplante. Et *lib. 9. text. 3.* vocat ſcientiam practicam, potentiam; quia nimirùm in arte artificij omnia requiſita ad directionem & cauſationem operis reperiuntur. Ex quibus omnibus efficitur notitiam practicam atque artem habere rationem cauſæ reſpectu actionis & operis à quo dicitur operatiua, actiua vel effectiua, & maximè propriè practica à praxi, quæ quamcumque actionem atque factionem regulabilem à ratione comprehendit. Hanc cauſalitatem apertè agnoſcit Ariſt. *6. Ethic. c. 2.* vbi enim dixit electionem eſſe humanarum actionum principium, ſubdit, electionis verò appetitus & ratio, quæ alicuius cauſa eſt, vbi duplex principium electionis aſſignat, primum intentionis finis ſiue appetitum; ille enim mouet ad conſultandum de medijs & ad illa eligenda. Alterum eſt ratio, quia alicuius cauſa eſt λόγος ὁ ἕνεκα τινὸς,

nempè

nempè practica, & quæ non contenta solius veritatis cognitione, vlteriùs tendit ad operationem, quod idem inferiùs monet, & *6. met. text.* 1. *lib.* 7. *text.* 22. & 23. *lib.* 3. *de anim. text.* 49. & 57. & 2. *physic. tit.* 2. 24. 25. & denique quoties distinguit scientiam practicam à speculatiua, quod hæc non referatur ad alium finem, illa verò maximè & *libr.* 2. *met. text.* 3. *libr.* 3. *de anima tit.* 449. & *lib.* 2. *Ethic. cap.* 2. & *lib.* 6. *cap.* 2. Estque communis sapientum vox, notitiæ practicæ opponi contemplatiuam, quæ hæret in sui obiecti cognitione, neque illud dirigit, aut circa illud quidquam omnino efficit, atque hæ duæ cognitiones adæquatè diuidunt omne genus cognitionis, siue sint differentiæ eius essentiales, siue accidentales tantum, quod modo non disputo. Sanè Arist. ipso initio nomine artis & doctrinæ siue methodi comprehendit omnem intellectum, tum speculatiuum tum practicum, sicut nomine praxis siue electionis omnem appetitum electiuum & executiuum, vti obseruat *ibid.* S. Thom. vt inde ostendat omnes humanas actiones, quæ non habent aliud principium, quàm duplicem illum intellectum & appetitum, expetere bonum, quod amplius explicant Albert. magn. & Faber Stapuleus. Et frustrà se torquet Eustratius diligens & vetus interpres in inquirenda ratione, cur ab Arist. in ea enumeratione prætерita, scientia sit πᾶσα τέχνη, καὶ πᾶσα μέθοδος: doctrinæ enim siue methodi nomine scientiam vt dixi contemplatricem, sicut artis nomine, quamcumque notitiam practicam intelligit. Hæc enim vsurpatio methodi pro scientia, & doctrina contemplante familiarem fuisse Arist. obseruat eo loco Gifanius, vt *initio lib.* 1. *de anima lib.* 1. *de analytico posterior.* & *lib.* 1. *de physico auditu.* Immò perrarò sumit Aristot. pro ratione docendi, quam tamen videtur propriè significare μέθοδος, eam enim appellat ipse libentiùs τρόπον.

72 Videndum porrò restat, quomodo ars & notitia quæcumque practica suam causalitatem in actionem & praxim, siue opus, quod ab ea pendet; & vt vno verbo dicam, in obiectum suum exerceat: ex qua obiecti operabilitate essentialiter differt à notitia speculatiua. Obserua igitur in omnibus notitiis istis practicis finem & obiectum formale, vnum & idem esse; obiectum vero totale & adæquatum, quod certum est constari ex ratione materiali & formali, debere necessariò coalescere ex materia, & fine, qui tanquam forma inducitur in illam materiam; sicut in omnibus artibus contingit, quæ in suam materiam seu subiectum inducunt aliquam formam, vt Statuarius figuram Mercurij in marmor: Ideóque obiectum materiale harum notitiarum vocatur subiectum in quo: Illud porrò opus quod ex ea materia & forma ipsi impressa exurgit, est opus artis siue artefactum, & eius subiectum vel obiectum totale: ex eo siquidem distinguitur à cognitione aut scientia præcisè sumpta, & à cognitione merè contemplatiua, quod faciat suum obiectum, non verò illæ aliæ cognitiones. Vt verò constet quod constituebamus, finem & obiectum formale confundi in practicis, distinguendus est duplex finis, vt diximus alibi cum Zabarella *lib.* 1. *de nat. logic. c.* 15. & Gilli. *lib.* 1. *tract.* 5. *c.* 3. *n.* 2. & 3. alter est internus, primus, proximus, & immediatus, quem ex se naturáque suâ, primò & principaliter intendit habitus aut notitia, siue actualiter siue aptitudinaliter, quod fusius disputat Gilli. *cap.* 3. hic autem finis interdùm distinguitur ab operatione, quâ acquiritur, vt in artibus factiuis, hoc est quæ relinquunt aliquod opus post se. In ædificatoria v.g. domus differt ab operatione, quamquàm ipsamet ædificatio & operatio dici posset finis, sed impropriè, cùm sit via ad finem; aliquando verò non distinguitur finis ab ipsamet operatione; vt in musica sonus, in nautica nauigatio: quem geminum finem tradidit Arist. 1. *Ethic. cap.* 1. dum dixit alios fines esse ἐνεργείας, alios esse præter illas, opera quædam ἔργα τινά, quod ipsum explicatiùs docet Galen. *initio comment. de constit. art. medic.* Addit autem Arist opus quod remanet, esse perfectiorem ac præstabiliorem finem, quàm actionem, vt domus, aut portus, præstat ædificatione, & molitione per quam producatur. Rationem reddit S. Thom. quia res genita perfectior & præstabilior est generatione: non dicit itaque Arist, vti monet sapienter hoc loco Burleus, opus esse perfectius qualibet actione, sed ea, quæ ipsum opus cum quo comparatur, antecessit, eiúsque quasi generatio est; aliqua enim est actio, quæ quia sequitur opus, atque ex opere nascitur, ipso perfectior est opere, melior quidem domus est quàm ædificatio, sed non est melior quàm habitatio, cuius gratiâ eadem domus est ædificata.

Alter finis artis externus & remotus dicitur, exter- 73
nus quidem, quia non fit ab ipsa arte. Licet ab ea intendatur, v.g. in ædificatoria habitatio commoda, est finis, cùm reuerà ab ea intendatur, non fit tamen ab ædificatoria illa habitatio, & ideò dicitur illi externa. Hic porrò finis iterùm duplex est, vnus per se intentus ab arte, vt habitatio commoda in domificatoria, scissio in artefactiua gladij, non tamen actualiter intendi debet, sed virtualiter tantùm, v.g. qui gladium fabricatur aptum ad scindendum, dicitur intendere scissionem, licet de ea nihil cogitet. Alter finis remotus est ille, qui intenditur ab artifice, vt lucrum in eo qui discit medicinam, vt eam deinde exercendo lucretur; hi verò fines externi inutiles sunt ad specificandam artem aut notitiam practicam: itaque solùm de interno loquor, cum aio coïncidere cum obiecto formali in habitu practico: quod apertè affirmat Arist. cùm *6. ethic. cap.* 4. dixit artem esse circa generationem & productionem, operis scilicet: quare pro materia circa quam assignat opus ipsum, quod etiam finis est, cum illud vnum intendatur ab arte: simili ratione obseruat Niph. 1. *de interpret.* Arist. semper initio suorum librorum vocare obiectum intentionis & finis, quod videlicet ad illud tota feratur cognitio. Et cum distinctio specifica notitiarum petatur ob obiectis, & practicæ atque speculatiuæ dissideant penes fines, relinquitur obiecta esse fines, omniúmque artium inductio idem euidenter ostendit: Ideircò vulgare illud in practicis esse solum finem & materiam, non autem proprium obiectum, quod pluribus exponit Zabarella *loco citato.* quamquàm sæpiùs finis notitiæ practicæ dicatur illa ipsa operatio, sicut praxis quàm dirigit & regulat, ideóque passim Arist. ait notitiam practicam esse propter finem, cuius ipsa causa sit, & principium: quâ ratione speculatio non est propter finem, quia non est per se alterius operationis principium, & nonnunquam est ipse vltimus finis, vt contemplatio Dei, in qua consistit humana fœlicitas.

Notitia igitur practica, quæ est potentia & causa 74
respectu operationis, quam respicit vt finem suum proximum, & vt effectum à se regulabilem, vel mensurabilem, exercet hanc suam causalitatem, primò proponendo modum quo fieri debet operatio quam regulat. Secundò per iudicia & dictamina practica, quibus præscribuntur varia præcepta praxeos, quæ tum potentias internas tum externas pro ratione operis faciendi dirigunt. Tertiò proponendo finem ad quem collimat ipsa operatio, quæ praxis est, quando vel ab ea distinctus est, aut eiusmodi operatio pendet à voluntate imperatiuè, vel elicitiuè, quia cognitio finis, est directiua eorum quæ sunt ad finem; & sicut

cut se habet principium in speculabilibus, ita finis in agibilibus, vt tradit Arist. *lib. 2. physic. t. 89.* quare sicut in definitione subiecti continentur virtualiter omnia principia per quæ demonstrari possunt eiusdem subiecti proprietates, ideóque tandem tota scientia ad definitionem subiecti ipsius tamquam ad primum principium incomplexum resoluitur; ita cognitio distincta finis continet eminenter omnia dictamina practica circa operationes, quibus ipsemet finis acquiritur. Quod significauit Arist. 6. *Ethic. c. 1.* Electio igitur inquit actionis principium est, vnde motus non cuius causa, electio verò appetitus est ratio, quæ alicuius causa est; quæ verba sic interpretatur S. Thom. vt ex mente Philosophi ratio proponens finem, & ex eo procedens ad ratiocinandum, & appetitus tendens in finem, comparentur ad electionem per modum causæ; atque ita ipsa ratio finis est causa omnium quæ sequuntur. Cogitatio igitur finis, siue ratio recta proponens voluntati quid amplecti debeat, est veritas practica, & intentio finis, quæ ab ea procedit, est praxis. Quartò denique notitia practica causat per ideam operis & praxis faciendæ; hæc enim est causa formalis externa, quia eius, veluti impressione opus producitur, vel causa effectiua, quia agens intellectuale vltimò complet, vti diximus in physicis. Hæc omnia manifesta fiunt in directione artificiali: omnis enim artifex dirigitur in suo opere per regulas, quibus modus operis præscribitur, & opus eiusque effectio conformatur, & per ideam ipsiusmet operis quod artifex producere ad eius imitationem conatur; atque ita finem suum, quod est ipsummet opus, facit, inducendo nimirùm rectitudinem artificialem secundum regulas artis in materiam aliquam. Idem obseruabis in Logica dirigente mentis operationes; id enim facit suis instrumentis & præceptis, atque per ideam perfectæ operationis mentis: Diuisio enim dirigit primam operationem & apprehensionem, quæ habet pro obiecto essentiam; quia dum diuisione remouentur à subiecto omnia accidentia, sola essentia relinquitur apprehendenda: definitio & argumentatio dirigunt secundam operationem, nam definitio ostendit, quodnam sit subiectum; argumentatione verò colligitur, quænam proprietas illi subiecto conueniat, quibus cognitis mens errare nequit in iudicando, quid conueniat, aut non conueniat rei; denique discursus iuuatur tum definitione, tum argumentatione, in recto enim discursu maximè scientifico, medium quo proprietas de subiecto concluditur, debet esse eius causa; definitio autem suppeditat essentiam, quæ est causa passionum, syllogismus autem docet medium quo infallibiliter ex essentia potest deduci proprietas, & vnum ex alio cognosci, per formam & vim syllogisticam, artificiosámque medij cum extremis complicationem. Non est verò existimandum elici primùm operationes ab intellectu, tum illis per habitum logicum quasi materiæ præiacenti rectitudinem intellectualem veluti formam imprimi; eliciuntur enim à Logica operationes rectæ, neque priua fingi possunt esse, quàm rectæ, aut non rectæ existant, id est conformes, aut difformes habitui logico, & eius regulis atque dictamini præscribenti quomodo struenda sit enunciatio, & formandus syllogismus. Quare quando dicitur intellectus ponere rectitudinem in operatione, significatur intellectum tradere regulas, & præscribere modum quibus recta fiat operatio; si enim illis conformis sit operatio, dum elicitur, recta omnino erit; non emendat autē suas operationes intellectus, quasi eam, quæ priùs vitiosa erat possit facere rectam, sed quia vbi illam cōparauit cum regulis ac præceptis, atque cum idea perfectæ operationis, videtque iis omnibus esse difformem, aliam deinde elicit ex earumdem regularum præscripto, atque ita rectam facit. Quare vides praxim non esse ipsam operationem elicitam ab habitu practico, quod voluit Buchon. *q. 4. prologi art. 2. §. 1.* talis enim operatio habitus practici est notitia practica, aut regula; praxis verò est operatio ab eadem notitia regulata, quamquam aliquando nomine habituum practicorum intelligantur non ipsæ scientiæ practicæ, sed habituum virtutum à quibus immediatè eliciuntur, actiones honestæ, quæ tamen sunt veræ praxes per dictamina intellectus practici regolatæ. Vnde nomen habitus practici propriè cōuenit habitui intellectuali, prudentiæ nimirùm aut scientiæ morali, aut Logicæ, aut alicui arti, non autem habitui per alium regulato, cuiusmodi sunt omnes habitus virtutum, qui non dicuntur practici; nisi quia eorum actiones praxes sunt ab alio quodam habitu mensuratæ, & regulatæ.

73 Ex modo igitur quo intellectualis, & artificialis rectitudo ponitur, siue quo operationes mentis & artificiales diriguntur, facilè est videre, quomodo à recta ratione morali, actiones voluntatis & morales dirigantur, & intellectus illis imprimat honestatem siue rectitudinem moralem; quia nimirum ex eius directione fit actio honesta, non quasi præexistenti actioni imprimat honestatem, sed quia præscribit modum, & regulas, quibus sese accommodet voluntas, dum elicit actionem honestam, quæ est finis totalis, & obiectum rationis rectæ, subiectum vero & veluti materia est actio moralis, siue actio humana ac libera ab ipsa regulabilis: finis formalis, & proximus, est rectitudo & honestas moralis, quam actioni regulabili veluti materiæ imprimendo facit actionem honestam, quam primò & per se ac proximè intendit ac facit. Et sanè cùm voluntas creata non sit mensura sui ipsius, sed regulari debeat ab intellectu & ratione, danda est aliqua notitia practica, quæ dirigat voluntatis actionem: vnde quoque fit, vt quod initio monuimus, ipsa etiā finis appetitio, vt obseruat quoque S. Thom. *lib. 6. Ethic. cap. 2.* dirigatur à notitia & ratione; tacitica præuia. Hæc itaque directio fit proponendo finem, deinde modum operandi, tertiò dictamina practica tum vniuersalia, tum singularia circa obiectum singulare, circa quod hic & nunc agendum est, quod fit à prudentia, synderesi, & conscientia, de quibus *quæst. sequenti*: tum denique per ideam operis honesti faciendi, ex quibus tandem sequitur, quod vnum contendebamus, honestatem formalem pendere effectiuè à recta ratione dirigente actionem, sicut reuerà artefactum pendet ab habitu artis, & operatio recta logica ab habitu logico, & ideatum ab idea, atque mensuratæ & regulatæ mensura ac regula.

74 Ex his porrò vides quod dixeram in nostra propositione, rationem esse regulam proximam honestatis; quia natura rationalis est tantùm radicalis, & principalis: Esse enim regulam aliquo modo negari nequit, cùm ei conueniens esse debeat actio, vt honesta sit, talis siquidem non erit, nisi ipsam deceat, quandoquidem actio cuiuscumque naturæ tum bona dicitur, cùm naturæ operanti est consentanea, vt videre animanti, nutrire viuenti: Si autem ei repugnet, & sit dissentanea, mala est & non bona: humana igitur actio bona erit, quando naturæ rationali vt rationalis est conueniet. Deinde quod ordinatur ad aliquem finem, bonum non est, nisi sit fini consentaneum. Actio verò humana perfectio quædam est, quæ ad naturam humanam perficiendam tanquam in finem dirigitur, quod non facit nisi ea, quæ ipsi conuenit, secùs enim neque naturam humanam perficiet, neque proinde bona erit. Denique ratio à priori euidens est: omnis

enim

enim actio potentiæ, tribuitur naturæ cuius ea potentia proprietas est, tanquam primo & principali principio; directio autem actualis rationis est actus potentiæ rationalis: ergo illius primum & principale principium erit natura rationalis: atque adeò regula primaria: dirigere enim est proprium regulæ munus, quia verò actualis & formalis directio est proxima & formalis maximéque propria regula; hæc autem formalis & actualis directio non est natura rationalis, sed actio quædam & iudicium rationis; est enim idea actionis faciendæ, aut dictamen de modo illius faciendæ; idcircò natura rationalis non est formalis & proxima regula, sed radicalis duntaxat & principalis. Deinde natura rationalis nihil appetere potest, nisi quod ab intellectu proponitur voluntati; quare vt aliquid consentaneum naturæ rationali appetatur, proponi debet à iudicio rationis vt consentaneum naturæ rationali. Actio igitur honesta non modò naturæ rationali conuenit, sed eius etiam iudicio consentire debet; natura igitur rationalis est veluti legislator, qui per legem quâ voluntatem suam significat subditos dirigit; iudicium verò rationis est ipsa formalis regula dirigens, quæ omnia confirmantur tum ex iis quæ fusiùs diximus *q.* 1. de natura legis naturalis, tum ex iis quæ de conscientia, prudentia, & synderesi disputabuntur inferiùs.

Tertia Propositio.

De malitia tum obiectiua tum formali, quomodo constituatur à recta ratione.

75 Dicendum est tertiò, omnem malitiam formalem tum obiecti tum actionis pendere à iudicio rectæ rationis tanquam à causa & regula proxima.

Expositio & confirmatio propositionis.

Hæc propositio necessariò sequitur ex iis, quæ tota hac quæstione diximus. Cùm enim malitia sit dissonantia cum recta ratione, tanquam cum regula formali & cum natura rationali; sicut bonitas siue honestas est consonantia cum eadem ratione, tam autem constituitur malitia dependenter à ratione prohibente, & regulante, quàm ipsa bonitas; eo enim ipso quod actio sit contra rationem prohibentem, & regulantem mala est; si verò regulam rationis sequatur, bona erit; itavt nisi accedat hoc iudicium rationis actu dirigens actionem, licet illa cum natura rationali non consentiat, mala non sit, vt videmus in adulterio, cùm quis ignoranter accedit ad non suam, aut nescit inuincibiliter illud esse malum, aut qui sine deliberatione illud committit. Cùm igitur iudicium rationis necessarium sit; vt actio honesta vel turpis existat, ab illo pendebit turpitudo & honestas; non pendet autem tanquam à conditione quadam sine qua non: ergo vt à causa saltem externa, & exemplari. Quidquid enim necessarium est ad alterius productionem, vel est causa aliqua interna aut externa, vel conditio, quæ posterma ratio conditionis sine qua non minimè valet hoc loco, vt aliqui parùm prudenter existimarunt, Primò quia si forma disconueniens informaret naturam cui contraria est sine conditione sine qua informare nequit, eam malè afficeret, eique mala esset independenter ab omni conditione, v.g. propinquitas debita est conditio ad agendum, quantitas est conditio materiæ ad recipiendum calorem aut aliam qualitatem. Si igitur agens in distans ageret, eumdem omnino effectum produceret; & forma, quæ materiam non quantam informaret, illi eodem modo suum tribueret effectum formalem. Si igitur adulterium sit per se malum independenter à iudicio rationis, tanquam à causa, & solùm tanquam à conditione, voluntas quæ eligeret adulterium absque iudicio dictante illud esse malum, mala esset, siue malè affecta per electionem illi omninò contrariam, per quam afficitur independenter à iudicio rationis. Secundò idcircò iudicium rationis necessarium est ad malitiam, quia sine iudicio rationis rectitudo opposita non est debita. Quis verò dicat debitum, & obligationem benè operandi pendere à iudicio tanquam à conditione, & non à causa, nisi etiam velit debitum legale pendere solùm à lege vt à conditione. Et denique id censendum est potissima causa debiti & obligationis, quo primum posito, ponitur obligatio, & quo primum sublato remouetur obligatio. Id verò contingit in iudicio dictante aliquid esse faciendum aut fugiendum.

Secundò probatur, quia eadem regula est causa obliquitatis & rectitudinis actionis, quæ fieri nequit nisi dependenter à regula, quia v.g. syllogismus artificiosus fieri nequit nisi dependenter à regula, quæ sit causa rectitudinis illius, si illi conformetur, obliquus erit, si non sit ipsi conformis, neque enim medium dari potest; quod idem videmus in actionibus artificiosis, quæ idcircò quando vitiosæ sunt, dicuntur nihilominus praxes, quia sunt regulabiles ab arte, & fiunt dependenter ab intellectu practico applicante regulas, à quibus tamen dissentiunt isti actus, vti docet Gilli. *lib.* 1. *tract.* 5. *cap.* 2. *n.* 10. Cùm igitur nulla sit actio humana, cuius rectitudo à regula rationis tanquam à causa non pendeat, ab eadem quoque regula pendebit eius obliquitas. Confirmatur, quia rectitudo, & obliquitas actionis pendet causaliter ab eo, à quo potentia determinatur ab bene operandum; quia cùm potentia sit indeterminata & indifferens ad bene vel malè operandum, non poterit ad illam vt ad causam propriam rectitudo & obliquitas actionis referri: Atqui voluntas determinatur immediatè ad bene agendum à iudicio practico & regula rationis dictante, & præscribente modum agendi; rectitudo igitur operationis est à ratione; ergo & obliquitas, quæ est recessus ab eodem termino ad quem rectitudo accessus est, vti diximus alias. 76

Tertiò hic applicanda est ratio & doctrina in prima propositione adducta, natura enim quæ est tantùm in potentia, & non actu determinata, nihil quà talis est, habet actu sibi conforme, aut actu sibi contrariũ, præter actum ad quem est in potentia, nec quidquam præter eum determinatè appetit, & immediatè, consequenter autem & remotè quæ sunt actui illi consentanea, vt materia prima, quatenus est ignis inchoatè & in potentia, nihil appetit præter actum & formam ignis, & consequenter quæ sunt igni contraria, non sunt huic materiæ contraria, nisi confusè, remotè, & mediante forma ignis; prius enim formam ignis appetit, & mediante forma ignis locum superiorem: idcircò sine forma ignis non est illi contrarium esse deorsum, aut conueniens esse sursum, quia determinatus appetitus certæ ac determinatæ perfectionis est à determinato actu, vti explicuimus. At verò natura rationalis præciso omni iudicio rationis, est vti ostendimus *ibidem* indeterminatissima, & quasi in pura potentia ad omnem actualem determinationem, nec est rationalis, nisi in potentia, & consequenter nihil determinatè appetit appetitu innato, præter actum rationis, neque quidquam aliud ei consentaneum, aut dissentaneum est, immediatè, sed mediante tantùm actu rationis dictantis, quid appetendum, quid fugiendum sit, & vti sæpiùs monuimus, eâ lege sublatâ, positis etiam reliquis omnibus, nulla actio est mala & dissentanea naturæ. Confirmatur primò ex eo 77

quod iam docuimus naturam rationalem non esse regulam formalem ac legem, sed solùm radicalem, alioquin esset ex se naturáque suâ determinata ad benè agendum, nec peccare posset; lex enim agendi est determinatio potentiæ, aut certè id quo determinata est ad certo modo agendum. Si ergo natura est sua lex, non magis potest à lege quàm à se discedere, essétque vnica tantùm lex, quod pugnat cùm S.Thom. 1.2 *q.94.art.*1. Malitia igitur cùm sit dissonantia cum lege formali & regula, habet pro termino proximo iudiciũ rationis rectæ, non ipsam naturã rationalem.

Confirmatur secundò *ex q.*1 *consect.* 1. vbi diximus nihil esse malum, nisi quia prohibitum: cùm prohibitio igitur & lex faciunt malitiam, neque idcircò dicuntur aliquæ actiones esse intrinsecè malæ, quia aut numquam sine malitia fieri possunt, aut sine iudicio rationis malæ sunt, quia si fierent indeliberatè, aut à conscientia inuincibiliter errante, malæ non essent, sed quia seclusâ eiusmodi ignorantiâ, & inculpabili errore, necessariò malæ sunt; cum dependeant a lege naturali, quæ mutari nequit, cùm aliæ leges mutari aut abrogari possint, atqueadeò quæ per illas prohibentur, sine malitia fieri etiam a sciente; inde enim oritur vulgaris illa distinctio eorum quæ ideò mala sunt, quia prohibita, & eorum quæ prohibita sunt quia mala. Quæ distinctio sumitur ex ordine ad legem positiuam, quæ ex superioris arbitrio pendeat: hoc enim iure tantùm spectato, quædam mala sunt quia prohibita, vt non ieiunare, quod sublatâ lege malum non esset: alia verò ideò prohibita sunt quia mala, omnia nempe quæ contra legem naturalem pugnant, idcircò enim lege positiuâ prohibentur, quia iam mala sunt, non autem mala sunt, nisi quia iure naturali prohibita, vti fuit expositum loco adducto: quomodo verò ratio errans possit esse regula, & lex quod hic quæri posset, & vnde aliqui contendunt ipsam naturam esse legem, non actionem rationis, eo quòd lex nunquam erret, commodiùs disputabitur inferiùs.

Consectarium I.

Quid sit actio secundum esse natura, & secundum esse moris.

78 Plurima consectaria ex longiori ista disputatione colligi possent, pauca tamen indicabo, alia enim faciliùs in cæteris quæstionibus expendentur. Primum igitur colligo, quid ferat vulgaris illa distinctio actionis in esse moris & esse naturæ. Nam esse naturæ conuenit actioni humanæ spectatæ cum ordine ad proprium obiectum à quo specificatur, præciso omni ordine ad rectam rationem, vt regulam v.g. accipere cibum, siue plus quàm par est, siue quantum satis est accipiatur; si inquam hæc actio consideretur solùm in ordine ad cibum, & sine respectu ad rationem dictantem, tantum cibi & non plus esse sumendum, est actio in esse naturæ: At verò esse morale conuenit in ordine ad rationem dirigentem, vt eadem actio libera sumendi cibi quantum, & quatenùs ratio sumendum præcipit, aut indulget, est actio in esse moris; vnde vides aliter specificari actionem in esse naturæ, & in esse moris, cùm sic habeat diuersa obiecta, diuersósque ordines sibi vt sic essentiales; hinc etiam fit vt esse naturæ præsupponatur ab esse moris, quod aduenit tamquam accidens naturæ physicæ actionis, non quasi illa prius constituatur in esse naturæ, quàm moris, cum simulatque producitur fit & moralis & physica simul, sed quia vnum esse est accidens alterius, vt apparet ex mutatione moralitatis, manente eadem entitate & naturâ physicâ actionis, quod iam sæpiùs monuimus, & denuò videbimus inferiùs.

Inde verò vlteriùs sequitur longè aliter diuidi actionem humanam in esse naturæ, quàm in esse moris. Prima enim illa diuisio petitur ex diuersis obiectis & materiis circa quas actio versatur absolute spectatis sine ordine ad rectam rationem, vt velle cibum sumere, & velle res aduersas sustinere, sunt duæ species actionis secundum esse naturæ, quia tendunt in diuersas materias. At verò velle plus cibi sumere, quàm par sit, & velle tantum capere quantum satis est, non sunt actiones secundum esse naturæ specie diuersæ, ideóque actus temperantiæ & intemperantiæ quoad genus naturæ spectati, non distinguuntur specie; habent enim sic idem obiectum & materiam, quantitas enim materiæ non mutat rationem formalem illius, actus item temeritatis, quâ quis sine causa legitima imprudenter morti se obijcit, & actus fortitudinis, quo quis idem ex causa legitima præstat, ipsámque mortem constanter appetit, eiusdem sunt speciei secundum esse naturæ. Diuisio verò actionis in esse moris fit per diuersos ordines ad rectam rationem dictantem quid quoquomodo faciendum sit: quare aliquando actiones quæ in genere naturæ sunt eiusdem speciei, differunt in genere moris, vt in actu temperantiæ, & intemperantiæ, temeritatis, & fortitudinis vides; illos enim ostendimus, non differre in esse naturæ, cùm tamen ad diuersas species morales pertineant. Hinc denique sequitur, bonum, & malum non esse differentias per se actus eliciti à voluntate, sed tantùm accidentia, quod fusissimè ex S. Thoma & communi sententia probat Montesino 1.2. *tom.* 1. *disp.* 27. *q.* 1. *tota*, contra Conrad. 1.2. *q.*19. *art.* 1. *&* *q.* 20. *art.* 6.

Consectarium II.

Moralitas nullam habet peculiarem causam effectiuam, neque proinde malitia, aut honestas, qua solo termino extrinseco variato mutantur.

Hoc consectarium necessariò colligitur ex natura moralitatis honestatis & malitiæ hactenus explicata; 79
diximus enim esse formalitates quasdam, quæ per respectus secundum dici explicantur, eò quòd connotent terminum extrinsecum, scilicet naturam rationalē remotè, proximè verò ipsam rationem actualem, cui consentiunt aut dissentiunt; atqui eiusmodi formalitates, respectus secundum dici, connotationes, & denominationes extrinsecæ nullam habent distinctam actionem, & causamà qua proximè & immediatè producantur, sed per positionem fundamenti proximi resultant, absque noua vlla actione; quæ absque noua entitate intelligi non posset; eiusmodi autem formalitates non sunt nouæ entitates, vti explicatum fuit, sed ipsamet entitas fundamenti producta, quæ cum re aliqua extrinseca comparata, aliter obijcitur intellectui, aliterque consideratur quàm si absolutè, & secundum se sola consideraretur, eò quòd ordinem dicat ad aliquem terminum extrinsecum: quod totum manifestum fit ex relationibus realibus prædicamentalibus, quæ non producuntur distinctâ actione à fundamenti & termini productione: Ideóque Arist. negat dari motum ad aliquid. Ratio est, quia non sunt entitates aliquæ distinctæ à fundamēto proximo, sed illud, sicut & terminum essentialiter includunt: licet enim terminus non constituat intrinsecè formã relationis denominantis subiectum relatum, ad illius tamen complementum per se, & essentialiter pertinet, tamquam aliquid extrinsecè terminans: ita vt quamdiu abest terminus, licet tota realitas relationis existat, incompleta tamen censeatur.

censeatur, neque actum referendi exerceat, neque subiectum denominet, ac proinde formaliter non existat; posito autem termino, & fundamento, statim sine vlla noua actione resultat relatio, non quoad entitatem, quæ tota prius erat, sed quoad formalitatem. Vnde sequitur, causam producentem entitatem relationis, non producere eam formaliter, sed eam solùm, quæ est causa rationis fundandi, aut vt alij nominant fundamenti proximi, quo posito statim resultat terminus, & consequenter relatio formalis, sicut è contrario poterit dari causa formalis relationis, quæ non erit causa eius entitatis, v. g. qui dealbat parietem, si nullus alius sit in mundo, producit totam entitatem relationis, & similitudinis per quam respicit alterum parietem album, vbi existet; non tamen producit formalitatem similitudinis: quia nondum ea similitudo est formaliter in pariete; qui verò deinde dealbabit alium, quia ponet id quod deerat ad complementum relationis formalis prioris parietis; erit causa relationis quoad eius formalitatem: Contingere igitur potest, vt influxus alicuius causæ terminetur ad aliquam entitatem, non tamen ad eius formalitates respectiuas, nisi ponat fundamentum proximum eiusmodi respectus, cùm formalitates respectiuæ non aliter producibiles sint, & nullam distinctam actionem ab ea, per quam ipsarum fundamentorum proximorum ponitur, terminent: dixi formalitates respectiuas, quia non existimo formalitatem absolutam seiungi posse in productione ab entitate, cui identificatur realiter, sed simul ab eadem causa & actione necessariò produci aut destrui. Ratio discriminis est, quia formalitates respectiuæ complentur per aliquod extrinsecum, cuius accessu, aut recessu producuntur aut pereunt.

81 Vnde soluitur vulgare argumentum, quod est causa formæ denominantis, est causa denominationis; atque ita quod producit albedinem, producit quoque album: quod igitur erit causa entitatis relatiuæ informantis, & denominantis subiectum, erit quoque causa ipsius denominationis, atqueadeò ipsiusmet formalitatis. Hoc inquam argumentum inane est, quoad formas relatiuas; potest enim aliquis esse causa formæ denominantis duobus modis, primò realiter tantùm, quatenùs forma est talis entitas, non autem quatenùs subiectum afficit & denominat, & tunc causa entitatis illius formæ, non erit eo ipso causa denominationis, cùm vt sic neque denominet, neque afficiat subiectum. Secundò potest esse causa formaliter, quatenùs est forma formaliter denominans, & afficiens subiectum, & tunc causa formæ, est causa formalis denominationis, v. g. qui producit albedinem in subiecto, est causa formæ formaliter denominantis, & afficientis subiectum, & consequenter non est tantùm causa albedinis, sed ipsius etiam albi; qui autem produceret albedinem extra subiectum, non esset causa albi vt patet, quia non produxerat formam albedinis formaliter vt afficit, & denominat subiectum: quoties autem formæ sunt absolutæ, aut saltem ita concipiuntur, non potest aliquid esse causa formæ, quin sit etiam causa formæ formaliter, vt forma est, & non tantùm certa quædam entitas; quando autem forma est relatiua, potest aliquid esse causa formæ, materialiter tantùm spectatæ, & non formaliter, quia ea formalitas non est, nisi posito extrinseco termino, vti fuit ostensum. Fallit itaque argumentum expositorium hoc loco, hæc formalitas, est hæc entitas: hæc entitas producitur ab hac causa: ergo hæc formalitas producitur ab hac causa. Fallit inquam, quia simili syllogismo probaretur distinctio realis relationis à fundamento; Sed hæc formalitas est hæc entitas relationis huius: ergo hæc entitas est separabilis à fundamento, ac proinde realiter distincta. Illa itaque propositio, hæc formalitas est hæc entitas, distinguenda est; hæc entitas enim nō est hæc formalitas nisi specificatiuè, nō reduplicatiuè siue hæc formalitas, vt formalitas est, non est sola hæc entitas, sed aliquid aliud addit, nimirùm terminum extrinsecum quem respicit, à quo completur, & in ordine ad quem à nobis concipitur. Cùm itaque respectus secundum dici, connotationes & denominationes extrinsecæ intelligantur ad modum relationum, formalitates reales, quæ vel connotationes sunt, vel respectus secundum dici, & denominationes extrinsecas proximè fundant, nullâ peculiari actione distinctâ à productione fundamenti proximi exurgent. Deinde poterunt produci ab aliqua causa materialiter, entitatiuè & specificatiuè; quamuis ab eadem non pendeant formaliter & specificatiuè. Tertiò sequitur, quoties plures eiusmodi formalitates in eadem indiuisibili entitate reperiuntur, non pendere tamen necessariò à singulis causis, quæ illam entitatem producunt, quamuis indiuisibili actione producant, sed singulæ pendent ab eo agente, cuius peculiarem agendi modum, & causalitatem præcisè connotant, quod sapienter obseruauit Curiel. *1.2.q.79.art.1.§.7.* v.g. vitalitas actus non est formaliter à Deo, aut habitu, aut specie; quamuis hæ omnes causæ indiuisibiliter ad actionem vitalem concurrant, eò quòd vitalitas essentialiter connotet principium intrinsecum vitale, se ipsum mouens & perficiens per eiusmodi actum: formaliter igitur vt vitalis, non est à Deo, aut habitu; vitalitas tamen denominatio quædam realis est, & nihil affert distinctum ab entitate actionis, quæ tota est à Deo, & ab habitu atque ab obiecto, sicut à potentia & principio seipsum mouente & perficiente per eiusmodi actum: vnde etiam sequitur relationem per quam actus vitalis respicit formaliter, & vt talis est, principium à quo vitalitatem accipit, seu à quo vitaliter dependet, non esse à Deo aut habitu formaliter, & vt relatio est, quia cum vti iam diximus, relatio non producatur actione distincta ab actione productiua fundamenti proximi, si fundamentum non ponatur ab aliqua causa, neque etiam relatio inde resultans, ab ea causa ponetur; atqui vitalitas actus quæ est fundamentum proximum relationis, per quam actus vitalis formaliter respicit principium vitale, non fit à Deo, neque ab obiecto; ergo neque relatio ex vitalitate resultans. Vnde tamen non sequitur in actu vitali esse aliquam realitatem, aut gradum entis, qui non pendeat realiter à Deo, & obiecto, atque aliis causis, in totam entitatem actus, cui omnes illæ formalitates realiter identificantur, influentibus: Sic conclusio falsa ex præmissa vera & falsa deducta, non habet falsitatem, nisi ex ordine ad præmissam falsam; ab vtraque tamen pendet entitatiuè tamquam ab efficiente aut dirigente. In tractione nauis a pluribus tarditas motus non est, nisi à virtute debili, vti aduertit Bussolis *in 2. distinct. 37. quæst. vnic. art. 3.* Et tamen tota tractio quoad entitatem est indiuisibiliter ab omnibus trahentibus; neque tarditas, aut velocitas est modus aliquis entitatiuè distinctus à tractione & motu: sed ipsæ partes motus eædem prout breuiori, aut longiori tempori respondent. Item eadem tractio potest esse bona per ordinem ad vnum trahentem, & mala per ordinem, ad alium ex diuersitate finium, quos sibi præfigunt, licet tota entitas sit ab vtraque trahente. Obliquitas quæ est in motu claudicationis, nihil est distinctum ab hoc numero motu, qui totus secundum omnem suam entitatem prodit à virtute motrice tibiæ insita, & à Deo, & tamen neque Deus, neque virtus motrix est causa claudicationis,

obliquitatis, & motus deficientis; eum enim defectum rectè S. Thom. 1.2. *quæſt. 79. art.* 2. in ſolam tibiæ curvitatem reiecit & Auguſtin. *lib. de perfectione iuſtitiæ aduerſus Cæleſtium cap. 2. Ipſum ſanè vitium quo claudicat homo nec pes eſt, nec corpus, nec homo, nec ipſa claudicatio, quæ vtique non eſt, quando non ambulat, cùm tamen inſit vitium, quod ſit claudicatio, quando ambulat.* Vitium igitur ex Auguſtin. eſt cauſa claudicationis, non pes, aut corpus, aut homo, quæ tamen ſunt cauſæ motus claudicationis vt patet: idem in monſtri productione oſtendit Maſcaten. *diſp. 1. de gratia part. 3. num.* 10. quamvis enim cauſa impediens & impedita ſimul concurrant, ad vtramque tamen omnia quæ ſunt in effectu referri non debent, ideóq; in vniuerſum docet, poſſe dari plures cauſas principales eiuſdem effectus; quando in eo dantur rationes diuerſæ, propter quas reſpiciat diuerſas cauſas, quia licet hæ rationes ſint tantùm metaphyſicè diſtinctæ, veræ tamen ſunt; idque oſtendit contingere in actu ſupernaturali, cuius Deus, & voluntas ſunt cauſæ principales totales ſecundum diuerſas actiones. Denique denominatio liberi in effectu, ita dicit ordinem ad voluntatem creatam à qua prodit, vt hanc rationem liberi non ſortiatur ab vlla alia cauſa, licet ab ea totam ſuam entitatem accipiat. Maneat itaque entitatem pendentem ſecundum ſe totam & indiuiſibiliter à pluribus cauſis, non pendere ab omnibus illis & ſingulis ſecundum omnes formalitates ſibi realiter identificatas, ſi præciſè & formaliter conſiderentur, ſed tantùm materialiter, quoties eæ formalitates peculiarem agendi modum, certæ alicuius cauſæ connotant: ideóque ſapienter aduertit Caietan. 1.2. *quæſt. 79. art.* 1. In reſolutione effectuum ad cauſas non conſiderari diſtinctionem rei, ſed rationem rei: quod idem contingit quoties eæ formalitates, ſunt aut fundant reſpectus ſecundum dici, tunc enim eæ formalitates non fiunt neceſſariò ab eadem cauſa, quæ entitatem cum qua identificantur, producit. Quartò denique illæ omnes formalitates reſpectiuæ immutatâ entitate rei cui identificantur, & per ſolam mutationem termini extrinſeci, quem connotant, & ad quem ordinem dicunt, mutantur, accedunt, & recedunt, vt in ipſis relationibus realibus videmus.

82 Ex quibus manifeſtum fit noſtrum conſectarium, nimirum honeſtatem & malitiam, quas diximus eſſe formalitates quaſdam fundantes reſpectus ſecundum dici, non produci actione diſtincta ab ea, à qua ponitur entitas ipſius actionis honeſtæ aut turpis, ſed poſito fundamento proximo honeſtatis & turpitudinis, quod quartâ difficultate fusè deſcripſimus eas neceſſariò exurgere. Secundò eam omnem cauſam quæ ponit entitatem actionis honeſtæ & malæ, non ponere formaliter ipſam honeſtatem & malitiam, ſed eam ſolùm, quæ fundamentum proximum eiuſmodi formalitatum producit. Tertiò aliud eſſe ponere malitiam & honeſtatem entitatiuè & ſpecificatiuè, aliud formaliter & reduplicatiuè: primum enim facit cauſa quælibet ponens entitatem cui iſtæ formalitates realiter identificantur: ſecundum ſolùm ea cauſa quæ ponit id, ex quo proximè neceſſariò reſultat ea formalitas, & ſubiectum formaliter denominat. Quartò mutato ſolo aliquo extrinſeco, mutari moralitatem, fierique actum non moralem, ſi deſit libertas, aut non bonum aut malum pro mutatione dirigentis rationis, aut legis præcipientis, aut prohibentis.

CONSECTARIVM III.

Cur Deus non ſit cauſa malitiæ, licet ad totam entitatem actionis malæ concurrat.

Hanc quæſtionem quæ diu Theologorum ingenia exercuit vt conſtat ex variis ipſorum reſponſionibus quondam à nobis 1.2. fuſiſſimè expenſis & reiectis, quaſque hoc loco adducere non vacat, licebit facilè & perſpicuè, niſi fallor, ex doctrina proximè tradita explicare. Moneo dumtaxat nihil omninò intereſſe quod malitia conſtituatur in priuatione aut in aliqua formalitate poſitiua, quandoquidem ne ipſa quidem creata voluntas producit hanc priuationem, niſi quatenus elicit actionem poſitiuam ex qua ſequitur talis priuatio, ad quam actionem totam æquè concurrit Deus atque voluntas creata; cur igitur non eſt eodem modo cauſa malitiæ & peccati. 83

Reſp. igitur Deum non eſſe cauſam malitiæ, quia non eſt cauſa fundamenti proximi ex quo neceſſariò reſultat malitia, ſiue ea ſit priuatio rectitudinis debitæ, ſiue formalitas quædam relatiua ſuperiùs explicata, quod oſtendo.

Primò perſtante eodem diuino influxu in eandem actionem, illa ex bona poteſt fieri mala abſque vlla ſui mutatione intrinſeca: ergo per influxum primæ cauſæ non ponitur proximum fundamentum malitiæ: illa enim tunc neceſſariò exurgeret, neque eam Deus impedire poſſet; ſicut neque poteſt impedire, ne poſito fundamento proximo ſubiecti & termino exurgat relatio: deinde fieri nequit, vt idem actualis concurſus continuetur, & non ſequatur idem effectus; neque habemus euidentiùs, certiúſque ſignum, aliquem effectum non eſſe ab alicuius cauſæ influxu, quàm ſi permanente eodem influxu, non ſequatur tamen idem effectus, cùm concurſus actualis ſit ipſum fieri effectus, implicétque contradictionem eſſe idem fieri, & non eſſe idem quod fiat; fieri enim & res quæ fit, aut non diſtinguuntur aut non niſi modaliter, quod fieri ſit modus rei productæ, modum autem ſine modificato exiſtere implicet contradictionem. Si igitur perſtante eodem diuino concurſu actio intrinſece immutata, ex bona fiat mala, certum eſt, neque eius fundamentum poni per diuinum concurſum; hoc autem contingere facilè oſtenditur; poteſt enim amens aliquid turpe velle, & deinde illuceſcente ratione in eadem voluntate permanere, aut ex deliberatione obiectum inhoneſtum appetere, & factus amens perſeuerare in eadem volitione. In quibus caſibus eadem actio ex non mala fieret mala, & ex mala non mala: Immò, ſi ex conſcientia inuincibiliter errante operaretur, aut ſi continuaret opus poſt ipſius prohibitionem, quod ante ipſam inchoarat, eadem actio ex bona fieret mala: atqui Deus eodem modo concurret ad iſtas omnes actiones, & eodem atque immutato influxu quo concurrebat, antequam ex non malis, aut etiam bonis fierent malæ, vel è contrario: non enim poteſt concurſus cauſæ mutari, ſine aliqua mutatione intrinſeca in effectu, qualem tamen mutationem nullam eſſe ſupponimus hoc loco, ſed ſolam extrinſecam ratione libertatis aut prohibitionis. 84

Secundò, fundamentum proximum malitiæ in actione voluntatis creatæ, eſt libertas illius actionis; atqui Deus non eſt cauſa cur actio liberè fiat à voluntate creata; ergo non ponit fundamentum malitiæ. Hanc rationem, quæ à priori eſt, placet paulò fuſiùs illuſtrare. Atque imprimis rationem liberi eſſe primam & immediatam cauſam malitiæ in actione humana facilè intelliges, ſi eandem humanam actionem duo- 85

bus

bus modis consideres; id enim sæpiùs, atque hoc loco maximè repetere cogimur. Primò absolutè, physicè, in esse naturæ, & extra genus moris; quo modo non habet quidem honestatem, sed neque malitiam; carentia enim honestatis, quæ in eiosmodi actione est, est mera negatio, & non priuatio perfectionis debitæ subiecto; quia honestas non est illi actioni vt sic debita, neque consonantiam aut dissonantiam tunc habet cum recta ratione, ad quam tunc non comparatur, neque vt sic dicit vllum ordinem: Et quamuis qui producit formam aliquam, simul sit causa omnium negationum, quæ ab illa, quatenùs talis est, oriuntur, vt qui producit hominem est causa negationis quatuor oculorum, & alarum, atqueideò qui producit actionem humanam physicè, & in esse tantùm naturæ, vltra omne genus moris spectatam, sit causa omnium negationum quas vt sic habet, atqueadeò carentiæ honestatis; non est tamen causa aut priuationis honestatis, aut dissonantiæ cum ratione, in quibus moralis malitia consistit, quia tunc neque ei debetur honestas, neque consonat aut dissonat rationi, à cuius ordine omninò præscindit. Secundò consideratur actio humana in genere moris constituta, & vt ipsi debetur perfectio conformitatis cum recta ratione, & dissonantia cum eadem ratione, ei mala est; atqui ratio per quam constituitur in genere moris & dirigibilis a recta ratione, est quia humana & libera est, tunc enim mera illa negatio transit in priuationem, & ordo positiuus ad obiectum positiuum, est positiuè dissentaneus rationi à qua tunc dirigitur; malitia enim moralis est vel priuatio perfectionis, vel disconuenientia actionis cum ratione, non secundum esse naturæ actionis, alioquin sine libertate mala esset, sed moraliter, quatenùs obligatur sequi legem rationis dictantis aliquid esse faciendum, aut omittendum; at verò ante rationem liberi nulla est lex dictans aut dirigens actionem immediatè, neque obligans ad certum agendi modum; & ratione liberi primum positâ, ponitur quoque regula directiua, & obligatio sese illi aptandi; liberum enim est quod fit à principio intrinseco deliberante & dictante practicè modum agendi, & consequenter ad ita, sicut dictat, operandum obligante. Quare positâ primum ratione liberi, debetur actioni humanæ conformitas cum recta ratione; idcóque ante lucem rationis nulla est libertas; & nisi ratio amabilitatem aut repudiabilitatem obiecti repræsentet nulla est libertas, vt videmus in motibus indeliberatis & primò primis, & nisi accedat imperium aut lex eiusdem rationis, ita libera voluntas circa amabilitatem & repudiabilitatem obiecti sibi repræsentatam, vt non teneatur potiùs ad vnam quam ad aliam: neque quidquid eligat potiùs aberrare à ratione, quàm illi consentire dici queat. Vt igitur eius actio mala sit, & difformis rationi, exigit pro proximo fundamento legem rationis, & libertatem voluntatis, siue actioni tunc debetur conformitas cum ratione, quando humana & libera est. Ea igitur erit causa propria malitiæ, quæ erit causa cur actio humana libera sit & humana, quia proxima ratio, fundamentum, & causa immediata ex qua resultat formalitas malitiæ est ratio liberi; quisquis igitur est causa adæquata liberi formaliter quà liberum, est causa adæquata malitiæ moralis; qui verò non est causa liberi in actione humana, etiamsi ad eam concurrat, non erit tamen causa malitiæ, quæ non producitur nisi per actionem productiuam sui fundamenti, quod non ponit qui non est causa cur voluntas in ea actione liberè aberret à voluntate dirigente. Et sanè cùm iam sæpiùs ostenderimus accedente, aut pereunte libertate, accedere aut perire malitiam, etiamsi idem obiectum omninò, eadémque entitatiuè actio perduret, quod signum est vltimam rationem & proximam fundandi malitiam, esse libertatem actionis.

86 Secunda propositio nostra erat, Deum non esse causam cur actio humana & libera sit; quæ probatur primò, quia Deus eodem modo concurrit ad actionem creatæ voluntatis siue libera siue non libera sit, vti paulò superiùs ostendebamus, ergo suo concursu non est causa, cur ea libera sit. Secundò, quia quamuis certum sit determinationem formalem voluntatis, quæ est actus quidam elicitus esse à Deo, vti & alia omnis entitas; quod tamen voluntas ad hanc potiùs quàm ad aliam determinationem elicitam, siue ad primum suum actum sese determinet, ab eius libertate est, & non à Deo, qui proinde ad causalem determinationem voluntatis non concurrit, quod ex huius determinationis causalis natura facile intelligetur; illa enim nequit esse actus aliquis; quæreretur enim, per quid sese determinet ad illum primum actum voluntas, quæ ante omnem actum sese applicare ad hanc potiùs quàm ad aliam volitionem intelligi omnino debet; primus enim ille actus qui entitas quædam est, liberè efficitur à voluntate, itavt ab ea omitti potuerit, & sit omninò contingens. Debuit igitur ad eum determinari voluntas priùs naturâ quam eum eliceret; est siquidem inintelligibile, effectum prodire ab agente priùs naturâ indifferenti & indeterminato actualiter, neque, vt olim 1. *part.* S.Thom. fusiùs demonstrauimus, indeterminatio potentialis cum determinatione actuali pugnat, immò perpetuò in omni entitate effectus contingentis simul reperiuntur. Hæc igitur determinatio causalis, quam ita nominamus, quia in causa libera ante omnem determinationem formalem reperitur, nihil aliud esse fingi potest, quàm ipsamet causæ liberæ entitas in actum primum, qui deinde rationem habet formalis determinationis, ita erumpens, vt possit illum cohibere, aut alium oppositum elicere; si enim esset aliquid distinctum, vel esset aliquid ab ipsa prodiens, vel aliunde aduenient; si primum, vel liberè manabit à potentia, & tunc redibit eadem quæstio de determinatione potentiæ ad hanc liberam entitatem, vel necessariò fluet à voluntate, & tunc actus eam consequens liber non erit; si verò aliunde adueniat, vel necessariò imprimitur, quia voluntas nequit resistere, & tollitur libertas; vel liberè, & tunc opos erit aliquâ actione libera potentiæ, de qua redibit eadem difficultas. Est igitur ipsa entitas voluntatis, quæ eadem manens, & physicè immutata, potest rendere in opposita; & sicut omnis causa necessaria vbi completa est in actu primo, determinatur ad agendum sine vlla sui mutatione, vt vides in agentibus transeuntes; ita & causa libera se flectit ad opposita pro arbitrio, & modò ad vnum primum actum se determinat, modò ad alium sine vlla sui mutatione, & vult quia vult, seu quia se determinat ad volendum. Hæc enim prima determinatio est causa primæ volitionis formalis: In actibus verò supernaturalibus non se applicat ad agendum, nisi vbi per gratiam confirmata, & frustrà aliqui verentur vt Pelagio faueant, si hanc determinationem causalem ante omnem formalem admittant; nam hæc determinatio causalis supponit causam liberam completam, & in actu primo constitutam ad agendum, quod non habet respectu actuum supernaturalium nisi beneficio gratiæ, tunc autem post se actionem vel non actionem determinat, & sanè indifferentia in qua omninò ponenda est libertas, est formaliter in potentia, & causa,

& non in effectu seu actu, qui ab illa tanquam principio indifferenti egreditur, nisi denominatiue & extrinsecè; Ille enim actus quamdiu est, non potest non esse, nisi illum voluntas abiiciat, sed quia eum voluntas ponit, aut non ponit, conseruat, aut abiicit, libera dicitur ab ea potestate sibi intrinseca; quæ deinde denominatio refunditur in actum, & illum extrinsecè denominat. Nostra igitur voluntas se determinat ad volendum obiectum, quia vult liberè, & illud, *quia vult*, non importat priorem aliquem actum & volitionem, vt optimè notat Ponc. *in disput. select. quæst.6. capit.5.* alioquin primum velle produceret velle, & abiretur in infinitum; & cùm respondetur velle voluntatem, quia vult, magis excluditur causa, inquit Aureol. *in 1. dist. quæst.7. artic.1.* & quæstio repellitur, quàm causa datur, quæ quærenda non est; neque alia reddi potest, quàm quia ille actus est in dominio voluntatis, quæ illum posuit cum posset non ponere: sic Ansel. *lib. de casu Diaboli cap.27.* quærenti Discipulo de voluntate creata: Cur ergo voluit, respondet, non nisi, quia voluit: nam hæc voluntas nullam aliam habuit causam quâ impelleretur aliquatenùs, aut abstraheretur, sed ipsa sibi efficiens causa fuit, si dici potest effectus. Cùm igitur Deus non sit causa cur voluntas velit actionem à recta ratione aberrantem, sed ipsa liberè eam ponat, & quia se ipsa determinat ad malum independenter à Deo, vt ait Pesant. 1. 2. *in quæst.79.* determinatione causali, ea qua prodit determinatio formalis, quæ est ipsissima mala actio; statim apparet non poni à Deo fundamentum proximum malitiæ, quòd est libertas in actione creata, siue libera determinatio ad eam actionem malam, & rationi dissonam: quandoquidem ea determinatio non est aliqua entitas, distincta à voluntate & actione ipsius, sed ipsa voluntas ponens actionem quam posset non ponere, Deus autem non facit vt ponat; vti diximus.

87 Dices, Deum esse causam liberam malæ actionis ad quam concurrit. Resp. Deum quidem liberè vnà cum voluntate creata elicere actionem malam; nego tamen malitiam oriri ex eo, quod Deus libere ad illam concurrit, sed solùm qua voluntas creata eam volendo, liberè aberrat à recta ratione talem actionem prohibente. Deus autem non facit vt voluntas eam dissonantiam velit; & quamvis ipse quoque eam non velit, non tenetur tamen impedire ne voluntas eam ponat, quandoquidem ipsa eam liberè vult: immò concurrendo liberè ad actionem quam vult voluntas, operatur Deus consentaneæ rationi, & iudicio à quo regitur, quia dictat conueniens esse naturæ primæ causæ, vt concurrat cum secundis, quoties id ipsæ exigunt, & non desit in necessariis; non enim est conueniens, vt faciat contra naturam quidpiam, & Deus est quidem causa libera huius actionis, non tamen est causa eius quâ formaliter libera est, ac proinde, neque quatenùs est formaliter mala.

88 Huic sententiæ subscribunt PP. primò dum dicunt peccati causam esse solam malam voluntatem, cuius causa alia non est quam ipsamet eiusque defectibilitas. Ita fusè Augustin. *lib.12. de Ciuitate cap.6.7.8.& 9.* quo postremo loco sic habet. *Mala voluntatis efficiens naturalis, vel si dici posset essentialis, nulla est causa, ab ipsa quippe incipit spirituum mutabilium malum.* & *cap.6.* dixerat: *Mala voluntas efficiens est, mali operis, mala autem voluntatis efficiens est nihil. lib.11. de Genesi ad litter. c.9.* de malis spiritibus loquens ait, *à se quippe habent voluntatem malam lib.2. de nupt. cap.28. lib. de duab. anima. cap.10.11.12.* & *in psalm.68. ad illa verba: non est substantia*, atque alibi sæpiùs; neque dissentiunt eius Discipuli Fulgent. *lib.1. de monim. cap.26. lib. de Incarnat. & gratia Christi, capit.20.* Prosper. *ad 5. obiection. Vincent.* Consentiunt cæteri PP. Ambros. *lib.2. de Cain, & Abel, cap.7. Tu princeps operis tui, tu dux criminis tui.* Epiphan. *hæres.24.* ab homine incepit ille malum: *Per nos enim fit, & per nos nunquam fit, pro eo quod omnis homo potest non facere malum, & possit facere malum, cùm quidem fecerit, est malum, cùm verò non fecerit, malum non est.* Secundò, idcircò negant PP. Deum esse authorem malarum actionum, quia fiunt à libero arbitrio. Prosp. *ad obiect.13. & 16. Vincent. si qui à pietate deficiunt, non ex Dei opera, sed ex sua voluntate deficiunt, neque impelluntur vt cadant, neque eiciuntur vt deserant, casuri autem & recessuri ab eo, qui falli non potest, præsciuntur.* Chrys. *hom.13. in epist. ad Roman. Voluntas quidem per se naturaliter insertа, atque ex Deo est, quod verè talis, nostrum est atque ex nostra sententia natum.* Et *homil.8. in 2. ad Timot. cap.4. Non ex sola ipsius voluntate fiunt omnia, sed ex nostra quoque, mala omnia ex nostra tantummodo fiunt. Bona. Omnia ex nostra voluntate & ipsius adiutorio*, Leo *serm.8. de ieiunio septimi mensis*, exponens illud *Eccles.18. Post concupiscentias tuas non eas*, ait. *Nos ab illa auocari voluntate, cuius ortus ex nobis est, & ideo mala pronunciatur, quia nostra esse conuincitur.* Eadem habet Hieron. *in illud Isa.58. Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra.* Tertullian. *Exhortatione ad Castit. Iam in nobis est voluntas eligendi alterum.* Vnde infert. *Et ideò non debemus, quod nostro expositum est arbitrio, in Dei referre voluntatem, qui vult ipse & velle, qui malum non vult: Ita nostra est voluntas cum malum volumus aduersus Dei voluntatem, qui bonum vult*, Denique Conc. Arausican. 11. *can.23. Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt quod Deo displicet.* Tertiò inde fit, vt iidem PP. dicant non esse opus diuinâ potentiâ ad peccandum. Hieronym. *dial. 1. adu. Pelagian.* Augustin. *lib. de gestis Pelagij, cap.3.* id probat, quia sufficit sibi oculus ad non videndum *in Enchirid. cap.6.* exemplo Adami se occidentis, non condentis, *lib.2. de peccator. merit. cap.19.* negat iuuari homines ad se extollendum, cùm propria id faciant voluntate, & *cap.5.* diaerat, ad peccandum non adiuuamur à Deo, sicut corporis oculus non adiuuatur à luce, vt ab eadem luce clausus, auersusque discedat. Eadem habet *serm.13. de verbis Apostoli* Prosper. *lib.2. de vocatione cap.12.* alias 4. Fulgent. *lib.1. ad Mon. capit.24.* Anselm. *lib. de libero arbitrio & gratia capit.11.*

Quartò hîc pertinet non absimilis loquendi modus, quo negant PP. motum auersionis à Deo, esse ab illo. August. *lib.3. de libero arbitrio, cap.1. Quid opus est quærere vnde iste motus existat, quo voluntas auertitur ab incommutabili bono, ad commutabile bonum, cum eum non nisi animi & voluntarium, & hoc culpabilem esse fateamur.* Similia habet *lib. de spiritu & littera cap.31.* & *lib.12. Confession. cap.11. Hoc solùm à te non est, quod non est, motusque voluntatis à te qui est, ad id quod minus est, quia talis motus, delictum, atque peccatum est.* Quibus omnibus loquendi modis cùm PP. negant malam voluntatem, & concupiscentiam, motum auersionis à Deo, atque actus peccaminosos esse à Deo, sed solùm à nobis, loquuntur de ipso actu materiali, & substracto malitiæ, non de ipsa malitia, quæ vt ostendi *superiori consectario* à nullo est, nisi actus à quo resultat, qui ab aliquo est; Negant ergo PP. actum malũ esse à Deo, sed à nobis tantùm, quia liberè fit à nobis: quæ ratio subsistere nequit, nisi quia voluntas creata, liberè ad volitionem malam, quæque est eius formalis determinatio, sese determinat independenter à Deo, cuius rapit quodãmodo cõcursum, quique voluntate antecedente contrariã volitionẽ bonã vellet, & ad quã hortatur,

hortatur; & tantùm voluntate quâdam consequenti atque inuitus quodammodo concurrit ad actionem, ad quam se determinat voluntas ex se ipsa, quæque mala non est, nisi quia ad eam voluntas se liberè determinauit; si enim cum eodem diuino concursu posita fuisset ab amente, non fuisset mala: quò etiam referas, quod passim docent PP. vnicum peccati fundamentum esse nostram libertatem, cùm dicant ideò tantùm homini imputari culpam, quia liber est, illorum loca dabit Ruis. *disp. 38. de voluntate Dei, sect. 3. & sequent.*

89 Hunc eundem modum tuendi diuinam sanctitatem circa concursum ad actum malum ex libertate humanæ voluntatis, & eius indeterminatione ad volitionem malam, quæ est determinatio eius formalis, videtur mihi non obscurè indicasse veteres Scholastici. S.Thom. *in 2. dist. 34. q. 1. art. 3.* ait, agens naturale quia ex sua natura determinatum est, non posse esse causam actionis inordinatæ, nisi ex ipsomet procedat aliquis defectus, quod necesse non est in voluntate, sed ipsa secundum se considerata illius defectus causa est, secundum quod ad aliquid creatum indebito modo conuertitur, se ipsam enim determinat, & huic vel illi adhæret. *lib. 3. contra gent. c. 10.* Irrationalia, quæ non agunt se ipsa, neque habent dominium sui actus, non posse exire à regula primi agentis, nisi quatenùs propter indispositionem, rectitudinem primæ regulæ recipere non possunt. At verò rationalia, quia se ipsa agunt contra ordinem superioris, sibi ipsis posse inhærere. 1. 2. *q. 80. art. 1. ad 3.* Deus est vniuersale principium omnis inferioris motus humani, sed quod determinatur ad malum consilium, voluntas humana, hoc directum quidem est à voluntate humana, & à Diabolo per modum suadentis. Et *q. 1. de malo art. 3.* negat quærendam esse rationem, cur voluntas non velit regulam diuinæ rationis; ad hoc enim sufficit ipsa libertas voluntatis, per quam potest agere, vel non agere. Capreol. *in 2. dist. 28. q. vn. art. 3. ad 12. contra 2. conclusio.* approbat doctrinam Gregorij *ibidem*: vbi distinguit duplicem modum quo Deus nobiscum concurrit, vnus est generalis coëfficiendo cum voluntate, alter specialis faciendo vt voluntas velit, & illam veluti applicando; negat autem hic posteriori modo Deum concurrere ad productionem actus mali, quia non facit voluntatem agere actum malum, sicut facit eam agere actum bonum. Ea eadem voluntatis liberâ determinatione, atqueadeò independenter à Deo rationem peccati colligit apertè Conrad. 1. 2. *q. 9. art. 6. ad 3.* & *q. 80. art. 1. ad 3.* Ferrari. 3. *contra gent. cap. 10.* Albert. Magn. 1. *p. sum. q. 26. art. vltimo ad 2.* tunc ait incidere corruptionem boni, quæ est malum, quando causa secunda versibilitate suâ auertitur ab influentia causæ primæ quæ est bonitas, & tunc malum esse à causa secunda, non prima, explicat exemplo artis Architectonicæ, quæ influit cum manu secantis secare ad lineam rectam; si autem manus tremat, vel contracta sit, vel lignum sit nodosum, sic actio non fiet ad lineam rectam: Alens. 2. *p. q. 100. membr. 3. art. 6. §. 1. ad 2.* causam mali ait esse ipsam voluntatem, quæ se ipsa vertibilis est, & quod se ipsa vertitur in isto, & non in alio non est assignare causam à se ipso & §. 2. liberum arbitrium deficiens esse causam quare ipsi absit specialis Sol. Bonau. *in 2. dist. 34. art. 1. q. 2.* dicit voluntatem sine vlla superinducta dispositione præambulâ ad culpam, quia est domina sui actus, se ipsam conuertere ad quod vult, & sicut vult, atque ita peccare; sicut qui rectus stat, potest statim permittere se cadere; eadem est Scoti mens *in 2. dist. 37. q. vn. §. ad solutionem istorum obiectorum.* Gabriel. *ibidem*: aiunt enim totum impedimentum & defectum actionis malæ esse à voluntate creatâ; paratus enim erat Deus ad actum rectum concurrere, sed ad oppositum se determinauit voluntas. Dionys. Cisterc. *in 2. dist. 34. q. 3.* fuse id totum explicat quia Deus non facit voluntatem voluntariè agentem contra legem, neque physicè vt patet, neque moraliter, cùm neque iubeat, neque consulat Bacon. *in 1. dist. 49. art. 2.* voluntatem humanam esse causam determinantem difformium actuum præpositâ influentiâ generali Dei. Holcot. *in 2. q. 1. art. 4.* Deum non esse causam peccati explicat, quia ista causalis est vera, Deus vult Sortem peccare, quia Sortes vult peccare, & non è contrario. Maneat igitur causam propter quam ex diuino concursu ad actionem malam non sequatur malitia sapienter assignatam fuisse ex eo, quod ad eiusmodi actionem prius determinat sese liberè voluntas creata, & sola ponit totum fundamentum proximum malitiæ, & peccatum etiam materiale, ad quod formaliter vt materiale respectu malitiæ, nequidem concurrit Deus. Quo pertinet communis illa solutio de diuino concursu indifferenti, ea enim indifferentia consistit in eo, quod Deus neque ad speciem, neque ad exercitium actus determinet voluntatem, quæ liberè vult in actu exercito volitionem, cui videt esse annexam malitiam ad quam rapit diuinum concursum sibi per assistentiam diuinæ omnipotentiæ paratum, & vt loquitur Vega *lib. 2. in Trident cap. 15.* influxum diuinum in malum detorquet. Altissiod. *lib. 2. sum. q. vlt. tract. 15.* Deum agere inuitum, & quidquid fit ita à Deo posse esse malum, atque eam actionem esse mixtam, quia non est à solo Deo. Holcot. *loco citato* huc refert diuinas querelas. *Seruire me fecistis iniquitatibus vestris*: neque dum Deus ita agit, vti iam monui, quidquam facit contra rectam rationem, sed vtitur munere primæ causæ, quia non tenetur causæ liberæ ad malum sese ex seipsa determinanti negare concursum, vt docet Medina 1. 2. *q. 79. art. 2.* & Conrad. *ibid. art. 1.* & Gregor. *in 2. dist. 35. q. vnic. art. 3. ad 1.*

Dices, Deum aliquando ad actus malos saltem vagè determinare, quamvis relinquat libertatem circa singulos actus malos, quod videmus in damnatis, quibus Deus denegat omnem concursum ad actiones moraliter bonas, & solùm limitatum ad actiones malas exhibet, quamvis ad nullam in particulari determinet, quod nobis cum Molina quondam non displicuerat. 1. *p.* de Angelis. Verùm nunc hæc determinatio etiam vaga ad malum bonitati repugnare videtur. Et Damasc. *Dialogo adu. Manichæ.* ait, Deum Diabolo semper bona suadere: itaque causam obstinationis Dæmonum maluimus petere ab statu perpetuæ tristitiæ, in quo sunt, & substractione diuinæ gratiæ, quæ ad vincendas vehementes tentationes quibus excitantur ad malum necessaria est. Atque hæc pro instituto plus satis.

Consectarivm IV.

Cur Deus sit causa bonitatis moralis in actu.

Ratio difficultatis est, quia cum bonitas moralis 90
sit formalitas quædam respectiua, quæ nullam habet causam & productionem distinctam à causa & productione fundamenti proximi ex quo resultat, vti de malitia & omni moralitate in vniuersum dicebamus, nisi Deus concurrendo ad actionem bonam ponat fundamentum bonitatis, ad illam reuerà non concurret; atqui hoc fundamentum diximus esse libertatem, negauimúsque Deum ad rationem liberi in actu, concurrere, cùm non faciat vt voluntas creata velit, sed illa liberè vult aut non vult independenter

à Deo vti explicuimus consectario proximo: ergo Deus non magis concurrit ad fundamentum proximum bonitatis, quàm malitiæ moralis: quare non magis erit causa bonitatis quam malitiæ. Quod cum scriptura, PP. & ratione manifestè pugnat. Dicendum igitur est, Deum non esse causam honestatis & bonitatis moralis præcise, quatenùs concurrit ad actionem positiuam, sed quia eas actiones honestas vult atque prædefinit modo explicato 1. *p.* S. Thom. eas præcipit, & consulit, voluntatemque creatam suo tempore ad illas exercendas promouet, impellit & iuuat suis auxiliis congruis & affectibus. Et denique eâ intentione concursum illi præbet, vt eæ omnes actiones bonæ sint; ad actionem autem malam non concurrit Deus cum voluntate eâ intentione, vt peccet, sed ne ei desit in necessariis naturæ: vnde fit vt iure meritò Deus dicatur causa honestatis, non verò malitiæ ex dictis.

QVÆSTIO II.

Quisnam actus sit recta ratio definiens honestatem, & malitiam moralem, ac legem naturalem constituens, eiusque obligationem promulgans.

Status quæstionis eiusque explicanda necessitas n. 1.
Notationes ex Aristotele de variis animi partibus n. 2.
Duplex pars irrationalis n. 2. 3.
Pars animi rationalis. n. 4.
Quomodo eius actus sint principia agendi num. 5.
Prima propositio. Actio regulans humanam actionem est iudicium practicum n. 6.
Necessitas huius iudicij ad solam actionem humanam liberam n. 7. 8. 9. & 10.
Quis actus sit hoc iudicium practicum n. 11.
Non est vnus simplex actus n. 11.
Et maximè triplex, synderesis, prudentia, & conscientia n. 12.

1 HActenùs constituimus legem naturalem in recta ratione, quam etiam diximus malitiam & honestatem moralem definire, quæ est prima radix obligationis omnis naturalis, vti patet ex *q. superiori*; postulat verò doctrinæ methodus, vt explicemus quisnam tandem sit ille actus quem rectam rationem vocamus. An sit actus solius intellectus, an etiam includat actum voluntatis, an sit vnus actus simplex, an verò ex pluribus compositus, & quinam ex omnibus mentis actibus illum integrent, & si multiplex sit, singula illa explicemus: quod hâc & sequentibus quæstionibus fusè faciemus.

Aristoteles vbi quinque prioribus libris Ethicorum disputasset de virtutibus moralibus, ostendissetque in omni affectu & actione, optimum & laudabile atque honestum, siue id quod oportet τὸ ἐπαινετὸν, ἢ τὸ ἄριστον, ἢ τὸ δέον, esse medium, non defectum, aut excessum ὑπερβολὴν, & ἔλλειψιν, medium verò illud esse, quod recta ratio definierit, sibi deinceps de recta ratione eiusque natura ac definitione agendum esse dixit *lib.* 6. Cùm enim medium sit illud, quod in omni actione intenditur, & in quod quisque tamquam in scopum collimat, neque satis sit sagittario sagittam in scopum dirigere, nisi ipsum scopum norit, vt prout necesse fuerit arcum intendat aut remittat, manifestum fit, ad omnem actionem, necessariam esse medij cognitionem, quam assequi non licet, ignorato eius termino & regulâ, quæ est recta ratio. Omnes quidem consentiunt in omni arte medium seruandum esse, prout recta ratio iubet, non idcircò tamen, aut quid illud medium ex stat, aut quid faciendum ipsa sit norunt, nisi intelligant quidnam ipsa ratio præscribat in quolibet actione, & quid tandem sit ea regula, ad quam mediocritas siue terminus ὅρος iacet duo illa extrema parum, & nimium exigendus sit: v. g. ad curationem satis non est, si quis dixerit, ea adhibenda esse curando corpori, quæ medicina præscripserit, neque plus aut minus, distinctiusque explicare illum oportet, quænam sint illa salubria, quæque eorum vis ac natura. Neque igitur satis fuerit dicere, actiones nostras temperandas esse, prout recta præcipit ratio, sed inquirendum præterea est, quid sit recta ratio, quæ eius vis & natura, quis finis, quomodo ab illa tamquam termino definiantur singulæ actiones. Quæ omnia eodem iure postulant, vt de recta ratione, quam esse legem naturalem, & definite mediocritatem, atque ex ea progeminantem honestatem, hactenùs euicimus, paulò accuratiùs disputaremus, quod eiusdem Aristotelis vestigiis inhærentes præstabimus.

Notationes ex doctrina Aristotelis de variis animi partibus.

Supponit igitur Aristoteles tudem illam distinctionem partium animi, quam tradiderat *lib.* 1. *Ethico. extremo.* accuratior enim ad Animasticam pertinet, in partem rationalem, & irrationalem τὸ λόγον ἔχον, & τὸ ἄλογον, quæ partes non sunt inuicem separatæ κεχωρισμένα ἀλλήλων, vt corporis membra, & reliqua diuisibilia ac separabilia, sed reipsa sunt vnum & idem, verbo autem & definitione λόγῳ δὲ δύο, sunt duo, quemadmodum in eadem circuli circumferentia conuexum, & concauum, quæ cum re ipsa idem sint, nec possint disiungi, definitione tamen τῷ ὁρισμῷ differunt, cùm aliter concaua superficies, aliter conuexa definiantur; partem verò rationis expertem rursus duplicem facit Aristoteles: nam aut nihil omninò commune habet cum ratione, itavt ne illi quidem obsequi vel obluctari possit, aut rationis quodammodo particeps est, quia rationis imperium audire potest, prior illa est τὸ φυτικὸν, quod τὸ θρεπτικὸν ἢ αὐξητικὸν comprehendit, estque virtus, & facultas qua viuimus, nutrimur, & augemur, quæ communis est omnibus animantibus, non modò perfectis, sed etiam imperfectis, atque τοῖς ἐμβρύοις: plantis prætereà, & stirpibus atque omnibus quæ viuunt, vegetantur, & nutriuntur τοῖς φύλοις, ἢ τοῖς ζώοις, ἢ τοῖς τρεφομένοις. Hæc igitur facultas non hominis propria virtus est, cùm ratione tegi & institui nullo modo possit, eiusque operationes sint nobis cum plantis & stirpibus communes, quas nemo dixerit virtutis aut vitij participes. Ad hæc illius facultatis functiones maximè vigent in somno, quod etiam affirmant medici, teste Galeno *lib.* 1. *de symptom. causis cap.* 8. & Paul. Stegmeta. *lib.* 1. *cap.* 97. somno enim sopiti meliùs concoquunt quàm vigilantes, proptereà quòd calor, qui vigilantibus ab intestinis ad exteriora dispergitur membra, somno colligitur, & coit interius, quo necesse est optimam concoctionem ciborum effici propter abundantiam caloris natiui, qui plurimus intrò repit dormiente animali: ideòque dixit Hippocrat. *lib.* 6. *Epidem.* Vigilantem

lantem externis partibus calidiorem esse, interius frigidiorem. Si igitur ex nutrientis animæ facultate homo bonus aut malus existeret, talis diceretur in somno, in quo tamen improbus à bono secerni nequit; vnde peruulgata illa vox, nullum discrimen esse inter beatum ac miserum hominem in interuallo vitæ dimidio, hoc est eo vitæ tempore, quo aliquis dormit, quia somnus segnities quædam & cessatio est eius partis ac facultatis animæ, cuius ex actione solùm dici potest homo bonus, aut nequam, quò pertinent Plinij querelæ *lib. 7. cap. 50.* Et quamvis in dormientibus habitus inter se discrepantes sint, sapienter tamen respondet Eustrat. habitus non posse cognosci nisi ab operatione, ideóque in somno qui sensuum, intellectus, & habituum quies est, nullus aut probus aut prauus internoscitur habitus, sola enim tunc viget, agitque vis nutriens ac phantasia, quin & hæc perturbatè admodum agit atque confusè, nisi quis dicat, honestorum propterea hominum somnos meliores, quoniam diurni quodammodo motus ad somnos quoque se extendunt: vnde fiat, vt somniorum visa meliora sint in grauibus ac moderatis viris, quam in leuibus & flagitiosis; est quippe verisimile ex factis & cogitationibus antegestis manare ad vtrorumque animos simulachra longe varia vitæ dissimiliter actæ; quod affirmauit iterùm Arist. problem. 13. *sect.* 30. Cicero *lib. 1. de diuinat.* ex Platone, & Plutarch. in libello: *quomodo quis scire possit an in virtute profecerit.*

3 Altera animi pars irrationalis, quæ tamen particeps rationis est, ab illaque regi potest: est τὸ ὀρεκτικὸν καὶ ἐπιθυμητικόν in qua perturbationes & affectus concupiscentiæ, libidinis, & iræ resident, quod ostendit Arist. in continente & incontinente; videmus enim vtrumque mirificè distrahi ex ancipiti inter rationem & appetitum pugna. Sicuti enim qui paralysi laborant, dum in dextram connituntur partem, feruntur in læuam, quia luxata & dissoluta membra virtuti mouenti non parent, sic incontinentes cùm rationem audire volunt, cupiditatibus vecti abstrahuntur in vitium, eorum enim appetitiones rationis imperium non audiũt: nam semper ad optimas quasque res nos hortatur, & inuitat ratio, sed innatæ cupiditates illi reluctantur & obsistunt, & in homine continente vincit quidem ratio, eique cedit libido, contra verò in incontinente succumbit ratio, vincit libido; quamvis vterque velit ex ratione cupiditates frangere, ac vincere, quod est laudabile. Cùm hæc igitur facultas, animæ, rationis expers, immò & rationi contraria aliquid sibi persuaderi à ratione sinat, naturâ suâ facta est, vt motem gerat rationi, ac proinde rationalis quodammodo, siue rationis particeps est, cùm tamen aduersetur rationi, irrationalis essentialiter dici debet, quia non habet in se residentem rationem, neque ratio ipsa est.

4 Iam verò partem animi rationalem τὸ λόγον ἔχον bipartito diuidit Arist. *lib. 6. Ethico. cap.* 1. & 2. vt ad rationis rectæ quam inquirit, definitionem, & naturam sensim deueniat, cuius doctrinam tibi paucis ex ipsomet con textu, Andronici paraphrasi, ac commentariis interpretum exhibeo. Duplicem igitur facit Aristoteles partem animi rationalem, vnam quâ necessaria, & principia & semper eodem modo ὡσαύτως se habent, neque aliter habere possunt: alteram quâ contingentia τὰ ἐνδεχόμενα & aliter atque aliter se habentia, καὶ ἄλλοτε ἄλλως ἔχοντα, cognoscimus. Prior illa pertinet ad scientias, estque τὸ ἐπιστημονικὸν καὶ βουλευτικόν, deliberare enim & rationibus aliquid colligere, idem est, & deliberare est consultare: Et sanè cùm in contingentibus tota occupetur deliberatio, nam necessaria & quæ semper eodem modo ὁμοίως se habent, mutari nequeunt, ideóque circa illa inutilis erit omnis consultatio, ad ratiocinatiuam, quæ contingentia quoque considerat, deliberatiuam pertinere oportet. Differre porrò duas istas partes ἐπιστημονικὸν & λογιστικὸν atque βουλευτικὸν probat Aristoteles ex distinctis ipsarum obiectis, quæ genere diuersa esse constat; cognitionem enim cùm fiat ex quadam similitudine cum obiecto cognito καθ' ὁμοιότητα, ἢ κατ' οἰκειότητα, immò sit congruentia & quasi cohærentia eius quod cognoscitur, & cognoscit, necesse omninò est pro diuersitate obiecti cogniti variari: Quare dicitur necessaria, quando est obiecti necessarij, & contingens quando est obiecti contingentis, illa siquidem contingens cognitio dicenda est, quæ non semper verum dicit, sed aliquando falli & aberrare potest, quod tunc solùm accidit, cùm res cognita, non ita se habet, vti cognoscitur; ad quod requiritur vt alio modo se habeat quam ante, Petrus v.g. qui cognoscitur à me sedens, stet & sedere desinat. quod solis contingentibus conuenit. Vtriusque porrò huiusce partis rectitudo & virtus petenda est ex proprio cuiusque opere, etenim rectè & vt oportet opus proprium agere, est virtus; vtriusque verò huius partis opus, est cognitio siue veritas; cum eo tamen discrimine, vt vna nempè scientifica ἐπιστημονική, in veritatis nuda contemplatione acquiescat, nec vlteriùs progrediatur; ideóque mens contemplatiua διάνοια θεωρητική dicitur, & lineæ circulari comparatur ab Arist. *lib. 3. de anima*: quamvis enim mens per illam veluti agitationem & motum; hoc enim sonat διάνοια, ad cognoscendum progrediatur; tamen in se ipsam posteà reflectitur, & velut circulum efficit, quoniam cognitione rei delectatur & perficitur. At verò λογιστικὴ & βουλευτικὴ nudâ cognitione contenta non est; sed cognitionem omnem ad actionem refert, cognoscit enim vt agat, diciturque διάνοια πρακτική, hoc est effectiua, quæ & ipsa suam cognitionem ad opus aliquod moliendum refert. Cum itaque omnis rationis & διανοίας, opus sit veritas, vel nuda, vel ad actionem, effectionemve ordinata; homo enim vt obseruat Cicero *lib. 2. de finib.* ad cognoscendum & agendum natus est: virtus & rectitudo illius erit in sibi propria veritate attingenda: quare vtriusque illius veritatis tum nudæ tum actiuæ, siue cum actione coniunctæ, aut ad actionem ordinatæ, illámque dirigentis principia quærenda sunt, quod facit Aristoteles, obseruátque tria tãtùm in animo reperiri, quibus duplex eiusmodi veritas siue cognitio veritatis tribui valeat, nimirùm sensum, mentem, & appetitum, humanum scilicet & rationi obedire idoneum: & quidem sensus ad veritatem indagandam valet, & mentem iuuat, cùm ex illo pleraque scientiarum obiecta & principia colligat, nullius verò actionis principium est, cùm cætera animalia sensum habeant, actionem non item, immò neque vllam eius communionem; actio enim πρᾶξις γάρ ἐστιν ἡ μετὰ βουλεύσεως ἐνέργεια, est quædam cum deliberatione operatio actionis; igitur principium est mens vna cum appetitu: primò enim mens cognoscit hoc aut illud agendum esse; deinde appetitus ad agendum mouet; Omnium igitur actionum principia sunt mens & appetitus; illa docet quæ fieri oportet τὰ δέοντα, iste ad agendum mouet; vnde fit, vt magnam inter se communionem, & analogiam habeant, partim ratione obiectorum, partim ratione operationum vt enim mentis & διανοίας obiecta sunt verum, & falsum, operationes verò duæ affirmatio, & negatio; ita appetitus obiecta sunt bonum & malum; operationes, prosecutio & fuga; & vt mens verum agnoscit & affirmat, ita appetitus id quod bonum esse iudicat, expetit, & prosequitur; &

vt mens quod falsum esse nouit, negat, sic appetitus quod malum esse censet fugit, & ei auersatur. Cùm itaque vt dixit Arist. *lib.* 2. virtus sit habitus electiuus ἕξις προαιρετική, & electio sit appetitus electiuus ὄρεξις βουλευτική, id est, quem deliberatio præcessit vti docuerat *lib.* 3. si electionem bonam esse volumus, oportet & rationem esse veram, & appetitum rectum; eademque illam affirmare, hunc prosequi; eadem illam negare, hunc fugere: nam si alterum actionis principium minus commodè se habeat, actio corrumpitur; si vel ratio dictet eligenda, quæ non oportet; vel appetitus rationi non obtemperet, sed aliud quàm præscribat ratio & deliberatio, appetat.

5 Ex quibus colligitur imprimis eum Aristotele διανοίας & mentis practicæ opus, non esse veritatem aut falsitatem simpliciter, & nudè, sed cum appetitu recto vel obliquo coniunctam, eiúsque finem esse non cognitionem, sed actionem boni τῆς πράξεως, τοῦ ἀγαθοῦ. Colligitur secundò, electionem esse principium agendi, efficiens videlicet, siue vnde motus, non finale; neque enim prælectionis causa agimus, sed priusquàm agamus præëligimus; finis verò post electionem est, electionis autem principium est appetitus & ratio, quæ est deliberatio βουλευσις, vnde vlterius fit, vt neque sine habitu morali, à quo est bona perfectáque actio; vel ei contraria, neque sine διανοίας, & moribus à quibus boni & mali nominamur, ea istere valeat.

Colliges tertiò, mentem practicam, & actiuam διανοίαν πρακτικήν principium quoque alterius esse, quam factiuam ποιητικήν appellant; & ideò omnes artes sibi subiectas habere: Nam quisquis aliquid efficit, alicuius alterius rei singularis causâ efficit; opus enim efficientis, non est absolutè eius finis, sed ad alium vsum vlteriùs refertur: Etsi enim ædificatoriæ artis finis sit ædificium, mens tamen ædificatoris aliò spectat, ad habitationem nimirum: actiua verò mens habet pro fine ipsam actionem; appetitio autem est finis & vltimi: quare mirum non est, si mens actiua effectionem ipsam dirigat ad finem distinctum ab ipsamet effectione, & opere externo, qui finis est ipsa hominis perfectio & fælicitas.

Colliges quartò, electionem esse mentem appetitiuam, vel appetitum cogitatiuum siue cogitandi vim habentem ἢ ὀρεκτικὸς νοῦς, ἡ προαίρεσις, ἢ ὄρεξις διανοητική; hæc autem soli homini vtpote rationali competit.

Colliges quintò, rectam rationem ἐπιστημονικήν, & θεωρητικήν, quæ verùm infallibiliter attingit absque vllo ordine ad actionem, & circa necessaria occupatur, esse scientiam, sapientiam & intellectum, quamquam intellectus etiam aliquando practicus sit, certáque & infallibilia praxeos principia attingit; recta verò ratio λογιστική circa contingentia, & quæ cum opere ab ipsa cognitione distincto coniungitur est duplex, vna quæ ad actionem ordinatur, & βουλευτική & πρακτική dicitur, estque prudentia: altera quæ ad effectionem & ποιητική dicitur, tendit & nominantur ars; de quibus aliqua cum Aristotele dicemus inferiùs, singillatim naturam rectæ rationis moralis inquirendo.

PRIMA PROPOSITIO.

Actus rationis regulans actionem humanam est iudicium practicum.

6 Dicendum est primò, nullam electionem medio-rum, aut efficacem intentionem finis, aliámve vllam actionem liberam honestatis & malitiæ capacem dari posse, quæ non supponat iudicium rationis dictantis obiectum quod proponitur esse expetendum, aut fugiendum, atque honestum vel turpe, & naturæ rationali consentaneum vel dissentaneum.

Expositio, & confirmatio propositionis.

*Ago dumtaxat de actione libera, dum ad illam requiro iudicium rationis; non enim nego actionem necessariam voluntatis ex sola simplici apprehensione intellectus proponentis amabilitatem aut odibilitatem obiecti proficisci posse, atque ita compono dissidentes sententias, cùm alij contenti sint simplici apprehensione vt Scot. *in* 2. *dist.* 6. *quæst.* 1. *ad* 2. 2. & 3. Gab. *ibid quæst.* 1 *art.* 3. *dub.* 2. Maior. *quæst.* 1. Marsili. *quæst.* 16. *art.* 1. Alij verò eam primam actionem sufficere negant cum S. Thom. 1. 2. *quæst.* 9. *art.* 1. *ad* 2. & *in* 2. *dist.* 24. *quæst.* 2 *art.* 1. Salas 1. 2. *tract.* 1. *disp.* 3. *sect.* 2. *num.* 15. Valent. 1. 2. *disp.* 2. *quæst.* 4. *punct.* 1. Suar. *disp.* 23. *meta. sect.* 7. & 1. 2. *tract. de voluntate disp.* 6. *sectio* 5. aliíque passim; qui tamen non dissident fortassis nisi vocibus, vti obseruauit Koninch. *de actibus supernat. disput.* 2. *num.* 72. quia apprehensionem istam volunt eius assertores repræsentare conuenientiam vel disconuenientiam obiecti, quamvis sine vlla compositione & diuisione, quod est iudicium simplex vti exponit Vasq. 1. 2. *disp.* 44. *cap.* 2. & 3. ipséque Scot. *loco cit.* maximè *in responsione ad* 3. & sanè requiri apprehensionem de disconuenientia aut conuenientia obiecti ex eo probatur, quòd cum obiectum appetitus præcognitum esse debeat, & sit tantum bonum, debet ab illo præcognosci vt bonum, quod veriùs multò est, dum agitur de intentione efficaci finis; cùm enim ea ad existentiam obiecti, & eius possessionem tendat, cognitionem de eius amabilitate, & possibilitate prælucentem habere debet; quod etiam obseruamus in brutis, in quibus æstimatiua obiectum vt conueniens repræsentat, quacumque tandem ratione, sine iudicio componente, id fiat, quod penitiùs inquirere modò non vacat; inde tamen benè colligitur simplicem apprehensionem intellectus ad actum voluntatis sufficere; si enim ea in brutis mouet appetitum sensitiuum, quidni & in homine voluntatem mouebit, cùm bonum intellectualiter apprehensum, non habeat minorem vim ad voluntatem, quàm sensibile ad concupiscentiam pelliciendam; neque id negat S. Thom. *locis adductis*, sed solùm voluntatem non moueri solâ apprehensione rei terribilis sine actu aliquo æstimatiuæ potentiæ, quæ licet sit apprehensio conuenientis, & disconuenientis, non tamen iudicium est, vti videmus in brutis: frustrà quoque obijcitur Arist. *lib.* 3. *de anim. cap.* 3. vbi ait, nos perturbari, & timore corripi, dum opinamur aliquid mali imminere; si enim non opinamur, sed solâ apprehensione sine iudicio malum concipimus, tunc non metuimus, inquit, sed perinde afficimur, atque si in pictura eadem illa spectaremos: quibus verbis indicat solùm Aristoteles certos esse affectus, de quibus eo loco loquitur, qui concitari non possunt sine opinione & iudicio: Inde tamen non colligitur, nullum actum elici à voluntate absque præuia opinione & iudicio formali, quâ ratione etiam interpretor quod *ibidem* habet *textu* 30. cùm bonum aut malum esse dicit, affirmando, aut negando, tunc fugit aut prosequitur, quia reuerà voluntas mouetur, cùm aliquid affirmamus esse aut negamus esse malum aut bonum, non tamen semper eiusmodi negatio aut affirmatio requiritur ad quemcumque motum voluntatis. Quod denique Arist. *eo lib.* 3. *cap.* 9. dixit voluntatem 7

tatem

tatem non moueri ab intellectu speculatiuo, sed practico, qui sanè non est simplex apprehensio, non significat voluntatem nunquam solâ contemplatiuâ cognitione, ad boni propositi amorem moueri posse, sed solùm neget eam moueri ad aliquod opus aggrediendum sine iudicio intellectus practici, quod certissimum est; cum enim opus faciendum proponitur, necesse est vt intellectus de eo cogitet, & modum illud aggrediendi perficiendique dictet, quod sine iudicio fieri nequit. Atque inde maximè probatur nostra propositio de actione libera honesta vel turpi ad quam ponendam requirimus iudicium practicum dictans quid faciendum sit.

Primò quia obiectum actionis humanæ liberæ & honestæ constituitur determinaturque à ratione vti diximus *q. superiori*: atqui definiti nequit per simplicem apprehensionem, sed per solum actum iudicij: obiectum siquidem illud, vti fuit *eodem loco* explicatom consistit in mediocritate quadam inter excessum & defectum, atqui cognosci non potest quid sit medium inter paruum & nimium sine iudicio intellectus, illa inter sese comparantis. Confirmatur, quia quod ex se ignotum est, oon potest à nobis naturaliter cognosci sine aliquo discurso per quem ex aliquo notiori colligatur; Ignotum autem nobis est; vtrum obiectum quod proponitur honestum, & expetendum sit: Nam quidquid ex sula comparatione eum aliis cognoscitur, reuerà ante illam comparationem ignotum maoet, & materia proposita cognosci nequit esse honesta & expetibilis, nisi comparetur cum circumstantiis finis loci, temporis, aliisve eiusmodi, cùm nulla materia absolutè & per se sine ordine ad circumstantias honesta sit: quod enim vno tempore honestè expetitur, alio vitiosè amaretur, ergo cognosci non valet esse talis sine iudicio & discursu.

Secundò, omnis actio ex natura sua dirigibilis, siue quæ & bene fieri potest, pendet essentialiter ab aliqua regula dirigente & præcipiente modum agendi, à cuius conformitate, aor difformitate dicitur bona aut mala: atqui omnis actio libera dirigibilis est, vt diximus ab actu intellectus, qui non est simplex apprehensio; illa enim nihil dictat, aut præcipit, sed solùm iudicium.

9 Tertiò, omnis actio honesta deliberata esse debet, atque ex consilio rationis & prudentiæ: Idcircò enim actiooes indeliberatæ vacant omni culpa; vti videbimus inferiùs: atqui deliberatio perfici nequit sine iudicio & ratiocinatione: Est enim actio intellectus per quam attentis omnibus circumstantiis & fine, inquirimus, sitne aliquid expetendum vel fugiendum, de quo actu aliquid dicam inferius *quæst. 9.* Verum quidem est indifferentiam obiecti esse radicem libertatis, vti fusiùs 1. 2. diximus, eámque indifferentiam simplici conceptu apprehendi posse; necessariò tamen debuit præcedere iudicium: Nam obiectum indifferens est illúd quod sub ratione boni & mali simul proponitur, & non vt purum malum, aut purum bonum, atqui nequit proponi sub ratione boni & honesti sine iodicio practico definiente in materia rationem honestatis vti diximus *quæst. superiori tota difficultate* 4. ergo ad omnem actionem liberam honestam aut turpem necessarium est præcedens iudicium quo dirigatur.

10 Quartò denique, ante actionem saltem liberam, debet pr:ire syllogismus practicus, qui ex præmissa vniuersali, & altera particulari efficiat conclusionem practicam, id est concludat hîc & nunc ita agendum esse, neque sufficit apprehensio amabilitatis obiecti, nisi ratio dictet, hîc & nunc amandum esse à voluntate, alioquin non amabit nisi per modum oaturæ; & non liberè siuè deliberatè. Ratio à priori est, quia idcircò requiritur præuia cognitio, vt obiectum applicetur suo modo voluntati, hoc autem fit tantùm, cùm formaliter vel virtualiter iudicat intellectus rem cognitam esse bonam & conuenientem voluntati, vel absolutè vel comparatiuè & ex hypothesi, posito quod blandiatur, & concupiscentiæ lubeat obsequi.

Maneat igitur actum rationis qui est regula actionis moralis, atque etiam lex naturalis esse iudicium, illúdque practicum, cùm sit de agibilitate obiecti; quale verò sit istud iudicium & quos alios actus supponat, aut connotet vlteriùs inquirendum est.

Secunda Propositio

Quale sit iudicium practicum definiens & regulans actionem honestam.

Dicendum est secundò, hoc iudicium non esse vnum aliquod simplex, sed includere iudicium synderesos, prudeotiæ, & conscientiæ. 11

Expositio, & confirmatio propositionis.

Hæc propositio clarius ostendi nequit, quàm explicato duplici progressu: primus est actionis deliberatæ, secundus actionis honestæ.

Primum progressum distinctiùs minutiúsque partitus est Valent. 1. 2. 1. *disp. quæst. 12. part. 5.* Ego paucis rem totam comprehendo. Primò igitur occurrit intellectui obiectum à quocumque tandem moueatur intellectus ad primam notitiam obiecti, ad quam sequitur statim in voluntate simplex amor & complacentia in bono sibi proposito; tum inquisitio quædam maior, & illustrior consideratio, de amabilitate & repudiabilitate boni illius & finis, ad quam attentiorem cogitationem sequitor libera finis appetitio, & intentio; quæ cùm efficax sit, & ad opus feratur, assequutionem nimirùm finis & boni propositi, consequentem habet consultatiooem siue consilium de mediis, an vnicum suppetat, an plura, quæ & inter se, & cùm fine conferuntur: & inquiritur, quodnam primo, quodnam vltimo loco vsurpandum sit, quodnam propinquius fini, aut ab illo remotius sit. Secundò quod iudicium vbi voluntas suo consensu approbauit, si perseueret intentio finis, eligit vel voicum illud medium quod occurrit, vel ex pluribus quod liboerit, atque tandem præuio semper atque prælucente eo iudicio de mediis, & ratione ea vsurpandi, applicantur potentiæ ad agendum per vsum actiuum, atque actus rationis illas dirigens accipit nouam denominationem, diciturque imperium, & tandem per actionem potentiarum externarum acquiritur finis intentus, in quo comparato acquiescit animus, illiúsqoe suauitatem iamdiu per simplicem amorem degustatam, totam haurit, & illo frui dicitur. In quo progressu vides rationem actioni prælucenteio multiplicem actum complecti, nimirum iudicium de bonitate finis, quod sequitur simplex amor; deinde aliud illustrius de eadem bonitate & repudiabilitate, ad quod libera intentio finis consequitur; prior enim ille amor simplex necessarius est, aut saltem non omniuo liber, cùm ad libertatem debeat indifferentia obiecti, hoc est eius amabilitas & repudiabilitas ab intellectu proponi, quod non facit primâ illâ suâ cognitione, in qua solam eius amabilitatem attendit. Tertiò est iudicium de mediis per consultationem, & tandem imperium post electionem mediorum factum; imperat enim exequi quod elegit voluntas ad finem intentum assequendum: quæ tria posteriora saltem iudicia, vera & recta

recta esse oportet, vt sit recta ratio, & vt eam sequens voluntas non aberret, aut illi repognans peccet.

12 Non est igitur recta ratio diligens humanam actionem simplex aliquod iudicium: Iam verò esse iudicium, syndereseos prudentiæ & conscientiæ, probatur ex progressu actionis honestæ, siue potiùs rationis in definienda ratione honestatis, quod ex similitudine artis cum qua vti constabit inferiùs prudentia magnam habet affinitatem intelligere licebit.

Primò igitur, hominem ad artis inquisitionem necessitas sollicitauit, v. g. desiderium tuendi vitam, & arcendi iniurias cœli, quibus obnoxius erat homo, acuit eius industriam ad excogitandam artem ædificandi: duo itaque præcesserunt, iudicium videlicet de necessitate vitandi ea incommoda, tum appetitus commodè habitandi, quibus excitata industria spectato fine, consideratisque variis illis incommodis quæ arcenda erant, conclusit aream parietibus cingendam esse, & ne tempestate aliqua aut alio casu deiiceretur, totam substructionem fundamentis firmandam, atque imposito tecto operiendam; deinde ad id efficiendum ligna & lapides opportunam esse materiam, non locum omnem, non tempus, non posituram omnem commodam esse, ex quibus per varia iudicia practica collegit, tandem quænam esset materia domus, quo tempore, quo loco, & quâ ratione esset ædificanda, quibus partibus, quáve forma constare deberet: quæ regulæ certæ & infallibiles ex proposito fine, materia, & aliis circumstantiis deductæ & traditæ sunt: quia verò ligna, & lapides suapte sponte & natura ad eum finem habitationis non referuntur, neque eum determinatè postulant, nisi in confuso, accedente ingenio & industriâ artificis accipere eam veluti propensionem, & ordinem ad artem ita definientem; sic in actu honesto contingit: Primò enim proponitur per actum syndereseos actio honesta in vniuersum; deinde sequitur appetitus honestæ actionis sic in vniuersum propositæ, atque adeò ab omni difficultate abstractæ. Tertiò prudentia inquirit, aut definit quanam in re & materia particulari consistat illa honestas, quam sequitur in voluntate intentio finis, eadem deinde prudentia de mediis consultat ad illam actionem honestam necessariis, quam consultationem subsequitur electio; hanc verò nouum iudicium prudentiæ, & tandem imperium circa media illa vsurpanda, quæ omnia denique per conscientiam concluduntur, túncque voluntas se ad opus siue ad actionem honestam accingit. Verum vt hæc omnia clariora fiant, de singulis istis iudiciis, synderesi nimirùm, prudentiâ & conscientiâ, sigillatim agendum est, inde enim toti rei moralì, & nostræ scientiæ canonicæ magna lux affundetur.

QVÆSTIO III.

De primo actu rectæ rationis quod est iudicium vniuersale siue synderesis.

Synderesis est iudicium vniuersale honestatis, & quomodo. n. 1. 2.

§. 1. *An synderesis sit habitus distinctus ab intellectu.* n. 3.

§. 2. *An sit in intellectu vel voluntate.* n. 4. 5.

§. 3. *An possit falli.* n. 6.

§. 4. *Vnde oriatur eius rectitudo.* n. 7. 8. 9.

§. 5. *An possit extingui.* n. 10.

EX tribus illis iudiciis synderesi, prudentia & conscientia, ex quibus *q. superiori* diximus constare rectam rationem practicam, explicanda est primo loco synderesis, quæ etiam in progressu allato actionis honestæ prior est. 1

Obseruandum verò est honestatem duobus modis spectari posse, primò abstractam ab omni materia singulari & particulari: honestas, v. g. temperantiæ, quæ in cibo, potu, tactu, aliisque delectationibus versatur, considerari poterit secundum se, & vt à particularibus illis materiis abstrahit, vt est determinata ad materiam singularem, v. g. honestas fortitudinis in toleranda morte, in obeundis periculis, in perferendis iniuriis: Ratio itaque & iudicium quod versatur circa materiam abstractam ab omni materia est vniuersale, dicitúrque synderesis; quod verò versatur circa honestatem determinatam ad materiam singularem, est iudicium particulare, & nominatur prudentia, quod exemplo artium facillimè explicatur: quatenus enim ars obiectum suum spectat in vniuersum abstractum à materia particulari, & præcepta quædam vniuersalia rei faciendæ tradit, nominatur docens, vtens verò quatenùs generalibus regulis traditis vtitur, easque ad materiam singularem determinatámque accommodat; sic de domo facienda primum tradit generalia quædam præcepta Architectus; deinde illa ad materiam singularem applicat: Et ea cognitio vniuersalis persimilis est intellectui principiorum in speculatiuis, ex quibus deinde variæ conclusiones in diuersis scientiis colliguntur: simili modo circa actiones honestas primùm habemt vniuersalis quædam cognitio honestatis, dantúrque vniuersalia præcepta circa actionem honestam. Deinde illa circa singulares materias applicantur, tandémque elicitur conclusio, hîc & nunc hoc modo agendum omninò esse, & non aliter: primum fit à synderesi, secundum à prudentia, tertium à conscientia vti statim constabit.

Est itaque synderesis habitus primorum principiorum operabilium ex S. Thom. *1. p. q. 79. art. 12.* vbi opponit habitui primorum principiorum speculatiuorum, quem intellectum appellat Arist. *6. Ethic. cap. 6.* Idem S. Thom. *in 2. dist. 89. q. 3. art. 1.* scintillam rationis nominat, eò quòd supra ipsam emicet, eóque trahit quod Hieronym. *in cap. 1. Ezechiel.* in exponendo quadriformi illo animali, quo humanam animam designari vult: aquilam rationi comparet, atque esse particulam intellectualitatis communicatæ Angelis, vt ordo & apta connexio rerum seruetur, ex Dionys. *cap. 8. de diuin. nominib.* & *in quæst. 76. de veritate, art. 1. ad 9.* addit S. D. synderesim esse aliquid commune ad superiorem, & inferiorem rationem, quia in ipso habitu vniuersalium principiorum quædam continentur, quæ pertinent ad rationes æternas, quædam ad rationes inferiores. Hæ tamen rationes æternæ cognosci debent lumine naturali, quandoquidem totus iste habitus naturalis est, ideóque nominatur ab August. *naturale iudicatorium* ab aliis *superior pars rationis*, quia abstractior est, vt iam monui à materia. 2

§. I.

An synderesis sit habitus distinctus ab intellectu.

An verò sit potentia, an verò habitus illi superadditus: quod quæsiuère veteres, vti patet ex S. Thoma locis allatis, aliisque Theologis *in 2. dist. 39.* Quæstio videtur esse de vocibus, quod obseruauit Ioan. à Capistrano *in speculo conscientiæ, 1. part. num. 306.* Certum enim 3

enim est, tunc habitum esse naturalem & non acquisitum, cùm naturali lumine cognoscamus quid ratio fugiendum, amandúmve esse præscribat: deinde si foret habitus acquisitus per actus, illi actus non essent alij quàm actuales cognitiones illorum principiorum vniuersalium, quæ elicitæ fuissent ab ipsa potentia rationis nuda, & nondum vllo instructa habitu. Quare sicut habitus primorum principiorum speculatiuorum nominatur intellectus, ita & practicorum dicitur synderesis, quamuis intellectus non indigeat vllo nouo lumine aut habitu, vt eiusmodi principiis tum speculatiuis tum practicis assentiatur: nam notitia principij non est ab habitu contra Medin. 1. 2. *quæst.* 55. *artic.* 1. *ad* 1. immò neque per eiusmodi iteratas notitias acquiri habitum existimo contra Ruui. *tract. de princip. n.* 17. & Conimbr. *in* 1. *posterio. cap.* 1. *q.* 1. *art.* 4. si agamus de principiis vniuersalissimis, & communissimis. Illa enim adeò manifesta sunt, vt penetratis terminis, intellectus non possit non videre mutuam illorum connexionem, neque negari valeant, nisi ore tenus à proteruo, quamquam non valeat fortassis intellectus sophisticis rationibus occurrere, ideò aliqui apud Arist. 4. *met.* negant illud principium. *Idem non potest simul esse, & non esse*: & Buridan. narrat se expertum esse vetulas quasdam dubitasse, vtrum possent simul comedere. Et non comere, quia nimirùm obiectia & subtilioribus argumentis se expedite non poterant, licet principium, vniuersalissimum idem non post simul fieri & non fieri, esse & non esse, vbi terminos penetrarant concedere omninò cogerentur; ideóque Arist. hæc vniuersalissima principia axiomata nominauit & dignitates, fortè quia ἀξιοῖ & apud Aristotelem ἀξιώματα *cap.* 1. 3. *Ethic.* non quamlibet dignitatem significat, sed libertatem quandam apparendi in eo qui fœliciter certauit: quare axioma est principium quoddam manifestum, & veluti vltrò apparens apertâ fronte & exporrecto vultu non sine magna dignitate. Lælius apud Gellium *libro decimo sexto, capite sexto.* definit ἀνεπαντον ὕσον, ἐφ' ἑαυτοῖς. Fœlician. 6. *Ethic. capite septimo.* axioma vertit authoramentum, eò quòd ex se authoritatem habeat Arist. 2. *metaph.* vocat ianuam scientiarum D. Thom. *quæst.* 10. *de veritate art.* 1. rationes seminales cognitionis. Plato verò comparat munerario, à quo ducitur origo certaminis: cùm igitur principiorum speculabilium vniuersalium nullus datur habitus, ab ipso intellectu distinctus propter ipsorum euidentissimam veritatem à qua ad assensum necessitatur intellectus; ita neque dabitur vllus nouus habitus ad percipienda principia vniuersalissima practica; quare synderesis quæ illa cognoscit, non est aliquid distinctum à potentia intellectuali, siue vt alij loquuntur ratione, estque ipse naturalis intellectus prout circa vniuersalissima principia versatur.

§. II.

An synderesis sit in intellectu an voluntate.

4 Secundò hinc quoque solues, an synderesis sit in intellectu an in voluntate, qua in re distinguit. Richard. *in* 2. *dist.* 39. *art.* 3. *q.* 1. *an. n.* 9. synderesim esse inclinationem naturalem ad bonum absolutè vel in generali, quod si illud inclinatiuum sit tantùm per modum suadentis, & non necessitantis erit, in intellectu; si verò hoc inclinatiuum sit per modum necessitantis erit in affectu. Primum illud est dictamen seu affirmatio bonum esse volendum, quod dictamen non necessitaret voluntatem ad volendum bonum absolutè, nisi ipsa ad illud ea natura sua determinaretur, sed libera omninò remaneret, aliud inclinatum non sit per necessitatem coactionis, sed per naturalem determinationem ad volendum bonum absolutè; sicut enim graue per naturam suam determinatur ad motum deorsum, ita & ad illum motum per suam naturam inclinatur. Cùm igitur voluntas ex natura sua determinetur ad volendum bonum absolutè, ad illud quoque naturaliter inclinatur & necessitatur absque vlla coactione ad primum illud inclinatiuum ex parte intellectus per modum persuadentis, non sufficit simplex boni ostensio, sed opus est iudicio dictante bonum absolutè esse volendum, ad secundum autem inclinatiuum satis erit boni simplex, & nuda ostensio: nam bonum apprehensum inclinabit omninò voluntatem iam ex sua natura determinatam ad volendum bonum absolutè, sicut ad mouendum graue deorsum: de necessitate sufficit determinatio naturæ grauis ad talem motum, cum adiutorio influentiæ loci ad quem mouetur: Displicet tamen hæc distinctio Riccardi, quia illa inclinatio voluntatis ad bonum absolutè, vel est actualis, ipsa scilicet volitio boni, vel tantùm potentialis, siue ipsa potentia voluntatis; prima illa inclinatio iam supponit cognitionem aliquam boni, & dictamen illius amandi, si volitio libera sit; nam si sit merè naturalis & determinata, ea quidem solam simplicem boni ostensionem requirit, vti dicebat Riccard. sed moralis non est, neque honesta aut turpis, inclinatio etiam potentialis seu ipsa voluntas, & naturalis omninò est, & nunquam nomine synderesis vocata fuit: cum synderesis sit principium quoddam voluntatis inclinans: Itaque in intellectu eiusque cognitione omninò ponenda est, quod iterùm probat Scot. *in eam dist.* 39. quia actus synderesis est semper iustus, vti statim exponam, id autem non reperitur in voluntate, quæ licet habeat ex parte intellectus quod necessarium est ad actum iustum, illum tamen non necessariò elicit, cùm tamen synderesis actus dictans principia vniuersalissima semper iustus existat.

Maneat itaque synderesim esse actum intellectus, 5
nimirùm iudicium quoddam vniuersale practicum vel per se notum ex terminis, vel ex illis primis principiis immediatè deductum quod sit tanquam vniuersalis regula ex qua tanquam ex principio iudicium aliud particulare, quod est deinde regula immediata singularis actionis deducitur; hæc prima principia sunt ista: *bonum est amplectendum, & malum fugiendum: viuendum est ex præscripto rationis, eiusque legi parendum, Deo imperanti iisque omnibus qui legitimè præcipere possunt parendum est*: ex iis autem aliisque principiis vniuersalibus vt vides, deducuntur alia minus vniuersalia, circa fines particulares virtutum, à materia tamen singulari abstractos: *vt iuste viuendum est, temperantia seruanda*, priora illa vniuersalissima attendit synderesis, atque etiam ista fortassis minus vniuersalia, nisi velis ea potiùs spectare ad prudentiam, quàm alij volunt, tantum illa applicare circa singulares materias, qua de re inferius. Nam quidquid dicatur certum omninò est illa vniuersalissima cognosci primò & per se per synderesim, quam idcircò diximus habere pro materia honestatem abstractam ab omni materia determinata, & particulari.

§. III.

An synderesis possit falli.

6 Tertiò hinc sequitur actum synderesis esse rectum & iustum, siue actum rectæ rationis,& nunquam aut peccatum esse aut ad peccatum inclinare, cùm sit cognitio inquit Riccard. *loco citato*, dictans bonum esse volendum, & amandum, quod dictamen essentialiter verum est, sicut bonum essentialiter est quid conueniens & appetibile. Deinde principia vniuersalia, quorum synderesis est cognitio, vera & infallibilia sunt; ipsorum igitur cognitio ad malum inclinare non potest, quæ consequutio manifesta est: nam vel errabit cognitio ista, quia non cognoscet illa principia vti sunt, & tunc non erit cognitio ipsorum, neque synderesis, vel quia illa cognoscendo vti sunt, errat; atqui hoc fieri nequit nisi ipsa principia in se ipsis falsa sint; sunt autem immutabiliter vera. Quod eleganter explicat S. Thom. *q. 16. de veritate* quæ est de synderesi. *art. 2*. In omnibus enim debemus assignare aliqua principia certa & immutabilia, quod primum in naturæ operibus obseruamus, in quibus habemus principia permanentia & immotabilia, ac rectitudinem conseruantia; nam *primò physic.* principia manere oportet; deinde quæ, ex principiis deriuantur, nullam certitudinem & firmitatem habebunt, nisi ipsa principia firma sint. Denique omnia mutabilia ad aliquod immobile reduci necesse est. Secundò in omni cognitione licet procedere ad aliquam certissimam cognitionem, & omnis erroris incapacem, quæ alia non est, quàm notitia principiorum vniuersalium, ad quæ omnia cognita examinantur, eorumque cognitiones, omne verum probatur & falsum respuitur. Tertiò idem animaduertes in operibus artia: nam ad vniuersales indubitatásque regulas vniuersales singula expendi debent. Igitur in operibus quoque humanis assignanda erunt aliqua principia immutabilia, ad quam einsmodi operum rectitudo certò exploretur. Illa verò principia repræsentat synderesis, quam proinde impossibile est, aut malam esse, aut ad malum inclinare: Immò necessariò ad bonum inclinat, & malo resistit, totusque, vt dicam inferiùs, error contingit in ipsa applicatione synderesis ad aliquid particulare, non in ipsa synderesi, quæ vt loquuntur, nunquam præcipitat in vniuersali. Neque enim conclusio falsa, quæ ex vna præmissa vera, altera falsa infertur, tribuenda erit præmissæ veræ, sed falsæ; quare licet occisores Apostolorum errarent, dum arbitrarentur se ea in re obsequium Deo præstare, non tamen synderesis quæ dictabat Deo præstandum esse obsequium, errabat; sed ratio illa, quæ in ea occisione obsequium diuinum consistere falsò iudicabat. Itaque error non est in synderesi, quæ facit maiorem & vniuersalem propositionem syllogismi practici, sed in subsumpta propositione particulari, vt ampliùs explicabitur inferiùs: quare nunquam errat aut ad errorem inclinat synderesis, sed potiùs à peccato retrahit, & vt passim docent, sensualitati resistit, quamvis non semper obtineat quod intendit, eò quòd inquit Bonau. *in 2. d. 39.* eius præsidentia in vires alias deliberatiuas propter earum repugnantiam repellitur, & cassatur, quod ibidem pluribus exponit exemplo etiam periti equitis, qui equo ruente præceps agitur.

§. IV.

Vnde oriatur rectitudo synderesis.

Quartò, quandoquidem igitur habemus synderesim rectam rationem esse, quærendum est vnde sumatur ea rectitudo,& quidem ea accipienda non est ab ordine ad aliam regulam præcipientem, & dirigentem practicè, alioquin procederetur in infinitum. Est igitur synderesis regula sui ipsius per se ipsam nota, & recta, cùm necesse omnino sit, deueniamus tandem ad aliquam regulam primam, quæ per se ipsam recta sit,& aliâ priori non indigeat; nam monebat S. Thom. omnia mutabilia ad aliquod principium immobile reuocanda esse: quod aliud assignari nequit in humanis actionibus, quam synderesis, quæ proinde se ipsa recta esse debet, & non dependenter ab alia regula, creata saltem: nàm & ea diuinam rationem & legem pro regula habet, aut potius diuinæ rationis ac regulæ transcriptio quædam existit, vti diximus *cap. superiori & quæst. 1. huius.* Verùm quamvis rectitudo synderesis non sumatur ab alia regula dirigente, sumitur tamen in ordine ad finem humanæ naturæ: ex fine enim omnium agendorum rationes omnes practicæ, & regulæ ducuntur: eæ siquidem rectæ sunt, quibus actio ita regulatur, vt finem sibi propositum attingat; fini autem consentanea est regula per seipsam, quod maximè verum est in synderesi quæ oritur ex naturali lumine,& ex natura ipsa ad finem sese ordinante,& adiuuante. 7

Secundò, huius iudicij rectitudo petitur à posteriori, ab appetitu recto honesti abstracti à materia, ex eo enim iudicio sequitur appetitus honesti. Primò quidem in vniuersom tum singularum virtutum vt temperantiæ, fortitudinis, abstractè tamen à materia, qui appetitus omninò honestus est. Cùm igitur causa benè definiatur à posteriori per effectum, & rectitudo appetitus sit effectus iudicij illum dirigentis, iudicium rectum synderesis bene definietur esse id, quod est conforme appetitui recto, siue quod est regula appetitus recti, quo honestum abstractum à materia singulari appetimus. 8

Ex quibus intelliges quod sæpiùs dixit S. Thom. ex mente Aristotelis *6. Ethic.* non esse prudentiæ proprium, sed synderese os fines proprios virtutum præstituere; id enim vti aduertit Vasq. 1. 2. *disp. quadragesima prima*, *capite primo*, Torrer. 2. 2. *tom. 1. disput. 99. dub. 2.* Lessi. *lib. de prudent. capite primo*, *numero* 20. intelligendum est de fine virtutis contracto & determinato ad materiam singularem definire, prudentiæ munus omnino est; ideóque facilè Thomistarum Scholistarumque dissidia componi possunt, cum de solis vocibus esse mihi videantur; neque enim sequitur virtutem moralem priorem esse prudentiâ, quia effectus ille & appetitus honesti in vniuersum & abstracti, non oritur à virtute, sed prior esse præsupponitur, elicitúrque à naturali facultate voluntatis, vti aduertit Vasq. 1. 2. *disput. 50. numero* 11. aut si oritur à virtute, non oritur nisi à virtute imperfecta, & quodammodo inchoata, tum quia primus ille appetitus naturalis est,& necessarius, & quamvis continuatio illius libera sit, non indiget tamen habitu, cùm nullam habeat adiunctam difficultatem, cùm bonum vt bonum nullum includat malum,& mediocritas honestásque virtutis necessariò appetatur, & solùm propter adiunctam 9

adiunctam aliquam rationem difficultatis aut mali refugiatur, quæ difficultas nunquam apparet in materia abstracta, sed in singulari v. g. dum ieiunandum est, difficultas non oritur ex honestate temperantiæ & mediocritate in potu & cibo, aliisve delectationibus in vniuersum spectatis, sed ex materia & quantitate cibi aut potus, & appetitus sensitiui, qui plus postularet quàm lex ieiunij præcipiat: denique cùm hic appetitus circa bonum & honestum in vniuersum feratur, non potest esse à particulari aliquâ virtute, quæ honestatem particularem respicit. Itaque hic appetitus bene sequitur synderesim, præceditque prudentiam, quamvis prudentia virtutes morales præcedat: quamquam non diffiteat hæc iudicia vniuersalia synderescos dici regulas prudentiæ, quia licet prudentia eas non dictet, sed supponat, iis tamen ad sua iudicia practica dirigenda vtitur. Iudicium enim illud prudens esse dicitur, non quod speculatiuè consideratum verum est, sed quod est conforme regulis illis vniuersalibus, quæ idcircò sunt fundamentum, & prima iudicia prudentiæ; ipsáque principia aliquando dicuntur, impropriè tamen eo ferè modo, quo habitus primorum principiorum dicitur scientia. Verùm quidquid sit de modis loquendi, manet ante prudentiam dari iudicia generalia synderescos tanquam prima principia per se nota, quæ de fine proprio Virtutis, abstracto tamen à materia particulari & determinata præcipiunt, & dictent; deinde sequitur appetitus rectus & honestus illius eiusdem finis.

§. V.

An synderesis extingui valeat.

10 Vltimo loco circa synderesim disputant DD. an illa extingui possit. Vide Riccard. *in 2. d. 39. artic. 3. quæst. 3.* Bonau. *ibid. art. 2. quæst. 1.* S. Thom. *quæst. 16. de veritate art. 3.* placet distinctio S. Thom. synderesim pro ipso lumine naturali sumptam, extingui non posse, sicut neque anima priuari potest lumine naturali, per quod prima principia in speculatiuis & operatiuis, quæ sola penetratione terminorum innotescunt. Cognoscit 2. synderesis quod ad actum sumpta extingui dicitur, quando eius actus non elicitur, vti contingit in amentibus propter læsionem organorum: si tamen actus synderesis eliciatur, non poterit quoad iudicium vniuersale falli aut extingui, vti iam docui, sed quoad applicationem particularem circa aliquam materiam determinatam, vti iterùm inferiùs exponam: hæc porrò veluti excæcatio luminis naturalis ex variis commotionibus, aliisve causis vti explicant Doctores *locis citatis* prouenit. Certum est sæpiùs vniuersale iudicium ad singulare operabile non applicari, & vt ait Diad. *lib. de perfectione capit.* 18. mentem tribunal suum non agnoscere. Vide Dorotheum fusiùs explicantem, quomodo conscientiam infodiamus, & obruamus, & vt illa veluti lux per cancellos aut speculum languidè nobis deinde præluceat; & omnia nobis quasi obscuriora & tenebricosiora reddat. Vide Richardum Hallum *lib. 1. de quinque* peruersa conscientia *cap. 5. & 6.*

CAPVT VI.

De secundo actu rectæ rationis practicæ, qui est iudicium particulare, siue prudentiale.



VM actio circa singularia versetur, vti sæpiùs monuit Aristoteles, ad illam non sufficiet cognitio principiorum vniuersalium ac iudicium honestate abstracta, & nondum ad materiam singularem determinata, quale esse diximus synderesim: sed opus præterea est alio quodam iudicio & habitu, quo principia vniuersalia synderescos ad singularia applicentur, vt inde sequatur actio honesta. Hoc iudicium prudentia est, cuius naturam actus & proprietates paucis explicare necesse est hoc loco.

QVÆSTIO I.

De natura prudentiæ.

PRudentia vt & cuiusque alterius habitus naturam ab eius definitione explicandam aggredimur.

§. I.

Definitur prudentia.

Definitur itaque prudentia ab Aristot. *6. Ethic. capit. 5.* habitus cum vera ratione actiuus circa ea, quæ homini bona aut mala sunt, hoc est circa ea, quæ ad vitam rectè agendam spectant; siue quæ homini vtilia sunt. Quare in idem recidunt aliæ definitiones, quas bene multas enumerat Picolom. *gradu 5. capit. 29.* dicitur enim à quibusdam *rectum iudicium de rebus agendis*; ab aliis verò, *virtus intellectualis directiua morum.* Recta ratio agibilium à S. Thom. *22. quæst. 47. artic. 5. virtus secundum vniuersales maximas particularia facta concernens*, ab Ægid. *lib. 1. de Regim princip. part. 2. capit. 6. cognitio agendorum & non agendorum*, à S. Basil. *homil. in princip. prouerb.* Denique ab Aug. *lib. 1. de morib. Eccles. capit. 15. amor, ea quibus adiuuatur, ab eis quibus impeditur sagaciter eligens*, quæ definitio causalis est; cùm enim prudentia dictet quæ sint bona & recta, quæque ad 1

honestatem assequendam conferant, & quæ ab illa reuocent, dictat quoque quænam eligenda, & amanda sint, nisi dicas cum S.Thom. 2.2. *q.47. art.1. ad* 1. amorem boni mouere rationem ad inquirendum, iudicandúmque de iis, quæ ad finem iuuant, aut impediunt, atqueadeò ad discernendum inter vtilia & inutilia ad finem honestatis.

2 Verùm, vt omnes istas definitiones paucis complectar, dico prudentiam esse virtutem intellectualem, quæ spectatis regulis vniuersalibus syndereseos, & appetitu recto honesti abstracti à materia, constituit in quacumque materia virtutis particularis mediocritatem, definitque quid amplectendum, quid fugiendum sit. Ex hac definitione paulò longiori omnes causas, & munera prudentiæ facillimè colliges.

§. II.

Materia prudentiæ.

3 Et Primò quidem materia prudentiæ sunt agibilia, vel bona humana, ἀνθρώπινα ἀγαθὰ, hoc est ea, quæ ad vitam bene instituendam, & ad fœlicitatem qui hominis est finis, conferunt, vti sapienter interpretatur in sua eleganti paraphrasi Andronic. Rhodius περὶ τοῦ εὖ ζῆν ἁπλῶς, καὶ ὅσα συντελεῖ πρὸς εὐδαιμονίαν ὅ ἐστι τὸ ἀνθρώπινον τέλος, & sanè humana illa bona quæ agit prudentia, siue circa quæ occupatur, περὶ τὰ ἀνθρώπινα ἀγαθὰ πρακτική, alia non sunt quam actiones honestæ, seu quæ honestatis capaces sunt. Iam enim sæpiùs docuimus bonum honestum esse proprium hominis bonum, & illo vno attingi fœlicitatem, ideóque S. Thom. 2.2. *q.47. art.2. ad* 1. dicit prudentiam esse sapientiam in rebus humanis, non sapientiam simpliciter, quia non est circa altissimam causam, est enim circa bonum humanum: id probat Arist. *c.5.* ex eo quòd temperantia dicatur conseruare prudentiam, intemperantiæ verò eandem corrumpere, quod patet ex ipso nomine; σωφροσύνη enim dicitur, quia σώζει τὴν φρόνησιν seruat prudentiam, siue rectum iudicium de rebus agendis, nec corrumpi illud sinit à voluptate & dolore. Plato quoque in Cratylo σωφροσύνην dixit, quasi σωτηρίαν τῆς φρονήσεως: circa quam tamen ethymologiam altercatur Epiphani. in hunc locum Ethico. In rebus igitur agendis occupatur prudentia, quæ consequutio manifestissima est, antecedens verò probat Arist. ex intemperantia, quæ prudentiam corrumpit, non artem aut scientiam, vllamve aliam cognitionem: neque enim impedit voluptas ne sciamus triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, quod demonstrauit Euclid. *lib.* 1. *proposit.* 32. neque quomodo nauis fabricanda sit, neque quidpiam aliud quod arte fit τεχνητὸν, sed solùm illud quod sub actionem cadit μόνον τὸ πρακτὸν, in quo versatur prudentia; eorum enim quæ sub actionem cadunt τῶν πρακτῶν principia & causæ sunt finis, cuius gratiâ fiunt; finis verò cuiusque actionis, siue agibilis ἑκάστου πρακτοῦ, est bonum eius qui proximè agit ἀγαθὸν τὸ πράττοντος προσεχῶς. Cùm igitur bonum illud & finis ignoratur, tota illa actio, & quod per eam fit τὸ πρακτὸν peruertitur. Ignoratur verò quoties quis voluptate aut dolore alióve affectu corruptus, bonum quod expetendum est, voluptatem esse existimat, eamque esse finem ad quem peruenire debet iudicat, eóque, suas actiones dirigit; sic enim bonum suum corrumpit, quod est finis & principiū agibilium τῶν πρακτῶν. Principium igitur actionis & agibilium corrumpit improbitas & intemperantia, quod eleganter expressit Homerus vbi de Cæsto veneris baltheo ait, illic est amor, & cupido, & deceptio, quæ furantur mentem prudenter cogitantium: non enim sinunt animum verum cernere, & finem appetitionum suarum intueri: Quare sublato prospectu finis, non potest cernere se honestum, vel illius causa omnia optare, atque agere debere. Vnde sapienter concludit Aristoteles interprete Andronico, prudentiam necessariò esse habitum cum ratione verum agendi humana bona, hoc est vti interpretabamur honesta, Vides igitur materiam prudentiæ esse bona & mala humana, siue agibilia, siue actiones humanas; vti diximus; atqueadeò esse habitum actiuum siue practicum, quandoquidem temperantia prudentiæ conseruatrix est, licet non conseruet rectitudinem iudicij circa verum & falsum in rebus contemplationi subiectis, & ipsi opposita intemperantia deprauat solas existimationes, quæ ad rea agendas pertinent, quibusve bonum & malum consectamur; inde enim sequitur prudentiam neque per se contemplatiuam esse, neque effectiuam; nam ædificator ab intemperantia siue dolore, & voluptate non fit ædificandi imperitior, ita Aristotelis mentem & argumentationem explicant Lælius Peregrin. & Giphanius.

Latissimè porrò patet hæc subiecta prudentiæ materia; nam complectitur omnia, quæ ad vitam benè instituendam, & ad fœlicitatem consequendam pertinent; siue vniuersam benè viuendi rationem & totum bene viuere, vti loquitur S.Thom. 2. 2. *quæst.* 47. *artic.2. ad primum.* Vbi etiam ait prudentiam intendere finem communem toti vitæ humanæ: itaque materia prudentiæ non est vna aut altera res, de qua vir prudens rectè deliberare possit, sed ea omnia, quæ ad vitam rectè instituendam spectant: quod ostendit Arist. ex ipso vulgi sensu: Eos enim qui bene de re aliqua consultant ad finem aliquem bonum πρὸς τέλος τι σπουδαῖον, prudentes dicimus, sed in illa dumtaxat re, & cum aliqua restrictione: simpliciter igitur prudens iure optimo nominabatur, qui vniuersè omnes actiones suas ad fœlicitatem diriget & consultabit ad bene viuendum in vniuersum, πρὸς τὸ εὖ ζῆν ὅλον. Itaque, significat Phylosophus ex Eustratij commentario, ipsum bene viuere, totum quoddam esse, eiusque singula membra tam quæ ad virtutem & mores spectant, quàm quæ ad corporis constitutionem, & res externas, dummodò in nostra sint potestate, & quorum vnumquodque & eligere & cauere possimus. Itaque non vnam aliquam vitæ partem, sed vniuersam curare debet vir prudens. Quod verò dixit Arist. prudentem non consultare de singularibus bonis; puta sanitate, aut robore, id enim est medici aut Gymnastæ, non ita accipias. quasi prudens de vna interdum re singulari non deliberet, vt an bellum gerendum sit, an pasciscenda fœdera, an euertenda Carthago, an noua vectigalia imponenda, an deducenda vxor, immò vis prudentiæ in rebus singulis maximè cernitur, quòd monet ipsemet Arist. *cap.* 7. quia tamen ista consultatio de rebus singulis ad summum totius vitæ pertinere debet, idcircò prudentia dicitur circa vitæ totius rationem consultare, & non vnam aliquam vitæ partem, aut actionem pro materia sibi vindicare; sed omnia bona humana, aut quæ sibi aliisve sunt vtilia: quâ ratione etiam Plato in Alcibiade prudentem describit, eum, qui sibi & ciuitati perspicit. 4

Habemus

5 Habemus igitur amplissimam prudentiæ materiam omnem actionem humanam, siue totam bene viuendi rationem, ipsúmque bene viuere, quod in nostra definitione explicuimus per materiam particularem & determinatam virtutum capacem honestatis & mediocritatis, quia non considerat prudentia in vniuersum dumtaxat quid ad virtutem in communi aut etiam ad quamcumque virtutem in particulari requiratur; id enim pertinet ad synderesim, vti diximus. sed determinat in singulis actionibus obeundis necessarias circumstantias ad honestatem; idque non in vno tantùm genere actionum, sed in omni, alioquin non est absoluta prudentia, & qui illam habet, dicitur tantùm prudens in certa materia, & secundum quid; prudentia enim extendit se ad dirigendas omnes actiones liberas totius vitæ & omnium ac singularum virtutum: itaque eius materia proxima sunt tum actiones elicitæ omnium virtutum, tum actiones externæ circa quas illæ versantur; eas enim actiones omnes dirigit, & imperat prudentia, materia verò remota est illa circa quam omnes illæ virtutum actiones occupantur. Illa verò duplex esse potest, aut enim est materia propria virtutis, id est eam in qua tamquam in subiecto reperitur mediocritas talis virtutis, sic comedere, bibere, & ludere sunt materia propria temperantiæ, in qua nimirùm ipsa mediocritas temperantiæ constituitur, aut est medium ad virtutem assequendam, v. g. fugere consuetudinem hominum intemperantium, quorum exemplis ad immoderantiam exciteris; & hæc non est materia propria temperantiæ, cùm in ea fuga non constituatur mediocritas temperantiæ: Est tamen medium ad temperantiam obtinendam, ideóque dicitur aliquâ ratione materia temperantiæ, quia nimirùm attenditur à temperantia, cùm quælibet virtus respiciat media, quibus suam honestatem & mediocritatem assequitur: Quod exemplo artis manifestum fit. Ars enim non solùm versatur circa materiam, in quam artis forma inducenda est, sed etiam circa ea, quibus tamquam mediis, & adiumentis ars ipsa comparatur, vt palæstria non tantùm præcipit modum quo motus corporis fieri debent, sed etiam quæ sunt necessaria vt facilè & cum decore corpus ad arbitrium mouere possimus; vt temperantiam, exercitationem, reliquáque generis eiusdem; Prudentiæ itaque materia non solùm ea est, in qua residet virtutis mediocritas, quam ipsa definit, sed etiam ea omnia, quæ ad illam mediocritatem constituendam aliquid conferunt.

§. III.

Obiectum formale prudentiæ.

6 Obiectum formale prudentiæ est vera honestas singularum virtutum, quam intendit & producit, definiendo mediocritatem in singulis illarum materiis, & quid honestum quidve turpe sit: hoc obiectum manifestissimum est. Primò ex Aristot. 6. *Ethic. cap.* 13. vbi ait versari, περὶ τὰ δίκαια, καὶ καλὰ, καὶ ἀγαθὰ ἀνθρώπῳ; quæ iusta, & honesta, & bona homini sunt: Ea verò sunt. quæ agere viri boni est ἃ τοῦ ἀγαθοῦ ἀνδρός ἐστι πράττειν. Vbi vides Aristotelem assignare prudentiæ pro obiecto honestum: deinde in habitibus practicis obiectum formale & finis atque primarius effectus confunduntur. Cùm igitur prudentia non aliud intendat quàm sua directione constituere honestatem in materia singularium virtutum, idque faciat definiendo mediocritatem ex qua proximè exurgit ea honestas *vti cap. superiori ostendimus*, sequitur finem prudentiæ eiusque obiectum formale esse mediocritatem in materiis singularibus virtutum, siue honestatem ex eiusmodi mediocritatis definitione resultantem: neque enim aliud profectò intendit prudentia, cùm circa materiam aliquam negotiatur, & in quo illius mediocritas constituenda sit, definit, quàm honestatem ex ea mediocritate sequututam, neque alium finem sibi profectò fingere potest, quam ipsæ virtutes morales, quandoquidem habet pro obiecto materiali illam ipsam materiam, circa quam tales virtutes occupantur, immò actiones singulas virtutum circa proprias & determinatas materias proximè dirigit in finem ipsis proprium: atqui illæ pro fine & obiecto formali specificatiuo habent honestatem; illam igitur habebit prudentia tum eam intendendo formaliter, tum eius proximam radicem, nempe mediocritatem materiæ, aliásque circumstantias ad eius productionem necessarias constituendo; id totum aliqui explicant, dum dicunt cum Lessio *lib.* 5. *de Virtutibus, cap.* 1. *num.* 8. actionem honestam esse obiectum prudentiæ; priusquam enim existat ea actio, consideratur à prudentia per modum obiecti; sicut ædificatio domus, est obiectum Architectonicæ, est quoque primarius prudentiæ effectus, quatenus ipsa dirigit voluntatem, & potentias exequentes in actione honesta elicienda; est denique finis, quia prudentia non est ad cognitionem honesti, sed ob actionem ex Aristot. 6. *Ethic. cap.* 5. qui idcircò definit illum habitum actiuum, non contemplatiuum. Neque inde sequitur prudentiam confundi cum virtutibus aliis moralibus, quæ etiam respiciunt honestatem pro obiecto formali; nam prudentia respicit actionem honestam sub ratione veri, considerat enim quænam actiones sint honestæ, aut turpes, & quid in qualibet materia ad honestatem actionis requiratur: & sanè omnes actus eliciti prudentiæ, vti constabit etiam inferiùs, sunt cognitiones; illarum autem ratio formalis obiectiua non est bonitas vt sic, sed veritas: ideóque Arist. *cap.* 2. *lib.* 6. *Ethic.* dixit, verum esse obiectum formale omnium habituum intellectualium, inter quos deinde *cap.* 5. numerat prudentiam; & quamuis prudentia non consideret veritatem sui obiecti, siue quænam sit actio honesta, vt in illa cognitione sistat, sed vt vitam producat dirigendo voluntatem aliásve potentias: neque enim est habitus contemplatiuus, sed actiuus, vti toto illo capite quinto contendit Arist. non idcircò tamen placet quod dixit Less. *cap.* 1. *cit. num.* 9. & Caietan. *in art.* 5. *quæst.* 47. 2. 2. prudentiam respicere opus honestum tanquam obiectum cognoscibile, atqueadeò sub ratione veri, & præterea tamquam finem operabilem, & tunc illud attingere sub ratione boni: non placet inquam, quia habitus intellectualis necessariò tendit in verum, illúdque habet pro obiecto formali & specificatiuo, non autem in bonum, quamuis quotiea verum est practicum, & non solùm speculatiuum, non sistat in nuda cognitione sui obiecti, sed per illam praxim, aliámve operationem siue intellectua, siue voluntatis dirigat: Quare prudentia, quæ est habitus intellectualis actiuus, verum quidem habet pro obiecto, siue honestam actionem sub ratione veri respicit, quamuis suâ illâ cognitione dirigat potentiam elicientem eandem actionem honestam cuius de ipsa principium ac causa est, vti diximus *cap.* 4. *superiori.* Ideò S. Thom. 2. 2. *quæst.* 47. *artic.* 4. *ad tertium.* dixit agibilia esse materiam prudentiæ sub ratione veri, sub qua sunt obiectum rationis; esse autem materiam moralium virtutum secundum quod sunt obiectum virtutis appetitiuæ,

petitiuæ, scilicet sub ratione boni: ex quibus expones quod habet idem S. D. *ibid. art.4.* eam virtutem quæ respicit rectitudinem appetitus respicere bonum non solùm materialiter, sed etiam formaliter & sub ratione boni; prudentiam autem respicere rectitudinem appetitus, quia est applicatio rectæ rationis ad opus, quod non fit sine appetitu recto: Inde enim sequitur prudentiam respicere bonum formaliter sub ratione boni, non tantùm sub ratione veri; non pugnat tamen secum S D. nam bonum est obiectum *formale quod* prudentiæ, non autem *formale sub quo*, quod vltimum tantùm est specificatiuum habitus: non respicit enim prudentia actionem humanam, nisi quatenùs est capax honestatis, illámque honestatem considerat, & attingit, atque etiam rectitudinem appetitus, non tamen simpliciter vti honestas, sed vt veritas quædam est; non enim respicit illam prosequendo, aut fugiendo, sed cognoscendo; atque eius volitionem ac prosequutionem dirigendo. Maneat itaque obiectum formale prudentiæ esse honestatem, quam cognoscit & definit in singulis materiis singularum virtutum; quod etiam confirmatur ex eo, quod obiectum formale habitus practici, sit ea forma quam inducit in suam materiam; cum enim faciat suum obiectum id non præstat, nisi certam aliquam formam in materiam circa quam operatur, inducendo. Opus igitur quod facit habitus practicus est illius obiectum adæquatum: Materiale autem est materia in qua occupatur: formale erit forma quam imprimit tali materiæ, quod omnium artium; & habituum effectiuorum inductione constat. Cùm igitur prudentia sit habitus practicus, habeátque aliquid opus pro obiecto, siue faciat suum obiectum, & habeat pro materia singulares & determinatas materias singularum virtutum, & in illa materia mediocritatem definiat, constituatve, atque honestatem in ea materia consisteotem, vel ex ea necessariò resultantem; habebit sane pro obiecto formali eandem mediocritatem, & honestatem: & ne dicas hanc materiam quam assignamus prudentiæ esse dumtaxat remotam; idem enim omninò valebit in materia proxima, quæ sunt actiones humanæ capaces honestatis & turpitudinis moralis, circa quam materiam agit prudentia, illis imprimendo honestatem cuius capaces sunt, non eas actiones eliciendo (id enim pertinet ad virtutes morales) sed dirigendo. Habebit igitur pro suo obiecto formali honestatem sicut habent aliæ virtutes, sed alio modo, omitum sub ratione veri, cùm illam tantùm attingat cognoscendo; non sub ratione boni, quamvis enim attingat bonum illud formaliter vt bonum & honestum est, bonum tamen illud est solùm *formale quod*, non *sub quo*: nam præter rationem formalem *qua*, datur alia ratio vlterior, quam nominant rationem formalem *sub qua*. Quia verò duplicem materiam prudentiæ sicut & aliis virtutibus atque habitibus practicis statuebamus, vnam propriam, in qua tanquam in subiecto virtutis mediocritas consistit; alteram impropriam, quæ est medium quoddam ad illam mediocritatem & honestatem virtutis, vel obiectum finemve habitus practici attingendum: Idcircò duplicem quoque finem, siue obiectum formale hoc loco assignare prudentiæ debemus, nimirum honestatem singularum virtutum, quam intendit & dirigit definiendo mediocritatem in singulatum materiis, & directionem ordinationemque mediorum ad illum finem honestatémve consequendam idoneorum.

QVÆSTIO II.

De munere & actibus Prudentiæ.

Explicato obiecto & materia prudentiæ, facilè fuerit eius fines, munera, & varios effectus assignare.

§. I.

Finis & officium prudentiæ.

Nam imprimis colliges ex dictis, primarium & adæquatum finem ac munus prudentiæ esse, in materia virtutum singularum mediocritatem constituere, & media ad eum finem ordinare, v.g. quoad temperantiam materiam ciborum & potuum aliásque delectationes corporeas quantum, quatenùs, quando, quo loco, & modo ex illis capiendum sit ad honestatem definire. Deinde quibus mediis ad eum finem in tali materia peruenire fas sit, præscribere. Sic ars ædificatoria habet pro materia ligna & lapides, aliave eiusmodi, pro fine domum ædificandam, pro munere & officio, præscribere, quando forma domus in eam materiam inducenda sit, & domus ædificanda.

Non est igitur prudentiæ duntaxat statuere de mediis, quæ ad finem virtutis referuntur, sed etiam ipsum finem virtutis in materia propria particulari & determinata virtutis constituere, honestum enim vti monui superiùs abstrahit ab honesto temperantiæ, iustitiæ, aliarúmve virtutum; & honestas temperantiæ abstrahit à materia cibi & potus reliquarúmque rerum sensibilium, ex quibus delectatio corporea percipi potest: syndereſis autem est, vti explicuimus *cap. superiori* de fine virtutis in vniuersum præscribere, prudentiæ verò de eodem fine definire non absolutè & abstractè spectato, sed vt determinatus est ad certam definitámque materiam. Quare non constituit de temperantia aut iustitia in vniuersum, illarúmque obiectis, sed de temperantia in hac definita materia, cibis & potus. Ratio perspicua est, quia habitus principiorum versatur solùm circa ea quæ per se nota sunt, vel ex natura sua, quia carent medio; vel quia sensu quodammodo percipiuntur, aut tam facilè deducuntur ex primis principiis, vt quamvis medium habeant quo probentur, iis tamen sine discursu formali aut certè imperceptibili assentiamur: quando verò aliqua neque per se nota sunt, neque ex per se notis, nisi operoso discursu, & multâ inquisitione deducuntur, opus est ad illa habitu distincto ab habitu primorum principiorum, at verò honestas virtutis in vniuersum per se nota est, & principia quæ illam enunciant per se etiam nota sunt, aut

aut ex illis facilè & ferè nullo discursu deducuntur, vt bonum est prosequendum, turpitudo fugienda, iustitia honesta est, temperantia sectanda, nulli amico nocendum, diuinæ legi obtemperandum, Deus colendus, rationi rectæ obsequendum. Ad hæc igitur aliave similia prima aut ex primis immediatè deducta principia sufficiet synderesis, quam definiebamus habitum primorum principiorum agibilium; honestas autem virtutis cuiuscunque in materia singulari non est per se nota, quia resultat ex eius mediocritate; hæc autem non nisi operoso discursu vestigatur, v.g. mediocritas temperantiæ in cibo & potu definienda est ex loco, tempore, quantitate, aliisve circumstantiis, quas præscribere difficilè omninò est: opus igitur est distincto quodam habitu, qui in materia singulari, & determinata statuat, quid & quomodo agendum sit, quem habitum nominamus prudentiam, quæ proinde de fine virtutis, non abstractè, sed in materia determinata ac singulari præscribit.

3 Quod verò de mediis quoque ad eum finem virtutis conducentibus statuat, omnes consentiunt, cùm eos maximè prudentes dicamus, qui sapienter præcipere possunt, quomodo finis semel constitutus obtineri valeat; deinde cùm prudentia sit virtus consultiua, & consultatio præsupponat intentionem finis, & versetur circa media ad finem vtilia, dirigátque electionem circa eadem media, maximè versabitur prudentia.

4 Quinimmò inde aliqui colligere videntur, prudentiam versari dumtaxat circa media, non autem circa finem virtutis. Itaque sentiunt Caietan. 2. 2. *q. 47. art. 6.* Valent. *ibid. disp. 4. q. 1. pun. 3.* quibus videtur omninò fauere Arist. nam 6. *Ethic. cap.* 12. aliàs 13. ita loquitur. Opus ex prudentia & morali virtute perficitur; virtus enim propositum scopum, prudentia quæ ad ipsum tendunt recta efficit, hoc est, interprete Andronico, prudentia quærit & deliberat, quibus potissimùm mediis optimè, facillimèque, & vt oportet finem suum assequi possit virtus moralis: quod iterum inferius clarius pronuntiat Philosophus, virtus, inquit, finem, prudentia quæ ad finem tendunt, vt agamus, facit. Idem confirmant omnia munera quæ prudentiæ tribuit, nimirùm bene consultare, & post consultationem bene iudicare, ac demùm eorum quæ definita sunt exequutionem vrgere; hæc enim omnia media non finem respiciunt, sapienter tamen contendit Scot. *in 3. dist. 36. q. vn. art. 2.* prudentiam quoque finem virtutibus moralibus præfigere, vti nos asseruimus, quia vt *litt. 9.* argumentatur, virtus moralis semper sequitur sibi prælucentem rectam rationem & prudentiam, quod iterùm ostendam inferiùs: Atqui virtus moralis tendit in finem aliquem particularem: ergo circa illum prudentia præiuisse debet, quod apertè S. Thom. 1. 2. *q. 66. art. 3. ad 3.* prudentia, inquit, non solùm dirigit virtutes morales in eligendo quæ sunt ad finem, sed etiam in præstituendo finem: Est autem finis vniuscuiusque virtutis moralis attingere medium in propria materia, quod quidem medium determinatur secundum propriam rationem prudentiæ. Quæ ratio S. Thom. omninò demonstratiua est; si enim finis singularum virtutum, est attingere mediocritatem in propria materia, & illam mediocritatem prudentia constituit, necessariò singulis virtutibus fines proprios constituat, oportet: quare vt tota ista controuersia explicetur, & sententiæ in speciem dissidentes componantur, repetenda est allata superiùs distinctio duplicis finis virtutum, siue duplicis honestatis: vnus enim finis vniuersalis est, & ab omni materia absolutus, v.g. volo honestè viuere, volo temperatè viuere; alter ad singularem materiam determinatus, vt volo temperatè viuere in hoc cibo, in hoc potu: primum illum finem vniuersalem non præfigit prudentia, sed synderesis, quæ præit prudentiã, finem verò particularem ipsa præscribit. Ita Lessi. *lib. 1. c. 1. n. 19.* Rich. *in 3. d. 33. art. 2. q. 5.* Ipseque Caietan. Et Valent. qui tandem fatentur prudentiam præfigere finẽ duobus modis: Primò dirigẽdo media in ipsum, siue applicando finem ad media, sicut scientia vsurpat media indemonstrabilia, non quidem ipsis assentiens, id enim pertinet ad habitum primorum principiorum, sed vt applicans illa ad conclusiones quas deducit. Secundò præfigit finem virtutibus prudentia non formaliter, sed subiectiuè & materialiter; determinando nimirùm rem & subiectum in quo existit ille finis, qui est mediocritas, siue quia determinat media coniuncta cum finibus, quatenùs subiectum seu materia ordinantur ad formam suam tanquam ad finem, propter quem est vt quoddam medium. Ideoque sibi contrarius non est S. Thom. dum loco à nobis allato prudentiam præscribere fines affirmat, alibi autem nempè *2. 2. q. 47. art. 6.* negat: nam hoc posteriori loco loquitur de fine formaliter, quem nos vniuersalem, & abstractum dicimus: in priori loco de fine materialiter, quem constituit prudentia, determinando rem in qua est mediocritas; atque adeò finis virtutis, quem finem nos etiam formalem vocamus, sed particularem, & ad singularem materiam determinatum: ait enim finem virtutum moralium esse bonum humanum; hoc autem est secundum rationem. Vnde concludit fines virtutum moralium præexistere in ratione practica tanquam principia naturaliter nota, & sicut in ratione speculatiua, sunt principia naturaliter nota, quorum est intellectus; & quædam per illa principia innotescunt, nimirùm conclusiones ex illis deductæ quarum est scientia; ita in ratione practica principia vniuersalia, sunt fines virtutum. cùm finis se habeat in operabilibus, sicut principium in speculatiuis conclusiones sunt, quæ sunt ad finem, & in quæ peruenimus ex ipsis finibus. Finem igitur virtutibus moralibus præstituit ratio naturalis siue synderesis: prudentia verò principia vniuersalia ad conclusiones operabilium applicat. Quare non præstituit finem virtutibus, quod ne ipsæ quidem faciunt, sed tendunt ad finem ipsis à naturali ratione præstitutum ad quod iuuantur per prudentiam, quæ disponit ea, quæ sunt ad finem. Vbi vides S. Thomam loqui de fine vniuersali virtutum, in quem tendunt virtutes proximè illum suis actibus attingendo: Prudentia verò easdem virtutes in illum per certa media dirigendo, quod fieri nequit, nisi finem illum vniuersalem ad certam materiam determinando. Neque aliud voluit Scot. nósque docuimus: atque ideò de solis vocibus lis est, de mente verò Aristotelis latiùs disputat Raynaud. *lib. 2. de virtutib. cap. 1. à n. 8. ad* 13. mihi certum est Aristotelem, cùm ait, prudentiam versari circa electionem, aut ea quæ sunt ad finem, nomine electionis non intelligere solam voluntatem mediorum, sed intentionem finis in materia determinata & particulari, ea autem materia non est medium vtile ad finem virtutis, sed ipse finis. Nam appetitur propter honestatem & mediocritatem, quæ in ipsa est: dicitur tamen ab Arist. & S. Thom. esse ad finem, quia consequenter & per se ordinatur ad finem abstractum à materia; ideò enim in materia cibi mediocritatem appetimus, vt mediocritatem ipsam temperantiæ absolutè spectatam assequamur, quam etiam vlteriùs ad honestatem in communi sumptam, & cuius honestas temperantiæ pars quædam subiectiua est, referimus: ideò enim temperatè viuimus, quia honestè viuere volumus. Si igitur finès istos particulares & in

certis materiis concretos cum fine abstracto à materia comparemus, rationem aliquam mediorum sortiri possunt, ideóque cum prudentia hos fines particulares præscribat, media præscribere dicitur; quia tamen hæc medij acceptio impropria est, Aristoteles illa voce mediorum abstinuit, vti legenti patet, quamuis ab interpretibus latinis vsurpata fuerit, & dixit dumtaxat prudentiam versari in iis, quæ sunt ad finem, & virtutem moralem in fine ipso occupari, quia prudentia primùm inuestigat, in quo situs sit iste finis particularis, & in hac materia singulari; ideóque singula per accuratam consultationem, quæ materiam illam respiciunt, expendit, vt illius mediocritatem, & honestatem actionis exercendæ, illiúsque finem immediatum inueniat & constituat; quem vbi inuenit constituitque, tunc virtus moralis in eiusmodi finem sibi à prudentia positum obtinendum incumbit; atque ita subtiliter dixit Arist. opus à virtute morali & prudentia perfici: virtutem quidem facere finem rectum, & prudentiam ea quæ sunt ad finem inquirere, quia prudentia expendit quæ iuuant & faciant ad constituendam mediocritatem in materia singulari virtutis. Quæ mediocritas est finis virtutis, virtus verò ipsa in finem sic vestigatum tendit.

§. II.

Actus prudentiæ.

5 Habemus igitur primarium prudentiæ munus versari in constituenda mediocritate & honestate circa materiam determinatam virtutum, non autem circa finem virtutis in vniuersum & abstractum à materia, & media ad illum finem consequendum tradere; id verò obtinet tribus actibus quorum.

6 Primus est consultatio, ideò Arist. 6. *Ethic. cap. 7 sub fin.* aut vt alij partiuntur *initio cap.* 8. præcipuum munus prudentis esse benè consultare τὸ βουλεύσασθαι. itaque is absolutè prudens est, qui est εὔβουλος, qui recta ratione quid homini optimum sit in bonis agendis conijcere potest; de consultatione verò disputat idem Arist. *lib. 3. Ethic. cap.* 3. aliàs 4 & S. Thom. 1. 2. *q.* 14. ex quibus hæc pauca delibabimus.

7 Statuit igitur imprimis Philosophus quænam sit materia consultationi subiecta, quam Græci vocant βουλευτὸν, quod consultabile siue deliberabile vocabulis apud Latinos insolentibus, reddendum esset, estque obiectum consultationis: & primò quidem ait illud solum esse de quo sanâ mente intelligentiáque præditi homines, non bardi aut stolidi deliberare solent: deinde non consultamus de æternis, vt de mundo aut de diametri & costæ incommensurabilitate & asymetria, neque de necessariis quæ semper & eodem modo fiunt, vt solstitiis; neque de iis quæ licet statuta tempora non habeant, oriuntur tamen à causis necessariis & naturalibus, cuiusmodi sunt imbres & siccitates; neque de fortuitis & casualibus, vt thesauri inuentione, sed de iis, quæ ab homine fieri possunt, atque de iis non quæ ab aliis, sed quæ à nobis fieri solent; cùm enim consultatio sit de agibilibus; agibilium causæ sunt vel physicæ, vel morales: physicæ sunt vel æternæ vel necessariæ, vel fortuitæ, de eiusmodi causarum effectibus nemo sapiens consultauerit, cùm nostra de eiusmodi agibilibus inquisitio nihil conferre valeat, vt ponantur, aut non ponantur; Causæ autem morales sunt mente præditæ, eæque vel ipsimet consultantantes, vel alij quæ non sunt in nostra potestate, & ab aliis solùm fieri possunt, possunt quidem in consultationem propter suam indeterminationem venire, non tamen in nostram consultationem; nisi ea à nobis aut per nos nostróque nomine, siue authoribus nobis agibilia sint; quis enim consultat, quomodo Scytharum aut Lacædemoniorum Respublicæ gubernandæ sint. Itaque de iis tantùm quæ sunt in nostra potestate, vt fiant, aut non fiant, & hoc vel illo modo fiant instituimus consultationem, vel soli, vel si res maioris momenti sit, sapientibus in consilium vocatis: vnde S. Thom. 1. 2. *q.* 14. *art.* 3. obseruat consilium dici considium, quod plures ad deliberandum considere soleant; atque sapientes in consilium adhibendos monet ipse Arist. *eo cap.* 3. *& cap.* 11. *lib.* 6. & 1. *Ethic. cap.* 1. referens Hesiodi versus quos etiam probat Clem. *lib.* 3. *Pædag. cap.* 3. Basili. *homil. de vtilit. capiend. ex lib. Gentil.* Tulli. *orat. pro Cluentio* tacito Hesiodi nomine, & similes, & Zenone Themist. *orat.* 17. qui etiam plura in eandem rem *orat.* 3. Plato *in Prot. ex Homero*, Chrysost. *hom.* 9. *de laudibus Pauli.* Antonin. *lib.* 6. *de vita sua. n.* 20. Senec. *epist.* 109. Basil. *in cap.* 1. *Isai.* Augustin. *conc.* 1. *in psal.* 36. Nyssen. *lib. de virginit. cap.* 13. & 24. Cassian. *collat.* 2. *a cq.* 10. Bernard. *ep.* 87. Hieron. *ep.* 22. ad Eustoch. fusius disputant, quibus sint in consilium vocandi viri sapientes, vt illis obaudiendum sit, & non debeamus nostro consilio aut ingenio tantum duci.

Non consultamus tamen de omnibus per nos agi- 8
bilibus, nisi aliquam aut in se ipsis in modo quo fiunt incertitudinem, & indifferentiam habeant; si enim eodem modo fiant, consultatio inutilis foret, ideóque non deliberamus de ratione scribendi, quomodo videlicet formandi sint characteres & disponendi, vt v. g. scribatur nomen Achillis: quo exemplo vtitur Aristoteles 1. *magn. moral. cap.* 8. certi enim sunt characteres, & vt interpretatur Andronic. definitæ notæ ὡρισμένα τὰ σημεῖα: eandem ob causam quæ circa scientias & artes certa, & omni ex parte exquisita sunt, non veniunt in consultationem, περὶ τὰς ἀκριβεῖς & αὐτάρκεις τῶν ἐπιστημῶν οὐκ ἔστι βουλὴ, Græci enim duo scientiarum, artiúmque fecêre genera, quarum alias appellarunt ἀκριβεῖς siue αὐτάρκεις alias verò στοχαστικάς: priores Cicero *lib.* 1. *de diuinat.* vocat exquisitas, posteriores opinabiles, seu coniecturales; in primis illis numerat geometriam, physicam, grammaticam, imprimisque Theologiam quæ ab Arist. initio metaphys. ἀκριβεστάτη, hoc est exquisitissima dicitur, posteriores sunt rhetorica, politica, dialectica, medicina, nautica, omnesque opificum artes, vt in primo topic. docet Alexander, exquisitæ igitur disciplinæ cum & αὐτάρκεις, hoc est seipsis contentæ, sint non ad aliud referendæ, & omni ex parte exploratæ, atque certissimæ in deliberationem venire nequeunt; nunquam enim ambigimus an hoc aut illo modo fieri debeant: at verò quæ opinabiles sunt, hoc est opinione aut coniectura nituntur, atque ideò incertæ, multisque deceptionibus obnoxiæ sunt, in consultationem adduci possunt, atque ex iis illæ quæ incertiores aliis sunt, maioremque ambigendi locum & materiam dant, consultationem magis requirunt: quia inquit Andronich. minus definitæ sunt, vti videmus in gymnistica quæstuaria χρηματιστικὴ, medicina & gobernatoria κυβερνητικὴ; gymnastica enim qua corpus exercemus certioribus & planioribus nititur principiis, non enim multa consideranda sunt in palæstra luctatori & panctariastæ, quæ artem illam incertam reddant; cum medico, fœnctatori gubernatori nauis, consideranda plurima sint, ex quibus magnæ dubitationes existunt, incertique redduntur & inconstantes earum facultatum euentus, medicum enim intueri oportet ætates, cibos, tempus, consuetudinem, vitæ rationem, aliáque multa & varia & incerta in eo, cuius corpus

procurat

procurat fœnerator & quæstum facere volens, opportunitates, copiam, & raritatem pecuniæ, annonam, vendibilitatem mercium, vecturam, partoria, fidem commerciorum, aliáque eiusmodi dubia admodum & implexa vestigare debet: exitu plerumque ancipiti & infœlici gubernator considerat ventos, habitum cœli, signa tempestatis, & prætetea longè plura, ex quibus incerti & varij nauigationis exitus pendent; multò maiorem igitur consultationem requirunt hæ artes, quàm aliæ, quæ pauciora considerant, eaque certiora & magis definita. Ex disciplinis itaque eæ quæ versantur in agendo, in deliberationem veniunt potiùs, quam quæ solâ cognitione contentæ sunt: quamquam & de iis quoque nonnulla instituatur consultatio, non quidem quoad res quarum cognitionem, & doctrinam tradunt, necessariæ enim sunt, & certissimæ, sed quoad vsum ipsarum scientiarum. Quærimus enim quâ ratione, quóve ordine processus habendus in ipsis sit: sic etiam non tam deliberamus de artibus, quàm de artefactis, siue de opere artis; ars enim omnis præceptis vniuersis ac generalibus quæ necessaria sunt, continetur; at verò artis opus varietatem interdùm multiplicem suscipit ex loco, tempore, persona, aliisque circumstantiis, vt in medicina & nautica cernitur, ideóque de artis opere consultatur, quoties illud opus inconstantiam & varietatem habet, non verò quoties semper eodem modo se habet, quod non frequenter contingit.

9 Aristoteles prætetea *6. Ethic. c. 2.* excludit à consultabili præterita, ea enim sunt iam determinata, neque aliter fieri possunt. Nam vt ait Agatho Poëta *ibidem apud Philosophum*, ne Deus quidem facta, infecta reddere potest: quod & Pindarus *in 2. hymno Olymp.* parenti omnium tempori fuisse dicit, & sanè nemo consultat Ilium esse captum: de rebus quoque singularibus & quæ sensu diiudicantur, non deliberamus, vt an hoc quod manibus tenemus panis sit, aut si panis sit, an benè coctus, & subactus, cuius rei geminam rationem reddit Aristoteles *illo cap. 3. lib. 3.* prima est, quia ista singularia determinata sunt, cùm tamen deliberatio fiat cum ratione & animi agitatione: altera ratio est, quia infinita erit deliberatio, & nunquam ad electionem quæ finis consultationis est, perueniemus; omnia enim in disputationem vocabimus, & rebus clarè perspectis ac cognitis fidem ex aliis conciliare quæremus; adeóque in deliberando infinitè vagabimur, addit S. Thom. *q. 14. cit. art. 4.* de rebus etiam parui momenti vix deliberari, quia non multùm interest, hoc aut illo modo fiant.

10 Denique non consultamus de fine, sed de mediis quod probat: primò quia ea sunt materia deliberationis, quæ sunt in hominis potestate, vt fiant aut non fiant, ea verò sunt actiones humanæ, actiones autem humanæ fiunt alterius causa ἄλλου ἕνεκα; quæ verò alterius causa fiunt, non sunt fines. Secundo probat, quia fines dubij non sunt, neque quærit medicus an debeat sanare, & Rhetor an debeat persuadere, & moderator reipublicæ, an optimis legibus illam temperare oporteat, & omnes qui quidpiam agendum susceipiunt, finem quidem ipsum præsupponunt; quibus autem mediis ad illum peruenire possint, deliberant: Quod si medium vnicum sit, de eo non deliberatur, sed de modo illo vtendi aut ipsum obtinendi, si pendeat ab alio quopiam. Sic vt explicat Gifan. si de bello deliberetur, quæritur vnde contrahendi sint equites, ex qua Prouincia legendi, in quem locum adducendi: quia verò equitatus sine magnis sumptibus cogi nequit, vlteriùs quæritur de comparanda pecunia, cuius cùm occurrant plurimæ viæ, vectigal & tributum inducendum populis eligitur. Proponitur igitur in tota hac consultatione, primum victoria, quæ finis est, & in deliberationem non venit; deinde equitatus vnicum ad victoriam consequendam præsidium; deinde pecunia, cuius beneficio paratur equitatus: postremo vectigal, sine quo pecunia non habebitur, atque ita peruenitur ad vltimum à quo tota instituenda & inchoanda est actio.

Ex his colligit primò Aristoteles, consultationem procedere modo resolutorio, si per plura inquit, fieri posse videtur; scilicet finis, per quod illorum facillimè, optiméque fiet, perquirunt, sin per vnum, quonam modo per illud fiet, & illud idem per quod efficietur considerant, idque faciunt, donec ad primam perueniant causam; quæ quidem inuentione est vltimum; qui namque consultat, id quærere videtur, & retexere dictum iam modum: quemadmodum diagramma ἀναλύειν τὸ εἰρημένον τρόπον ὥσπερ διάγραμμα. Addit denique postremum in resolutione τὸ ἔσχατον ἐν τῇ ἀναλύσει, primum esse in generatione πρῶτον ἐν τῇ γενέσει. De hoc ordine resolutorio plurima Caietan. *in art. 5. quæst. 14.* sensus philosophi & S. Thomæ est, consultantem resoluere eo modo quo mathematicus, qui sua diagrammata & figuras in lineas ex quibus componuntur, resoluit, hoc est composita in partes & simplicia quibus coalescunt. Quo etiam modo consultans procedit: nam a fine qui in suo esse & existentia est; effectus mediorum procedit ad media, & hæc deinde media singillatim confert inter se & considerat, atque resoluit vsque ad primum à quo incipienda est executio, & vltimum cum quo est finienda: vnde addit, quod est primum in ordine resolutionis, esse vltimum in ordine generationis seu executionis; & e contrario vltimum in resolutione, primum est in generatione, sic enim initium actionis nominat Arist. voces sibi perfamiliari: sic inferiùs appellat hominem γεννητὴν τῶν πράξεων, genitorem & quasi fabrum suarum actionum. Quia igitur in illa simplicium & partium quodammodo componentium inuestigatione, seu mediorum inter se & cum fine comparatione inquiritur, quodnam sit proximius & immediatius fini, quo posito statim acquiratur finis, tum quomodo illud ipsum haberi possit, atque de hoc iterùm idem quæritur, donec deueniatur ad primam actionem, à qua inchoari debet exequutio, quæ proinde incipit, vbi desinit consultatio: Ideóque idem Arist. *lib. 2. Eudemico. cap. vltim.* dixit, rationis seu deliberationis, & disputationis principium esse idem ac finem; actionis autem principium esse finem deliberationis: huic magno consensu ab omnibus Philosophis & Theologis recepti sunt duo ordines, alter intentionis seu resolutionis, alter executionis seu generationis, qui licet variè procedant, in eundem finem tendunt, idémque motiuum habent, vt optimè ostendit Vasq. *1. p. disp. 89. n. 53. & 54.* cum Sua. *lib. 1. de prædestinat. cap. 18.* qui *ibid. n. 16* cum Vasq. *1. p. disp. 82. n. 20.* optimè obseruat hunc duplicem ordinem non reperiri nisi respectu finis, & mediorum, non autem inter finem *cuius*, & finem *cui*; quia finis *cui* est subiectum finis *cuius*, non autem aut medium, aut proprius finis ad quem aliter refertatur.

Collegit secundò. Arist. consultationem non esse infinitam, neque ex parte principij, neque ex parte termini, vt ait S. Thom. *q. 14. art. 6.* quia incipit post finis voliti intentionem, & desinit in aliquid quod nos statim exequimur. Sicut in scientiis demonstratiuis est principium quod ipsæ supponunt, vel per se notatum, vel aliunde probatum, & conclusio ad quam terminantur. 12

Colligit tertiò Arist. quid intersit inter eligibile, & consultabile προαιρετὸν καὶ βουλευτόν: conueniunt enim,

enim, quod vtrumque sit in nostra potestate, illúdque ipsum quod consultando visum est melius, aut saltem vtile ad finem id eligimus, si intentio finis fuerit efficax. & perseueret; neque illam incommoda quæ occurrunt in vsurpandis mediis, abiicere, cogant; differunt tamen primò, quia προαιρετὸν, est iam definitum, & iudicatum ἀφωρισμένον, non autem βουλευτὸν, de eo enim adhuc deliberatur. Secundò, quia tunc desinit deliberatio, cùm eò deducta res fuit, vt ex ipso deliberante pendeat, & ad actionia principium quod est in ipsomet consultante, sic enim interpretor cum Gifanio illa verba ὅταν εἰς αὑτὸν ἀναγάγῃ, & cum iam mens rem deliberatam proponit voluntati aliísque potentiis exequendã, quod explicat ex eo quod Reges quæ in consilio deliberarunt, ad populũ probanda seruandáque referũt apud Homer. *Iliad. 2.* & *Odyss. lib. 8.* qui fuit etiam Romanorum mos; vbi enim agenda fuerant in Senatu definita, Senatusconsultum quod Dionys. Halicarn. *lib. 9.* προβούλευμα vocat, ad concionẽ & populum referebatur; ex quibus omnibus tandem concludit Aristot. cum προαιρετὸν nihil aliud sit, quàm βουλευτὸν ὀρεκτὸν, nihil quoque aliud esse προαίρεσιν, quam βουλευτικὴν ὄρεξιν, eligibile est consultabile, appetibile eorum, quæ in nobis sunt, electio est appetitio consultatiua eorum, quæ in oobis, id est, in nostra manu, & potestate sunt.

13 Vnum restat dubium quod excitant interpretes quoque. S. Thom. *in art. 2. q. 14.* malè enim videtur negari, consultationem institui de finibus: cùm enim plures quandoque occurrant sapientes, quæritur, quisnam præferendus sit; idque tandem fatetur Valent. *1. 2. disp. 2. quæst. 9. p. 2.* quamquàm ex communi scholæ vsu vocem consultationis velit non vsurpari, nisi de inquisitione mediorum vtilium ad finem, malim respondere cum Vasq. *1. 2. disp. 44. cap. 2.* finem abstractè sumptum, siue in communi, cuiusmodi est beatitudo, siue in singulari vt honestas temperantiæ, fortitudinis, cæterarúmque virtutum non vocari in deliberationem, sed tantùm quando ad singularem materiam contrahitur; nemo enim quærit an sit habenda temperantia, an acquirenda fortitudo, sed vtrum in hac materia hoc tempore, hoc loco sit habenda temperantia,

§. III.

De aliis prudentiæ actibus.

14 Atque hactenùs de primo actu prudentiæ, qui est consultatio. Secundus est iudicium, quo concluditur tota consultatio, quæ alioquin inutilis omninò foret, nisi post plurima examinata, certum aliquid statueretur, & vnum ex omnibus eligendum voluntati proponeretur. Quare tota illa mentis sollicita, & operosa inquisitio in præuia consultatione ad iudicium tendit, sicut syllogismus ad conclusionem ex præmissis eliciendam.

15 Non sistit tamen prudentia in eo iudicio, sed addit imperium quo impetat voluntati ac potentiis cæteris executionem actionis, quæ per iudicium definita fuit, eúmque actum principium esse prudentiæ docet S. Thom. *quæst. 47. art. 8.* & totum id explicat venationis exemplo Themist. *orat. 3. citata*, & probatur, quia præcipuum prudentiæ munus diximus esse præfigere media, & præscribere ea quæ sunt ad finem; id autem fit immediatè & elicitiuè per solum imperium: duo enim alij actus præuij eliciuntur ab aliis quibusdam habitibus prudentiæ annexis, de quibus statim ex Aristotele, quod confirmat S. Thomas ex eo, quod qui contra prudentiam sciens & volens peccat, magis peccat, quàm si Ignorans peccaret, cùm tamen qui sciens contra artem peccat, minus peccet, quàm si ignorans peccaret: quod obseruauit Aristoteles *6. Ethic. cap. 6.* cuius rationem reddit cum Philosopho S. Thom. quia propria actio artis est in iudicando, cui magis opponitur ignorantia; prudentiæ verò actio est rectè imperare, cui magis opponitur electio ex malicia quàm ex ignorantia. Deinde cum prudentia sit habitus: cum vera ratione actiuus per actum qui operi & actioni propinquior est, maximè exercetur; illa autem est imperium per quod tum consultatio, tum iudicium immediatè applicantur operi: Quis verò sit hic imperij actus, & an à iudicio distinctus fusiùs diximus *cap. 1. q. 3. n.* .. Neque aliquid adiiciendum videtur.

QVÆSTIO III.

De partibus prudentiæ.

§. 1. *Partes potentiales prudentiæ quid sint.* n. 1.

§. 2. *De Eubulia.* n. 2.

Non est qualibet quæstio ibidem, neque scientia. n. 3.

Neque coniectura & sagacitas. n. 4. 5. *neque opinio.* n. 6.

Neque διάνοια *& in-mens quid tandem illa sit.* n. 8.

§. 3. *De synesi.* n 9. 10. 11.

§. 4. *De Gnome.* n. 12.

§. 5. *Comparantur hi habitus cum prudentia, & inter se.* n. 13. 14. 15. 16. 17.

§. 6. *Partes integrantes prudentiæ.* n. 18.

§. 7. *Quid sit mens & intelligentia apud Aristotelem.* n. 19.

§. 8. *Consectaria ex hac doctrina Aristotelis.* n. 20. 21. 22. 23.

§. 9. *Cætera partes integrantes prudentiæ.* n. 24.

§. 10. *Partes subiectiuæ prudentiæ.* n. 25.

Prudentia politica. ibid.

Prudentia priuata. n. 26.

EXplicatâ naturâ prudentiæ, eiúsque muneribus & actibus, facilè fuerit varias eius partes assignare: S. Thomas *q. 47. cit.* & alij deinceps eas triplicis generis faciunt, subiectiuas, integrantes & potentiales. Ordior ab his postremo loco recensitis.

§. I.

Partes potentiales prudentiæ.

Partes igitur potentiales virtutis, vt plurima omittam, quæ fusiùs disputantur à S. Thom. *in 3. dist. 33. quæst. 3. art. 1. ad 1. quæstiunc. 1.* & Gabriele *ibid. ead. dist. quæst. vnica, littera E*, sunt *Habitus quidam instrumentales, qui principali virtuti ad suos actus deseruiunt*; sicut potentiæ inseruiunt animæ ad varias actiones: Eiusmodi autem partes, siue habitus ministeriales prudentiæ tres enumerant Philosophi cum S. Thom. *2. 2. q. 48. art. 1.* & *q. 51.* ad mentem Aristotelis *6. Ethicor. cap. 9. 10. & 11.* Eubulia, Synesis, & Gnome; cum enim præcipuus prudentiæ actus sit præcipere, ad illúmque ordinetur, 1

ordinetur, tum consoltatio, tum iudicium, fatendum omninò est, virtutem bene consiliatiuam, quæ dicitur Eubulia, & habitum bene iudicandi tum ex rigore iuris qui dicitur synesis, tum ex quadam venia & æqua consensione, siue indulgentia, qui nominatur Gnome γνώμη, vti statim explicabo, ministrare prudentiæ primarios eius actus, atqueadeò esse partes potentiales ipsius; plurima tamen contra vulgatam hanc sententiam obiiciuntur à Vasq. 1. 2. *disp.* 49. *cap.* 5. & aliis, quibus videtor hos habitus enumeraros non esse distinctos à prudentia, cotómque actus verè à prudentia elici, esséque primarioa, & non tantùm secundarios; ac proinde illorum principia non supienter appeliari partes potentiales, aut ministeriales prudentiæ; neque eam esse Philosophi mentem, quæ omnia explicari nequeunt, nisi istorum actuum & habitoum naturam ex ipsomet Aristotele aperiamus.

§. II.

De Eubulia.

2 Eubulia igitur est, *rectitudo consilij siue consultationis ad bonum finem per vias congruas tempore conuenienti, vt tota hominis vita bene disponatur.* Hanc definitionem Eubuliæ, quam alij bonam consultationem, bonum consilium, vim bene consiliatiuam reddunt, manifestè colligo ex Aristotele *cap 9. lib. 6. Ethic.* & *lib. 2. magno. moralium, cap. 3.*

Monet igitur imprimis Aristoteles, consultationem non esse quamcumque quæstionem, etsi enim omnis qui consultat, quærit, non tamen omnis qui quærit, consultat; nam etiam de necessariis, vt an triangulum habeat tres angulos æquales duobos rect s, an Luna sit circularis, quot sint orbes cœlestes, aliáque similia quæruntur, de quibus non consultatur, sed de solis contingentibus, vti superiùs monuimus. Deinde qui bene & malè consultat, quærit. Quare latiùs patet quæstio, quàm aut consultatio, aot Eubolia.

3 2. Eubulia non est scientia ἐπιστήμη, quia scientia non est quæstio; quod enim scitur, non quæritur; scientis siquidem mens iam consistit, inquit idem Aristot. *lib. 7. Physic.* Omnis autem bona coosultatio siue Eubulia quæstio est, igitur scientia non est. Deinde Eubulia est rectum quoddam siue rectitudo ὀρθότης, scientia non item, quia scieutia non peccat vt habere possit dirigibilitatem, & cùm nullam habeat prauitatem. aut obliquitatem, nullam quoque habebit rectitudinem siue vim quâ dirigatur ne aberret, cùm aberrare nequeat, sicut consultatio quæ bona & mala, obliqua & praua esse potest. Itaque datur vis directiua, aut rectitudo consultationis, quam Eubuliam dicimus, sicut datur consultationis quoqoe prauitas & malitia.

4 3. Eubolia non est εὐστοχία, id est sagax coniectura, quia hæc repentina ferè est, & subita rei inuentio absque longiore disputatione & agitatione, fit inquit sine ratione λόγου, id est, ratiocinatione, atque vt interpretatur Andronic. ἄνευ χρόνου τινὸς, καὶ λογισμοῦ, καὶ μελέτης, cùm Eubulia longiore morâ, inqoisitione, & agitatione egeat. Vnde vulgare prouerbium refert, citiùs exequendum esse, quæ diutiùs deliberaueris, nihilque periculosius esse celeri & præcipiti consilio, Liui. *lib.* 31. aliique passim mouent: vide & Dion. Chrysost. *orat.* 22. *&* 26. quamquam qui ad intelligendum, & peruadendum negotia, de quibus consultatur quodammodo plumbei sunt, vt loquitur August. *lib. 4. in Iulian. cap. 3.* laudandi non sint.

5 4. Enbulia non est etiam ἀγχίνοια, id est sagacitas, & velox quædam coniectura in ioueniendo rei medio. Itaque est magna quædā cognatio inter εὐστοχίας & ἀγχινοίας; nam sic definitur ἀγχίνοια ab Stoïcis ἀγχίνοια ἐστιν εὐστοχία τις ἐν ἀσκέπτῳ χρόνῳ: sagacitas est quædam bona coniectura longi temporis considerati ooe vacans, à Platone in Charunde dicitur eadem ὀξύτης τῆς ψυχῆς, concitata quædam animi celeritas, ipse denique Aristoteles *lib. 1. priorum analytico. cap. 27.* definit esse εὐστοχίαν τινα ἐν ἀσκέπτῳ χρόνῳ τοῦ μέσου, sagacem coniectoram, per quam statim rei de qua agitur medium & causa nobis occurrit, veluti inquit, si quis videns semper lucidam lunæ partem ad solem esse coouersam, coniiciat id fieri, quia luna solis lumioe illustratur. Vnde Eustrath. colligit *hoc cap. 9. lib. 6. Ethic.* εὐστοχίαν & ἀγχινοίαν, non alio modo differre, quàm quo genus à specie; εὐστοχία enim est, vt de omni re proposita aliquis subitò respoodeat, ἀγχίνοια vt de rei propositæ causa quis promptè coniiciat: ideóque à Paraphraste Andronico definitur ἄσκεπτος ἀπόδοσις τοῦ μέσου, subita & non meditata medij assignatio; per medium verò monet se intelligere rei de qua agitur causam. Cùm igitur ἀγχίνοια sit quædam sagacitas, & εὐστοχία, fiatqoe sine consideratione, & iam ostenderit Philosophus Eubuliam bonam consultationem non esse sagacitatem & coniecturam; fierique cum plurima consideratione, sequitur oeqoe esse ἀγχινοίαν.

5. Eubolia non est opinio δόξα, qood Arist. oratione admodum implicata docet, ideóque meodum, & perturbationem irrepsisse in textum Phiiosophi existimat Gifani, & Balfoure: sensus est Eubuliam differre ab opinione duobus modis, primò qoia opinionis rectitudo sicut & scientiæ est veritas & conformitas cum re; eius autem error est falsitas, sic Plato in Philebo geminam facit opioionem; vna est ὀρθὴ recta, altera ψευδὴς falsa, vel πονηρὰ mala, vel ἁμαρτανόμενα praua. Contraria enim sunt ὀρθοῦν & ἁμαρτάνειν, sicut etiam apud Stoïcos κατορθώματα, & ἁμαρτήματα rectè facta & peccata, atqui bonæ consultationis rectitudo est bonitas consilij & in ordine ad praxim. Secundò, qoia opinio quæstio non est, sed est iam definita eounciatio & absoluta εὕρεσις, inquit Paraphrastes Androni. τινος συμπεράσματος, cuiusdam conclusionis inuentio, consistitque circa aliquid definitum περὶ τὸ ὡρισμένον ἤδη, & φάσις ἀπηρτισμένη, absoluta enunciatio. Nam qui opinatur certum & definitum verum esse existimat, neque quidquam ampliùs inquirit; existimat enim se verum attigisse, quamvis interdum fallatur: at verò qui consultat, siue bene siue malè quærit adhuc, & nihil certum & constitutum habet. Cum igitur opinari sit inuenire εὑρηκέναι, & consultare, sit quærere ζητεῖν, manifestum est eubuliam siue bonam consultationem, & opinionem plurimùm differre. 6

6. Neque etiam Eubulia est διάνοια, sed ab illa deficit; siue vt reddit Lambinus, inferior est, λείπεται. διάνοιαν verò reddunt meotem: verùm non est διάνοια quæcumque cogitatio, siue iudicium, sed illud quod fertur de aliqua opinione, vti sapienter aduertit Vasq. 1. 2. *disp.* 49. *cap.* 5. *num.* 27. ex Damasc. *lib. 2. de fide cap.* 22. ex phantasia, inquit rursus, oritur opinio, tunc iudicium opinionem expendit, veráve, an falsa sit, explorat, atque ita demum quod verum est, decernit, ob idque διάνοια dicitur. Cùm igitur consultatio nondùm ad opioionem peruenerit, cùm adhuc versatur in inquisitione, & dianæa sit iodicium de ipsa opinione bona consultatio, & Eubulia meritò dicitur inferior διανοίᾳ, cùm nondùm sit enontiatio siue opinio, de qua pronuntiat διάνοια: huncque sensom Aristotelis omninò expressit Paraphrastes Andronic. Eubulia inferior est cogitatione, & διανοίᾳ; est enim inquit 7

quit διάνοια λόγος ἀπαρτισμένος, καὶ ἠρεμημένος μετὰ τῆς προσηκούσης αἰτίας: Ratiocinatio iam absoluta & inuenta cum conuentione sui causa, itavt aliquid firmius quam opinio dicat; Eubulia autem habet totam suam essentiam in quæstione ἐν τῷ ζητεῖν ἔχει τὸ εἶναι, quæ aliquid præuium est ad διάνοιαν. Ex quibus omnibus tandem efficitur εὐβουλίαν, nec quamcumque quæstionem esse, nec scientiam, nec sagacem coniecturam, nec opinionem, sed rectitudinem consultationis.

8 Quare ad perfectam huius definitionis notitiam duo sunt expendenda: primum est natura consultationis, quod accuratè præstitit Philosophus *lib. 3. Ethic. cap. 3.* & nos *§. superiori* fusius: alterum est rectitudo propria consultationi, & quid ad illam requiratur, quod reliquo toto capite exequitur: ait igitur rectè aliquem consulere & deliberare posse 4. modis; Primò quia media accommodata ad finem obtinendum quærit & inuenit, quamvis ille finis malus & turpis sit, quâ ratione incontinentes consultant; sic Medea fratris membra dispersit, vt insequentem se patrem moraretur. Hæc consultatio recta quidem est, quia rectè ducit ad finem; at bona consultatio & Eubulia non est, quia non ducit ad bonum, sed ad malum consultantis, quod cum ipsa voce Eubuliæ & bonæ consultationis pugnat. 2. recta est consultatio quæ bonum & honestum finem, sed prauis & inhonestis mediis prosequitur, vt qui furtis familiam suam alere vult: hæc tamen consultatio bona non est, quia etiamsi finis propositus sit bonus, ratio tamen illius assequendi improba est; sicut qui ex falso medio bonam infert cõclusionem, ille syllogismus bonus non erit. In consilio enim capiendo, duo sunt veluti termini, primus est ille, qui quidpiam appetit, alter id quod appetitur. Modus verò quo hi duo termini connectuntur, quia appetitus consequitur id quod appetit, est medium quod per consultationem suscipitur ad id obtinendum: sicut igitur in ratiocinando infertur vera conclusio ex medio quod falso conuertitur cum extremis, ita & in consultando fieri potest, vt quis finem honestum, per turpe medium attingat, & vt talis ratiocinatio non est bona, sic neque illi similis consultatio bona dici debet; nam Eubulia quæ à bono nomen habet, omnia bona requirit, & finem & medium, ita vt rectitudo consultationis ad finem bonum bona ratione & modo assequendum: Et sanè cum consultatio maximè versetur in mediis, vti diximus, ea non erit bona consultatio, quæ circa media mala & inhonesta occupabitur: neque tamen ea consultatio omni ex parte bona erit, & Eubulia, quæ & honestum finem sibi proponet & honestis mediis ad illum contendet; fieri enim poterit, vt aut diutiùs consultet quam par sit, autque nimiùm festinanter, mora enim illa longior occasionem elabi è manibus sæpiùs patitur; festinum autem & præceps consilium errorem parit: itaque ad absolutam rectitudinem consultationis requiritur, vt tempus conueniens, in illa impendatur: Est igitur Eubulia & ὀρθότης τῆς βουλῆς, quæ vtilitatem sibi proponit, idque quoties & de quibus & quemadmodum oportet, & quamdiu opus est deliberat inquit Paraphrastes: quia verò Eubulia finem aliquem bonum & vltimum propositum habet, pro multiplicitate finis multiplex erit Eubuliæ; duo autem sunt finium genera, vnus communis & vltimus, qui ad totam vitæ rationem spectat, estque beatitudo; alter singularis, vt imperatori victoria, mercatori lucrum. Duplex est Eubulia, vna vniuersalis, quæ est de iis quæ ad finem vltimum ducunt, nempè vt ipse dixit *capit. 5.* πρὸς τὸ εὖ ζῆν ὅλον, ad totum benè viuere; & Paraphrastes *hoc cap. 9.* περὶ τῶν φερόντων τὸ καλὸν τέλος τὴν κατ' ἀρετὴν ζωὴν, de iis quæ ducunt ad vltimum finem, & vitam secundum virtutem: altera est singularis siue partialis μερικὴ Eubulia, quæ ducit ad finem particularem, qui tamen non sit vltimus, ad vltimum nihilominus perducit, cum enim bonus sit, ordinatur ex natura sua ad beatitudinem vti diximus aliàs; ex his consultationibus simpliciter ἁπλῶς Eubulia est, quæ ad finem simpliciter tendit, quæ totam nimirùm hominis vitam dirigit, & illa est tantùm secundum quid, & particularis Eubulia, quæ finem particularem tantùm spectat, & ad illum dirigit. Itaque tandem concludit, Eubuliam esse rectitudinem consultationis ad finem, cuius prudentia est existimatio assequendum, id est ad finem illum quem prudentia existimat, & prout illa postulat; qui est totum benè viuere vt diximus: quæ definitio explicatur per eam quam initio retulimus, in qua requirebamus primò finem laudabilem, deinde media congrua & legitima, præterea vt absoluatur conuenienti tempore; ne aut præceps temeraria, aut tardior sit ad captandam occasionem quæ facilè elabitur.

§. III.

De Synesi.

Secunda pars potentialis prudentiæ dicitur σύνεσις, 9
de qua disputat Aristoteles *cap. 10. lib. 6. Ethic.* Et vulgò definitur *rectitudo seu bonitas iudicij de rebus agendis*; itavt εὐβουλία sit quasi motus, & σύνεσις terminus motus: ideò siquidem consultamus, vt tandem quid sit agendum constet. Huic opponitur ἀσυνεσία, siue hebetudo: hæc tamen doctrina non videtur totam Aristotelis mentem reddere; neque enim quodlibet rectum iudicium de agibilibus videtur esse σύνεσις. Quare Philosophi textum expendamus; primò igitur suo more ostendit quid non sit σύνεσις, quam aliqui perspicaciam, alij intelligentiam reddunt, atque hanc postremam vocem maximè probat Gifani. *in cap. 10.* quod exponimus.

Σύνεσις igitur non est in primis scientia, neque 10
opinio, quia omnes scientiâ aut opinione prædicti, intelligentes & συνετοὶ essent; & cùm nemo vnus sit, qui aliquam scientiam aut opinionem de re quapiam non habeat, nemo vnus esset hebes aut non intelligens, sed omnes omninò intelligentes & perspicaces forent, quod quantum à vero distet statim apparet: Deinde esset vel scientia aut opinio in communi, quod iam reiecimus, vel aliqua particularis, Medicina nimirùm, Geometria, Arithmetica aliáve eiusmodi. Disputaret igitur vel de numeris, vel de magnitudinibus, vel de sanitate, & aliis scientiarum, opinionum, & artium obiectis, quod falsum est: nam neque in necessariis & æternis occupatur, neque in quibuslibet contingentibus, quæ à natura aut arte fiunt, sed in iis tantùm, quæ in consultationem, & inquisitionem veniunt, & de quibus est prudentia, quæ nimirùm ipsi nos agere, aut non agere possumus: quorum vt ait Andronic. sumus domini vt agamus aut non agamus, ὧν αὐτοὶ κύριοι πράττειν καὶ μὴ πράττειν.

Conuenit igitur synesis cum prudentia, cùm idem 11
omninò obiectum respiciant, & sanè vulgò apud Græcos pro prudentia vsurpatur σύνεσις propter cognationem quam habent, & communionem obiecti. Differunt nihilominùs, quia prudentiæ munus siue finis (vsurpat enim Aristoteles sic τέλος pro ἔργον) est perspicere ad quem finem eundum sit, & de mediis quæ ad illum obtinendum conducunt præcipere: at verò synesis de iis, quæ prudentia præcipit & præscripsit iudicare, hoc est tam finem quàm medium illius assequendi,

assequendi, quod prudens definiuit, & præscripsit esse bonum. Prudentia igitur practica est, Synesis critica; probat autem Aristoteles, quia σύνεσις idem est quod εὐσυνεσία, siue σύνεσις & εὐσυνεσία. Quare vt obseruat Eustratius, cùm Aristoteles superius distinxisset bonam consultationẽ à consultatione quæ genus quodda est ad εὐβουλίαν καὶ κακοβουλίαν, existimare aliquis potuisset, intelligentiam esse quoque genus ad bonam & malam intelligentiam, cùm tamen omnis intelligentia & synesis bona sit; cum enim ea quæ consuluit & præcepit prudentia, intelligat & iudicet, semper cum prudentia iuncta est; at verò quæ talis est, mala esse non potest: σύνεσις igitur eadem est cum εὐσυνεσία, quæ enim σύνεσις à prudentia seiuncta foret, non σύνεσις, sed calliditas & astutia dicenda esset. Itaque σύνεσις, neque prudentia est, neque acquisitio prudentiæ, sed potiùs vsus illius, & συνιέναι, neque est prudentiam habere, neque illam acquirere, sed illa vti, id est rectè iudicare de rebus quarum est prudentia, illud autem rectè καλῶς idem est quod εὖ benè. Itaque iudicium istud bonum & honestum est; sicut autem in scientiis μανθάνειν significat propriè qui discit scientiam ab alio, συνιέναι est, qui ab alio audita rectè percipit & intelligit; quamuis interdum συνιέναι, latiùs vsurpetur pro μανθάνειν, ita in prudentia ille propriè intelligens est, qui quæ à prudentia didicit, perspicit, intelligit, & iudicat, illúdque demum iudicium dicitur synesis. Itaque prudentia docentis & magistri locum tenet, & synesis discipuli & discentis. Non est igitur synesis ex mente Aristotelis quodlibet iudicium de rebus agendis, vti definiebatur superiùs, videtúrque velle S. Thom. sed illud quod prudentis factum sequitur, potéstque esse in eo qui non est prudens. Ita Eustrat. Acciol. Gifani. Balfoure, cæteríque interpretes, qui textui Aristotelis adhærent, Lessi. *lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 14. Vasq. 1. 2. *disp.* 49. *num.* 18.

§. IV.

De Gnome.

12 Tertia pars prudentiæ numeratur ab Aristotele *cap.* 11. γνώμη; quia verò hæc vox non semper eodem modo vsurpatur sicut neque Latinum nomen sententiæ, idcircò Aristotel. vt significet quam γνώμην intelligat, ait esse à qua quosdam εὐγνώμονας, & γνώμην ἔχειν benè sentientes, & benè sentire, & cor habere dicimus. Hanc idem Aristot. *lib.* 2. *magno. morali. cap.* 2. vocat εὐγνωμοσύνην, bonam & æquam sententiam, cui opponitur ἀγνωμοσύνη, iniqua & maliriosa sententia. Est igitur hoc loco γνώμη siue εὐγνωμοσύνη, *æquitas quadam & benignitas in ferenda sententia & iudicando de rebus propositis*: ideóque definitur ὀρθὴ κρίσις τοῦ ἐπιεικοῦς, rectum moderati & æqui & boni viri iudicium, æquum autem & bonum virum ἐπιεικῆ dicimus esse συγγνωμονικόν, hoc est ad ferendam eiusmodi sententiam proclinem, ipsa denique æquitas siue æquum τὸ ἐπιεικές, in quibusdam ἔχειν συγγνώμην ignoscere & veniam dare. Itaque venia siue συγγνώμη consensio quædam est ad ignoscendum delinquenti, neque ad agendum cum illo summo iure, est recta sententia iudicandi de æquo γνώμη ἐστὶν ὀρθὴ κριτικὴ τοῦ ἐπιεικοῦς, & rectum iudicium, & æqua sententia est venia, quia vel bonus & æquus vir tunc ignoscit delinquenti ex prudenti rectóque iudicio; vel benigniùs cum eo agit, quàm lex postulet: Si enim inquit Eustratius, lex morte mulctet eum, qui patrem verberarit, & aliquis intempestâ nocte patrem, ratus esse furem pulsauerit, iudex æquus & bonus minuet legis rigorem. Denique cum rectum iudicij in vero consistat, vt ait Arist. quoties verum erit iudicium rectum erit & bonum; verum autem sæpiùs est, quando benignius est, quàm lex postulet: γνώμη itaque tota versatur in alienis, vt enim Andronic. *c.* 12. suæ paraphrasis ait, totũ æqui viri ἐπιεικοῦς iudiciũ versatur circa aliena facta, & æquitas iuris legalis directiua seu emendatiua iudicat de legibus ab aliis latis: quâ etiam ratione γνώμη καὶ συγγνώμη, in alienis factis versatur. Hinc vides quid intersit inter epiikiam, de qua aliquid diximus *c.* 1. *q.* 13. & ampliùs dicemus *lib.* 7. & γνώμην. Confundit enim omnino S. Thom. 1. 2. *quæst* 57. *art.* 6. *ad* 3. *&* 22. *q.* 51. *art.* 4. nonnihil tamen differunt, quia epiikia est emendatio legis præter eius verba & cõmunem regulam in quocumque casu; & gnome est tantùm æquitas ad ignoscendum, quod fieri poterit sine emendatione legis, etiamsi eiusdem legis adiunctam habeat dispensationem. Sic dum supremus Princeps Reo crimen condonat iustis de causis, ea venia & legis dispensatio non est epiikia, sed gnome: quod si acriùs velis hæc duo nihil inter se differre, non contendam vlteriùs, nisi placeat distinctio Lessij *lib.* 1. *cap.* 2. *n.* 15. Epiikiam comparari ad iustitiam, & gnomen ad prudentiam, quia gnome est iudicium de causis propter quas benignè est exponenda lex, & maximè in pœnalibus mitiganda, veniáque danda aliqua saltem ex parte Reo: Ideóque versatur circa æquum & bonum, sub ratione veri; est enim iudicatoria siue critica, Epiikia verò residet in voluntate, estque pars potentialis iustitiæ non verò prudentiæ.

§. V.

An partes potentiales prudentiæ iam explicatæ sint habitus à prudentia distincti.

Explicatâ naturâ horum habituum, videndum est an 13 sint distincti ab habitu prudentiæ, & partes eius potentiales. Ita enim contendit S. Thomas *q.* 51. 22. & probat, quia diuersitas virtutũ sumitur ex diuersa bonitate actuũ ad quos tendunt, atqui habitus isti habent actus diuersa bonitate præditos, cùm aliud sit benè consiliatiuom, bene iudicatiuum, & bene præceptiuum; hæc enim sæpiùs separantur; admittendæ igitur erunt diuersæ virtutes ad hos actus: vna enim diriget bonum consilium, scilicet Eubulia; altera bonitatem iudicij; synesis nempè & gnome, quæ differunt secundum principia per quæ procedunt. Tertia dirigit imperium, nimirùm prudentia, quæ principalior virtus est, quia ad illam ordinãtur cæteræ virtutes; ad finem enim vltimum quod est bene viuere, ita ordinantur isti omnes actus, vt finem istum vltimum immediatè attingat præceptum prudentiæ: cæteri autem actus tantùm remotè, habent enim suos fines proximos, consilium quidem inuentionem eorum quæ agenda sunt, iudicium autem certitudinem; sicut in speculatiuis alia rationalis scientia est dialectica, quæ ordinatur ad inquisitionem; alia demonstratiua, quæ est veritatis determinatiua: ex hac igitur diuersitate finium proximorum, & ordinatione ad finem vltimum eiúsque attingentia, sequitur diuersitas tum actuum, tum habituum & virtutum, quæ eiusmodi actus eliciunt. Deinde quoties bonitas actuum diuersorum non reducitur ad eandem causam, multiplicandæ sunt virtutes. Cùm enim virtus sit principium & causa actus eiúsque bonitatis, si principium & causa bonitatis actuum diuersa sit, diuersa quoque erit virtus vt patet, atqui non est eadem causa boni consilij & boni iudicij, siue eubuliæ & synesis, cùm plures sint bene consiliatiui, qui non sunt εὐσύνετοι, siue benè iudicantes, sicut in speculatiuis aliqui sunt subtilis & acris ingenij, qui tamen non sunt firmi & recti iudicij. Ratio est, quia ad inuentionem & inquisitionem subtilitatémque ingenij opus est acri imaginatione, & celeri quodam motu mẽtis ad formanda phantasmata; ad bonitatem autem iudicij opus est bonâ dispositione sensus communis bene iudicantis: inde enim oritur maior claritas in cognitione, firmiorque certitudo. Denique certum est habitus cognoscitiuos distingui ex diuersitate principiorum, vt in scientia & sapientia videmus, quod idem in cognitionibus actiuis dicendum est. Quando igitur cognitio practica procedit per communes regulas & principia, distin-

guitur ab illa, quæ contra eadem recepta principia iudicat, & tamen benè ac prudenter iudicat, primum facit Synesis, secundum gnome. Ex quibus omnibus sequitur, tres istos habitus distingui inter se & à prudentia, ad quam tamen quia ordinantur, eique inseruiunt, eius partes potentiales iure merito dicentur.

14 Nihilominùs hos omnes habitus esse realiter ipsam prudentiam inadæquatè conceptam, secundum sua diuersa munia & actus existimat. Girald. *in lib. 6. Eth. q. 15.* Vasq. *loco cit.* Lessius *lib. 1. c. 2. n. 13.* & alij; quia prudentiæ omninò est benè consultare & bene iudicare, siue ex principiis communibus, siue ex aliis alijsque; immò cùm ex alibi dictis imperium non sit aliud, quàm iudicium consultationis, post electionem perseuerans, & voluntatem atque potentias exequentes dirigens, eaque directio & imperium sit primarius actus prudentiæ, sanè synesis & gnome non differunt à prudentia, nisi prout idem actus prudentiæ præcedit aut sequitur electionem. Itaque si synesim & gnomen accipiamus cum S. Thom. pro iudicio claudente consultationem quod post electionem perseuerat, ex quibuscumque tandem principiis procedat, non differet entitatiuè à prudentia, sicut neque Eubulia, cùm omninò ad prudentiam spectet bene consultare, non tantùm imperatiuè, sed etiam elicitiuè; quamvis eius vltimus & præcipuus actus prudentiæ non consistat in consultatione, & hæc non sit nisi secundarius quidam actus; & quia consultatio alio modo procedit, & longè aliam difficultatem habet in inquirendis comparandisque mediis cum fine, quàm reperiatur in iudicando & præcipiendo, poterit habitus qui ad Eubuliam inclinat dici potentialis pars prudentiæ, si sentiamus habitus totales virtutum & scientiarum cognitionúmque esse simplices & indiuisibiles qualitates: nam cùm mihi certum sit ea philosophia, eiusmodi totales habitus cōponi ex pluribus partialibus specie infima distinctis, qui tamen in vnam aliquam rationem conueniant, sicut & ipsorum obiecta sunt partes obiecti cōmunis virtutis totius aut alterius habitus, & prudentia sit habitus quidā totalis ex pluribus partialibus conflatus, sanè ille partialis habitus qui respicit Eubuliam, distinctus erit ab eo, qui aut rectum iudicium, aut imperium dirigit. Ex his tamen omnibus vna prudentia, vnusque totalis illius habitus coalescit; neque aliud probant D. Thomæ rationes de diuersitate actuum, quæ quidem sufficiens fortassis hoc loco reperitur ad partiales habitus constituendos, non ad totales; neque ex partialibus habitibus conflantibus vnum totalem, potest aliquis dici potentialis respectu totalis, aut respectu alterius, sed minus præcipuus, aut quodammodo secūdarius: nam inter partes constituentes aliquod totum, aliæ sunt principes, aliæ inferiores, atque hac ratione, ni fallor, omnis illa quæstio de partibus potentialibus virtutum euanescit.

15 Quod verò hoc loco pertinet ad synesim, cùm dixerimus eam non esse ex Aristotele iudicium claudens consultationem, sed de iis, quæ alij prudenter iudicarint; vel etiam iudicium reflexum de iudicio propriam consultationem terminante; primo sensu non est nisi iudicium speculatiuum, ac proinde differt à prudentia, quæ practica est, aut si opus respiciat, vt nimirum iudicando de aliorum sensu & iudicio; videamus an illis inhærendum sit, an eodem modo operandum, pertinebit ad consultationem, neque distinguatur à prudentia, nisi inadæquatè; si verò sit iudicium reflexum supra propriam consultationem pertinebit ad eundem habitum, ad quem pertinet iudicium directum, atque ita eodem modo ad prudentiam spectabit.

17 Denique, gnome siue sit actus quo iudicamus quid ex lege & æquitate naturali in quocunque euentu agendum sit, etiamsi lex omnis sileat; siue quo iudicamus ex eadem æquitate restringente aut ampliante legis verba, eiusque rigorem molliente, siue denique quo iudicamus quandoque esse indulgendum Reo per quandam consensionem, quæ est Aristotelica acceptio, γνώμης, hoc loco vti ostendimus, spectat ad ipsam prudentiam principaliter non potentialem, quod etiam aduertit Suar. *lib. 2. de legib. c. 6. n. 5.* vti aliàs de ἐπιεικείᾳ disputantes fusius docebimus.

Ad extremum comparandi sunt inter se isti habitus 19 veridici, vt ait Andronic. nimitùm prudentia σύνεσις & γνώμη, quod facit Aristoteles *cap. 11.* qui & ipsis addidit intelligentiam siue mentem practicam; nomine etiam prudentiæ comprehendit εὐβουλίαν. Primò igitur si omnes habitus conueniunt in fine, ad actiones enim humanas dirigendas tendunt; deinde eandem habent materiam, singularia nimirum in quibus solis sunt actiones. Consentiunt quoque subiecto, quod probatur ex vulgari dicendi genere; quisquis enim prudens est φρόνιμος idem & εὔβουλος dicitur: nam cùm agit quæ ad bonum finem tendunt, est φρόνιμος; cùm de iis vt oportet deliberat, εὔβουλος; cùm quæ ad finem prudens ordinauit cognoscit, & de iis rectè vti oportet, iudicat; intelligentia præditus est συνετὸς; cùm ea quæ ab aliis facta sunt considerat, eáque venia aliquando prosequitur, dum ratio ita postulat, εὐγνώμων & συγγνώμων appellatur. Ex quibus etiam elicias hos omnes habitus ad prudentiam ita pertinere, vt eam adæquatè constituant potiùs tanquam partes essentiales, quàm potentiales aut habitus ministeriales.

§. VI.

Partes integrantes prudentiæ.

Partes integrantes prudentiæ eæ dicuntur à S. Thom. 18 2. 2. q. 48. *art. vnic.* quas ad perfectum illius actum concurrere necesse est; neque enim alio modo partes integrantes virtutis nominantur, suntque adiumenta quædam & subsidia ad actum primarium virtutis exercendum. Has octo ex Macrubio *lib. 1. in somn. Scipion. cap.* 8. & Tullio, enumerat S. Thom. *tum loco cit. tum q. 49.* vbi eas singillatim explicat, memoriam nempe, intelligentiam, docilitatem, solertiam, rationem, prouidentiam, circunspectionem, cautionem; cuius numeri varias rationes adducunt S. Thom. *q. 48.* Aureol. *quodlib. 14. art. 4.* Ægid. *lib. 1. de Regim. princ. cap.* 8. & alij. Verùm cùm hæc subsidia longè plura assignari possint, aut etiam ad pauciora contrahi, nón est quod in re satis exigua immoremur, sicut neque in explicandis singulis eiusmodi prudentiæ præsidiis. Vide S. Thom. *q. 49.* & Raynaud. *lib. 2. de virtutibus sect. 2. cap. 2.* vbi eruditè suo more plurima congessit, satis mihi fuerit, quæ sparsim tradidit Aristoteles annotasse.

§. VII.

Quid sit mens siue intellectus apud Aristotelem.

Ait igitur philosophus *cap. 12.* γνώμην, σύνεσιν, φρόνησιν, & νοῦν, versari circa extrema & singularia τῶν ἐσχάτων, καὶ τῶν καθ' ἕκαστον. Agibilia enim omnia quæ sunt obiecta eiusmodi habituum practicorum, sunt circa singularia & vltima καθ' ἕκαστα, καὶ τῶν ἐσχάτων ἅπαντα τὰ πρακτά. Hæc igitur extrema & singularia, siue particularia τὰ μερικά, in quibus sunt actiones ἃ δεῖ πράττειν cognosci debent à prudente, & bene sentiente, atque habente γνώμην, siue cor & sententiam. Indiget igitur intellectu & mente, quæ est cognitio primorum & extremorum terminorum τῶν πρώτων ὅρων, καὶ τῶν ἐσχάτων νοῦς ἐστί; non autem ratio λόγος, & ratiocinatio, quia hæc vltima & prima immediatè cognoscuntur; ac proinde sine ratiocinatione, immediatorum autem ac principiorum cognitio mens est siue intellectus, inquit Andron. in sua paraphrasi, νοῦς ἐστὶν ἡ γνῶσις τῶν ἀμέσων, καὶ τῶν ἀρχῶν, & denique omnis cognitio quæ sine medio fit ἀνὰ μέσον, intellectus est. Hæc porrò principia vocat hoc loco Aristot. ὅρους, quia sunt termini ex quibus conficiuntur tum enuntiationes, tum syllogismi, de quibus vide Philopon. *in prolegomenis*

gomenis in lib. 1. de anima. Hi igitur termini siue principia ὅροι duplicis sunt generis, alij sunt immediatè rationes ἄμεσοι λόγοι communes notitiæ, κοιναὶ ἔννοιαι, primi & immutabiles termini, πρῶτοι καὶ ἀκίνητοι, ex quibus fiunt demonstrationes; alij verò termini sunt mutabiles & extremi ἔσχατοι, & ἐνδεχόμενοι, atque idcircò alterius enunciationis ἑτέρας προτάσεως, nempe syllogismi practici partes sunt: & quamquam omnes termini ὅροι sunt extremi ἔσχατοι, quia quod primum, & quod vltimum est, ratione medij in quadam extremitate constituitur, ideóque intellectus dicitur esse ab Arist. extremorum in vtramque partem, τῶν ἐσχάτων ἐπ' ἀμφότερα; hoc est circa demonstrationes, & actiones, siue syllogismos practicos, practici tamen ὅροι propriè dicuntur ἔσχατοι extremi, quia sunt in finem deliberationis & principium actionis; vt enim sapienter exponit Paraphrastes Andronic. immediatæ rationes & termini, & singularia tum prima sunt, tum postrema: immediatæ quidem rationes ἄμεσοι λόγοι, sunt primæ naturæ τῇ φύσει πρῶτοι, vtpote vniuersaliores & superiores, quarum communicatione, & participatione singularia existunt; nobis autem extremæ sunt ἔσχατοι δὲ ἡμῖν, quia ex singularibus tantùm ad eas rationes vniuersales & immutabiles peruenimus, eásque vltimò cognoscimus; singularia verò sunt prima nobis: nam primò per sensum nobis occurrunt, extrema autem natura, quia tota resolutio deliberationis ad illa tendit, & intentionem omnem naturæ terminant, nihilominùs hæc extrema natura, & singularia, sunt causæ ac principia actionis, siue finis actionis aut per actionem obtinendi τὸ τέλος, τῆς πράξεως. Ex iis enim quæ sub sensum cadunt, docemur illa singularia, quæ aut nobis aut aliis aliquid conferunt; aut ad finem quem quærimus, nos deducunt. Sunt itaque singularia pronuntiata, principia illius, cuius gratiâ res est ἀρχαὶ τοῦ οὗ ἕνεκα, non modò quia vti exponebat Andronic. sunt principium actionis per quam acquiritur finis, aut quæ est ipsamet finis totius deliberationis; sed quia vti aduertunt Gifani. & Lælius Peregrin. ex his singularibus ἐκ τῶν τ' καθ' ἕκαστα, vniuersale τὸ καθ' ὅλου colligimus; vocat enim Aristoteles κατ' ὅλου, quod dixerat τὸ οὗ ἕνεκα: illud siquidem vniuersale, quod concluditur ex singularibus, proponitur tamquam finis in demonstratione à posteriori; nam quia chiron vulnus pedis ex lapsu improuiso sagittæ Herculis, hydræ veneno illitæ, centaurea curauit, concluditur herbam illam vulneribus venenatis in vniuersum mederi. Ex hac igitur diuersitate principiorum, quorum alia sunt vniuersalia immediata, & prima natura, atque immutabilia; alia verò postrema singularia, contingentia atque mutabilia, licet vtraque sine medio cognoscantur; primo quidem, quia vel medio carent, vel ex seipsis nota sunt, sunt enim communes notiones ipsis animis impressæ; postrema verò, quia cùm singularia sint, ipsomet sensu percipiuntur, fit vt intellectus siue mens, quæ est cognitio sine medio ἄνευ μέσου, & omnium immediatorum atque principiorum τῶν ἀμέσων, καὶ τῶν ἀρχῶν: duplex distinguatur ab Aristotele, vna contemplatiua, altera practica, νοῦς, πρακτικὸς, καὶ θεωρητικός: mens aut intelligentia contemplatiua est cognitio primarum & immutabilium rationum: actiua verò extremorum & contingentium ἐσχάτων καὶ ἐνδεχομένων, & singularium, quæ in actionem cadunt: itaque est principium & finis, siue primorum ac extremorum: nam in demonstrationibus scientificis per prima principia & vniuersalia procedit: in propositionibus practicis & syllogismis de rebus agendis versatur singularibus. Id totũ explicat S. Thom. 1. 2. q. 49. art. 2. Cùm enim omnis ratiocinatio & deductio ab aliquo primo procedat, vt omnis motus à quopiam termino incipit, & prudentia sit recta ratio agibilium, ab aliquo primo quoque incipiat, vt ad operabile quod intendit, procedat necesse est: illud autem primum subministrari debet à mente siue intellectu, cuius est prima & principia cognoscere. Hoc porrò primum ex quo debet in syllogismo prudentiali inferri conclusio, quod est aliquod singulare operabile; necessariò procedere debet ex aliqua vniuersali & singulari propositione, quæ vtraque subministratur ab intellectu; vniuersalis quidem ab intellectu cognoscitiuo vniuersalium; sunt enim principalia vniuersalia practica, sicut & speculatiua vti aliàs diximus, atque hæc postrema intellectus practicus attingit: propositio verò singularis, quæ est minor, vti dicemus iterùm alibi, est ab intellectu cognoscitiuo alicuius extremi, siue primi singularis, seu principij contingentis operabilis propositionis, quod principium singulare est aliquis singularis finis; atque hic intellectus quatenùs versatur circa eiusmodi principium singulare operabile, dicitur propriè practicus ab Aristotele, qui idcircò vocat illum sensum, quia est circa singularia, quæ sensu percipiuntur, vti sapienter exponit S. Thom. *art. 2. cit. ad* 3. quamquam non placet quod deinde hunc sensum interpretatur de sensu interno, quo iudicamus particularia singulorum sensuum sensibilia, quæ habet quoque *lect. 3. in cap. 3. 6 Ethic.* & *lect. 9 cap.* 11. Ideóque Acciol. mentem de qua disputat hoc loco Aristot. quamque practicam nominat, confundit cum cogitatiua & æstimatiua, quod sentit quoque Burlæus *in 6. Ethic. cap.* 8. Quare animalia quædam quia pollent æstimatrice facultate, dicuntur valere prudentiâ. Hæc, inquam, non placent, quia ostendemus inferiùs prudentiam esse veram virtutem intellectualem, quæ proinde non residet in sensu siue externo siue interno. Sententia itaque Aristotelis est, intellectum siue mentem practicam, quæ concurrit ad actum prudentiæ eiúsque iudicium vti diximus, esse sensum, quia est de singularibus, quæ sensus externus percipit, & internus etiam diiudicat: qua etiam de causa prudentiã ipsam cum sensu confert Arist. & à scientia distinguit *c. 5.* vti inferiùs referemus, & sapienter explicat Albert. *6. Ethic. tract. 2. c. 26.* & Lambin. *in c. 5. 6. Ethic.* quia itaque in syllogismo prudentiali maior est immediata, ideóque rationem primi atque principij habet; minor verò cõstat terminis singularibus, & dicitur finis siue extremũ, & vtraque subministratur ab intellectu practico, qui & principia vniuersalia practica, qualia esse plura diximus, subministrat: & singularia quæque atque vltima in quibus est actio, immediatè quoque attingit, vt illi à sensu repræsentantur: ideò inquit, *& principium & finis intellectus est, ex his enim & de his demonstrationes fiunt,* ἐκ τούτων καὶ περὶ τούτων, dici etiam potest cum Gifanio, mentem esse primorum, & principiorum *ex quibus* fiunt conclusiones, & extremorum de *quibus*: nam conclusio syllogismi prudentialis est de aliquo singulari, quod solùm est operabile, illud autem singulare & extremum concluditur tum ex principio aliquo vniuersali, tum ex principio singulari & contingenti, quod tamen tale esse supponitur, quod vtrumque principium tum vniuersale, tum singulare cùm immediatè cognoscatur, reuerà cognoscitur à mente siue intellectu practico, cùm vti diximus, omnis cognitio sine medio sit ab intellectu, & mente. Quia tamen vniuersalia ista principia practica, licet sint communes quædã notiones & immediatæ, nõ sunt cognitu plerumque difficiles, nihilominùs penetratio singularium in quibus est actio, varias ob causas implicata redditur; vt enim dicebat Antonin. *lib. 6. de vita sua n. 13.* fucus impostor est callidissimus, idcircò prudẽtiâ opus habet, mente & intelligentiâ rerum præsentium, & singularium, quæ proponuntur, & de quibus

iudicare & præscribere debet prudentia, atque ita intelligentiam quam inter præsidia prudentiæ partésque eius integrantes vulgò numerant, interpretatur Aureol. *quodlib.* 14. *artic.* 4. aduertentiam, præsentiam, siue vim æstimandi bonum præsens, neque abest S. Thom. 2. 2. *q.* 49. *art.* 2. & Laur. Iustinian. *in ligno vitæ, tract.* 4. *c.* 2. qui non aliter explicant intelligentiam.

§. VIII.

Consectaria ex allata Philosophi doctrina.

20 Ex his omnibus colligit primò Aristoteles *illo c.* 11. politicum, & prudentem, qui sibi & aliis prodesse cupit, cognitionem singularium comparare sibi debere, γνῶσιν τῶν μερικῶν inquit Andronic. hanc verò cognitionem singularium acquirimus memoriâ præteritorum & rerum gestarum lectione; quare memoriam & anteactorum temporum scientiam, inter prudentiæ subsidia recensent S. Thom. 2. 2. *q.* 49. *art.* 1. vbi & modos aliquos excolendæ memoriæ tradit.

21 Colligit secundò Aristoteles φρόνησιν, σύνεσιν, γνώμην & νοῦν, prudentiam, synesim, sententiam & mentem siue intelligentiam, de quibus hactenùs diximus, cùm versentur circa singularia, non tam disciplinâ à nobis acquiri posse, quàm à natura nobis inesse, quod probat: quia vnà cum ætate crescunt, vulgò enim huic aut illi ætati eiusmodi habitus tribuimus, iuuenem carere & prudentiâ, & synesi, & γνώμη, & mente præditum negamus; ætate verò grandem iis omnibus donatum dicimus. Cum igitur natura ætatem præbeat, prudentiam quoque & cognatos illi habitus, qui cum ætate comparantur, à natura esse colligimus, quod de sapientia & scientia non existimamus: sapiens enim nemo naturâ est, neque solâ ætate & experientiâ, ac rerum vsu crescit scientia aut sapientia, nisi accedat disciplina, cuius beneficio iuuenis æquè illam sibi acquiret atque senex; cùm enim illa consistat in cognitione vniuersalium, quæ ab vsu rerum & experientiâ non pendet, non requirit ætatem & tempus diuturnum, quo singularia percipiantur, ex quibus vniuersalia colligantur; quia sapientia non procedit à singularibus, neque ad singularia tendit, quæ solo sensu primò cognoscuntur, sed tota occupatur in cognitione vniuersalium, quæ cùm sensibilia non sint, nullam cognitionem singularium necessariò præsupponunt.

Ex quibus omnibus tandem conficitur maximum prudentiæ subsidiũ; immò ferè necessariam esse experientiam, quæ ex multis singularibus factis colligitur, de qua latè Arist. 1 *Metaph. cap.* 1. Tiraquell. *de iure primogen. in præfat. num.* 91.

22 Colligit tertiò Aristoteles, ex eo quod prudentia circa singularia versetur: esse paratu difficillimam *c.* 8. indéque fit, vt plures pueri & adolescentes sint Mathematici, aut Geometrici, non prudentes, quia Mathesis & Geometria sunt vniuersalium, prudentia singularium, quæ solo vsu comprehendũtur, quem vsum non habent pueri, cùm longioris temporis sit, cùm Geometria præceptis constet, quæ capiunt ipsi adolescentes. Qua eadem de causa addit ibidem, pueros fieri quoque Mathematicos, non autem σοφοὺς ἢ φυσικούς: quia Mathematici sunt ἐξ ἀφαιρέσεως; quibus opponuntur ὅσα ἐκ προσθέσεως, qualia sunt physica, quæ coniuncta sunt materiæ, & in singulari cognosci debent, vt inde scientia colligatur, ex physica verò ad sapientiam, deinde ad metaphysicam progredimur. Sensum Philosophi omninò expressit Andronic. in sua paraphrasi quam hîc reddo. Quare & hoc quærendum videtur, quid fiat vt Mathematici fiant iuuenes, sapientes verò & naturalium periti nequaquam οὐ δυνατῶς; an quia physicorum & sapientiæ principia à singularibus ἀπὸ τῶν καθ᾽ ἕκαστα sumuntur, ipsam quippe sapientiam, quæ circa æterna & necessaria versatur, impossibile est perfici sine experientia κατορθωθῆναι ἄνευ τῆς ἐμπειρίας: ab iis enim quæ sensibus nota sunt, ad ea quæ sensus excludunt ducimur, nisi quis cognoscat quæ in hoc aut illo naturali eueniant, de iis in vniuersum καθόλου agere non poterit, neque scientiam colligere; sine naturali autem scientia ad sapientiam nemo perueniet, quia post naturalia μετὰ τὰ φυσικὰ, cognoscimus ea, quæ sunt supra naturam, τὰ ὑπὲρ φύσιν Mathematicorum. Porrò principia sine materia sunt, ideóque singularium cognitio in iis non requiritur. Neque considerant in materia circulum, aut numerum, sed à materia separant, & per sese contemplantur: vnde etiam fit, vt mathematicis principiis facilè credant iuuenes, quorum habent certam cognitionem, & definitam rationem, non verò physicis, quæ non possunt adhuc scire accuratè ἀκριβῶς.

Colligit quartò Aristoteles, ex eo quod per experientiam intellectus siue mens de qua hactenùs comparetur, ideóque maximè in senibus reperitur, seniorum expertorúmque atque prudentum consiliis ita obaudiendum esse, vt eorum nudis affectionibus non minorem adhibeamus fidem, quàm si sui dicti demonstrationes afferrent; quia multâ experientiâ aliquem sibi quodammodo oculum comparatunt, quo principia rerum agendarum, hoc est quid & quomodo sit agendum, quid iustum & quid rectum sit, videant. Itaque prudentiam, & mentem, & λόγον ὀρθὸν oculum vocat, Platonem imitatus, qui *in Symposio* dixit διανοίας ὄψιν, quod Cicero per aciem mentis expressit. 23

§. IX.

De aliis partibus integrantibus prudentiæ.

Ex quibus habemus aliud prudentiæ subsidium, quod docilitatem nominat, aut vt vult Aureol. persuasibilitatem, quæ capitositati opponitur. Illa verò aliorum consilia prudentum libenter inquirit & sequitur, de qua S. Thom. 2. 2. *quæst.* 49. *art.* 3. Hanc porrò tantam esse debere, vt non omnium rationea semper importunè postulemus, sed peritis acquiescamus aliquando: colligit ex hoc Aristotelis loco Gifanius; quia quarumdam rerum quæ vsu & experientia constât non cognitione, ratio non facile redditur, cum sæpissimè lateat, & ab eruditis quoque inuestigari nequeat: quare licet Philosopho sine ratione quidpiam afferenti non sit credendum, non tamen à prudente quid ex rerum vsu sit affirmante, ratio semper postulanda erit. 24

De aliis prudentiæ præsidiis, quæ vocant partes eius integrantes, vide S. Thom. & Aureol, *locis citatis*; de solertia enim diximus superiùs, cùm Eubuliam ab illa distingueremus cum Aristotele.

Ratio siue vis expedita ratiocinandi necessaria omninò est in consultatione, atque mediorum cum fine collatione: Quare ex ratiocinatione & experientia perfici prudentiam pluribus docet Archytas Pythagoreus *lib. de viro bono & fælici*: Vide quoque Iauellum *tract.* 4. *Christiana Philosophia, cap.* 4.

Prouidentia, quo nomine non intelligo dumtaxat mediorum ad finem ordinationem, sed prospicientiam rerum procul positarum; id enim fert ipsum nomen, quod porrò à videndo sumptum volunt, itavt præsagiat euentus futuros, & quid in illis faciendum sit statuat, nec committat, vt aliquando dicendum

dicendum sit, non putaram. Maximè necessaria est viro prudenti in tanta negotiorum & rerum mutabilitate; nisi enim futura prospiciat, sæpè illum arbitrij sui pœnitebit aut facti: quod eleganter de more explicat Ambrosi. *lib. 1. de Offic. cap.* 38. imitatus Tulli. *in simili opere lib.* 1.

Addit denique S. Thom. circunspectionem & cautionem, quarum illa circunstantias omnes etiam externas & communes rei attendit; hæc autem euitat omnia impedimenta quæ bonis consiliis obrepere possunt. & vt separet bonum à malo, quæ sæpissimè tantam habent inter se similitudinem, vt difficilè cognoscantur, & malum specie boni nobis illudat quod quæritur. Nazianz. *orat.* 20.

§. X.

Partes subiectiua prudentiæ.

25 Duplicem prudentiam in vniuersum constituit Aristoteles *cap.* 8. *lib.* 6. *Ethicorum*, vnam quam vulgari nomine retento prudentiam appellat, quæ bonum cuiusque proprium procurat, quæ & ἰδικὴ dici solet, aliam cuius finis est bonum plurium, & hæc est partim familiæ, partim ciuitatis, quæ postrema dicitur πολιτικὴ: Et quidem prudentia, & ciuilis scientia, licet re esse idem videantur, differunt tamen τὸ εἶναι secundum esse, ratione scilicet & definitione τοῦ λόγου. vt exponit Andronic. non modò quia in subiecto diuerso occupantur; sed etiam quia diuersum vsum & officium habent. Prudentia politica siue ciuilis, quæ communibus commodis seruit, iterùm in duas partes distribuitur: prima est νομοθετικὴ legum latiua, quæ est velut Architectonica: nam qui leges fert, iubet dumtaxat aut vetat; nihil autem ipse agit, sed quid agendum & quomodo sit ipse præscribit; non aliter quàm Architectus. Leges deinde καθ' ὅλου, de re vniuersa; Actio autem est de singularibus. Altera pars prudentiæ ciuilis & politicæ tota est in agendo & consultando, retinuitque commune nomen, & πολιτικὴ siue ciuilis dicitur: tota practica est, sicut prior illa quodammodo Theorica, & τὰ καθ' ἕκαστα, circa particularia occupatur, diciturque ab Andronic. μερικὴ: est denique vt ait Arist. πρακτικὴ, καὶ βουλευτικὴ, actiua & consultatiua; consilio enim capto, vti plebiscitum aut senatusconsultum prodit, agere necesse est: ideircò ait τὸ γὰρ ψήφισμα πρακτὸν ὡς τὸ ἔσχατον, decretum agendum est tanquam postremum, nimirum in consilio capiendo; post illud enim non est ampliùs deliberationi locus, sed agendum est quod decretum fuit, à plebe vel senatu: ideóque hos solos πολιτικοὺς & πολιτευομένους nominari obseruat; quia hi soli πολιτεύονται. Rempublicam administrant, & hi soli ex prudentibus agunt: nam licet nomothetæ præscribant actionem ciuilem, illi tamen non agunt: sicut in artibus alij sunt χειροτέχναι, alij ἀρχιτέκτονες, qui omnes agere dicuntur: cum tamen illi soli qui manu agant χειροτέχναι, propriè agant, alij autem non nisi impropriè, quatenus aliorum famulorum actionem dirigunt. Cùm igitur πολιτικὴ, quæ in consultando & agendo posita est, sola propriè actiua sit, illa iure merito nomen commune sibi retinuit, estque vera prudentia: est verò gemina βουλευτικὴ & δικαστικὴ, consultiua & iudicialis. In omni enim communitate & politia senatum & iudicia necessaria esse nemo non videt: omnis igitur prudentia quæ plurium aliorúmque bona procurat, est οἰκονομικὴ domestica, vt appellat Cicero νομοθετικὴ & πολιτικὴ, quærit porrò Gifanius, an iurisprudentia ad nomotheticam, an ad ciuilem referenda sit. Sanè pro-

vt vniuersalia quædam considerat, ad primam illam reuocanda erit, provt verò leges vniuersales ad singularia applicat, pertinebit ad πολιτικὴν, atque ad eius partem, quam δικαστικὴν vocat Aristoteles.

Pergit deinde Philosophus prudentiam priuatam 26 cum ciuili comparare, & vtramque verè prudentiam esse confirmat contra vulgò receptam opinionem, Eos nimirùm solos prudentes esse, qui suis rectè rebus consulunt, & suis commodis prospiciunt, alios verò qui publica curant πολυπράγμονας negotiosos & curiosos dici, quod ex Euripide côprobat, apud quem hæc contraria reperiuntur φρονεῖν, & περισσὸν εἶναι, seu πράττοντα πλέον. Hanc vulgarem opinionem ex eo reiicit Aristoteles, non quod, vt aliqui interpretes existimarunt, prudentia ethica siue familiari & politica consistere nequeat, quod falsissimum esse nemo non videt, sed quia nemo suum negotium agere possit sine rei domesticæ & Reipublicæ cura, καὶ τὸ ἴσως δὲ ἔστι τὸ αὐτοῦ, ἄνευ οἰκονομίας οὐδ' ἄνευ πολιτείας. Cùm itaque nulli sua commoda priuatim salua esse possint, corruente familia, Patria, aut Republica, harum quoque rerum ratio habenda est iis, qui suis priuatim rebus benè consultum volunt: vnde prudentia nequaquam vacare potest omni curâ alienorum commodorum siue familiæ siue Reipub. aliqua ex parte. Alterum adiicit argumentum ab efficiente causa, vti interpretatur Eustrat. quia cùm prudentia comparetur, vti iam sæpius monuerat, exercitatione, vsu & experientiâ. Atque hæc & hominum prudentum consuetudinem, & negotiorum vsum, & temporis diuturnitatem magis requirant, quàm ingenij acumen; multò prudentiores habendi sunt, qui publica negotia curantes, vsum & experientiam rerum sibi comparant, quàm qui priuatim victitantes prudentum consuetudinem fugiunt, & rerum ac negotiorum vsum vitant, quod totum eleganter exponit Andronic. *in sua Paraphrasi.*

QVÆSTIO IV.

De prudentiæ proprietatibus.

§. 4. *An prudentia præstet cæteris habitibus intellectus* n. 25.

An sapientia n. 26.

§. 5. *Comparatur prudentia cum virtutibus moralibus* n. 27.

Necessaria est virtutibus num. 28. 29. 30. & 31.

An virtutes sint nobis innatæ num. 30. 31. & 32.

Connexio virtutum n. 33.

§. 6. *Virtus moralis est necessaria prudentia* n 35. 36. & 37.

EXplicatâ naturâ prudentiæ ex variis eius actibus, supersunt eius proprietates explicandæ, præstantia scilicet & vtilitas, quod commodè fiet per eius cum reliquis virtutibus tum iotellectualibus, tum motalibus comparationem.

§. I.

1 Grauis difficultas est, an plures prudentiæ, quas ouper enumetabat Atistoteles, priuata nimitùm siue monastica, & ethica, quæ communc prudentiæ nomē sibi retinuit: œconomica & politica, quæ in architectonicam siue legislatticem, & in ciuilem siue politicam iterùm diuiditut, sint diuersæ specie prudentiæ, ita vt illa diuisio prudentiæ, sit generis in veras species, an verò sit vna tantùm specie infima prudentia, cuius diuersa membra & partes materiales assignentur pro diuersitate dumtaxat materiæ, in qua occupantur: hanc enim vnitatem specificam prudentiæ tradunt S. Thom. *in 6. Ethic. lect.* 11. *sub fin.* Durand. *in 3. dist.* 36. *q.* 3. *a.* 5. Vasq. 12. *disp.* 85. *cap.* 2. Val. 22. *disp.* 4. *q.* 3. *p* 2. & Suar. *lib.* 6. *de gratia cap.* 10. *sub fin.* eo quod eadem omninò sint principia prudentiæ ad totam materiam moralem, vt scilicet omnia redigantur ad regulam rationis.

2 Diuersitatem nihilominùs specificam inter prudentias enumeratas admittunt ferè philosophi interpretes *in 6. Ethic.* Tartaretus *q.* 3. Gilbert. *tract.* 3. *q.* 3. Celaya *in quæst. ad cap. vltimum.* Burlæ. *in ipso fin.* 6. *Ethic.* August. *cap.* 11. *morali. tract.* 1. Accedunt Theologi *in 3. dist.* 36. vt Scot. *q. vnic. littera L. & M & q.* 1. *collationali.* Mayton. *ead. dist. trigesimo sexto, quæstione prima, art.* 13. Rub. *quæstione* 2. *art.* 2. Bassolis *ibidem dist.* 33. *q.* 1. *art.* 3. Richard. *art.* 2. *q.* 3. Gabr. *d.* 34. *q. vni. art.* 1. *Littera B.* Ocham *in* 3. *q.* 11. *Littera T.* Auteol. *quodl.* 14. *art.* 3. Turrian. 22. *disp.* 100. *dub.* 1. quoad prudeotiam personalem & prudentiam circa aliena commoda versantem. Lessi. *lib.* 1. *de prudent. cap.* 2. *n.* 6 & 9. & probatur, quia in his omnibus diuersa existit difficultas; neque vnus est agendi modus, eademque principia prudentiæ, & applicatio regulæ rationis circa omnia agibilia; neque maior vnitas quàm generica fingi potest, hoc loco. Quod ipsum videmus in habitibus scientificis, ac moralibus virtutum, quos si de totalibus agamus, iam aliàs monui non esse vnam indiuisibilem qualitatem, sed multiplicem specie, quæ tamen vnitatem inter se genericam habeant. Hæc enim eadem ratio valebit in prudentia circa diuersas materias, in quibus, & diuersus agendi modus, & varia principia repetiuntur occupata, quod certum est in prudentia communi procurante aliorum commoda comparata cum prudentia monastica & priuata, siue vt alij vocant personali & ethica. Itaque illas differre inter se specie iure merito affirmabat secunda ista sententia cui adhæremus.

3 Manet tamen difficultas de prudentia priuata quæ omnium virtutum moralium actiones dirigit, & circa earum materias definiendas occupatur, vti diximus initio; an hæc inquam prudentia sit vnica, quod idem de eubulia, synesi, & gnome, si sint habitus inter se & à prudentia diuersi, quærendum erit; an videlicet multiplicandi sint specie pro singulis virtutibus moralibus, an verò pro omnibus vnica prudentia, vnica eubulia, synesis & gnome sufficiat: agimus autem de vnitate formali specifica & athoma, non materiali dumtaxat diuersitate; ergo etiam in hac prudentia agnoscunt superiùs laudati Almain. *tract.* 3. *morali. c.* 3. Okam *in* 3. *q* 12. Scot. *ibid. dist.* 36. *q. vn.* §. *quantum ergo.* Lessi. *lib.* 1. *cap.* 2. *dub.* 1. sicut enim non est vnica ars circa omnia factibilia, ita neque erit vnica prudentia circa omnia agibilia, & cum obiecta virtutum moralium sufficienter diuersa sint ad constituendos diuersos habitus in appetitu, temperantiæ scilicet, fortitudinis & iustitiæ; cur non etiam diuersas prudentias in intellectu constituent: quæ ratio confirmatur ex eo, quod habitus istarum virtutum moralium, sicut & habitus scientificos negauerimus, alias esse simplices qualitates, eósque ex pluribus partialibus composuerimus. Nam experientiâ constat, acquiri habitum temperantiæ circa vnam materiam, & non circa aliam; sicut etiam habetur demonstratio de vno obiecto, & non de alio, atqueadeò per illam partialis tantùm habitus acquiritur; extensio autem eius quæ deinde fit ad diuersa obiecta temperantiæ, v. g. aut scientiæ, non potest satis commodè intelligi absque partiali habitu superaddito, qui non potest esse eiusdem planè rationis cum præiacente; alioquin idem omninò efficeret, & non magis inclinaret ad noua obiecta, quàm prior: quod si sit diuersæ rationis, cùm illa essentialis sit, non potest esse nisi specifica. Quod idem omninò experimur in prudentia, quam aliquis habet circa materiam vnius virtutis, de qua bene consulit, iudicat & præscribit, & non circa alias in quibus errat.

4 Vnitatem tamen specificam prudentiæ adstruit S. Thom. 1. 2. *quæst.* 60. *art.* 1. *ad* 2. & ibi Caietan. ac cæteri interpretes, & Ludouic. de Montesino *tom.* 1. *disp.* 38. *n.* 60. Durand. *in* 3. *dist.* 36. *quæst.* 3. *num.* 5. Buridan. *in* 6. *Ethic. q.* 13. Vasq. 1. 2. *disp.* 85. *cap.* 2. Et sanè videtur ea esse mens Aristotelis 6. *Ethic. cap.* 13. *sub fin.* vbi ait omnes virtutes simul cum prudentia, quæ vna est, existere: deinde optimè argumentatur Caietan. ex eo quòd prudentia iudicet de obiectis omnium virtutum moralium, quodnam videlicet sit obiectum fortitudinis & iustitiæ, & verum hîc & nunc præferendum sit; inde enim rectè colligit vnicam esse prudentiam circa omnia eiusmodi obiecta occupatam, eadem prorsus ratione, quâ Philosophus 3. *de anima cap.* 1. probat vnitatem sensus communis, eò quòd iudicet de omnibus sensibilibus sensuum externorum; neque enim aliquis inter diuersa iudicare potest, nisi vnus & idem illa plura, & diuersa cognoscat; ideóque cùm visus solos colores percipiat & gustus sapores, neque visus neque gustus possunt inter sapores, & colores diiudicare; si igitur illos discernat sensus communis, & differentiam inter eos constituat, illos omninò percipiat necesse est. Quare vt prudentia discernat omnium virtutum obiecta, debet vna esse, & circa illa omnia versari: quod enim aliquis fingere posset esse singulas prudentias circa singulas materias virtutum, & prætereà vnam aliam veluti communem, quæ de omnibus iudicet, ineptum est, nam aut illæ singulares prudentiæ superfluæ erunt, aut illa vniuersalis.

5 Tertiò probant à priori Montesin. & Vasq. quia

prudentia

prudentia eodem modo inquirit & iudicat de obiectis omnium virtutum moralium; ergo est vna circa omnia illa obiecta. Consequentia est manifesta, quia diuersitas quæ sumetur ab obiectis tantùm materialibus, non nisi materialis erit; debet itaque vt formalis sit sumi à ratione formali sub qua, vt & à diuerso modo tendendi in varia obiecta. Antecedens quoque manifestum est, suppositis iis quæ iam sæpiùs diximus, iterúmque monebimus inferiùs, nempe prudentiam præsupponere finem abstractum virtutum, illiúsque appetitum, & intentionem; non enim præscribit bene viuere in vniuersum aut temperatè, fortiter & iustè viuere, sed supposito eiusmodi fine consultat de mediis ad temperatè viuendum, præscribitque modum, quo in hac singulari materia aliquis temperatè, aut fortiter viuat. Iudicat igitur prudentia quid sit eligendum in materia vniuscuiusque virtutis iuxta finem præintentum, & qualis est intentio finis taliter iudicat esse eligendum; ergo vno & eodem modo iudicat de omnibus & de illis præscribit, quod verò isti fines præintenti sint plures & diuersi non obstat, quia se habent in ordine ad prudentiam tamquam principia quæ non specificant actus, aut habitus; nam vnica scientia diuersa aliquando principia habet, ab iisque suas conclusiones deducit: quod igitur plures intentiones plurium finium præsupponantur à prudentia, id non constituet in illa diuersitatem specificam. Quæ ratio non valet vti obseruauit Vasq. *disp. cit. num.* 13. In prudentia alienum commodum spectante, quia diuersus est modus consultandi & iudicandi de agibilibus circa se & circa alios.

6 Quæ verò opponebantur non difficulter reiiciuntur; non datur enim vnica ars circa omnia factibilia, quia nulla est ars vna, quæ inter omnia factibilia diiudicet ac discernat, ac proinde illa omnia necessariò cognoscat; deinde omnes artes non conueniunt inter se in vna aliqua ratione communi. Et aliunde obiecta formalia singularum artium, modúsque procedendi ipsarum in suis operibus plurimum inter se differunt: Itaque plurima omninò habemus, quæ diuersitatem specificam artium persuadent, & nihil quod vnitatem euincat; cum è contrario in prudentia reperiamus vnitatem obiecti formalis, quod est virtutis honesta, siue bene viuere, & connexionem virtutum in illa, vti dicemus inferiùs; quæ connexio falsa esset, si singulæ virtutes prudentiam particularem & distinctam sibi correspondentem haberent: non enim illâ mediante inter se vincirentur, vinculum siquidem commune esse debet vtrique extremo. Denique certò constat vti iam diximus, vnam prudentiam omnium virtutum obiecta attingere, quandoquidem illa inter se discernit, vti exemplo sensus communis argumentabamur cum Caietan. vides igitur latissimum discrimen inter artem & prudentiam in hac parte, & ex vnitate prudentiæ, non rectè colligi vnitatem artis; aut ex diuersitate artis, diuersitatem prudentiæ.

7 Neque magis vrget quod afferebatur de diuersitate virtutum moralium, quod illa ipsa obiecta, quæ constituunt diuersas virtutes in appetito, possint diuersas prudentias in intellectu specificare. Respondet enim S.Thom. 1. 2. *quæst.* 60. *art.* 1. Primò prudentiam se habere tamquam causam æquiuocam respectu virtutum moralium, quæ ab illa rationalitatem, vt ita dicam, participant, ac proinde honestatem attingunt; benè autem stat vnitas causæ æquiuocæ, cum multiplicitate eorum quæ ab illa aliquod esse accipiunt; & quamuis vnum sit calidum per essentiam, plura nihilominùs sunt calida per participationem caloris ab illo vno calido per essentiâ. Prudentia rationalis est per essentiam, virtutes morales per participationem; ex earum itaque multiplicitate, non tollitur vnitas prudentiæ. Secundò, prudentia in ordine ad virtutes morales habet se tamquam imperans ad actus imperatos, & benè stat quod imperans sit vnum, imperati sint plures; hoc autem imperium est directio volontaris, eiúsque actuum ad honestatem intentam, quæ directio cùm sit à prudentia, non infert necessariò multiplicitatem in illa, itavt tot sint prudentiæ quot actos, quos ad diuersas honestates dirigit. Tertiò prudentia versatur circa verum, & virtus moralis circa bonum atqui in omnibus virtutum materiis est vnica ratio veri: vndè non est multiplicandus habitus verum circa omnes istas materias attingens; at verò bonitas & honestas diuersa est in virtutibus moralibus, & diuersa difficultas in appetitu, circa bonum iustitiæ, fortitudinis & temperantiæ: Quare ratione istorum multiplicantur istæ virtutes & habitus in appetitu.

Dices constare experientiâ diuersas esse difficultates in iudicanda honestate, & definienda mediocritate in materiis diuersarum virtutum, cùm aliqui prudenter circa aliquas materias iudicent, in aliis errent, ac proinde non simul acquiri totum prudentiæ habitum, qui simul inclinet ad omnia obiecta materialia aut formalia omnium virtutum, sed sensim pro frequentatione actuum circa diuersas illas materias extendatur: sicuti contingit in aliis habitibus tum scientiæ tum virtutum moralium; ergo sicut virtutum moralium atque scientiarum habitus voluimus esse totales & constare pluribus partialibus specie infimâ distinctis, ita dicendum erit de prudentia, quod erat argumentum Scoti *initio* allatum. 8

Resp. hinc maximè reddi Scoti sententiam admodum probabilem, nihilominùs licet assignare discrimen aliquod inter scientias, virtutes morales & prudētiam, quod vna eadémque scientia tendat in diuersas specie demonstrationes, ad quas proinde requiruntur diuersi specie habitus, ex quibus non potest coalescere vna simplex qualitas scientiæ, sed vna quædam totalitas. Idem quoque in virtutibus moralibus affirmandum est; tendunt enim singulæ per diuersos actus in diuersas specie honestates, vndecumque ea diuersitas formalis & specifica in obiectis formalibus scientiarum, & virtutum moralium desumatur, quod modo non expendo. Positâ igitur multiplici honestate in obiecto adæquato temperantiæ, fortitudinis, & iustitiæ, non modò multiplicandi sunt actus singularum istarum virtutum in eas diuersas honestates tendentes, intra eandem tamen rationem genericam temperantiæ, & fortitudinis, sed etiam multiplicandi erunt habitus ad eos actus inclinantes. At verò in prudentiæ obiecto formali non reperitur illa eiusmodi distinctio specifica honestatis; præscribit enim media acquirendæ honestatis præintentæ, & definit mediocritatem, ex qua honestas in qualibet materia virtutis constituenda est; & quamuis istæ honestates singularum virtutum sint formaliter diuersæ, non tamen sub illa ratione diuersitatis attinguntur à prudentia tamquam sub ratione formali *sub qua*, sed se habent dumtaxat materialiter, aut tanquam obiectum formale *quod*. Idque manifestum facit argumentum Caietani superiùs adductum. Cùm enim eodem actu, eodémque iudicio prudentia attingat plures istas honestates specie diuersas, illásque inter se comparet, & de iis iudicet, non potest in singulas illas honestates formales tamquam in rationes sui specificatiuas ferri, alioquin à pluribus rationibus specificatiuis simul specificaretur, atque ita esset simul diuersæ speciei physicæ, quod fieri nequit; haberet enim plures differentias essentiales diuersásque essentias: quod si

vnus & idem actus prudentiæ omnes eiusmodi honestates formales virtutum moralium attingit tanquam obiecta tantum materialia, & non ipsius specificatiua, multò magis id concedendum erit habitui prudentiæ, qui proinde non specificabitur à diuersa honestate virtutis moralis, quam dirigit, sed à propria sua honestate & obiecto, quod est honestas in quacumque materia non sub ratione boni, sed sub ratione veri, vti diximus superiùs; honestas autem sub ratione veri practici, hoc est vt habet conformitatem cum ratione, siue vt est bonum hominis vt rationalis, non est sub ea formalitate specie multiplex. Vides igitur longè aliam esse rationem multiplicandi habitus partiales specificos in virtutibus moralibus quàm in prudentia, cum in illis reperiatur multiplex specificatiuum, in ista verò sit vnum & idem pro singulis eius actibus, ideóque idem habitus potest illos omnes actus elicere, & ad illos potentiam inclinare.

9 Ad molestum verò illud argumentum sumptum ex multiplici facilitate aut difficultate, quam circa diuersas materias prudentiæ experimur. Vnde colligitur acquisitio noui partialis habitus aut modi in prudentia, sicut in omnibus aliis habitibus tum scientificis tum moralibus. Respondet Suar. *disp. 44. metaph. sect.* 11. omnem istam difficultatem ex causis extrinsecis prouenire, non ex natura obiecti diuersorum actuum tum prudentiç, tum moralium virtutum, quarum etiam habitus indiuisibiles facit, in eóque distinguit ab habitibus scientificis, quod postremum non probo, quia etiamsi in omnibus istis diuersæ difficultates sint extrinsecæ, quæ ex variis adiunctis desumuntur, habemus tamen reuerà diuersa obiecta formalia, quæ isti habitus morales attingunt per actus specie diuersos, à quibus diuersos quoque habitus generari necesse est.

10 Respondeo secundò. Quamvis daremus difficultatem circa diuersa obiecta prudentiæ oriri ex ipsa natura obiectorum, de quibus ipsa iudicat, atque diuersis ex materiis, in quibus non æquè facile est constituere mediocritatem. Hinc tantùm sequitur multiplicandam esse prudentiam in ratione habitus, non tamen in ratione virtutis & prudentiæ; hoc est addi nouos habitus partiales, qui non differant a præiacentibus in ratione virtutis, sed solum, in ratione habitus. Quia ratio diuersificans virtutem sumitur à diuersa honestate obiecti, si sit virtus moralis, aut à diuersa cognoscibilitate & modo cognoscendi, si sit virtus intellectualis. Potest verò contingere vt in obiectis materialibus, & quæ eidem rationi formali atque specificæ honestatis substernuntur, reperiatur diuersa specie difficultas; eam enim appello diuersam hoc loco specie difficultatem, quæ nequit superari eorumdem actuum repetitione, aut intensione: atque has rationes specificas difficultatis & honestatis diuersas esse nemo non videt. Quare idem habitus poterit sub ratione habitus specificari ab obiecto difficili, & sub ratione virtutis ab honestate, quod non contingit in actu, quia vel consideratur vt honestus, & sic specificatur ab honestate in quam tendit, vel vt facilè aut difficulter elicitur; sic autem ea facilitas & difficultas est solùm aliquid extrinsecum, & denominatio à potentia facilè aut difficulter operante; virtus quoque non specificatur, nisi à bonitate in quam tendit, quod enim sit coniuncta difficultati, aut non, est tantùm conditio quædam obiecti boni quod prosequitur. At verò habitus cùm detur solùm ad facilitandam potentiam, non aliundè quàm à difficultate quam superat, siue ab obiecto vt difficili specificari poterit, eaque fuit semper veterum omnium & recentiorũ mens, habitũ inclinare potentiam, illámve ad agendum facilitare. Itam Ocam *in* 3. *q.* 4. *Litt. P. & M.* Gabr. *ibid. dist.* 23. *q.* 1. *Lit. A A.* Scot. *ibid. dist.* 34 *q. vni. Litt. I.* Greg. *q.* 5. *prologi A.* 1. *ad* 2. *&* 3. Henric. Aureolius. *quodlibet.* 11. *art.* 1. *con.* 2. *&* 3. qui omnes aliique tradunt pro diuersâ difficultate, distingui & multiplicari habitum. Quod significat etiam S.Thom. *in* 3. *disp.* 33. *q.* 1. *art.* 1. *q.* 1. dum ait potentiam esse principium agendi absolutè, habitum autem agendi facilè & expeditè, ideóque obiectum prout simpliciter terminat actum respondet potentiæ, vt autem facilè attingitur, cùm tamen difficilè attingendum esset, respondet habitui, & ideò inquit, diuersitas materiæ vel obiecti in ordine ad ea quæ faciunt facilitatem in actu, facit diuersitatem habitus, quæ diuersitas non est solùm materialis, sed etiam specifica: & sanè nullo alio argumento probarunt hactenùs philosophi, existentiam habituum, quam ex noua facilitate potentiæ circa operationes quas priùs difficulter & ægrè eliciebat; inde enim colligunt aliquid ipsi potentiæ, quod eam facilitatem conferat, accessisse; inde quoque argumentum extensiuum inferimus, alioquin simul eandem facilitatem circa omnia obiecta materialia experiremur, quod tamen falsum est, etiamsi enim qui facile seruat æqualitatem in supellectili, seruaturus quoque sit in pecunia si omnia sint paria; non tamen qui seruat in potu temperantiam, eadem facilitate seruabit in aliis obiectis etiam materialibus, & eidem honestati ac formalitati substratis; quia ratio formalis sumitur ab honestate, quæ eadem est in pluribus materiis; difficultas autem ab ipsamet materia, quæ afficitur eâ honestate, eo quòd illa materia, quæ varie afficit hominem, & ita illi blanditur, aut molesta est vt placeat, aut displiceat præter rationis præscriptum, facilitatem aut difficultatem actus generet. Ipsa enim honestas suauissima est, neque ex se vllam parit difficultatem, quæ omnis prouenit ex materia cui coniuncta est, vti sapienter explicat S.Thom. *q.* 1. *de virtutibus art.* 4. *ad* 12. Quare habitus qui superabit difficultatem in vna materia, non superabit illam in quacumque alia materia, etiamsi eandem formalem honestatem illis materiis inhærentem prosequatur. Poterit igitur, quod vnum hoc loco contendo, multiplicari habitus circa obiecta alicuius virtutis absque eo quòd multiplicetur virtus ipsa. Ideóque quamvis circa diuersa obiecta prudentiæ diuersam difficultatem experiamur, inde tantum colligitur habitum prudentiæ non esse vnam simplicem qualitatem in ratione habitus, virtutem tamen prudentiæ personalis & monasticæ, de qua solùm disputamus, esse vnam specie atoma, vti voluerat S.Thomas & Arist.

§. II.

Prudentia est virtus intellectualis, & aliqua ratione moralis.

Ita affirmat Aristoteles: nam. 1. *Ethic. cap.* 13. virtutes pro ratione partium animi, nempe τοῦ λογιστικοῦ καὶ ὀρεκτικοῦ, partitur in διανοητικάς, quæ ad λογιστικόν, & ἠθικάς, quæ ad ὀρεκτικόν pertinent. Inter priores verò prudentiam recenset, quam & reliquos ibi enumeratos mentis habitibus, ex eo probat esse virtutes, quia prudentem & sapientem laudamus; habitus verò, qui laudabiles sunt, virtutes appellamus τῶν ἕξεων τὰς ἐπαινετὰς ἀρετὰς λέγομεν. quod argumentum, vt intelligas, obserua ex eodem Arist. 1. *lib. c.* 12. tria esse bonorum genera δυνάμεις facultates, ἐπαινετά laudabilia, & τίμια cultu & honore digna: δυνάμεις sunt bona corporis & fortunæ, quibus bene & malè vti licet: 11

quod

quod annotauit Alexand. *in lib. 1. Topicorum*, laudabilia sunt virtutes & facta honesta: τίμια denique summa quæque vt Deus mens, beatitudo, principia rerum, fundamenta, & origines, atque vt ait Andronic. in paraphrasi *cap. 12.* οἷαι τὰ θεῖα καὶ ὑπὲρ ταῦτα, diuina & reliquis maiora; inter ἐπαινετὰ verò τὰ κατορθώματα, ἃ ἐκ ἐνεργεῖται ἐλθόντα ἀγαθά. bona iam facta inter δυνάμεις & facultates, artium habitus ἕξεις τῶν τεχνῶν, vt ars gubernatoria & medica. Eandem bonorum partitionem tradit Arist. 1. *magn. moral. c. 2.* vbi tamen inter τίμια numerat virtutem, quando quis per eam probus fit σπουδαῖος, & iam habet virtutis σχῆμα & habitus. Deinde inter laudabilia recenset quoque virtutes, quia ab illarum actionibus laus gignitur. Itaque priori illo loco, vbi honore coli ait eum, qui iam habet virtutis σχῆμα, intelligit hominem propè diuinum, eosque quos *cap. 12. lib. 1. Ethic.* vocat τῶν ἀνδρῶν θειοτάτους, virorum diuinissimos, quod virtute acquiritur: Laus igitur ἔπαινος dicitur, relatè ad aliquid δι' ἀναφορᾶς, sic hominem iustum & fortem atque bona qualitate præditum, atque ipsam virtutem laudamus διὰ τὰ ἔργα, καὶ τὰς πράξεις. Et quia sic se habet quodammodo ad bonum & honestum; dij verò quia in se sunt perfecti, & aliò non referuntur; non laudantur, neque hominum diuinissimi; ridiculi enim essent, si referrentur ad nos γελοῖοι, γὰρ φαίνονται πρὸς ἡμᾶς ἀναφερόμενοι: quod sic dixit γελοῖον *lib. 10.* vocat φορτικὸν ineptum. Referunt autem aliqui interpretes illud γελοῖοι ad θεοὺς, quasi ridiculi forent dij ex Aristotelis mente, si ad nos referrentur, & nostri causâ agerent; cum tamen reuerà ad ἐπαίνους referat, vt aduertit Andronic. Eustrati. Gifanius, alijque; quia laudes deorum ridiculæ essent, si eodem modo quo homines laudarentur, & nobis æquarentur, vt inde ad aliqua præstantiora excitarentur, aut quia aliquid fortiter, aut castè egerint, cùm semper ipsi sint in actu perfecto. Quare non laudamus Deos & diuinos homines, sed fœlices dicimus, μακαρίζομεν καὶ εὐδαιμονίζομεν, non laudamus etiam fœlicitatem vt aliquid iustum, sed vt aliquid diuinius beatificamus μακαρίζομεν, quia quæ laudantur, ob bonum aliquem finem laudantur, fœlicitas verò εὐδαιμονία ad nullum finem refertur, cum ipsa sit vltimus finis; hanc laudis acceptionem confirmat Aristoteles Eudoxi authoritate; inde enim probabat voluptatem esse summum bonum, quia non numerabatur inter laudanda, cum aliò non referretur; ac proinde inter τίμια, atqueadeò inter diuina colloeanda esset: vnde tandem concludit laudem esse virtutis, cùm illa nos ad res honestas & præclaras idoneos reddat: præclara quoque gesta siue animi siue corporis encomiis extollimus, quia ad bonum aliquem referuntur. Quare quatuor vocabula philosophus subtiliùs distinguit, μακαρισμὸν, εὐδαιμονισμὸν, ἔπαινον, & ἐγκώμιον. Nam μακαρισμὸς beatificatio rebus diuinis conuenit, quia sui gratiâ sunt, neque alio referuntur: εὐδαιμονισμὸς, humanus quidam honor est, qui licet non alio referatur, minor tamen est beatificatione & μακαρισμῷ, & diuinis hominibus tribui solet, quamquam & de diis aliquando dicatur, vti videbis apud Aristotelem *lib. 1. Ethic. cap. 10. & lib. 1. mag. moral. cap. 3.* ἔπαινος est hominum virtute præditorum, aut ex virtute agentium, ipsarum quoque virtutum διὰ τὰ ἔργα, propter honesta facta: ἐγκώμιον denique tribuitur ipsis virtutum operibus, & præclarè factis, quibus ad bonum vtimur. Si quis igitur Ciceronem laudare vellet ἐπαινεῖν esset, si consulatum ab eo bene gestum esset ἐγκωμιάζειν: est & εὐδοξία gloria, quæ reuocatur ad laudem, cui addit quamdam magnitudinem, & ita vt in communi omnium voce atque opinione posita sit: de qua vide Aristotelem 1. *Rhetor.* Cùm igitur prudentia sit habitus laudabilis ex communi omnium sensu, quia facit hominem ad bonum finem assequendum, & ad præclara gesta idoneum, & sola virtus laudanda sit, sequitur prudentiam virtutem esse ex eodem Aristotele.

Secundò, virtus ex Aristotele 1. *physic. c. 3. textu 27.* 13
est dispositio perfecti ad optimum, id est potentiæ ad operationem perfectam, prudentia verò disponit hominem ad operationem honestam, quæ perfectissima est; est enim vel finis, vel consequutio finis, vel medium ad finem.

Tertiò idem euincunt vulgares aliæ virtutis defi- 14
nitiones, vt quæ habetur 2. *Ethic. cap. 6.* virtus est habitus qui bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit; atqui prudentia bonum facit suum subiectum, quod rectè disponit, & est principium rectæ intellectionis dirigentis actiones morales. Præterea definitur virtus à S. Thom. 1. 2. *q 55. art. 4.* Bona qualitas mentis quâ rectè viuitur, quâ nemo malè vtitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur. Quæ definitio colligitur ex Augustin. *lib 2. de lib. arbitrio. cap. 18. & 19. & lib. 1. Retractat. cap. 9.* in qua definitione explicanda diutius nobis immorandum non est. Obseruo dumtaxat ab eodem Augustino, tria constitui genera bonorum, minima, media, & maxima. Minima bona sunt sine quibus possumus rectè viuere, quæ non modo sunt bona externa, sed etiam interna, quæ ipse vocat species corporales, id est, virtutes corporis, vt manus, oculus, pes, sine quibus rectè viuere possumus: media, sine quibus non possumus rectè viuere; illis tamen malè vti possumus, cuiusmodi sunt intellectus & voluntas: maxima denique bona sunt, cum quibus rectè viuitur, cum quibus nemo malè vtitur; eaque sunt virtutes: Et quamvis laboret Caietan. in exponendo, quomodo nunquam malè vtamur virtute, maximè intellectuali, cùm quis sua scientia aut arte sæpiùs malè vtatur: sapienter tamen dixit S. Thom. *art. 4. citato ad 5.* quod nemo malè vtitur virtute vt principio, quamvis posset malè vti illâ tamquam obiecto, & occasione, quatenùs ratione virtutis sumit occasionem superbiendi. Itaque virtus nunquam est principium actus praui vt sic: prauitas enim aliunde prouenit, quod in virtute intellectuali perspicuum fit; Actus enim illius habens aliquam malitiam geminus est, vnus intellectualis, qui est a virtute, alter moralis malus malitia morali, quæ vel ab habitu vitioso, vel à praua voluntate profluit, vt in actu artis aut scientiæ propter vanam gloriam liquet. Prudentia igitur cùm sit qualitas quâ rectè viuitur, & quâ nemo malè vtitur, cum non possit esse principium operis contra rationis præscriptum, erit omninò virtus.

Dixi autem esse virtutem intellectualem, quod ex 15
potentia intellectiua in qua residet, & quam perficit, manifestum fit; vnica eaque grauis videtur difficultas, quia virtus intellectualis attingit verum infallibiliter, ideóque fides & opinio in quibus reperitur aliquando falsitas, reiiciuntur ab Aristotele *6. Ethic. c. 3.* à numero virtutum intellectualium; atqui prudentia & ars cum versentur circa contingentia, eidem falsitati obnoxiæ sunt, sæpiúsque in syllogismo prudentiali minor propositio falsa est, licet vt vera æstimetur; nam qui dictat diuiti quem pauperem existimat, erogandam esse eleemosynam, prudenter id colligit ex principio vniuersali vero, & ex propositione singulari falsa: Hunc nodum soluimus *lib. superiori, c. 2. q. 6. à n. 4.* Dico igitur certitudinam & veritatem prudentiæ practicam esse, atqueadeò diuersæ rationis à veritate speculatiua scientiæ; hæc enim sumitur ex conformitate ad rem, hoc est vt talis sit res, qualis esse affirmatur: veritas autem practica est conformitas cum

cum regulis practicis siue actionis, quas prudentia vel ars dictat, quæ regulæ & vniuersales sunt & infallibiles: Quare quamvis aliquod iudicium speculatiuè & absolutè consideratum falsum sit, practicè tamen verum esse poterit, atqueadeò prudens & ex arte, cuius videlicet regulis infallibilibus conforme est: si quis retineret alienum, quod post adhibitam sufficientem diligentiam existimaret esse suum, prudenter iudicaret retinendam sibi esse rem illam; immò imprudenter iudicaret, si aliter iudicaret, quia licet istud iudicium, hæc res retinenda est, sit speculatiuè falsum, quia deducitur ea iudicio speculatiuo falso, hæc res est mea; est nihilominùs practicè verum, omnia enim principia ex quibus illud iudicium colligitur, prudentia sunt, & practicè vera: colligitur enim ex propositione vniuersali verissima, honestum est retinere res proprias: vnde sequitur appetitus honestus, quo res omnes proprias retinere & conseruare volumus. In practicis enim semper inter maiorem & minorem interiicitur rectus appetitus finis. Sequitur deinde minor, quæ est hæc propositio singularis; hæc res est mea quæ quidem falsa est, cùm non sit conformis rei: Verùm ea non est propositio practica, sed solùm conditio applicans regulam vniuersalem ad particularem materiam; deinde ista propositio cùm non sit immediata, siue speculatiuè, siue practicè consideretur, ad aliquod principium vlteriùs ex quo eius veritas pendet, resolui potest, speculatiuè quidem sumpta pendet ex obiecto & illius principiis. Quare cum non sit conformis suo obiecto, falsa omninò est, sed vt vides ea falsitas est speculatiua: quod si practicè consideretur, vti reuerà considerari potest; quia licet ipsa practica non sit, est tamen necessaria ad conclusionem practicam & iudicium prudentiale eliciendum: ad istud generale principium reuocabitur id, prudenter cùm iudicatur, quod sine vlla dubitatione iudicatur tale esse & honestè fieri: atqui sine dubitatione & prudenter iudicatur res illa esse mea, prudenter igitur & certè concluditur illam esse retinendam. Eodem recidunt aliorum solutiones: nam Corduba *lib.2.q.25.* ex Gersone *Alphabet.62. littera Z*, sic formari vult hunc syllogismum: licitum est accedere ad illam, quæ probabiliter dicitur esse propria vxor: hæc creditur probabiliter esse propria vxor: ergo ad illam licitè accedam. Minor illa supposita ignorantia probabili vera est: ergo conclusio sequitur vera, nempè ex duabus præmissis veris; & quamvis in eo syllogismo non est vlla reflexio, vti aliqui obiiciunt, explicita, at verò implicita sufficit: Ait præterea Durand. *in 2. dist. 38. q. 1. n. 9.* ex regulis dialecticorum ex falso antecedenti supposito & vero, sequitur vera conclusio, quod in practicis verius est, vt Vasq. 1 2. *disp. 58. cap. 1.* Lorca *in comm. ad art. 3. q. 19. 1. 2.* Montesin. *ibid. disp. 27. n.* 87. ostendunt: aliqua præterea propositio potest esse vera in quibusdam circumstantiis, quæ nudè sumpta falsa erit, vt licitum est occidere hominem falsa est, & licitum est occidere inuasorem, est vera; quamquam hæ propositiones diuersæ sint. Itaque mirum non est quod vna sit vera altera falsa. In iudicio autem prudentiali semper minor si bene accipiatur & cum omnibus suis circumstantiis est vera, non nudè sumpta, sed in circumstantiis cum quibus sumitur, & ex ea elicitur iudicium verum, nempè quod enuntiat aliquid esse conueniens naturæ rationali quod reuerà tale est in talibus circumstantiis, vt accessus ad istam tanquam propriam vxorem.

16 Quæ omnia confirmantur ea eo, quod Aristoteles *6. Ethic. cap. 2.* sumat veritatem prudentiæ ex conformitate cum appetitu recto; qui locus variè torsit interpretes. Vide Montesin. 1 2. *q. 19. art. 3. disp. 27. q. 5.* §. 2. Ego explico de appetitu recto finis abstracti à materia, qui appetitus rectus est, si cum principiis vniuersalibus synderesεos sit conformis; isque appetitus semper interiicitur inter principium vniuersale synderesεos, & minorem singularem: ex quibus in syllogismo prudentiali colligitur actio singularis facienda. v.g. hoc iudicium, hodie ieiunandum est, prudenter & practicè verum est, si sit conforme huic voluntati; volo id omne quod à Deo præcipitur, quæ voluntas recta est, quia consonat huic vniuersali principio, quidquid à Deo imperatur, faciendum est: dum Iacobus iudicabat licitum esse accedere ad Liam, supponebat appetitum rectum, & honestum accedendi ad suam. Ratio verò propter quam ex hac conformitate cum appetitu recto sumatur iudicij prudentialis rectitudo & honestas, manifestissima est: nam ex intentione finis ducendæ sunt regulæ, quibus dirigantur ea, quæ ad finem ordinantur; intentio enim determinat intellectum ad consultationem, & inquisitionem mediorum, & voluntatem ad eorumdem electionem. Atqui prudentia est virtus ordinans & determinans ea quæ ad finem honestatis conferunt, materiam enim virtutis propriam ordinat, mediocritatem in ea constituendo, & præcipit quibus mediis ad eum perueniri possit. Tunc igitur recta erit, cùm ita præcipiet, sicut intentio finis honesti postulat. In quo debet attendere regulas vniuersales synderesεos, quandoquidem eas ad finem virtutis in materia particulari ac determinata applicat, ideóque dicitur conclusiones practicas particulares ex principiis vniuersalibus colligere. Nulla igitur est falsitas in iudicio prudentiali, per quod iudicatur actio facienda, sicuti reuerà facienda est; vnde est etiam conforme obiecto etiam secundum rem suo modo, vti exponit Montesino *tom. 1. disp. 38. q. 3. a. num.* 34. & Vasq. *ibid. disp. 58. cap. 2. & disp. 85. cap. 1. n. 3.* cùm itaque prudentia verum practicum infallibiliter attingat, virtus intellectualis dicenda erit.

Addidi esse quoque aliqua ratione virtutem moralem, quod ea discrimine inter virtutem intellectualem & moralem constituto à S.Thoma 1. 2. *q. 56. art. 3. & q. 57. art.* 1. facilè colligitur, nempè quod virtus intellectualis est quidem principium boni operis, & dat facultatem ad bene operandum, sed non dat bonum vsum; moralis verò est principium boni operis, & dat bonum vsum. Cuius discriminis varias causas ac expositiones adducunt Caietan. & Medin. in comment. Mihi videtur S.Thom. non modò de rectitudine propria virtutis; sed etiam de quacumque extrinseca loqui, atque in eo collocare istarum virtutum differentiam, quod opus procedens ex virtute intellectuali, quamvis habeat propriam rectitudinem, nempè virtutem, potest tamen esse malum ex fine ad quem voluntas tale opus ordinabit, at verò opus virtutis moralis, eo ipso quod habeat propriam bonitatem, nequit habere vllam malitiam ea fine, aliáve circunstantia extrinseca deriuatam; nam qui dat eleëmosynam propter inanem gloriam, non facit opus virtutis misericordiæ, vt dicemus alibi: qui autem aliquid demonstrat propter eundem finem, facit opus scientiæ. Cùm enim virtus intellectualis stet circa verum, & verum stare possit cum malitia ea fine, atque in vniuersum cum malitia morali, poterit opus virtutis intellectualis esse malum moraliter: operatio autem virtutis moralis versatur circa bonum morale siue honestum, quod non modò ex obiecto, sed ex fine aliisque omnibus circunstantiis pendet. Quare si ex aliqua illarum opus malum sit, iam non est opus virtutis, licet circa illius obiectum materiale versetur: 17

intellexit

intellexit quoque Caietan. per bonum vsum, actum voluntatis quo mouet intellectum vt operetur ex aliqua virtute intellectuali: virtus igitur intellectualis perficit quidem intellectum vt possit benè operari circa verum, non perficit tamen voluntatem vt moueat intellectum ad operandum ex ea virtute. Quare Grammaticus potest si velit barbarè loqui, & contra grammaticam peccare, quia potest non vti arte grammaticæ quam habet, aut contra illam agere, quia grammatica non inclinat ipsum, vt velit eâ bene vti, sed vt possit. At verò virtus moralis quia perficit voluntatem, non modò confert illi facultatem bene & honestè operandi, sed etiam illam inclinat vt velit honestè & ex tali virtute operari. At verò vt obseruauit quoque Montesino *disp.* 58. *n.* 1. *tom.* 1. 1. 2. prudentia non modò tribuit principium boni operis, sed etiam vsum, cum nemo possit malè vti prudentiâ, quæ ita ad bonum opus inclinat, vt etiam inclinet ad vsum, id est ad actionem quam præscribit, & supponit iam voluntatem rectam finis, ad quem obtinendum media præscribit, vti sæpiùs diximus. Ex ea igitur parte virtus moralis est; quod etiam habet ea eo, quòd omnem virtutem moralem dirigat, illiusque mediocritatem, atque honestatem quodammodo constituat, vti fuit superiùs explicatum. Quare cùm sit regula morum, moralis omninò dicenda erit.

§. III.

Prudentia comparatur cum aliis habitibus intellectiuis.

17 Duplex est huius comparationis caput, primum est circa ipsorum conuenientiam aut differentiam, alterum circa dignitatem & vtilitatem: primam accuratè præstitit Aristoteles *6. Ethic. à cap.* 3. & *ibid.* interpretes, atque Iouian. Pontan. *lib.* 3. *de prudentia à c.* 6. Et quidem instituenda solùm est hoc loco comparatio cum his habitibus, quorum munus est verum dicere ἀληθεύειν; atque vt loquitur apud Gellium Ennius, verare; illi enim soli sunt virtutes, & quinque enumerantur ab Aristotele, scientia nimirùm, intellectus, sapientia ars, ipsáque prudentia, quam cum cæteris modò conferimus, de quibus omnibus egit Aristoteles *à cap.* 3. *lib.* 6. *Ethic.* ex qua nos quæ ad institutam prudentiæ cum ipsis comparationem faciunt, delibabimus. Non laboro autem in præsentiarum in reddenda huius quinarij ratione, quod facit Gifani. *in Comm. cap.* 3. *lib.* 6. *Ethic.* & nos alibi.

Opinionem reiicit Aristoteles, quia illa & vera & falsa est, ideóque *in magnis moralib. lib.* 1. *cap. vlt.* dixit mutuata voce à Platonis Theateto per illam animam ἐπαμφοτερίζειν, ambigere, nunc hoc, nunc illud sentire. Quare Plato eam appellat velut Androgynam, & medium quoddam esse inter id quod est, & id quod non est. Eam Aristoteles hoc *cap.* 3. duabus vocibus exprimit & vocat δόξαν & ὑπόληψιν, reddunt Latini opinionem & existimationem, & quidem ὑπόληψις aliquando significat omnem animi comprehensionem, vt apud Aristotelem *lib.* 4. *topicorum*, & Alexand. *in* 1. *topico.* aliàs pressiùs sumitur pro δόξα opinione, sicque perpetuò vsurpat Aristoteles *in magnis moralibus*: aliàs denique pro materia & obiecto opinationis. Cùm igitur opinio per se & ex natura sua aberret à vero & mentiatur, statim apparet illam neque esse virtutem intellectualem, quæ ἀληθεύει, & verum infallibiliter attingit, neque prudentiam, quæ nunquam per se mentitur, vti ostendimus superiùs; si quæ enim aliquando in ea, sicut & in arte falsitas oriatur, ea oritur ex materiæ ipsarum inæqualitate, διὰ τὴν τῆς ὕλης ἀνωμαλίαν, vt ait Andronic. *in par. lib.* 6. *cap.* 4. vbi quod nos nuper diximus eleganter explicat, tunc enim inquit aliqua agendi ratio μέθοδος per se mentiri dicitur, cùm per illius regulas & præcepta falsum colligitur. Nam si regulæ quidem rectæ sunt, res verò subiectæ, quia aliter atque aliter se habent τὰ πράγματα ἄλλοτε ἄλλως ἔχοντα, falsitatem patiunt, sic non illa methodus, cuius regulæ veræ sunt, sed opinio & existimatio illarum rerum, δόξα ἢ ὑπόληψις, falsa dicenda erit. Quare ea methodus per se omninò non mentitur, si quis v.g. pedaneæ magnitudinis esse solem existimaret, aut lunam lumen habere à se ipsa οἰκεῖον & quasi domesticum, cùm hæc semper eodem modo se habeant, ἀεὶ ὡσαύτως, existimatio & opinio de illis mentitur, quia tunc falsitas sumi nequit ea rei cognitæ mutabilitate, sed ipsa cognitionis falsitate: quare opinio per se obnoxia est falsitati, non verò prudentia, cuius regulæ certissimæ sunt, etiamsi res, quæ ipsi subiiciuntur, mutabiles sint, & aliquam pariant falsitatem, eò quòd mutatæ sint, aliterque se habeant quàm cognitæ fuerint; vt enim dixit idem Andronic. inferiùs contingentium non est firma veritas; postquam enim cognita fuerint, mutantur, & ignaris sæpè nobis desinunt. Seclusâ igitur opinione, scientia est de necessariis & æternis atque immutabilibus, quod ex communi hominum sensu compertissimum esse colligit Aristoteles *cap.* 3. 6. *Ethic.* & *lib.* 1. *posterio. Analytic. cap.* 2. ita vt scibile τὸ ἐπιστητόν, necessarium & immutabile sit, vt ipse etiam scientis animus ἀμετάθετος & impermutabilis existat; ideóque scientiam aliqui definiunt, animi comprehensionem ἀμετάπτωτον *ex* 6. *topico.* quæ nulla animi persuasione inuerti possit. Quam definitionem probat Clem. *lib.* 2. *stromat.* Hanc eandem scibilis necessitatem & immutabilitatem probat Aristoteles, dum addit omne scibile doceri posse, & omnem scientiam tradi docendo & discendo; omnis verò doctrina ex aliqua prænotione cõparatur. Colligitur itaq; omnis sciẽtia ex antecedente cognitione, siue ea sit per inductionẽ, siue per ratiocinationẽ & syllogismum; & inductione quidẽ singulariũ probantur principia vniuersalia, ex quibus cõstat syllogismus; syllogismo autẽ demonstrãtur conclusiones quæ sciuntur: scientia enim est habitus demõstratiuus & apodicticus: Demõstratio verò est ratiocinatio & syllogismus, qui concludit ex prioribus, notioribus & causis conclusionis; principia enim & sumptiones siue præmissæ προτάσεις, priores & notiores esse debent conclusione, & certæ atque cognitæ supponi, atque præterea causam continere, per quam res concluditur & cognoscitur. Vnde definitur scientia *lib.* 1. *priorum analytic. cap.* 2. cognitio rei per causam, per quam est, sic vt aliter fieri non posse credatur, quam vt causa posita res ipsa sit.

Hinc statim apparet discrimen scientiæ à prudentia, quæ circa contingentia & mutabilia versatur, atque vbi post diligentem consultationem factæ sunt electiones, quas deinde actiones ipsæ rerumque administrationes sequuntur, vix eorum propter incerta, euenta varia & inopinata, tenor perpetuus esse potest, cum sæpissimè necesse sit gerendæ rei mutare rationem, aliaque, atque alia procedere via. Neque omnia contingentia prudentia considerat, sed futura duntaxat & humana bona, vti sæpiùs monuimus.

Differt præterea prudentia ab intellectu, de quo 18
cap. 6. *lib.* 6. *Ethic.* Aristoteles, quia intellectus est principiorum, quæ etiam prima & summa vocat. At verò vt ait *cap.* 11. prudentia cum occupetur circa singularia, est extremorum. Vnde dicit mentem prudentiæ ἀντικεῖσθαι: mens quidem siue intellectus est principiorum,

piorum,

piorum, quorum nulla est ratio & apodixis, quæ vocat ὅρους quasi summos mentis terminos. At prudentia est in vltimis in quibus versatur sensus non quidem aliquis particularis, vt visus, auditus, sed communis & internus quo, vt inquit S.Thom. percipimus imaginalia, vt in Mathematicis triangulum vltimum, hoc est singulare, & quod sub sensum cadit, non quod visui obiiciatur aut tactui, sed simpliciter quatenùs ex singularibus est & particularibus, quæ vltimò noscuntur; ita interpretor verba philosophi obscurissima, & quæ etiam corrupta voluit Lambin. vult enim tantùm Aristoteles prudentiam accedere ad sensum, eò quòd extrema & singularia cognoscat, non autem vniuersalia & prima, vti intellectus & scientia; hunc tamen sensum non esse illum externum, materiæ singulari affixum, sed internum quo vtuntur Mathematici, qui suas figuras non alligant certæ cuipiam materiæ, sed lineam & circulū sibi ipsi effingunt: de quo deinde demonstrant & ratiocinantur: quod facit quoque prudentia, quæ ita attingit ista singularia, vt non ea consideret, quatenùs singularia aut sensibilia sunt, sed prout bono humano conducunt, & de iis ratiocinatur, consultat ac præcipit. Quare ex hoc prudentiæ sensu, quem Aristoteles 3. *de anima* vocat φαντασίαν βουλευτικὴν, non licet colligere prudentiam esse in belluis, cùm habeat adiunctam ratiocinationem, & consultationem, atque imperium circa ista sensibilia & singularia, non considerat v. g. vrbem vt Senarum aut Corinthiorum, quatenùs est alicuius sensus obiectum, vt v.g. visibilis est, sed disputat an hæ vrbes singulares, & quæ sensu ipso cognosci possunt, quod non competit vniuersalibus, bellum inter se se gerere debeant. Quare non agit prudentia de bello duntaxat in vniuersum, sed de hoc bello singulari inter has ciuitates, quod totum in sua paraphrasi *cap. 9 sub fin.* expressit Andronic. singularia, inquit, τὰ μερικὰ, quatenùs sub sensum cadunt αἰσθητὰ, cognoscere, aut quatenùs sensuum obiecta sunt, aut quatenùs alia eorum gustui, alia auditui, alia tactui obiiciuntur, aut visui; hic verò sensus est non prudentiæ. Hæc verò scire quatenùs aut prosunt humano bono, aut nocent, hoc prudentiæ est.

19 Neque dicas prudentiam saltem non differre ab intellectu principiorum moralium, & quæ actionum directiua sunt; Cum enim sit prudentiæ actiones dirigere, illius quoque erit eiusmodi principia directiua cognoscere & tradere. Quare non distinguetur ab habitu siue intellectu circa eiusmodi principia versante. Resp. enim æquè intellectum vniuersalium principiorum practicorum quàm synesim diximus, atque etiam minùs vniuersalium, quæ ab illis communioribus cum aliqua difficultate deducuntur differre à prudentia, atque intellectus speculatiuorum principiorum distinguitur à scientia, quod latè ostendit Gilli. *lib. 1. tract. 6. cap. 2.* quod autem dicitur prudentia cognoscere ea principia quibus immediatè dirigit actiones, id intelligendum erit de principio singulari, quod est minor prudentialis syllogismi. Deinde non aliud inde colligitur quàm prudentia indiget eiusmodi cognitione, sicut scientia indiget habitu principiorum à quo nihilominus distinguitur: Posset enim id totum quod de prudentia obiiciebatur, de scientia cum cognitione principiorum per quæ & ex quibus conclusionem demonstrat comparatiuè afferri.

20 Tertiò differt prudentia à sapientia σοφία, de qua Aristoteles *cap. 7. lib. 6. Ethic.* non agimus verò de partiali μερικῇ sapientia, quæ est alicuiuslibet artis & scientiæ peritia, & summa præstantia; sic enim vocamus Phidiam λιθουργὸν σοφὸν, & Polycletum σοφὸν ἀνδριαντοποιὸν, & in vniuersum, omnes artifices præstantiores ἀκριβεστάτους sapientes nominamus, & quælibet ars & scientia exquisita ἀκριβὴς sapientia quædam est, at verò sapientia vniuersalis à qua dicuntur σοφοὶ ὅλως, omninò & non ex parte, ἐν κατὰ μέρος; & vt ait Homerus σοφοὶ ἄλλως. Hac aut illa re sapientes, est exquisitissima omnium scientiarum ἀκριβεστάτη τῶν ἐπιστημῶν, ita vt qui sapiens dicitur, res omnes & rerum etiam causas exquisitè sciat, & non modò quæ ex principiis concluduntur, sed ipsa etiam principia probè nouerit; vt enim explicat Andronic. *in paraphrasi.* Cùm sapientia sit quid vniuersale, oportet sapientem non quædam quæ cognosci possunt scire, quædam ignorare: ideóque non demonstrata tantùm, sed & principia vnde desumuntur demonstrationes sciet sapiens, & eam quam admittunt rationem dare poterit. Quare sapientia est quidam habitus ex scientia & intellectu veluti compositus; ideóque est omnium scientiarum præstantissima & honoratissima τιμιωτάτη, & de præstantissimis agens τῶν τιμιωτάτων ὥσπερ κεφαλὴν ἔχουσα, quasi caput habens, de quo loco contendunt Muretus Lambin. Victorius & alij; volunt enim Lambin. & Muret. legi ἔχουσα κεφαλὴ, nempè sapientiam esse caput omnium scientiarum, eodémque modo exponit S. Thom. mendum autem irrepsit, quia ignorauit aliquis notionem verbi ἔχειν, & significare aliquando idem quod εἶναι; eleganter enim dicitur ὥσπερ κεφαλὴν ἔχει, capitis locum habet ὥσπερ κέντρον ἔχει, centri locum obtinet. Ex huius igitur significationis ignorantia aliquis posuit κεφαλὴν ἔχουσα pro κεφαλὴ οὖσα. Retinenda tamen est antiquissima omnium codicum lectio, quæ ex ipso sanè contextu Aristotelis confirmatur; ibi enim idcircò dicit sapientiam caput habere, quia simul habet intellectum siue principiorum cognitionem: Vnde reddit Andronic. ἐπιστήμη ἡ τιμιωτάτη καθάπερ κεφαλὴν ἔχουσα τὰς ἀρχάς, longè præstantissima est scientia, vt quæ tanquam caput habeat principia. Nam in ipsius definitione & ratione ἐν τῷ αὐτῆς λόγῳ, accipiuntur & includuntur simul demonstrata τὰ ἀποδεικτὰ & principia & αἱ ἀρχαὶ quod in definitione ἐν τῷ ὁρισμῷ aliarum scientiarum non contingit, in illa enim sola demonstratorum cognitio, non verò principiorum ponitur. Atque hic fuit quoque sensus interpretum, qui in eo maximè sapientiam distinguunt à scientia, quod etiam sua principia atque aliena & cognoscat & tueatur, quòd quomodo fieri possit ab vno eodemque habitu latiùs disputant tum in prologum Henth. tum prima parte, tum initio metaphysicæ: vide etiam Ludouicum à Montesino 1. 2. *tom.* 1. *disp.* 38. *q. 1. à n.* 17. alias sapientiæ notas & characteres obseruabis apud Arist. *lib. 1. metaph. cap. 2.* à sapientia igitur distinguit Aristoteles prudentiam *eo cap. 7.* primò ratione materiæ; sapientia enim præstantissima est, quia est de rebus præstantissimis τῶν τιμιωτάτων; & versatur circa optimum, Deum videlicet & cœlestia considerandum. At verò prudentia quæ in homine, humanisque commodis occupatur, longè inferius obiectum habet, nisi dicas hominem esse omnium quæ in mundo sunt optimum, vti contendunt politici, cùm sint tamen plura multò diuiniora θειότερα, nempè illa quibus hoc vniuersum conflatum est, sol & astra, aliaque, quæ ab omnibus spectãtur φανερώτατα: hæc tamen Aristotelis ratiocinatio falsa prorsus est, cum hominem rebus omnibus corporeis atque ipsi vniuerso antestare, tum fides Christiana, tum ipsa etiam ratio doceat. Secundò probat Aristoteles diuersitatem sapientiæ & prudentiæ ex eo, quòd eos habitus necesse sit esse diuersos, qui diuersam sibi subiectam materiam habent, quod habere sapientiam & prudentiam ostendit; quamvis conciso planè discursu, quem sic

euoluit

euoluit Balsonreus *in Comm.* quod est idem sempre & apud omnes, diuersum est ab eo, quod apud varias gentes aliud atque aliud, immò & in eadem gente varium est, & pro tempore mutatur: atqui sapientiæ subiectum est semper vnum & idem, & eodem se habens vbique modo; prudentiæ verò subiectum semper aliud atque aliud est. Differunt igitur inter se, minorem probat, quia ἐπιστητὸν scibile, & quod sapientiæ obiicitur, est rectum, & veritas, vti dicebamus olim, speculatiua atque conformitas cum re: atqui rectum & scibile idem est apud omnes, & quod hîc scisur, apud omnes gentes sciri poterit, & non aliud, vt triangulum habese tres angulos æquales duobus rectis: Rectum vbique rectum est, & curvum aut album, vbique curvum & album erit, at verò prudentiæ subiectum est bonum & vtile, siue salubre. Hæc autem non sunt eadem apud omues, neque semper; quod enim vni salubre est, alteri noxium erit, aliud inquit Aristoteles salubre est hominibus, aliud piscibus, & Lucret. *lib.* 4. & 6. pluribus diuersitatem istam prosequitur. Sic quod vni bonum erit, alteri nocebit, quod adolescentem iuuabit, senem offendet. Cùm igitur prudentia hæc omnia spectare debeat, patet ipsam habere subiectum varium & mutabile, cum sapientia habeat constans & vniforme vt loquuntur. Tertiò, si sapientia esset eadem cum prudentia, quot essent species prudentiæ, totidem essent & sapientiæ; cum tamen multæ sint prudentiæ, alia ciuilis, alia militaris, alia œconomina, & vna sit tantum sapientia; quod enim præstantissimum est, vnicum est, & non plura, ideóque vnica est notitia præstantissima. Quæ autem singularia sunt & singulis conducunt, plurima sunt, ideóque non est vna illorum cognitio, sicut neque vna medendi ratio. Quartò, si sapientia eadem esset cum prudentia, quicunque sapientes essent, essent etiam & prodentes, quod ipso vulgo iudice falsum est; nam Anaxagoram & Thaletem vocamur sapientes, non verò prudentes, quia sciebant diuina quædam & subtilissima, quæ verò ipsis conducebant; etantque vtilia, ignorabant; quippe sapientia circa diuina & eximia, prudentia circa humana bona occupatur; atque ita differunt subiecto. Quintò, idem ostendit ex operatione dissimili, vt obseruat Eustratius: prudentis enim maximè est bene deliberare & consultare; quod non est sapientis, vt sapiens est; sic enim versatur circa æterna & necessaria, quæque alio modo se habere nequeunt; de iis autem nemo deliberat & consilium capit. Sextò, sapiens quà sapiens non considerat ea, quorum finis est bonum aliquod agendum πρακτὸν quod prudens considerat; debet enim quid optimum sit in rebus agendis coniicere. Septimò, sapientia versatur circa vniuersalia tantum, cuiusmodi sunt principia & causæ rerum, atque etiam conclusiones, quæ ex causis illis & principiis vniuersè colliguntur; cùm prudentia non modò vniuersalia, sed & singularia quoque tum circa alios, tum circa se ipsum περὶ αὑτὸ ἕκαστα: vbi Muretus obseruat esse vnam tantùm vocem compositam, quia in singularibus est actio; licet enim vir prudens nouerit in vniuersum quæ sunt homini bona aut mala, non rectè iudicabit, aut præscribet quid faciendum sit, nisi singularia nouerit, & quæ sint ab hoc, aut illo homine agenda, hoc aut illo tempore, aliisque circunstantiis; atque inde fit, vt qui singularia tantùm norint, sæpe multò ad agenda aptiores sint, quàm qui vniuersalia cognoscunt: Sic medicus qui scit carnes leues & ad loquendum faciles, salubres esse, si tamen ignoret, quænam illæ sint, nemini sanitatem restituet, sed qui experientia nouerit auium carnes esse leues & salubres, id potiùs assequetur: Cùm igitur prudentia in agendo occupetur, & vniuersalia & singularia nosse debet, sed maximè singularia: Ex sola enim vniuersalium cognitione numquam actioni se accinget; neque ad actionem idoneus erit.

21 Restat discrimen artis & prudentiæ quod tradit Arist. *cap.* 4. *Ethico.* agimus verò de arte presè sumpta: nam aliquando latius patet illud nomen etiam apud ipsum Aristotelem, vti obseruant commentatores in illud caput. Est igitur ars; *habitus cum recta ratione factiuus*, siue vt vulgo tradunt, recta ratio factibilium. Quam definitionem probat Aristoteles, eò quòd sit reciproca cum definito. Nam neque vlla ars est, quæ non sit cum vera ratione in efficiendo posita, neque vllus huiusmodi habitus, qui non sit ars, quod aliquarum artium inductione & exemplo ostendit *ibid.* Aristoteles; quomodo verò sit recta ratio in arte, in qua tamen errores aliquando contingere constat; iam respondimus hunc errorem accidere non ratione ipsius artis, & rationis rectæ quam sequitur; sic enim semper ἕξις ἀληθευτική, sed ratione materiæ particularis, quæ inconstans est & varia: Omnia enim factibilia quæ sunt artis materia, sunt contingentia ἐνδεχόμενα, & quæ aliter atque aliter se habere possuns. Ideóque *ibid.* Aristoteles ait artem versari περὶ γένεσιν, id est, circa mutabilia, γένεσις enim innumeris locis apud Aristotelem significat rei mutabilitatem, qui idcircò materiam artis facit γένεσιν, scientiæ verò τὸ ὄν. Et Plato diuidebat res omnes in τὰ γινόμενα & τὰ ὄντα. Itaque hanc vocem Eustratius & Turvel. explicant, omnia tamen contingentia, non sunt artis materia, sed ea solùm, quæ habent suæ originis & esse τοῦ εἶναι causam inefficientem, siue in artifice, non autem in se ipsis, cuiusmodi sunt naturalia, quæ licet contingentia sint, non tamen arti subiiciuntur, neque enim causam eius quod suos, extrinsecùs habent, & idcircò ars & natura inuicem opponuntur ἀντιδιαιρεῖται, & contraria sunt arte & naturâ fieri: naturalium esse τοῦ εἶναι principium in ipsis est, nempè ipsamet natura: artefactorum autem principium in solo artifice: Vnde etiam colligit Aristoteles fortunam & artem in iisdem versari, quod dixerat Agatho Poëta, in contingentibus nimirum, & iis, quorum causa eius quod sunt, extrinsecus est, ὧν ἡ αἰτία τῆς ὑπάρξεως ἔξωθεν, inquit Andronic. si enim fortuita sui causas in se haberent, non viderentur præter expectationem nostram fieri, quamquam & hoc intersit, quod fortuna non per se sit horum causa, sed per accidens. Ars verò artefactorum causa est per se: ars opus suom iudicio & ratione dirigit, fortuna sine ratione, & præter expectationem, ac spem omnem munera sua obiicit, vti fusiùs exponit Andronic.

22 Ita explicatam artis naturam distinguit Aristot. à prudentia *c.* 4. *cit.* & 5. Primò ratione subiecti, quod in arte est factibile, in prudentia verò agibile: vnde fit, vt ars sit habitus cum vera ratione factiuus ἕξις ποιητική, & inertia ἀτεχνία, habitus cum falsâ ratione factiuus: At verò prudentia est habitus cum vera ratione actiuus, ἕξις πρακτική; sunt autem τοῦ ἐνδεχομένου duo genera, ποιητὸν; & πρακτὸν, quæ inter se differre, sicut & ποίησιν & πρᾶξιν: ac denique ποιητικὸν & πρακτικὸν, iam alias monuimus ex Aristotele, quas differentias adducunt interpretes passim, nos eam quæ

huius loci propria est ad distinguendam artem à prudentia sumimus ex S.Thom. 1.1.*quæst.*57.*art.*3. *&* 4. *& q. vnica de virtutibus in vniuersum art.* 12. Effectionem itaque existimamus esse opus, cuius rectitudo non pendet ab aspectu & voluntate operantis, neque habet προαίρεσιν propositum & voluntatem tanquam sui principium, sed mentem aut artem, & vim aliam quandam efficientem: actio autem illa est, quæ voluntate, proposito, iudicioque suscipitur. Et sanè nemo benè & prudenter agit, nisi volens & consulto, cùm artifex possit quæ artis suæ sunt, etiam inuitus probè præstare. Secundò distinguitur effectio ab actione, quia effectionis est finis aliquis extra se positus vt ait *cap.*5. *Aristoteles*, cùm tamen actio finis sit sui ipsius, ipsa nempè εὐπραξία, & honesta actio est finis ipsius agentis. Tertiò denique, quia agibilia quæ considerat prudentia, sunt bona hominis, eiusque actiones liberæ, non verò factibilia, sunt enim alia omnia siue maneant post effectionem vt domus, siue non maneant vt saltatio, cytharisatio, quia rectitudo istarum non pendet ab appetitu recto, neque habent se ipsas pro fine, sed delectationem ex ipsis consequentem, neque sunt hominis bonum, & ad benè viuere pertinent. Differunt ars & prudentia ratione materiæ subiectæ, licet vtraque contingentia afficiatur. Moneo tantùm ἐνέργειαν, πρᾶξιν & ἔργον, idem esse apud Aristotelem, vti obseruauit Gifan. *in lib.*1. *Aristotelis caput.*7. Latini reddunt rationem munus, opus: quamvis aliàs etiam Aristoteles ἔργον sit opus manufactum, vt *lib.*2. *Eudem. cap.*1.

Secundò, distinguit Aristoteles hos habitus, quod in arte, & vitium & virtus dari possit; potest enim artifex & bonus & malus esse: prudentiæ neque vitium est, non enim fieri potest vt prudens sit malus, neque virtus; virtutis enim virtus non est, neque mediocritas mediocritatis. Tertiò in artibus qui sua sponte errat, & mendose facit, quod facit, melior est artifex eo, qui inuitus & per ignorantiam errat; in prudentia verò non item, qui enim spontè prudentiam corrumpit, peior est eo, qui inuitus peccat: Nam qui sponte iniuriam facit, iniustior profectò, & longè improbior habetur, quam qui per ignorantiam: quia ad prudentiam & virtutes morales rectitudo appetitus requiritur, ad artes & scientias non item; satis est arti si opus rectè & ex eius regulis efficiatur, neque quæritur quo consilio, quave voluntate id fiat, cùm in prudentiæ & virtutum moralium actionibus rectus appetitus necessarius sit.

23 Quartò, Quod licet ex duabus animi rationalis partibus ἐπιστημονικῷ & δοξαστικῷ, quas superius distinxit Aristoteles, prudentia sit in opinatiua & δοξαστικῷ, eo quod agat de contingentibus; atque adeò sit in rationali, non tamen cum sola ratione, vt scientiæ & artes: cuius rei signum esse dicit, quod illorum habituum possit esse obliuio, prudentiæ non item. Quibus verbis significat prudentiam præter rationis actum aliud quidpiam continere: vnde etiam fiat ne obliuioni tradatur. Laborant interpretes in explicanda Aristotelis mente, quam tibi ex Andronici, qui eam mihi videtur omnino assequutus fuisse, eleganti paraphrasi tradam: nimirùm artem sæpè otiosam in ratione residere, & tunc tamen verè artem esse. Neque enim ad hoc necesse est vt aliquid moliatur exteriùs, cùm tamen omninò necessè sit prudentiam in actione occupari perpetuò τὴν δὲ φρόνησιν ἀεὶ πρακτικὴν εἶναι πᾶσα ἀνάγκη: neque enim artifici semper in promptu est artis materia externa in qua laboret. Prudentiæ verò subiecta, τὸν φρόνιμον ὑποκείμενα numquam definiunt prudentem; etenim neque affectus humani, neque actiones, neque mutua hominum inter se consortia, neque reliqua in quibus virtus omnis occupatur, & prudentia exulare à vita possunt, ideóque artis quidem aliqua interdum, prudentiæ verò nulla potest esse obliuio. Qua de causa *lib.* 1. *cap. decimo* dixerat, virtutis actiones, scientiis firmiores, multò & constantiores esse; immo nulla in re mortalium tantam esse firmitatem, tantámque constantiam; quanta in iis cernitur. Deinde nullum ad prudenter agendum solers natura, ingenium perspicax, rectusque appetitus habent momenti, in quæ non cadit obliuio, sed in solam cognitionem.

Ex his omnibus distingues prudentiam non modò ab artibus mechanicis, & seruilibus, quæ circa materiam externam totæ occupantur, sed etiam à liberalibus vti nominant: de hàc artium diuisione vide S. Thomam *lect.*3. *in* 1. *Met.* & 1. 2. *quæst.*57. *artic.*3. *ad* 3. *&* 22. *quæst.*47. *artic.*2. *ad* 3. & fusè Montesino *tom.* 1. *&* 1. 2. *disp.* 38. *quæst.*2. *à num.*37. vbi artes liberales esse veras scientias & artes simul, quamvis sint vnus & idem habitus; sicut & nos olim docuimus in proœmio Logicæ de Logica vtente & docente, eruditè confirmat. Differunt vero à prudentia; quia vt iam diximus sola prudentia versatur circa agibilia propriè dicta, quæ sunt bona hominis, & ad illius finem simpliciter conducunt, cùm istæ artes attendant fines tantùm quosdam particulares, vt in singulis facilè videbis: Grammatica enim intendit benè loqui. Geometria rectè metiri, Arithmetica probe numerare, & sic cæteris. Deinde Prudentia dirigit tantùm actus liberos, qui pendent quoad modum quo fiont ex voluntate, non ex certa quadam ratione inuariabili, vti contingit id artibus liberalibus, quæ simul artes sunt, vt Logica, Geometria & aliis, quod enim syllogismus debeat constare tribus terminis sic dispositis, pendet ex certa ratione & scientia, non ex voluntate ratiocinantis; ideóque non variatur pro varietate loci & temporis; etsi enim voluntas liberè applicet intellectum ad syllogizandum, id non obstat, quia artes liberales pendent à voluntate quoad vsum, non quoad specificationem sicut artes seruiles; quamvis enim habeant & illæ certa quædam principia vniuersalia, quæ à voluntate non pedent, vt quod vestis debeat tegere corpus, quod domus debeat cœli iniurias arcere, nihilominus quoad modum ipsius operis, figuram v. g. vestis aut domus, pendet artefactum à voluntate, ideoque mutabile est. Ita S.Thom. 2.2.*quæst* 47.*art.*2. *ad* 3. vbi etiam reddit rationem, cur non detur aliqua prudentia speculatiua alia practica, sicut datur ars liberalis, quæ est potius scientia quàm ars, vt ait 1. 2. *quæst.*57. *art.*5. *ad* 3. quia prudentia, vt dixi, occupatur in dirigendis artibus liberis, quorum specificatio sæpiùs pendet à voluntate, non ex certa quadam ratione modo explicato.

§. IV.

An prudentia præstet cæteris virtutibus intellectualibus.

Alterum caput comparationis institutæ inter prudentiam & cæteros habitus intellectuales, est quoad 25
dignitatem & vtilitatem, an ipsis videlicet præstet, vtiliorque sit. Restrinxit hanc quæstionem Aristoteles ad sapientiam, quæ cæteris omnibus præcellere videtur, cui tamen id temporis politici politicam & prudentiam præferebant, eo quòd ἐπιτακτικὴ sit, & cæteris virtutibus imperet, modúmque præscribat, immò & quænam scientiæ & artes in Rep. ferendæ

ferendæ sint, & quas quisque discere & docere, & quatenus debeat edicit, vt affirmat Aristoteles *lib. 8. politic. cap. 3. & lib. 1. Ethic. cap. 2.* vbi scientiæ ciuilis, quæ prudentia est, vt diximus, principatum pluribus adstruit, eò quòd artes non modò vulgares, sed & quas ἐντιμοτάτας vocant, illi subiiciantur, vt de imperatoria & oratoria constat; illæ tamen duæ artes sunt, quæ possunt hominem locare in amplissimo gradu dignitatis, teste Cicerone *orat. pro Murena.* vide elegantem huius *cap. 1.* paraphrasim Andronic, vbi hunc ciuilis prudentiæ dominatum in cæteras artes describit. Idcircò eam dixit Aristoteles architectonicam, tum *eo cap. 2.* tum fusiùs *lib. 1. magn. moral. cap. vlt. sub finem.* Eadem quoque scripsit Plato *in Politico*, vbi tandem concludit ταύτην δεῖ ἐπιτροπεύουσαν ἀρχειν ξυμπασῶν τῶν ἄλλων. Cùm igitur sapientia nihil moliatur, sed in naturis rerum contemplandis tota occupetur, atque prudentiæ subsit imperiis, de principatu, cum ipsa quam dominam agnoscit, contendere non debet.

26 Aliunde tamen cum sapientia æternorum & necessariorum sit, & prudentia contingentium ac mutabilium, cùm sapientia diuina contempletur, prudentia humana dumtaxat, videtur profectò sapientia dignitate prudentiam superare, quod omninò concedit Aristoteles, dum sub extremum hunc librum, argumentum, quo prudentiæ dignitatem, maximè efferebant Politici, petitum ex eius dominatu refellit; distinguit enim duplex imperium, alterum quo aliquis alteri absolute imperat & præcipit, alterum quo imperat alicui illius causâ, & in illius vtilitatem ac commodum: qui quidem alteri imperat absolutè præstantior est eo, cui imperat, vt dominus seruo, Princeps subdito; at verò qui alterius causa imperat, in ipsiusque commodum, nequaquam præstantior est eo, in cuius gratiam imperat. Actor quidem & Atriensis omnia in familia domini regit & administrat; non idcireò tamen præstat domino, quia domini gratia, & in vsum ac commodum eius omnia regit, ita prudentia inquit Aristoteles *cap. vltimo lib. 1. magn. moral.* omnia in vsum sapientiæ facit: nam perturbationes sedat, mentem pacatam & affectibus liberam tanquam domum bene purgatam sapienti reddit: quod duplici similitudine in hoc *cap. postremo lib. 6. Ethic.* eleganter explicat: nam medicina præcipit ea omnia, quæ ad sanitatem tuendam vel recuperandam faciunt, non ideò tamen dicerut medicina præstantior sanitate, quia quæ facit, sanitatis causâ facit. Deinde ipsamet ciuilis scientia quæ Reipublicæ administrandæ præest, imperat omnia quæ ad Religionem & Deorum cultum pertinent; nemo tamen eam vel diis ipsis, vel diuino cultu præstantiorem esse dixerit. Quamvis igitur prudentia, omnia quæ ad sapientiam fouendam & in ciuitate retinendam, aut à singulis comparandam valent, præcipiat, non tamen sapientiæ imperat, sed illius causa, atqueadeò ipsa præstantior non est ratione eiusmodi imperij: atqui, vt ait Andronic. de sapientia despicit περὶ τῆς σοφίας σκοπεῖ, non tamen ad finem suum se habet, tanquam Architectonicæ se habent ad artes, quæ sub ipsis sunt. Quare non est domina sapientiæ οὐδὲ κυρία γάρ ἐστι τῆς σοφίας. Ex alio verò capite ipsa longè inferior est, cùm enim vtraque sit virtus intellectus, prudentia est intellectus agentis, qui in rebus agendis & contingentibus occupatur; sapientia verò est intellectus contemplantis, qui in rerum diuinarum, æternarum, necessariarum & vniuersalium cognitione versatur.

Ex qua doctrina Aristotelis facilè fuerit, prudentiam cum cæteris intellectualibus virtutibus quoad dignitatem conferre. In primis enim ignobilior est iis, quæ sunt in mente contemplatiua, ex ratione saltem generica virtutis intellectualis; atque vt ego etiam existimo in ratione specifica, si sumatur præcisè ratione necessitatis & contingentiæ obiecti; aliunde enim poterit præstare, omnibus autem habitibus qui pertinent ad intellectum practicum omni ratione tum generica tum specifica est simpliciter nobilior.

§. V.

Prudentia comparatur cum virtutibus moralibus.

Hæc comparatio instituitur ab Aristotele *lib. 6. Ethicor. cap. 12. & 13.* contra veteres quosdam, qui 27
ad virtutes morum, atqueadeò ad fœlicitatem comparandam tum sapientiam tum prudentiam inutilem esse dicebant; contendit verò Aristoteles neque virtutes morales sine prudentia, neque prudentiam sine virtute morali consistere posse; deinde licet κατὰ συγχώρησιν per concessionem daremus quod illi volebant, cæteras virtutes intellectuales nihil ad beatitudinem conferre, & sine prudentia virtutis actiones exerceri posse; inde tamen non sequeretur eas omninò inutiles esse, aut non esse expetendas, cum vtraque sit virtus, & vnaquæque earum mentis nostræ partem perficiat, illa theoricam, hæc practicam; cum itaque sint ἀρεταί, sint quoque αἱρεταί.

Dicendum igitur est primò, prudentiam vtilem, immò & omninò necessariam esse ad actiones & officia virtutum: ita Aristoteles *loco citato* & omnes interpretes Theologi *in 3. dist. 36.* vbi Durand. *quæst. 2.* Rubion. *quæst. item art. 2. artic. 1.* Gabri. *dist. 23. quæst. 1. lit. z.* Okam *q. 11. & quodlib. 4. q. 6.* Almain. *tractat. 3. moral. cap. 3.* August. *cap. 13. moral. cap. 1.* Alensis *4. part. q. 65. memb. 3. art. 3. ad 3.* S. Thom. *1. 2. q. 65. art. 1.* atque ibi Caietan. cæterique commentatores disputantes de connexione virtutum, quam maximè fieri volunt media prudentia; quò etiam pertinent quæ sæpiùs disputant PP. & de necessitate prudentiæ ad omnia virtutum officia, quam ex eo maximè capite commendant Gregor. *lib. 2. morali. cap. 15.* Bernard. *serm. 49. in Cant. & lib. 1. de considerat. cap. 8.* Basil. *in constitut. monastic. cap. 15.* Et Cassian. *collat. 2. cap. 2. & 4.* neque ad hanc prudentiæ necessitatem ad opera vniuersa virtutum adstruendam aliis argumentis opus est, quam ab Aristotele allatis *cap. illo 12. & 13. lib. 6. Ethic. lib. 2. cap. 2. & 3. lib. 7. capit. 2. 8. & 10. & lib. 2. Endemio. cap. vltim.* iis enim omnibus locis de mutua prudentiæ & virtutum inter se ope disputat.

Primò igitur *6. Ethic.* opus honestum à prudentia 28
& virtute morali proficisci docet, sumpta similitudine ab opificibus, quorum opera expleta dicuntur ἀποτελέσματα. In omni autem opere duo spectari solent, finis videlicet, & id quo finem assequimur, vt ait idem Aristoteles *lib. 7. polit. cap. 3.* simili ratione duo quædam ad virtutis opus perficiendum necessaria sunt; quorum vnum est vt honestum sit propositum agentis, alterum vt honesta sint media, & rectè eligantur, quæ ad finem illum ferunt; virtus autem moralis voluntatem dirigit ad finem bonum, scopumque rectum efficit; prudentia verò quærit ea, quæ ad rectum finem tendunt, immò deliberat quibus potissimum mediis optimè, & vt oportet finem suum assequi possit, vti hactenus explicauimus. Ex quibus satis constat virtutis opus absolutum esse non posse sine prudentia. Secundò confirmat hanc rationem Aristot. quia vti iam dixerat *lib. 3. c. 3. & 4.*

bonum virum non eum continuò dicimus, qui aliquid boni facit, sicut neque continuò iustus est, qui iusta facit; potest enim quis vel metu vel inuitus, vel per imprudentiam, vel denique alterius rei causâ, pecuniarum aut voluptatis, quod iustum est facere, & talem non dicemus iustum esse, sed eum demùm, qui consilio capto, & ex proæresi iustè facit, idque per se & iusti ac honesti causâ, eodem modo in omni virtute se res habet. Eum enim virum bonum & virtute præditum dicimus, qui quod bonum est, agit; idque per se & ipsius boni causâ, atque consilio adhibito. Virtute itaque morali opus est ad informandam & ordinandam animi partem appetentem, vt velit & præeligat id quod bonum est, ῥυθμίζουσα τὸ ὀρεκτικὸν τῆς ψυχῆς τὸ θυμικὸν καὶ ἐπιθυμητικόν; sed opus prætereà est alia facultate per quam cognoscat media, quibus bonum quod volumus & eligimus, consequi honestè possimus; quæ facultas prudentia est, & non sola δεινότης, quæ naturalis quædam ingenij vis est, vt dicam inferius, & prudentiæ inchoatio.

30 Tertio habemus quidem à natura propensionem quamdam ad virtutem; indeque fit vt alij temperantes, alij iusti quodammodo natura esse videantur, quod *lib. quoque* 10. *cap.* 9. *& lib.* 7. *politicorum* iterùm obseruat. Stoïci dicebant teste Cicerone *lib.* 2. *de finib. lib.* 3. *Tusculan. lib.* 1. *officior. & lib.* 1. *de legib.* esse virtutum semina, igniculos & scintillulas, lumina naturæ, communes notiones siue notitias κοινὰς ἐννοίας, de quibus extat integer Plutarchi libellus aduersus Stoïcos: eadem quoque fuit mens Socratis & Platonis, qui tamen omnes in eo dissidebant ab Aristotele, quòd vellent hæc semina esse veras & proprias virtutes, sed inchoatas tantùm, quæ si bonis moribus excolantur & perficiantur, virtutes omninò absolutè existant, si prauis moribus, & opinionibus deprauentur, vitia euadent. Cùm Aristoteles neget hæc semina & inchoationes virtutum, animúmque ceræ, aut chartæ puræ non obliteratæ comparet, & in qua nihil omninò sit scriptum præter τὸ φυσικόν, hoc est procliuitatem & facultatem aliquam comparandi tum scientias, tum virtutes, quas non esse nobis insitas à natura pluribus argumentis ostendit *lib.* 2. *Ethico. capite primo.* tum ex ipso vocis ethymo virtutis moralis, quod à more ἠθικὴ ἀπὸ τοῦ ἔθους consuetudine per quam acquiritur, deriuatus. Qua de re adi Plutarch. *lib. de virtute morali & lib. de Educat. puerorum.* quo postremo loco obseruat dici ἠθικὰς ἀρετὰς quasi ἐθικάς. Deinde quæ naturâ nobis insunt, nulla consuetudine mutari possunt, quod inductione lapidis, ignis & aliarum rerum naturalium ostendit; cum tamen mores & virtutes consuetudine mutentur, ac proinde non insint à natura. Tertiò eorum quæ naturâ nobis insunt, priùs habemus facultatem & potentiam, posteriùs verò functiones & operationes à facultate manantes; priùs enim habemus visum, auditum, aliosque sensus, quàm illis vtamur; cùm tamen in omnibus scientiis & virtutibus perspicuum sit, actiones præcedere habitus, qui nonnisi frequentibus actionibus generantur, vt de dicendi facultate eleganter docuit Plin. *lib.* 6. *Epist.* vnde vetus illud ἐκ τοῦ λέγειν, τὸ λέγειν περιγίνεται, ex dicendo nascitur dicendi facultas. Quartò de iis quæ nobis naturâ insita sunt leges minimè feruntur, aut præcepta, cum tamen de vitiis & virtutibus illæ sanciantur; emendant enim vitia, & commendant virtutes, vt ait Plato *libro quinto de legib.* & Cicero *libro primo.* Denique cum actionibus gignantur & corrumpantur virtutes, illas inditas à natura non esse manifestum fit, quod etiam docet Clem. Alexand. *libro septimo stromat.* neque enim voluntariæ aut laudabiles forent. Non est igitur virtus hæc aptitudo, aut propensio naturalis ad virtutes, à qua nonnulli ad certas virtutes quodammodo ficti factiuè à natura esse videntur, idcircò Aristoteles *libro sexto capite* 12. nominauit quidem eiusmodi propensionem virtutis, sed addidit naturalem, & quæ non sit propria virtus κυρίως ἀρετή, *libro tertio* vocauit εὐφυΐαν bonam naturam, cuius sine dubio pars quædam est hæc virtus naturalis, quæ tamen simpliciter virtus non est, cuius rationem reddit, quia est tantùm naturalis quidam impetus & concitatio sine ratione ὁρμὴ ἄνευ λόγου & ἄλογος, quæ & pueris & belluis inest, in quibus tamen nullam esse virtutem fatentur omnes, cum belluæ ne aptitudinem quidem vllam habeant, quâ suis appetitionibus vti rectè valeant, & pueri sint quidem ad virtutem comparandam idonei, virtutem tamen nondùm habent, cum nullo adhuc rerum vsu prudentiam mentisve oculum fuerint adepti: immò sicut valida corpora, & robusta, si absque oculorum vsu moueantur, grauiter offendunt, validéque cadunt, ita hæ propensiones naturales & impetus ὁρμαί, magis nocent quam prosint absque prudentia, id est absque mentis oculo: naturalis v.g. propensio ad fortitudinem aut liberalitatem, si prudentia destituatur, degenerat in temeritatem aut profusionem. Ad veram igitur virtutem etsi naturalis propensio concurrat, mentis oculo, hoc est prudentia, opus est, nisi enim eius præeunte lumine studia nostra & desideria regantur, aberrent necesse est.

Quartò hanc eandem prudentiæ ad virtutum opera necessitatem probat Aristoteles ex antiquorum sapientum sensu, quorum aliqui vt Socrates omnes virtutes prudentias esse dicebant, qui in eo quidem errabat, non tamen quod virtutem sine prudentia esse posse negaret. Cùm enim nequeat dari virtus sine recta ratione quam operando sequatur, & recta ratio nihil aliud sit, quàm regula & norma agendi quam præscribit prudentia, sine prudentia virtutis operatio nunquam existet. 31

Vltimò denique ibidem ostendit à priori, & ex ipsa natura virtutis, quæ est habitus non solùm secundum rationem, vt omnes passim definiebant, sed etiam recta ratione actiuus; aliud enim est secundum rationem agere, aliud cum recta ratione, κατὰ λόγον, & μετὰ λόγου: nam secundum rationem agit, qui alio monente & de fine cogitante agit, licet in eo neque recta ratio, neque virtus sit, sicut vides in seruo exequente, quæ dominus secundum rectam rationem præcipit: immò & omnis natura secundum rationem agit, inquit Andronic. quia nimirùm à recta ratione mouetur, & à suprema intelligentia. Cum ratione verò agit, qui sciens agit, quod agit, & de fine cogitat; ideóque & rectam rationem, & virtutem in se habet, & simul cum ratione, & secundum rationem necessariò agit; atqui recta ratio vti sæpiùs diximus, prudentia est, ergo sine prudentia virtus moralis esse nequit, cùm illam essentialiter connotet: ita vt non modò omnes virtutes esse nequeant sine prudentia, neque sine illa dici possit aliquis simpliciter bonus, vtpote qui præstantissimâ sui parte laboret, sed ne vna quidem virtus sine prudentia haberi valeat, cùm omnis προαίρεσις & electio essentialiter prudentiam sequirat. Adde virtutem moralem essentialiter constitui in mediocritate, siue potiùs respicere obiectum mediocre, vti superiùs confirmauimus fusiùs; atqui illa mediocritas à recta ratione & prudentia 32

definienda

definienda eſt, cùm ex natura rei non repèriatur in obiectis, vti fuit quoque demonſtratum. Impoſſibile igitur eſt vllam dari virtutem ſine prudentia.

33 Ex quibus tum Ariſtoteles hoc capite poſtremo *lib.6. Ethic.* tum paſſim Theologi colligunt, virtutes omnes conuerti inuicem mediâ prudentiâ, quæ vna omnes ſecum adducit; quod enim aliqui obiiciebant, nonnullos ad fortitudinem, alios ad temperantiam procliues eſſe, indéque colligebant virtutes inuicem ſeiungi poſſe, reiicit Ariſtoteles diſtinctione virtutum naturalium & moralium: Admittit enim propenſiones naturales quas virtutes naturales nominat, diuerſas eſſe, & ſeiungi poſſe inuicem, non verò virtutes morales, quæ prudentiam conſequuntur. Verùm de hac connexione virtutum, alius eſt diſputandi locus. Adi intereà Picolomin. *gradu 4. cap. 39.* Galen. *lib. quod optimus medicus idem ſit Philoſophus.* Gregor. *lib. 12. moral. cap. 1.* Caſſian. *lib. 5. de inſtit. cap. 11.* & alios.

34 Obiicies, prudentia vel eſt neceſſaria homini habenti virtutem, vt per illam agat; vel non habenti, vt eam ſibi comparet: Neutrum autem neceſſarium eſſe facilè oſtenditur. Nam primò qui virtute præditus eſt, ſuâ ſponte propendet ad honeſta agenda, neque alio quopiam eget ad virtutis actiones exercendas, quàm ipsâ virtute, quæ otioſa nequit eſſe: ſicut ſanitas ſufficit homini ſano ad ſanas actiones obeundas, neque opus habet medicina, aut ſcientia ſanitatis, quæ parùm aut omninò nihil ad actiones ſanas obeundas iuuet, cùm ne ipſe quidem medicus, ſi ægrotat, eas obire poſſit, ita viro bono virtus ipſa ſufficiet ad obeunda virtutis munera, neque opus habebit prudentiâ, & cognitione eorum, quæ iuſta ſunt; neque enim quia quis nouit, honeſtè agit, ſed quia bonus eſt: Neque etiam neceſſaria erit prudentia ad comparandas virtutes, illæ enim comparantur actionibus frequentibus, quas aliquis exercebit ex aliorum prudentum monitis, quibus obaudit; etiamſi ille careat prudentiâ, ſicut vt valetudinem conſequamur, non addiſcimus ipſi medicinam, ſed medicos conſulimus: ita etiam vt probi euadamos, ſatis fuerit, ſi probis & prudentibus viris obtemperamus. Cùm igitur prudentia neque neceſſaria ſit ad actiones virtutum, quas Cicero vocat officia, & Ariſtoteles δίκαια, τὰ καλὰ, καὶ τὰ ἀγαθὰ, quæ viri boni ſuâ ſponte & naturâ agunt, neque vt viros bonos reddat πρακτικωτέρους, vt exemplo medicinæ confirmatum eſt; neque vt improbum aut non bonum, bonum faciat, omninò neceſſaria non erit. Hoc argumentum ſibi ipſi obiecerat Ariſtoteles *cap. 12. initio,* illóque perſuaſus videtur Tataretus *in 6. Ethic. q. 8.* illud tamen ex dictis ſolutum manet, cùm prudentia ipſammet actionem honeſtam efficiat, quæ tum ab illa, tum à virtute morali eſſentialiter pendet, vti fuit oſtenſum, externa verò prudentis monita non excludunt internam & immediatam regulam honeſtæ operationis; atque ita inexperti alienam prudentiam ſuam faciunt, quod Plin. *lib. 8. epiſt. 23.* in Iunij Auiti laudibus ponit; quo etiam ſenſu dixit Ariſtoteles 1. *Ethic. cap. vltimo,* appetentem animi partem & cupiditatum ſedem, eſſe rationis participem, etiamſi in ipſa ratio non reſideat, quatenùs ipſi obedit, ſicut parentum & amicorum rationem, noſtram eſſe dicimus, cum illis obſequimur, non quemadmodum rerum mathematicarum, inquit, quia ille non eſt mathematicus, qui mathematicis propoſitionibus ab alio demonſtratis credit, niſi & ipſe eaſdem demonſtrationes calleat; cum tamen ille prudens exiſtat, qui prudentum conſilia ſequitur, idque ad perfectam virtutem obtinendam neceſſarium eſſe docet Nyſſen. *lib. de Virginit.*

R.P. Ioſeph. Gibalinus Scient. Can.

the **§. VI.**

Neceſsitas virtutis moralis ad prudentiam.

Dicendum ſecundò eſt, prudentiam ſine virtute moreli exiſtere non poſſe; ita Ariſtot. *lib. 6. Ethicor. cap. 12. & lib. 7. cap. 10. lib. 3. cap. 4. & lib. 10. cap. 8. & lib. 2. magno. morali. cap. 4.* Durand. *in 3. diſt. 36. q. 2. n. 5.* Monteſino 1. 2. *tom. 1. diſp. 39. q. 3.* Vbi & hanc contendit eſſe mentem ſancti Thomæ, neque cæteri negabunt, ſi de prudentia perfecta & abſoluta circa omnium virtutum materias loquamur, aut de connexione vel neceſſitate per modum diſpoſitionis, quæ enim adducit in contrarium Scot. *in 3. diſt. 36. q. vnic. littera G. & K.* non aliud probant, quàm ad ſummum dari poſſe aliquem actum prudentiæ abſolute loquendo abſque virtute morali. 35

Probatur verò noſtra aſſertio ab Ariſtotele in primis ex diſcrimine, quod eſt inter prudentiam & δεινότητα, eſt verò δεινότης, quàm aliqui Latinè reddunt induſtriam, alij habilitatem, alij aptitudinem, Camerarius acrimoniam, Turnebus, Victorius, Lambinus ſolertiam, Fœlicianus qui Græcos Euſtatij commentarios latinos fecit, calliditatem; & omnium optimè, ni fallor Perionius ingenij acumen: eſt inquam δεινότης naturalis quædam facultas δύναμις intelligendi & agendi ea, quæ ad finem propoſitum conſequendum valent; vnde pro varietate finis facultas etiam illa naturæ varia eſſe cenſeatur: nam ſi finis bonus & honeſtus eſt; illa quoque ἀστεῖος, bona & laudabilis erit, ſi prauus & turpis fuerit finis, improba & praua etiam erit; & illa ex proprio nomine πανουργία, id eſt calliditas & aſtutia dicitur; quæ in ſolis improbis reperitur. Quare vulgus quod non ſatis hoc diſcrimen aduertit, interdum prudentes vocat δεινοὺς καὶ πανούργους, id eſt aſtutos & callidos, ſic enim vulgatam lectionem Ariſtotelis interpretor; loquitur enim ex vulgi ſenſu cum ait: διὸ καὶ τοὺς φρονίμους δεινοὺς καὶ πανούργους φαμὲν εἶναι. Quamquam potiùs probarim lectionem VVechelianam & Cauſabonam, quæ negationem adhibet διὸ καὶ τοὺς φρονίμους δεινοὺς, καὶ οὐ πανούργους φαμὲν εἶναι. Idcircò prudentes, acutos non aſtutos eſſe dicimus; éſtque illa mens Ariſtotelis, quæ πανουργίαν & φρόνησιν opponit, non autem δεινότητα: quamuis hæc facultas prudentia non ſit, vtpote à natura inſita, cùm prudentia non niſi longo rerum vſu & experientia comparetur; eiuſmodi tamen facultatem & ingens acumen omninò ſupponit, quibus enim illa naturæ vis ineſt, quoſque natura ipſa ſtupidos finxit, aut ſtultos, ſi nunquam poterunt, quamuis diutiſſimè viuant, prudentiam ſibi comparare. Eſt itaque hæc animi naturalis facultas, non prudentia quidem, ſed ad illam diſpoſitio, aut eius veluti rudimentum quoddam & inchoatio, aut vt dixit Euſthatius in ὄδυσ μ... prudentiæ mater δῆλον γὰρ, inquit, τῆς φρονήσεως μήτηρ ἡ δεινότης οὖσα, perſpicuum eſt ingenij acumen prudentiæ matrem eſſe. Denique ipſe Ariſtoteles ait, prudentiam huic animæ velut oculo innaſci, ſed nonniſi per virtutem ἡ δ' ἕξις τῷ ὄμματι τούτῳ γίνεται, τῆς ψυχῆς οὐκ ἄνευ ἀρετῆς: quem oculum aliter atque aliter interpretatur, cùm ex ipſo contextu fiat perſpicuum, illum eſſe ipſam δεινότητα; & ingenij acumen, ſiue mentis aciem, quæ habitum prudentiæ ſuſcipiendum diſponit, nimirum ſi virtus accedat, alio-

quin enim degenerabit in πανουργίαν & astutiam: quod probat hoc argumento vti Balforreus, optimè sensum Aristotelis, nisi fallor assequutus, sic proponit: Nemo in disciplina vlla, aut scientia rectè ratiocinatur, nisi qui principia disciplinæ illius probè perspecta habuerit & nota; sed prudens in disciplina rerum agendarum rectè ratiocinatur, & inquirit quid agendum quidve non agendum sit, debent ergo prudenti probè nota & perspecta esse rerum agendarum principia, At verò rerum agendarum principia sunt fines; nemo porrò cognoscit rerum agendarum fines nisi vir bonus: ergo nemo rectè, de rebus agendis ratiocinari poterit (quod prudentiæ est) nisi vir bonus; prudentem igitur virum bonum esse oportet, nec fieri omnino potest, vt prudentia sine virtute morali consistat: In hoc discursu duæ tantùm propositiones probandæ sunt: prima est in rebus agendis principia esse fines; quod passim affirmat Aristoteles, & *lib. 7. cap. 8. alias 9.* fines ea de causa comparat hypothesibus in mathematicis ἐν δὲ ταῖς πράξεσι τὸ οὗ ἕνεκα ἀρχὴ ὥσπερ ἐν τοῖς μαθηματικοῖς αἱ ὑποθέσεις. In actionibus autem principium illud est, cuius causa res fit; sicut in mathematicis suppositiones, & sanè ad eum finem omnia consilia prudentiæ diriguntur, immò & ipsæ actiones prudentia dirigit. Secunda propositio est solum virum bonum cognoscere rectum finem rerum agendarum, quod inde facilè probatur, quod improbitas & vitium iudicium peruertat, vt iam alibi monuimus superiùs cùm Aristotele, qui idem affirmat *lib. 7. cap. 8* ἐκάτο ἡ γὰρ ἀρετὴ ἢ μοχθηρία τὴν ἀρχὴν ἡ μὲν φθείρει, ἡ δὲ σώζει; virtus quidem principium agendi conseruat, & vitium illud labefactat: quia finis quod est eiusmodi principium, nec ratione cognoscitur nec demonstratione, sicut neque principia mathematica demonstratione cognoscuntur, sed supponuntur, ideò dicuntur hypotheses; quod etiam in reliquis scientiis & artibus contingit, quarum principia non per causas explicantur, sed inductione, sensu & consuetudine, vt ipse etiam monuerat *lib. 1. cap. 7. sub fin.* vel igitur à natura vel a virtute & bona consuetudine habebit aliquis rectam de fine opinionem, idcircò Aristoteles ait *lib. 7. cit. cap. 3.* intemperantem difficiliùs corrigi quam impotentem, quia intemperans cùm sibi iam persuaserit sectandas esse voluptates, habet principium actionum suarum, hoc est iudicium de fine depravatum. Non potest igitur quis esse prudens nisi sit bonus; hoc est nequit primo habere prudentiam circa materiam alicuius virtutis moralis, nisi & illam virtutem habeat, v.g. nequit esse prudens sine virtute temperantiæ: quia prudentia quæ circa electiones & media versatur, necessariò præsupponit rectam intentionem; Recta verò intentio finis proprij vnius virtutis, ad illam virtutem pertinet; igitur prudentia præsupponit virtutem moralem circa propriam materiam, quod in exemplo allato temperantiæ, fit manifestum. Nam eius actus est intentio finis proprij, siue voluntas & propositum temperatè viuendi; electio quoque mediorum in singulari quibus temperate viuatur, talis v.g. cibi aut talis quantitas est quoque actus eiusdem temperantiæ: Hæc tamen electio præsupponit prudentiam & rectam rationem dictantem hanc quantitatem cibi & non aliam sumendam esse; sed hæc prudentia præsupponit quoque rectam intentionem temperatè viuendi, cum illa enim intentione debet sua dictata adæquare: sicut igitur virtus moralis ratione electionis præsupponit prudentiam sine qua omninò existere nequit, ita prudentia supponit eandem virtutem moralem ratione intentionis proprij finis; atqueadeò sicut virtus moralis habet connexionem cum prudentia, ita prudentia cum virtute morali circa eandem materiam. Qua de re vide S. Thom. 1. 2. q. 58. *art. 4. & 5.*

Dices, ante omnem actum temperantiæ & inten- 36
tionem temperatè viuendi, præcedere iudicium prudentiale dictans esse temperatè viuendum, quod iudicium esse poterit in intemperante, quamvis inutiliter ad actionem, quod erat argumentum Scoti *in 3. dist. 36. q. vnic. littera G. & K.* vbi illud vulgatum Aristotelis, prudentiam conformem esse oportere appetitui recto, explicat, quod prudentia sibi conformem efficiat, quantum in se erit, voluntatis operationem, non autem quod ipsamet prudentia sese ad actionem honestam voluntatis conformare debeat; sic enim ipsa non præiret virtuti morali, sed illam subsequeretur.

Resp. primò, nobis ad connexionem prudentiæ cum virtute morali satis esse, si iudicium prudentiale quoad electionem mediorum singularium supponat virtutem moralem; cùm enim præcipuum prudentiæ munus sit in consultando de mediis, & illa eorumque vsum præscribendo, ille sanè qui non rectè iudicat de mediis, quamvis de fine rectè iudicet, non dicetur prudens; atqueadeò manebit, prudentiam saltem perfectam & quoad suum primarium actum pendere à virtute morali.

Secundò iudicium illud prudentiale de intentione boni finis alicuius particularis, supponit vti alias diximus intentionem boni & finis in communi, quæ gignitur per cognitionem solius synderesεος, ergo prudentia semper pendet à virtute morali.

Tertiò prudentia non tantùm pendet à virtute mo- 37
rali circa vnam aliquam materiam, sed etiam circa omnes: quia ille non esset v.g. temperatus, qui iudicaret seruandum esse medium in delectationibus, & tamen rem alienam inuito domino retinendam esse; ergo cum prudentia circa omnes materias virtutum bene iudicet vt diximus, & id facere nequeat sine earundem virtutum opera, existere nequit sine virtute omni morali, aut saltem cum vitio; præsupponit enim affectum rectum circa fines omnes omnium virtutum. Vnde virtutes omnes media prudentia connecti probat S. Thom. 1. 2. q. 55. *art. 1.* Caietan. *ibid.* & latè Montesino *superius adductus.*

Hinc dixit Arist. *lib. 7. Eth. c. 10.* prudentē nō esse qui probus non est, cùm prudentia non cōsistat in sola cognitione, sed actionem honestam exigat, electionem nimirū & intentionem honestam. Eum tamen improbum, incontinentem licet, callidum esse posse, quod etiam habet *lib. 1. magno. morali. cap. 33.* alioquin improbi astuti sunt, sed non prudentes, quæ fuit etiam mens S. Augustin. *lib. 4. contra Iulian. cap. 3. & Ep. 29.* & Basil. *hom. in initium prouerb.* Quare peccatorum prudentia falsa & fucata est, nominatúrque prudentia carnis, vti obseruat Augustin. *Ep. citata.* de Versutia autem vel vafritie plurima congessit Raynaud. *opere de æquiuocis cap. 4. n. 54.* eam in iudice damnat Nyssen. *homil. 5. in Ecclesiast.* ad illa verba: *oculi sapientis in capite eius.* in hæreticis Augustin. *lib. 6. de ciuit. cap. 2. & lib. quæst. ex vtroque testam. q. 114.* Theophil. Alexand. *lib. 1. paschal.* atque ex recentioribus fusissimè Staplet. *q. 3. quodlibet,* cuius titulus est, *maiorne hæreticorum nequitia quàm astutia*; Denique non magis calliditas ista & vafrities vera prudentia est, quàm astutia brutorum, vt Carneades apud Lactantium disputat *lib. 5. Instit. cap. 18. sub fin.* de qua animantium versutia loquitur etiam Salomon *cap. 30. prou. v. 24.* vt authores qui historias animalium scripserunt omittam: Denique S. Thom. 22 *q. 51. art. 2. ad 3. & art. 3. ad 2.* negat Eubuliam quæ est prudentiæ pars in peccatore reperiri posse. Quibus omnibus addo, omne peccatum non

non modò esse contra prudentiæ iudicium illud dissuadentis; sed etiam coniunctum esse cum iudicio imprudenti, quod postrémum negat Lessius *lib. 1. de prudent. cap. 2. n. 26.* quia iudicium prælucens actui malo & inhonesto, non tantùm est iudicium non prudens, sed etiam positiuè imprudens, cum opponatur iudicio prudentiæ contrarium suadentis, quod ampliùs explicabitur alibi, dum disputabimus, quænam ignorantia ad peccatum concurrat: quo item loco quæremus, an ignorantia eiusmodi, & imprudentia sit aliquod peccatum speciale, & quando interim adi S.Thom. 2. 2. *q. 53. 54. & 55.*



CAPVT VII.

De vltimo iudicio rectæ rationis, siue legis naturalis obligantis ad ponendam honestatem & vitandam malitiam, nimirùm iudicio conscientiæ.

QVÆST. I. *Quid sit conscientia.*
QVÆST. II. *De conscientia recta.*
QVÆST. III. *De conscientia errante.*
QVÆST. IV. *De conscientia probabili.*
QVÆST. V. *De conscientia dubia.*
QVÆST. VI. *De conscientia scrupulosa.*



Missis variis conscientiæ acceptionibus, quas dabit Ioann. à Capistrano *in speculo conscient. num.* 35. Salas. *tract.* 8. *disp. vnic. sect.* 1. Antonin. 1. *part. tit.* 3. *cap.* 10. §. 1. Antonin. Peres. *in Laureo certamine* 10. Quiedo *tract.* 5. 1. 2. *contron.* 1. *punct.* 1. aliíque qui in compositione huiusce vocis nonnihil ludunt.

QVÆSTIO I.

Quid sit conscientia.

Definitio conscientiæ n. 1. 2.
Consectarium primum. Est actus intellectus n. 3.
Diluitur obiectio n. 4. 5.
Consectarium secundum. Differt ab aliis actibus n. 6.
Consectarium tertium. Non est habitus n. 7.
Diluitur obiectio n. 8. 9.
Consectarium quartum. Eius effectus n. 10.
Consectarium quintum. Diuisio n. 11. 12. & 13.

Diximus *cap.* 5. rectam rationem constituentem & definientem honestatem & malitiam, & ad vnam vitandam, alteramque ponendam, obligantem, non esse vnum aliquid simplex, sed comprehendere iudicium synderesеos, prudentiæ & conscientiæ. De duobus primis hactenùs fusè disseruimus; restat itaque vt de tertio quod in toto isto negotio præcipuum est, disputemus.

Definitio conscientiæ.

1 Definitur conscientia, iudicium de agibilibus hîc & nunc, siue in particulari: siue est applicatio scientiæ ad actionem particularem, vti definit S.Thom. 1. *p. q. 79. art.* 13. Antonin. & alij, qui idcircò dicunt appellari conscientiam, quia est scientia cum alio, siue scientia cum ordine ad aliquid, nimirùm ad actionem ad quam scientia siue cognitio præhabita applicatur; quod fit duobus modis, vt *ibidem* obseruat S. D. vel enim iudicamus de actione facta, an eam fecerimus, & an eam bene vel malè fecerimus, vel de actione facienda; vti enim ipsemet obseruat *q. 17. de veritate art.* 1. Sicut in speculatinis aliquando procedimus viâ inuentionis discurrendo à notis ad ignota, alias per viam resolutionis, ea quæ iam cognouimus in sua principia resoluendo: ita in operabilibus primò procedimus per consilium & directionem ad actionem faciendam; deinde expendimus operationem iam factam ad sua principia, an illis conformis an dissentanea sit, quod vtrumque cùm faciat conscientia, duplex constitui potest iudicium de agibilibus; quamquam satius fortasse fuerit conscientiam pro diuersitate agibilium particularium de quibus iudicat, partiri & definire. Sunt verò tria agibilia, præterita, præsentia, & futura: quare dictat conscientia aliquid esse agendum, aut non agendum, testatur, accusat, aut aliquid esse bene aut male gestum: & denique præsentia dirigit: male enim aliqui negant conscientiam versari circa præsentia, & necessariò debere præcedere aut subsequi actionem singularem: nam bene obseruat Mooresino 1. 2. *tom. 1. dispu. 19. num.* 8. dum aliquis agit contra propriam conscientiam, dicitur ab illa argui, & ad oppositum incitari; cum verò consentaneè suæ conscientiæ agit, dicitur illi conformari, & dictatis eius: debet verò esse præsens conscientia, & dictamen ipsius vt aliquis illi conformet suam actionem; neque intelligi potest, vt quis bene operetur aut malè, quando actu non est præsens iudicium prudentiale aut erroneum: ex his potiò tribus iudiciis, ex quibus triplex conscientiæ acceptio distinguitur, nos illud duntaxat consideramus quod versatur circa actionem hîc & nunc ponendam, aut quæ actu ponitur; non verò circa præteritam, quamquam & de eo nonnihil dicemus inferiùs.

2 Est igitur conscientia iudiciom practicum de de actione hîc & nunc facienda: siue est applicatio principij vniuersalis per synderesim cogniti ad actionem singularem: siue denique est conclusio syllogismi practici, in quo syllogismo qui necessariò omnem actionem voluntatis deliberatæ præcedit, vt explicant Nider *in consolatorio conscient.* Antonin. *l. c.* Capistran. *n.* 43. Et indicat S.Thom. 1. *p. q. 79. art.* 13. maiorem suppeditat synderesis v. g. omne malum est fugiendum: minorem verò ratio, vel superior, quæ ex Aug. *lib. 2. de Trinit. cap.* 18. superius consulendis intendit, vt adulterium est malum, quia auertit à beatitudine; vel inferior quæ naturalibus & temporalibus motiuis ducitur, vt adulterium malum est, quia edicto prohibitum fuit. Conscientia denique conclusionem elicit; ergo hîc & nunc hæc actio, quæ adulterium est, fugienda erit.

CONSECTARIVM I.

Conscientia non pertinet ad voluntatem.

3 Ex his colliges primò, falsò conscientiam collocari in actu voluntatis ab Henrico *quodlib. 1. q.* 18. contra

quin enim degenerabit in *πανουργίαν* & astutiam: quod probat hoc argumento vti Balforteus, optimè sensum Aristotelis, nisi fallor assequutus, sic proponit: Nemo in disciplina vlla, aut scientia rectè ratiocinatur, nisi qui principia disciplinæ illius probè perspecta habuerit & nota; sed prudens in disciplina rerum agendarum rectè ratiocinatur, & inquirit quid agendum quidve non agendum sit, debent ergo prudenti probe nota & perspecta esse rerum agendarum principia, At verò rerum agendarum principia sunt fines; nemo porrò cognoscit rerum agendarum fines nisi vir bonus: ergo nemo rectè, de rebus agendis ratiocinari poterit (quod prudentiæ est) nisi vir bonus; prudentem igitur virum bonum esse oportet, nec fieri omnino potest, vt prudentia sine virtute morali consistat: In hoc discursu duæ tantùm propositiones probandæ sunt: prima est in rebus agendis principia esse fines; quod passim affirmat Aristoteles, & *lib. 7. cap. 8. alias 9.* fines ea de causa comparat hypothesibus in mathematicis *ἐν δὲ ταῖς πράξεσι τὸ οὗ ἕνεκα ἀρχὴ ὥσπερ ἐν τοῖς μαθηματικοῖς αἱ ὑποθέσεις.* In actionibus autem principium illud est, cuius causa res fit; sicut in mathematicis suppositiones; & sanè ad eum finem omnia consilia prudentiæ diriguntur, immò & ipsæ actiones prudentia dirigit. Secunda propositio est solum virum bonum cognoscere rectum finem rerum agendarum, quod inde facilè probatur, quod improbitas & vitium iudicium peruertat, vt iam alibi monuimus superiùs cùm Aristotele, qui idem affirmat *lib. 7. cap. 8. ἡ γὰρ ἀρετὴ καὶ μοχθηρία τὴν ἀρχὴν ἡ μὲν φθείρει, ἡ δὲ σώζει*; virtus quidem principium agendi conseruat, & vitium illud labefactat: quia finis quod est eiusmodi principium, nec ratione cognoscitur nec demonstratione, sicut neque principia mathematica demonstratione cognoscuntur, sed supponuntur, ideò dicuntur hypotheses; quod etiam in reliquis scientiis & artibus contingit, quarum principia non per causas explicantur, sed inductione, sensu & consuetudine, vt ipse etiam monuerat *lib. 1. cap. 7. sub fin.* vel igitur à natura vel à virtute & bona consuetudine habebit aliquis rectam de fine opinionem, idcircò Aristoteles ait *lib. 7. cit. cap. 3.* intemperantem difficiliùs corrigi quàm impotentem, quia intemperans cùm sibi iam persuaserit sectandas esse voluptates, habet principium actionum suarum, hoc est iudicium de fine deptauatum. Non potest igitur quis esse prudens nisi sit bonus; hoc est nequit primo habere prudentiam circa materiam alicuius virtutis moralis, nisi & illam virtutem habeat, v.g. nequit esse prudens sine virtute temperantiæ: quia prudentia quæ circa electiones & media versatur, necessariò præsupponit rectam intentionem; Recta verò intentio finis proprij vnius virtutis, ad illam virtutem pertinet; igitur prudentia præsupponit virtutem moralem circa propriam materiam, quod in exemplo allato temperantiæ, fit manifestum. Nam eius actus est intentio finis proprij, siue voluntas & propositum temperatè viuendi; electio quoque mediorum in singulari quibus temperate viuatur, talis v.g. cibi aut talis quantitas est quoque actus eiusdem temperantiæ: Hæc tamen electio præsupponit prudentiam & rectam rationem dictantem hanc quantitatem cibi & non aliam sumendam esse; sed hæc prudentia præsupponit quoque rectam intentionem temperatè viuendi, cum illa enim intentione debet sua dictata adæquare: sicut igitur virtus moralis ratione electionis præsupponit prudentiam sine qua omnino existere nequit, ita prudentia supponit eandem virtutem moralem ratione intentionis proprij finis; atqueadeò sicut virtus moralis habet connexionem cum prudentia, ita prudentia cum virtute morali circa eandem materiam. Qua de re vide S. Thom. 1. 2. *q. 58. art. 4. & 5.*

Dices, ante omnem actum temperantiæ & inten- 36
tionem temperatè viuendi, præcedere iudicium prudentiale dictans esse temperatè viuendum, quod iudicium esse poterit in intemperante, quamvis inutiliter ad actionem, quod erat argumentum Scoti *in 3. dist. 36. q. vnic. littera G. & K.* vbi illud vulgatum Aristotelis, prudentiam conformem esse oportere appetitui recto, explicat, quod prudentia sibi conformem efficiat, quantum in se erit, voluntatis operationem, non autem quod ipsamet prudentia sese ad actionem honestam voluntatis conformare debeat; sic enim ipsa non præiret virtuti morali, sed illam subsequeretur.

Resp. primò, nobis ad connexionem prudentiæ cum virtute morali satis esse, si iudicium prudentiale quoad electionem mediorum singularium supponat virtutem moralem; cùm enim præcipuum prudentiæ munus sit in consultando de mediis, & illa eorumque vsum præscribendo, ille sanè qui non rectè iudicat de mediis, quamvis de fine rectè iudicet, non dicetur prudens; atqueadeò manebit, prudentiam saltem perfectam & quoad suum primarium actum pendere à virtute morali.

Secundò iudicium illud prudentiale de intentione boni finis alicuius particularis, supponit vti alias diximus intentionem boni & finis in communi, quæ gignitur per cognitionem solius synderesеos; ergo prudentia semper pendet à virtute morali.

Tertiò prudentia non tantùm pendet à virtute mo- 37
rali circa vnam aliquam materiam, sed etiam circa omnes: quia ille non esset v.g. temperatus, qui iudicaret seruandum esse medium in delectationibus, & tamen rem alienam inuito domino retinendam esse; ergo cum prudentia circa omnes materias virtutum bene iudicet vt diximus, & id facere nequeat sine earundem virtutum opera, existere nequit sine virtute omni morali, aut saltem cum vitio; præsupponit enim affectum rectum circa fines omnes omnium virtutum. Vnde virtutes omnes media prudentia connecti probat S. Thom. 1. 2. *q. 55. art. 1.* Caietan. *ibid.* & latè Montesino *superiùs adductus.*

Hinc dixit Arist. *lib. 7. Eth. c. 10.* prudentē nō esse qui probus non est, cùm prudentia non cōsistat in sola cognitione, sed actionem honestam exigat, electionem nimirū & intentionem honestam. Eum tamen improbum, incontinentem licet, callidum esse posse, quod etiam habet *lib. 1. magno. moral. cap. 33.* alioquin improbi astuti sunt, sed non prudentes; quæ fuit etiam mens S. Augustin. *lib. 4. contra Iulian. cap. 3. & Ep. 29.* & Basil. *hom. in initium prouerb.* Quare peccatorum prudentia falsa & fucata est, nominatúrque prudentia carnis, vti obseruat Augustin. *Ep. citata.* de Versutia autem vel vafritie plurima congessit Raynaud. *opere de æquiuocis cap. 4. n. 14.* eam in iudice damnat Nyssen. *homil. 5. in Ecclesiast.* ad illa verba: *oculi sapientis in capite eius.* in hæreticis Augustin. *lib. 6. de ciuit. cap. 2. & lib. quæst. ex vtroque testam q. 114.* Theophil. Alexand. *lib. 1. paschal.* atque ex recentioribus fusissimè Stapleт. *q. 3. quodlibet.* cuius titulus est, *maiorne hæreticorum nequitia quàm astutia*; Denique non magis calliditas ista & vafrities vera prudentia est, quàm astutia brutorum, vt Carneades apud Lactantium disputat *lib. 5. Instit. cap. 18. sub fin.* de qua animantium versutia loquitur etiam Salomon *cap. 30. prou. v. 24.* vt authores qui historias animalium scripserunt omittam: Denique S. Thom. 22. *q. 51. art. 1. ad 3. & art. 3. ad 2.* negat Eubuliam quæ est prudentiæ pars in peccatore reperiri posse. Quibus omnibus addo, omne peccatum non

non modò esse contra prudentiæ iudicium illud dissuadentis; sed etiam coniunctum esse cum iudicio imprudenti, quod postremum negat Lessius *lib. 1. de prudent. cap. 1. n. 16.* quia iudicium prælucens actui malo & inhonesto, non tantùm est iudicium non prudens, sed etiam positiuè imprudens, cum opponatur iudicio prudentiæ contrarium suadentis, quod amplius explicabitur alibi, dum disputabimus, quaenam ignorantia ad peccatum concurrat: quo item loco quæremus, an ignorantia eiusmodi, & imprudentia sit aliquod peccatum speciale, & quando interim adi S.Thom. a. 2. q. 53. 54. & 55.

CAPVT VII.

De vltimo iudicio rectæ rationis, siue legis naturalis obligantis ad ponendam honestatem & vitandam malitiam, nimirùm iudicio conscientiæ.

QVÆST. I. *Quid sit conscientia.*
QVÆST. II. *De conscientia recta.*
QVÆST. III. *De conscientia errante.*
QVÆST. IV. *De conscientia probabili.*
QVÆST. V. *De conscientia dubia.*
QVÆST. VI. *De conscientia scrupulosa.*

Omissis variis conscientiæ acceptionibus, quas dabit Ioann. à Capistrano *in speculo conscient. num.* 35. Salas. *tract.* 8. *disp. vnic. sect.* 1. Antonin. 1. *part. tit.* 3. *cap.* 10. §. 1. Antonin. Peres. *in Laureo certamine* 10. Ouiedo *tract.* 5. 1. a. *controu.* 1. *punct.* 1. aliique qui in compositione huiusce vocis omnino nihil ludunt.

QVÆSTIO I.

Quid sit conscientia.

Definitio conscientiæ n. 1. 2.
Consectarium primum. Est actus intellectus n. 3.
Diluitur obiectio n. 4. 5.
Consectarium secundum. Differt ab aliis actibus n. 6.
Consectarium tertium. Non est habitus n. 7.
Diluitur obiectio n. 8. 9.
Consectarium quartum. Eius effectus n. 10.
Consectarium quintum. Diuisio n. 11. 12. & 13.

Diximus *cap.* 5. rectam rationem constituentem & definientem honestatem & malitiam, & ad vnam vitandam, alteramque ponendam, obligantem, non esse vnum aliquid simplex, sed comprehendere iudicium synderesеos, prudentiæ & conscientiæ. De duobus primis hactenus fusè disseruimus; restat itaque vt de tertio quod in toto isto negotio præcipuum est, disputemus.

Definitio conscientiæ.

Definitur conscientia, iudicium de agibilibus hîc & nunc, siue in particulari: siue est applicatio scientiæ ad actionem particularem, vti definit S.Thom. 1. *p. q. 79. art.* 13. Antonin. & alij, qui idcircò dicunt appellari conscientiam, quia est scientia cum alio, siue scientia cum ordine ad aliquid, nimirùm ad actionem ad quam scientia siue cognitio præhabita applicatur; quod fit duobus modis, vt *ibidem* obseruat S. D. vel enim iudicamus de actione facta, an eam fecerimus, & an eam bene vel malè fecerimus, vel de actione facienda; vti enim ipsemet obseruat *q. 17. de veritate art.* 1. Sicut in speculatiuis aliquando procedimus viâ inuentionis discurrendo à notis ad ignota, aliàs per viam resolutionis, ea quæ iam cognouimus in sua principia resoluendo: ita in operabilibus primò procedimus per consilium & directionem ad actionem faciendam; deinde expendimus operationem iam factam ad sua principia, an illis conformis an dissentanea sit, quod vtrumque cùm faciat conscientia, duplex constitui potest iudicium de agibilibus; quamquam satius fortasse fuerit conscientiam pro diuersitate agibilium particularium de quibus iudicat, partiri & definire. Sunt verò tria agibilia, præterita, præsentia, & futura: quare dictat conscientia aliquid esse agendum, aut non agendum, testatur, accusat, aut aliquid esse bene aut male gestum: & denique præsentia dirigit: male enim aliqui negant conscientiam versari circa præsentia, & necessariò debere præcedere aut subsequi actionem singularem: nam bene obseruat Mooreno 1. 2. *tom. 1. disput. 29. num.* 8. dum aliquis agit contra propriam conscientiam, dicitur ab illa argui, & ad oppositum incitari; cum verò consentanee suæ conscientiæ agit, dicitur illi conformari, & dictatis eius: debet verò esse præsens conscientia, & dictamen ipsius vt aliquis illi conformet suam actionem; neque intelligi potest, vt quis bene operetur aut malè, quando actu non est præsens iudicium prudentiale aut erroneum: ex his porrò tribus iudiciis, ex quibus triplex conscientiæ acceptio distinguitur, nos illud dumtaxat consideramus quod versatur circa actionem hîc & nunc ponendam, aut quæ actu ponitur; non verò circa præteritam, quamquam & de eo nonnihil dicemus inferiùs. 1

Est igitur conscientia iudicium practicum de de actione hîc & nunc facienda: siue est applicatio principij vniuersalis per synderesim cogniti ad actionem singularem: siue denique est conclusio syllogismi practici, in quo syllogismo qui necessariò omnem actionem voluntatis deliberatæ præcedit, vti explicant Nider *in consolatorio conscient.* Antonin. *l. c.* Capistran. *n.* 43. Et indicat S.Thom. 1. *p. q. 79. art.* 13. maiorem suppeditat synderesis v. g. omne malum est fugiendum: minorem verò ratio, vel superior, quæ ex Aug. *lib. 2. de Trinit. cap.* 18. superius consulendis intendit, vt adulterium est malum, quia auertit à beatitudine; vel inferior quæ naturalibus & temporalibus motiuis ducitur, vt adulterium malum est, quia edicto prohibitum fuit. Conscientia denique conclusionem elicit; ergo hîc & nunc hæc actio, quæ adulterium est, fugienda erit. 2

CONSECTARIVM I.

Conscientia non pertinet ad voluntatem.

Ex his colliges primò, falsò conscientiam collocari in actu voluntatis ab Henrico *quodlib. 1. q.* 18. contra 3

Bb 4 communem

communem Theologorum sententiam, immò neque probandum esse quod Durand. *in 2. d.* 39. *q.* 4. ad vtramque potentiam intellectum scilicet & voluntatem pertinere voluerit *n.* 11. neque rectiùs dixit Aureol. *in 2. d.* 14. *q. vnic. proposit.* 4. in voluntate concomitari habitum aliquem eiusmodi actum intellectus, in quo essentialiter conscientiam consistere tandem fatetur: Nam vsus & applicatio cognitionis principiorum practicorum in ordine ad aliquod opus hic & nunc eliciendum non potest esse nisi cognitio & iudicium vti sæpiùs diximus.

4 Obiicit Henric. plurima tribui conscientiæ, quæ pertinent ad voluntatem: nam 1. *ad Timoth.* 1. dicitur conscientia bona, & distinguitur à fide non ficta, quæ ad intellectum pertinet: & 1. *ad Timoth.* 4. dicitur conscientia cauteriata 2. *ad Heb.* 9. *Christi sanguis emundabit conscientias vestras ab operibus mortuis*, quæ emundatio voluntatis est, non intellectus: neque vllus dicitur esse mundæ aut inquinatæ conscientiæ, & bonæ aut malæ, rectæ aut obliquæ ratione solius cognitionis, sed voluntatis; maximè, incitare & impellere, tristari & dolere, aliique eiusmodi effectus conscientiæ, sunt affectus voluntatis non actus intellectus.

5 Resp. maximè ex his effectibus conscientiæ probari à S. Thom. *art.* 13. *cit.* & cæteris deinceps illam actum esse intellectus, quod videbimus inferiùs. Obserua igitur conscientiam aliquando vsurpari pro obiectis ipsius: sunt enim illa in conscientia sicut cognitum in cognoscente: quo sensu S. D. *art. cit. ad* 2. explicat illud Pauli *ad Tit.* 1. quod eorum mens & conscientia sit inquinata; sumitur præterea pro eius actionibus; sic dicimus pœnitentem manifestare suam conscientiam Confessario, id est peccata à se admissa; vt sæpiùs artefacta nomine artis designamus. Dicitur igitur conscientia bona aut mala primò, quando iudicium est culpabiliter erroneum, tunc enim à mala negligentia & voluntate procedit, indeque malum denominatur: bona verò conscientia, quia vel bonum faciendum esse dictat, vel si fallitur, inculpabiliter fallitur. Secundo dicitur bona & mala conscientia ratione actuum voluntatis, qui sunt vel effectus vel obiecta conscientiæ: sic malorum conscientia inquinatur per proprios actus voluntatis, & emundatur per expiationem & retractationem actuum eiusmodi & sanguine Christi; quo etiam sensu vocamus hominem bonæ conscientiæ, non quia plura scit, sed quia operatur, conscientiam pro obiectis & effectibus huius iudicij practici vsurpando. Impulsus denique & motio quædam reperitur in intellectu excitante ad agendum voluntatem, cui bonum ostendit: alia verò in voluntate prior est conscientiæ motio, non posterior, nisi consequenter, sicut etiam dolor & tristitia, qui ex conscientia & iudicio illa damnante consequantur, vti videbimus.

Consectarium II.

Distinctio conscientiæ à cæteris actibus intellectus.

6 Colliges secundò, conscientiam distingui à cæteris actionibus intellectus & rationis: primò quidem à lege naturali, vt alibi diximus, quia conscientia est illius solùm notificatio & promulgatio quædam, neque illius dumtaxat, sed etiam omnis alterius legis. Deinde quia vt ait Capistran. *num.* 45. Lex naturalis comprehendit ipsa principia intus: conscientia est ipsorum applicatio per modum cuiusdam conclusionis ad actionem particularem. Secundò à synderesi, quæ est habitus & cognitio eiusmodi primorum principiorum vniuersalium naturalium, ex quibus conscientia deducit suam conclusionem, per quam dictat actionem hic & nunc atque hoc modo faciendam esse: deinde quia conscientia aliquando pugnat cum vniuersali principio, quod nimirùm ratione alicuius circumstantiæ exceptionem patitur; licet enim alienum restituendum sit domino, non tamen à Petro in extrema necessitate existente id faciendum erit, quod bene concludet conscientia, licet principium vniuersale contrarium esse videatur. Tertiò differt à prudentia, quam tamen circa particularia & singularia versari diximus, & ad illa principia synderesios applicare, quia vt ait Peres. *certamine* 10. *c.* 7. prudentia necessariò importat rectitudinem, & veritatem in iudicio, vti superiùs ostendimus, non autem conscientia nisi recta sit; est enim aliqua obliqua, vti videbimus, cùm omnis prudentia recta sit, & verum practicum infallibiliter attingat, atque adeò virtus intellectualis existat.

Consectarium III.

Conscientia non est habitus, neque vllum habitum particularem generat.

Colliges tertiò, conscientiam, neque potentiam, neque habitum esse, contra Scot. *in 2. d.* 39. *quæst.* 1. Gab. *ibid. ead. dist. & q. art.* 2. *con.* 5. *&* 6. Durand. *l. cit.* & Cordubam *lib.* 3. *quæstionarij q.* 5. sed esse actum, quandoquidem nemo deponit aut potentiam aut habitum, dicitur tamen conscientiam deponere. Deinde conscientia sæpius est in eo, in quo nondum vllus est habitus, vti contingit in puero; dum primum enim ad vsum rationis peruenit, agit ex conscientia, licet nondum vllum habitum contraxerit: ex sola præterea mutatione iudicij conscientia ex erronea fit vera & recta, quis tamen dicat tunc mutari habitum pluribus actionibus comparatum. Denique definimus conscientiam applicationem scientiæ ad aliquid agendum vel vitandum; applicatio verò consistit in actu non in habitu: Neque dicas aliquando habitum nominari, vt ab Hieron. *in cap.* 1. *Ezechielis*, quia id nomen aliquando latiùs sumitur, & præterea conscientia confunditur ab Hieron. cum synderesi, quæ est habitus principiorum. 7

Quid verò obiiciunt aliqui, conscientiam habere plures actus, mordet enim, accusat, obligat, testatur; quare vel potentia vel habitus est, & sunt cùm permaneat quoque in dormientibus nihil operante intellectu, aliquid permanens & habituale esse oportet, facile soluitur; non enim dicitur conscientia habere plures actus, quicumque tandem illi sint, quasi eos eliciat, sed vt monet Valent. 1. 2. *disp.* 2. *q.* 14. *puncti.* 4. ea locutio intransitiuè capi debet, itavt conscientia sit plures actus, sicut visio Dei est actus beatitudinis, non quod actus beatitudinis eliciatur à visione, sed quia visio est ipsamet beatitudo; manet verò conscientia in dormiente vel ratione suæ causæ, vel sicut actus præteritus habitualiter manere intelligitur, quandiu non retractatur. 8

Addidi in Consectario non modò conscientiam non esse habitum, sed neque ex illius actibus generari certum vnum aliquem habitum, qui conscientia habitualis nominari possit. Ita S. Thom. 1. *p. q.* 79. *art.* 13. *ad* 3. *& quæst.* 17. *de veritate art.* 1. Vasq. 1. 2. *disp.* 59. *cap.* 1. Montesino *ibid. disp.* 29. *num.* 14. Salas *disp. vnic. tract.* 8. *n.* 8. Suar. 1. 2. *tr.* 3. *disp.* 12. *sect.* 1. Anton. Peres. *certamine* 10. *scholastic. cap.* 10. Gordon. *lib.* 1. *quæst.* 9. *cap.* 2. *num.* 9. Baldel. *lib.* 4. *disput.* 1. *num.* 24. & alij: primò 9

primò, quia conscientia versatur circa diuersas materias, quæ ab vno eodemque habitu attingi nequeunt. Secundò alia est conscientia vera, alia erronea, alia probabilis, alia dubia; neque hi dissimiles actos ab eodem habitu elicientur, ad diuersos itaque habitus reuocandi erunt, ab synderesim aliquando, aliàs ad prudentiam infusam, aliàs ad naturalem, aliàs ad fidem diuinam, quando nimirum conscientia vera est aut inculpabiliter erronea; quando verò fallitur ad varios quoque habitus pertinebit, vti fusius explicat Salas; eiusdem enim habitus videtur esse & principia vniuersalia tradere, & illa ad materiam singularem applicare; quamvis quia ea applicatio fit alio modo quàm cognitio propositionis vniuersalis, longè alius actus ab illa fit.

Consectarium IV.

Varij conscientiæ effectus.

10 Colliges varios conscientiæ effectus prn diuersa eius acceptione initio tradita: Primò enim aliquando est actus subsequens actionem, quo iudicamus nos quidpiam fecisse aut non fecisse, & tunc conscientia dicitur testari, cuius testimonij meminit Paul. *ad Roman.* 2. *Testimonium reddente illis conscientia συμμαρτυρούσης τῆς συνειδήσεως*: & *ad Hebr.* 13. *Ecclesi.* 17. *Scit conscientia tua*, Gen. *Non est in conscientiis nostris:* Heb. non scimus lò loddahhnou לדאורענו atque alibi sæpius scriptura, & Tertullian. *lib. de corona milit. capit.* 6. vocauit tabulas naturales in quibus exaratum peccatom perpetuò legamus. Secundò est actus, quo opus factum bene aut malè admissum fuisse iudicamus, vbi videlicet seuerior lux affulger, nubilo passionum dissipato, diciturque tunc conscientia accusare, mordere, vel excusare: Inde victor *lib. de pœnit. Potest conscium morti subduci, non potest testi conscientiæ, haret peccatori, nec vnquam te deserit, tenet te reum, & in sua semper ditione captiuum.* Ambr. *lib. de Abraham. cap.* 4. *cum omnis nebula transierit, & sapientia fulgor fulserit, grauiora tormenta exercentur in quodam malè conscij secretario: itaque grauior nostra mens est index conscientia reatu & iudicio pœnitentia.* Origen. *lib.* 1. *in Epist. ad Roman.* vocat spiritum correctorem & pedagogum. Doroth. *doctrina* 3. *scintillam diuina mentis, aduersarium, cum quo consentire debemus in via ex Christi mandato, ne nos iudici tradat.* Ad hoc iudicium omnia reuocanda esse monet Basili. *hom. in princip. prouerbior.* cuius verba afferre placet, quibus huius iudicij modum tradit, *Omninò sat agendum erit intra cordis arcana tribunal constituere, rectaque facere indicia, mentem quoque velut in trutina suspendere, ad ea qua conueniunt, & ad quodlibet agendum aqua lance librare, quando singula Dei mandata contra aduersantem sibi malitiam coram te indicium experiuntur, da legi diuina contra vitium, victoriam: iniquum & æquum apud te iudicantur, responde contra concupiscentiam alienorum bonorum: da vt vincat virtus: contumelia & patientia inuicem pugnant, vitupera contumeliam, lauda patientiam, &c.* Cuius etiam iudicij meminit S. Diodochus *cap.* 18. *de perfectione.* Huc quoque pertinent, quæ fusius disputat *apud Arrian. cap.* 12. *lib.* 2. Epictetus *de inueniendæ recta ratione & regula actionum moralium*, quæ sit instar lancis & stateræ pensitandis ponderibus: itaque hoc iudicium aliquando præcedit actionem, aliquãdo eam iam factam subsequitur. Primo modo pertinet ad prudentiam & consultationem: Secundo modo ad conscientiam, & ad hunc locum, & tunc videtur esse iudicium speculatiuum, sicut & alter ille actus, quem testimonium vocabamus, qui ad memoriam pertinet. Itaque censet Montesino *disp. cit. num.* 13. & Gordon *l. cit. num.* 8. habent, quidem isti actus consequentem aliquem affectum voluntatis, quæ ex conscientia siue memoria turpis facti fodicatur & gemit: Itaque sæpius vsurpatur conscientia, cum de eius morsu, verme, aut quiete à Machario *hom.* 15. aliisque Patribus disputatur, accipiunt enim pro facti præteriti cognitione, cùm animi angore ex ea progerminante. Inde tamen non debet illa cognitio actionis prætetitæ dici practica, sicut neque ex eo, quod aliquando incitet ad retractationem malè admissi criminis, vti aliqui contendunt. Tertiò conscientia propriè est dictamen, siue iudicium practicum de re facienda, aut omittenda, eáque de causa dicitur instigare, ligare, aut soluere, de quo effectu potissimùm est hoc loco disputandum; sic enim est legis tum diuinæ tum naturalis promulgatio & principium, ac regula actionis, atque ad hunc tractatum maximè pertinet.

Consectarium V.

Diuisio multiplicis conscientiæ.

Quintò ex natura ipsius iudicij practici, quod conscientiam appellamus illius diuisionem colliges: Primò enim alia est recta, alia non recta. Recta est, quæ diligenter proponit id, quod conueniens est naturæ rationali vt rationalis est, siue reipsa conformis sit rei quam enuntiat, siue non, modò proponat id, quod post adhibitam sufficientem diligentiam, & prudenter exponat omnia momenta; consentaneum videtur naturæ rationali, vt contingit Iacobo accedenti ad Liam, quam inte merito suam vxorem, quamvis falsò esse existimabat; operatus enim tunc est ex conscientia recta, vtpote ex principiis & regulis veris, concludens licitum esse illum congressum tanquam matirale m cum Lia, vti *quæst. superiori* exposuimus: Quare conscientia recta tum verum tum falsum, inuincibiliter tamen vt verum cognitum complectitur; hæc enim vt vidit quoque Pezant. 1. 2. *q.* 19. *art.* 6. *disput.* 1. Est tantùm erronea ratione materialis obiecti, & veluti speculatiuè, quod nuper fuit expositum, sicut vnde eius rectitudo sumenda esset. 11

Diuiditur secundò conscientia in rectam, dubiam, probabilem & scrupulosam: de quibus singulis agemos inferiùs; neque ea diuisio satis intelligi potest hoc loco, nisi quid sit certitudo, dubium, opinio, & scrupulus intelligatur, quod eo loco commodiùs præstabitur. 12

Diuiditur tertiò conscientia in cauteriatam, bonam, malam, perturbatam, quietam, & alia membra, de quibus Antonin. 1. *part. titul.* 3. *capit.* 10. §. 5. vbi laudes bonæ conscientiæ fusè habet, illamque domui sapientiæ componit, illom adl. Nidet 1. *parte consolat. tota, maximè capit.* 3. nos membra secundæ diuisionis persequemur. 13

Quæstio I.

An recta conscientia obliget.

§. 1. *Vnica propositio ea conscientia obligat.* n. 1. 2.

Probatur à priori n. 3.

Conse

Consectarium primum. Nequit dispensari in ea obligatione. n. 4.
Consectarium secundum. An sit hoc peccatum speciale. n. 5. 6.
Consectarium tertium. Velle in omnibus agere contra conscientiam, est peccatum speciale. n. 7.
Consectarium quartum. Qualis sit ea conscientiæ obligatio n. 8.

Obligatio est præcipuus conscientiæ effectus, vti videbimus, & de quo vno innumeræ ferè controuersiæ excitantur, quomodo & quando oriatur à conscientia, quod explicare commodiùs non possumus, quam varias conscientiæ species superius enumeratas concurrendo.

§. I.

Propositio vnica.

1 Conscientia recta, siue iudicium practicum certò dictans aliquid esse malum, & peccatum, aut bonum præceptum, obligat ad illud faciendum aut omittendum.

Expositio & confirmatio propositionis.

2 Obserua, iudicium quod dictat aliquid esse malum aut bonum, vel illud proponit per modum consilij, vel præcepti, siue præceptum illud sit diuinum, siue humanum positiuum: Deinde vel proponit opus præceptum in vniuersum dumtaxat, vt Deum esse amandum, vel hîc & nunc implendum illud esse, vt Deum hîc & nunc amandum esse ex præcepto. Prius illud iudicium aliqui vocant remotè tantum & incompletè practicum; secundum autem proximè, completè & practicè practicum, quod necessariam est ad inducendam obligationem. His obseruatis certissima est nostra conclusio, nimirùm conscientiam quoties proponit aliquid tanquam turpe, est malum moraliter aut prohibitum, vel quidpiam tanquam bonum & imperatum, atque obligatorium, & necessariò faciendum, obligare: quod tradunt magno consensu S. Thom. 1. 2. q. 19. art. 5. & 6. & interpretes atque Theologi *eo loco.* & *in* 2. *dist.* 39. Corduba *lib.* 3. *quæstionary* per plures quæstiones: à Capistrano in *speculo à n.* 52. Nauarr. *in cap. si quis autem de pœnitentia dist.* 7.

3 Ratio à priori est, quia conscientia est proxima regula actionis moralis: ergo si ab illa discedat mala erit: quæ consequentia certissima est; quidquid enim regulæ suæ non consentit, obliquum est; antecedens verò fuit sæpiùs probatum, ex ipsaque natura voluntatis constat: cùm enim ipsa cæca sit, alteriusque ductu indigeat, non potest perfectò dirigi, nisi à ratione dictante, quid hîc & nunc, pensatis omnibus circumstantiis, & cognitis primis principiis moralibus, eligendum & faciendum sit; ille autem actus vti hactenus ostendimus, est conscientia; ergo consentanea illi debebit esse actio voluntatis, & nunquam illi contraria. Huc pertinent omnia quæ diximus de obligatione iuris naturalis; Nam conscientia vel est lex naturalis, vel illius promulgationis: vnde licet vlteriùs argumentari. Quoties conscientia proponit aliquid tanquam præceptum, vel prohibitum, & hîc & nunc vel agendum vel omittendum necessariò esse: vel ipsamet imperat, estque lex, vel edicit legem, actum, eiusve omissionem imperantem; ergo obligat; vbi enim lex & imperium est, obligatio quoque parendi existat oportet. Quare si fiat aliter quàm præcipitur, peccatur, neque vllus omninò dubitare potest conscientiæ dictamen de actu hîc & nunc faciendo aut non faciendo, vel præceptum esse, vel præcepti intimationem, quod nobis verius apparet; hoc autem præceptum est primò naturale: cuius testimonium reddi à conscientia dixit Paul. *ad Roman.* 2. dum ait, opus legis scriptum esse in cordibus, testimonium reddente conscientiâ, cuius dicti illustrem commentarium dabit Ambros. *lib. de paradiso cap.* 8. Vbi tandem concludit: *ergo optimo nostra sibi legem facit.* & paulò pòst. *Optimo igitur humana sibi tanquam Dei lex est.* Secundò intimat conscientia legem positiuam siue diuinam, siue humanam, quando id quod prohibet, aut præcipit, nonnisi positiuo præcepto aut imperatum aut vetitum est; tale enim præceptum ratio tunc obligare indicat: quare si monentem non audiamus, reuerà peccamus; agimus enim contra præceptum, quod tamen eo momento vrgere existimamus; ideóque sapienter monuit Hilar. *lib.* 10. *de Trinit.* immoderatam esse omnem susceptarum voluntatum pertinaciam, vbi non rationi voluntatis subiicitur.

Consectarium I.

Impossibilis est dispensatio operandi contra propriam conscientiam.

Ex his colliges primò. Ne quidem ex diuina dispensatione fas esse vnquam operari contra propriam 4
conscientiam. Contra Almain. *tract.* 3. *morali. cap.* 15. vbi citat quendam Andream de Castro-nouo, & contra Philippum Fauentinum *in* 4. *dist.* 4. *q.* 1. *n.* 37. neque multùm abest Corduba *lib.* 3. *q.* 10. si supponatur sententia Scoti de dispensabilitate iuris naturalis, sequimur tamen Vasq. 1. 2. *disp* 61. *cap.* 2. & eumdem Cordubam *loco citato* Montesino 1 2. *disp.* 19. *n.* 31. Granad. 1. 2. *tract.* 12. *disp.* 7. *sect.* 3. *n.* 17. Camnet. *disp.* 2. *q.* 4. *dub.* 1. *n.* 27. Oviedo 1. 2. *tract.* 5. *contro.* 2. *punct.* 1. *n.* 4. Arriagam 1. 2. *disp.* 22. *n.* 49. Bossium *de conscientia erronea* §. 6. *n.* 21. Non enim efficere potest Deus, vt quod præcipitur contra præceptum aliquod stante præcepto, non sit malum; si enim Deus dispensaret, iam tolleret præceptum; atqui quamdiu manet conscientia de re facienda aut non facienda, tamdiu manet præceptum, aut prohibitio, cùm conscientia dictans aliquid esse faciendum sit ipsummet præceptum nobis intimatum, aut præcepti applicatio, & intimatio, vti ostendimus. Quare qui facit contra conscientiam, peccat contra illud ipsum præceptum, seu diuinum, seu humanum, seu naturale, seu positiuum, quod conscientia proponit. Secundò velle malum semper est malum, atqui velle aliquid contra conscientiæ dictamen, est velle malum, quia est velle illud, quod vt malum proponitur ab intellectu: ergo est malum. Ita argumentatur Valent. 1. 2. *disp.* 2. *q.* 14. *punct* 4. Tertiò denique vel ea diuina dispensatio innotescit, vel non; si primum, causat nouam conscientiam, quæ ex tali cognitione mutatur, etiam proponit vt licitum quod prius dictabat esse prohibitum: si secundum, perinde se habet dispensatio, atque si nulla omninò esset: quæ omnia ex dicendis *quæst. proxima* de conscientia errante magis illustrabuntur: illâ enim manente, manet adhuc præceptum, aut prohibitio: Quare nequidem contra illam agere licebit. Itaque nihil omninò facit potestas dispensandi in primæ tabulæ,

bulæ, aut etiam iuris naturalis, tunc enim tolleretur præceptum & non proponeretur à conscientia, alioquin maneret tota obligatio vti diximus. Quæ eadem ratio ostendit nullum ex inconsideratione aut obliuione excusari posse à peccato, dum agit contra propriam conscientiam: quia tunc præsens est aliquod actuale dictamen rationis & conscientiæ, contra quod agit: ergo nulla est obliuio aut inconsideratio illius dictaminis, quod actu est, & contra quod operatur voluntas; si enim ad illud non attenderet intellectus, reuerà contra ipsum non ageret.

Consectarivm II.

Agere contra conscientiam neque est speciale peccatum, neque distinctum à violatione legis contra quam agitur.

5 Vtraque pars huius consectarij probata manet ex dictis: primò quidem non esse aliquod speciale peccatum agere contra propriam conscientiam, vti optime censet Corduba *lib. 3. quæst. 4. dub. 1.* contra Adrian. *in 4. in materia de sacramento confessionis q. 4.* quia conscientia est tantum intimatio præcepti. Itaque præceptum tunc intimatum violatur, quando fit contra conscientiam illud intimantem. Deinde, quamuis non ediceret conscientia præceptum aut prohibitionem, proponit tamen actionem faciendam vt bonam vel malam, quæ bonitas & malitia ad aliquam virtutem aut vitium speciale pertinet: ad eam igitur virtutem pertinebit actio imperata, & ad illud vitium actio prohibita à dictamine conscientiæ. Sic Rusticus periurus, aut sacrilegus peccat contra religionem, etiamsi conscientia quæ illi dictat periurium & sacrilegium esse malum, non dictet esse contra religionem: denique qui agit contra conscientiam, vel agit quia intendit expressè repugnare legi aut præcepto per conscientiam significato, & tunc committit speciale peccatum inobedientiæ, vel quia delectatione aut vtilitate aliqua corruptus violat legem propositam, estque peccatum speciale contra illam legem.

6 Secunda pars consectarij non esse duplex peccatum, alterum contra propriam conscientiam, alterum contra legem ab illa nobis promulgatam, contra quam voluerit Angeslus *cap. 7. moralium dubio 3. circa textum n. 7.* sequitur ex priori: nam præceptum conscientiæ non est distinctum à præcepto naturali aut positiuo, quod veluti præco quidam indicit, vti iam monuimus; deinde quamvis daremus esse duo præcepta distincta, cùm tamen versentur circa eandem materiam ex eodem motiuo, non multiplicabuntur peccata ex eorum violatione, vt vides in ieiunio quod lege naturali temperantiæ, & Ecclesiastica prohibetetur: qua de re fusius alibi.

Consectarivm III.

Voluntas agendi contra propriam conscientiam in omnibus, est speciale peccatum.

7 Non pugnat hoc consectarium cum superiori, immò ex illo sequitur: ideircò enim negabamus agere contra propriam conscientiam esse speciale peccatum, quia est illud ipsum quo violatur præceptum per conscientiam nobis propositum: atqui hoc peccatum, volo in omnibus agere contra conscientiam, opponitur generalissimo alicui præcepto speciali, tamen & à cæteris omnibus distincto, videlicet volo in omnibus honestè viuere, & in omnibus seruare legem: ergo est speciale peccatum distinctum ab illis omnibus, quibus singula præcepta violantur, siue quibus agitur contra conscientiam singula præcepta proponentem. Confirmantur, quia sicut iste actus, volo in omnibus honestè viuere, volo in omnibus seruare legem, habet peculiarem consonantiam ad rationem; ac proinde peculiarem bonitatem, vti fusiùs ostendit Montesino *1. 2. disp. 23. q. 1.* ita contrarius actus, volo in omnibus violare legem, habebit specialem quoque malitiam, & dissonantiam à ratione recta, atqui velle in omnibus agere contra conscientiam, est velle violare in omnibus legem; quandoquidem conscientia non obligat nisi legem aliquam proponendi. Denique sapienter aduertit Vasq. *1. 2. disp. 59. cap. 3.* hanc voluntatem agendi contra propriam conscientiam in omni materia, suscipi ex aliquo speciali motiuo delectabili aut vtili, à quo suam speciem commodè deriuabit; quod autem dixit Valent. *1. 2. disp. 2. q. 14. punct. 4.* aliquid in moralibus posse esse sub certo genere, quod tamen non sit sub determinata specie; quamvis in physicis id non contingat; atque ita hoc peccatum fore quidem in genere peccati, non tamen in vlla certa specie, mihi nullomodo probatur, cum eadem ratio id æquè in moralibus atque in physicis conuincat, vt alibi dicemus.

Consectarivm IV.

Obligatio conscientiæ diuersa est.

Agere nempè contra propriam conscientiam aliquando est peccatum mortale, aliquando veniale; quod Corduba *lib. 3. q. 4. con. 6.* & cæteri omnes docent, nosque abundè diximus superiùs disputantes de obligatione iuris naturalis, docétque aperta ratio ex superioribus deducta: Conscientia enim non obligat, nisi quatenùs nobis legem significat: ergo pro diuersitate legis, quam conscientia proponit, obligatione, ipsa quoque obligabit. Quare attendenda duo erunt, primum ipsa materia, aut obligatio legis per conscientiam propositæ: secundum modus quo proponitur, quia aliquando conscientia proponit grauem esse obligationem præcepti tunc vrgentis, aliàs leuiorem esse, aliàs nullam determinat, aliàs certa est de præcepto, dubitat verò de leuitate aut grauitate obligationis, aliàs errat in ea assignanda; quæ omnia in sequentibus quæstionibus explicabuntur. 8

Qvæstio III.

An conscientia errans obliget.

Alioquin

Alioquin peccatur n. 12. 13.

§. 5. *Nisi deponatur obligatio* n. 14. 15.

Non tamen excusat à peccato n. 16.

CONSECTARIA.

Consectarium primum. Qualis sit actus ex conscientia inuincibiliter errante n. 17.

Consectarium secundum. An liceat consulere talem actum n. 18.

An saltem debeat à consulente tolli ille error n. 19. 20. 21. & 22.

Consectarium tertium. Casus singulares n. 23.

De matrimonio n. 24. 25. 26. & 27.

De Confessariis prælatorum & Principū n 28.

Consectarium quartum. An fecisse contra conscientiam sit circumstantia explicanda in confessione n. 29. 30. 31. & 32.

Consectarium quintum. Comparatur obligatio conscientiæ errantis cum obligatione legis, & præcepti n. 33.

Consectarium sextum. An detur casus perplexitatis n. 34.

Consectarium septimum. Quale debeat esse hoc dictamen conscientiæ n. 35.

§. I.

1 ERrat ea conscientia quæ præcipit faciendum esse, quod tamen reipsa omittendum est, vel prohibet agere, quod tamen faciendum esset. Non placet autem distinctius expendere quid inter errorem, titubationem, ignorantiam, & nescientiam discriminis sit, quod accuratè præstitit Azo. *in summa sua C. de iuris & facti ignorant.* Archidiaco. 12. *q.* 1. *cap. in quibus* & 38. *dist. cap. quamuis* Ioan. Andre. *in cap. ad Apostolica: extra de cleric. excommun. minist.* satis sit nos vsurpare errorem propriè pro ignorantia prauæ dispositionis, & iudicio falsò aliquid præcipiente, aut prohibente tanquam bonum vel malum, aut faciendum vel omittendum.

2 Hoc porrò iudicium practicum quod conscientiam nominamus, posse esse falsum sapienter docet S. Thom. *q.* 17. *de veritate art.* 2. eodem prorsus modo quo conclusio syllogismi speculatiui falsa est, vel quia aliqua præmissarum est falsa, vel quia etiamsi vtraque propositio sit vera, modus tamen ex illis conclusionem colligendi falsus est; atque ita ex puris negatiuis nihil vnquam concluditur, neque ex puris affirmatiuis in secunda figura; eadem ratione conclusio syllogismi practici falsa erit, cùm propositio particularis, quæ in eo subsumitur loco minoris, falsa est, vti sæpiùs contingit; cum enim ea non innotescat per se, sicut principia vniuersalia, quæ synderesis suppeditat, ex quibus conficitur maior propositio, sed sola rationis inquisitione aut fide, facilè errat intellectus in ea minori; atque deinde necessariò in conclusione, quæ vti docent Logici sequitur deteriorem partem; cùm enim eius veritas pendeat ex connexione extremorum quibus constat cum medio termino, si alterum extremum non connectitur cum medio, & idcircò falsa sit aliqua præmissa, non connectetur etiam cum altero extremo, quia quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se: & quæ sunt inconnexa cum vno tertio, sunt quoque inter se inconnexa; hæc extrema conclusionis sunt inconnexa cum medio: igitur & inter se. Sic in hoc syllogismo: quod est à Deo prohibitum faciendum non est, iuramentum est à Deo prohibitum; igitur non est faciendum, falsa est ea conclusio, cùm liceat aliquo casu iurare, quia minor est falsa vniuersaliter sumpta. Vi formæ, etiam falsa aliquando erit conclusio practica ex præmissis veris malè deducta: itaque error non oritur ex synderesi, ratione cuius conscientia dicitur naturale iudicatorium, & lex mentis, cùm ab ea tanquam à primo principio pendeat, & ad quam se habet sicut ignis ad scintillam: quod explicat S. Thom. *q.* 17 *de veritate art.* 2. *ad* 4. sicut enim scientia est id quod toti igni supernatat, parsque ipsius purissima, ita synderesis est supremum iudicium, in quod resoluitur conscientia; & sicut in igne accidit aliquis motus per accidens propter admistionem ad naturam alienam, qui motus non accidit in scintilla ratione suæ puritatis; ita & conscientiæ potest aduenire falsitas propter commixtionem cum aliquo alio, dependentiam videlicet à minore propositione falsa, aut à confirmatione & collocatione terminorum, siue modo syllogisandi & colligendi.

3 Neque obstat quod conscientia sit regula humanorum actuum, & implicet regulam non esse rectam, aut esse obliquam: id enim verum est de prima regula regulante, & non regulata; hæc enim à rectitudine deflectere potest; si nimirum illud a quo regulatur non debitè ipsi applicetur: Conscientia verò est quidem regula vltima & proxima actionis humanæ, sed regulatur à synderesi, atque à lege tum naturali tum positiua, per syllogismum, vi cuius colligitur, aut vt ita dicam, fabricatur.

4 Huius porrò gemini erroris quinque causas assignat Nider. 1. *p. consolat. cap.* 7. Prima est inquirendi & discendi negligentia. Secunda, quærendi erubescentia, etiamsi sint quos consulas. Tertia, superbiæ pertinacia, quando quis suum intellectum non humiliat, & captiuat. Quarta affectus & maleuolentia & obnubilatio, quam in rem optimè Doroth. *de conscientia apud Turrian. in notis ad cap.* 18. *Diadochi.* Lux illa mentis tanquam per lateruam facit nobis res obscuras apparere, & cum perturbata est aqua propter aggerem demersum, nemo potest faciem suam videre; sic cum anima curis mundi obruta est, non sentimus quid dicat conscientia, & Cardinal. Vignerius *in decachordo, chorda* 7. *cap.* 112. Exponens cur Pilatus, vbi rogauit Christum, quid esset veritas, non expectarit responsum, ad monitum & nuntium vxoris aliò digressus ait mentem, quæ pro tribunali sedet non agnituram veritatem, nisi vxoris carnis illecebris & monitis aures occludat, quam vxoris acceptionem symbolicam fortè hauserat Vigner. *art.* 6. Hieron. *in cap.* 2. *Malach. ad illa verba. Custodite spiritum vestrum & vxorem adolescentiæ vestræ:* vbi per vxorem intelligit legem naturalem; per spiritum partem rationalem animæ. Quinta causa est grauium vitiorum fœtulentia, aliquas ex his causabis aliis additis (facit enim octo) fusissimè explicat Ioan. à Capistrano *in speculo à n.* 138. *ad* 303. Antonin. 1. *part. tit.* 3. *cap.* 10. §. 3. ad 7. causas reducit, quem consule. Et Riginald. *lib.* 13. *n.* 76. Nobis hoc loco obseruandum est hunc conscientiæ errorem aliquando inuincibilem & inculpabilem esse, quia adhibitâ morali & sufficienti diligentiâ nunquam potuit nobis veritas innotescere. Alius est vincibilis & culpabilis, qui adhibitâ diligentiâ, quam tenebamur & poteramus adhibere, dispelli potuit; cuique proinde nos nostrâ culpâ locum dedimus, cuiusmodi est qui ex causis ab Antonin. Capistrano & Nider. recensitis nascitur. Prætereà ad errorem siue ignorantiam culpabilem debet aliqua dubitatio, vel

scrupulus

ſcrupulus, vel cogitatio cõtrarij pulſaſſe animum v. g. vt conſcientia dicatur errare culpabiliter circa legem aut obligationem quam falsò proponit, debet aliquod dubium aut cogitationem habuiſſe; quia tunc ſcire debuit & potuit, an ea lex eſſet & obligatio: error enim qui non eſt voluntarius nullo modo culpabilis eſt; atqui ſi nulla de legis obligatione fuit cogitatio, error circa illam non fuit voluntarius. Neque dicas eiuſmodi errorem eſſe ſaltem interpretatiuè voluntarium, quia debuit animus illius contrariũ ſcire: Nam falſum eſt teneri nos ſcire quod nullo modo ſcire potuimus, cùm non obligemur ad impoſſibilia: atqui id cuius nulla vnquam incidit cogitatio, nullâ ratione ſciri poteſt. neque illius ignorantia vllâ humanâ deliberatione & induſtriâ ſiue diligentiâ expelli: quandoquidem non poſſumus de ea ſcientia comparanda deliberare; omnis enim deliberatio vltimò reſoluitur in primam aliquam cogitationem, quæ non eſt in noſtra poteſtate; alioquin daretur proceſſus in infinitũ: ſi ergo nulla de præcepto, aut obligatione incidit prima cogitatio, à qua ducatur deliberationis principium, non poſſumus deliberare de legis ſcientia comparanda, aut de præcepto ſeruando; ſuperat enim omnem humanam diligentiam id ſcire, cuius nulla cogitatio incidit: quod verum eſſe exiſtimo non ſolùm de legibus generalibus, ſed de iis etiam, quæ ad ſingulorum officia, & munera pertinent; quamvis enim eas quiſque ſcire debeat, ſi tamen nulla de lege cogitatio incidat, ignorantia eſt inuincibilis, neque peccat, quamuis iure merito puniatur; quia qui debet ex officio aliquid facere, & leges muneris ſibi demandati cognoſcere, ſemper præſumitur contra ſuum officium liberè & ſaltem ex negligentia feciſſe. Et ſanè difficile eſt leges ſui officij ex ignorantia inculpabili violare, ſemper enim cogitatio quædam aut ratio dubitandi occurrit: his obſeruatis ſit.

§. I.

Prima propoſitio.

Numquam licet operari contra conſcientiam ſiue vincibiliter, ſiue inuincibiliter errantem.

Expoſitio & confirmatio propoſitionis.

4 Hanc aſſertionem Catholicam eſſe dixit Sanch. *lib.* 1. *in Decal. c.* 11. *n.* 12. cum Adrian. *quodl.* 4. *art.* 2. Corduba *lib.* 3. *q.* 4. Vaſq. 1. 2. *diſp.* 59. *c.* 2. *n.* 6. temerariam verò & periculoſam licet non hæreticam vocant alij apud Salam. 1. 2. *tr.* 8. *diſp. vnica, ſect.* 3. *n.* 16. Sanè S. Th. qui illam retulerat *q.* 19. *art.* 5. ex Gloſſa 28. *q.* 1. *c. omnẽ*, dixit irrationalem, quamvis illi adhæſiſſe videatur Pariſi. *tr. de vitiis & virtutib.* Probatur primò ex Paul. *ad Rom.* 14. *Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt*: vbi non fidem diuinam, ſed conſcientiam intelligunt, Origen. Anſelm. Ambroſ. Chryſ. Theophil. Theod. Oecumen. Et S. Th. *in comment.* atque Innoc. II. *c. vlt. de præſcriptionibus*: & *c. litteras de reſtitutione ſpoliato*, aliique omnes vno excepto Auguſt. *lib.* 4. *contra Iulian. cap.* 3. & 4. ibi enim diſputat Paulus de cibis vetitis & Idolothytis. *Beatus* inquit *qui non iudicat ſemetipſum in eo quod, probat*, id eſt qui non condemnat ſe ipſum in eo quod ſtatuit agendum eſſe; qui autem diſcernit ſi manducauerit, damnatus eſt, quia non ex fide, qui adhuc cibos diſcernit, & quoſdam iudicat eſſe vetitos, ſi illos comederit quos iudicat eſſe vetitos, etiamſi reuerà vetiti non ſint, damnationi ſe reddit obnoxium; quia edit non ex fide, hoc eſt non ex perſuaſione, quod liciti ſint; *Omne* autem *quod non eſt ex fide, peccatum eſt*, quidquid aliquis agat non ex fide aut perſuaſione quod licitum ſit, peccat, quia agit contra conſcientiam. Fidem porrò appellat conſcientiam Paul. quia vt obſeruat Couarru. *lib.* 1. *varia cap.* 1. *n.* 1. ſicut fides eſt iudicium quo aliquid credimus, ita conſcientia eſt iudicium de agibilibus ſingularibus, atqueadeò credulitas quædam. Confirmatur ex *cap.* 5. *ad Galat. Teſtificor omni homini circumcidenti ſe, quod debitor ſit vniuerſæ legis faciendæ.* Agit verò Paul. de fidelibus, qui per conſcientiam erroneam exiſtimabant ſe ad circumciſionem, etiam poſt ſuſceptum Euangelium, obligari: quos Paulus aſſerit ex eadem errónea conſcientia ad vniuerſam Moſis legem faciendam obligari: quæ conſcientia culpabilis erat; nam peccabant ſeruando legem; addit enim, *Euacuati eſtis à Chriſto, qui in lege iuſtificamini, & gratiâ excidiſtis: τῆς χάριτος ἐξεπέσατε,* 1. *ad Cor.* 8. oſtendit, aliquos licitè manducaſſe Idolothyta, quia ſciebant Idolum nihil eſſe, ideóque Idolothyta nullo diſcrimine aliorum ciborum, non ad vllam reuerentiam Idolo exhibendam comedebant. Alios verò quia putabant Idolum aliquod diuinum eſſe, & in eius cultum comedebant eos cibos, peccaſſe; ita enim interpretatur S. Thom. verba Pauli: Quidam autem cum conſcientia vſque nunc Idoli quaſi Idolothytum manducant, & conſcientia ipſorum cum ſit infirma, polluitur: Hinc denique vulgatum illud. Qui agit contra conſcientiam, ædificat ad gehennam, quod de conſcientia etiam errante accipi in iure, & ab expoſitoribus latiſſimè videbis apud Capiſtran. *in ſpeculo à n.* 60.

5 Ratio verò à priori traditur à S. Thom. 1. 2. *q.* 19. *art.* 5. Velle malum aut non velle, vel non facere bonum præceptum, eſt peccatum; atqui agens contra conſcientiam errantem vult malum, aut non vult bonum, vel non facit præceptum; ergo peccat. Maior eſt euidens, obiectum enim deriuat ſuam malitiam in actum. Neque vlla circumſtantia reddete poteſt bonum voluntatis actum verſantis circa obiectum malum, niſi malitiam tollat ab obiecto; quod idem dicendum eſt de nolitione boni præcepti, quamdiu præceptum manet, & circumſtantia non tollit obligationem præcepti. Minor verò æque certa eſt: nam obiectum voluntatis eſt illud, quod proponitur à conſcientia errante, nempè malum aut bonum præceptum: quare ſi malum ſibi propoſitum velit, aut bonum præceptum auerſetur, contra quam faciendum eſſe dictet conſcientia, reuerà peccat volendo malum, & omittendo bonum tunc imperatum: conſtat enim ex vniuerſalibus principiis, obiectum voluntatis eſſe bonum, aut malum cognitum; quamvis enim cognitio ſit tantùm conditio ſine qua non, illa tamen ſe tenet ex parte ipſius obiecti, quod proinde non ſpecificat actum voluntatis, niſi vt cognitum. Deinde, vt diximus aliàs in phyſicis, reuerà tunc voluntas in reale malum, aut bonum ſibi oſtenſum ab intellectu fertur, quamvis intellectus erret in eo applicando, & dictet eſſe in ſubiecto, in quo non eſt. Itaque in illud omninò bonum aut malum ſibi oſtenſum fertur voluntas, quod verò erret aut non erret intellectus tale obiectum repræſentans, non mutat actionem voluntatis, quæ eodem modo fertur in obiectum ſibi propoſitum, atque ſi in eo non erraret intellectus; nam ſi illud malum verè proponeretur, illud proſequeretur voluntas, & bonum præceptum auerſaretur; atque id modò facit; neque enim attendit ad errorem, aut veritatem cognitionis proponentis, ſed in obiectum ſibi propoſitum, ſiue in obiectum ſibi præſens pèr cognitionem redditum, tendit per volitionem aut nolitionem pro ſuo arbitrio & libertate. Accedit quod ratio practica ita eſt proxima regula voluntatis, vt nulla lex naturalis aut poſitiua ſiue di-

uina ſiue humana obliget, niſi quatenùs hîc & nunc per rationem intimatur; ergo ſi contra conſcientiam intimantem legem, agatur, peccatur contra ipſam legem, quamvis falsò intimata ſit.

6 Neque obiicias, eum cui conſcientia dictaret non eſſe diligendum Deum, ſed potiùs odio habendum, obligatum iri ad eiuſmodi odium, aut ad carentiam illius dilectionis, ne contra conſcientiam faceret, atque adeò ne peccaret. *Reſp.* enim hanc conſcientiam non poſſe eſſe niſi culpabiliter erroneam, quæ vt ſtatim dicam non excuſabit à peccato: quare ille odio habendo Deum, aut illum non diligens vrgente præcepto dilectionis peccabit. Secundò ſi per impoſſibile iſta conſcientia erronea eſſet inuincibilis, non poſſet agere contra propriam conſcientiam diligendo Deum, quia qui diligit Deum ſuper omnia, illum omnibus præfert; qui autem agit contra propriam conſcientiam, aliquid præfert Deo. Ideóque iſta ſuppoſitio vel ſeipſam deſtruit; vel dilectio Dei erit omittenda, ne ipſamet violetur agendo contra propriam conſcientiam, ſed in hoc caſu plura Baldellus *lib. 4. diſp. 3. n. 8.*

§. III.

Secunda propoſitio.

Obſequendum eſt conſcientiæ inuincibiliter erranti, & faciendum eſt quod illa præcipit, alioquin peccatur.

Expoſitio, & confirmatio propoſitionis.

7 Hanc propoſitionem eodem quo ſuperiorem vnanimi conſenſu tradunt Theologi cum S. Thom. *1. 2. q. 19. art. 6.* qui ibi refert quædam exiſtimaſſe; conſcientiam quidem præcipientem vt bona, aut prohibentem vt mala, quæ indifferentia ſunt obligare, vt ei conformemur; prohibentem autem quæ intrinſecè bona ſunt, aut præcipientem eſſentialiter mala non eſſe ſequendam. Durand. verò in *2. d. 39. q. 5.* conſcientiam hanc ligare ait, quia contra eam nunquam licet operari, non obligare tamen, quia non cogimur eam ſequi dum errat; ſicut neque quis obedire præconi, qui falſam legem aut mandatū Principis promulgat: alioquin cogeremur malum operari, mentiri, v.g. fornicari, aliaque etiam intrinſecè, & eſſentialiter mala, quæ diſtinctio quoque placuit pluribus aliis.

8 Tenenda nihilominus eſt noſtra propoſitio, quæ etiam communior eſt, quamque fuſiùs confirmat Anton. Peres *certam. 1. Sculpt. dub. 1.* Mont. *diſp. 29. q. 3.* Lorca *diſp. 37.* Ferd. à Caſtro-palao *tr. 1. diſp. 1. punc. 2.* Tann. *tom. 2. diſp. 2. q. 4. dub. 2. n. 22.* Hurt. *diſp. de conſc.* Ouiedo *12. tr. 3. contr. 2. ſ. p. 1. n. 3.* Granad. *tr. 12. diſp. 7. ſect. 3.* Arriaga *1. 2. diſp. 22. n. 16.* & colligitur neceſſariò ex hactenùs diſputatis: cùm enim voluntas ſit cæca, & non moueatur ab obiecto niſi apprehēſo, tenetur operari ſecundum ſuam cognitionem, alioquin violat legem naturalem, quæ dictat faciendum eſſe bonum præceptum, & vitandum malum quod proponitur. Itaque radix huius obligationis ſequendi conſcientiam errantem inuincibiliter, non eſt error conſcientiæ, ſed primò ſynderesis, vt exiſtimat Valent. *1. 2. diſp. 2. q. 14. p. 1.* dictans vitandum eſſe quod quis malum eſſe iudicat, aut faciendum quod præceptum ſibi eſſe cognoſcit. Secundò ex Gordon. *lib. 1. q. 9. n. 19.* & aliis, eſt illa ipſa virtus, quæ ſeruanda per conſcientiam hîc & nunc proponitur. v.g. obligatio miſericordiæ, dum conſcientia dictat fas eſſe mentiri ad ſeruandam innocentis vitam, quæ hoc momento ſeruanda eſt: itaque conſcientia errans non per ſe obligat, ſed eſt tantùm conditio, quâ exiſtente tenetur homo vitare id, quod alioquin lege naturæ vitare non teneretur, aut facere quod alioquin licitè præſtare non poſſet; ita vt ſapienter dixerit Ambroſ. *lib. de paradiſo c. 8.* vti ſuperiùs retulimus *opinio noſtra nobis facit legem.* Itaque obligatio iſta non per ſe tendit ad aliquid intrinſecè malum, quia nihil tale eſt formaliter comparatum cum voluntate ex ignorantia inuincibili operantis, ſed cum voluntate ſcienter & liberè circa obiectum malum operante, id eſt obiectum quamvis intrinſecè malum, nequit ſuam malitiam deriuare in actum elicitum à voluntate ſine ipſius malitiæ aliqua cognitione; quâ cognitione poſitâ, aut eius ignorantiâ culpabili, non poterit ea malitia ab obiecto eſſentialiter malo non communicari actui voluntatis. Quare licet actiones quædam ſint intrinſecè malæ, poteſt tamen aliquis ad illas ex conſcientia inuincibiliter errante obligari, eaſque ſine peccato præſtare, neque vlla ea in re inuoluitur contradictio, eritque tunc actio tantùm materialiter mala: ſic accedit ad non ſuam licitè, qui inuincibiliter exiſtimat eſſe ſuam, eò quòd impedimentum dirimens quod interceſſit, ignoret; neque peccat qui ſimili errore exiſtimat peccatum aliquod internū non eſſe malum, aut quodam caſu mendacium eſſe licitum.

Ligat itaque immò & obligat conſcientia erronea inuincibilis; hæc enim verba vti obſeruauit S. Thom. *q. 17. de veritate art. 3.* à rebus corporeis tranſlata ſunt: ea enim ligari dicuntur, quæ per actionem agentis extrinſeci, coguntur aliquo loco conſiſtere, neque permittuntur aliò pro ſuo appetitu, aut inclinatione diſcedere: ſimili ratione voluntas cui imperio & lege alicuius ſuperioris imponitur neceſſitas quidpiam præſtandi, aut omittendi, niſi culpam aut pœnam incurrere velit, ligari dicitur; vt igitur in corporalibus hæc ligatio non fit, niſi per contactum aliquem quoque agentis extrinſeci, & ligantis actio perueniat ad corpus ligatum, & per vim detentum: ita hæc metaphorica ligatio per imperium & legem nunquam contingit, niſi lex & imperium applicetur voluntati; quod fit per conſcientiam, quæ eſt applicatio legis, & quidam veluti contactus ad ligandam voluntatem: & denique ſicut in corporalibus ipſa virtus agentis propriè ligat mediante tamen contactu; vnde & contactus ipſe ligare dicitur, ita in hac ligatione metaphorica voluntatis lex ipſa propriè primò & per ſe ligat, mediante tamen conſcientia, quæ eſt eius applicatio, intimatio & veluti contactus; ideóque & ipſa etiam conſcientia ligare verè dicitur, vi præcepti nimirùm quod edicit: quia verò aliquando conſcientia præceptum verè applicat, aliàs falsò, ideò aliquando ſimpliciter ligat, aliàs tantùm ſecundum quid & per accidens, vt ait idem S. D. *q. 17. citata, art. 4.* & *in 2. diſt. 39. q. 3. art. 3.* vera quidem conſcientia ligat ſimpliciter, quia ligat abſolutè & in omnem euentum, cum ſine graui errore, quantum in ſe eſt violari nequeat. Deinde ligat ratione ſui, non autem quia illi quidpiam aliud accidit; conſcientia autem errans non ligat in omnem euentum, cùm debeat deponi ſi poſſit, & quando deponetur, abſq; errore & peccato deponeretur. Deinde non ligat niſi ratione veræ conſcientiæ: talis enim habetur per falſam exiſtimationem intellectus. Quare tunc conſcientia vera ſed exiſtimata tantum, ligat potiùs quàm error, qui eſt tantum conditio quædam, & ideò fortaſſis dixerit aliquis cum Durando conſcientiā erroneā ligare potiùs quàm obligare, eò quòd obligare ſit ſimpliciter & abſolutè, ac ratione ſui ligare, quod non facit iſta conſcientia, ſed tunc litigabimus de vocibus, & alia profectò Durandi mens eſt, voluit enim non obligare conſcientiā errantē, quia licet non poſſimus contra illā agere, ipſam tamē ſequi non tenemur. 9

§. IV.

§. IV.

Tertia propositio.

10 Coofcientia culpabiliter ettans deponi debet, & nisi deponatur, obligat ad faciendum quod præscribit, non tamen excusat a peccato.

Expositio & confirmatio propositionis.

11 Singulæ huius propositionis partes facilè probari possunt; & primò quidem deponendam esse conscientiam vincibiliter ertantem nemo dubitat, cum ex ea simus in periculo errandi, & omnis ignorantia culpabilis abiicienda sit. Deponere verò hanc conscientiã est mutare iudicium quod habebamus falsò; aut illud pet adhibitam sufficientem diligentiam reddere inuincibile, aut saltem illud non applicare ad opus, siue ex eo iudicio non operari, sed ex alio quopiam tunc præsenti, quamvis istud nequeat omninò abiicere, hæc verò depositio iusta & oon temeraria esse debet, sed ex efficaci aliqua ratione, quæ persuadeat ptiorem opinionem erroneam fuisse, & mutandam esse, nisi fortè gratis suscepta fuisset, & temerè; tunc enim eodem modo ad libitum deponi posset, ita multis relatis Sanch. *lib. 1 in decalog. cap.* 11. *n.* 10. qui idcircò sapienter reijcit Caiet. 1. 2. *q.* 19. *art.* 6. *sub fin.* Mediu. *ibid.* Valent. *disp.* 2. *citata q.* 14. *punct.* 4. *q.* 3. Sayr. *in claui lib.* 1. *c* 4. *n.* 18. qui omnes dicunt ad libitum deponi hanc conscientiam per non applicationem principij vniuersalis ad opus: v.g. muliet audiuit à Concionatore nefas esse vti capillis alienis, idque sibi ita esse persuasit; deinde tamen incitante appetitu vani ornatus existimat sibi licitum esse eiusmodi vti capillamentò, non peccabit contra conscientiam, quia illa est iudicium practicum & non speculatiuum, ac circa vniuersalia tantùm, ita etiam censet Reginald. *lib.* 13. *n.* 75. nego tamen fieri posse vt illa mulier persuasa sit vsum capillamenti ascititij esse malum, & tamen simul sibi illum existimet esse licitum, absque vlla alia ratione; aut si ita existimat, temeraria est, & conscientiam temerariò deponit, atque illo capilli ascititij vsu peccat, vt pluribus docet Vasq. 1. 2. *disp.* 67. *c.* 1. & Sanch. citatus alioquin eodem modo licetet deponete conscientiam vetam: si verò mulier illa non fuit persuasa, quãvis non posset concionatoris rationes diluere, id retulit non in earum veritatem, sed in ingenij sui tenuitatem, aut aliquod aliud motiuum dubitandi habuit: vnde sibi licitum esse hoc vti capillamento iudicauit, nulla erit difficultas; neque aliod voluisse videtur Sayr. *n. illo* 18. displicet enim quod Vasq. exigat potentiorem efficacioremve rationem ad deponendam conscientiam, quàm fuerit ea, ob qoam illam suscepimus: qoia minus efficaa sufficiet ad assensum probabilem vnius partis, quamvis assensos alterius probabilior maneat; vtrum autem id satis sit ad rectam operationem, dicam *quæst. sequenti.*

12 Moneo dumtaxat in præsentiarum cum Sanch. *cap. citato n.* 11. eam temerariam erroneæ conscientiæ depositionem, aut non applicationem item temerariam principij vniuersalis ad operationem, facere actionem eiusdem malitiæ quoad speciem & grauitatem, cuius fuisset operatio contra conscientiam erroneam perseuerantem, & non depositam facta, quia exponit se periculo violandi præceptum, quod falsò violari dictat conscientia erronea, cum illam sine causa & temerariò, atqueadeò cum periculo deponendi vetam, atque ita verè violandi tale præceptum abiiciat.

§. V.

Secunda pars propositionis.

Secunda pars nostræ propositionis, nimirùm conscientiam errantem vincibiliter, obligare quamdiu non deponitur. Reiicitur à Durando, Antonio Peres *certam.* 10. *cit. n.* 137. Valentia aliisque adductis à Sala. *n.* 24. *disp. vnic. tract.* 8. & à plerisque recentioribus; docetur tamen à Montesino 12. *disp.* 29. *n.* 48. Sala. *n.* 24. *cit.* Gordon. *lib.* 1. *q.* 9. *n.* 20. Tann. *disp.* 2. *cit. q.* 4. *dub.* 2. *n.* 22. Ouiedo *tract.* 5. *cont.* 2. *n.* 8. *&* 9. Arriaga *disp.* 21. *citata n.* 16. *& seq.* atque aliis. Et probatur primò quidem hanc conscientiam obligare; & oon ligare tantùm, cùm ptiore verbo semper fuerit vsus S. Thom. *art.* 5. *citato*: & cum Durand. fateatut peccatum esse agere contra hanc conscientiam vincibiliter errantem, illa reuerà obligabit, ne ab ea dissentiamus; quæ consequentia manifesta videtur. Cùm enim non possit oppositum eius quod ipsa dictat præstari absque peccato, reuerà obligat, alioquin id qood prohibet, fieti posset sine peccato; neque enim magis proptia obligatio fingi potest. Denique hæc conscientia errans proponit nobis præceptum, & prohibitionem superioris, quamvis falsò; ergò obligat: præceptum enim superioris non aliter obligat, qoàm qoia nobis proponitur & applicatur per propriam conscientiam, tamqoam per propriam & immediatã regulam, & conscientia non aliter obligat, nisi quia est talis propositio & applicatio præcepti: ergo vbicumque erit eiusmodi propositio actualis, erit obligatio imposita à tali præcepto mediante tali propositione, aut à propositione & conscientia virtute talis præcepti. 13

Secundò hanc conscientiam errantem qoamdiu durat & non deponitur, obligare ad faciendum illud ipsum quod præcipit, est contra Vasq. 1. 2. *disp.* 60. *c.* 1. Valent. aliosque ab iis relatos, & communem recentiorum sensum, qui fatentur quidem obligare hanc conscientiam vincibiliter errantem, verum non ad faciendom secundom ipsam, quando illud quod iubet est malum; sed ad ipsam deponendam, quaodo tamen id quod iubet vt bonum, aut prohibet vt malum, est ea natura sua indifferens, obligat disiunctim vt vel ipsam deponamus, vel eam sequamur: quia tunc ipsam sequendo non peccamus, sicut quando imperat vt bonum quod reuerà malum est, tunc enim obligaremor ad faciendum malum & peccandum; secus quàm contingat in conscientia inuincibili, cui consentiendo non peccamus, vt diximus: absurdum porrò est aliquem ad peccandum obligari. Probatur tamen nostra propositio primò *ex cap.* 5. *ad Galat. Testificor omni homini circumcidenti se, quod debitor est vniuersæ legis facienda*, quæ verba superiùs interpretati sumus cum S. Th. *lect.* 1. de omni eo, qoi existimat propter conscientiam erroneam, necessariam esse circumcisionem; illi enim debitores fiebant vniuersæ legis, quia ita existimabant ex sua conscientia erronea siue vincibili, siue inuincibili. Neque enim distinguit Paulus; sed testificatur omni homini circumcidenti se, inter quos quis neget plurimos vincibiliter errasse: Neque tantùm obligationem qoamdam negatiuam non faciendi contra talem conscientiam erroneam seruandæ legis Mosaïcæ, sed positiuam faciendi quod ipsa existimat; iudicat Paul. cùm ait eiusmodi hominem debitorem esse vniuersæ legis faciendæ, quibus verbis expressit positiuam obseruationem legis Mosaïcæ, vt patet. Quare dixit S. Thom. *lect. cit.* quod quamvis non poterat iste talis seruare legem nisi peccando, illum nihilominùs teneri ad seruandam 14

illam vt operetur secundum propriam existimationem & conscientiam, additque hanc conscientiam non excusare à peccato: atque S. D. in hac sententia perstitisse patet *ex* 1. 2. *q.* 19. *art.* 5. *ad* 2. ait enim habentem hanc conscientiam per accidens obligati ad malum, quod falsum foret, si non obligaretur agere secundum eam conscientiam, & *art.* 6. *ad* 2. fatetur aliquem supposito quod habeat conscientiam erroneam perplexum esse posse, id autem falsum esset: Nam si iste non tenetur agere secundum conscientiam erroneam, sed illam solùm deponere, reuerà perplexus non est, non enim tenetur ad malum aut ad peccandum. Quare qui eo casu admittunt cum Vasq. eiusmodi perplexitatem, & tamen in eo negant obligationem agendi secundum conscientiam vincibiliter errantem, non loquuntur satis consequenter. His accedit efficacissima ratio ex eo, quod si hæc conscientia obliget ne agamus contra illam, obligat quoque vt agamus secundum ipsam. Nemo enim non potest non agere contra illam, si non agat secundum ipsam. Qui v.g. existimat mentiendū esse ad seruandam vitam propriam vel proximi, tenetur non agere contra istam existimationem & conscientiam; ergo tenetur omittere mendacium quod præcipit, atqui nequit non omittere mendacium nisi mentiatur, quod est agere secundum suam conscientiam illam: Quare manifestum est, vt non agatur contra conscientiam erroneam aliquid præcipientem hîc & nunc faciendum, necessariò faciendum esse secundum illam, siue præstandum esse quod imperat; alioqnin violatur eiusmodi conscientia & contra ipsam fit. Omnia enim præcepta affirmatiua violantur per omissionem & non faciendo quod præcipiunt. Quod verò attinet ad præcepta negatiua, quæ prohibent aliquem actum, non possunt ea violari, nisi per actum positiuum prohibitum: vt igitur conscientia errans aliquid prohibens tanquam malum non violetur, siue vt nihil fiat contra ipsam, debet omitti, siue non debet poni actus prohibitus: atqui per eam omissionem actus prohibiti seruatur conscientia quipiam prohibens, & agitur secundum illam: vides igitur nunquam nos posse implere obligationem non faciendi contra conscientiam, nisi faciendo secundum illam. Neque commode Vasq. alijque responderunt posse deponi hanc conscientiam vtpote vincibilem; nam agimus de conscientia actu durante; vbi enim illa deposita fuit, nihil ampliùs obligat, neque vt agamus secundum ipsam, aut non agamus contra ipsam, vti ampliùs dicemus inferiùs, & quæstio tantùm est de perseuerante erronea conscientia, quam S. Paul. *ad Galat.* 5. dixit obligaro ad seruandam legem: deinde sapienter distinxit Lorca 1. 2. *disp.* 37. obligationem deponendi conscientiam erroneam quam vltrò fatemur, ab obligatione ipsiusmet conscientiæ erroneæ, siue quam imponit conscientia erronea, de qua modo quærimus: Negamusque conscientiam erroneam obligare ad se deponendam: non enim reuerà dictat, vt deponatur, illud enim dictamen esset distinctum ab hac conscientia, vt patet ex diuersitate obiectorum; & deinde, quia eiusmodi dictamen, deponendam esse conscientiam erroneam, est verum, & non erroneum, habetque pro obiecto ipsammet conscientiam erroneam; obligatio itaque deponendi conscientiam errantem aliunde oritur, quàm ab illa conscientia, nimirùm à lege naturali dictante vitandum esse periculum peccandi, cui se exponit qui eiusmodi conscientiam seruat, quidquid enim faciat siue ipsi obsequatur siue repugnet, peccabit vt patet ex sequenti parte propositionis.

Tertia pars propositionis.

Tertia igitur pars propositionis, nimirùm conscientiam errantem vincibiliter non excusare à peccato, 15
sed potiùs esse causam peccati, manifestissima est; cùm enim sit culpabilis & voluntaria, non est vnde excuset à peccato quod causat, quod fusius ostendemus alibi, vbi de ignorantia fusiùs disputabimus.

Ad id verò quod obiiciebatur, non posse nos obligari ad peccandum. Resp. cum S. Thom. 1. 2. *q.* 19. *art.* 5. *ad* 2. & *in* 2. *dist.* 39. *q.* 3. *art.* 3. *ad* 1. hanc obligationem esse tantum per accidens ratione conscientiæ erroneæ, quod ostendit ex Aristotele, qui *Ethicor. c.* 9. & *lib.* 7. *cap.* 2. ait, illum non tantùm esse incontinentem, qui facit actus reipsa impudicos, sed eum etiam qui facit quos tales esse existimat, etiamsi reuerà non sint; simili enim ratione poterit aliquis obligari ad malum quod existimat esse bonum, quamvis quia culpabiliter ita existimat, non eximatur à culpa. Et præterea quia vt ait Vasq. *disp.* 60. *citata cap.* 3. & Corduba *lib.* 3. *q.* 4. *dubio* 3. quoties error est vincibilis circa materiam alicuius obiecti, est aliqua cogitatio aut dubitatio de illa malitia in intellectu, ratione cuius tenebatur intellectus ampliùs de illa inquirere; quod si omittat, iam error voluntarius redditur, atque etiam ex eo errore peccatum consequens.

Consectaria ex dictis.

Consectarium I.

An actus conformis conscientiæ inuincibiliter erranti, honestus & meritorius sit, & cuius virtutis, & an de illo gaudere errore cognito liceat?

Ex disputatis colliges primò, actum conformem 16
conscientiæ inuincibiliter erranti honestum esse, atque adeò meritorium, si cætera ad meritum necessaria adsint, in eademque virtutis specie in qua foret, si reipsa eiusmodi conscientia vera foret; si v.g. furaris, aut mentiris ad subueniendum proximo ex conscientia inculpabili, furtum illud & mendacium non tantùm carent omni formali malitiâ, sed etiam habent bonitatem misericordiæ, quam accipiunt à fine in quem referuntur: certum enim est bonitatem intentionis ac finis deriuari in electionem aut media, quando in illis nulla reperitur malitia quæ impediat. Ita Azor. 1. *p. lib.* 2. *cap.* 8. *q. vlt.* Sanch. *lib.* 1. *in decalog cap.* 11. *num.* 17. Salas. 1. 2. *tract.* 8. *disp. vn. num.* 10. Gordon. *cap. cit. n.* 19. Ferdinand. *tract.* 1. *disp.* 1. *p.* 2. *n.* 6. Vasq. 1. 2. *disp.* 60. *n.* 9. & 10. Reginald. *lib.* 13. *cap.* 8. *num.* 71. & 72. Baldell. *lib.* 6. *disp.* 6. Corduba *lib.* 3. *quæst.* 4. Ouiedo 1a. *tract.* 5. *contr.* 2. *punct.* 1. *n.* 5. aliique, quorum plerique non satis efficaciter probant ex eo, quod hic actus sit conformis suæ regulæ; deberent enim priùs docere conscientiam falsam inuincibiliter, esse veram & rectam regulam, quod nos præstitimus agentes de rectitudine prudentiæ, etiamsi in syllogismo prudentiali contingat aliquando falsitas speculatiua in minori propositione, quia illa non impedit veritatem practicam, quam attendit prudentia; nam tunc voluntas agit propter veram & formalem rationem virtutis sibi repræsentatam, sed falsò, applicatam, aut per medium quod tanquam idoneum falsò repræsentatur: intendit, verbi gratiâ, bonitatem misericordiæ & charitatis in seruanda vita proximi, quæ honestas illi repræsentatur, illam tamen intendit per

medium

medium ineptum videlicet furtum aut mendacium; quod tamen tanquam idoneum & licitum repræsentat intellectus, qui in eo quidem errat; sed ille error ita speculatiuus est, & inculpabilis, vt non inficiat aut intentionem honesti finis, aut electionem medij, quæ tantùm materialiter, & non formaliter mala est.

Ex quibus omnibus sequitur, quod monebam in Consectario, eiusmodi actum fieri posse meritorium; quod affirmant Salas aliique, quia nihil omninò est; quod positâ honestate actus, eius laudabilitas & meritum impediatur, sicut aliorum honestorum actuum.

An verò liceat deinde de actu ex inuincibili conscientia facto gaudere, quandoquidem ex accidente tantùm, vt alibi dicam, bonus est, optimè distinguit Reginald. *lib. citat. n.* 72. & Baldell. *disp. 6. n. 8.* eum actum secundum se sumptum, & præscindendo ab errore conscientiæ non esse gaudij materiam, quia sic malus est, possumus tamen gaudere quod eiusmodi actus factus fuerit sine malitia ex errore inculpabili conscientiæ.

Consectarium II.

An consulere liceat actum ex conscientia erronea inculpabiliter faciendum.

17 Ratio difficultatis nascitur ex nostra doctrina; cùm enim eiusmodi actus sit honestus, immò & aliquando meritorius, cur illum non modò permittere, sed etiam consulere licebit; aliundè verò cum iste consultor sciat eiusmodi actum esse malum, reuerà malum consulit, ac proinde peccat, neque enim conscientia erronea, quæ excusat operantem, excusabit consulentem qui ea non laborat.

18 Resp. ob hanc postremam rationem non esse licitum eiusmodi consilium de re intrinsecè mala, & ex conscientia erronea dumtaxat non mala, quia ignorantia quæ excusat errantem inuincibiliter, non excusat Consiliarium, qui eiusmodi malitiam nouit. Ita Fillinc. *tract. 21. n.* 123. Reginald. *lib. 13. n.* 72. Baldell. *lib. 4. disp. 4. n. 5. & disp. 6. n. 8.* Sanch. *lib. 2. de Matrim. disp.* 38.

19 Poterit tamen quoties ex sua monitione, graue aliquod damnum & scandalum præuidebit, dissimulare eiusmodi errorem inuincibilem, & in bona fide alium relinquere, quod de Confessario tradunt Adrian. *q. 5. de confessione dub. 7. in 4.* Nauarr. *cap. si quis autem de pœnitentia dist. 7. & cap. 22. Enchirid. n.* 83. & qui alios dabit, remque totam fusissimè explicat circa impedimentum dirimens matrimonium, quod inuincibiliter ignorat pœnitens, nouit verò Confessarius, Sanch. *lib. 2. disp.* 38. de aliis etiam casibus Layman. *lib. 5. tract. 6. cap. 13. q. 4. n. 5.* Suar. *tom. 4. in 3. part. disp. 32. sect. 4.* de Lugo *de pœnit. disp. 21. sect. 2. n.* 25. qui omnes aliique passim docent, Confessarium, quoties aduertit ignorantiam inuincibilem, siue sit facti, siue iuris diuini aut humani, non posse tolli à pœnitente, sine nouo ipsius peccato, aut grauibus damnis aliorum, aut scandalo, debere eiusmodi ignorantiam & errorem dissimulare atque permittere; quia cum nullum sit peccatum ex eo facto pœnitentis, tenetur omnia illa damna quæ vel ipsi pœnitenti, vel aliis euenient, vitare, quandoquidem id potest absque peccato pœnitentis, cuius animæ consulit, propter inculpabilem errorem. Itaque poterit non monere de nullitate sui matrimonij, quia aut ille nihilominùs in eo perseuerabit, neque remedium adhibebit; vel quia non potest, cum impedimentum sit indispensabile, aut quia nolet, aut in eo adhibendo est aliquod scandalum vel infamia, vel quia saltem est graue periculum incontinentiæ. Intereà dum procurabitur remedium, verbi gratia dispensatio; propter quam vltimam causam rarò contingit, vt Confessarius teneatur monere pœnitentem eiusmodi impedimentum inculpabiliter ignorantem; quod non modò circa matrimonium contractum, sed etiam contrahendum verum existimat Sanch. & de Lugo, qui etiam sapienter aduertunt, aliud longè esse, quod pœnitens fateatur se aliquod peccatum in coniugio contrahendo commisisse; aliud quod existimet, aut suspicetur suum matrimonium esse nullum; potest enim conscius esse peccati commissi cum certa persuasione validitatis matrimonij, quamvis erronea; tunc autem Confessarius debet pœnitentem ab eo peccato absoluere, non tamen matrimonij nullitatem aperire, propter damna grauia, quæ ex ea manifestatione iure timet: neque satis est si pœnitens auditurus sit monentem Confessarium, atque facturus quidquid imperabit Confessarius; si tamen remedium adhibendum difficillimum sit, & cum infamia ac scandalo coniunctum; vt in separatione matrimonij inualidi ratione prolis iam susceptæ, aut consanguineorũ qui rixas excitabunt. Ita Sanch. *n.* 10. Suar. *n.* 5. de Lugo *n.* 26. quorum omnium ratio est, quia cùm tum Confessarij, tum cuiuscumque consiliantis doctrina ordinetur ad bonum pœnitentis, & consulentis, expendere ita debet malum quod consistit in violatione materiali diuinæ legis absque peccato propter inculpabilem errorem, & malum illud ac damnum temporale, quod sequetur ex monitione & ablatione talis ignorantiæ: quoties enim istud maius erit, omittenda fuerit admonitio; si verò secus est adhibenda, vt quando agitur de contrahendo matrimonio, quod eo impedimento manifesto facilè dissuaderi poterit, aut differri ad dispensationem, cuius certa spes est, impetrandam, aut si ipsemet Confessarius possit adhibere remedium huic malo; quia potest v. g. ipse dispensare in petendo debito, aut in impedimento matrimonij; quod etiam verum erit, quoties scandalum pœnitentis, quod inde timetur, breue & momentaneum est: & licet tunc inutilis sit admonitio, breui tamen proderit, quod ex ingenio pœnitentis prudenter coniiciet Confessarius, tunc ea adhibenda erit, vt ait Sanch. *n.* 16. aliis relatis: si verò pœnitens non videatur adhuc satis dispositus, vt rem adeò difficilem æquo animo laturus sit, speratur tamen disponendus, atque opportuniori tempore monendus, differri poterit monitio, & ipse relinqui in bona fide, quæ à peccato excusat, ne inquit de Lugo *n.* 27. deterritus abstineat à confessione, & maius aliquod damnum patiatur. Placet quoque quod addunt Cano. *Relect. de pœnit. part. 3. §. id verò intelligendum*: & de Lugo *n.* 28. contra Sanch. *n.* 13. consultò facturum Confessarium; qui non eluit pœnitentem, etiamsi inde damnum præuideat, si timeat probabiliter, ne si ipse taceat, alius multò imprudentius id facturus sit, & cum maiori damno: quia cum tota illa monitio, vel eius omissio spectet bonum pœnitentis, quoties attentis omnibus circunstantiis vtilior futura est monitio quàm silentium, vt contingit in hoc casu, facienda omninò erit; probarem tamen Sanchis opinionem, quando medium adhibendum ad medendum, pœnitenti foret intolerabile, Confessarius enim satisfecit suo muneri, tacendo, quod si alius deinde imprudenter moneat, eius temeritati imputabitur.

Quod si pœnitens orto dubio, de valore matrimonij, iure petendi debiti, obligatione restituendi, aliisque eiusmodi inquirat à Confessario, tenetur ille veritatem aperire. Ita omnes: quia cùm ille pœnitens iam dubitans, teneatur inquirere, & peritos consulere, & si 20

veritatem non deprehendat post adhibitam diligentiam, in bona fide sit, eiusque error fiat inuincibilis. Si Confessarius aut doctor interrogatus veritatem dissimulet, errorem reuerà confirmat non sine culpa; distinguit tamen Sanch. *n.* 14. scrupulum à dubio hoc loco; quia enim scrupulus non impedit bonam fidem, neque ignorantiam inuincibilem, sicut dubium, existimat confessarium interrogatum ex scrupulo tacere posse, aut respondere pœnitenti vt deponat scrupulum, quod probabilius negant alij ab eodem Sanche *ibidem* relati, quia vt ait de Lugo *n.* 29. nequit Confessarius interroganti pœnitenti significare esse licitum, quod reuerà illicitum est. Pœnitens interrogans etiam ex scrupulo interpretabitur silentium Confessarij pro affirmatione, & deinde præstabit authoritate Confessarij, quod ex ignorantia tantùm faciebat: monet tamen idem de Lugo Confessarium vt fingat se non audiuisse, aut oblitum esse respondere, nec pœnitens illud silentium tanquam approbatiuum sui actus capiat. Sapienter quoque aduertit l'Ayman. *cap.* 13. *cit. q.* 5. *assert.* 4. cauendum esse à Confessario, ne plus respondeat, quàm interrogetur. v. g. interrogatur ab eo qui voto simplici castitatis emisso contraxit matrimonium, an illud validum existat, & an teneatur vxori debitum reddere: respondeat vtrumque licere, nihil enim debet addere de illicita petitione debiti, si eam monitionem, vti diximus, inutilem fore præuideat.

21 Maior videtur difficultas in eo casu, quo Confessarius nescit an profutura, an verò obfutura sit sua admonitio; an tunc teneatur monere pœnitentem; Respondet de Lugo *n.* 31. primò si dubitet tantùm de profectu, non tamen de damno sequuturo quod nullum timet, tenebitur monere, vt in simili casu dixit de correptione fraterna disputans Granado 22. *contro.* 3. *tract.* 12. *disp.* 2. *n.* 6. quia tunc magistri officium, & lex charitatis obligat, estque veluti in possessione, & dubium non est de damno futuro, quod solùm ab ea lege tunc eximere potuisset. Secundò si dubium sit de profectu & damno, tradit vniuersalem regulam Fillius. *tract.* 28. *cap.* 6. *n.* 135. vt comparetur vtilitas ac damnum, & gradus timoris ac spei, ac omnibus expensis illud quod melius apparebit, eligatur; in eam enim partem inclinare decet, quæ eligibilior apparet; quod tamen metaphysicè considerandum non est, sed moraliter arbitrio prudentis.

22 Denique duo quædam aduerto: primum quando ignorantia inuincibilis vertit in damnum commune; illud verò quod ex monitione timetur est solùm damnum pœnitentis, aut paucorum aliorum, illud reuerà posthabendum est communi & publico, atque eo casu dedocendus erit pœnitens quamuis inculpabiliter errans: v. g. si Parrochus suis Parrochianis errores circa mores, aut fidem inculpabiliter proponeret; si quis existimans se sacerdotem, sacramenta ministraret; si publica fama foret de nullitate matrimonij, quam ipsi coniuges ignorarent inuincibiliter, non erit dissimulandum Confessario. De Lugo *n.* 39. & Kom. *de sacram. disp.* 8. *n.* 137. Quò etiam pertinet, quando silentium Confessarij habetur pro approbatione, ex qua pœnitens falsum aliquod dogma contra fidem, aut mores deducit; inde enim eiusmodi doctrina, emanabit in alios, aut saltem nouus error nascetur in pœnitente, v. g. licitam esse fornicationem: debellari posse infideles sine vllo legitimo titulo, aliaque similia, tenebitur Confessarius docere pœnitentem, quia aliud est non tollere errorem, certumque dissimulare, aliud verò nouum errorem suo silentio ingenerare, quod nunquam licitum esse potest.

Secundum monitum est, vt Confessarius diligenter aduertat, an reuerà pœnitens inculpato & insuperabili errore laboret; ad hoc autem caueat sollicitare ipsum interrogationibus singularibus, quæ ipsi suspicionem, aut dubium moueant; sic enim ignorantiam insuperabilem iam vincibilem & culpabilem faciet, obligabitúrque docere pœnitentem, quæ tacere prudentius debuisset, & potuisset. Quare solùm in communi interrogare debet.

Consectarium III.

Casus singulares soluuntur.

Ex his omnibus singulares aliquas difficultates 23
explicabis: primò igitur vxor per errorem inculpabilem existimans suum matrimonium esse validum, non vult tamen aliqua alia ex causa marito reddere debitum, quia v. g. illum odit, & ea de re se accusat, aut etiam quærit, an obligetur: quid respondebit Confessarius. Resp. illum posse & teneri respondere eiusmodi vxorem obligari ad eam redditionem, ita Sanch. *disp.* 38. *citata n.* 8. Lugo *n.* 25. Koninc. *disp.* 8. *n.* 138. Præposit. *q.* 10. *de sacram. pœnitens. dub. vnico n.* 6. Layman. *c.* 13. *citato n.* 5. *sub. fin.* quia positâ illâ ignorantiâ inuincibili verè ad id tenetur, alioquin legem matrimonij violat. Quare ait Kom. illam nisi à praua illa voluntate absistat non posse validè absolui. Præpositus verò ait interrogationem conuenire debere cum responsione, & vtramque esse de actibus formaliter sumptis in eo statu, in quo reuerà tunc est illa mulier laborans ignorantia inuincibili; ratione cuius cum quamdiu illa durabit, nequeat euitare peccatum iniustitiæ in negando debito. Existimat Konin. ne quidem esse materiale peccatum in redditione debiti; quia ad hoc requiritur vt possit vitari, sed id falsum est, & contra communem sensum.

Nescio quis compresserat matrem, ex eaque filiam 24
susceperat, existimans se cum ancilla, in cuius cubili mater se collocarat, conscia criminis quod molitetur filius, qui inde domo secedens in extremas oras, vbi rediit, eamque filiam domi educatam offendit, in vxorem sibi petiit, neque dissuaderi vnquam potuit ab eo matrimonio, quod mater ne suam turpitudinem proderet, tandem permisit: Rogatus deinde est Comitolus an ea mater de eo matrimonio silere posset, qui & posse & debere respondit *lib.* 1. *Respons. quæst.* 112. cum & coniuges in bona fide essent, & multum obfutura esset ea manifestatio, vti reuera contingit ob spretum sapiens eiusmodi consilium.

Parrochus quidam ex vna pellice filium suscepe- 25
rat, ex altera filiam, quos deinde consanguinitatis ignaros, ipsemet matrimonio coniunxit. Resp. Comitol. *q. citata* illum obligatum fuisse adire Episcopum, & testari sibi certum esse impedimentum, neque eius testimonium potuisset repellere Episcopus, Quod & ego quidem censerem ante contractum coniugium, si potuit sine sui criminis manifestatione eiusmodi matrimonium impedire, siue adeundo Episcopum, siue quapiam alia ratione; nam si non potuit nisi suum scelus prodendo, potuit illos relinquere in bona fide, & matrimonium permittere, illique adesse; contractum verò quia non poterat sine scandalo dissolui, permittendum omninò fuit.

Innocent. III. *cap. quia circa de consanguinitate* con- 26
sultus de quorumdam coniugio per falsam & subreptitiam dispensationem inito, sic respondet: *Dissimulare poteris, vt remaneant in copula sic contracta, cum ex separatione graue videas scandalum imminere*: Hunc textum male interpretantur, qui fingunt in ea dissimulatione,

mulatione, aliquam impedimenti quo tenebantur coniuges dispensationem concedi, siue ab ipso Episcopo per eam tolerantiam, siue quod facultas dispensandi concedatur Episcopo à Pontifice illis verbis; cùm tamen nulla ibi fiat dispensationis mentio, quæ si reuerà daretur, deliberent illi coniuges renouare consensum, cum tamen Pontifex diffiniendum dicat, vt illi permaneant in contracto matrimonio, propter graue scandalum quod ex eius dissolutione timetur: neque monet Episcopum vt dispenset, sed vt taceat & dissimulet. Legitimus igitur responsionis Pontificiæ sensus habetur ex dictis, nimirum relinquendos esse hos coniuges in inuincibili sua ignorantia, qua illos à peccato excusabat, neque detegendam videri nullitatem matrimonij, cum tanto periculo: atque ita interpretantur Couarr. 4. *decr.* 2. *p. cap.* 6. §. 10. *num.* 15. Nauarr. *cap. si quis autem de pœnitent. dist.* 7. *à num.* 67. *ad* 73. Corduba *in summa q.* 189. *punct.* 1. Sanch. *lib.* 2. *de matrim. disp.* 38. *num.* 12. Gutierr. *de matrim. capit.* 48. *numer.* 2. Barbosa *in collectan. ad illud caput*, qui posteriores alios allegant.

27 Quandò coniux conscius est nullitatis, neque potest tunc fieri separatio sine grauissimis incommodis, neque etiam simul manere cum altero coniuge absque incontinentia, videndum vt aliqua alia causa prætexta alter aliò discedat. Sic Baldell. *lib.* 4. *disp.* 4. *numer.* 10. ait Responsum fuisse à Pœnitentiario quoad Religiosum professum, qui sacrilegè ducta vxore, cum ea per 22. annos plurima prole suscepta vixerat, iussus enim fuit in Regionibus remotissimis ad Monasterium redire; & deinde nunciatum est vxori ac liberis, illum certò mortuum fuisse, nimirùm morte ciuili, qualem esse constat professionem religiosam.

28 Confessarij Prælatorum & Principum, aliorumve quos vident multa eaque grauia in suo officio peccare, vix excusantur à culpa, nisi eos moneant. Ita de Lugo *disp.* 22. *de pænit. sect.* 2. *num.* 37. Primò quia vix ea ignorantia inculpabilis est in tali pœnitente. Secundò quia ille error in damnum commune Regni, Prouinciæ, Ecclesiæ, alteriúsve communitatis cedit. Quare bonum illud commune tunc ad eam monitionem obligat. Excusantur tamen primò si dubitent de obligatione pœnitentis etiam post adhibitam in ea inquirenda, diligentiam. Deinde si videant inculpabilem esse ignorantiam pœnitentis propter grauissimos viros, quia illi Authores sunt talis consilij, & ex ea monitione timentur incommoda grauia. Denique quamdiu excusari poterit pœnitens à graui peccato, & se non audiendum credit, propter varios prætextus quamvis falsos; apparenter tamen qui à multis consiliariis afferentur Principi, qui illis inconsultis nihil mouebit circa Rempublicam; vnde etiam orietur magna perturbatio, Reuerà non tenebitur ad eam monitionem, sed in bona fide relinquet pœnitentem, donec se commodior occasio veritatem dicendi offerat.

29 Denique concionator & Doctor publicus veritatem docere tenetur, licet cum aliquorum scandalo, maximè cum ea ad fidem vel mores pertinet; ea enim ordinatur ad publicum bonum. Quare propter priuatum bonum omittenda non est. Ita Sanch. *disp.* 38. *cit. n.* 19. in hunc sensum exponens quædam Pauli & Ambros. verba, quæ iubent etiam cum periculo veritatem non tacere; quamquam ab inutilibus quæstionibus quæ turbas mouerent abstinendum omninò sit, vti aliàs fusius monebimus.

Consectarium IV.

Quod & quotuplex peccatum sit agere contra conscientiam erroneam, & an ea circumstantia sit exprimenda in Confessione.

Hæ omnes quæstiones explicantur ex doctrina tradita in nostris propositionibus. 30

Atque in-primis esse peccatum constat contra præceptum quod tunc seruandum esse dictabat conscientia, siue vera, siue falsa, siue vincibiliter, siue inuincibiliter erronea: quia nullum præceptum obligat, nisi mediante iudicio conscientiæ, vti iam monuimus sæpius tum hâc tum superiori quæstione: neque notitia virtutis aut præcepti aliam viam obligandi habet, quam ipsa virtus aut præceptum quod intimatur, Quare non est peccatum agere contra conscientiam diuersum ab eo, quod committitur contra legem intimatum per conscientiam, vti diximus quæstione superiori.

Peccatum quod admittitur contra dictamen conscientiæ erroneæ tale erit, quale iudicat conscientia esse futurum mortale; aut veniale, si conscientia sit inculpabilis, quia etiamsi peccatum ex obiecto sit mortale, ab eo tamen conscientia inuincibilis excusabit, si dictet tantùm esse veniale, sicut excusat ab omni peccato, si dictet nullum esse. Si verò conscientia culpabilis sit, non faciet peccatum veniale, si ex sua natura est mortale, quia tunc totum peccatum voluntarium est, & ea conscientia nullomodo excusat vti diximus. Quod si hæc conscientia dicat aliquid esse mortale, quod tamen est tantum veniale peccatum, illud erit mortale: quia illa propositio grauis & mortalis malitiæ, quamvis falsa, & erronea, sufficit vt reddat totam eam malitiam voluntariam, si sequamur eam propositionem, & ex illa agamus. Fertur enim voluntas in obiectum cognitum, & illud amplectitur aut reiicit eo modo, quo ipsi proponitur, Quare cùm illi proponatur malitia mortalis, illam verè amplectitur, quamvis à parte rei talis non sit: Idcircò conscientia culpabilis numquam minuit culpam, sed potiùs illam auget, id est, non facit, vt quod à parte rei est mortale, fiat veniale, facit tamen vt quod aliquando veniale tantùm est, fiat mortale, quale proponitur ab ipsa. 31

Quando verò conscientia non distinguit an aliquid sit veniale aut mortale, sed solùm dicit indefinitè quidpiam esse malum, & illicitum, tunc vel id proponit in aliqua certa specie, puta intemperantiæ, irreligionis aut iniustitiæ, & ex materia in qua peccati dictat conscientia, peccati prauitas diiudicanda erit; vel tantùm confusè proponit esse peccatum, non determinata peculiari materia, aut alia conditione, ex qua peccati grauitas aut leuitas dignosci possit, & tunc censendum est esse peccatum mortale, ob periculum cui se exponit volens & lubens; sicut cùm quis proponit peccare in genere; cùm enim vi illius propositi paratus sit admittere quodvis peccatum quod occurret, peccati mortalis periculo se obiicit. Ita Sanch. *lib.* 1. *in decalog. cap.* 12. *num.* 6. Azor. 1. *p. lib.* 2. *cap.* 8. *q.* 6. Vasq. 1. 2. *disp.* 59. *cap.* 3. *num.* 10. Montesino *ibid. disp.* 29. *n.* 66. quamquam hic dicat tantum posse esse peccatum mortale Rodrig. *in sum.* 1. *part. c.* 7 1. *con.* 4. Sayr. *lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 17. Ferdinand. à Castro *tract.* 1. *disp.* 1. *punct.* 3. *sub fin.* Ioan. Sanc. *disp.* 18. *select. num.* 1. Bonac. *disp.* 1. *de pecc. q.* 2. *punct.* 3. *n.* 14. Contra Valent. 1. 2. *disp.* 2. *quæst.* 14. *punct.* 4. *q.* 3. Sal. *tract.* 8. *disp. vn. sect.* 3. *num.* 33. Peres. *certamine* 20. *scholastico num.* 28.

Reginald. *lib.* 13. *n.* 70. Nauarr. *prælud.* 9. *n.* 9. & Baldel. *lib.* 4. *disp.* 5. *n.* 6. qui omnes exigunt saltem dubium aliquod de mortali; vt illius se periculo obiicere dicatur operans; quod tamen necesse non est; vti ostendimus, dum nullo discrimine malum quidquid illud sit, amplecti paratus est.

Ex his verò sequitur hanc circonstantiam ostendi contra conscientiam erroneam, cùm nullam tribuat speciem, non esse necessariò exprimendam in Confessione contra Adrian. & alios apud Salam *numero* 33.

32 Hinc vides etiam agere contra conscientiam erroneam quocumque modo esse intrinsecè malum & indispensabile à Deo, ita Salas. *n.* 28. Montesino, aliique passim, quia quamdiu proponitur obligatio præcepti, illa viget vt diximus *quæst. superiori*: quare etiamsi deponenda sit ea conscientia, falsò & culpabiliter proponens præceptum, quamdiu tamen non deponitur, ita obligat, vt Deus non possit facere, vt obligante præcepto contra illud inculpabiliter quis operetur. Vnde quoque fit, vt Deus nequeat per se omittere conscientiam erroneam de mentiendo: quia per se intenderet peccatum. Ita Salas *disp. vn. citata, n.* 37. & Baldel. *disp.* 3. *sub fin.*

33 Vnum porrò restat circa naturam huius peccati, an grauius sit peccare contra conscientiam errantem culpabiliter, an eam sequi. Respondeo verò id definiri non posse, sed ex diuersitate præceptorum, quæ tunc occurrunt diiudicandum esse; quia enim obligatio conscientiæ alia non est quàm præcepti, quod per illam proponitur tunc obseruandum, quare illud comparandum erit cum eo quod violatur conscientiam sequendo: existimat v. g. aliquis mentiendum esse ad tuendam innocentis vitam, grauius erit peccatum non mentiri contra conscientiam, quam mentiri ex conscientiæ præscripto, quia præceptum de vitando homicidio tunc obligat ad mentiendum ex errore intellectus, & solum præceptum veritatis obligat ad non mentiendum: ita passim omnes contra Bassolis *in* 2. *dist.* 39. *q.* 1. *art.* 3.

Consectarium V.

An conscientia errans plus obliget Prælati præcepto.

34 Hoc est, an quoties superior iubet aliquid cui conscientia subditi dictat non esse parendum, teneatur ille obedire Prælato, & propriam conscientiam deponere, omissis variis PP. sententiis, quas dabunt Vasq. 12. *disp.* 61. *cap.* 1. Montesino *ibid. disp.* 29. *num.* 68. Sayr. *cap.* 4. *cit.* Sanch. *cap.* 11. *cit.* aliique vulgo, fuit enim antiquis Theologis celebris ista controuersia, facilis mihi ex disputatis hactenus, totius rei explicatio videtur: vel enim posito præcepto superioris manet adhuc in subdito ignorantia inuincibilis, ita vt nulla ei appareat ratio, quæ dictet deponendam esse propriam conscientiam, saltem ex generali illo axiomate; certum ac tutum esse sequi Prælati mentem, & propriam conscientiam deponere: vel posito eo præcepto ignorantia subditi, quâ putat sequendam esse propriam conscientiam in hoc casu, contra præceptum superioris, vincibilis & culpabilis est. Si primum accidat, & quæstio sit de lege aliqua naturali, aut positiua, quam superior imperans abrogare nequit, eò quòd a superiori aliquo Principe lata sit, sequendum erit iudicium propriæ conscientiæ, si maneat inuincibilis, eò quòd nullâ ratione ostendatur, eo facto non violari præceptum à Deo, aut supremo quopiam alio principe latum: v. g. tulit Pontifex aliquam legem, quam deinde reuocauit; quam tamen reuocationem, neque Prælatus inferior; qui & legem ipsam ignorat, neque subditus sciunt; Prælato deinde aliquid imperanti subditus obiicit eiusmodi legem Pontificiam, quam reuocatam esse doceri non potest, tenetur tunc suæ conscientiæ licet erroneæ obsequi, quia errat inuincibiliter, ac proinde non potest deponere suam conscientiam; si tamen superior posset derogare illi legi, quam subditus eius imperiis opponit, deberet omnino subditus obsequi, & conscientiam erroneam deponere, quia superior suo imperio legem quam vnam opponit subditus, abrogat. Quod si vinci possit ignorantia, & error subditi circa ius naturale aut quamcumque aliam legem, quam eius conscientia obiicit Prælati præcepto; tunc omnino seruandum est superioris præceptum; & deponenda conscientia erronea, quia verò præsumendum est pro æquitate præcepti superioris, vix contingit, vti obseruat Ferd. *tra.* 1. *disp.* 1. *pun.* 6. *n.* 4. conscientia inculpabilis in hoc casu; eòque pertinent quæ iam sæpè dicuntur in Iure de timenda sententia Prælati etiam iniusta, & de obedientia illi præstanda etiam in dubiis, quæ multa dabit de hac ipsa nostra quæstione fusiùs agens à Capistrano *in speculo à num.* 122. *ad* 137.

Consectarium VI.

An detur casus perplexitatis.

Hoc est, an detur aliquis status, in quo necessariò 35
admittendum sit peccatum; siue enim quis quidpiam agat, siue omittat, peccabit: Hic autem status videtur sequi primò ex iis quæ diximus de conscientia erronea, & culpabili; siue enim contra illam, quis agat, peccabit, siue illi obsequatur, cùm ea non excuset à peccato. Secundò ex eo quod inuincibiliter erranti conscientiæ morem gerere oportet; potest enim quis inuincibiliter existimare vtramque contradictionis partem esse peccatum, neque habere quem consulat; tunc igitur quidquid faciat, peccabit; v. g. mulier ministrans ægroto putat tum ægri derelictionem ad audiendum sacrum die festo, tum sacri ipsius omissionem peccatum graue esse; siue igitur illa mulier sacrum omittat, & ægroto ministret, siue sacrum audiat, & ægrotum deserat, faciet contra conscientiam suam inuincibiliter errantem, & quam proinde deponere non potest, necessariò igitur peccabit.

Resp. ex dictis non posse oriri perplexitatem ex conscientia erronea vincibili & culpabili: Illa enim deponenda erit, vti reuerà deponi potest. Quare eiusmodi perplexus non est absolute & simpliciter, sed secundũ quid; Et posito quod conscientiam erroneam abiicere nolit, vti reuerà potest. Quare vt ait Ioan. à Capistrano de hac perplexitate fusissimè agens in speculo à *num.* 91. *ad* 114. non est perplexus ille secundum rem, sed secundum fatuam opinionem, sua verò culpa posse se aliquem in eas angustias & peccandi necessitatem voluntariè coniicere: concedit S. Thom. 1. 2. *q.* 19. *art.* 6. Secundò quod attinet ad perplexitatem, quæ ex conscientia inuincibili nasci videtur. Resp. cum Layman. *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 4. *num. vltimo.* Sanch. *lib.* 1. *in decalog. cap.* 11. *num.* 13. Granad. 12. *tract.* 12. *disp.* 6. *num.* 8. Scot. *in* 4. *dist.* 30. *quæst.* 1. §. *de secundo,* Ioan. Sanctio *d.* 41. *selecta num.* 27. Eiusmodi hominem posse tunc absque peccato eligere minus malum, quod si neque id prospicere satis possit, nullo modo peccare quidquid eligat. Ita Nider *cap.* 1. *numer.* 9. *consolat.* & PP. iam allati præter Gran. qui *numer.* 14. sequutus Medinam 1. 2. *quæst.* 19. *art.* 6. *q.* 1.

existi

existimauit eiusmodi esse in eo caso illuminandum, vt ex ea perplexitate sese explicet, gratia enim asseritur. Itaque dicendum est, quod etiam Ferdinand. à Castro *punct.* 5. *disput.* 1. *citat.* Baldell. *lib.* 4. *disput.* 3. *num.* 11. Rodrig. *tom.* 2. *sum. cap.* 52. *num* 6. Hurtad. *disp.* 26. *de Deo homine num.* 89. *&* 95. Lugo *de Incarnat. disput.* 26. *sect.* 10. *num.* 137. Konink. *de actibus supernat. disput.* 3. *num.* 20. Ouiedo 12. *tract.* 5. *cont.* 1. *punct.* 2 *num.* 20. aliique recentiores concedunt, omnem tunc culpam absuturam quidquid eligatur; quia licet libertas naturalis & physica maneat quoad vtrumque disiunctiuè ponendum, audiendum sacrum v.g. aut ministrandum ægroto, non est tamen libertas simpliciter moralis in ordine ad culpam vitandam, estque simplex perplexitas inculpabilis; ita vt ex quolibet capite culpa necessariò immineat; debet autem malum vt imputetur esse moraliter vitabile; si enim moraliter vitari non potest, non est cur iure imputetur vt patet. Quare in tota ista disputatione de obligatione conscientiæ erroneæ, semper loquuti sumus de actionibus & omissionibus liberis: nam qui manu violenter ab alio mota, alterum confoderet, non peccaret, etiamsi existimaret se peccare; neque qui detentus in carcere sacrum non audit, peccat, etiamsi reum se existimet noui illius peccati; quia peccati actus liber sit necesse est. Quod obseruant laudati nuper DD. Hinc Baldell. *disp.* 4. *num.* 2. excusauit Virginem Romanam, quæ post vitam innocentissime peractam, eò melancholiæ deuenerat, vt videretur sibi perpetuò contra Deum, Virginem & Cęlites irasci, & blasphemias turpissimas mente ex immenso, vt putabat, odio iactare, atque velle eos omni probro & molestiis afficere, proterere pedibus, si ambularet, acu transfigere, si quid acu moliretur, gladiis confodere, si ad mensam accumberet, excrementa in os ingerere, dum ventrem exoneraret, aliáque eiusmodi conficiebat se lachrymis misera virgo, quod diceret se omnia illa velle ex animo, quamquam cuperet oppositum, sed non posse se iis cogitationibus offensam negare, aut saltem sustinere; ex eo igitur quod videretur rectus vsus rationis turbari, & lædi libertas in eiusmodi virgine, illam culpæ omnis immunem sapienter censuit Baldell. quod Confessariis aduertendum esse existimarim.

CONSECTARIVM VII.

An dictamen conscientia debeat esse actuale. An habituale sufficiat, vt quis contra illam peccet.

36 Resp. omninò necessarium esse iudicium conscientiæ errantis actu perseuerare, vt quis contra illam peccare dicatur, neque sufficiet præcessisse, quod aliquis v. g. quondam iudicarit furtum esse illicitum in extrema necessitate, nunquam supra sortem mutui quidquam quocumque titulo esse accipiendum, teneri vxorem sui corporis copiam facere ad vitam mariti seruandam, & eiusmodi deinde iudiciorum immemor sit, etiamsi nunquam reuocarit, reuerà ille non peccabit contra conscientiam illam erroneam, quia intentio non censetur perseuerare virtualiter, nisi vi alicuius effectus ad posteriores actiones cum illo connexas deriuetur. Atqui iudicium illud præteritum errantis conscientiæ nihil reliquit, vi cuius dicatur perseuerare in his actionibus consequentibus, & non susceptis ex eius efficacitate, sicut etiam Ethnicos, qui existimauit suas omnes actiones in cultum idoli referendas esse, immò & eam voluit relationem, neque illam contrario actu retractauit, non idcircò in omnibus suis actionibus idololatriam cōmittit, quia reuera prior illa intentio neque actu, neque virtute remanet. Debet igitur conscientia, vt contra illam quis peccare dicatur, aliqua ratione reclamare, aut per iudicium aut per dubitationem. Ita Vasq. 1. 2. *disp.* 60. *cap.* 3. Azor. 1. *p lib.* 2. *cap.* 8. *quæst.* 12. Salas. *disput. vn. tract.* 8. *num.* 29. Sanch. *lib.* 1. *in decal. cap.* 11. *num.* 7. Baldel. *lib.* 4. *disput.* 5. *numer.* 7. Ferdinand. *tractat.* 1. *disput.* 1. *disp.* 1. *p.* 4. contra Medin. 1. 2. *quæst.* 19. *art.* 6. Rodrig. 1. *tom. sum. cap.* 71. *num.* 2. Villalob. *tom.* 1. *tract.* 1. *diffic.* 1. *n.* 1. qui existimabant sufficere hoc iudicium non longè ante habitum, & non reuocatum contrario actu.

QVÆSTIO IV.

De conscientia probabili & opinatiua. An & quomodo illa dirigat actionem humanam.

EX hac & sequenti quæstione innumeræ ferè difficultates eæque graues ad vtrumque forum pertinentes definiri debent: quare accuratiùs vtrumque explicare nos oportet.

§. I.

NOTATIO PRIMA.

Quid sit opinio, & quid conscientia opinatiua.

Omissis variis opinionis acceptionibus & descriptionibus, quas dabit à Capistrano *in speculo* 1. *part.*

part. num. 7. Et fusiùs Macagnan. *art.* 3. Zonidus *lib.* 1. *de commun. opin. cap.* 3. vbi 26. eius definitiones ex variis DD. Ioris collegit: cap. verò 5. 14. eius nomina. Vocamus opinionem assensum vnios partis contradictionis, non tamen ita firmum & certum, vt excludat omnem formidinem partis oppositæ; formidinem inquam non hæsitationem, hæc enim duo maximè differunt. Nam formido est iudicium reflexum super rationem & momenta illius partis cui adhæret intellectus; videt enim ea non esse adeò firma, vt opposita pars suâ probabilitate careat, & fortassis vera sit; quæ formido non excludit assensum determinatum vnius partis, sed solam euidentiam motiuorum, quibus ille assensus gignitur. Hæsitatio autem vel dubitatio reddit animum indeterminatum, & in vtramque partem vergeotem, nulli tamen inhætentem, sed veluti in æquilibrio pendentem.

2 Obseruandum verò est, quandam formidinem esse ex parte obiecti, aliam ex parte subiecti: prima sumitur ex obiecto, quod est fallibile, aut ex medio, siue motiuo assensus, quod eiusmodi non est, vt possit intellectum conuincere & cogere ad assensum: ideirco opinioni potest subesse falsum, nimitùm ratione sui motiui, aut etiam obiecti quod potest aliter se habere quàm iudicemus. Atque hæc formido tum opinioni, tum fidei humanæ, tum omni alij assensui non scientifico naturali essentialis est; cum omnis eiusmodi assensus possit esse fallibilis, tum ratione obiecti, tum ratinne motiui, & optimè eius formido obiectiua vel fallibilitas cohæret cum certitudine subiectiua, siue ex parte subiecti firmiter tali obiecto fallibili; immo & aliquando falsò, vti videmus in erronibus & hæreticis, adhærenti, vti dicemus, disputantes de fide. Quare eiusmodi opinio aliquando non habet vllam aliam contrariam propter certitudinem moralem quâ pollet. v.g. Romam esse nullus negat, licet de Romæ existentia nonnisi assensum opinatiuum aut fidei humanæ habeamus. Alia igitur formido est, quæ se tenet ex parte subiecti, hoc est intellectus opinantis siue cognoscentis; quæ iterùm duplex est, alia enim petitur ab effectu, alia ab intellectu; ab effectu quidem, quia quis eò quòd non sit omnino conuictus de sua opinione, metuit ne contraria sit vera; In intellectu verò formido est, cùm vel fluctuat, & veluti hæsitat intellectus; vti iam monui neutri parti determinatè assenoendo, estque tunc dubium non opinio, vti dicam *quæst. sequenti*: vel per actum reflexum iudicat suam cognitionem non esse infallibilem, neque euidentem; & contrariam posse quoque veram esse. Ex quo iudicio reflexo sequitur ille metus in voluntate, ne in huiusmodi opinione fallamur. Cùm igitur opinio dicitur includere formidinem partis oppositæ, loquimor de formidine tum obiectiuè, quæ ipsi essentialis est, tum de formidine ex parte subiecti & intellectus non actuali, sed virtuali, & per eiusmodi iudicium reflexum, quod aliquando simul cum ipsa cognitione & opinione

3 actu habetur, aliquando non habetur. Opinio porrò sicut & dubium esse possunt speculatiua aot practica, vti aduertunt Suar. 1. 2. *tract.* 3. *disp.* 12. *sect.* 2. *n.* 7. Sanch. *lib.* 2. *de matrim. disp.* 41. *n.* 4. & alij passim; quamvis dioersimodè id explicent: nos communiorem loquendi modum seqoemur. Quando igitur iudicium versatur circa vniuersalia, & dictat in communi aliquid esse licitum aut illicitum, v.g. contractum vsurarium esse iniustum, alienum reddendum esse domino, prout iudicium istud est eoidens, certum, aut cum formidine coniunctum, est scientia vel opinio, vel dubium speculatioè; quia quamvis tota ea cognitio ad praxim dirigatur, ex eáque sumenda deinde sit maior propositio in syllogismo practico, quia tamen actiones non exercentur, nisi circa singulares & determinatas materias, Theologi morales iudicia vniuersalia vulgò nominant speculatiua cum Caietan. *tom.* 1 *opusc. tract.* 31. *Respons.* 13. *dub.* 7. Nauarrus autem vocat dubietatem in generali. Iudicium verò illud qoo iudicamus aliquid singulare hîc & nunc licitum, aut prohibitom esse: vocat opinionem aut dubium pro ratione eoidentiæ aut certitudinis ipsius hîc & nunc *præludio* 9. *manual. num.* 9. alij verò scientiam, vel opinionem, vel dubium pro qualitate assensus vocant iodicium practicum: Ex iudicio porrò speculatiuo sequitur simile iodicium practicum; si enim iudico euidenter, aliquid in vniuersum esse prohibitum, vt contractum vsurarium esse malum, eodem modo iudicabo illud idem mihi hîc & nunc illicitum esse, quia vti diximus aliàs contra Caietan. 1. 2. *q.* 19. *art.* 6. particulare istud contioetur sub vniuersali, ac proinde solam eius veritatem participat, nisi aliqua ratio particularis hunc singularem actum excipiat, quominus iudicio illo generali comprehendatur: qood contingere posse concedit Vasq. 1. 2. *disp.* 65. *num* 2. Suar. *l. c. & tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 4. *s.* 5. *n.* 14. & Sanch. *loco nuper allato.* Cùm enim circunstantiæ plurimùm conferant ad moralitatem actionis, aliqua facilè occurrere potest, qoæ reddat mihi hîc & nunc illicitum id, quod in vniuersum licitum esse opinabar; aut è contrario faciat licitum hîc & nunc, quod in se & in vniuersum spectatum illicitum existimabatur: In hoc autem casu in qoo contingit cognitionem practicam, & ad particulare determinatam, discordare à cognitione speculatioa, & vniuersali modo explicato, propter variationem circumstantiæ, aut aliud quidpiam speciale motiuum, operandum est conformiter cognitioni isti singulari & practicæ. v. g. sacerdos aliquis existimat ex ignorantia inuincibili licitum esse ex motuo aliquid fœnoris supra sortem accipere; sibi tamen quia sacerdos est, putat non licere: non potest cum illo iudicio practico accipere supra sortem: alius verò qui iudicat non licere opera seruilia exercere diebus festis, si tamen ob angustias rei familiaris id licere existimat, potest exercere ea opera ex illo iudicio practico, cum dobiò, aot etiam scientia contraria speculatiua. Ratio à priori est, quia regula proxima humanarum actionum est conscientia, vti sæpiùs monuimus, & euicimus, atqui conscientia est cognitio practica & non speculatiua, nisi quatenus per practicam applicatur ad opera singularia, & actiones omnino determinatas; atque hoc modo sumimus hoc loco conscientiam opinatiuam siue probabilem, cùm de ea disputamus. Vnde vides opinionem probabilem non esse idem cum conscientia probabili; Conscientia enim innititur opinioni, estque conclusio practica ex opinione probabili deducta, siue est dictamen rationis, quo aliquis iodicat quid sibi faciendum aut omittendum sit in aliqua materia singulari, hîc & nunc sequendo opinionem probabilem v. g. dictat illi coosciemia esse rem hanc Petro restituendam, quia est aliqua opinio probabilis; quæ docet in tali casu restitutionem esse faciendam; hinc apparet nequaquàm posse explicari conscientiam opinatiuam, & probabilem, eiusque obligationem, nisi explicatâ opinione probabili.

§. II.

§. II.

Notatio Secunda.

Quid sit opinio probabilis.

4 Opinio igitur probabilis est, quæ firma aliqua & non leui ratione vel authoritate nititur cuiusque opposita pars non demonstratur, etsi & ipsa probabilibus rationibus minimè careat, neque suis authoribus destituatur. Ad probabilitatem igitur opinionis ista requiruntur, vt non censeatur communiter continere errorem, aut cum aliquo nouo decreto vel sanctione pugnare, ideóque monet Sanch. *lib. 1. in decalog. cap. 9. num. ij.* Villalob. *tom. 1. tract. 1. diffi. 6. num. 1.* Layman. *lib. 1. tract. 1. cap. 5. §. 2. num. 6.* aliíque deinceps, etiamsi quæpiam opinio sit antiquorum Doctorum, non propterea esse statim amplectendam tanquam probabilem; potuit enim esse iam antiquata, aut contraria aliqua censura vel decreto reiecta; moralia siquidem sæpiùs variis ex causis mutantur: Quare inquirendum erit, an sit aliqua eiusmodi sanctio aut definitio contraria, propter quam reiiciatur à neotericis, quales nonnullas collegit Azor. *t. p. lib. 2. cap. 9.* Si tamen ab aliquo neoterico Doctore doceatur, qui quæ aduersus illam opinionem obiiciuntur, leges & definitiones, canonesve legerit, & expenderit, & illustrarit; fas erit eam vti probabilem sequi. Secundò exigit Sanch. ne contraria sententia ita sit ipso vsu recepta, vt communiter ferè certa reputetur à Doctoribus neotericis. Tertiò etiamsi quis existimet se habere rationem quæ solui nequeat, non idcircò tamen contrariam improbabilem iudicare cogitur, quia cogitare poterit alium quempiam solutionem allatorum pro opposita illa sententia, quam grauibus authoribus placere videt. Quartò, poterit vir doctus, qui vtriusque partis momenta diligenter expendit, suam opinionem, licet singularem, existimare probabiliorem communi, cùm ratio præualere debeat authoritati. Non est porrò communis sententia solo Doctorum numero expendenda, vti obseruat Sanch. *lib. 3. de matrim. disp. 44. n. 2.* Quare Nauarr. *cap. 27. num. 289.* quoties plures DD. vnum aliquem tanquam oues sine iudicio, aut grues vnà volantes sequuntur, negant eam opinionem à quinquaginta DD. solâ priorum authoritate ductis communem esse, & præferendam illi, quam 6. aut 7. classici authores controuersiam ex professo disputantes tradiderunt; cùm communis opinio, non opinantium numero, sed pondere authoritatis fiat: si verò vtraque pars 8. aut 10. assertores doctos & graues habeat, communis dici poterit. Verùm de opinione communi iterùm inferius hoc ipso libro; sufficit enim modò ad nostrum institutum opinionem communem probabilem quidem esse, illi tamen oppositam non semper esse improbabilem.

5 Quare quintò dicendum est, aliquando vnius docti & probi viri authoritatem, opinionem probabilem reddere. Ita Azor. *tom. 1. lib. 2. c. 13. & cap. 17. q. 6.* Baldell. *disp. 11. num. 5. lib. 4.* Sanch. *lib. 1. in decal. c. 9. num. 9.* Villalob. *tom. 1. tract. 1. diffic. 4. num. 17.* Vasq. *1. 2. disp. 62. num. 12.* Henriq. *lib. de Pont. legibus lib. 4. cap. 18. n. 13.* Ferdinand. à Castro *tract. 1. disp. 2. punct. 1.* Ioan. Sanct. *disp. 44. select. num. 62.* Layman. *lib. 1. tractat. 1. cap. 5. num. 5. & 6.* Nauar. *cap. 27. num. 288. & 289. & in cap. si quis autem de pœnit. dist. 7. num. 50. & 53.* Maschard. *conc. 1843. numer. 12.* Ioan. Valerus *in different. vtriusque fori diff. 1. num. 9.* Menoch. *de præsumpt. præs. 71. num. 15. 16.* Angel. *vers. opinio. num. 2.* Sylu. *vers. eod. num. 2. quæst. 6.* Sayr. *lib. 1.* Clau. *c. 6. n. 8. & 9.* Bress. *lib. 3. de conscientia cap. 3. & 4.* Fogundes *de Regimine part. 2. lib. 4. disput. 10. num. 173.* Sà *vers. dubium num. 3.* Montesino *1. 2. disp. 29. quæst. 5. n. 247.* Granad. *ibid. tract. 12. disput. 4. sect. 2.* Ouiedo *tract. 5. contron. 3. num. 3. & 4.* Bosius *de conscient. num. 86.* denique S. Thom. *quodlib. 3. art. 10.* & alij passim: & quidem si res nondum fuerit ab aliis agitata, certum est virum doctum & grauem qui controuersiam excitauit, expendítque diligenter, si firma aliqua ratione ducitur, posse opinionem probabilem reddere, neque enim alio modo opiniones inductæ sunt in scholas: deinde si à paucis dumtaxat agitata fuerit quæstio, cur non licebit viro docto obiicienti firmam rationem aduersus illos sentire, quod si demùm à multis disputatum, eâ de re fuerit, qui in eandem opinionem omnes ferè consenserunt, quamvis illis, maximè si illustres fuerint, plurimum quisque tribuere debeat, & suo iudicio diffidere, si tamen firmam aliquam rationem sibi occurrisse cogitet, poterit aduersos alios sentire, & suam sequi opinionem singularem; atque aliis sequendam proponere, eamque faciet probabilem; quandoquidem ea probabilis censetur opinio, quæ non leui fundamento innititur; viri autem pij & in ea materia docti authoritas, non leue fundamentum est. Quare licet cuique magistri sui sententiam sequi, vt alibi dicemus, neque placet Azor. *tom. 1. lib. 2. cap. 17. q. 5.* distinguens hâc in re inter virum doctum & rudem, quod vir doctus teneatur examinare rationes atque expendere, vtrum viri illius authoritas præiudicare debeat communiori sententiæ; rudis autem ad hoc non teneatur, ac proinde viro docto & pio committere sese tutò possit; rectè enim ait Sanch. *lib. 1. in decalog. cap. 9.* etiam apud virum doctum plus ponderis nonnunquam habere alterius authoritatem, quàm verosimilem aliquam rationem, quæ tamen ad probabilitatem opinioni alteri conciliandam sufficeret. Videndum tamen quod monet Azor. *ibid. q. 6.* ne passim ob vnius doctoris sententiam à communi recedatur, nisi priùs illius rationes & motiua examini subiiciantur: quod ipsum voluit Vasq. *1. 2. disp. 62. num. 17.* dum aduertit opinionem singularis Doctoris, quæ ea propriis motiuis considerata non probatur, non posse propter vnius dumtaxat authoritatem dici sufficienter probabilem illi, qui eam examinauerit, vt contra propriam aut communem opinionem operetur vel consulat; quia licet viri tanti authoritas non leue fundamentum censeatur, quando in se spectatur; quoties tamen tum reliquorum omnium authoritas & doctrina, tum rationes apud eas examinantem præponderant, non potest non leue esse illud fundamentum: sic etiam qui suam sententiam demonstrari, aut insolubili aliquâ ratione stabiliri sibi persuadet, & omninò euinci oppositam sententiam esse improbabilem, reuerà temerarius esset, si ex opinione improbabili certò à se tali iudicata operaretur, vt tradunt quoque Valent. *t. 2. disp. 2. q. 12. punct. 5. q. 1.* Sayr. *lib. 1.* Clau. *cap. 6. num. 7.* Neque fuit alia mens Azor. qui cum Henrico & Corduba negabat vnius solius authoritate reddi opinionem probabilem viro docto; nimirùm si nulla accedat ratio, etsi eius falsitas aliunde appareat, quod reuerà non contingit rudi & illiterato, qui rationum momenta expendere nequit, & solâ authoritate in vtramque partem ducitur. Quare, licet ille doctor quem consulit, dicat suam opinionem esse singularem, & à nullo hactenus traditam, se tamen firma duci ratione, eam tunc opinionem illi probabilẽ faciet, vt optimè aduertit Io. Sanch. *disp. 44. n. 61.* Monet prætereà Ferd.

tractat.

tract.1.disp.2.punc.1.n.9. vt opinio singularis alicuius Doctoris probabilis existimetur, requiri, vt non tantùm perfunctoriè incidenter, & occasione alicuius argumenti aut connexionis materiæ, quam tractat indicata fuerit, nisi expressè fuerit disputata, & resolutoriè (vt loquuntur tradita contra Ioan. Sanct. *disp.44. selecta num. 62.* qui tamen id reuerà non dicit ita crudè, vt allegatur à Ferdinando, sed solùm opinionem quæ ab aliquo doctore primùm fuit adducta, non tamen asserta, sed gratiâ disputationis, aut per modum obiectionis, aut ad maiorem quandam explicationem allata, probabilem tamen censeri posse, si probabili ratione confirmari possit ab eo, qui illam legit, quidni enim doctrina quæ à nullo hactenus fuit probata, aut reprobata, alteri viro docto legenti probari non poterit. Immò quamvis ipse aduerterer ab aliis esse reprobatam, si tamen iudicet non esse sufficienter reprobatam, eò quòd argumentum pro ea adductum nondùm solutùm fuerit, ipse ille aliquod nouum robur addiderit, poterit tanquam probabilem iudicare, aliisque proponere, vti diximus, quod etiam verius erit, si author, qui eam (incidenter licet) adduxerat inter obiiciendum, significet eiusmodi obiectionis vim, à qua tum ipse, tum Reliqui DD. ægrè se expedierint; tunc enim satis innuit, se sententiam illam non improbare, quamvis à communi opposita discedere non audeat. Addit Sanct. *num. 69.* & Ferdinand. *l.c.* non satis esse ad Doctoris sententiam cognoscendam, quod ea tradatur in indice libri, nisi simul afferatur ratio; quo etiam casu damnarem ego leuitatis eum, qui eâ lectione contentus labori exiguo, consulendi locum in indice notatum, parceret, si opinio illa singularis videretur, tum quia sæpissimè aliter loquitur index, quam ipsum opus, tum quia clariùs faciliusque percipiet mentem Authoris, eiusque rationes; alioquin videtur alicui periculo se exponere, aut eam diligentiam quæ necessaria erat non adhibere, vti facillimè potuerat.

6 Contingit verò aliquando, vnum eundemque authorem diuersa eadem de controuersia sentire, quod pluribus ex causis accidere posse propter varia principia tum intrinseca tum extrinseca assensus, quæ interdum occurrunt, apparet, & pluribus accidisse ostendit Garc. *part.11.de benefic.cap.5.n.365.* tunc autem volgò præferenda videtur posterior sententia, vt quæ ex longiori studio, & attentiori consideratione profecta fuerit, quamquam si prima magis arrideat, retineatque semper suam probabilitatem, illam sequi fas sit, si nihil aliud efficiat.

7 Denique quamvis vnius Doctoris sententia eam nobis modo explicato probabilem reddat, non tamen idem præstabit eius factum, cùm sæpius aliter ex prauo affectu operemur, quàm sentiamus; præterquàm quod potuit peculiaris aliqua causa, & circumstantia tunc occurrere, quæ excusarit illum à peccato. Quare licet damnare virum illum non audeamus, non tamen illum continuò fas fuerit imitari. Ita rectè Sancti. *disp.34.num.71.* Addit tamen Card. *punct.cit.num.6.* Ex Emanuele Sa. *v. dubium num.3.* *Editionis Romana*, quoties plures aliqui Religiosi passim & palàm aliquid factitant, præsumendum esse id licere.

8 Sunt porrò plures gradus probabilitatis; vna enim est opinio probalior aliâ, nempè quæ pluribus iisque efficacioribus rationibus & fundamentis confirmatur. Non verò ea tantùm, quæ à pluribus Authoribus defenditur; itavt non satis fuerit authores numerare, sed authoritatis eorum pondus, & rationum momenta expendere. Ita Sanch. *lib.3. de matrim.disp.44.n.2.* Azor. *lib.2. Instit.moral.cap.2.quest.2. & 4.* Villalob. *tract.1.diffic.4.tom.1.* Ferdinand. *tract.1.disp.2 punct.1. num.7.* Sancti. *disp.44.num.68.* Mascard. *de probation. conc.1143.num.2. & 3.* quia quamvis ex Arist. *topic. lib.1.* ea probabiliora dicantur, quæ videntur omnibus vel pluribus, vel sapientibus; idcircò fit, quia præsumi non potest, omnes aut plures sapientes, atque illustres viros aliquid communi ferè consensu afferre absque ratione; licet ea fortassis non ita appareat: Itaque probabilitas non ex numero Doctorum, sed ex ratione, quam ex sapientia & grauitate Doctorum colligimus, deducitur; alioquin enim turba Doctorum non magni facienda est, cùm vt ait Iustinian, *l.1.de veteri iure enucleando: possit vnius forsan & deterioris sententia, & multos, & maiores aliqua in parte superare.* & *cap.capellanus, de feriis: Ex duabus sententiis propositis Pontifex posteriorem eligit, quia meliori & subtiliori ratione nitebatur.* Quibus verbis satis indicat, vnde probabilitas maior opinionis petenda sit; Idcircò monet Plato *lib.2. de legib.* non debere gubernatorem quæ determinanda iudicio sunt ab alio discere, & quasi obstupefactum clamore multorum, ferre sententiam: Immò ipse Deus *exod.23.* simile quid edicit: *Non sequeris turbam ad faciendum malum, nec in iudicio plurimorum acquiesces sententia*: Et *Ecclesiast.c.37.vers.18.* vnius probi viri sententiam plurium aliorum consilio anteponit: *Anima viri sancti enuntiat aliquando vera, plusquam septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum.* Deinde quando pauci de vna aliqua materia egerunt, tres v.g. Si duo vni sententiæ faueant, illa probabilior est opinio, quàm alia in materia, quam 30. tractarint, si 10. aut 12. illam teneant: vt videas non multitudinem absolutam Doctorum attendendam esse, sed respectiuam, eamque non solam, sed coniunctam cum ratione probabili saltem iure merito præsumpta.

Inter opiniones probabiles aliæ dicuntur vulgò practicè probabiles, aliæ speculatiuè tantùm. Ita Granado 1.2. *tract.12.disp.4.§.4. num.32.* verùm mihi nunquam satis probari potuit ista distinctio probabilitatis practicæ & speculatiuæ, itavt vna seiungi possit ab alia, quam etiam video displicuisse Ioanni Sanctio. *disp.44. num.63.* & *disput.54. num.11.* cum probabilitas practica sit vel obiectum, vel effectus probabilitatis speculatiuæ: quod fatetur ipsemet Sanch. *lib.2. de matrim.disp.41.num.5.* In moralibus enim & practicis idipsum quod operamur, speculamur antea. Quare si iudico quidpiam fieri licitè posse, illudque iudicium speculatiuum sit verùm, licebit illud ipsum quod iudicaui exequi. Itaque erit ea opinio in praxi quoque probabilis & tuta: distinximus quidem superiùs iudicium speculatiuum à practico, diximúsque dari scientiam, opinionem & dubium practicum & speculatiuum; non diximus tamen aliquod iudicium esse speculatiuè probabile, quod non erit tale practicè, sed diximus conscientiam non consistere in iudicio speculatiuo, sed practico, quod vnum proximè dirigit actionem; & quamvis retento indicio speculatiuo, id est, vniuersali, mutetur practicum, quod dicit hîc & nunc quidpiam agendum aut omittendum esse, id fit, quia mutatur cognitio illa propter varias circunstantias, quæ cognitio ad aliquod aliud iudicium speculatiuum, & vniuersale reducitur: v.g. stante hoc iudicio vniuersali & speculatiuo, alienum domino restituendum est, dicebamus simul haberi posse istud singulare & practicum, mihi hîc & nunc in extrema necessitate constituto licet retinere alienum, quod iudicium reuocatur ad istud vniuersale & speculatiuum. Extrema necessitas iustè excusat à restitutione rei alienæ. Ex quibus satis apparet non colligi opinionem aliquam esse speculatiuè verum, aut

probabilem

probabilem, practicè autem esse falsam, aut improbabilem; si enim eadem est opinio & immutata, si speculatiuè probabilis est; erit quoque practicè talis, atque è contrario: si enim iudicu aliquid mihi esse licitum, dum deinde iu praxi iudicium eiusmodi sequor, licitè operor: quare ea opinio est quoque practicè probabilis. Idcircò sapienter arguit Sanct. *disp. illa 44. selecta, num. 63.* Intiperitos, qui opiniones vt vocant Theoticas, siue Theoricorum Duareni, Cuiacij, Antunij Fabti, aliorumve sequi nolunt, vtpotè tantum vtiles scholis, non autem practicas, cum è contrario eas in praxi sequi præstet; Qui enim Theoticè tem examinant, vti diligentiùs attentiùsque omnia speculantur, & intimè quæque peruadunt, ac rei cuiusque naturam & accidentia perscrutantur, illi etiam firmiores, certioresque regulas ad operandum constituunt, atque ex ipsa rei & actionis natura colligunt. Quare eiusmodi Theoricorum sapientum vestigiis insistere consultius erit, quàm practicorum, qui vnam dumtaxat insulsam praxim attendunt; neque quidquam ampliùs inquirunt. Quia tamen probabilitas alicuius opinionis sumitur ab intrinsecis & extrinsecis principiis; intrinsecæ autem sunt rationes ex ipsa natura obiecti vestiti suis omnibus circunstantiis deductæ, extrinsecæ sunt exempla & authoritates; fieri poterit, vt opinio quæ est practicè probabilis, extrinsecè sit intrinseca non probabilis speculatiuè, cùm non appareant vllæ rationes, quæ attenta natura rei ita persuadeant, extrinsecè tamen motiua sufficientia sint. Aliàs verò rationes intrinsecæ facilè ostendunt alicuius opinionis probabilitatem, quia tamen sunt aliqua extrinseca, quæ praxim eius illicitam reddunt, nempè contraria communis consuetudo recepta communis sensus contrarius, offensio & scandalum, quæ inde nasceretur, aut prohibitio aliqua, siue lex & ius contrarium, fit vt opinio quæ speculatiuè intrinsecè probabilis est, non sit practicè probabilis extrinsecè, non tamen quod absolutè, & simpliciter opinio speculatiuè probabilis dici queat, practicè improbabilis; foret enim manifesta contradictio, vti ostendimus. Quare vt commodum sensum habeat vulgare dictum, distinctio probabilitatis speculatiuæ & practicæ, ita exponenda erit, vt probabilitas per media intrinseca quæ habetur speculatiuè, non habeat adiunctam aliquam improbabilitatem per media extrinseca, dum ad ipsam executionem operis veniendum est. Dici etiam posset iudicium speculatiuum, quod vniuersale est, cum consideret actionem in se & quodammodo seiunctam à circumstantiis, rectam omninò videri, at verò dum idipsum quod considerauimus, actu præstandum est, tam multa in quibusdam materiis occurrunt, vt difficillimum sit, & ferè moraliter impossibile, opus illud exequi absque aliqua culpa; ideóque quamvis einsmodi actio, aut opinio eam probans speculatiuè licita sit; in praxi tamen, siue dum reipsa ponitur, ferè semper mala est, ideóque dicitur non consulenda. Qua etiam ratione dicunt alij quidpiam post factum licitum esse, non autem antè factum; non damnandum videlicet esse quod factum fuit, non tamen esse consulendum vt fiat, quæ videtur manifesta contradictio in terminis: si enim illud opus licitum est, cur consuli aut permitti non potest vt fiat; si verò malum est, cur postquam factum fuit non damnatur: sensus igitur est, tam lubricum esse eiusmodi opus propter varias circunstantias, vt vix vnus quamvis attentus, culpam in eo euitet. Idcircò consulendum minimè est propter ordinarium eiusmodi periculum, si tamen iam factum fuerit damnandum non est, & fortassis etiam sine culpa præstitum fuit, verbi gratia, licet quidem à mutuatario donante gratuito vsuras accipere, quia tamen vix gratuita solet esse ea donatio, maximè quando à mutuante petitur, nemo sapienter consulet mutuanti, vt postulet à mutuatario certam summam, quā gratitudinis vicem rependat beneficij, quod per mutuationem illi præstitutus est, si tamen sincero animo hæc omnia facta fuissent, damnari non posset iste mutuans ad restitutionem vsuræ sibi gratis donatæ, & à se titulo gratitudinis solius petitæ: eodem modo in materia Simoniæ & aliis quibusdam contingit: in quibus aliqua sunt, quæ abstractè atque metaphysicè considerata, immunia sunt omnis culpæ, quæ tamen physicè & in praxi vix vnquam carere possunt, atque adeò dicuntur speculatiuè, sed non practicè, aut vt expressiùs loquamur, in praxi probabilia esse.

In his porrò omnibus non attendendum tantum est, an opinio aliqua sit probabilis, aut probabilior in se, siue secundum principia intrinseca, siue secundum extrinseca spectetur, sed an ipsi operanti talis appareat, illius enim regula esse debet, quod manifestum est ex natura conscientiæ, quæ est iudicium & dictamen ipsius operantis, quo sibi aliquid licitum, aut illicitum esse hîc, & nunc certò, aut falsò, aut probabiliter, aut probabilius esse iudicat pro ratione diuersæ conscientiæ. Quare monet Ecclesiasticus *cap. 37. v. 17. Cor boni consilij statue tecum, non est enim tibi aliud pluris illo*: est nempè quisque in se ipso quasi tribunal boni consilij, cor suom constituat, in quo rem agendam & dubiam disceptet, & auditis aliorum consiliis definiat, quia cor tibi fidelius consilium dabit, quàm quilibet alius, & quod tibi summè conueniens maximè vtile, & in rem tuam consulet, se ipsum enim optimè nouit: vnde addit Ecclesiasticus: *anima viri sancti enuntiat aliquando vera, quàm septem circumspectores, sedentes in excelso ad speculandum*: quia anima sapientis & iusti ac sancti, qui nullo peruerso affectu in transuersum agitur, melius pronuntiat quid agendum sit, quàm multi speculatores, qui è speculo despiciunt quid circa geratur, quidve gerendum sit, nam & sæpè diuino lumine illustratur, quo ratio quoque naturalis ne erret & fallatur, dirigitur: vnde addit, *& in his omnibus deprecare Altissimum, vt dirigat in veritate viam tuam.* Non placet autem quod ait Layman. *lib. 1. tract. cap. 5. num. 5.* quoties apparet alicui vna pars contradictionis probabilior, posse quidem illum cohibere omnem assensum; si tamen alicui parti assentiri velit, cogi ad assentiendum probabiliori: Si enim minus probabili assentiatur, falsum iudicaret, quod fieri nequit, quamdiu illa probabilior apparebit; hoc inquam displicet, quia video simul post vtramque partem contradictionem esse probabilem, quamvis altera sit probabilior: quod si nomine assensus intelligat Layman. iudicium firmum de ipsa veritate propositionis, neutri parti poterit assentiri, quia neutram iudicare potest esse veram, nisi alteram oppositam iudicet falsam, quod fieri nequit, quandiu illam iudicat probabilem: iudicare nihilominus posset aliquam ex his opinionibus esse veram propter rationem aliquam certam & infallibilem, probabilem tamen tantùm apparere propter alias rationes & alia fundamenta; immò & opinionem quam falsam esse existimat, per argumenta nonnulla pluribus videri probabiliorem quàm oppositam, quæ reipsa vera est, eò quòd eius veritatis ratio occulta sit, & lateat ipsos etiam perspicaces; quæ omnia ex disputatis quondam in Philosophia manifesta fiunt.

§. III.

Notatio Tertia.

Quid sit tutior, & minùs tuta opinio.

11 Intet vatias diuisiones, quas vtpote faciliores, aut minùs huic loco idoneas omitto, quasque accuratius collegit Macagnanus Azognidus *lib. 1. de comm. opinione cap. 7.* celebris est ea, quæ illam in minus tutam & tutiorem partitur. Opinio tuta dicitur, quam sequendo non peccamus, ad quod probabilis sit, licet quia potest esse falsa, & non est certò vera, possit quoque in ea peccatum reperiri: Tutior verò est ea, quam sequendo impossibile est nos peccare. Si v. g. controuersia sit, an Titius obligetur ad restitutionem. Opinio, quæ dicit esse restituendum tutior est, quia restituendo non potest peccare; etiamsi ad id fortè non obligetur: opinio verò quæ eximit à restitutione minus tuta est, quia fieri potest, vt pecces, saltem materialiter non restituendo, cùm ad id reipsa obligeris, quamvis e obligatio non cognoscatur tanquam certa, sed solùm probabilis. Obseruant verò DD. opinionem probabiliorem & tutiorem non semper coincidere, quia opinio minùs tuta aliquando pluribus firmioribusque rationibus, aut DD. numero, & authoritate confirmari potest, quàm ipsi opposita, quæ tamen tutior est v. g. probabilius est te non obligari ad restituendum, quamvis tutius omninò foret te restituere, vt diximus. Hæc mihi nihilominùs diuisio opinionis probabilis ac tutæ in tutiorem & minus tutam nunquam probari potuit: Et vidi deinde displicuisse Ioanni Sanctio. *disp. 44. n. 66.* ac Ferdinand. à Castro *tract. 1. disp. 2. punct. 2. num. 4.* Et reuera reiecta fuit à Vasq. 1. 2. *disp. 62. num.* 44. Si eius mens attentius consideretur. Nam cum omnis opinio probabilis in moralibus tutam reddat conscientiam operantis, alioquin non esset practicè probabilis, quælibet erit æquè tuta, & æquè immunis à peccato, siue quælibet erit æqualis quoad imputabilitatem peccati, cùm actio ex qualibet illarum opinionum profecta culpâ omni careat, & ad culpam imputari non possit, neque qui vnam opinionem sequitur magis distat aut recedit à periculo peccandi, quàm qui aliam sectatur, qui restituit v. g. quàm qui non restituit, cùm æque impossibile sit non restituentem ex opinione probabili eum illâ obligatione eximente peccare; atque si restitueret ex opinione probabiliter illum obligante; & nullum omninò periculum peccandi est in sequenda alterutra opinione. Inter probabiles igitur opiniones nulla datur alterâ tutior aut securior, quoad imputabilitatem peccati, cùm nulla sit securior via quàm non peccare, & nullum omninò est in illis opinionibus periculum peccandi, ita vt formaliter imperanti imputetur, inquit Vasq. quamvis sit periculum faciendi id quod in re forsan peccatum & prohibitum est, quod non satis videtur ad culpam, aut culpæ periculum. Esse enim minùs vel magis tutum quoad imputabilitatem culpæ; non quoad materiale peccati, desumi debet. Itaque ratione periculi faciendi solùm materiale peccati, non debet dici opinio tutior contra Sanch. *lib. 1. in decalog. capit. 9. numer.* 14. sapienter enim dixit Henriq. in procemio suæ Theologiæ, distinguens inter Theologum & Medicum corporalem, cuius ignorantia sæpius necis occasio esse solet: sed qui inquit, sapientum & prudentum sententiæ probabili acquiescit, nullum patitur periculum conscientiæ: additque sanati vulnera, quæ inculpabili ignorantiâ ignota sunt: Ex diuina Indulgentia maluissem dicere, nullâ hoc loco ex inculpabili medentis aut ægrotantis ignorantiâ inferri vulnera, quamvis eædem causæ, quæ seclusâ eiusmodi ignorantiâ grauissimè vulnerarent, applicentur. Itaque frustrà verentur aliqui consulere opinionem probabilem, ne periculo peccandi eum, cui consulunt, obiiciant; cùm nullum reuera, sit eiusmodi periculum: quod obseruauit quoque Granado t. 2. *tract. 12. disput. 4. sect. 2. num. 15.*

Ex his quoque colligit Sanct. *disp. 44. citata numer.* 70. inanes esse aliquorum querelas de multitudine ac diuersitate Theologorum moralium, cùm eæ viam virtutis faciliorem reddant, & liberent importuno labore in omnibus veritatem assequendi, quæ cùm vsqueadeò occulta sit, numquam ferè certi esse possemus nos fuisse rectè operatos, & sine culpa, si opinionem probabilem sequi non liceret, vti dicam statim.

Ex his omnibus paulò fusius explicatis licebit certi aliquid statuere circa conscientiam opinatiuam siue probabilem, de qua sunt variæ pugnantésque; sed solis fortasse vocibus sententiæ, eæque satis implicatæ, quas distinctiùs recenset Sayr. *lib. 1. Clauis Reg. c. 5. toto.* Nos iis omissis, paucas istas regulas trademus: agimus verò de conscientiæ foro dumtaxat, de externo enim quoad delectum opinionum, commodior erit locus inferius.

§. IV.

Prima Propositio.

Tenemur operari iuxta opinionem & conscientiam probabilem, quando pars opposita inprobabilis est, nisi ignorantia inuincibilis excuset.

Expositio & confirmatio propositionis.

Contingit aliquando sententiam aliquam, quamvis non demonstretur euidenter, ita tamen certam esse moraliter, vt ne quidem in controuersiam vocetur, vel de altera parte contradictionis nulla sit opinio, aut saltem nonnisi improbabilis omninò, siue quia aut antiquata est, & reiecta, aut quia nullam habuit probabilitatem. Eo igitur casu dicimus, non modo licitum esse operari ex opinione probabili, sed etiam si circa eiusmodi materiam operari libeat, teneri nos sequi opinionem illam, neque fas esse operari ex opposita improbabili, nisi ex ignorantia inculpabili illam probabilem existimaremus. Id totum illustrat Lorca *1. 2. disp. 39. memb. 1.* variis exemplis, oscula, & tactus impudicos esse peccata tam certa est opinio, vt contraria, quam docuit Martinus de Magistris, ne quidem ab vllo deinceps probabilis censeatur. Non licebit igitur mihi vti eiusmodi osculis & tactibus absque peccato. Opinio quæ asserit fas esse accipere aliquid supra sortem in mutuo ratione damni emergentis ex illo, aut gratuitò omnino, & sponte oblatum, atque etiam postulare à fœneratore & vsurario pecuniam cum vsuris, quando dare omnino paratus est, & ad id cogimur: Hæc inquam opinio ita certa est, vt de contraria parte vel non sit opinio, vel non probabilis: hæc omnia igitur licitè & sine culpa fient.

Hæc propositio nostra sic explicata, à nemine prorsùs negari potest; qui enim ita operatur, habet certitudinem moralẽ rectitudinis suæ operationis; neq; maior requiri iure potest, cũ aut illa haberi sæpissimè non possit, aut cùm hæc sit humana, & humano operandi

atque

atque cognoſcendi modo proportionata; maior certè ab homine exigi non debet, aut poteſt. Quis enim amabo, virum illiteratum & ruſticum damnaret, qui ſententiam peritorum quos conſuluit, ſequeretur, quamvis nullam aliam certitudinem, aut euidentiam haberet, quàm eam, quam ipſi ſuppeditat fides humana, quam negare non debet viris probis, & eruditis in conſilium à ſe adhibitis. Cur igitur peccabit alius, qui in ſua operatione ſequitur quoque iudicium probabile & moraliter certum, quamvis non vſquequaque euidens & infallibile. Nefas verò eſſe operari ex conſcientia prorſus improbabili nemo non videt.

§. V.

SECVNDA PROPOSITIO.

Ex duabus opinionibus æque probabilibus licebit alterutram ſequi, & ex ea operari.

Expoſitio & confirmatio propoſitionis.

13 Hæc propoſitio æque certa eſt ac ſuperior; Et ſanè ſi nefas eſſet aliquam ex his opinionibus ſequi, ineptè reſponderent DD. ſæpiſſimè vtramque opinionem eſſe probabilem. Deinde ſi quid impediret, eſſet quia, vti obiicit Corduba *lib.* 2. *q.* 3. intellectus non habeter iudicium determinatum, quo pronuntiaret licitum eſſe operari ſecundum talem opinionem, eò quòd propter æqualia momenta vtriuſque partis maneat ſuſpenſus, dubius, & ad neutram partem determinatus: non licet autem ex dubia conſcientia operari, vt dicemus *q. ſequenti.* Verùm plurimùm intereſt, inter dubium, & illum qui iudicat: vtramque partem contradictionis eſſe probabilem, vti videmus in ſpeculabilibus: Qui enim dubius eſt, nullum iudicium determinatum habet, neque iudicat quidquam eſſe verum aut falſum, probabile, aut improbabile, videt quidem grauia argumenta in vtramque partem, ſed illa non ſoluit: quare hæret anxius & veluti ſtupore quodam perculſus. At verò qui iudicat vtramque partem quæſtionis propoſitæ, eſſe æque probabilem, habet iudicium determinatum, ſed æquale circa illum; ſoluit vtriuſque partis argumenta, & vtramque probabilem determinatè iudicat: quare vtramque problematicè tuetur. Idem contingit in operabilibus, iudicat enim determinatè, licitum probabiliter eſſe operari ſecundum vtramque partem, & non peccaturum ſi reſtituat, neque etiamſi non reſtituat, probabile quidem eſſe obligari ſe ad reſtituendum, probabile etiam eſſe ſe non obligari, quæ iudicia ſunt certa & determinata, atque prudentialia, & relinquunt optionem voluntati quod libuerit faciendi. Quod idem contingit, quoties intellectus proponit voluntati æqualia bona, alterum enim tunc poſſe eligi diximus 1. 2. contra Vaſq. *ibid. diſp.* 43. Azor. *lib.* 1. *cap.* 25. *quæſt.* 7. Pennot. *lib.* 1. *propugnac. libertat. cap.* 27. & alios, ſequuti verò ſumus Valent. 1. 2. *diſput.* 2. *q.* 8. *punct.* 3. Beccan. *ibid. tract.* 1. *cap.* 3. *q.* 1. Monteſino *tom.* 1. *diſp.* 17. *q.* 6. Salas. *tract.* 6. *diſp.* 1. *num.* 49. Koninc. *diſp.* 2. *de actibus ſupernaturalib. dub.* 5. *&* 6. Stultum enim foret à finis aſſecutione deſiſtere, eò quòd plura media omninò æqualia, atque vt ſic cognita ad eam aſſecutionem ſeſe offerant; Ridenduſque eſſet ille, qui fame periret, quia non poſſet eligere alterum è duobus panibus æqualibus ſibi oblatis, aut confodi ſe pateretur; quia cum pateant duæ viæ æquè commodæ ad euadendum, alteram præferre neſcit; Et ſanè, ſi voluntas nihil eligere poteſt, niſi quod iudicat melius in ordine ad finem, nunquam liberè eliget; quoties enim erit iudicium illud determinans, neceſſariò eliget; quando non erit, neceſſariò non eliget: hoc autem iudicium liberum non eſt, quia penderet à libera volitione, quæ iterùm liberum aliud iudicium præſupponeret, atque ita vel procedetur in infinitum, vel ad iudicium aliquod deuenietur in quo ſiſtat, & de quo recurret eadem quæſtio. Quæ omnia æquè vera ſunt in duobus finibus æqualibus ab intellectu propoſitis, quorum alterum eligit voluntas: Idem igitur dicendum eſt hoc loco; Vbi enim intellectus iudicabit vtramque partem alicuius contradictionis eſſe æquè operabilem, operabitur vti libuerit voluntas ex gemino illo iudicio prudentiali, & non peccabit alterutri conſentiendo. Hæc porrò iudicia de vtriuſque partis æquabili probabilitate non ſe deſtruunt inuicem, neque contradictoria ſunt, vti ſtatim oſtendam.

§. I.

TERTIA PROPOSITIO.

Licet operari ex opinione minus probabili relicta probabiliori.

Expoſitio, & confirmatio propoſitionis.

Hanc propoſitionem negant plures Summiſtæ *verbo opinio.* Caietan. & Armilla *eo verbo.* Corduba *lib.* 2. *quæſt.* 3. Anton. Perez *certamine* 10. *ſcholaſtico num.* 5. & alij, ſaltem quoad ſingulares aliquot caſus, de quibus agemus in conſectariis, ſequimur tamen plures magni nominis, quos dabit Sanch. *lib.* 1. *in decalog. cap.* 9. *num.* 14. Salas *tract.* 8. *diſp. vnica, ſect.* 6. *num.* 66. & Ioan. Sancti. *diſp.* 42. *p.* 2. *numer.* 12. quibus adde Ferdinand. *tract.* 1. *diſp.* 2. *p.* 2. *num.* 2. Monteſino 1. 2. *diſp.* 29. *quæſt.* 5. §. 3. Filliuc. *tract.* 21. *cap.* 4. *num.* 128. Peſant. 1. 2. *quæſt.* 19. *art.* 6. *diſp.* 2. Nider 3. *parte conſolat. cap.* 11. 12. *&* 13. quos ſequuntur paſſim recentiores, quamvis aliqui inter virum litteratum & illiteratum fruſtrà diſtinguant; noſtra verò propoſitio intelligenda eſt, vt per ſe quidem licitum ſit operari ex opinione minus probabili: nam aliquando ex variis circunſtantiis, & cauſis, nefas erit ſequi minus probabilem, non ratione minoris probabilitatis præciſe, ſed alicuius extrinſeci, de quibus caſibus dicemus in conſectariis. 14

Probatur igitur propoſitio, quia tunc neque temerè, neque imprudenter, neque contra propriam conſcientiam operamur; ea enim opinio quam ſequimur probabilis eſt; & ſicut in ſpeculatiuis licet opinionem probabilem amplecti ſine nota temeritatis, aut deceptionis periculo, ita & in moralibus conſcientia vera dictat, ex ea opinione probabili eſſe honeſtum agere. Deinde ſicut voluntas poteſt velle minus bonum cognitum relicto meliori, non quidem propter priuationem maioris boni, ſed propter aliquam bonitatem quam habet vti diximus contra Vaſq. 12. ita licebit operari ſecundum conſcientiam minùs probabilem, non propter priuationem reſpectu probabilioris, ſed propter propriam probabilitatem, ſiue intrinſecam ſiue extrinſecam. Quare haberi poterit iudicium prudentiale, licitum eſſe operari ſecundum opinionem illam probabilem, quamvis minus oppoſita. Denique cùm operaris ex opinione minus probabili, ſimul operaris ex opinione probabiliori, quia probabilior opinio eſt, poſſe quempiam operari ex opinione probabili relicta probabiliori.

Non eſſe porrò diſtinguendum hoc loco inter doctum & litteratum patet, quia doctus etiam ſuam ſingularem opinionem contra cõmunem ſequi poterit, cùm imprudẽs & temerarius non ſit modo explicato,

Si ea singularis opinio, probabilis ipsi prudenter appareat. Illiteratus verò, sicut vnì viro pio & docto quē consulit, credere potest, & illius sequi responsa, poterit quoque vnius alterius, quem magni fieri audiuit, & apud quem aliquid legit, iudicium contra propriam opinionem sequi, quâ enim in re erit disparitas. Quæ contra hanc propositionem nostram afferri solent, conscientiam dubiam impugnant, quare ad seq. quæstionem ea reiicimus.

§. VII.

Qvarta Propositio.

Licebit operari ex opinione minus tuta, relictâ tutiori, nisi damnum tertij, aut aliquid aliud extrinsecum obliget ad sequendam tutiorem.

Expositio, & confirmatio propositionis.

15 Retineo vulgarem distinctionem opinionis minùs tutæ & tutioris, ne in modo loquendi & vsu verborum videar à communi sensu dissentire. Hanc porrò nostram propositionem cum ea quam adiecimus limitatione, docent ij omnes, qui superiorem docuerunt, & iisdem omnino rationibus conuincitur, atque maximè ex notatione 3. confirmatur: cùm enim opinio, quam minus tutam appellant, tuta nihilominus sit, atque omnis culpæ expers, & periculi peccandi, si de formali peccato, & non de materiali peccati agamus, non apparet vnde nascatur obligatio semper operandi ex conscientia & opinione tutiori, cùm quoad peccati imputabilitatem, vtraque sit æque tuta: cum igitur conscientia non dictet esse peccatum in ea opinione sequenda, immò dictet licitum & tutum esse illam sequi, alioquin non diceret illam esse tutam; nihil omninò fit aut contra conscientiam, aut contra dictamen prudentiale; neque ipsa conscientia, quæ iudicium prudentiale sequitur, errat. Et sanè si obligaremur semper præstare quod tutius est, perpetuis scrupulis & dubiis angeremur, cùm res morales adeò perplexæ, & intricatæ sint, vt vix quid securius sit, appareat, aut ad multa grauia onèra, & admodum molesta cogeremur: vbi enim de restitutione suspicio, aut quæstio orietur, restituendum omnino foret, quia illa pars tutior est. Denique cùm sæpiùs opinio minùs tuta sit probilior; si tutiorem sequi debeamus, laborabit animus, an cum ea tunc sit minus probabilis, tunc adhibenda sit tanquam regula operationis. Itaque dicendum est, fas esse operari ex opinione minus tuta, sicut diximus de opinione minùs probabili. Quæ propositio, vti iam monui, intelligenda est attentâ solâ naturâ talis opinionis, & seclusis omnibus motiuis extrinsecis, ex quibus aliquando tutiorem amplecti tenemur: v. g. Confitentem per nutus solùm, & signa, absolui non posse, tutior opinio est, respectu absoluendi; si quis tamen oppositam tutam existimaret, atque etiam probabiliorem, deberet tamen ratione charitatis hanc tutiorem sequi & absoluere, vt ait Montesino *disp.2. quæst.cit.num.*176. & Sancti. *disput.*42. *num.*12.

§. VIII.

Qvinta Propositio.

16 Licebit, contra propriam opinionem probabilem ex aliorum sententia, etiam minùs probabili & tuta operari.

Expositio & confirmatio propositionis.

Hæc propositio sequitur ex superiori, & traditur ab iisdem DD. quia & opinione probabili aliorum poterit concipi iudicium prudentiale de honestate operationis hic & nunc; immò ad id sæpiùs nos teneri patebit ex Consectariis.

Difficultas tantùm est, an eo casu cogamur propriam opinionem abiicere, an verò eam retinere possimus, & simul alienam probabilem sequi.

Existimo vtrumque nobis integrum esse contra Ferdinand. à Castro *punct.*2. *citato*. Ratio manifesta est, quia possumus iudicare simul duas sententias oppositas probabiles esse, aut secundum eundem gradū probabilitatis, aut diuersum, vnamque alterâ probabiliorem, hoc est iudicare neutram partem esse certam, sed vtriusque rationes & fundamenta posse ingenerare assensum, non firmum tamen, & euidentem. In quo nulla est contradictio, etiamsi in vtroque hoc iudicio procedatur per principia intrinseca, hoc est effectus, causas, & naturam rei contra Vasq. 1. 2. *disp.*61. *n.*20. & 18. Et Azor. *tom.*1. *lib.*2. *cap.*16. *quæst.* 2. & alios recentiores, qui dicunt geminum hunc assensum haberi simul tantùm posse, quando vnus per motiua intrinseca, alter per extrinseca procedit, quos reiicimus, cùm Granad. 12. *tract.*12. *disp.*4. *sect.*3. *num.*18. Sanch. *lib.*1. *in Decalog. cap.*9. *num.*12. & 15. Montesin. *tom.*2. *disp.*29. *q.*5. *num.*167. Layman. *lib.*1. *tract.*1. *cap.*5. §.2. *dub.*5. Et Ouiedo *tract.*5. *controu.*3. *num.*16. *punct.*2. fusè; quia cum motiua assensus in gemino isto actu diuersimodè applicentur, etiamsi intrinseca sint, non facient idem formaliter motiuum: quod tamen requiritur ad contradictionem assensuum de eodem obiectu, quod totum patet etiam in speculatiuis, nam ex eodem medio diuersimodè applicato, diuersi quoque assensus & conclusiones eliciuntur, quia nempè motiuum non est solus medius terminus simplex & incomplexus, sed aliquid complexum: nempè præmissæ, in quibus idem medius terminus potest diuersimodè connecti, vt patet. Adde hos assensus de quibus agimus non negare idem de eodem obiecto: quare etiamsi habeant idem motiuum, non erunt contradictorij; non enim dicunt v.g. licitas esse, & non esse licitas vsuras in omni casu, sed probabile esse nullo casu licitum esse accipere aliquid supra sortem, & probabile esse aliquo casu licere aliquid supra sortem accipere. Quæ duæ propositiones non sunt contradictoriæ, quia in modalibus ad contradictionem negatio debet cadere in modum & non in dictum, vt: probabile est licitam esse acceptionem supra sortem, non probabile est licitam vnquam esse acceptionem supra sortem; in his autem assensibus probabile est nunquam licitas esse vsuras, probabile est aliquando licitas esse vsuras, id non contingit vt vides. Quare nulla fuerit contradictio: poterit igitur retineri propria opinio, & simul haberi probabilitas alienæ, atque ad eam dirigi opus, neque quidquam fiet contra propriam conscientiam vt diximus.

Quod verò obiicit Ferdinand. iudicium quod dirigit suam actionem esse tuum, non alterius; debes enim iudicare te non esse obligatum v.g. ad restitutionem, & non tantùm iudicare alios ita sentire, vt licitè abstineas à restitutione; atqui non potes simul iudicare te esse obligatum, & non esse obligatum: debes igitur alterum ex istis iudiciis deponere: hoc inquam non vrget, quia iudicas probabile esse te esse obligatum, & simul probabile esse te non esse obligatum, quæ propositiones non sunt contradictoriæ, cū vtraque sit affirmatiua, vt ex regula modalium constat, ac proinde licitè operabimur ex vtroque iudicio. 17

Validius

Validius videtur quod alij obiiciunt, inde sequi formidinem actualem partis oppositæ, cum qua nequit suscipi honesta actio; ad hanc enim requiritur omninò iudicium practicè certum de eius honestate, quæ fuit vera mens Caietani *in summa verf. opinionum vsus.* Cordubæ & aliorum, a quibus vix discedit Suar. *t.2.tract.3.disp.12.sect.3.num.2.* & omnino illis consentit Layman. *lib.1.tract.1.cap.5.num.4.*

Resp. nihilominus actionem susceptam, ea dictamine conscientiæ practicè probabilis honestam esse, quamvis adsit formido partis oppositæ. Ita fusiùs Montesin. 1.2.*disp.29.quæst.5.num.*181.quia cùm formido, vti monebam notatione prima, nascatur ex actu reflexo, quo iudicamus opinionem cui adhæremus non esse euidenter veram, & oppositam non carere verosimilibus rationibus, quibus sine temeritate persuadeatur, & reipsà grauibus & doctis viris persuasa sit, si propriæ sententiæ probabilitatem retineamus, fieri nequit, vt cum aliena sententia probabili operamur, simul non sentiamus contrariam nostram sententiam posse esse veram, & eam quam sequimur falsam; quia tamen ea formido non tollit determinatum assensum, neque facit vt animo pendentes hæreamus, non operamur contra conscientiam, sed eam sequimur, aut alteram partem ex iis, quas sequendas aut eligendas practicè permittit conscientia, complectimur, neque agimus cum periculo peccandi, cùm non possimus peccare operando ex conscientia probabili, neque cum dubio peccandi, quia conscientia probabilis omne dubium peccandi excludit, atque ita certi semper sumus de honestate operis & non dubij, quod vnum fortassis volunt aduersarij; certi verò sumus opus ex opinione probabili susceptum, licet opposita sit aut tutior aut probabilior, honestum esse.

§. IX.

Obiecta aduersus vniuersalem hanc Doctrinam.

17 Aduersus doctrinam hactenùs traditam, nimirum licitum esse operari ex opinione probabili, atq; etiam relictâ probabiliori, & tutiori conclamant totis buccis aliqui recentiores, eámque nouam à Iesuitis inductam, morum corruptricem, ac demum falsam esse contendunt, indéque Theologiam moralem Iesuitarum per omnia compita & theatra thrasonicè traducunt; sed hanc triplicem calumniam diluere non erit operosum, si quæ disputata sunt hactenos de natura probabilis opinionis, & propositionum quas constituimus, memoriâ teneas & percipias.

18 Et quidem calumniam nouitatis huius Doctrinæ, quasi recens ab vnis & solis Doctoribus *Societatis Iesu* cusa fuerit, non ita pridem cum allegatis aliis authoribus, iisque etiam veteribus illustribúsque nominibus in hac disputatione repulimus, quod etiam accuratiùs præstitit Amed. Guim. opusculo quo Doctrinam, quam æmuli quidam Iesuitarum illis solis attribuunt, vt inde in inuidiam trahant circa plurimas controuersias, vel falsò illis adscribi, vel aliorum communem esse, & à veteribus traditam luculenter, & diligenter adductis ipsorum verbis ostendit; idque ipsum circa eam quam modò versamus controuersiam singulari titulo, neque minori diligentiâ præstitit Stephanus des Champs eiusdem *Societatis* Theologus; *proprio opusculo*, quo quærit, an sententia quæ docet licere ex opinione probabili & tuta operari, relictâ probabiliori & tutiori, sit propria Theologorum *Societatis Iesu.* & ideò quæstionem facti iure inscripsit, quia non disputat veráne sit ea sententia secundum vtramque suam partem; sed illud duntaxat, an ea ita propria sit *Societatis Iesu*, vt aliis Doctoribus fuerit hactenus incognita, & non nisi à Iesuitis in orbem inducta, cui ante conditam *Societatem* inaudita fuerat. Quæ quæstio prorsus facti est, & prolatis tabulis, atque diuersorum Doctorum codicibus definiri nullo negotio potest, ab eo qui litteras latinas sciuerit. Ego ne actum agere videar, summâ diligentiâ ab hac numeratione abstinebo, cùm liber ille, sicut & Amedei Guimenij, omnium teratur manibus, eámque veram & cómmunem esse sententiam tum veterum, tum recentiorum testantur Bossi. *tit. de conscien.* §.17. & *in appendice ad tit.* 1. vbi candidi Phalalethi argumenta contraria dissoluit *num.* 2377. Stephanus Spinola Somniaschæ congregationis, *opusculo de libera & prudenti agibilium electione in moralibus*; in ipsa præfatione ait; opinionem hanc recentiorum omnium, calculo, & vniuersali ferè populorum vsu confirmatam esse. De eadem communitate testantur absolutè Didacus Nugous *in additio. ad 3. part. quæst.*8. *art.5. dub.3.* Georgius Martines *tom.1.in 1.2.ad q.19.art.6.* Petrus Ledesma *2. part. summa Hispanica tract.*8. *cap.22.sub fin. vndecima conclus.* ait diuini perinde naturalisque iuris esse, licere iudici sequi opinionem probabilem relictâ probabiliore; addit hanc sententiam esse plurium Doctorum, ac præcipuè discipulorum S. Thomæ. *in 2.2.exponendo articulum 4.quæst.64.* Ioan. Ildephonsus Baptista *in 1.2.disp.*208.*dub.6.num.*549. pro ea sententia XXXIV. Doctores & argumenta septem profert, eámque tandem & ipse amplectitur, *fragm.4. conct.5.* Ioann. Baptista Hacquetus *in 1.2. tract. de conscient. contron.*14. vbi aliquos pro ea sententia, quam & ipse tenet, adduxit: ait communius illam doceri. Didacus Aluar. *in 12.disp.*80.*num.4.* ait à doctissimis Thomistis tradi, quos ipse sequitur. Consentit Nicolaus Isambertus 1.2.*dist.9.art.4.* esseque quamplurimorum S. Thomæ interpretum, de communi quoque sententia testatur Caramuel *in Theologia fundamentali num.*302. sicut & Ludouic. Bail, *lib. de triplici examine quæst.* 12. Vbi communiorem vocat Michaël Salonius *de iustitia & iure, controu.2. conc.4.ad art.4.quæst.63.in 2.2. S.Thoma* ait, multos ac grauissimos Doctores, ac maximè ex discipulis S. Thomæ. Quod & de communi opinione Petrus Corneio 1.2.*tract.8.disp.3. dub.6.* Petrus de Lorca *in 1.2.disp.39.* id hoc tempore receptum Ioan. Ponc. *in cursu Theologico disp. 24. quæst.3.* communiorem esse sententiam. Hieronymus Garcias *in summa morali Hispanica* tam communem & securam esse dicit hanc conclusionem, vt solus Machado *Aur.5.num.2.* pro se alleget 45. recentes authores. Iacobus Raggius *Centuria 1.de regimine regularium, parte 3.dub.46.* infinitos eandem opinionem tenere. Communem denique esse affirmant Marcus Vidal *in arca vitali, titulo de opinione probabili, inquisitione 5. num.45.* in eamque rem citat XVIII. Authores Franciscus Merolla *tom. 1. Theologia moralis, disp.3.cap.41.num.24.* adducit XXV. Petrus Nauarra *lib.3.de restit. cap.1. num.*237. communiorem Theologorum; Montesinus à nobis superiùs laudatus 1.2. *disput.29. quæst.* 5. §.3. communem in Scholis. Ann. Garc. *de benefic. part. 5. numer.* 361. Ioseph. Rocaful *in praxi Theologiæ moralis part.5. tract. de conscientia lib.3. capit.6. numer.49.* communiorem & magis receptam à Doctoribus dicit Ioann. Machado in opere Hispanico, cui titulum fecit, *Perfectus confessarius.* Communem apud Doctores Pezantius 1.2.*q.19.art.6.disp.2.n.3.* magnorum virorum authoritate fultam Richardus Hallus *tractat. de conscientia lib.2. capit.9.* Vides igitur

R.P. Ioseph. Gebalinus de Scient. Can.

luculento insignium Doctorum testimonio sententiam, quæ docet ex duabus opinionibus probabilibus & tutis, fas esse probabilem vnam & tutam relictâ probabiliori & tutiori sequi, communem in Scholis & toto orbe receptam esse, vt minimè fuerit opus, singulos DD. qui idipsum disertissimè pronuntiant & sequuntur recensere; quod tamen diligenter sapientérque præstitum esse ab Amedeo Guimenio, & Stephano des Champs notauimus *initio huius* §. Vt infrunitum aduersariorum os oppessulatem, nobis satis erat nobilissimæ Parisiensis Academiæ sensus, quem in solemni & magistrali definitione, atque decreto, quod integrum nos aliàs in tractatione de simonia excripsimus ex Dionysio Carthusiano *in 4. dist. 25. q. 5.* & *lib. 2. de Simonia*; consulti enim magistri Parisienses à Doctoribus aliis, an liceret à fœmina recipienda in Monasteriom exigere temporalia pro spiritualibus ad quæ admittitur. Respondet Academia in citato casu, in ingressu Monasterij dari posse temporalia pro spiritualibus, modò in omnibus seruetur debitus ordo & recta intentio, hoc est, vt ipsa sese *ibidem* explicat, non dando tanquam pretium spiritualium, faciendo commutationem vnius pro alio, subiungit tamen, tutius esse quod nihil petatur vel exigatur. Probat igitur Academia opinionem minùs tutam, eámque in vsu & praxi permittit, quamvis contrariam tutiorem existimet. Licet igitur ex mente Academiæ magistraliter, vt ita loquar, definientis operari ea opinione minus tuta, & contrariam licet tutiorem cognitam relinquere: quid hoc nobilissimo testimonio illustrius? vnde testationem habere possumus communiorem scholæ sensum.

Obiiciunt tamen S. Thom. *quodlib. 8. artic. 13.* & *quodlib. 3. art. 10.* contrarium omninò censere, qui cùm præcipuam in schola factionem ducat, non potest eius opinio non esse sequacium eius, ac proinde maiori scholæ parti communis: priori verò loco S. Doctor ait, ex duabus opinionibus contrariis alteram necessariò veram esse, alteram falsam: *aut ergo* inquit *ille, qui facit contra opinionem Magistrorum, vtpote habendo plures præbendas, facit contra veram opinionem, & sic, cùm faciat contra legem Dei, non excusatur à peccato, quamvis non faciat contra conscientiam: Sic enim contra legem Dei facit, aut illa opinio non est vera, sed magis contraria, quam iste sequatur; ita quod verè licet habere plures præbendas, & tunc distinguendum est, quia aut talis habet conscientiam de contrario, & sic iterum peccat contra conscientiam faciens, quamvis non contra legem; aut non habet conscientiam de contrario, sed certitudinem; sed tamen in quandam dubitationem inducitur, ex contrarietate opinionum; & sic, si manente tali dubitatione, plures præbendas habet, periculo se committit, & sic proculdubio peccat, vtpote magis amans beneficium temporale, quàm propriam salutem, aut ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur; & sic non committit se discrimini, nec peccat.* Initiò verò dixerat duobus modis aliquem obligari ad peccatum. *Vno modo faciendo contra legem, vt cum aliquis fornicatur, alio modo faciendo contra conscientiam, etsi non sit contra legem, vt si conscientia dictat alicui, quod leuare festucam de terra sit peccatum mortale, ex conscientia autem obligatur aliquis ad peccatum, siue habeat certam fidem de contrario eius, quod agit, siue etiam habeat opinionem cum aliqua dubitatione: illud autem quod agitur contra legem semper est malum, nec excusatur per hoc, quod est secundum conscientiam; & similiter quod est contra conscientiam est malum, quamvis non sit contra legem; quod autem nec contra conscientiam, nec contra legem est, non potest esse peccatum.* Ex qua posita doctrina definit quæstionem propositam de pluralitate præbendarum. *Dicendum ergo est* inquit, *quod quando duæ sunt opiniones contrariæ de eodem, oportet esse alteram veram, & alteram falsam.* Deinde subiungit verba superiùs relata, *aut ergo ille qui facit contra opinionem Magistrorum*, &c. *quodlib. 3. art. 10.* quærit an discipoli sequentes diuersas opiniones Magistrorum, excusentur à peccato. Respondet verò, quod diuersæ sunt opiniones Doctorum sacræ Scripturæ, si quidem non pertineant ad fidem & mores, absque periculo auditores vtramque opinionem sequi possunt. In his verò quæ pertinent ad fidem & mores, nullus excusatur, si sequatur erroneam opinionem alicuius Magistri. Probat, quia alioqui discipuli Arij, Nestorij, & eiusmodi aliorum non peccassent, additque neque simplicitatem Auditorum illos excusare, quia rebus dubiis non est de facili præstandus assensus; Et quia ex August. *lib. 3. de doctrina Christ.* consulere debet quis regulam fidei, quam de scripturarum planioribus locis & Ecclesiæ authoritate percepit: Quare concludit S. Doctor, qui ergo assentit opinioni alicuius Magistri contra manifestum Scripturæ testimonium, siue contra id quod publicè tenetur secundum Ecclesiæ authoritatem, non potest ab errore tutus excusari.

19 Ex his S. Thomæ locis posterior nullâ ratione fauet aduersariis, à quibus ad suam opinionem confirmandam adducuntur; cùm S. D. ibi agat de opinione erronea, quæ est contra expressam, authoritatem scripturæ, & quod communiter secundum Ecclesiæ authoritatem tenetur: nam errorem sequi propter vnius Magistri authoritatem, nemo potest sine errore; nos verò disputamus de opinione probabili quæ & ratione probabili ducitur, & neque cum Scriptura, neque cum commum sensu, authoritate Ecclesiæ firmato, aut passim accepto pugnat, neque dubitationem in qua fluctuet & hæreat animus, sine assensu in alteram partem, & denique, quæ habeat omnia, quæ initio huius quæstionis *notat. 1. & 3.* ad opinionem, eámque probabilem necessaria esse diximus. Quare cùm S. Thomas de ea quæstione non loquatur eo loco, sed de opinione erronea, inutiliter nobis obiicitur; Immò potius nobis fauet, vti sapienter argumentatur Stephanus Spinola *lib. de libera & prudenti agibilium electione in moralibus, disp. 3. sect. 4.* Si enim in iis, quæ ad fidem & mores spectant, non excusatur, qui sequitur opinionem sui Doctoris erroneam, & contra manifestum Scripturæ testimonium; ergo qui in spectantibus ad fidem & mores sequitur opinionem sui Doctoris, quæ neque erit erronea, neque contra manifestum Scripturæ testimonium, aut publicam Ecclesiæ authoritatem, excusabitur à peccato ex S. Thom. argumentum enim à contrario bonum est, & exceptio firmet regulam, atqui opinio probabilis siue circa fidem, siue circa bonos mores, neque erronea est, neque contra Scripturæ manifestum testimonium, neque contra publicam authoritatem Ecclesiæ, alioquin non esset probabilis, qualem tamen esse supponimus hoc loco, & de qua sola modò disputamus.

20 Difficiliora & obscuriora videntur priora verba S. D. *ex quolib. 8. art. 13.* illa tamen S. Antoninus *1. p. tit. 3. c. 10. §. 10.* disertè explicat; & quidem eo modo, quo nos superiorem locum exponebamus. *Hæc* inquit, *verba B. Thomæ non possunt intelligi, nisi de his, vbi manifestè patet ex Scriptura, vel Ecclesiæ determinatione, quod sint contra legem Dei, & non de illis intelligit.* Vbi non apparet, aliàs sibi contradiceret in eodem libro, quod non est credendum. Pergit deinde Antoninus ostendere, vbi non reperitur Scripturæ, vel Ecclesiæ determinatio, licitum esse quam libuerit opinionem probabilem sequi. Primò authoritate Vlerici *in summa. responsio Alberti magni.* Hostiensi Guilielmo in Glossa Raymondi

mondi

mondi, Petro de Palude *in 4. dist. 17.* Gofrido de fontibus, Richard. Claromontensi & Cancellario: & probat, qoia etiam in materia fidei ex contrariis Doctorum opinionibus fas est alterutram sequi, quandiu Ecclesia nihil determinauit, ideóque Ioachimum Abbatem, quamvis contra Magistrum sententiarum tenuisset sententiam, quam deinde damnauit Ecclesia, *cap. damnamus, de summa Trinit.* non fuisse hæreticum habitum: eodem sensu mentem S. Thomæ in loco quem versamus explicat Sylu. *v. opinio n. 1.* non excusari istos sequentes opinionem Doctorum contrariam iis, quæ sunt claré & manifestè determinata alicubi, atque ita S. Thomam conciliat cum Panormit. *in cap. Capellanus de feriis* ac Gofrid. *gloss. in idem cap.* atque cum Glossa multis aliis locis, quos allegant, dum dicunt sequentem opinionem sui Doctoris excusari à peccato, quia Panorm. Glossa, alijque deinceps loquuntur in obscuris; S. verò Thomas in claré & manifestè determinatis citat & Arcbidiacon. qui eadem ratione intelligit S. Thomam dicentem, quod in opinionibus faciens contra verum; licet non contra conscientiam, non excusatur à præcepto, puta habendo plures præbendas, quia facit contra legem Dei, nempè manifestè ita iubentem, aliàs, inquit, Archid. contradiceret sibi in eodem libro, quod non est credendum, & est verum, quia in talibus non excusat ignorantia; & sanè eiusmodi ignorantia contra manifestam determinationem legis vel Ecclesiæ aut vincibilis & culpabilis est, aut esse iure præsumitur. Affert præterea Syluest. Monachum, qui affirmat non generari aliquod præiudicium veritati, cum inter diuersas opiniones à magistris approbatas, & scripturis authenticis annotatas, illam quis amplectitur quæ sibi videtur magis consona rationi, atque S. Thom. dicebat illum tunc non peccare contra conscientiam, secundum quam facit, sed peccare contra legem. Debet igitur intelligi de eo, qui facit contra legem manifestam, & de ignorantia vincibili ac culpabili illius legis, alioquin vt sapienter addit Sylu. etiam in manifestè determinatis, qui laborat ignorantiâ pro tunc inuincibili excusatur, in obscuris autem, hoc est non claré determinatis, qui vel ex affectione sui Doctoris iudicat probabiliter, vt sibi videtur esse veram, quod est falsum, excusari ait Sylu. quia non est in dubio, cùm probabilibus rationibus flectatur ad vnam partem, & habeat certitudinem moralem, quæ nascitur ex probabilibus, vt iterùm monebimus inferiùs ex Aristotele: Antonino adhærere se ait Nauarr. *de pœnit. dist. 5. n. 58.* vt qui rem totam eruditè & vtiliter declarauit. Denique licet, fateremur verba S. Thom. relata *quodlib. 8. art. 13.* paulo obscuriora videri, non possumus illa melius ad S. Doctoris mentem interpretari, quàm ex communi suorum discipulorum, & totius scholæ Thomisticæ sensu, nisi alionde nobis perspicuè de eius mente constet. Voluit igitur S. Doctor, in manifestè determinatis conscientiam sequentem alicuius magistri sententiam non excusare à peccato, quia eiusmodi conscientia probabilis non est, sed erronea, quin immò, si in dubitationem adducatur, vt loquitur, & cum illo dubio operetur, peccabit omninò, nisi dubium prius deposuerit: ea siquidem scientia dubia est & non probabilis, vti sapienter monent Antoninus, Sylvester, Nauarrus & alij passim, nosque *q. sequenti* demonstrabimus. Disertéque S. Thom. affirmat eo loco, quando quis ex contrariis opinionibus in nullam dubitationem adducitur non committere se discrimini, & sic non peccare, quia nimirùm non dubitans operatur, & vbi ipse loquitur manente tali dubitatione, qui verò ex opinione probabili operatur, dubitationem excludit; & quamvis non excludat omnem formidinem contrariæ veritatis, vni tamen parti adhæret, vti ostendimus *initio quæstionis huius in notatis*; & iterùm *q. sequenti* monebimus. Neque aliter S. Thomam interpretari possumus, nisi fateamur, vt sapienter aduertunt Antonin. & Archidiacon. illum secum intra paucas lineas pugnare. Cùm enim dicat, quidquid contra legem vel contra conscientiam agitur semper malum esse, & conscientiam non excusare quod committitur contra legem: neque legem excusare quod fit contra conscientiam, quæ dictat falsò aliquid esse contra legem, vti in scrupuloso tollere humo festucam, necessariò loquitur S. Thomas de lege cognita, quam tamen violat operans sequens opinionem sui Magistri; tunc enim non potest habere conscientiam de rectitudine suæ actionis & opinionis, cui videt repugnare legem, ac proinde habet conscientiam erroneam, quæ certè non excusat à peccato; quando verò lex non prohibet, quod tamen ab illa prohiberi existimat scrupulosus, aut errans, vel saltem dubitans, si contra eiusmodi falsò existimatam prohibitionem faciat, peccat, quia facit contra conscientiam dictantem legis prohibitionem, quamvis falsò, quia quamdiu non deponit falsam illam existimationem aut actualem dubitationem, eodem modo se gerit contra legem, atque si vera foret ea legis prohibitio, vti diximus nuper disputantes de conscientia erronea, & dicemus inferiùs, vbi de conscientia dubia. Quare sapienter S. Thom. allatis verbis distinguit inter operantẽ manente dubitatione, ex contrarietate opinionum inducta, & eum qui sine tali dubitatione operatur: quia primus periculo se committit, & ideò peccat; secundus non committit se discrimini, nec peccat. Cùm igitur dicit S.D. committentem contra legem, licet sequatur conscientiam, peccare, & agentem quoque contra conscientiam peccare, intelligendus omninò est de agente contra legem manifestam & cognitam, vel cum actuali dubitatione de eius obligatione; tunc enim conscientia non excusat à peccato. Quod si agat contra conscientiam intimantem licet falsò obligationem legis, peccabit quoque, quia violabit legem, quâ tunc se teneri dicit; & tandem concludit sine dubitatione operantem, & alteram ex opinionibus contrariis sequentem, non peccare, quia non committit se discrimini; habet enim certitudinem moralem, quam reperiri in probabili opinione, licet non reperiatur in dubio sæpiùs monuimus, & ampliùs constabit statim.

Ex quibus omnibus videas qoàm imperitè, vt nihil grauius dicam, aduersarij hanc nostram sententiam de licita operatione ex opinione probabili & tota, etiam relictâ probabiliori & tutiori, si solios ratio probabilitatis & securitatis habeatur, & non adsint aliæ circunstantiæ, ex quibus ad eligendam vnam potiùs quàm aliam ex duabus contrariis obligetur, vti obligari aliquando posse ostendemos in consectariis, hanc inquam opinionem tanquam nouam & Doctoribus Societatis nostræ singularem, ab iisque primùm inductam proteruè prædicent, ex eaque nobis infamiam creare satagant; quam communem toti scholæ Theologicæ, & ante natam nostram societatem ab ipsis etiam Academiis suis decretis probatam demonstrauimus. 21

Verùm multò insignioris audaciæ est, eandem communem opinionem à tam eximiis & illustribus Doctoribus toto orbe celebratam, & communi ferè consensu traditam, tanquam morum corruptricem & omnium vitiorum ac scelerum originem apud Imperitos thrasonicè traducere, vt quos ipsius primos authores impudentissimè mentiuntur tanquam Christianæ Reipublicæ pestes, & orbis vomicas, qui suâ

doctrinâ præbent, foueantque vniuersa scelera piis omnibus exosos reddant. In hac conuitiandi arte, omnium audacissimum se præbuit Ioannes Sinnikius Hibernus in sua Farragine *de Saule ex rege*; sic enim inscripsit, in qua Saulis Regis exautoratione pauca dé infinitis aliis rebus nullo ordine, nulla connexione & acolythia perturbatissimè agit, & perplura falsa, noua, & singularia ipsemet tradit, quæ suis locis expendemus; non placet enim perturbatissimum scriptorem imitari, & omnia quo primùm loco occurrunt, dicere Hic igitur opinionem de qua agimus, & quam Neotericorum perpetuò falsò nominat, cum veteribus communem fuisse demonstrauerimus, ait *cap.* 94. §. 353. accedere ad errorem Libertinorum, Gnosticorum, & Manichæorum, qui vt ostenderent §. 349. solâ humanâ opinione differre negotii bona & mala dicebant, & qui aliquod facinus exultante perpetrauerit audaciâ, velut credens se ex fide facere, quod malè facit, euasit peccatum: Denique nihil esse peccatum, qui se peccare putant. §. 355. comparat communis opinionis Doctores cum palponibus indaïcis, quos damnat Isa. *cap.* 3. *v.* 12. qui suis blanditiis populum decipiebant, dum illum beatum dicebant, & viam gressuum ipsius dissipabant, quem locum illustrat ex Basil. Hieronym. August. Cypriano. Paulino. Quare hanc inuentam opinionum probabilitatem, quatenùs per eam inducitur conscientiarum securitas. Confert deinde §. 356. cum Eunomij doctrina, qui cum vti ostenderat §. 347. libertinismum in Ecclesiam reuehere tentasset, iactabat se nouum cœli tramitem priscis incompertum, & dilatasse viam salutis, ipsamque faciliorem reddidisse, vt ipsi obiecisse ait S. Basil. *lib.* 2. *aduersus illum.* Idem iactare ait probabilitatis opinionum inuentores, se nempe dilatare viam salutis, quam Christus angustam dixit. Quare in eos expromit quæ Paulinus ea de re habet *epist.* 50. *ad Celantium.* §. 357. ait, Christum minimè dixisse: Ego sum probabilitas, sed *ego sum veritas*: addit & illud Prouerb. 1. *vers.* 12. *Est via quæ videtur homini iusta, nouissima autem eius deducunt ad mortem.* Et illud Isaia 5. *vers.* 20. *Væ qui dicitis malum bonum*: & addit illud Lactantij *lib.* 3. *cap.* 13 *Ne trahamur authoritate cuiusquam, sed veritati potiùs faueamus, & accedamus: nullus hic temeritati locus est, in æternum stultitia pœna subeunda est, si aut persona inanis, aut opinio falsa deceperit.* Quò etiam pertinent, quæ de cauendo errore in philosophia morali *eod. lib.* 5. scripserat. *cap.* 3. Denique procacitatem esse palliationem ignorantiæ; ignorantiam verò non excusare saltem in iis, quæ sunt iuris naturalis, licet sit inuincibilis pluribus capitibus, nempe 96. 97. & sequentibus. Itáne verò vir audacissime Doctores sanctitate & eruditione illustres, ipsasque etiam nobilissimas Academias, qui sententiam istam summâ consensione docuerunt, docéntque cum Gnosticis, Manichæis, Eunomianis similes, & palpones ac pseudo-prophetas facis, qui fictis mendaciis orbem Christianum dementent, vitia pro virtutibus obtrudant, & suos sequaces per vias lutulentas & tenebrosas præcipites agant in ruinam. An-non tot sanctissimorum Episcoporum maiestatem, tot Doctorum hominum exquisitam eruditionem, Academiarum nobilissimarum authoritatem, atque orbis vniuersi consensum te reuereri oportuerat; sed quis nescit inuido homini & maleuolentissimo nullam esse frontem.

22 Ne tamen nos solâ authoritate pugnare & vincere videamur; quæ est solùm probabilitas extrinseca, quam ridet Sinnikius §. 38. age, expendamus quibus tandem armis innumeras Doctorum phalanges noui isti & temerarij pugiles prouocare ad certamen audeant, quibusve rationibus communem sententiam falsam esse contendant; nimirùm opinionem probabilem coniunctam esse cum formidine partis oppositæ, quæ potest esse vera, & ne vera sit; ideóque ex opinione probabili operans non habet certitudinem de rectitudine suæ operationis, sed de illa ambigit, & exponit se periculo malè operandi; atque idcircò malè operatur & peccat, vti argumentabatur S. Thom. superiùs adductus: nemo prudens obiicit se discrimini ne pereat, & nisi perire velit, si tale periculum vitare poterat.

Secundò, opinio nostra non facit rem veram, aut falsam, neque bonam & malam, neque quod nobis æquum & rectum videtur esse, eo ipso rectum & æquum; atque vt dicebat Lactantius adductus, *nullus est temeritati locus; in æternum stultitia pœna subeunda erit*: quod maximè verum est, quando quis probabiliorem & tutiorem opinionem quam sequi poterat, volens & sciens abiicit, vt aliam quam minus probabilem & minus tutam esse videt, amplectatur: tunc enim non potest non existimare se periculum errandi & malè operandi incurrere.

Tertiò, quod qui sequatur vnam potiùs opinionem, quàm oppositam, cùm sint æqualis probabilitatis, & multò magis quod dimittat probabiliorem cognitam, non potest oriri nisi ex voluntatis affectu, qui proinde prout libuerit constituet bonum aut malum in rebus, siue bonum & malum non erit, nisi ex opinione & affectu operantis, vti censebant Gnostici, & alij à nobis nuper reiecti:

Quartò, nequit intellectus iudicia opinatiua opposita probabiliora circa eandem propositionem habere ex solis principiis intrinsecis, vel extrinsecis diuersis, & diuersimodè applicatis; quod candidus Philalethus *disputatione de praxi opinionum q.* 3. *&* 6. pluribus ostendere conatur. Distinguit verò duo ista iudicia, vnum quo quis iudicat aliquid esse probabile, aliud quo iudicat aliquid probabiliter; & primum quidem iudicium haberi potest circa vtramque partem contradictionis, quam vtramque intellectus potest iudicare esse probabilem, v.g. cambium recursæ licitum esse, & non esse licitum, quia propositionem esse probabilem est illam apparere veram, cum aliquo fundamento, & motiuo non leui veram esse; potest verò vtraque contradictoria contingere propter diuersas rationes & media, siue motiua cognoscendi apparere vera, & consequenter iudicari ab intellectu propter diuersa illa media probabilis; & obiectum eius esse licitum & non esse licitum, quia tunc iudicat intellectus quod vtraque contradictoria per diuersa media apparet vera & licita, quod est, vtramque esse probabilem; hoc verò iudicium censet Philalethus esse scientificum & non opinatiuum, quia intellectus scit rationes propter quas vtraque pars contradictionis vera apparet, esse grauis & magni momenti, non tamen esse necessarias, euidentes, & conuincentes, sed probabiles dumtaxat, & eiusmodi vt contrariæ possint esse veræ, & res ipsa, siue obiectum vtriusque partis contradictoriæ aliter se habere, quod totum euidenter cognoscit intellectus, alioquin non iudicaret propositionem esse tantùm probabilem, sed omninò veram. Itaque hoc iudicium de probabilitate propositionis, v. g. Cambium recursæ licitum est, est iudicium de probabili obiecto, & de probabilitate honestatis, & semper euidens existit, non est tamen iudicium de veritate honestatis, sed vt ait de eius probabilitate.

Alterum iudicium quod opinatiuum nominat Philalethus, est iudicium de re ipsa, seu de esse rei ipsius, & cadit super veritatem propositionis, siue est iudicare propositionem esse veram: atqui non potest

intellectus

intellectus opinari & iudicare vtramque partem contradictionis esse veram, cum reuerà vtraque vera esse non possit, & esse rei vno tantùm modo affirmatiuè vel negatiuè habere se possit, & quod inde sequitur vna tantùm pars iudicari quod sit, vel non sit, hoc est, quod vera sit, vel non sit. Huc trahit Philalethus Ferdinand. à Castro Palao, & alios à nobis *notat. 2. & 3.* adductos, dum negant in eodem intellectu posse reperiri simul duos assensus contrarios probabiles, per diuersa licet principia & motiua, siue intrinseca, siue extrinseca; quia intellectus proposità veritate obiecti non est liber vt assentiatur vtrique parti contradictionis, sed illi tantum parti, quam veram existimat & videt: illa autem est vna tantum ex contradictoriis. Quare DD. qui censuerunt posse dari in eodem intellectu duos assensus opinabiles contrarios de vtraque parte contractionis per diuersa media, delusi sunt, quia existimarunt idem esse iudicare vtramque partem probabilem, & præbere assensum opinatiuum vtrique parti: quæ duo tamen plurimum differunt: quia assensus opinatiuus non cadit supra probabilitatem, sed supra veritatem propositionis; iudicium verò de vtriusque contradictoriæ probabilitate cadit super probabilitatem, non super veritatem propositionis, & non est opinatiuum, sed scientificum & euidens vti iam diximus: quare errarũt iidem Doctores, qui ex falso illo suo principio de assensu, & iudicio de probabilitate vtriusque partis contradictionis, docuerunt vtramque illam partem posse practicari, quia ea praxis licita esse nequit, nisi operans opinetur veram esse propositionem, quod talis actio licita sit, atqui non potest quis opinari veram esse vtramque partem contradictionis, nempè quod talis actio licita sit, & quod talis actio licita non sit. Addit deniq; hic Author committi æquiuocationem à nobis, & à probabili obiectum fieri, transitum esse ad probabile iudicium. Nam licet formari valeat iudicium, obiectum aliquod esse ex vtraque parte probabile, illud iudicium est euidens de probabilitate honestatis, & non est sufficiens ad honestè agendum, & non est iudicium de veritate honestatis, siue de honestate actionis, quod tamen necessarium est ad honestè agendum, & haberi non potest nisi de vna parte contradictionis, ac proinde non possumus vtramque opinari, inquit, & honestè sequi. Quæ omnia fusiùs prosequitur idem Author.

Quintò obiicit Philalethus *q. 4.* non sufficere ad opinandum quod aliqua propositio sit probabilis, cùm non possit illi præbere assensum opinabilem: quia in opinione & assensu probabili non repugnat oppositam partem esse probabilem; illi igitur non potest præberi assensus probabilis ab intellectu, propositioni, cuius contradictoria habet æqualia motiua, immò & fortiora si sit probabilior; non enim assensus intellectus pendet à voluntate, sed à motiuis à quibus vrgetur ad assensum. Quare cum æqualia sunt motiua vtriusque partis contradictionis, neutri parti poterit assentiri, cum neque à motiuis quæ sunt æqualia determinetur ad assensum vnius potiùs quàm alterius, neque à voluntate à qua in intelligendo & assentiendo non pendet, neque à seipso, cum liber non sit in eligendo assensu quem libuerit elicere, vnde etiam sequitur, quando vni parti fauent motiua vehementiora & fortiora, illi soli cogatur intellectus assentiri, & non oppositæ, licet & illa habeat motiua probabilia.

Sextò obiicit Sinnichius *cap. 96.* Ignorantia etiam inuincibilis legis naturalis non excusat à peccato, vti ostendit fusiùs ibidem, multò minus probabilitas quæ quædam ignorantia est, vti monet *cap. 97.* excusabit, ac proinde non faciet licitam operationem, quæ aliunde illicita est & peccaminosa.

Denique quantam labem inuehat hæc nostra doctrina, apparet ex effrænei quadam licentia, quam ex ea sibi tribuerunt Neoterici quidam, qui in plures opiniones singulares & extraordinarias & absurdas non sine piorum offensione abierunt, bene multas enumerat, & reiicit Sinnichius, per singula decalogi præcepta discurrens, quæ suis opinationibus temerarij quidam corruperunt, prætextu cuiusdam probabilitatis intrinsecæ vel extrinsecæ.

Hæc omnia & similia quæ fusiùs prosequuntur aduersarij diluta prorsus manent ex iis, quæ initio quæstionis de natura probabilitatis & modo opinandi intellectus, deque natura contradictoriarum propositionum modalium obseruauimus. Ne tamen querantur, & pro more fingant sibi nihil esse responsum, quia singula ipsorum verba non premimus, quod contra Candidum Philalethum egregiè præstitit Bossius *in moralibus: & in appendice ad titul. 1.* nos paucis singula relata, quæ præcipua certè sunt, attingemus. 23

Quod igitur primò dicitur, operantem ex opinione probabili non habere certitudinem suæ operationis, & exponere se periculo peccandi, ac proinde reapse peccare. Falsum omninò est; ille enim ita operans habet certitudinem de honestate actionis quam facit, vti monuimus initio, & explicat amplius S. Antonin. loco citato, vbi obseruat triplicem esse certitudinem supernaturalem, naturalem, & ciuilem, siue moralem, certitudini supernaturali neque falsitas, neque falsitas subesse potest, alioquin Deus qui illam certitudinem suo peculiari lumine facit & ministrat, se ipsum negaret; eam verò triplicem facit Antoninus, videlicet euidentiæ intuitiuæ in beatis, euidentiæ reuelatæ in Prophetarum illustratione, & denique fidei, quæ non innititur euidentiæ rationis humanæ, sed auctoritatis diuinæ. Certitudo naturalis excludit naturaliter omnem falsitatem & fallaciam, ita vt qui ex illa assentitur, neque falli, neque fallere posset, quæ certitudo quia lumini naturali comparatur, & non indiget superiori aliquo, dicitur naturalis, eiusmodi est in principiis per se notis, & ex sola penetratione terminorum, quibus constant, vt quodlibet est, vel non est. Deinde in conclusionibus demonstratis, atque ex talibus principiis per euidentem consequentiam syllogisticè deductis, qualis in mathematicis reperitur, quæ idcircò scientiarum omnium certissimæ habentur. Tertia certitudo ciuilis siue moralis est, quâ non habetur euidentia demonstrationis, *sed ex probabilibus coniecturis grossis & figurabilibus magis ad vnam partem, quam ad aliam se habentibus*, inquit Antonin. Est verò probabile vti diximus ex Arist. *1. topicor.* quod pluribus & maximè sapientibus verum apparet, atque hæc certitudo dicitur moralis & ciuilis, quia sufficit in agibilibus, sapienter enim monet Arist. *initio Ethicor.* disciplinam quærere in vnaquâque re certitudinem secundum exigentiam materiæ, & æquè absurdum esse quærere mathematicum & moralem æqualiter demonstrãtem. Hæc igitur certitudo sufficit, vt quis prudenter & rectè operetur, cum alia sæpiùs & passim haberi non possit, illam verò habet qui ex probabilibus operatur, vti constat ex natura probabilitas initio quæstionis explicata. Obtineri verò subdit Antonin. tribus modis, nimirùm authoritate alterius, quod est rudium & incipientium, eruditione propria, quod congruit proficientibus in scripturis; & denique inspectione circumstantiarum, quod pertinet ad perfectos, quæ Antonin. allegat & probat Nauarr. *de pœnitent. dist. 5. in cap. consideret*, contenditque non esse semper eligendam tutiorem partem, satisque esse eligere tutam, atque

solum

ſolum dubium excludendum eſſe, quod probabilitas excludit, ac proinde ſufficientem certitudinem, ad bene operandum affert ex Nauarr. & omne peccandi periculum, remouet, quod vnum contendimus: allegat quoque Nauarr. Gloſſam *in cap. Cappellanus de feriis* quam Alexand. *lib. 1. conſilio* 1. ſingularem dixit quæ tamen videtur contrarium velle, ait enim illam ſententiam ſemper debere obſeruari, quæ meliori ratione & ſubtiliori innititur; ergo nefas erit ex Gloſſa probabilem tantùm opinionem ſequi; ſed probabilior qualis omninò eſt, quæ meliori & ſubtiliori ratione ſeruatur tenenda erit, & reipſa Pontifex in citato *can. Cappellan.* ex duabus ſententiis propoſitis eam ſequitur, quam dicit meliori & ſubtiliori ratione iuuari. Reſp. tamen Pontificem non damnare contrariam ſententiam, ſed ſequendam eſſe illam, quam probabant Canones, & conſuetudo Romanæ Eccleſiæ, & licet contrariam illam damnaret, non nobis aduerſaretur, qui negamus opinionem quæ Canonibus & conſuetudini Eccleſiæ aduerſatur eſſe probabilem, quà in re ſtrictiùs loquimur, quam ipſemet Pontifex, qui ad quæſtionem ſibi propoſitam circa tempus ſolemnitatis celebrandarum nuptiarum, neutram ex duabus opinionibus reijcit, ſecundam tamen ſibi & ſuis fratribus potiorem videri ait, quia meliori & ſubtiliori ratione innitur. Quæ omnia vera ſunt, neque inde colligitur non poſſe nos operari ex opinione probabili, immò neque neceſſariò probabiliorem ſequendam eſſe, licet enim Pontifex rationem reddat, cur poſteriorem ex duabus ſibi propoſitis ſequatur, quod illa meliori & ſubtiliori ratione iuuetur, non idcircò prohibet alteram ſententiam tanquam falſam & damnatam, immò ex hoc Pontificis reſponſo, colligunt aliqui, violationẽ legis etiam diuinæ habentis diuerſos intellectus non eſſe peccatum. Iaſon. *in l. diem. n. 24. D. de officio adſeſſoris* & Garcias *de nobilitate intro n. 12.* vti refert Barboſa *in cap. Capellanus citat. n. 4.* Deinde Pontifex & Gloſſa allati agunt de foro externo, in quo ſæpius opinionem, cui magis fauet conſuetudo, legis interpres, & ipſamet ratio, ſequi debemus, non ratione præciſa probabilitatis, quando vtraque ſententia eſt probabilis, ſed ex aliis circumſtantiis, vt damni proximi, & aliis eiuſmodi, vti monuimus initiò, & dicemus in conſectariis: Gloſſa verò quam ſingularem dixit Alexand. & ſequitur Nauarr. non eſt ea, quam adduximus, ſed illa alia, in his verò quæ ad ſolemnitatem (nempè nuptiarum) ſpectant, diuerſa tenere non eſt peccatum, quia vnaquæque Prouincia abundat in ſuo ſenſu, quod vides pertinere ad forum externum, in foro autem interno & conſcientiæ opinionem probabilem relicta probabiliore colligi, vt vidimus, Nauarr. & innumeri alij, quos allegat Barboſa laudatus *in cap. Capellanus de feriis n. 6.* Hanc doctrinam ampliùs illuſtrat Nauarr. *de pœnitent. diſt. 7. in cap. ſi quis*, deſumptum ex Auguſtin. *homil. 4. & 50.* ad illa verba, *Tene certum, dimitte certum.* Nam licet nemo neget certa incertis, & indubitata dubiis præferenda eſſe, quando tamen ex duobus vtrumque certum, & indubitatum eſt, non obligamur certius & minus obnoxium dubitationi, neceſſariò præferri certo & indubitato, licet minori, vt videtur certitudine, & vt ita loquar indubitatione, quod oſtendit pluribus Nauarr. *ibidem* quia alioquin mille opiniones ad ſalutem neceſſarias iampridem receptas, quibus tota Eccleſia vtitur explodere oporteret, vt de obligatione non confitendi ſtatimatque quis incidit in mortale, de communicatione cum excommunicatis extra ſacra, de non confitendis neceſſariò omnibus circumſtantiis, quæ non mutant peccati ſpeciem, quæ aliæve ſimiles opiniones, de quibus in Conſectariis, communes ſunt, licet contrariæ ſint, ſine dubio tutiores. Itaque incertitudo operantis, quæ illum non excuſat à peccato, eſt dubitatio, in qua animus in neutram partem licitum ne ſit, an ſit opus faciendum, neque alteri parti ex probabili ratione adhæret, quamvis & alteram ſuâ quoque probabilitate duci exiſtimet; in dubio enim operans exponit ſe periculo peccandi, atque idcircò peccat, quod fuſius exponit. Nau. illa *diſt. 7. de pœnit.* & nos *q. ſequenti* dicemus. Sufficiat hoc loco operantem ex opinione probabili habere certitudinem de rectitudine ſuæ operationis, non quidem certitudinem ſcientiæ, ſed coniecturæ, vt loquitur Turrecremat. *in cap. nemon. 2. de pœnitentia diſt. 7.* eiuſque duplicis certitudinis circa remiſſionem peccati in pœnitente authores allegat Albertum Magnum. S. Thomam, & Bonauenturam: ex quibus aliiſque hactenùs de probabilitate & ſecuritate opinionum diſputatis conſtat. Operantem ex opinione tuta, & probabili modo in propoſitionibus noſtris explicato, non ſe exponere periculo peccandi, neque proinde vi illius periculi peccare, quod vnum tamen aduerſarij perpetuò nobis obijciunt.

Quod ſecundo loco obijciunt ſequi ex noſtra ſententia bonum, & malum conſtitui ex ſola opinione & affectu, quia poſſumus quam libuerit opinionem ex duabus contradictoriis quas exiſtimamus probabiles fusè reiectum eſt, & oſtenſum, quomodo & vnde conſtituatur malitia & bonitas obiectiua, & quomodo ad eas ſe habeat ratio dictans, imperans, vel prohibens quod eſt ipſa conſcientia. Repete igitur fusè diſputata. *cap. 3. q. 2. & cap. 5. q. 1. tertia difficult. & q. 52. tota & cap. 6. 1. & 2.* 28

Neque etiam verum eſt; cum quis videt vtramque opinionem eſſe æquè probabilem, aut etiam vnam probabiliorem, quam tamen ſponte deſerit, vt aliam ſequatur, non poſſe non timere periculum errandi, in quo ſe videt eſſe, cùm oppoſita ſit æquè probabilis, aut etiam probabilior, ac proinde quam ipſe ſequitur ſit probabiliter non vera, aut etiam falſa: hoc inquam verum non eſt, quia iam oſtendimus in ea probabilitate eſſe certitudinem moralem non peccandi in alterutra opinione tenenda, ac proinde nulli ſe exponit periculo, quod ſæpiùs importunis aduerſariis eadem continuò obijcientibus repetere ad nauſeam cogimur. Quare ineptè affertur illud Lactantij, *Nullum eſſe temeritati locum & in æternum ſtultitia pœnam luendam eſſe.* Quia in hac noſtra operatione nulla eſt temeritas, cum ex certis prudentiæ regulis dirigatur. Neque enim prudentia perpetuò procedit ex certis vti mathematicæ diſciplinæ, ſed ex moraliter & vt loquebantur Antonin. aliique laudati, coniecturaliter certis, alioquin nunquam operaremur ſine temeritate & periculo peccandi, cùm ferè nulla aut ſaltem pauca admodum in rebus humanis certa ſint certitudine euidenti, & demonſtratiua, & ſæpius falſa, verò ſimiliora appareant ipſiſmet veris. Non facit vero opinio propoſitionem eſſe veram vel falſam, bonam aut malam, ſed facit vt operatio quam dirigit, ſit bona aut mala, cùm illam confirmat regulæ & propoſitioni, quæ bona vel mala, vera aut falſa illi ex probabilibus motiuis apparet; tunc enim licet ſi falſa ſit propoſitio, operatio ipſi conſentiens ſit mala materialiter, non tamen formaliter, vt demonſtrauimus diſputantes de moralitate obiectiua & formali *cap. 5. q. 2.* & aliis locis adductis.

Vnde reiicitur quod tertio loco afferebatur intellectum non poſſe, niſi ex affectu voluntatis plerumque prauo, ſequi alterutram ex duabus contradictoriis opinionibus æqualiter probabilibus; & multò minus probabiliorem abijcere, quandoquidem non agit ex 29

vllis

vllis motiuis potiùs ad vnam partem quam ad alteram determinantibus, quandoquidem motiua sunt æqualia: si verò sunt inæqualia, retrahunt ab assensu, & ab adhæsione atque electione minus probabili, vt patet; Libertas igitur operantis constituit bonum, & malum in rebus, dum opinionem quam libuerit sequitur. Hæc consequentia falsa est, vt iam ostendimus. Nam opinio & iudicium nostrum non facit rem & propositionem probabilem, vel minus vel maius vel æquè probabilem, sed talem esse iudicat ex motiuis intrinsecis, vel extrinsecis: voluntatis deinde est, quam voluerit ex illis eligere, quæ electio cùm procedat ex cognitione probabilitatis, propositionis & bonitatis obiectiuæ, bona erit, quamvis falsa inculpabiliter esset. Sicut propositis ab intellectu voluntati duobus bonis æqualibus aut inæqualibus, liberum ipsi est quod voluerit eligere, neque peccabit eligendo alterutrum, etiam minus, modo bonum sit, etiamsi intellectus delusus sit in sua cognitione, & repræsentauerit vt bonum quod reipsa tale non erat, quia tunc voluntas fertur tantum in bonum vt cognitum; quare si quis sit error, erit tantum in intellectu, non in voluntate, neque in eo processu peccatum erit, nisi talis error fuerit voluntarius & culpabilis.

30 Ad operosum illum discursum candidi Philalethi, qui quarto loco obiiciebatur, quo ostendere se existimauit non posse intellectum simul iudicare probabile esse aliquid esse, & non esse etiam per diuersa motiua. Respondeo imprimis inutilem & chimæricam esse illam distinctionem duplicis iudicij & assensus, quorum vno iudicat intellectus vtramque partem contradictionis esse probabilem, altero vtramque eandem partem probabiliter esse; & primum quidem assensum cadere tantùm in probabilitatem propositionis; ideóque euidentem ac scientificum esse, secundum vero cadere in veritatem rei, & esse opinatiuum, qui circa illam rei veritatem, nempè licitam & illicitam esse rem & actionem simul haberi nequeat, etiam per diuersa motiua. Respondeo inquam eam distinctionem inutilem esse. Quia iudicare propositionem esse probabilem & probabiliter esse, est vnus & idem assensus saltem æquiualenter, quia propositio non est probabilis, nisi probabiliter quoque existat, siue nisi iudicetur propositionem obiectiuam esse probabilem, & probabiliter esse veram & licitam, neque ad hoc necessarium est, vt intellectus iudicet rem de qua fit propositio, esse veram simpliciter & absolutè, sed dumtaxat esse probabiliter veram, quod aliud non est, quàm esse probabilem: cum nihil intersit inter iudicium de probabilitate propositionis, & iudicium de probabilitate existentiæ rei & veritatis ipsius: Fateor quidem aliud esse probabilitatem & veritatem, atqueadeò vnum iudicium posse cadere in probabilitatem, & aliud in veritatem rei, si loquamur de veritate absoluta; verùm si agamus de probabilitate veritatis, aut veritate probabili idem omninò iudicium est de probabilitate propositionis & de probabili veritate ipsius. Neque enim aliud est propositionem esse probabilem, quàm probabile esse illius obiectum esse tale, quale enuntiatur; quare ista propositio, cambium recursæ est licitum, vel eius contraria, probabilis est, quia probabiliter verum est eius obiectum, siue veritas affirmans licitum esse hoc cambium, probabiliter est, siue eiusmodi cambij actio probabiliter licita est. Denique formalis propositio probabilis est, vel probabiliter est, quando probabile est eius obiectum esse tale, quale enuntiatur, aut vt loquitur Candidus, probabiliter est tale, quale enuntiatur, quod vt dixi est probabiliter esse verum. Quare si haberi potest assensus circa probabilitatem vtriusque contradictoriæ per diuersa motiua, poterit & haberi de probabili veritate eiusdem propositionis eodem modo: neque necesse est, contra quam contẽdat Philalethus, vt qui existimat vnam partem probabiliter esse veram, existimet partem oppositam esse falsam. immò neque existimare potest simpliciter esse falsam, sed solùm probabiliter; sicut non existimat priorem esse simpliciter & absolutè veram, sed probabiliter, ac proinde cum formidine, ne opposita sit vera, & consequenter ne & ipsa sit falsa; quandoquidem esse posset, cum ipse non habeat euidentem & demonstratiuam probationem veritatis ipsius, sed motiuum assensus probabile dumtaxat; & consequenter fallibile, quod vt tale non generat assensum veritatis simpliciter, sed solùm probabiliter, & cum formidine probabilitatis & oppositi: non cogitur itaque iudicare partem alteram simpliciter falsam, sed solùm non repugnare illam esse veram. Quoties igitur aliquis iudicabit vnam partem contradictionis esse simpliciter veram, siue dum illi assentietur tanquam simpliciter veræ propter euidentem, necessariam, & certam extremorum connexionem, cogetur iudicare partem oppositam falsam, siue illi non assentiri tanquam falsæ. Neque potest vtrique parti contradictionis tamquam veræ simul assentiri, aut vtriusque veritatem simul affirmare, etiam per diuersa motiua, quia intellectus non est liber quoad specificationem actus, & motiuis determinatur. Quare vbi motiuum est certum & euidens de veritate alicuius propositionis, non potest non determinari ad iudicandam falsitatem propositionis oppositæ & contradictoriæ. Hoc porrò non contingit in assensu opinatiuo, qui habet tantùm motiuum probabile. Quare poterit per motiuum quoque probabile assentiri alteri parti, & neutram existimabit esse simpliciter veram, vel simpliciter falsam, sed probabiliter veram, & verosimilem extremorum connexionem, atqueadeò negari, vel affirmari posse secundum diuersa motiua, quæ probabiliter eius veritatem, vel falsitatem ostendunt, siue in vtraque propositione oppositam esse verosimilem connexionem extremorum, ac proinde neutram esse simpliciter veram, vel falsam sed vtramque vel esse æquè probabiliter veram, vel vnam esse magis probabiliter veram alterâ, prout magis aut minus verosimilem extremorum coniunctionem habet. Neque idcircò dicimus, probabile esse vtramque partem contradictionis esse simul veram, vel simul falsam; id enim fieri nequit, ac proinde probabile non est, sed motiua probabilia assentiendi vtrique parti offerri, ac proinde diuersa iudicia eáque probabilia circa vtramque partem elici; quæ iudicia non sunt contradictoriè opposita vti diximus in notationibus, cum non dicant simpliciter propositionem esse veram sed solùm probabiliter per tale medium, & aliam propositionem probabiliter quoque esse veram per aliud medium diuersum; vti *loco citato* fuit explicatum, neque quidpiam ampliùs requiritur ad actionem licitam & honestam, quàm eiusmodi aliquod iudicium à quo prudenter dirigatur, quod sæpiùs toto isto capite monuimus, plura alia in Candidum congerit Bossi. *in moralib. in appendice ad tit. 1. in obseruationibus ad quartam, & quintam quæstionem Candidi.*

Ex quibus etiam reiicitur quod asserebat 5. *loco* 31
Candidus, vbi sunt æqualia motiua vtriusque partis contradictionis non posse vni potiùs quàm alteri assentiri intellectum, cum à nullo motiuo in vnam potiùs quàm alteram inclinetur, neque à voluntate, sed à motiuo assensus determinari debeat: quæ eadem ratione vbi motiuum est probabilius, non potest eo relicto assentiri potiùs oppositæ propositioni, cuius motiuum

motiuum debilius est, & à motiuo contradictoriæ vincitur, respondeo enim intellectum eo casu iudicare vtramque propositionem esse probabilem, neque manere in quodam æquilibrio suspensum, iudicat quoque actionem vtrique illi propositioni conformem probabiliter esse licitam, haberetque sufficientia motiua vtriusque probabilitatis, quæque illam prudenter & non temerariò suadeant, neque dum videt motiua vnius partis esse probabiliora, propterea iudicat oppositam non esse probabilem, sed esse dumtaxat minus probabilem, sed tamen probabilem, neque vnus ex istis assensibus alterum necessariò excludit, sed simul haberi possunt, cùm non sint contradictoria v.g. probabile est cambium recursæ esse licitum, probabile quoque cambium recursæ, non esse licitum, quia vtraque propositio habet sufficientia motiua probabilitatis, ad contradictionem autem requiritur vt probabilitas, quæ in vna propositione affirmatur, negetur in opposita v. g. probabile est cambium recursæ esse licitum, in propositionibus enim modalibus, vti monuimus in notationibus, modus qui affirmatur in vna, debet negari in altera, licet dictum sit idem, probabile est, non est probabile cambium recursæ esse licitum. Idem omninò dicendum est de maiori & minori probabilitate propositionis, probabilius est cambium recursæ esse licitum, minus probabile est cambium recursæ esse licitum, aut probabilius est cambium illud non esse licitum, in neutra enim propositione negatur probabilitas asserta, sed tantum minor aut maior affirmatur; ad contradictionem autem dicendum esset probabilius cambium recursæ esse licitum. Non probabilius est cambium illud esse licitum. In qua etiam contradictione non tolleretur simpliciter & absolutè probabilitas, sed solum maior: in his igitur omnibus iudiciis non negat intellectus quod affirmabat, neque vnum eliciendo debet aliud remouere, est tamen liberum voluntati, quod etiam diximus conformare suam actionem alterutri ex istis iudiciis prudentialibus, neque vllum periculum peccandi formaliter incurret, quamvis fieri possit vt actio sit materialiter inhonesta & peccaminosa.

32 Ad sextum obiectum à Sinnichio, ignorantiam etiam inuincibilem iuris naturalis non excusare à peccato, & multò minus probabilitatem, quæ ignorantia quædam est veri latentis & occulti, ideóque adiunctam habet formidinem oppositi. Resp. falsissimam & errôneam esse illam Sinnichij propositionem, sed alibi commodiori loco fusius tractandam, hoc ipso tomo, vbi de principiis scientiæ Canonicæ disputabimus.

33 Quod denique queruntur aduersarij ex hac nostra doctrina plures opiniones nouas & temerarias inductas esse, quæ mores suâ licentiâ mirum quantum corrumpant. Resp. imprimis non esse damnandam veram doctrinam ex eo, quod aliqui ipsâ abutantur. Deinde nego ex ea doctrina sequi istas opiniones quas temeritatis accusant, tum quia doctrina illa est vniuersalis, quæ singularibus rectè applicanda est, tum quia si illæ opiniones sunt temerariæ aut morum corruptrices vel scandalosæ, probabiles non sunt, de quibus nos agimus. Resp. Denique plures opiniones damnari nouitatis & temeritatis, quæ & in veteri schola probatæ sunt, & suam habent probabilitatem, vti ostendit Amadæus Guimænius in tractatu nuper à nobis laudato: quare quod Sinnichius in sua farragine enumerat plores insolitas & perniciosas opiniones circa singula præcepta decalogi, vt nostræ communi & antiquissimæ doctrinæ conflaret inuidiam, & spissi voluminis maiorem partem in hac singularium & temerariarum, vt existimo opinationum enumeratiõne & confutatione consuat, quam apposite ad exauctorationem Saulis, ipse viderit, morari nos non debet hoc loco, singulas enim suis locis expendemus, an temerariæ, an probabiles sint, longius enim digrederemur, si id præstare velle hoc loco, & totam Theologiam moralem percurrere & pertractare magna rerum & doctrinæ perturbatione Sinnichij exemplo, in suo confusissimo & incomposito opere, in quo omnia permixta & indistincta sunt, & vereor vt quas damnat temeritatis sententiæ, longè ab illa absint, cùm ipsemet ante eam enumerationem, sententiam & singularem, & omninò erroneam doceat ignorantiam inuincibilem iuris naturalis non excusare à culpa, quod quàm totius scholæ communi doctrinæ aduersetur, falsumque loco laudato docebimus: ex hoc vno audacissimi hominis errore, disce omnes & quid de toto opere constituendum sit iudica.

Ad extremum iterùm moneo, nos agere dumtaxat de opinione verè probabili & tuta, quam liceat sequi etiam probabiliori relictâ, si solius probabilitatis & securitatis siue immunitatis à peccato ratio habeatur. Nam ex aliis adiunctis possumus aliquando obligari ad vnam potiùs eligendam, nisi contra charitatem vel iustitiam peccare velimus.

Denique cùm tam difficilis sit inquisitio veritatis in moralibus, si semper certitudinem firmam habere teneremur, & ex probabilibus agere non liceret, in continuo peccandi periculo versaremur, quod longâ negotiorum humanorum inductione probari facilè posset. Atque vt concedamus aduersariis quod postulant, & liberaliter cum ipsis agamus, nempè agendum esse ex probabiliori opinione, obtinebimus quod intendimus: Nam probabilior & communior est opinio, fas esse relictâ probabiliori & tutiori opinione agere ex probabili & tuta: Ergo ex ipsis aduersariis possumus operari ex opinione probabili, & tuta; dimissâ probabiliori & tutiori, quod vnum hactenùs totâ istâ quæstione contendimus.

QVÆSTIO V.

Consectaria.

AD plurimum difficultatum explicationem, quæ ex vniuersali doctrina hactenùs tradita consequuntur aduertendum est, nos de opinione vtrimque probabili, non de dubio agere, nam vti dicemus quæstione proxima, alia est incertitudo quam pariunt opiniones vtrimque probabiles; alia verò quam generat dubium, neque ex vna ad aliam licet argumentari.

CONSECTARIVM I.

An subditus possit, aut etiam teneatur contra propriam opinionem, quâ existimat imperium superioris esse nunquam obedire.

Potest obedire n. 1.
An teneatur n. 2.
Non peccat non obediendo n. 3.
Quid si sint vtrimque probabiles, de legitima eius electione n. 4.
Quid si sint opiniones probabiles de honestate rei imperatæ n. 5.
Obiecta diluuntur n. 6.

Plurima

Plurima distinguenda sunt in hoc casu, & primò quidem posse subditum contra propriam opinionem obedire superiori imperanti aliquid ex minus probabili opinione docent contra Adrian. *quodlibet* 2. *punct.* 3. passim omnes. Cordub. *lib.* 3. *q.* 9. Vasq. 1. 2. *disp.* 6 2. *cap.* 6. Azor. *lib.* 2. *cap.* 1. *quæst.* 9. & *cap.* 19. *quæst.* 6. Salas *tract.* 8. *disp. vnic. n.* 76 Sanch. *lib.* 6. *in decalog. cap.* 3. *n.* 6. Sair. *lib.* 1. Clauis Reg. *cap.* 12. *n.* 6. Turrian. *disp.* 50. *de iustitia dub.* 5. *num.* 9. Montesino 1. 2. *tom.* 1. *disp.* 29 *q.* 5. *num.* 189. Granado 1. 2. *tract.* 12. *disp.* 4. *sect.* 3. *n* 37. Perez *certamine* 10. *num.* 115. Layman. *lib.* 1. *tract.* 1. *cap.* 5. *n.* 11. Ferdinand. à Castro *tract.* 1. *disp.* 2. *punct.* 6. *n.* 2. qui plures alios dabunt. Neque fortassis dissentit ipse Adrian, vti obseruauit Montesino, cùm videatur tantùm velle subditum non posse contra propriam conscientiam obedire Prælato imperanti, quod verum est superius diximus; ideóque sapienter monent Azor & Vasq. debere subditum iudicare sibi esse licitum hîc & nunc superiori imperanti obedire, vt ex eo iudicio deinde licitè valeat operari. Ratio verò nostri Consectarij manifesta manet *ex* 4. & 5. *propositione*, *quæstione superiori*, quibus docuimus posse quemque alterius opinionem probabilem sequi contra propriam probabilem item, aut etiam probabiliorem. Quidni igitur liceat opinionem probabilem Prælati amplecti, atque illi parere, quoties imperabit, tamquam licitum, & honestum, ex opinione probabili, quæ probabilitas non desumitur quidem ex sola dignitate superioris, sed quia vel aliunde ea probabilitas nobis constat, aut quia cùm superior sit vir probus & doctus nollet imperare, quod illicitum esse existimaret, idque semper præsumendum erit, quamvis nulla nobis appareat probabilitas honestatis præcepti, modò non sit euidens turpitudo illius, vti sapienter monet Villalobos *tom.* 1. *diffic.* 11. *n.* 3.

2 Ingens verò controuersia est circa secundam Consectarij partem, an sicut eo casu subditus potest obedire, ita etiam teneatur. Affirmant communiter DD. relati, & alij quos dabit Diana *tract.* 13. *resolutione* 10. quorum omnium authoritas hanc sententiam probabilem facit, vti dixi in Consectario, quamvis oppositam quæ tunc, subditum eximit obligatione parendi, probabiliorem moltò existimem.

3 Et primò quidem, quoties est opinio probabilis non teneri subditum obedire, tunc ipsum non peccare non obediendo, etiamsi contraria sententia, quæ docet tunc superiorem posse obligare, aut subditum teneri, æquè probabilis sit, aut etiam probabilior fatentur Sanch. Sayr. Turrian. Ferdinand. à Castro, & alij allati, quibus adde Lorcam 1. 2. *disp.* 41. §. *ex quo infero* Granad. *loco citato* Turrian. *de iustitia disp.* 50. *num.* 9. Ouiedo *tr.* 5. *contr.* 3. *punct.* 5. *n.* 54. & Petrus à Nauat. *lib.* 3. *de restitut. part.* 3. *dub.* 13. *n.* 239. quia licet opinionem probabilem sequi, & vt ait Sanch. subditus non spoliat tunc suâ possessione superiorem, quia ea possessio tunc firma non est, sed probabilis tantùm, atque ita superior imperando, probabiliter obligabit subditum, & probabiliter non obligabit; si hanc igitur opinionem sequatur subditus, non peccabit, quia recusat obedientiam, quam licitè recusare potest ex sententia probabili, ex qua sibi prudentem conscientiam formare poterit.

4 Secundò, quoties est probabilitas opinionum circa legitimam & Canonicam electionem superioris, non tenemur parere illi. Ita Vasq. 1. 2. *disp.* 62. *n.* 32. & 33. Salas *tract.* 8. *sect.* 8. *n.* 78. *disp. vnic.* Lessius *lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 9. *n.* 35. Ioan. Sancti. *disp.* 33. *n.* 32. Sayr. *l. c.* & alij, quos refert & sequitur Ferdinand. *p.* 6. *n.* 8. Sanch. *lib.* 6. *in decalog. cap.* 3. *n.* 7. quia tunc probabilis est opinio, talem non esse verè Prælatum, ac proinde obligare non posse suo præcepto, & sanè nulla maior potest fingi nullitas, quàm defectus potestatis in agente *l.* 3. *ff. de offic. proconf. l. vlt. ff. de iurisdict. omnium iudic. l. si quis pro.* §. 6. *ff. de iniusto rupto, & irrito facto testamento.* Idcircò eam nullitatem nullitatum Pragmatici vocant ex Fabro *l. si fortè* 17. *ff. de officio præsidis.* Cùm igitur in hoc casu sit probabilis nullitas præcepti, est etiam probabilis immunitas ab obedientia; vnde etiam fit, vt quoties versatur opinionum probabilium diuersitas circa legis vigorem, aut legislatoris potestatem, nullam esse obligationem parendi, fateatur omnis cum Lorca 1. 2. *t.* 2. *disp.* 16. §. *aduerte.*

Tertiò, quando est probabilis opinionum circa honestatem rei præceptæ, teneri subditum obedire docent Sanch. Ouiedo *tract.* 5. *contro.* 3. *punct.* 5. *à n.* 61. fusissimè, & alij superius relati; nobis tamen probabilius, & ferè certum est excusari à culpa subditum, si obedire detrectet. Ita Sancti. *disp.* 33 *selecta n.* 32 Ferd. à Castro *punct.* 6. *citato.* Suar. *in* 3. *part. tom.* 5. *disp.* 4. *sect.* 6. *n.* 6. dum existimat liberum esse subdito non parere, dum probabiliùs iudicat legem esse iniustam. Lesina *tract. de statibus.* vbi de Religiosis in communi *cap.* 4. neque multum abest Salas. *disp. vnic. citata, numero* 76. idem omninò fateantur necesse est, quotquot sentiunt pœnitentem non teneri obedire Confessario, si vterque opinionem probabilem habeat, & qui sine culpa negari volunt tributum, quod probabilis opinio censet esse iniustum; & denique qui concedunt reum in causa sanguinis non teneri fateri crimen semiprobatum, eò quòd opinio probabilis illi faueat, nec ipse teneatur amplecti opinionem iudicis interrogantis; ex iis enim efficitur, neque subditum teneri sequi opinionem superioris imperantis, modò ipse opinioni probabili adhæreat, neque vllum discrimen afferri potest, quod enim ex responsione & obedientia rei sequatur ipsi graue aliquod damnum, non autem parenti subdito, id nihil efficit, cum ratio tunc proximè & immediatè excusans. Resp. tum à criminis Confessione non sit damnum ipsi imminens, nam contraria sententia illum cum eo damno obligat, sed quia tunc sequendo opinionem probabilem, non peccat, quamvis fortassis illius opinionis fundamentum sit damnũ incurrendũ. Cùm igitur subditus sequatur opinionem probabilem de iniusto & illicito præcepto, non peccabit etiam ex horum DD. mente. 5

Ratio verò manifesta videtur, primò enim non tenetur subditus parere in rebus illicitis, atqui probabile est id, quod modò imperatur, illicitum esse; igitur probabile est, non teneri tunc subditum parere; Atqui fatebatur Sanch. aliique aduersarij, quando est probabilis opinio, quod non obligetur subditus obedire, tunc, illum non peccare non obediendo; hoc autem contingit, vti iam ostendi, quoties est opinio probabilis de turpitudine rei imperatæ, aut de illicito aliunde imperio; ergo tunc non cogentur obedire, neque vtri argumentatur Salas distingui potest opinio probabilis de illicitâ re præceptâ, & de obligatione obediendi.

Deinde, ratio quam adducit Sanch. nulla omninò est: idcircò enim ait non teneri subditum obedire, quando est opinio probabilis illum non teneri; quando verò est opinio probabilis, quod res quæ imperatur illicita sit, teneri, quia in hoc casu spoliatur superior suâ certâ possessione, quod non licet in dubio, & ex sola opinione probabili. At verò in priori casu possessio non est certa, sed solùm probabilis. Verùm, vt plurima quæ in hanc rationem subtiliter obiicit Sanch. *disp.* 33. *citata* missa faciam, alibi examinanda. Aduerto solùm cum Sala, *num.* 76. superiorem nunquam esse in possessione imperandi aliquid illicitum.

Quare quoties opinio est, an aliquid sit licitum, dubitatur quoque an in superiore sit potestas & possessio imperandi illud, quamvis quoad reliqua, quæ licita sunt, certa sit eius potestas. Non potest igitur meritò distingui inter opinionem, an res præcepta sit licita, vel illicita, & opinionem, an subditus in ea re teneatur obedire, & sanè inutilis omninò est illa Sanct. & aliorum communis opinio, eximens subditum ab obedientia, quando opinio probabilis docet illum non teneri obedire, quia nullo casu dari poterit hæc opinio. Nam neque quando opinio erit, quod præcipitur illicitum esse, neque quando versatur circa legitimam electionem superioris: in his enim omnibus contendit acriter Sanct. teneri subditum obedire contra propriam opinionem: atqui nullum aliud caput assignari potest, ratione cuius opinio probabilis dictet subditum non teneri obedire, nisi aliquod ex tribus assignatis, quia nempè vel non est legitimus superior, vel excedit limites suæ potestatis, vel aliquid illicitum imperat.

Tertiò, nullus superior potest magis obligare subditos, quàm Deus, Ecclesia, ipsaque lex naturalis obliget, atqui quoties probabiliter iudicatur aliquid non contineri intra materiam legis aut præcepti siue diuini, siue naturalis, siue Ecclesiastici non tenemur illam ponere vt eiusmodi præcepti, vt constat innumerabilibus exemplis: cum igitur opinio quoque probabilis existimabit, aliquid non contineri intra limites rei præceptæ, quia probabile est esse illicitum, non tenebimur probabiliter eam exequi, eamque opinionem sequendo minimè peccabimus.

6 Denique, quæ obiiciuntur aduersus hanc nostram sententiam nihil omninò vrgent.

Primò igitur afferunt, superiorem habere ius certũ præcipiendi, quæ sunt probabiliter tantùm licita, & probabiliter illicita; habet enim tantùm tunc ius probabile sicut & subditus habet tunc probabile ius non parendi. Fateor quidem quando ineuidentia liciti præcepti parit verum dubium, tunc superiorem habere ius imperandi, & non posse illa possessione spoliari, vti iam monui. Et *q. sequenti* dicemus fusiùs, sed quando tota incertitudo & ineuidentia manet intra limites opinionis, æquè probabiliter subditus habet ius non parendi, atque superior iubendi, quia vterque vtitur opinione probabili, & nemo quidem potest alium absque iniuria spoliare, & quod iustè possidet, absolutè & omnibus modis, poterit tamen spoliare, eo quod iuste tantùm probabiliter possidet, quia ita iustè probabiliter possidet, vt etiam probabiliter iniustè possideat; An verò inde sequatur dari bellum vtrimque iustum, dicemus inferiùs: quare subditus non facit maiorem iniuriam superiori, quàm superior subdito, sed neuter infert iniuriã formalẽ, vterque tamen materialem accipit, secundum propriam opinionem; quilibet autem potest seruare suum ius, etiam materiale illæsum, & iniuriam materialem impedire.

Secundò dicunt teneri subditum obedire, quoties id potest sine peccato, atqui quando superior imperat aliquid ex opinione probabili licitum, subditus potest obedire sine peccato; ergo tunc tenetur obedire. Ita argumentantur Vasq. Mouresf. Salas Villalob. Sayr. Ouiedo & alij.

Resp. maiorem esse tantùm veram, quando potest subditus exequi imperata sine peccato absolutè, non verò si potest solùm probabiliter; nam opposita sententia quæ dicit, tunc non teneri, est quoque probabilis; illi igitur licebit adhærere. Confirmatur nostra responsio, quia tunc non tenetur obedire subditus, quando est probabilis opinio ipsum non teneri, quod fatentur omnes aduersarij, neque quando est probabilis opinio de eius electione non Canonica ex Vasq. & aliis superiùs relatis, atqui tunc posset sine peccato obedire, ergo non tenetur toties parere subditus, quoties id sine culpa poterit.

Tertiò, asserunt, graue scandalum & perturbationem omnis disciplinæ oriri ex hac doctrina; quisque enim facilè sibi persuadebit probabiliter illicitum esse, quod imperabitur, atque ita infringitur omnis obedientia.

Resp. idem timendum scandalum ex opinione aduersariorum existimantium non cogi ad obediendum, quando est opinio probabilis ipsum non teneri, aut de Canonica electione, quisque enim sibi persuadere poterit probabiliter se non teneri in hoc aut illo casu obedire.

Resp. secundò negando gigni scandalum ex opinione, quæ neque mala est, neque mali speciem habet, neque alios suo exemplo ad malum inducit, atqui eiusmodi est nostra sententia; qui enim ex ea operatur, neque ad peccandum inducit, neque turbabitur communitas, dum constabit subditum sequi opinionem probabilem, & tueri suum ius, tenebitur tamen subditus aperire superiori atque aliis causam & probabilitatem de illicito mandato: & pauca omninò sunt, quæ soleant præcipere superiores, & de quibus opiniones probabiles sunt an licita an illicita existant.

Ex hac doctrina plurimi singulares casus solui possunt, qui tamen commodiùs explicabuntur *quæst. sequenti*, cum de illis ferè existat eadem difficultas, cum dubia est conscientia, atque dum est probabilis, quamvis longè aliter sentiendum sit de vna quàm de alia. Ne tamen sæpiùs eadem quærere cogamur, in eum locum differemus.

CONSECTARIVM II.

Potest Doctor & Confessarius respondere iuxta aliorum opinionem minus probabilem in omni materia etiam iustitiæ.

Probatur Consectarium n. 1.
Eius limitatio n. 2.
An Doctor consultus posit mittere ad alium n. 3.
Obiecta n. 4.
An liceat plures consulere, vt quem tibi fauentem inuenias. n. 5.

ITa docent Villalob. *tom. 1. tract. 1. diffic. 12.* Becan. *t. 2. tract. 1. capite 4. quæst. 9. num. 16.* Vasq. *disp. 62. numero 47. & disp. 63. num. 14.* Sanch. *lib. 2. in decalog. cap. 9. numero 19.* Sancti. *disp. 43. selecta numero 48.* Diana *tract. 13. resolut. vltima.* Turrian. *opuscul. 460.* Sayr. *lib. 1.* Clauis *cap. 6. n. 11.* Salas *tract. 8. disp. vnic. num. 69. & 84.* Ferdinand. à Castro *tract. 1. disp. 2. p. 3.* Layman. *lib. 1. tract. 1. c. 5. n. 9.* Montesi. *t. 2. disp. 29. q. 5. n. 203.* Ouiedo *tract. 5. contro. 3. punct. 3.* & alij. 1

Ratio Consectarij manifesta est ex dictis; si enim potest doctor sequi eam opinionem, ex eaque operari, vti fuit ostensum in propositionibus; cur illam consulere non licebit, immò interdum vt fusiùs explicat Becan. vt caueat infirmitati interrogantis, aut alias ob causas, ita omninò faciendum erit, & nonnisi imprudenter Doctor suam opinionem probabiliorem licet, obtruderet: cauendum tamen erit, ne modò vnum modò aliud in eadem causa respondeat, ne leuis

aut

aut personarum acceptator appareat. Quare si id interdum necesse fuerit, vel ne scripto tradas, vel simul contrariæ opinionis probabilitatem indicet.

2 Restringit hanc conclusionem Vasq. *disp.* 62. *n.* 47. Ferdinand. à Castro, Sancti. Montesino, Salas Diana, aliique ad sententiam liberantem ab onere legis, aut obligatione restitutionis interrogantis; non licebit enim Doctori ex alienâ opinione damnare interrogantem, quem propria sententia absoluebat, idque volunt esse contra fidem, quam debet illi à quo consulitur, qui sane non restitueret, si ex mente respondentis se ad id non teneri existimaret. Mihi distinguendum videtur hac in parte. & quidem per se loquendo non est necessaria eiusmodi limitatio communis sententiæ nostri consectarij, vt aït Sanch. & Bald. *lib.* 4. *disp.* 12. *n.* 16. Quia & hæc opinio excusans à restitutione, aut obligatione legis potest esse singularis, quam fortè aperire non expedit; & si ex aliorum mente potest excusare à restitutione, poterit & condemnare, neque illum decipit, cùm falsum non doceat. Si tamen qui consulit rogaret an aliqua ratione excusari posset à restitutione, tunc tenetur doctor aut non dare consilium, aut docere opinionem siue propriâ siue alienam probabiliter excusantem: Quia verò ea ferè est mens omnium qui interrogant, an obligati sint ad restitutionem, idcircò docent passim DD. relati, teneri consultum aperire opinionem excusantem à restitutione. Quis enim iure præsumitur velle sibi imponere obligationem, & onus restituendi, si ab illo liberari licitè valeat.

Frustrà verò Valent. 2. 2. *disp.* 5. *q.* 7. *punct.* 4. *dub.* 3. ait, in materia iustitiæ teneri Doctorem consultum iuxta probabiliorem opinionem respondere; quod enim ibi de iudice affert, nihil vrget. Ille enim à Republica constituitur, vt iudicet secundum quod magis æquum inter partes videbitur, & de foro externo inferiùs dicemus. In foro autem interno sufficit, vt Doctor rem componat inter Deum & hominem, quod facit sequens opinionem probabilem.

3 Poterit etiam doctor consultus remittere interrogantem ad alium Doctorem, quem scit in alia esse sententia, licet improbabilem putat, quod postremum negat Ferdinand. modò ille Doctor ita censeat non ex ignorátia, sed ex rationibus, quæ illi & aliis probabiles sunt, quia qui consilium petit, potest licitè Doctoris, ad quem remittitur, opinionem probabilem sequi, quamvis remittenti sit improbabilis.

4 Obiicis Ferdinand. Doctor consultus, qui ad alium remittit, vel illius opinionem euidenter falsam existimat, & tunc non potest non existimare ignorantiâ laborare eum, qui illam defendit, vel non iudicat euidenter esse falsam, ergo neque improbabilem, ergo probabilem sentit.

Resp. hunc Doctorem non existimare quidem alterius opinionem euidenter falsam esse, sic enim ad eum non posses remittere consulentem, aut eam illi consulere; existimare tamen eam non satis & vsquequaque probabilem esse, quod obiectiones quas aduersus illam promit, non soluantur satis fœliciter; per principium tamen extrinsecum putat esse probabilem, ductus authoritate alterius Doctoris, ad quem remittit consulentem; ipse verò consulere non vult quod non satis sibi persuadeat talis sententiæ probabilitatem, propter grauia momenta sententiæ contrariæ.

5 Hinc colligit Sanch. *cap.* 9. *citato n.* 24. Zumel. 1. 2. *q.* 76. *art.* 1. *disp.* 4. & Baldell. *lib.* 4. *disp.* 12. *n.* 2. contra Adrian. *in* 4. *materia de restitut. q.* 88. & Nauarr. *c.* 17. *n.* 83. Eum qui varios DD. consulit, donec sibi aliquem ad gustum suum respondentem & fauentem inueneris, non esse in malo statu, si id faciat animo inquirendi, an opinio sibi fauens sit probabilis, cùm firmo animi proposito nihil operandi illicitum, sed quod solùm sibi fas esse inuenerit, quia licet cuique ius suum tutari, & ad id rationes idoneas inquirere; secùs verò quando ex mera libidine inueniendi, qui sibi loquantur placentia, varios adit, & vni potiùs quàm alteri fidem adhibet, nonnisi quia quod optabat, respondet, maximè si imperitiorem aliis esse sciat, aut fortassis ideò ipsum adiuerit. Denique quando grauis vrget necessitas vitandi periculi, aut tépus non patitur opinionum fundamenta serió expendere, licebit opinionem non apertè falsam sequi, licet parùm probabilis habeatur, ea enim ignorantia non est voluntaria, atque practicè non est causa periculi. Ita Sanch. *lib.* 1. *in decalog. c.* 9. *n.* 25. & *lib.* 2. *de matrim. disp.* 36. *n.* 8. Sot. *de tegendo secreto, memb.* 3. *q.* 2. *conc.* 3. Nauarr. *in cap. inter verba corolla.* 53. *n.* 135. Valent. 12. *disp.* 2. *q.* 14. *punct.* 4. *quæst. vnic.* 4. Reginald. *lib.* 13. *praxis cap.* 10. *n.* 89. Suar. *disp* 40. *de cens sect.* 5. *n.* 13. Baldell. *lib.* 4. *disp.* 11. *n.* 15. & *disp.* 12. *n.* 4.

CONSECTARIVM III.

Non tenetur Doctor in scholis docere opinionem tantùm probabiliorem, sed probabilem tantùm.

Probatur Consectarium n. 1.

Peccat docendo improbabilem aut falsam, numero 2.

PRima pars huius Consectarij traditur à Sanch. *cap.* 9. *citat. n.* 26. Salas *tract.* 8. *disp. vnic. num.* 69. Ferdinand. à Castro *disp.* 1. *citata, punct.* 3. *num.* 7. Baldell. *lib.* 4. *disp.* 11. *num.* 2. Ratio est, quia aliquando ipsius opinio, eaque probabilior, est singularis, quamque fortassis reijcere potiùs, quam prodere expedit. Deinde graue onus imponeretur Doctoribus tum inquirendi improbo quodam labore, omnia singularum opinionum fundamenta, tum quod importunius foret sæpiùs mutandi sententiam traditam, cùm propter varias rationes occurrentes, quæ minus probabilia videantur, verosimiliora deinde appareant, atque è contrario, quæ magnam similitudinem veri habebant, minorem retineant; quoties verò non occurrit iusta causa reticendi opinionem sibi probabiliorem, damnat peccati venialis Sanch. *numero* 26. *citatos* eiusmodi Doctores, eò quòd non doceant fideliter & discipulis aliquam iniuriam irrogent. Excusat tamen ab omni culpa Ferdinand. eò quòd semper subsit iusta illa causa ex graui obligatione sententiam mutandi sæpiùs, quæ imponeretur magistris. 1

2 Secunda pars Consectarij, nimirùm teneri magistros docere opinionem probabilem, hoc est non falsam & improbabilem manifesta fit ex obligatione fideliter docendi, alioquin iniuriam faciunt discipulis. Idcircò quoties aliquis Doctor ex malitia vel ignorantia culpabili propter non adhibitam sufficientam diligentiam doceat opinionem omninò improbabilem, aut falsam in materia ad fidem aut mores pertinente, peccat mortaliter propter grauem fraudam, in quam inducit discipulos. Neque placet quod habet Salas *disp. vnic. citatâ n.* 44. per se loquendo, & secluso omni scandalo & periculo, siue proprio siue alieno, sequendi in praxi eiusmodi improbabiles opiniones

non esse peccatum mortale ea docere ex temerario quodam assensu. Nam vt sapienter obiicit Ferdinand. Iam graue malum est in materia morum, & fidei malè sentire ex ignorantia culpabili, aut malitia. Deinde vix, aut ne vix quidem potest præscindi periculum amplectendi in praxi sententias publicè traditas. Et denique perspicua videtur esse Augustini mens *c. 21. Enchirid.* Cùm enim ait, aut nullum aut minimum esse peccatum ac leuissimum errare in iis, quæ non pertinent ad capessendum regnum Dei, satis apertè significat in iis quæ ad regnum Dei pertinent graue esse peccatum errare, aut falsam opinionem sequi.

In rebus verò aliis vt Logica, Grammatica, Philosophia, & similibus materiis videbitur esse leuis fraus, atque ita excusabitur à grauiori saltem culpa, nisi hæc viam muniant aliis erroribus, aut falsitatibus, quæ periculosæ aut admodum turpes sunt. Itaque in illis scientiis sæpè leuitatem materiæ accusat Sanch. quod ita exponit Baldell. vt qui vnam aut alteram falsitatem culpabiliter in grammatica, aut Logica docuerit, non peccet mortaliter; secus verò qui præcipuas illarum scientiarum materias, aut omnes falsò ea malitia, vel culpabili negligentia docuerit, peccet grauiter; Ferdinand tamen etiam in rebus parui momenti falsitatem docere putat esse lethale ordinariè, eò quòd violetur grauiter fidelitas, & iniuria grauis fiat auditoribus in quorum intellectibus seminantur errores, isque videtur esse communior sensus, quandoquidem eiusmodi magistros ad restitutionem stipendij obligant cum Nauarr. *lib. 2. de restitut. c. 2. dub. 1. n. 82.* Loquimur autem de publicè docente: Nam si quis alius aut ad prodendum ingenium, aut ex leuitate opinionem improbabilem in istis proferat in medium, non peccat, aut non nisi leuiter, idque voluit tantum August. *illo cap. 21. Enchirid.*

CONSECTARIVM IV.

Regulæ eligendi opinionem in administrandis Sacramentis.

Quanam possint esse opiniones circa administrationem Sacramenti n. 1.
Quædam in hac administratione pendent ab Ecclesia n. 2.
Quanam sit hoc loco censenda tutior opinio n. 3.
Prima Regula de licita ministratione n. 4.
Secunda Regula de valida n. 5.
Tertia Regula n. 6.
Quarta Regula n. 7.
Limitatio Regulæ n. 8. & 9.
Quinta Regula n. 10.
Sexta Regula n. 11.

1 VT perspicua sit huius Consectarij doctrina in tanta Doctorum dissensione, distinguenda imprimis est valida Sacramenti administratio à licita: circa vtramque enim dari possunt aliquando probabiles vtrimque opiniones. Deinde aliquando datur opinio certa circa materiam aut formam Sacramenti, aut eius ministrum, aliasve conditiones requisitas ad eius valorem, & simul datur opinio tantùm probabilis; certam verò sententiam facit, aut communis vsus Ecclesiæ, aut eius præceptum, aut communis omnium sensus v.g. certa sententia ex triticeo pane confici Eucharistiam, neque circa eam materiam est vlla opposita sententia probabilis; an verò ex quapiam alia materia, hordeo v.g. aut secale, opinio probabilis est, certa quoque est sententia sine vlla opinione contraria probabili aquam naturalem esse materiam baptismi, eiusque formam esse ea verba, *Ego te baptizo in nomine Patris* &c. An verò materia etiam sit lixiuium, aut ius elixæ carnis, aut aqua ex herbis liquata, & forma sit. Ego te baptizo in nomine Christi, aut in nomine genitoris & geniti, & procedentis ab vtroque, opinio est quæ sua probabilitate & Authoribus non caret.

Obserua secundò. Inter ea quæ necessaria sunt ad valorem Sacramenti, quædam ita esse ex Christi institutione, vt neque quoad suum esse, neque quoad conditiones sibi intrinsecas, & ad hoc necessarias vllo modo pēdeant ab Ecclesia, cuiusmodi sunt materia & forma eorum Sacramentorum, quæ non constant aliquo actu morali: cùm enim eiusmodi materiæ habeant solum esse physicum, non possunt ab Ecclesia pendere vt patet. Aqua v.g. triticum, balsamum, aliáve similia: at verò quando materia est aliquid morale ab humana potestate pendens, poterit ea materia vt validè conficiat Sacramentum ab humana saltem Ecclesiastica potestate pendere. v.g. in matrimonio materia est contractus validus & legitimus tradentium sibi mutuò ius in sua corporea, ea porrò validitas & legitimitas non est determinata à Christo pendétque ab humana lege saltem Ecclesiastica, quæ poterit aliquem eiusmodi contractum inualidum reddere; atque adeò ineptum qui sit materia Sacramenti matrimonij. Idem dicendum est de ministro, qui ad valorem Sacramenti omninò necessarius est, aliquando enim indiget aliquâ conditione quæ pendet ab Ecclesia, aliàs verò non. Nam minister baptismi est quicumque siue mas, siue fœmina, siue fidelis, siue infidelis, siue excommunicatus, siue non; modò enim adhibeat formam & materiam debitam cum intentione requisita, validè baptizabit, neque quidquam efficere potest Ecclesia vnde reddatur inualidum eiusmodi baptisma, quamvis prohibere possit tali ministro eam administrationem, eámque illicitam, & culpabilem efficere. At verò quando exigitur in ministro iurisdictio ad valorem Sacramenti, vt in Sacramento pœnitentiæ, quia iurisdictio confertur ab Ecclesia ab eadémque aufertur, restringitur, aut ampliatur, poterit impedire validam administrationem suâ lege. Opiniones igitur circa validitatem Sacramenti poterunt esse vel circa illud, quod indepēdenter ab Ecclesia requiritur, vel circa illud quod ab Ecclesia suppeditari, & exhiberi, vt ita dicam, necesse est, an v.g. materia sit valida, an non. An minister habeat iurisdictionem necessariam, an non. An matrimonium sit validum propter impedimentum dirimens ab Ecclesia positiuum vel non. 2

Obserua quartò, hoc loco opinionem tutiorem & minus tutam aliter sumi, dum igitur de valida Sacramenti administratione, aliter dum agitur de licita tantùm, aut de peccato in quacumque alia materia, tunc enim definiunt tutiorem opinionem, in qua nullum est peccandi periculum, minùs verò tutam, in qua licet non peccetur, est tamen aliquod periculum peccandi saltem materialiter, aut quæ non tam distare videtur ab omni periculo; qualem distinctionem initio huius quæstionis *notatione* 3. reiecimus tanquam inanem, eò quòd vtraque eiusmodi opinio secura sit, non modò expers omnis peccati existat, sed etiam omni peccandi periculo careat. At verò circa administrationem validam Sacramenti datur minus tuta & tutior opinio. Hæc postrema est illa, in qua certò conficitur validum Sacramentum, neque est vllum periculum illud non conficiendi: Minùs verò tuta, in qua periculum est ne inualidum sit Sacramen- 3

tum,

tum, vti fortassis est, quamvis existimetur inculpabiliter validum esse. Itaque non est tota ea opinio quoad validitatem Sacramenti, quasi per eam verè validum Sacramentum ponatur, vti probabiliter poni existimatur, sicut in materia peccati tuta opinio reuerà excludit omne peccatum, ex eo quòd probabiliter existimet excludi. v. g. qui consecraret aquam pro vino albo, reipsà non consecraret, quamvis probabilissimè iudicasset se vinum consecrare. Eodem modo si baptizet aquâ rosaceâ, quamvis probabiliter existimet esse materiam institutam à Christo, & nomine aquæ quam Christus requisiuit eam contineri. Si tamen reipsa non fuit ea materia à Christo, reuerà non baptizabit, eaque proinde opinio quamvis probabilis foret, exponet illum periculo inualidè baptizandi, quia vt aiunt Theologi passim bona fides quæ in opinione saltem probabili fundatur, excusat quidem à peccato, non validat tamen actum, neque supplet defectum eius quod essentialiter requiritur, quod videmus quoque in humanis. Vnde lex irritans obligat etiã ignorantem, & violatur etiam inculpabiliter, & actus per illam irritatus, manet verè irritus, quamvis quis existimarit se validè operari, idque maximè voluerit; quia tamen non adhibuit ea, quæ ad eius essentiam lex requirebat, inualidè fuit operatus.

Quartò Denique obseruandum est, obligationem sequendi opinionem probabiliorem & tutiorem oriri posse vel ex ipsa religione, & reuerentia debita Sacramento, quia violatur per illicitam, aut inualidam administrationem, vel ex aliquo alio extrinseco, nimirùm ex præcepto charitatis, quam debemus proximo, in cuius fauorem & vtilitatem ministramus Sacramentum, aut ex præcepto Ecclesiæ, quæ certum ritum, aut aliud quidpiam seruare præcipit: his obseruatis.

Prima Regula.

4 Quoties sont probabiles opiniones de licita administratione Sacramenti, fas esse quamlibet etiam minus probabilem sequi, ita omnes; non enim maior ratio est, cur in aliis materiis opinio & conscientia probabilis excuset à peccato, quàm in ista. Quare si possum ex opinione probabili non restituere, potero etiam ex eadem ministrare Sacramentum Eucharistiæ.

Tertia Regula.

5 Quoties dantur opiniones probabiles de validitate Sacramenti, licet sequi opinionem minùs probabilem relictâ probabiliori, si solius religionis & reuerentiæ debitæ Sacramento obligatio attendatur. Ita Vasq. 1. 2. *disp.* 63. *c.* 2. *&* 3. Sanch. *lib.* 1 *in decalog. c.* 9 *n.* 33. *& lib.* 3. *de matrim. disp.* 29. *n.* 4. Villalob. *tom.* 1. *t.* 1. *diffi.* 13. *n.* 1. *&* 2. Basil. Ponti. *lib.* 4. *de matrim. c.* 25. *n.* 9. Ferdin. à Castro *tr.* 1. *disp.* 2. *punct.* 5. *n.* 5. Sancti. *disp.* 44. *selecta. n.* 10. Salon. 22. *q.* 63. *art.* 4. *contr.* 2. *ad* 3. Salas *tr.* 8. *disp. vnic. sect.* 96. Sayr. *in claui regia lib.* 1. *c.* 7. *n.* 4. Anton. Perez *certamine* 10. *scholastico c.* 12. *n.* 62. Granado 12. *tr.* 12. *disp.* 4. *sect.* 4. *n.* 35. Ratio est manifesta ex doctrina nostra, quia non exponit se culpabili periculo irritandi Sacramentum, quamdiu prudenter putat illud non irritari & adhiberi posse modum, quem seruat, inde enim quamvis fortassis reipsa irritum fiat Sacramentum, non committitur iniuria aduersus ipsum. Quis enim dicat illum, qui existimans ex opinione probabili se non agere contra diuinum præceptum, nihilominùs aliquid præstat quod diuino præcepto prohibetur facere iniuriam moralem & formalem diuino præcepto, quod æquè habet ius vt seruetur, atque sacramentum vt validè ministretur; quia tamen quis prudenter opinatur se operari, inculpabiliter, violat diuinum præceptum, nullamque ipsi iniuriam facit; ita cum minister inculpabiliter existimet validè à se perfici Sacramentum nullam irreuerentiam iniuriamve aduersus ipsum committet.

Tertia Regula.

Quoties quis ministrat Sacramentum ex opinione 6
probabili de eius validitate relicta ea, quam vel sequendam edixit Ecclesia suo præcepto, vel vsu & praxi quotidiana, peccat mortaliter, nisi aut ignorantia, aut graui necessitate, de qua posteà excusetur. Hæc assertio negari nequit; cùm enim violetur præceptum Ecclesiasticum in re admodùm graui, & in materia religionis, graue sine dubio peccatum admittetur, neque vlla videtur hoc loco reperiri leuitas materiæ, cum agatur de parte essentiali Sacramenti, & ad eius valorem requisita. Hoc autem facilè fuerit videre in singulis Sacramentis, & nos aliqua indicabimus sequenti Consectario.

Quarta Regula.

Quoties in administrando Sacramentum relictâ 7
omninò certâ scientiâ de eius validitate, quantum ad ea saltem, quæ requiruntur ex Christi institutione, & independenter ab Ecclesia, sequimur opinionem minus probabilem, siue non certam, peccaminus contra charitatem, nisi vel ea probabilis opinio communis & vsu recepta sit, vel grauis excuset necessitas.

Hanc sententiam docent plerique DD. relati in secunda assertione Vasq. Sayr. Salas. Sanch. Sancti. qui etiam addit peccari contra institiam Ferdinand. si daretur aliquis casus in quo teneremur ex sententia omninò certa ad vitandum damnum proximi. Consentiunt quoque Villalob. & Anton. Perez adducti Baldell. *lib.* 4. *disp.* 12. *n.* 12. de Lugo *disp.* 8. *de Sacram. sect.* 9. *n.* 14. id denique ad minimum volunt, qui negant posse vnquam sententiam certam relinqui hoc loco Suar. *tom.* 3. *in* 3. *part. disp.* 16. *sect.* 2. *& disp* 21. *sect.* 4. *ad fin. & disp.* 45. *sect.* 1. *in fine & disp.* 60. *sect.* 1. *in fine & tom.* 4. *disp.* 26. *sect.* 6. *n.* 5. Henriq. *lib.* 1. *c.* 9. *n.* 15. Barth. Ledesma *de sacram. in genere dub.* 5. *concl.* 4. Valent. *tom.* 3. *disp.* 6. *q.* 2. *punct.* 1. Salas other relatus *n.* 86. probabilius id existimat Durand. *in* 4. *dist.* 17. *q.* 13. *n.* 6. *&* 7. Petrus Soto *lect.* 2. *de Euchar.* Victoria *q.* 54. *de sacram.* Becan. 1. 2. *tr.* 1. *c.* 4. *q.* 9. *n.* 7. *&* 10. contra Onied. *tr.* 5. *contro.* 3. *n.* 45. qui ad hoc requirit proximum esse in graui periculo, aut extremâ necessitate: ait tamẽ peccati contra iustitiam, nisi suscipiens sciat ministrũ vti eâ opinione probabili. Ratio est, quia charitas obligat vt proximo prouideamus de remedio certo, cum id commodè possumus. Quare si illo relicto, ad libitum alio quopiam probabili licet, vtamur, reuerà cùm illum periculo exponamus, iniuriam ipsi facimus. Damnum verò quod ex irritatione Sacramenti incurrit illud suscipiens, graue omninò est, quod nullam gratiam & fructum ex illo recipiat, immò & aliquando irreparabile est. Neque dicas cum Ouiedo *l. c.* præceptum charitatis non obligare, nisi vt subueniamus proximo remedio fauorabili & probabili, non autem certissimo, nisi sit in extrema necessitate constitutus: igitur extra illum casum saltem non peccabitur contra charitatem ab eo, qui Sacramentum ex opinione probabili, relictâ certâ administrat. Nam semper obligat charitas, ne damnum inferamus proximo, quoties illud sine vllo incommodo vitare possumus; est enim præceptum illud negatiuum non nocendi gratis proximo, quod semper & vbique obligat. At verò ministrando Sacramentũ ex opinione tantùm probabili de

eius validitate, relictâ certâ, qoam æquè commodè sequi poteramus, damnum facimus, aut illud faciendi periculum sponte suscipimus, quandoquidem poterit esse irritum sacramentum sic ministratum, quod damnum, eiusque periculum certissime cauebamus, si opinionem omninò certam, vti licebat, sequuti fuissemus.

8 Limitaui hanc nostram assertionem primò, vt opinio probabilis & minus certa non sit communis, & passim à viris doctis ac piis vsurpata, quamvis minus certa, quàm contraria. Ita Montesino 12. *disp*. 19. *q*. 5. *n*. 242. atque ita licebit absoluere pœnitentem accedentem cum attritione solùm cognita, licet tutius sit quoad validitatem contritionem veram aut existimatam afferre; quia tamen opinio requirens attritionem dumtaxat etiam cognitam communior modò est, atque probabilior, & conformior Tridentino, idcircò ne quidem in articulo mortis tenebitur confessarius illam exigere, aut pœnitens afferre contra Suar. *tom*. 3. *in* 3. *p*. *to*1. *disp*. 24. *sect*. 5. Sanch. *lib*. 1. *in decalog*. *cap*. 9. *n*. 34. Sal. 12. *tract*. 8. *disp*. *vnic*. *sect*. 10. *n*. 93. Granad. t 2. *disp*. 4. *sect*. 4. *n*. 36. Ouiedo 12. *tract*. 5. *controu*. 3. *n*. 50. non liceret enim sine hac limitatione sententiæ communis pœnitentem, qui non vult repetere confessionem, quam se informem fecisse fatetur, absoluere, neque simplex sacerdos præsente proprio posset in articulo mortis absoluere, & coniuges non possent contrahere præsente proprio Parrocho in aliena Parrochia, quia in his & similibus adhibetur materia probabilis, relictâ certâ & securâ; cum tamen omnes hæc licita esse fateantur. Apparet igitur opinionem communem & in vsu quotidiano prudenter vsurpari posse, neque tunc mortis irritandi sacramentum teneri nos oppositam omninò certam sequi.

9 Limitaui secundò extra casum necessitatis grauissimæ, illâ enim vrgente licebit, immò tenebimur ministrare ex opinione minus probabili, si probabiliorem aut omninò certam sequi non valemus. Hæc autem necessitas tum ex parte ministrantis, tum ex parte suscipientis contingere potest, si v.g. intentaretur mors ministranti, nisi certo modo & ritu ministraret Sacramentum, modò id non fieret in contemptum Sacramenti ac religionis, fas esset ad vitandam mortem eo modo, quamvis minus probabili, vti ait Anton. Perez *certamin*. 10. *cap*. 12. & 13. Si etiam vrgeat necessitas suscipientis, ministrandum erit Sacramentum ex opinione probabili, atque ita dum infans extrahitur ex vtero cum vitæ periculo baptizabitur in extrèmo digito; & confirmatio ex oleo benedicto absque balsamo vrgente occasione conferetur: moribundum exhibentem aliqua signa doloris, licet nihil omninò fuerit confessus, vt statim dicam, absoluere, quia melius est exponere Sacramentum periculo inualiditatis, quàm priuare suscipientem remedio probabili in eiusmodi extrema necessitate. Vnde est.

Quinta Regula.

10 Quoties ex duabus opinionibus probabilibus vna fauorabilior est validitati Sacramenti, altera verò suscipienti, sequenda est illa quæ fauet pœnitenti, modò probabilis sit quoad validitatem Sacramenti. Ita Montesino *q*. 5. *cit*. *n*. 245. quia cum Sacramenta instituta sint à Christo in fauorem hominum, in ipsorum administratione fauendum erit suscipienti, etiam cum aliquo periculo Sacramenti: itaque quoties non erit certa inualiditas Sacramenti, eritque certus fauor suscipientis, ministrandum omninò erit Sacramentum, vt apparet in exemplis proximè adductis.

Sexta Regula.

Quoties sunt opiniones probabiles circa ea, quæ pendent ab Ecclesia ad validam administrationem Sacramentorum, toties quàm libuerit sequi licebit. Ita censent quotquot inferiùs adducendi, existimant ex opinione probabili iurisdictionis audiendi confessiones, aut absoluendi à censuris, dispensandi à votis, & similibus fas esse operari, atque validos esse eiusmodi actus, eò quòd Pontifex & Ecclesia dum tolerat eiusmodi opiniones, & ex illis incommoda quæ sequerentur, si fortassis falsæ forent, liberè suppleat sua illa permissione aut ratihabitione eiusmodi defectum; quam in rem innumeros DD. allegat Ioan. Sancti. *disp*. 44. *n*. 3. quorum singulorum dicta in præsentiarum expendere vacat, aliquos in casibus singularibus fortassis examinabimus. 11

CONSECTARIVM V.

Casus singulares ex superioribus regulis explicantur.

Non summatur, quia singuli casus distincti satis sunt, & suis numeris notati, & ex regulis traditis innumeræ ferè difficultates explicabuntur. 1

Primò, qui tempore pestis, etiam ratione vitandi periculi adhibet probabilem tantùm materiam aut formam, cùm possit eadem facilitate adhibere certam & indubitatam, peccat mortaliter non contra religionem, vt censet Chapeauuille *tract*. *de modo ministrandi Sacram*. *q*. 43. & 44. sed contra charitatem, vti diximus prima & secunda Regula, atque etiam ex pluribus DD. contra iustitiam, vt monebamus *ibid*. si tamen ipse minister ad vitandum proprium periculum quod incurret in materia certa, & indubitata adhibendi, vtatur tantùm probabili, non peccabit, vti iam monuimus contra eundem Chappeau. *q*. 44. qui vult teneri ministrum ad exponendam vitam corporis, ne vitam animæ proximi aut subditi obijciat eidem discrimini. Hoc enim est tantùm verum, quando damnatio æterna proximi certissima est, non autem est, quando est tantùm aliquod eius periculum, vti innumeris exemplis docere facile foret.

Secundò, falsum est quod idem Chapeau. *ibid*. *q*. 46. existimat, grassante lue & imminente periculo posse ita administrari Sacramentum, vt vnus materiam applicet, aquam videlicet infundat, aut vngat, alter verò minimùm minister longius distans simul formam pronuntiet, & adducit Marsil. ac Caietan. falsum id inquam, quia tunc non vtitur opinione probabili, sed apertissimè falsa, vti fusiùs & in hoc ipso opere explicabimus, cùm id apertissimè sit contra veritatem formæ, quæ si falsa est, nulla est, omninóque irritum sacramentum esse oportet. 2

Tertiò, prudenter vrgente periculo, omittuntur omnes Ceremoniæ, & sola substantialia adhibentur, plurimùm quidem commendat Chapeau. *quæst*. 48. quendam Lardiensem Parrochum, qui peste grassante nihil horum omittebat: & *q*. *sequenti quæst*. 9. ostendit illum minimè tentasse Deum: Eum sanè aelus potuerit excusare, consultiùs tamen fortassis fecisset, si ab iis abstinuisset. 3

Quartò, qui ad vitandum periculum nouos aliquos ritus vsurpabit, modò essentialia Sacramentorum retineat, & illi ritus neque superstitiosi, neque indecori sint, non peccabit, & malè illum damnat Chapeau. *q*. 51. nisi ad superiorem prouocet; quia neque in Religionem, neque in chasitatem, neque in aliam virtutem peccat. 4

Quiotò

Quintò, quamuis sacramenta sine signo crucis subsistant, vti fatentur Theologi contra thesaurum Sacerdotalem, cùm tamen in omnibus adhiberi soleat, vt habetur ex Stephano Papa *cap. nunquid de consecrat. dist.* 8. immo & in omnibus ferè aliis, quod latè probat Gretſ. *lib.* 3. *de cruce cap.* 7. 8. & 9. & possit simul cum formæ prolatione formari, vix vlla videtur occurrere necessitas, quæ cogat ad illud omittendum; Si tamen quis ex inaduertentia aut præcipiti motu in angustiis subditi alicuius casus illud non formaret, ne venialis quidem reum culpæ aut violatæ legis Ecclesiasticæ facerem, quidquid alij sentiant, immò quamvis sciens omitteret, si existimaret se in ea necessitate probabiliter excusari ex quarta Regula nostra.

6 Sextò, in extrema necessitate licebit adhibere quãcumque materiam probabilem Baptismi, relictâ certâ, quæ tunc haberi nequit: quâ etiam ratione Baptizandus esset moribundus in nomine Christi, si non esset tempus pronuntiandi formam solitam.

7 Septimò, qui baptisaret in nomine genitoris, &c. aut forma Græcorũ baptiseret, in Ecclesia Latina peccaret, etiamsi ex probabilissima opinione operaretur, quia faceret contra præceptum Ecclesiæ, quod quoad formam Græcorum non vsurpandam habetur ex Innoc. 4. *cap.* 1. *de Baptismo.* Itaque peccati mortalis damnat Vasq. 3. *p. disput.* 142. damnandus quoque esset, qui verbum baptiso mutaret in *Tingo* & *Respergo*, quod habetur apud Cyprian. *epist.* 3. & 25. & 63. aut verbum *Perfundo*, quia peccaret contra Ecclesiæ vsum, sicut etiam si omitteret pronomen *Ego*: Idem dicendum, si in nomine Christi baptisaret citra necessitatem, quia vt diximus regula 2. non licet contra præceptum aut vsum Ecclesiæ, materiam aut formam, quamvis probabilem, aut etiam fortassis certam adhibere: Quæ omnia etiam dicenda sunt quoad singulas aliorum sacramentorum materias, quas hîc percensere non vacat.

8 Octauò, quoties quis potest adhibere materiam aut formam probabilem, aut valdè ex opinione probabili administrare sacramentum, tenetur id facere in extrema necessitate proximi, si nequeat ex certa opinione operari, quia cùm possit probabiliter succurrere extremæ necessitati proximi, obligatur ad id præcepto charitatis; quod enim exponat periculo inualiditatis sacramentum, non peccat contra Religionem, & debitam ei reuerentiam, sicuti ostendimus; aliunde verò violat charitatem, quæ obligat ad succurrendum proximo in ea necessitate constituto, à qua obligatione solum peccandi periculum, aut impossibilitas eo momento poterit excusare; Neutrum autem illorum tunc reperitur, immò aliquando iustitia ad id obligat, quando nimirùm est proprius pastor, qui debet suo subdito ex officio in iis angustiis sine dubio ministrare, & eius saluti prouidere vti potest, sequendo opinionem in praxi tutam propter eius probabilitatem: ideóque sapienter obseruat Montesino. 1. 2. *disp.* 29. *num.* 245. & Ioann. Sancti. *disp.* 44. *select. n.* 55. quoties ex duabus opinionibus probabilibus, & ideò tutis in praxi, vna fauet sacramento, & eius validitati prospicit, altera fauet suscipienti, eiusque saluti, semper eligendam esse eam, quæ fauet pœnitenti, cùm in eius salutem & remedium instituta sint sacramenta: ideóque satius fuerit exponere sacramentum periculo irritationis, quàm suscipientem damnationi; cúmque probabile sit sic ministrato sacramento, proximi salutem tutam esse, etiamsi periculum sit, ne irritetur sacramentum, & ideò neque tuta sit proximi salus: in iis tamen angustiis melius est adhibere remedium probabile, quàm illud omittere & nullum adhibere. Denique tunc periculum est ne violetur charitas, non verò ne aut Religio, aut vlla alia virtus; vti iam dixi: Idcircò infanti moribundo tenebitur Parrochus aut alius eo absente, qui præsens est impartiri baptisma ex opinione probabili, siue ex materia probabili, vti iam diximus.

9 Nonò, inde quoque fit, vt quoties moribundo poterit ex opinione probabili impendi absolutio, neganda non sit. Ita Turrian. *de pœnit. q.* 9. *art.* 2. *disp.* 30. *dub.* 3. Ioan. de la Cruz *in directorio part.* 1. *de sacrament. pœnitent. quæst.* 3. *dub.* 8. *conc.* 3. Suar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 23. *sect.* 1. *num.* 13. Vasq. *ibid. q.* 91. *art.* 2. *dub.* 1. *n.* 38. vbi negantes absolutionem id temporis reos & necatores animarum vocat Filliuc. *tom.* 1. *tract.* 7. *cap.* 5. *num.* 123. Montesino & Sanct. *locis citatis.* Dian. *de absolatione moribundi Resolut.* 9. & alij passim.

10 Decimò, tenetur Sacerdos absoluere illum, qui vnum tantùm peccatum fassus erit, si adsit periculum aut mortis, aut contagij, quia id licitè potest, cùm dimidiata ea confessio integra sit formaliter; neque enim ad materialem semper tenemur, alioquin qui ex naturali obliuione eam non poneret, vel ex iusto metu damni, quod ex cæterorum manifestatione tunc impenderet, non posset absolui contra communem scholæ sensum. Cùm igitur hîc sit impotentia quædam moralis, eò quòd timeatur mors pœnitentis, antequam absoluatur, non obligabitur ad integritatem materialem, quamvis si fieri possit, consultius sit vt grauius peccatum dicat. Ita contra Victoriam *relectione de confessione num.* 164. docent omnes cum Suar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 23. *sect.* 1. & Bonacin. *disp.* 3. *de sacram. q.* 5. *sect.* 2 *punct.* 2. §. 4. *diff.* 4. *num.* 17. & Henriq. *lib.* 5. *cap.* 22. *num.* 3. qui duo idem affirmant propter nimiam defatigationem ægroti illa explicatione peccatorum. Idem etiam fieri potest, dum in bello, ingruente hoste, aut grassante lue propter contagij periculum totam confessionem audire non licet.

11 Vndecimò, quando periculum esset ne ipsemet minister ante auditam totam confessionem pœnitentis moreretur, deberet illum absoluere, si nullus alius esset præsens, qui audire confessionem posset. Videtur enim tunc causa legitima dimidiandi confessionem: quod si commodè & breui tempore possit haberi alius minister, non deberet absolui pœnitens, quia onus repetendi confessionis partem, non videtur causa sufficiens eam dimidiandi, cùm sæpe alias incumbat eadem obligatio. Ita exponit, & varias opiniones conciliat de Lugo *disp.* 17. *de pœnit. sect.* 1. *num.* 4. Si quis tamen eo casu absoluisset, non obligarem pœnitentem denuò repetere peccata, quæ fassus fuerat, quia ex opinione probabili absolutus fuit; ita enim affirmat Soto *in* 4. *dist.* 18. *quæst.* 2. *art.* 1.

12 Duodecimò, sacerdos qui incoatam pœnitentis confessionem distulit perficiendam in sequentem diem, & tunc illum sensibus destitutum reperit, tenetur illum absoluere: quia potest, cùm iam materiam adhibuerit, & velit absolui, neque enim præsumendus est mutasse voluntatem. Ita Chapeauuilla *tract. de modo minist. sacram. tempore pestis cap.* 3. *quæst.* 13. Zambran. *de casibus tempore mortis cap.* 4. *dub.* 2. *sect.* 7. *n.* 41. Dian. *tract. de absol. moribund. resolut.* 6. de Lugo *sect.* 1. *cit. num.* 6. qui ait se consuluisse absolui canonicum, qui paulò antè morbum confessus fuerat Parrocho, qui quod dubitaret an capax esset absolutionis propter amentiam quam pati solebat, ipsum non absoluerat, absolui tamen sub conditione voluit Lugo, quia non præsumebatur mutata eius voluntas.

13 Decimotertio, qui dixit in communi, se plurima peccasse, aut se commisisse peccatum mortale, vel peccata mortalia, sensibus destituitur, absolui potest &

debet ea probabilissima sententia Suar. Vasq. Salas & aliorum: quos dabit Dian. *tract. cit. resolut.* 1. de Lugo *sect. cit. num.* 8. contra plures alios. Nam si licet absoluere eum qui petiit Confessionem, multò magis, qui fassus est aliquod peccatum saltem in communi. Deinde quia integritas materialis sæpiùs omitti potest, sufficitque formalis, per quam pœnitens fecit explicando suum peccatum quantum potest, & sanè si peccatum in genere est aliquando materia necessaria Confessionis & absolutionis, erit etiam sufficiens ista: antecedens vero manifestum est; nam qui recordatur se peccasse mortaliter, & non meminit speciei, debet illud fateri, sicut etiam si conscius sit se peccasse, si oblitus fuit grauitatis illius, videlicet an mortale an veniale sit, illud omninò fateri debet. Quod si moribundus nullam haberet materiam, non ei neganda foret absolutio. Est quidem grauis difficultas in quid determinatè cadat absolutio, quam fusiùs expendit Lugo, nos ad alia properamus; sufficit enim vt hæc absolutio ex opinione probabili saltem per principia intrinseca dari possit, vt ad illam impertiendam teneamur, quod vnum modò contendo.

14 Decimoquartò, in naufragio vbi non licet singulorum confessiones audire, tenetur confessarius id solùm excipere, quod potest sine aliorum præiudicio, quibus prouidere debet, immò poterunt omnes simul aliquod peccatum fateri & edere signa doloris, atque vnica formola absolui, Kon. *disp.* 7. *de sacram. num.* 74. Fagund. *de* 2. *præcep. Eccles. lib.* 2. *cap.* 3. *num.* 51. qui alios dabunt.

15 Decimoquintò, qui solùm dixit veniale in communi, & repentè sensibus destituitur, debebit absolui, quia si peccatum in communi est materia sufficiens absolutionis, ita & veniale in communi, & per eam absolutionem poterit à mortalibus quæ nequit exprimere, aut quorum non recordatur purgari: ipsi igitur impendi debebit absolutio. de Lugo *disp.* 17 *citata num.* 21.

16 Decimosextò, pueri de quibus dubitatur an habeant vsum rationis, si veniale fateantur, absolui debent, aut in articulo mortis, aut vrgente præcepto Ecclesiastico, si mortale dubium fuerit, fas, aut etiam veniale, ne priuentur eo sacramenti fructu, & vt purgentur à mortalibus, si fortassis contraxerint.

17 Decimoseptimò, qui nullum peccatum dixit, sed solùm notibus & signis petit absolutionem à Confessario, potest absolui; & proinde debet; quod verius etiam fuerit, si dicat se velle confiteri, se petere à Deo veniam, ita omnes relati *casu* 13. quia est confessio peccati saltem in genere, atque etiam accusatio, quæ dat iudici notitiam quam potest.

18 Decimooctauò, qui exhibuit signa contritionis, quia pulsauit pectus, oculos in cœlum intendit, aut in imaginem crucis dixit *Miserere*, aut aliquid aliud simile fecit, licet nihil de confessione dixerit, ac proinde non videatur præstare illa signa in ordine ad claues, poterit ac debebit absolui. Ita Layman. *lib.* 5. *tract.* 6. *cap.* 8. *num.* 4. Zambran. *de casib. tempore mortis cap.* 4. *dub.* 2. *sect.* 4. Chapeauuille *tract. de sacram. minist. & cap.* 4. *quæst.* 11. Diana *tract. de absolut. moribundi resolut.* 2. Lugo *disp.* 17. *num.* 29. contra Suar. *tom.* 4. *in* 3. *part. disp.* 23. *art.* 1. *num.* 13. Bonac. *l. c.* & alios, quia licet certum sit signa ista debere esse in ordine ad claues, siue manifestatiua desiderij de animæ salute per absolutionem procuranda; ea tamen talia esse sapienter præsumitur, quoties fiunt ab homine moribundo vel ipsi Confessario; est enim iam incboata Confessio, vel eo præsente quem scit adesse infirmus, immo etiamsi nesciat adesse, immò etiamsi dubitaretur, an ex pœnitentia, an vi morbi extorta essent, tamen sub conditione saltem absoluendus esset, vt ait Sancti. *disp.* 44. *selecta num.* 35. quia fauendum est pœnitenti. Si tamen qui sanus solitus fuerat vti eiusmodi signis, deinde in phrenesim incidat, & tunc eadem repetat, non poterit ratione illorum absolui, quia nulla ratione præsumitur ea fieri ea pœnitentia. Ita *ibid.* Layman. qui addit Sacerdotem qui recitata generali confessione, initio Missæ repentè destituitur sensibus, non posse absolui, quod etiam dixit Lugo *n.* 23. *contra Marchin. de peste part.* 3. *cap.* 13. *num.* 5. quia ea signa non fuerunt in ordine ad claues aut absolutionem Sacramentalem, alioquin possent semper absolui, dum eo die sacrum fecissent, quod idem de ministro dicendum foret: an verò ea quodam alio capite absolui valeant, statim dicam.

Decimononò, qui absente Confessario petiit confessionem, & signa pœnitentiæ dedit, potest ac debet deinde ab illo superueniente absolui, quamvis sensibus destitutus confiteri non possit. Ita plurimi doctissimi recentiores, quorum indicem texit Dian. *tract. cit. de absolutione moribundi resolut.* 4. quibus accessit nouissimè de Lugo *disp.* 17. *de pœnitent. sect.* 4. vbi fusissimè totam controuersiam pertractat, quod & iam præstiterat Konnik. non modo *disp.* 7. *de sacram. dub.* 10. sed *opusculo integro de absolutione moribundi*. Ex antiquioribus verò in eadem sententia fuit S. Thom. *opusc.* 65. §. *de Extrema-vnctione*, vbi tum baptismum, tum absolutionem eo casu impendendam esse apertissimè docet Antonin. 3. *part. tit.* 10. *cap.* 2. Sylu. *ver. confessor.* 3. *n.* 16. Paludan. *in* 4. *dist.* 21. *quæst.* 2. *art.* 1. *conc.* 2. Angel. *ver. confessio.* 4. *num.* 8. contra Turrian. *de pœnitentia quæst.* 9. *art.* 2. *disp.* 32. *dub.* 4. & alios nonnullos, ex quibus fusissimè rem disputauit Did. Aluarez 1. 2. *disp.* 80 *tota*. Probatur primò ex antiquis Conciliis, quæ iubent in extremis baptisari, aut pœnitentiam accipere eum, qui aliorum verbis voluntatis præteritæ testimonium habet, ita conc. Mansican. I. *cap.* 55. Concil. Carthagin. 4. *cap.* 63. Eusebius in sua decretali relata ab Iuone *part.* 15. *cap.* 35. & à Burcardo *lib.* 8. *cap.* 11. Et omninò luculenter Leo magnus *Ep.* 91. ad Theodorum Foroiuliensem: falsum verò est quod respondent aduersarij, non agi iis locis de sacramentali absolutione, sed solùm de cærimonia quadam externa reconciliatiua. Nam vt modò non disputem, an aliqua, & quænam fuerit eo tempore inter pœnitentiam & reconciliationem distinctio, de qua aliàs 2. *tom.* certum est vtramque impendendam fuisse tunc extrema agenti ex illis decretis, & S. Leo. eâ epistolâ manifestè indicat dandam tunc esse pœnitentiæ medicinam, vt supplicationibus Sacerdotum indulgentiam Dei in spem vitæ æternæ valeant obtinere, & spes vitæ reparetur æternæ, quod fieri per solam sacramentalem absolutionem, quis non videt; eam verò sæpius apud Patres per preces, orationes & supplicationes Sacerdotum intelligi vulgatum est, & nos alibi ostendemus: interim ad Vasq. 3. *p. quæst.* 91. *art.* 2. *dub.* 4. quod etiam confirmatur ex Iulio Papa *Cap. si Presbyter* & Cœlestino *cap. agnouimus* 26. *q.* 6. qui dicunt Presbyterum negantem pœnitentiam morienti reum esse eius animæ, & horrendam impietatem committere, quæ omnia ostendunt pœnitentiam, & reconciliationem quam Patres volunt impendi morienti, qui illam anteà petiit, continere liberationem à culpa, & non solum à censuris, aut cerimonialem quandam reconciliationem cum Ecclesia, cuius omissio non potuit excludere à salute: Quare non loquuntur tantùm, maximè Leo de publicis peccatoribus aut pœnitentibus, sed de omnibus, qui in eo articulo pœnitentiam petierunt: nam si de publicis tantùm ageretur, non esset necessarium astantium testimonium

stimonium : quia ex illo ipso statu iam satis constaret Sacerdoti illos pœnitentiam petiisse ; immò & acceptasse : vnde etiam reiicitur quod respondebat Can. apud Vasq. & Sotus apud Aluarez, eos pœnitentes iam priùs fuisse confessos, licet nondùm absolutionem accepissent, sed solam pœnitentiam : Nam debuisset vocari ille idem sacerdos, qui exceperat confessionem, & non opus esset astantium testimonio, cùm prior confessio satis testaretur desiderium absolutionis, & malè omninò Leo inueheretur in eos, qui differunt pœnitentiam ad illud vsque tempus, in quo tamen ait non esse ipsis negandam, modò illam petant, idque saltem aliorum testimonio constet.

Secundò probatur nostra sententia ex rituali Romano Pauli V. authoritate edito, & toti Romanæ Ecclesiæ ad praxim proposito, ibi verò distinctissimè habetur absoluendum esse moribundum, qui vel in genere, vel in specie vtcumque sua peccata aperuerit, vel etiamsi confitendi desiderium, siue per se, siue per aliós ostenderit : frustra verò dicunt aduersarij hoc Rituale habere quidem Pontificiam approbationem, quam & plerique alij libri, qui de Pontificis licentia vulgantur, habent, non tamen Pontificiam authoritatem ; id enim ex ipsa Bulla Pontificia præfixa huic editioni manifestè refellitur, In ea enim asserit se tradere receptos & approbatos Ecclesiæ ritus. & hortatur, vt omnes obseruent eiusmodi Rituale Romanæ Ecclesiæ omnium Matris & Magistræ authoritate constitutum.

Obiiciunt Aduersarij Clem. VIII. decretum, quo damnantur, qui volebant licere aliquo casu confessionem & absolutionem per litteras vel per internuntium : atqui in nostro casu fieret absenti & per internuntium : quibus verbis non tantùm definit eiusmodi confessionem fore illicitam, sed etiam inualidam, alioquin non potuisset prohiberi & reddi illicita pro omni casu, & vrgente grauissimo damno speciali, & in eo omninò licita esset eiusmodi confessio, si esset valida. Neque benè respondetur damnari tantum à Clemente copulatiuam, nimirum confessionem & absolutionem sacramentalem in absentia pœnitentis factam per litteras & internuntium; eiusmodi enim interpretationem reiecit tanquam falsam Paul. V. 14. *Junij ann.* 1605. Vti declarauit congregatio sancti officij, & sanè inde sequeretur posse per litteras mitti absolutionem, modò confessio facta fuisset præsenti, quod est contra mentem Pontificis, qui proinde noluit solam copulatiuam damnare, sed vtramque eius partem, nempe tum confessionem absenti factam, tum absolutionem absenti impensam; in casu autem nostro confessio fit absenti per testes, aut internuntium, ergo damnatur à Clem.

Resp. primò Vasq. *dub.4. citato num.* 34. Et Diana alios allegans *tract. citato, resolut.4. & 7.* fieri confessionem præsenti Sacerdoti non immediatè per ægrotum, sed per interpretem ; & quamuis ægrotus destitutus non sit humano modo & moraliter præsens, id tamen minimè requiritur : Nam si dum interpres loquitur, intereà pœnitens deliraret, aut dormiret, aut destitueretur sensibus, valida tamen foret confessio.

Hanc solutionem pluribus impugnat de Lugo *n.* 67. tum quia deberet confessarius cognoscere desiderium pœnitentis ab iis, qui tunc sunt præsentes; Et si cognouisset tantùm in itinere, non posset absoluere, tum quia vt confessio fiat à præsente per interpretem debet confessarius adesse, quando pœnitens manifestat interpreti peccata, quæ deinde ille confessario exponit.

Secundò igitur respondet de Lugo, duplicem esse confessionem, vnam propriam & strictam iudicialem, dum præsente iudice & Notario reus crimen fatetur, ex qua deinde confessione Iudex pronuntiat; alteram quasi extraiudicialem, per quam reus etiamsi nihil singillatim fateatur, ait tamen velle se coram iudice & Notario fateri, & ideò eos vocari iubere; in hac confessione iam reus fatetur se teneri aliquo crimine, cum dicit se velle illud fateri, non est verò strictè loquendo propriè iudicialis, cùm præcedat ipsum iudicij actum, non tamen omninò est extraiudicialis, quia fit in ordine ad iudicium, eiusque præparatio, & veluti inchoatio quædam est. Eodem modo in iudicio sacramentali pœnitentiæ vna est confessio stricta & propria ac iudicialis, per quam pœnitens præsenti iudici sua singillatim aperit peccata. Altera quasi extraiudicialis vniuersalis & minus propria, per quam pœnitens vult accersiri iudicem & confessarium coram quo se accuset, & per quam iam manifestat suum crimen, vtraque est sacramentalis, quia vnà cum absolutione superueniente conficit sacramentum; propria tamen & stricta id per se facit; altera verò vniuersalis, & quasi extraiudicialis: in extrema tantùm necessitate Clemens damnat eos, qui existimarunt propriam illam & strictam confessionẽ fieri posse in absentia, non verò negat eam vniuersalẽ, & quæ est desiderium confitendi signo externo expressum, vrgente aliquâ necessitate sufficere ad sacramentum. Denique Clemens explicauit Episcopo Armacano suam mentem, & nunquam se hunc casum suo decreto voluisse comprehendere : Epistolam Armacani referunt Kon. & de Lugo: atque hæc vltima explicatio mentis Pontificiæ ab ipsomet Pontifice facta difficultatem omnem tollit, neque ad subtiliorem illam duplicis confessionis distinctionem à de Lugo excogitatam recurrendum erit. Sufficiet porrò vel vnius testimonium, cùm ibi non agatur de præiudicio alterius. Ita Sancti. *disp.* 44. *num.*35. Zambran. *de sacram, tempore mortis cap.4. dub* 2. Reginald. *lib.*8. *cap.*3. *num.*8. de Lugo *num.*82. Diana *resolut.*5. immò & testes mediatos, qui non audierint ab ipso ægroto, sed ab aliis idoneos satis esse existimat Lugo *num.* 81. & denique *num.*85. ait cum pluribus aliis, maximè Bonacina, qui *disp.2. de censuris quæst.3. punct.* 33. testatur de Romanorum Doctorum sensu hanc absolutionem impendi posse, etiamsi qui nuntiauit confessario pœnitentis voluntatem, deinde non idipsum affirmet eo præsente, neque ad ægrotum redierit contra Dianam. *resolut.*7. quia vti diximus, ea confessio non fit per interpretem, vt supponunt aduersarij, sed est confessio vniuersaliter sumpta, quæ in defectum strictæ confessionis acceptatur ad sententiam absolutionis vt diximus.

Ex his omnibus fit, hanc sententiam saltem probabilem esse, & dici non posse improbabilem, ac proinde teneri confessarium eo casu absoluere moribundum, quod etiam fatentur plerique ex aduersariis propter regulam superiori Consectario traditam ; neque opus erit exprimere aut exterius aut interius conditionem aliam, quæ implicita est ex natura rei, cùm nemo intendat dare absolutionem impossibilem, sed illam quam potest. Ita de Lugo *n.*90. *&* 91. & Diana *resolut.* 10. Quæ enim in contrarium afferuntur, ostendunt tantum apponendam esse conditionem baptismo, & aliis sacramentis, quando de eorum valore habetur dubium proprium, non autem opinio probabilis.

Vigesimò, nefas est impendere absolutionem moti- 20
bundo sensibus destituto, qui neque signa contritionis dedit, neque confessionem petiit. Ita Suar. *tom.*4. *disp.*23. *sect.*1. *num.*13. Vasq. 3. *p.q.*91. *art.*2. *dub.*1. Kon. *disp.*5. *de pœnit. num.*28. *&* *disp.*7. *n.*96. Layman. *lib.*5.

lib.5.tract.6.c.12.num.4. Turrian. *de pœnitent.quæst.9. art.2.disp.*30. Henriq. *lib.6.cap.10.num.9* Diana *tract. de absolut. moribundis resolut.* 8. *&* 3. *tract.4. Miscellan.resolut.*92. Reginald. *lib.8. cap.3.num.*23. de Lugo *disp.* 17. *de pœnit.*39. contra Honobon. 1. *parte examin. tract.7.cap.*58.*quæst.*84.& paucos quosdam alios apud Dianam.

Ratio nostri Consectarij est, quia nunquam vti diximus in administrandis sacramentis licet sequi opinionem improbabilem & falsam, ista vero eiusmodi est, etsi enim eam vt videa pauci quidam docuerint, manifesta ratione conuincuntur falsitatis ex essentiali ratione sacramenti pœnitentiæ, quod est iudicium sensibile, de cuius proinde essentia est accusatio, vel imploratio officij iudicis, qui aliter non potest procedere, via enim inquisitionis hoc loco fingi nequit. Cùm igitur pœnitens ipse sit accusator, debet aliquo signo externo, vel accusare se iudici, vel ejus saltem officium implorare, alioquin non potest institui iudicium: quare quamvis ad alia sacramenta v.g. Eucharistiæ, aut Extremæ-vnctionis suscipienda sufficiat voluntas generalis vsurpandi media instituta pro articulo mortis, atqueadeò possint illa ministrari ægroto sensibus destituto, quamvis ea non petierit, nihilominùs ea voluntas non sufficiet ad sacramentum pœnitentiæ; cuius pars essentialis est accusatio sensibilis, siue propria & stricta, siue saltem generalis, vti diximus superiori casu, hîc verò nulla eiusmodi accusatio habetur: deest igitur pars essentialis sacramenti, quod proinde nullum est, neque contraria opinio vllam habet prorsus probabilitatem. Quare quod Bartholom. à S. Fausto *tom.1.qq.Theologicar.quæst.*204. ait, vti in aliis casibus dubiis, dari absolutionem sub conditione reiicitur, ex eo quod non possit esse dubium de valore huius sacramenti in tali casu, cùm huic iudicio sensibili, essentialis omnino sit accusatio vel imploratio iudicis, qui nequit hoc iudicium inchoare, nisi ad instantiam partis; ridiculum verò est quod Iacob. Baius *lib.2. Institut. Religionis christianæ cap.9.* respondet, posse tunc impendi absolutionem per modum suffragij; ea enim absolutio deprecatoria, non est sacramentalis, quæ debet esse iudicialis, vti apertè docet Tridentin. *sess.*14. *cap.*2. alioquin etiam mortuo posset impendi absolutio.

Secundò confirmatur hæc sententia, eò quòd neque PP. & Concilia, neque Rituale Roman. dum diligenter enumerant omnes casus, in quibus potest expendi absolutio vrgente necessitate, vnquam huius meminerunt, qui tamen omitti non debuerat: si in eo licuisset moribundum absoluere, quod verò affertur ex Memoriali confessariorum Bononiensi *cap. de forma sacramenti pœnitentiæ num.*16. nihil omninò vrget, fuit enim priuatæ cuiusdam Ecclesiæ abusus, neque authoritatem facit quod Ludou. Archiepiscopus, cuius auspiciis editus fuit ille liber, in Pontificem deinde fuerit electus nominatusque Gregorius XV. Neque enim factus Pontifex vsum illum approbauit: Sacerdotale quoque Romanum eam opinionem videtur docere ex Antonino, sed & Antoninum malè allegat, vt expendit de Lugo *loco cit.* & pluribus aliis locis corruptum fuit, emendationeque eguit, vt alibi dicemus cùm eodem de Lugo *disp.20.de Euch.sect.*3. falsò etiã & ex vano rumore circumfertur, Clem. VIII. aliquem ex summa turri S. Petri decidentem sic absoluisse, & quando ita fecisset, nihil id probaret: potuit enim suspicari illum in suo casu implorare confessarium ex signis, & hostibus quos deprehendit in bello milites, dum auditi nequeunt, significant, vt se desiderare confessionem, & ita absoluantur inquit de Lugo.

CONSECTARIUM VI.

Confessarius potest, immò & aliquando tenetur sequi opinionem probabilem sui pœnitentis.

Probatur Consectarium. n. 1.
Quale sit peccatum Confessarij eo casu negantis absolutionem. n. 2.
Obiectio diluitur. n. 3. & 4.

Hoc consectarium docent magno consensu DD. quos enumerare singillatim nõ vacat, supra quadraginta adducit Ioan. Sancti. *disp.33.selecta num.*54. quibus adde Ferdinand. à Castru Palao *tract.1.disp.2. punct.4.* Dian. *tract.*13. *de opinione probabili resolut.*11. Lugo *de pœnit. disp.22.sect.2.§.1.n.*39. Ouiedo *tract.5. contron.3.punct.6.num.*73. Layman. *lib.1.tract.1.cap.5. n.*10. Estque perspicua ratio ex hactenùs disputatis, tenetur enim confessarius impertiri absolutionem pœnitenti bene disposito, alioquin facit ipsi iniuriam: tùm quia illum priuat fructu sacramenti, tum quia illum obligat ad repetendam confessionem & peccata sua iterum subiicienda clauibus: prætereà peccat contra sacramentum, quod non perficit, vti posset licitè atqueadeò deberet, sua enim vnius culpa mancum & incompletum manet sacramentum, atqui pœnitens qui sequitur opinionem probabilem est bene dispositus ad effectum sacramenti, nisi quidpiam aliud obstet: neque enim peccat operando ex opinione probabili, neque illam deponere tenetur, vt aliam æque probabilem, aut etiam probabiliorem sequatur, vti in nostris propositionibus solide euicimus: Ergo illi absolutio negari non debet. Neque benè distinguũt aliqui veteres inter proprium confessarium, siue Parrochum & delegatum; quamvis enim Parrochus teneatur ex iustitia & ratione officij audire confessionem sui Parrochiani, quod officium alij confessarij ex sola charitate præstant: Nihilominus vbi confessarius audiuit pœnitentis confessionem, quam non audire tenebatur, tenetur ex iustitia iudicium quod spontè inchoauit perficere, & illi absolutionem ad quam dispositus est impendere. Posset quidem hic confessarius, vti aduertit Vasq. significare pœnitenti se nolle deinceps suam excipere confessionem, nisi opinionem eam deponat, cùm non teneatur eius audire confessionem, quod proprius Parrochus facere nequibit, saltem quando Parrochianum audire confitentem tenebitur: verum enim quoties se audiri postulabit, audire ipsum obligetur proprius Sacerdos, modò non dispoto. 1

Quale verò sit peccatum confessarij negantis absolutionem pœnitenti bene disposito, & ex opinione probabili operanti disputant DD. Cum alij peccati mortalis, alij leuioris damnent, alij inter proprium confessarium & delegatum etiam hoc loco distinguant, sed sine causa pensanda est grauitas iniuriæ, quæ fit pœnitenti; si leuior enim sit, vt quia breuis fuit confessio, & de solis venialibus, estque ad manum alius confessarius à quo & facilè absoluetur, & ità fructu sacramenti non carebit, non videtur esse grauis iniuria, neque grauis culpa in illa inferenda: si verò vel non sit ad manum alius confessarius, vel graue onus imponatur pœnitenti propter varias circumstantias repetendi confessionem, aut alius periculo exponatur, culpa sine dubio grauior erit. Quæ quidem distinctio 2

ſtinctio communior placet, ſi agamus de iniuria ſolius pœnitentis: ſi verò loquamur de iniuria, & irreuerentia ſacramenti, quod mancum relinquitur cùm perfici potuiſſet, videtur ſemper committi grauior culpa: Nam cum certum ſit pœnitentem vtentem opinione probabili non peccare, certum eſt eo caſu, ſi nihil aliud obſtet, quàm obſtinatus animus pœnitentis in retinenda opinione probabili, perfici poſſe ſacramentum, ſi confeſſioni eiuſmodi legitimè factæ accedat Sacerdotalis abſolutio. Cur igitur eam negat confeſſarius, quam licitè poteſt concedere, immò, vt euicimus, tenetur, & non perficit ſacramentum, ſed illud incompletum relinquit; peccat itaque in Religionem & reuerentiam ſacramento debitam, quæ culpa ex ſuo genere grauis omninò eſt; niſi fortaſſis opinio illa pœnitentis minùs tuta foret quoad validitatem ipſius ſacramenti, quia tunc confeſſarius ſiue daret, ſiue negaret abſolutionem, ſacramentum incompletum, aut inualidum facere timeret. Quare non magis peccaret in Religionem ſacramenti negando, quam impartiendo abſolutionem, immò ſi ſequutus minus tutam opinionem pœnitentis quoad validitatem ſacramenti, & illum non monitum de periculo inualiditatis ſacramenti, abſolueret, peccaret, vti aduertit Ouiedo *num.* 74. & nos diximus *confect.* 4. neque inde aliqui benè argumentantur ad opinionem minus probabilem; nam cum pœnitens ſe exiſtimet abſolutum, non curabit de damno aut periculo quod incurrit reparando, neque iterùm ſe ad abſolutionem habendam diſponet. Vnde grauem accipit iniuriam à Confeſſario, à quo non monitus abſoluitur ex opinione minus tuta ſecundum validitatem ſacramenti: At verò cum illi negata eſt abſolutio, curat ipſe deinde damnum eiuſmodi per nouam confeſſionem, & quærere abſolutionem ſibi iniuſtè aut licitè negatam, eáque iniuria grauior aut leuior eſt, pro ratione materiæ & circumſtantiarum.

Quoties igitur diſſenſio inter pœnitentem & confeſſarium eſt circa aliquid non pertinens ad eſſentialia ſacramenti, ſed ad obligationem, diſpoſitionemve pœnitentis, v.g. an teneatur teſtituere, an non, an tali lege exinatur in tali caſu, & cæteris eiuſmodi, & pœnitentis opinio probabilis eſt, nequit confeſſarius negare abſolutionem, atque ſi id faciat peccat grauiter in reuerentiam ſacramenti; quod ſua culpa incompletum relinquit, niſi ſequatur & ipſe opinionem probabilem, quæ dicat in talibus circumſtantiis ipſum debere potius ſacramentum incompletum facere, quàm illud conceſsâ abſolutione perficere, quod rarò admodùm continget. Quare licet non irrogetur fortaſſis magna incuria pœnitenti in quibuſdam caſibus, atque ex eo capite culpa confeſſarij negantis abſolutionem leuior videatur, vt fuſiùs explicat Ouiedo *à num.* 76. ratione tamen irreuerentiæ & irreligionis aduerſus ipſummet ſacramentum ferè ſemper grauiaerit.

3 Dices confeſſarium aliquando eſſe ſuperiorem pœnitentis, cui proinde ea probabili opinione imperanti tenetur obedire; tantùm igitur abeſt, vt confeſſarius ſequi debeat pœnitentis ſententiam, vt potius pœnitens contra propriam opinionem obſequi debeat confeſſario tanquam ſuo ſuperiori legitimè imperanti. Verùm quidquid ſtatuatur de obligatione ſubditi parendi contra propriam opinionem probabilem, ipſum ab obligatione tunc parendi eximentem, de qua re diſputauimus nuper. Certum eſt confeſſarium non eſſe ſuperiorem pœnitentis, & illi dumtaxat præcipere quidpiam poſſe in ordine ad peccata vitanda, aut condigna pœnitentia eluenda, cum autem tenet opinionem probabilem, non peccat, vti conſtat ex dictis.

Dices, vel ſententia probabilis quam in danda abſolutione ſequi debere confeſſarium contra propriam diximus, probabilis eſſe debet pœnitenti dumtaxat, vel etiam confeſſario, aliiſve ſaltem viris doctis, ſi primum dicamus ſæpiùs tenebitur confeſſarius ſequi ſententiam falſam: fieri enim poterit vt pœnitens exiſtimet inculpabiliter aliquid eſſe probabile, quod tamen falſum omninò eſt, ſiue ex defectu ſcientiæ, ſiue quia ab aliis quos doctos & pios exiſtimat audiuit, ab iiſque deluſus eſt: v.g. vſuras & ſimplicem fornicationem eſſe licitas, atque etiam mendacium ad vitam ſeruandam, quæ omnia confeſſarius certò ſcit eſſe falſa, pœnitens verò non vult dedoceri, & obſtinatus in ſua opinione perſeuerat, atque ita non dolet de commiſſis vſuris, aut fornicatione, neque illas ſe vitaturum promittit; eſt tamen benè diſpoſitus ad excipiendam abſolutionem, cùm operetur ex opinione probabili ſibi, propter errorem inuincibilem, atqueadeò inculpabilem, quod ampliùs vrgebis, ſi talem aliquem errorem pœnitens didicerit ab aliquo, cuius authoritas confeſſarij authoritati æquiualet, aut etiam præponderat; tunc enim ſe à ſua ſententia deduci non patietur à confeſſario. Quid igitur aget confeſſarius, an ſequetur ſententiam certè falſam, ſed pœnitenti probabilem per errorem inuincibilem? id autem fieri poſſe negauimus in noſtri confectarij doctrina, an negabit abſolutionem, at faciet iniuriam pœnitenti benè diſpoſito; vtpote non peccanti, cum ſequatur opinionem & conſcientiam inuincibiliter errantem.

Quod ſi dicas opinionem pœnitentis, quam ſequi tenetur confeſſarius debere eſſe probabilem, vel in ſe, vel ita communiter a viris doctis haberi; idque DD. omnes ſatis manifeſtè iudicare, confeſſarius negabit, aliquando abſolutionem pœnitenti bene diſpoſito, vti iam monuimus.

Reſp. Cum de Lugo *num.* 45. *diſp.* 21. *de pœnit.* vbi 4
contentio erit de requiſitis eſſentialiter ad ſacramentum pœnitentiæ, confeſſarium non poſſe ſequi opinionem pœnitentis, quam certo ſcit eſſe falſam, aut quam non exiſtimat aliquâ ratione probabilem eſſe, ſiue per locum intrinſecum, ſiue per extrinſecum, vti diximus: Quia reuerà ipſe confeſſarius ageret ex opinione omninò falſa, atqueadeò contra conſcientiam propriam, neque tantùm permitteret pœnitenti ſuam conſcientiam, & opinionem; ſi verò quæſtio ſit de aliis obligationibus pœnitentis, vt reſtitutione facienda, dimittendo beneficio, deſerendâ occaſione peccandi, aliiſve eiuſmodi, ſi opinio pœnitentis ſit omninò improbabilis, non ſibi modò, ſed aliis, videre debet confeſſarius an ignorantia pœnitentis, & error in hac parte ſit inculpabilis, an culpabilis; Et quidem ſi ſit culpabilis, debet eum dedocere, & niſi velit dedoceri, negabit illi abſolutionem, vtpotè minimè diſpoſito ad eam accipiendam, cùm erret in ea ſua opinione, in eáque retinenda peccet, ideóque ponat obicem ſacramenti efficacitati. Quod ſi ignorantia ſit inculpabilis, deſpiciet confeſſarius, an in illa ſit relinquendus pœnitens, conſulérque regulas ſuperius à nobis allataa *confectario* 4. quod ſi prudenter cenſeat tollendam eſſe eiuſmodi ignorantiam pœnitentis, & ipſe doceri nolit, remittet ad viros doctos conſulendos pœnitentem, qui ne ſiquidem id velit, aut ſaltem pati; vt ipſemet confeſſarius eos conſulat, neque promittere ſe ipſorum iudicio obauditurum, dimittet illum non abſolutum, iure enim præſumit eum non eſſe diſpoſitum, & ex quadam animi pertinacia, aut ex prauo in peccatum affectu ſuo errori, vt liberius, ſecuriuſque peccet, adhærere.

His omnibus adde ex Monteſino 1. 2. *q.* 5. *diſp.* 19. *num.* 198. licet confeſſarius non poſſit obligare ad

reſtitu

restitutionem pœnitentem, qui ex opinione probabili existimat se ad illam non teneri, posse tamen illam in pœnitentiam & satisfactionem sacramentalem imperare, modò ea pœna peccatis confessis commensurata sit.

Consectarium VII.

Casus singulares circa confessionem.

1 Primò non obligatur pœnitens fateri peccatum, quod probabiliter existimat non esse mortale. Ita Suar. *tom. 4. in 3. part. disp.* 22. *sect. 9. num* 5. *& 6.* Sylu. *verb. confessio sacrament.* 2. *quæst.* 1. §. 3. Rosella *verb. eodem.* 1. *num.* 12. Gerson. *Alphab.* 41. *litt. F. & serm. in cœna Domini de pœnit*, Sanch. *lib.* 1. *in decalog. cap.* 10. *num.* 76. & alij passim contra Salam. 1. 2. *tract.* 8. *disp. vn. sect.* 5. *num.* 60. qui vult teneri pœnitentem ad eam confessionem, quoties potest sine magno incommodo peccatum illud explicare. Verùm nostrum consectarium euidenter colligitur ex dictis, quia pœnitens tunc operatur ex opinione & conscientia probabili; non peccat igitur tacendo hoc peccatum magis, quàm non restituendo, quando ex opinione probabili existimat se non obligari ad restituendum: quam etiam ob causam addit Henriq. *lib.* 5. *qui est de pœnitent. caput.* 4. ne quidem ad huius peccati explicationem teneri pœnitentem, licet probabilius sit, peccatum illud esse mortale, modò probabile quoque sit, non esse mortale, quod malè negauit Kom. *disp.* 7. *de pœn. dub.* 8. *num.* 68. quia licet sequi opinionem probabilem relicta probabiliori, vti ostendimus; eadémque Suaris *loco cit. sententia est Iunalli* 1. 2. *tract. de artib. hum. q.* 4. *art.* 12. & aliorum.

2 Idem omninò dicendum est de confessione peccati mortalis, quod quis putat probabiliter se iam fuisse confessum. quod asserunt iidem DD. cum Nauar. *cap. Si quis autem, num.* 77. *de pœnis. dist.* 7. propter rationem allatam contra Salam.

3 Non tenetur pœnitens fateri circunstantias, quando probabile est, non esse necessariò explicandas, vt quando sunt solùm aggrauantes, & non mutantes speciem. Ita Sanch. *n.* 76. *citato*, aliíque DD. quia tunc pœnitens operatur ex opinione probabili.

4 Quartò, qui scit se peccasse mortaliter, neque meminit speciem peccati, debet illud in genere fateri, quia est materia sufficiens, immò & necessaria confessionis; tenemur enim peccata mortalia subiicere clauibus, eo modo quo illa habemus in conscientia, non tenetur tamen huic peccato in genere sic explicato, alia siue venialia, siue etiam mortalia quondam dimissa & subiecta clauibus adiicere contra Villalob. *tom.* 1. *tract.* 9. *diff.* 34. *num.* 3. quia cum teneamur subiicere clauibus peccata venialia, & peccatum mortale in genere explicatum, quando maior eius cognitio non habetur, sit materia sufficiens, vt Laym. *lib.* 5. *tract.* 6, *cap.* 12. *num.* 7. aliíque communiter tradunt, ipséque Villalob. malè omnino in eo casu timet integritati confessionis, nisi aliqua alia peccata tunc simul cum illo peccato in genere explicentur: Est enim confessio integra etiam materialiter, quando in ea fatemur peccatum omne, quod fateri tenemur & subiicere clauibus.

5 Quintò, hinc multa alia singularia circa modum aut materiam confessionis explicari poterunt: quoties enim erit opinio probabilis aliquid non esse explicandum, aut non eo certo quodam modo, tunc poterit omitti à pœnitente, licet vt diximus opinio contraria probabilis, aut etiam improbabilis sit: Quare facilè poterit quisque ire per singula.

Sextò, reiicitur quod Henriq. *lib.* 5. *de pœnit. cap.* 4. *sub fin.* hanc nostram doctrinam limitat, excipitque mortis periculum, in quo vult pœnitentem teneri ad sequendam opinionem tutiorem, atque ita obligat ad fatendum peccatum, quod probabiliter iudicat esse mortale, aut se non fuisse confessum, etiamsi probabile quoque putet, vel se illud peccatum aliàs aperuisse confessario, vel illud non esse mortale, aut eius circunstantias non esse explicandas; quia licet omittendo illius peccati, aut circunstantiarum confessionem ex opinione probabili non peccet; tamen non adhibet remedium certum, & sufficiens ad delendum illud peccatum, si fortè vti probabile est, nondum fuit dimissum, maximè si dubitet, an contritionem perfectam, an attritionem solùm habeat, obligatur autem eo momento saluti suæ consulere; & eius medicum certum vsurpare cùm possit, alioquin peccat in propriam charitatem. Verùm, cùm fateantur Henriq. hunc pœnitentem ex opinione probabili omittentem alicuius peccati mortalis aut circunstantiæ confessionem, non peccare, adhibet remedium certum ad expiationem peccati, quod si mortale reuerà sit, aut non alias confessum, nunc reuerà dimittitur, quamvis indirectè: Itaque non se exponit periculo salutis, vti diximus alias, & fusiùs explicat Ioan. Sancti. *disp.* 19. *num.* 8.

Consectarium VIII.

An medicus vel chirurgus possit sequi opinionem probabilem in curandis ægrotis.

Quid sit hoc casu probabilitas. n. 1.
Non licet vti tantum probabili medicamento vbi certum adest. n. 2.
Debet vti probabili vbi certum abest numer. 3. & 4.
Non licet in dubio experiri medicamentum. n. 5. & 6.
An liceat vti dubio, vbi nullum aliud superest, & alioquin certa est ægroti mors. num. 7.

Opinio probabilis hoc loco non sumitur in ordine ad culpam, quando enim probabile erit, 1
medicum aut chirurgum non peccare in adhibendo aliquo medicamento: illud reipsa adhibendo non peccabit, quia operabitur ex conscientia probabili, quam sequi omnino licet: probabilitas igitur aut certitudo opinionis hoc loco respicit efficacitatem medicamenti, eáque est opinio certa, quando certum est medicamentum esse idoneum curando morbo, & salubre omninò fore; opinio verò probabilis est, quando non quidem certò constat medicamentum profuturum, probabile tamen, id est, quamvis formido sit aliqua ne noceat, aut non prosit. Itaque periculum est aliquod, sed probabile tantum, ne non prosit, aut etiam obsit, dubium medicamentũ est, quando hæret animus, neque affirmare potest, an obfuturũ, an verò nociturũ sit. Quæstio igitur est, an quoties probabile est medicamentum aliquod profuturum ægroto, quamvis etiam probabile sit ipsum non profuturum vel obfuturum vsurpari possit sine culpa à medico, quia tunc vtitur opinione probabili, atqueadeò videtur operari ex conscientia probabili, quod fas esse tota hac quæstione fusè stabiliuimus, hoc eodem sensu sumitur opinio tuta,

aut

aut minùs tuta in hac controuersia, non quoad imputabilitatem culpæ, sed ad effectum medicamenti. Itaque opinio illa tuta est, quæ vsurpat medicamentum, quod prodesse & nocere nequit, non tuta aut minùs tuta, quæ ægrotum alicui periculo, maiori aut minori exponit.

2 Aio primò. Medicum non posse vti medicamento probabili tantum, vbi certum suppetit, sed peccare grauius aut leuius pro grauitate, aut leuitate periculi cui obiicit ægrotum. Ita omnes, quia alioquin peccat medicus contra fidem, quam tum Reipublicæ tum ægroto debet, & contra charitatem proximi, cuius salutem periculo exponit, quam per certum medicamentum, si eo vti voluisset, poterat in tuto collocare; Et quamvis medicamenti efficacitas probabilis sit, non tamen inde sequitur probabile esse medicum illo vti posse relicto medicamento certo.

3 Aio secundò, quando nullum adest certum medicamentum, debet ex pluribus probabilibus eligere probabilius, alioqnin peccat in charitatem, quæ postulat vt subueniat proximo pereunti meliori modo quo potest, neque tunc est opinio probabilis in conscientia ipsum posse vsurpare medicamentum, de cuius salubritate est minor probabilitas. Ita Sancti. *lib. 1. in decalog. cap. 9. numer. 41.* Soto *lib. 3. de iustit. q. 6. art. 5. ad 4.* Suar. *in 3. part. tom. 3. disp. 21. sect. 4. sub fin. & tom. 4. disp. 26. sect. 6. num. 5.* Salon. 22. *q. 63. art. 4.* Vasq. 1. 2. *disp. 64. cap. 4.* Villalob. *tom. 1. tract. 1. diffic. 16. n. 6* Layman. *lib. 1. tract. 5. n. 15.* Ouiedo 1. 2. *tract. 5. contr. 3. punct. 11. num. 114.* qui & communem vocat contra Azor. 1. *part. instit. moral. lib. 1. cap. 17. q. 11.* Salas 1. 2. *tract. 9. disp. vni. sect. 15. n. 156.* Ferdinand. à Castro *tract. 1. disp. 2. punct. 10. n. 8.* Ioan. Sancti. *disput. 44. numer. 36.* qui omnes existimant posse vsurpati medicamentum, quod medicus probabiliter existimat profuturum, etiamsi alij existiment probabilius non profuturum, aut etiam nociturum: sanè non peccaturum contra iustitiam hunc medicum non inuitus concesserim, violaturum nihilominus censeo charitatem proximi, cuius vitam posset & deberet medicamento probabiliori, & tutiori reddere securiorem: quod verò obiicit Azor. id quod fit ex opinione probabili carere imprudentia, & temeritate, nō delet hunc charitatis næuum, concedo quidem medicum vti posse opinione alienâ, quā cæteri probabiliorē iudicant, licet ipse minùs probabilem illā existimet, quod dixit Mont. 1. 2. *disp. 29. q. 9. n. 214.* quia poterit propriā sententiam
4 aliorum iudicio postponere, quæ paucioru forrassis est.

Addo nihilominus ad tollendos omnes scrupulos, quia vix inter opiniones probabiles, & in difficultate cognoscendi omnes circunstantias, ex quibus vis & efficacitas medicamenti iuuari, aut impediri potest, cum illud idem quod aliquibus profuit in eodem genere morbi, aliis obfuerit, quia inquam vix certè definiri potest, quænam opinio sit probabilior, ideò ferè semper integrum erit medico, ex opinionibus probabilibus quam libuerit, pensatis omnibus adiunctis eligere, cùm prudenter tunc procedat, & ratione aliquā ducatur, propterquam vnam opinionem potiùs quàm
5 aliam amplectatur.

Aio tertiò, in dubio an medicamentum profuturum, aut nocitorum sit, non licere illud experiendi causâ duntaxat, vsurpare. Ita Corduba *lib. 3. quæstion. q. 5. §. 2. probatur.* Azor. 1. *p. inst. lib. 1. c. 17. q. 11.* Vasq. 1. 2. *disp. 64. c. 4.* Sayr. *in claui lib. 1. c. 10. n. 6.* Ferd. à Castro *tr. 1. disp. 2. punct. 9. n. 3.* Sancti. *lib. 1. in decal. c. 9. n. 38.* Laym. *lib. 1. tra. 1. c. 5. n. 15.* de eiusmodi medicis queritur Plin. *l. 29. c. 1. discunt enim periculis nostris, & experimenta per mortes agunt*, & cum periculo exponant vitam hominis, seuera peccant. An verò de reo, & damnato eiusmodi aliquod experimentum sumi possit authoritate iudicis, qui illum damnauit, atque ita commutetur supplicium quod promeritus fuerat: aliò pertinet, & ea de re aliquid dicam sequenti Consectario. 6

Obiicies, hinc sequi eos omnes medicos, qui primi medicamentum aliquod, cuius nondum comperta vis erat, vsurparunt, peccasse; quod tamen quanto humani generis commodo fecerint, nemo non videt; nam alioquin haberemus medicinam valdè mancam, cum solis ferè experimentis, sicut & reliquæ artes parta fuerit: hac etiam doctrina occluditur via quidquam noui excogitandi in medicina, atque ita nobilissima disciplina limitibus omninò angustis circumscribitur.

Resp. eos qui fœlici quodam ingenio, primi vim medicamentorum agnouerunt, eáque fœliciter vsurparunt, temeritatis minime damnandos esse, cum aut ratiocinatione, aut ex aliis quibusdam experimentis in re quapiam simili, aut ex analogia, aut nouo quodam lumine illustrati medicamenta illa primi vsurparint, quod quotidie euenire cernimus in iis medicis, qui vi quadam arcana solertis ingenij, morborum causas, earumque curationes ac nouas methodos colligunt, neque temerè vsurpant; Et quod in aliis scientiis atque artibus contingit, plurima innouant, non ad arbitrium aut periculi faciendi duntaxat causâ, sed firmâ atque fortassis nondum satis perspectâ ratione persuasi. Neque enim effœtam & sterilem esse naturam hâc senescentis mundi ætate, itavt nihil noui extundere possit, existimare debemus; nam iniurij nobis ipsis essemus, si veterum monumenta duntaxat legere, & quid illi senserint & excogitauerint commendare memoriæ duntaxat licere, nihilque aut nos ipsi inquirere, aut excogitare possemus, quod angustiam animi proderet, vt ait Picus *in apolog.* & miseriam in omnes disciplinas senitutem inuehere, vt ait à Castro *lib. 1. aduersus hæres. c. 7.* atque ex Durand. *in prologo*, insipientiam bestialem, præcludentem viam inquisitioni veritatis, præstantem sciendi impedimentum, & violenter opprimentem lumen rationis. Qui tamen nouādi solo studio ducti, placita antiquorū, eorumque effecta leuibus ratiunculis conuellūt, vt sibi nomē aliquod comparent, imprudentes & temerarij iure merito audiunt.

Aio quartò, ægroto cuius omninò conclamata salus est, nisi aliquo medicamento iuuetur: Et tamen nullum probabile occurrit, adhiberi posse dubium, an sit profuturum an nociturum; Et quid fortassis restituet sanitatem, aut mortem accelerabit. Ita Adrian. *in 4. q. de correct. fraterna. art. 3. §. ex quo ad secundum.* vbi tamen paulo timidius loquitur, affirmat tamen omninò Valent. 2. 2. *disp. 3. q. 10. pun. 3. versu non improbo.* Sanch. *lib. 9. de matr. d. 20. n. 19.* & *lib. 1. in decal. c. 9. n. 39.* vbi in eandem sententiam trahit Cordub. *lib. 3. quæstion. quæst. 5. post. 2. proposition.* & Roderiq. *tom. 2. sum. c. 51. n. 6. conc. 4.* subscribunt etiam Reginald. *lib. 13. num. 99.* Sayr. *in claui lib. 1. cap. 10. num. 9.* Gaspar Hurtado *disp. 4. de conscientia num. 9.* Fernand. de Moure 4. *part. examin. capit. 12. §. 2. numer. 4.* neque improbabile dixit Filliuc. *tract. 21. numer. 151.* Layman. *lib. 1. tractat. 1. capit. 5. numer. 15.* contra quam sentiant Vasq. 1. 2. *disput. 64. capit. 4. num. 16.* Azor. 1. *part. instit. lib. 1. capit. 17. quæst. 11.* Sylu. *verb. medicus quæst. 4. dicto. 1.* Angel. *eodem verbo num. 2.* Innoc. *in cap. tua nos num. 1. de homicid.* & *ibid.* Antoni. Anan. Alb. Felin. relati à Sanch. *num. 39. citat.* & à Ferdinand. à Castro *qui tractat. 1. disp. 2. punct. 9.* suaè hanc sententiam tuetur, & alios etiam adiicit, quibus adde Nald. *verb. Medicus num. 8.* Monium *lib. 2. de vena sect. 1. in morb. acut. capit. 13.* & Codrondium *lib. 1. de christiana meden. rat. cap. 6.* Montesin. *disput. 25. quæst. 5.* Nauarr. *in sum. capit. 25. numer. 61.* Salas. 1. 2. *tractat. 8. disputat. vnic. sect. 14. num. 136.* Ouiedo 1. 2. *tractat. 5. contron. 3. punct. 11. num. 113.* Verùm horum aliqui non

videntur à nostra sententia discedere; ita enim exigunt in hoc casu aliquam probabilitatem ad exhibendum medicamentum dubium ægro desperato, vt probabilitatem nominent exiguam illam spem, quæ in eo ancipiti euentu restat, futurum vt prodesse possit medicamentum: quamquam tam debilis sit ea spes, vt dubitetur, an ex illo potiùs sit mors acceleranda, quam vitanda: Nam si aliter vsurparent nomen probabilitatis isti Doctores pro opinione probabili, quæ à dubio distinguitur, iam discederent à statu quæstionis; Essetque alius casus de quo diximus superiùs, neque profectò negarent desperatis ægris adhibenda esse medicamenta probabilia, quando alia non suppetunt, & aliqui ex eis Authoribus à se ipsis dissentirent: nam Sanch. qui *num. 39. cit.* putauit in dubio porrigi posse medicamentum conclamatis ægris. Negat *num. 42.* vsurpandum eiusmodi medicamentum, nisi eius vtilitatis aliqua probabilitas affulgeat; Quia sanè si omnis vtilitatis spes excluderetur, certumque foret nullomodo profuturum, & periculum ne obesset, inutiliter omninò & imprudenter adhiberetur. Quis hoc neget? Quando igitur dubium est ne sit inutile, aut etiam noxium medicamentum, aut proficuum, spes est aliqua, quamvis tenuis boni euentus, cùm par & æqualis sit timor contrarij, & infælicis exitus, speramus illo leuandum ægrotum, sed æquè timemus extinguendum violento remedio; & omnibus expensis rationum momentis hæret animus inter spem metumque, & neutram in partem inclinat. Cùm tamen aliunde ægroti salus omnino deposita sit, eóque solùm medicamento iuuari fortassis valeat non sine periculo; ne illo ipso fortassis acceleretur mors, in illa animi fluctuatione, & extremo casu. Prudenter & absque culpa dubium istud medicamentum vsurpari contendimus, quod ipsemet à Castro, qui tam acriter contrariam sententiam tuebatur, omninò tradit *tract. 1. disp. 3. punct. 5. num. 6.* Eosdemque authores adducit, quos retulerat *tract. 1. disp. 2. punct. 9.* pro contraria sententia, vt videas omnes istos Doctores vocibus duntaxat dissentire, & rebus conuenire; volunt videlicet quandiu aliqua spes affulget vtilitatis ex aliquo medicamento, etiamsi par omninò sit metus nocumenti; ideóque dubitet animus medentis profuturum an nociturum sit, illud nihilominùs morbis desperatis adhibendum esse: si verò nulla omnino esset spes vtilitatis, & dubium siue metus nocumenti; tunc omnino abiiciendum foret, neque ægroto quamvis deposito adhibendum; & hoc solùm probant quæ afferunt aduersarij de mortis accelaratione, quæ timenda est, ex dubio illo medicamento: Satius enim est ægrotum vi morbi perire, quàm medicum exponere se periculo illum interficiendi; quod enim aliqui dicunt plura passurum ægrotum, si eo morbo intereat, quam si medicamento illo extinguatur, ineptissimum est, alioquin liceret mihi gladio perimere illum, quem atrocissimis tormentis à tyranno torqueri video, aut brachium abscindere alicui, ne ab alio interficiatur. At verò in nostro casu prudenter & audacter remedium anceps vsurpandum esse suadent ipsi medicorum Principes Galenus, cuius fertur illa vox *audacter interfice*, & Celsus *lib. 2. de re medica cap. 10.* vbi de periculosa sanguinis missione agit, vbi nullum aliud apparet auxilium, periturusque est qui laborat, nisi temeraria via fuerit adiutus, in hoc enim statu, boni medici esse ait ostendere, quàm nulla spes sit sine sanguinis detractione, faterique quantus in hac re metus sit, & tum demum si exigetur sanguinem mittere, de quo dubitari in eiusmodi re non oportet, satius est enim anceps auxilium experiri, quam nullum. Et sanè cum in hoc casu certa sit mors ægroti nullo adhibito medicamento, adhibito autem hoc vnico quod superest dubia sit mortis acceleratio, aut salus, nemo non videt dubiam mortis accelerationem, siue periculum accelerandæ mortis, cum aliquâ salutis recuperandæ spe præoptandum & præferendum esse certæ & indubitatæ morti; & nemo vnus est, qui prius illud periculum eo momento non eligat. Neque si mors ægroti contingat illius causa fuerit medicus, cùm certam illius causam, nempe morbum ipsum habeamus. Neque etiam erit causa mortis festinatæ, illam enim non causauit, sed illius periculo ægrotum exposuit, prudenter omninò in illis angustiis melius eum fuit tentare hoc remedium, quàm certò exitio relinquere. Quid enim si prosit remedium, vti aliquando contingit. Et nemo prudens est, qui vt euitet certum interitum se periculo illius accelerandæ non exponat, ita vt flammas quis fugiat, aut leonis immanis dentes ex altissima turre se præcipitat, aut in mare deiicit, quia in eo periculo cui se obiicit, spes aliqua, quamvis tenuis, elucet euadendi mortem, alioquin certam. Hoc igitur remedium anceps non modo licitum erit in tali rerum momento, sed etiam ex obligatione adhibendum, vti docent Sanch. Ferdin. à Castro *tract. 6. disp. 3. punct. 5. num. 6.*

Consectarium IX.

De sectione pragnantis.

Sectionem Cæsaream nominamus sectionem materni vteri ad prolem, quam eniti non potest extrahendam. Quare ita excisi Cæsones & Cæsares dicti sunt à cæso matris vtero, qualem primum fuisse Scipionem Africanum videtur dicere Plinius *lib. 7. cap. 9.* Et Solinus *cap. 4.* sed falsò, quia antè bellum Samniticum Claudius quidam Cæsar extitit, vt obseruat Salmasi. Quare verba Plinij aliter sunt intelligenda, nempè priori Scipioni Africano id contigisse, ideóque primum nomen Cæsarum in suam familiam intulisse; fuere siquidem duo Scipiones Africani, vnusque altero longè anterior, vti probat Hermolaus Barbarus in suis ad Plinium castigationibus. Iulium verò Cæsarem primum Romanorum Imperatorem fuisse quoque primùm qui excisus vtero materno fuerit, vulgaris est error, quem redarguit Plinij locus adductus, & probat Beroald. *in annotatio. ad Seruium* §. 9. & Cuspinian. initio historiæ, & sanè matrem iam grandis natu in Gallia pugnans amisit Iulius, & licet contigerit aliquando matres eiusmodi sectionem passas diutiùs viuere, prodigij tamen instar habitum est, & obseruatum à scriptoribus, vt dicemus inferiùs. Nullus autem veterum id de matre Iulij tradidit, immò neque Iulium excisum è materno vtero fuisse meminit: Quare neque ab ea excisione nominatum Cæsarem Spartianus, in Selio vero hanc Cæsaris denominationem ex aliis quoque causis sumptam esse ex Doctissimorum virorum mente scribit, nempe ab Elephanto, qui linguâ Mauricâ cæsa dicitur, in prælio cæso, vel ab oculis cæsiis, vel quod cum magna cæsarie natus sit, vel denique quod mortuâ matre ventre cæso effusus fuerit. Quæ eadem habet Constantinus Manasses in Annalib. *n. 71.* Et quod de Elephanto *Cæsa* vocato dicitur, idem existimant Robert. *lib. de nomin. Rom. c. 34.* Sign. *lib. eod. tit.* vbi de nomin. ab aliis euentibus. Cæsar & Castald. *de Imper. q. 4. n. 3.* probantque ex veteribus nummis, in quorum altera parte sculpitur Elephas anguem calcans subscripto nomine Cæsar. In altera variæ instrumenta, quorum vsum fuisse volunt ad Elephanti cædem, verùm non satis apposité, quia illa instrumenta sunt sacrificatorum, & non lenis coniectura est ea Numismata cusa fuisse in apotheosi Cæsaris, quod ostendit citatus Sigoni. Seruius quidem in 5. *Æneid.* ait Iulium Cæsarem dictum, quod eius

Auus

Anus in Africa occidisset elephantum, qui Cæsar dicitur Pœnorum lingua. Sanè plurima nomina Punica in *ar* desinunt, obseruat Vossi. à Cæsarie dictum Cæsarem; maluit verò Sextus & Isidor. *lib. 9. capit. 3.* quos sequitur Salmasi. & alij recentiores: à Cæsiis verò oculis quod innuebat Spartianus, deduci negat Vossius: nam non Cæsar, sed Cæsius dici debuisset, maximè cum id nomen inter Romana reperiatur. Verum quidquid sit de nomine Cæsarum, & Cæsonum certum est à Plinio, Tertulliano & aliis deduci ex eo, quòd dexsecti matris vtero viui aërem hauserunt, vt loquitur Tertullian. *lib. de anima cap. 25.* Hanc igitur sectionem, per quã aliqui excisi matris vtero Cæsones, vel Cæsares appellati sunt, nos quoque Cæsaream nominamus, vt ab aliis quæ in corpore humano & materno à mulieris prægnantis arte medica exerceri solent distinguamus, quia illæ alio pertinent, quam ad vitam fœtus adhuc aluo materna latentis procurandam, maximè ad cognitionem anatomicam non sine communi commodo ad incognitorum morborum causas dignoscendas, & curationem ex ea per sectionem affectis inspectione procurandam: vnde variæ sunt anatomicarum eiusmodi sectionum obseruationes omnino prodigiosæ, quas Zacutus, Thomas Bartholinus in suis centuriis aliique prodiderunt. Quibus omnibus omissis, de hac sola cæsarea, cuius beneficio fœtus extrahitur, & seruatur agere instituimus; ex iis enim quæ de licita aut illicita ipsius vsurpatione constituemus, quid de aliis sectionibus chirurgicis viuentis hominis sentiendum sit, facilè colligetur.

2 Hæc vero sectio tribus in casibus fieri potest, primò mortuã matre prægnante vt statim extractus fœtus seruetur: eiusmodi homines Seruios dicebant Romani.

Secundò, secatur mater viuens superstite quoque & viuente fœtu, cui omnis alius aditus interclusus est, quemque parens foras expellere non potest, vt & mater graui illo onere leuetur, & fœtus quoque seruetur.

Tertiò, mortuo intra vterum fœtu secatur parentis vterus, ne aut eo putrefacto ipsa quoque extinguatur, aut diutiùs pondus illius cum maximis incommodis & continuis molestiis ferat, vitamque miserabilem ducat, vti aliquando contingit; Narrat enim Albosius libello quem Cordæo subiunxit suis commentariis in Hippocratem, mulierem Senonensem Embrionem vtero inclusum per 28. annos gestasse. Narrat & medicus Friburgensis se anno 1595. in dissecanda muliere reperisse eius vterum lapideum pondere librarum septem, vesicam item lapideam, & peritonæum cui via nouacula immitti posset. Similia plures alij obseruarunt, & fœtum demortuum sæpius ex miseræ matris vtero extractum constabit. Iterum inferiùs nobilis porrò vtrusque controuersia est, an hæc sectio in casibus enumeratis licita & honesta sit, propter probabile periculum matris vel prolis, vel etiam vtriusque, quod aliqui certum affirmant, alij negant, alij dubium faciunt. Diximus verò in nostra doctrina vniuersali ex duabus opinionibus probabilibus posse sine culpa alterutram eligi, immò & minùs probabilem, modò tamen verè probabilis sit; eam tamen communem doctrinam ita limitauimus, vt non agatur de damno proximi; eius enim euitandi causâ cogimur aliquando vnam potiùs opinionem quam aliam sequi; alioquin peccamus contra charitatem, vel aliquando contra iustitiam. Itaque in hac nostra quæstione probabilitas opinionum attendi debet penes periculum quod mater vel fœtus ex ea sectione incurrit, an illud per sectionem euitabit, illáque omissâ peribit. Vt verò rem definiamus, expendendi sunt tres casus enumerati, in quibus eiusmodi sectio poterit vsurpari. Primus est matre demortua, vt si adhuc deprehendatur fœtum viuere, illi scisso matris vtero consulatur ad vitam saltem specialem & animæ salutem baptismate procurandam.

Et quidem hoc casu secandam esse matrem S. Tho. *3. p. quæst. 68. art. 3.* omniumque Theologorum est communissima sententia, eos dabit Theophil. Raynaudus, qui totam istam materiam eruditè suo more pertractauit *opusculo singulari de ortu Infantium contra naturam per sectionem Cæsaream*; ex quo nos proficiemus *cap. 2. num. 2.* Consentiunt & medici paucis recentioribus exceptis; in quibus est Rodericus à Castro *lib. 4. de morbis mulierum cap. 3. in scholiis*: & Varandæus *de morbis mulierum lib. 2. cap. 7.* qui negant, mortuâ matre, posse vel ad momentum fœtum vtero eius inclusum viuere, atqueadeò quotquot narrantur ita extracti, superstites fuisse ex matre adhuc viuente, & spiritum agente, aut mortuâ, simili vel hystricâ passione laborante excisi sunt, deluso aut deludente chirurgo, quod in hysterica passione mulieris aliquando contigisse scribit Paræus *lib. 24. cap. 54.* Quare ea mortuæ matris sectio si mala non sit, saltem ad hunc effectum inutilis erit: Esto ad alios effectus, & fines anatomicos profutura sit, atqueadeò licita, cauendúmque est chirurgo, ne in matrem viuam adhuc & spirantem sæuam lanienam exerceat nullo compendio. Cùm enim ita in isto casu affecta sit mulier, vt à peritis quoque mortua existimetur, in illa ipsa carnificina extinguetur, & fœtus vna cum ipsa eodem momento neque viuus extrahetur, sed vtrique matri scilicet & proli mors accelerabitur. 3

Standum nihilominus est communi sententiæ sectionem istam vsurpandam esse, statim matre mortuâ, si deprehendatur fœtus adhuc viuere, cùm nullum inde sit matri periculum iam præmortuæ, neque etiam fœtui, qui vel cum matre extinctus est, vt volebant isti neoterici, atqueadeò nullum inde damnum patitur, vel non est extinctus, & adhuc viuere deprehenditur, & illius saluti æternæ per baptismum quem recipere poterit, consulitur, atque etiam vitæ nonnunquam temporaneæ, vti sæpiùs contigisse locupleti plurimorum testimonio certum est. Antiqua & noua exempla congessit Theophil. *cap. 2. cit.* Tiraq. *q. 18. de iure primogen. n. 2.* Illustre est quod de Sancio Abarca Vasconum Rege produnt Hispani; occiso enim per Arabes Eneco eius parente, & matre Vraca, cum fœtus per vulnus materni vteri brachium ostentaret, à Sanctio Guenara viuus extractus est, & tandem annuente eodem post annos viginti in regnum tanquam legitimus successor euectus, dictusque Abarca à rusticanis calceis & peronibus, quos in priuata vita gestarat. Quia tamen Rodericus Toletanus *lib. 5. de rebus Hispan. c. 22.* Vracam viuentem adhuc lancea Arabica perfosso latere Sancium enixam esse, & Marian. *lib. 8. hist. cap. 4.* totam eam historiam inter fabulas numerat. Adducendi sunt alij, qui emortua matre extracti fuerint, diúque superstites fuerint. In his numeratur Purchardus Comes, ideò ingenitus cognominatus anno Christi 959. Gerardum Episcopum Constantiensem anno 1001. simili ratione editum scribit Bruschius, vt & S. Lambertum Venciensem Episcopum, eius acta chronico Lerinensi inserta. S. Dragonem siue Druonem è Ioannæ Reginæ Siciliæ, & Comitissæ Tholosæ demortuo scisso vtero eductum scribit historia Fontis-Ebrald. *l. 3. c. 7.* Gregorium quoque XIV. R.P. è visceribus matris Annæ Comitissæ, Septimestrem extractum habet Spondan. *an. 1590. n. 21.* vide alia apud Paræum *lib. 24. c. 14.* Scheneium *lib. 4. obseru. medic.* Carol. Steph. *lib. 3. dissect. part. corp. hum. c. 1.* Horat. Augen. *lib. 8. ep. 2. c. 11.*

Daniel. Sennertum *lib. 4. quæst. a sectione 6. cap. 8.* Insigne est quod refert Guillelmus Fabricius Hildanus *centur. 3. obseruationum chirurgicarum in epistola ad Michaelem Doringium* de Hernia vterina, quam illi censuræ subiicit, mulierem grauidam vna cum marito suspensam ano 1567. propè Daurientam, vbi per quatuor horas mortua pependisset, gemellos viuos fudisse, idque confirmat Hildan. ex Ebero *in calendario historico*, Diomede Conuario *historia 14. admiranda*, & Gregorio Horestio *in Marcelli donati librum*: quo casu dubium non est, fœtum intra vterum matris mortuæ aliquandiu vixisse. Neque probat contrarium, quæ ab aduersariis obiiciebantur: quod enim dicebat Rodericus obeunte matre, statim intercludi fœtus respirationem, & motus cordis cessare, eò quòd pendeat ex contractione & distensione duarum arteriarum vmbilicarum, quæ cieri cessant mortuâ matre. Cum igitur fœtus sine respiratione & motu cordis viuere nequeat, vnà cum matre necessariò moritur. Verùm falsò supponit Rodericus cor & pulmones in fœtu cieri, quod ostendit Laurent. *lib. 8. anat. cap. 7. quæst. 16.* fœtus siquidem ob caloris exiguitatem solâ transpiratione contentus est, neque indiget respiratione; quæ ad solam copiosi caloris refrigerationem instituta est, cordis etiam motus necessarius non est, nisi vel ad trahendam spirituum vitalium materiam in cor, vel ad fumidos vapores, qui ex spiritibus vitalibus in cordis officina elaboratis tanquam recrementa quædam expellendos, quæ spirituum vitalium elaboratio non fit in fœtu, qui illos spiritus vitales iam elaboratos, & defæcatos accipit à matre per arterias vmbilicales, quod ostendit quidem fœtum extinctâ matre non posse diutiùs viuere, non tamen eodem cum illa momento perire, cùm non fiat subitanea spirituum à matre transmissorum extinctio, & sine nouorum spirituum perenni affluxu, vitam tantisper continuare possit: quod autem Varandæus dicebat, fœtum non aliâ quam matris vitâ viuere, idem Stoïcis & Ænedesinio, atque è medicis Hisecio tributum, vel est id ipsum quod quæritur, vel falsum est, cum vita fœtus à vita matris æquè distincta sit; atque amborum animæ, nisi velis quod Tertullian. *lib. de anima cap. 5.* Platoni, Stoicis cum Ænedesinio atque Hisecio medico tribuit, fœtui non infundi animam distinctam à materna, nisi vbi ex vtero effusus est: *præsumimus*, inquit, *non in vtero concipi animam, nec cum carnis figulatione compingi, atque produci, sed & effuso iam partu nondum viuo infanti extrinsecùs imprimi. Cæterùm semen ex concubitu muliebribus locis sequestratum, motuque naturali vegetatum compinguescere in solam substantiam carnis, eam editam, & de vteri fornace fumantem, & calore solutam, vt ferrum ignitum, & ibidem frigidæ immersum, ità aeris Regione percussam, & vim animalem rapere, & vocalem sonum reddere.* Hoc nugax commentum pluribus confutat Tertullian. quem adeas velim, ipsáque experientia matrum, atque infantis ipsius motus poterat & addere clamores & vagitus in vtero sæpiùs auditos, de quibus Libanius & Thomas Bartholin. *in historiis anatomicis centuria 5. histor. 5.* aliique; idem argomentum versat Nyssen. ostenditque animam non esse corpore posteriorem *lib. de opificio hominis cap. 29. & lib. de anima, & resurrect.* Lactans. *lib. de opificio Dei cap. 17. contra Varron.* Plutarch. *lib. 5. de placitis Philosophorum capit. 55.* Platonem excusat Carpent. *in cap. 17. Alcmoi.* affertque Plotio. & Ficinum in *Theologia Platon. lib. 18. cap. 3.* in hanc rem. Hicesius verò medicus laudatur sæpiùs à Plinio, loca dabit Pammel. *in scholiis ad cap. 25. Tertull. de anima.*

4 Non negarim tamen non posse diutius viuere fœtum vtero clausum extinctâ matre, ideóque celeritate & diligentiâ vtendum esse ad hanc sectionem eo casu, vt saluti saltem æternæ infantis prouideri maturè valeat, peritique chirurgi fuerit omnia habere parata ad hanc operationem, vbi primùm expirauerit mater. Videat tamen ne præceps adeò sit, vt spirantem adhuc matrem secet, & interimat, sed vbi primum certis indiciis, quæ plurima sunt, obiisse deprehēderit. His omnibus addo non modò licitam & honestam esse matris sectionem eo casu, sed ad eam faciendam obligari peritum ministrum qui aderit, peccaréque mortaliter, si operam suam neget, aut tardet, cùm in extremum salutis periculum proximum cõiiciat suâ culpâ & peruicacitate, vel morâ ac negligentiâ. Eadem obligatione tenentur propinqui, aliique qui adsunt puerperæ ad eam sectionem procurandam, vt fœtus salus collocetur in toto.

§. III. Secundus casus de quo dubitari potest, an li- 5
cita sit parentis grauidæ sectio, est, cùm & mater & fœtus viuunt: Nequit tamen fœtus aliâ viâ propelli, nisi exciso vtero extrahatur, siue propter angusti vteri ostium, & obesitatem infantis ex vbertate materiæ, aut vitioso tumore, siue propter omninò occlusum naturale ostium per phymos, immò deprauatam ossium ischii ac pubis conformationem, luxosum os femoris versus internam partem, & comprimens vterum, quâ parte fœtui foret exeundum, callum, cicatricem, lupiam, scirtum, calculum, molem carneam, & similes eiusmodi tumores, gangrænam, cancrum, aliosve affectus, quos experientia deprehendêre Medici, qui de morbis mulierum agunt. In iis enim casibus cum nequeat fœtus educi & exire ex vtero, nisi vi aliqua inde extrahatur, ipsi intra materna viscera pereundum erit, quia vel nimio cordis æstu quem mater temperare nequibit, suffocabitur, vel defectu alimenti, quo maiore tunc indigebit, vel denique pædore extinguetur, vnaque salutem æternam amittet. Neque mater extra periculum erit putrefacto fœtu intra vterum: Quare in hoc rerum momento non superest aliud remedium præter sectionem. Suppono enim cætera omnia præsidia magna quidem cura, sed inutiliter adhibita fuisse, Consentiunt enim omnes sectionis huius remedium extremum esse oportere; peccarent enim qui crudele istud & periculosum omissis aliis quæ profutura sperari possent, præcipitantes adhiberent: quâ de re Medicos & Chirurgos seriò monet Rodericus à Castro *de morbis mulierum lib. 4. cap. 3. in scholio.* & Ioann. Marinellus *in simili opere lib. 3. cap. 5.* & profectò esset illa summa temeritas absque grauissima necessitate tanto discrimini & matrem & fœtum exponere, quale ea sectione cæsarea à quocumque perito Chirurgo exerceatur, consequi nemo ambigit.

In his igitur angustiis, in quibus mater & fœtus 6
sunt in extremo discrimine, vsurpandam tamen sectionem cæsaream negarunt iam olim magno consensu Theologi cum S. Thom. *in 4. dist. 6. quæst. 1. art. 5. q. 1. ad 4. & 3. p. quæst. 68. art. 11.* tum veteres tum recentiores, eos sicut, & summistas & canonistas veteres enumerat Theophil. Raynaud. *opere citato cap. 3. numer. 5.* quia eam sectionem matris viuentis trucidationem esse dicebant, quam nemo licitam esse dicet etiam ad salutem infanti, qui sine ea alioquin periturus est, procurandam nemo dicet, cum Paul. *ad Rom. 3.* negat facienda esse mala, vt eueniant bona, maximè cum eo casu salus infantis nulla nostra culpa pereat.

Neque à Theologis dissentiunt peritissimi Medici, qui ea sectione matrem perimi censuerunt Alexander Massaria *lib. 4. rei medicæ capit. 12.* Fortius apud Miald. *centur. 1. memorabil. Aphorismo 100.* Paræus *lib. de hom. generat. capit. 38.*

Ludouicus

Ludouicus Goionius *lib. 5. de pulchritudine & sanit. corporis cap. 52.* & alij, qui narrationes de sectionis huius fœlici euentu, nimirum saluæ matris, ipsoque fœtu excisodiorius viuente: fabulis annuunt etiam grauissimi, tamen recentiores medici pluribus certis experimentis edocti, & rationibus etiam anotomicis persuasi, docent fœliciter omninò incolumi & matre & fœtu sectionem vteri celebrari, quos etiam recenset Theoph. *citato cap. 3. num. 6.* Franciss. Roussetus *opusc. de partu cæsareo*, cui appendicem attexuit Gaspar Bas. vbi in sententiam Rousseti abit, & pro ea sibi coæuos medicos doctissimos Ioannem Albosium & Francisc. Saguiserium adducit. Idem sentiunt Mauritius Cordæus *Comment. 1. ad 1. lib. Hippocratis de morbis mulier. textu 11.* Iacobus Duuall. *lib. de Hermaphrod. & part. cap. 24.* Andreas Laurentius *lib. 8. anato. quæst. 2.* Velchard. *lib. de morb. mulier. cap. 19.* Ioan. Martin. *simili opere lib. 3. c. 50.* Ioan. Schenchius *lib. 4. obseruat. medicarum.* Rodericus à Castro *lib. 4. de morb. mulier. cap. 3.* Mizald. *centur. 1. memorabils aphorismo 10.* Ranchin. *lib. 7. qq. chirurgica. quæst. 14.* Daniel Sennertus *lib. 4. medica practica part. 3. sect. 6. capit. 8. casu 3.* qui omnes aliique plura in hanc rem exempla de quibus dubitari nequit adducunt, quibus alia subricit Theoph. *citato opere cap. 5. n. 5. 6. 7. & 8.*

7 Ad nobilis controuersiæ definitionem & eruditorum virorum sensum conciliandum, notandum imprimis est; hanc sectionem vsurpari, vel prudenti & probabili spe fælicis euentus, nimirum incolumi matre, & fœtu, vel cum probabili periculo mali, & infœlicis casus, matris vel fœtus, vel vtriusque interitu. Huius verò probabilis spei, vel periculi iudicium erit penes prudentem & peritum medicum, qui attenta matris dispositione ac robore, & fœtus quoque conditione, atque aliis iudiciis diligenter præcognitis, quæ dabit Roussetus *in parænesi ad Chirurgos.* Martinus Akakias *lib. 2. de morb. mulier. cap. 15.* Lodouicus Mercat. *lib. 4. de mulier. affect. cap ....* de tota hac probabilitate spei, vel periculi pronunsiabit. Inde enim iudicari poterit, an licitè & honestè vtendum sit eâ sectione: Iam enim *Consectario superiore* monui, probabilitatem opinionis hoc loco sumi penes periculum & spem, euentusque sortietur remedium adhibitum, & sectio cæsarea. Non verò penes culpam admittendam à medico, qui culpæ reus, vel immunis erit, pro probabili periculo aut spe remedij, quod vsurpat, vt diximus *eo loco.*

8 Hæc præterea spes & periculum sumi debent ex ipsa vi & natura sectionis, quæ necem matri vel fœtui illatura, aut non illatura est, seclusis aliis incommodis, quæ præter omnem artis prænotionem contingere possunt, aliis omninò ex causis, quam ex ipsamet præcisè sectione; Cùm enim medicus ea præuidere non potuerit, & præstare non debet; Nam illa quandoque eueniunt insperata, certis alioquin remediis adhibitis, quorum vim infringunt nulla medici culpa, cuius tamen plerumque falsò insimulatur.

His obseruatis aio. Primò sectionem cæsaream vbi fœlicis euentus probabilis spes est, iudice prudenti & perito medico à perito chirurgo celebrari licitè & honestè posse: hanc sententiam docent omnes Theologi & Medici, qui contrarium eâ ratione dumtaxat affirmabant, quod existimarent eam sectionem, sine matris interitu exerceri non posse, si enim tam certa experimenta fœlicis exitus huius sectionis habuissent, credidissentque vtilem & possibilem sine matris & prolis interitu per sese & ex vi sectionis sequuto, eius quoque honestatem & vsum probassent, quod satis indicat Alens. *4. part. quæst. 17, memb. 4.* qui licet negasset secari posse matrem viuentem, vt fœtui procuretur baptismus, ne matri mors afferatur, aut acceleretur; subdit tamen illam sectionem licitam esse, si præstari possit, absque matris & prolis interitu: Quare supposita prudenti, & probabili spe salutis matris & prolis, nemo negabit opinor licitam esse. Hanc verò probabilitatem hoc loco supponimus, & adductis exemplis, in quibus sæpiùs fœliciter cecidit ea sectio, etiam sæpiùs in eadem muliere repetita confirmatur. Neque rationes, quibus aliqui medici omnia illa experimenta numerabant in fabulis, & necessariò sectionem lethalem esse matri probabant, firmæ admodum sunt.

* *R.P. Ioseph. Gibalinus de Scient. Can.*

Obiiciunt enim lethalem esse epigastrij siue abdominis sectionem, & ex ea consequentem hæmorragiã; deinde sectionem quoque peritonæi, siue membranæ musculis subtensæ, quæ non videtur sine spasmo incidi posse. Denique vteri ipsius diuisionem & periculosam, immò & mortiferam esse; has tamen omnes partes diuidi, & incidi oportet in sectione cæsarea, vt constat: Vnde quoque fit, vt si quo casu eiusmodi mulieres euadant, denuò concipere nequeant, aut si concipiant, fœtum propellere nunquam possint, quod de iterato conceptu Paræus *lib. de generat. homin. cap. 31. alias 38.* Guiouius *de pulchritudine & sanitate corp. lib. 4. c. 52.* & Varandæus *lib. 2. de morb. mulier. c. 7.* quia vteri vulnus obductum obsistit vteri dilatationi, quæ & ad concipiendum, & ad gestandum necessaria est, & licet conciperetur fœtus non posset naturali partu emitti, quia vt ait Rodericus à Castro *lib. sæpè laudato*, vulnus obductum in partu dilatari non poterit, quin cicatrix dehiscat, & vis vteri languidior reddatur quàm par sit ad excludendum fœtum per ostium naturale ita obsepium. 9

Resp. hæc omnia facilè dilui: nam musculos epigastrij sine mortis periculo incidi docet Galen. *lib. 6. methodi medic. c. 4.* Vbi etiam modum curandi & consuendi eiusmodi musculorum vulnera proponit, neque ex eo vulnere timenda est læthalis hæmorragia, quia quo loco fit incisio illa, paucæ venæ insignes diffunduntur. Nam venæ mammariæ, à quibus maximè timeri deberet hæmorragia secundum musculorum longitudinem ascendunt: prætetquamquod obuia sunt plurima remedia adstringentia, & copioso sanguini cohibendo peropportuna, quæ facilè poterunt applicari.

Peritonæum posse sine interitu incidi tradunt medici Galen. Cels. Ægnieta, aliique, dum de eius vulnerati & perfossi curatione disputant, neque timendum est à spasmo, qui tunc accidit, cùm fibræ exquisitæ, neruosæ & vniformis roboris circa extrema cum violenta distensione contrahuntur versus suum principium, atqui peritonæi fibræ non sunt eiusmodi, neque exquisitæ, neruosæ. & finis extremitatum partis anterior, est laxior, faciléque cedit. Quod autem alij ex illa incisione peritonæi metuunt, ne curato peritonæo necessariò maneat hernia, non obstat, quia id necessariò non contingit, neque ita difficilis curatu esset. Denique cõparanda ista non sunt cum incommodis, quæ tandem extincto intra vterum fœtu, cui nullus superest naturalis exitus certissimè patietur mater. 10

Quod verò ad vteri incisionem pertinet, tantùm abest vt illa lethalis existat, cùm ne quidem eius tota abscissio talis sit. Nam aliquæ puerperæ vna cum fœtu, radicitùs euulsum vterum expulisse tradit Fernel. *lib. 7. phisiol. c. 11.* Aliis verò ob gangrænam similesve causas excisum esse docent Christoph. à Vega *tr. de procidentia vteri.* Langius *lib. 2. ep. medic. 39.* Paræus *lib. 24. c. 48.* qui & Auicenn. adducit Mercur. *lib. 4. de morb. mul. c. 21.* aliique; fuitque eadem veterũ sententia, ea abscissione mortẽ non sequi necessariò. Paul. Aegin. *l. 6. c. 88.* 11

& lib. 3. cap. 72. Soran. *lib. de locis mulieb.* Aëtij *lib. 16. cap. 76.*

13 Denique per sectionem cæsaream non impediri iteratum conceptum, imò neque partum deinceps naturalem euincunt plura experimenta narrat Rousset. *in opusc. de partu Cæsareo cap. 5.* narrat Mes. non procul à Lutetia mulierem extitisse sexies à Nicolao Guilleto chirurgo oppidano secatam fuisse viuente semper fœtu, septimo deinde partu, cum obiisset Nicolaus, miserè vnà cum fœtu periit Bas. *in appendice ad Roussetum* narrat de Germano à vito suo fœliciter secatam: duos deinde gemellos naturali partu fudisse, atque singulis deinde annis singulos, plura alia eiusmodi deprehẽdes apud Auctores. Ratio quoque non difficulter reddi potest: vbi enim vteri vulnus semel obductum & consolidatum est, nihil impediet eius dilatationem, cùm necessarium fuerit quod ostendit gemini & triplicis aliquando fœtus, atque etiam molæ perplures, non modò menses, sed & annos gestatio, pars siquidem illa ad distensionem & dilatationem aptissima, ac facillima est, neque ex quacumque distensione ad partem naturalem requisita, cicatrice disrumpi, aut hiscere, cum partes priùs firmiter cohæserint; nihil igitur afferunt aduersarij, quo demonstrent, sectionem cæsaream necessariò lethalem esse matri, ideóque illicitam esse, cum ad seruandum fœtum non liceat directè matrem occidere, neque ad seruandum viuum innocentem, alterùm æque innoxium trucidare, & facienda non sint mala, vt eueniant bona.

Aio 2. in casu de quo disputamus probabilis spei fælicis euentus fiet per sectionem cæsaream obtinendi, illam non modò licitam & honestam esse, sed etiam necessariam, hoc est à matre subeundam esse, & aliis, quibus ea cura & officium incumbit, exercendam: alioquin hi omnes grauiter peccabunt.

Et quidem quod ad matrem attinet, obligatio subeundæ, & admittendæ huius carnificinæ spectari potest, vel penes ipsam matrem dumtaxat, & obligationem quam habet tuendæ propriæ vitæ, quam aliter videtur non posse satis tueri, nec sine grauibus incommodis diutius etiam ærumnosam trahere, vel penes fœtum, cui omnis aditus lucis huius obstructus est; cuiusque salus æterna conclamata alioquin est.

Si matrem ipsam dumtaxat attendamus, non videtur obligari sub graui culpa ad tam atrox, crudele, & horrendum remedium vsurpandum: est enim communis illa DD. sententia, non obligari ægrotum quodlibet remedium ad conseruandam vitam sumere, aut medium vsurpare, vti demonstrauimus *lib. 6. de vniuersa negotiat. capit. 7. art. 1. num. 8. & seq.* docebimusque fusius alibi hoc ipso opere; & quod ad medium, crudele & horridum consentiunt Ban. *22. q. 65. art. 1. & ibid.* Salon. *controu. 2.* Turrian. *tom. 2. in 22. disp. 29. dub. 1. num. 13.* Lessius & Bonac. à nobis *citato loco* laudati: Ratio est, quia neque propria charitas, neque fortitudo, neque vlla alia virtus obligat ad vitam cum tantis cruciatibus, aut etiam impensis retinendam. Neque inde sequitur aliquem esse hoc modo mortis suæ causam, cum ad eam neque physicè influat, vt patet, neque etiam moraliter, cum ad influxum moralem præsupponatur obligatio ponendi vel faciendi, quod à nobis neque ponitur, neque fit, qualis obligatio in hoc casu non reperitur. Quare priùs illam existere probandum est, vt inde inferatur concursus moralis, alioquin petitur principium, & respondetur id ipsum quod quæritur. Atqui hoc loco nemo negabit sectionem matris viuentis esse remedium crudele, & sæuum, quodque etiam fortissimis horrorem incutiat. Illam igitur mater ad luendam propriam vitam pati non cogitur, nisi aliunde talis obligatio ingruat: Prætereaquamquòd ex eius neglectu non sequitur necessariò & certò matris interitus, qua licet naturalis exitus non pateat fœtui, qui proinde intra morietur, tamen aliis mediis extrahi saltem frustillatim poterit, vel aliis quoque viis naturæ viribus propelli, vti factum aliquando fuisse dicemus inferiùs. Neque dicas, matri ex retento, & extincto in suo vtero fœtu æquales aut maiores sæpius cruciatus & dolores, quàm quos afferret sectio, subeundos esse; ideóque ex atrocitate huius remedij non excusari matrem ab illo ferendo, & admittendo. Nego enim hoc loco solam atrocitatem sectionis excusare matrem, sed eius maximè horrorem, quod idem sæpiùs in quibusdam aliis casibus contingit, in quibus solos medij horror excusat, vt contingit in extrema fame laborantibus, qui deficiente omni alio pabulo, non tenentur humanis carnibus vesci, felium, canum & murum cadauera riatu ferino vorare, non alia de causa, quia eiusmodi cibus ferinus & horrorem maximum affert comedentibus, nisi & ipsi feris similes sint; quamvis si superato illo naturali horrore, pabulum eiusmodi sumant, peccati damnandi non sint, quæ omnia & singula tradidimus *lib. 1. de vniuersa negotiatione cap. 4. art. 3. Confect. 6.* Maneat igitur matrem non obligari ad admittendam sectionem, vt propriam vitam seruet, neque vllos alios ad illam in eam renitentem exercendam, cùm eam ipsa recusare licitè possit.

Verùm, si consideremus prolis certum interitum & salutis æternæ priuationem, eo quòd ipsi intra matrem sine baptismo certo tandem pereundum sit, obligatur mater vt eius extremæ necessitati tum corporeæ tum spirituali succurrat, hoc vnicum quod infanti superest remedium sectionis pati, & vitam suam periculo exponere. Ratio manifesta est, quia ex communi S. Thomæ *2. 2. quæst. 26 art. 5.* & cæterorum doctrinâ, quam & nos in eandem 2. 2. quondam stabiliuimus, & in hoc ipso opere confirmabimus suo loco, tenemur vitam nostram corporalem euidenti discrimini exponere, vt extremæ & manifestæ necessitati spirituali proximi occurramus. Atqui in casu nostro infans, qui necessariò intra parentis suæ viscera, extinguendus, nisi illi per matris sectionem succurratur, cùm omnis alia via inutilis & inanis sit, subibit certam damnationem æternam propter defectum baptismi, qui illi in eo statu nulla ratione validè conferri potest, vti diximus, & denuo hoc opere *tom. 2.* demonstrabimus, & hoc loco ne longiùs digrediamur, tanquam certum supponimus. Illi igitur mater cum propriæ vitæ corporeæ periculo subuenire debet, quod non potest, nisi patiendo sectionem illam: igitur pati omnino tenetur, maximè cùm sit probabilis & prudens spes fælicis euentus, non sine periculo & metu illius, non modò ratione ipsius sectionis, sed etiam ratione causarum aliarum, quæ sæpiùs ipsos etiam peritos latent, quinimmò inde colligunt aliqui, matrem teneri non modò ad ferendam sectionem, sed etiam ad eam procurandam & vrgendam ex ipsa charitate, quâ vitam propriam obligatur exponere periculo, licet euidenti, vt saluti spirituali & æternæ prolis consulat, omniaque media in hunc finem necessaria vsurpare & vrgere: quod verius est, quando medium aliquod vnicum est, eiusque vtiliter applicandi prudens & probabilis spes affulget, quod totum in nostro casu contingit, in quo tota salus æterna prolis in vnico remedio, nimirum baptismo collocata est, & vnicum quoque medium illum applicandi superest sectio matris. 14

Inde

15 Inde quoque sequitur, peritos chirurgos operam suam, si necessaria sit, ad hanc sectionem offerre teneri, eamque exercere; quia tunc proximus in extrema necessitate salutis constitutus est, & illorum dumtaxat opera, illud alioquin certum discrimen euadere nequit; immò hanc obligationem subueniendi proximo in extremo periculo salutis quoque corporeæ extendit Codron. *lib.1. de Christian. medendi ration. cap. 33.* Lessi. *lib. de iustit. cap. 31. dub. 7.* Et alij apud Tiraq. *de nobilit. cap. 29. n. 44. & cap. 45.*

16 Aio tertio casu, quo nulla est spes fœlicis euentus ex sectione matris, sed certum est periculum cædis inferendæ vel matri vel fœtui, illicita per se est, & nullâ ratione vsurpanda: quod vbi de matris certo futuro exitu agitur, primùm ostendo ex communissimâ Theologorum omnium mente apud Konink *3. par. q. 66. n. 75.* Estque apertissima ratio, quia in ea sectione reperitur directa, & per se occisio Innocentis, quæ per se & directè nunquam licita est, vti fusiùs ostendimus *lib. 6. tract. de vniuersa negotiat. cap. 7. art. 1.* quia dominium vitæ humanæ penes solum Deum est, qui illud concessit, solis dumtaxat supremis potestatibus aduersus reos & nocentes tam atrocem pœnam commeritos. In hoc verò nostro casu matris innocentis necem reperiri, & intendi notum est, quæ erat vnica ratio, propter quam veteres Theologi, atqueadeò quidam non vulgares medici negabant, vnquam esse licitam sectionem istam, quia non posse sine matris interitu vsurpari credebant; Neque recentiores tum Theologi tum medici illam hodie permittunt, nisi quia plura, eáque certa experimenta docuerunt, eam matris cædem, quam veteres timebant, non sequi necessariò ex sectione cæsarea, quæ sine matris occisione celebrari potest; sæpiúsque celebrata est. Vbi igitur nulla erit spes salutis matris, & certè conijcietur illam eiusmodi sectione perimendam, nefas omninò erit, ipsa vti sine peccato homicidij. Neque consensus matris, quæ prodigere suam vitam vult ad seruandam proli vitam & salutem animæ, reddet hanc cædem licitam; cùm enim illa non sit Domina vitæ suæ, neque sibi illam eripere, neque consentire, vt quis alius illam sibi eripiat, potest; & ille consensus, quamvis fortassis inculpabiliter ob ignorantiam aliamve causam præstitus non excusabit à culpa interficientem, sicut neque ille Amalecites, qui roganti Sauli sancio & moribundo, ne in manus hostium veniret, necem intulit, habitus est innocens à Dauide, cui Saulis aduersarij diadema detulerat, sed tanquam cædis regiæ reus punitus fuit.

17 Neque dicas ea hoc matris morituræ accelerato per sectionem interitu consequutura ingentia bona, quorum præcipuum est æterna fœtus salus, quia iam olim ex Paulo monuimus, non esse facienda mala, vt eueniant bona, neque peccandum ad salutem alicui procurandam. Deinde, liceret infantem moribundum in flumen proijcere ad baptizandum, vbi alia ratio baptizandi non suppeteret. Ille quidem baptismus, vt dicemus alibi, validus foret; proiectio tamen illa in flumen, ex eáque sequuta cædes, peccatum homicidij foret, quod idem dicendum est de baptismo per aquâ venenatam & pestiferam administrato, mox morituro infanti; si enim illa ablutione sit statim extinguendus infans, eius occisio mala erit, quidquid sit de validitate baptismi, quæ indicanda erit ex natura aquæ quâ tingitur, vtrum sit naturalis, vel adeò corrupta immixto medicamento, vt ampliùs aqua non sit, sed mixtum quoddam substantialiter diuersum: quâ de re alibi.

Denique, quod aliqui dicunt, è duobus malis minus eligendum esse, & hanc matris cædem esse dumtaxat vitæ abbreuiationem, siue mortis accelerationem, cum certò pòst paulò esset interitura, & liceat ad spirituale maximè commodum aliquod facere vel omittere: vnde quædã vitæ longioris abbreuiatio sequatur, idque cum laude præstitum à piis viris per rigidiores pœnas vltrò susceptas scimus. Hæc inquam malè afferuntur hoc loco, quia Vulgare illud: *ex duobus malis minus eligendum esse*, non intelligitur de malis culpæ, quam ne minimam quidem eligere vnquam licet, quamvis vbi quis ad maius aliquod malum committendum obstinatus est, fas sit illi consulere, vt quandoquidem alterum ex duobus peccatis patrare in animum induait, contentus sit minoris sceleris admissione, & tunc non eligitur malum, etiam minus, sed diminutio mali, quæ in eo casu bonum quoddam esse censetur; sed de eo diuerbio fusiùs & commodiùs alibi.

Alterum verò illud de licita quandoque abbreuiatione vitæ de qua egimus etiam *cap. 7. art. 1. libro super allato*, nihil facit hoc casu, in quo non est dumtaxat quædam abbreuiatio vitæ, sed eius abruptio & abscissio. Si cui enim post decennium ex constitutione corporis & valetudinis morituro cædes afferretur, esset tantum illa vitæ abbreuiatio, sed simul vera & propriè dicta occisio; eadem ratione sectione de qua agimus ita matri morituræ abbreuiatur vita, vt simul verè & propriè occidatur.

Difficilius est quod obijci posset hoc casu, cædem 18
matris non esse nisi per accidens, per se enim intenditur salus æterna fœtus, est verò per accidens quod in ea salute procuranda, vnico illo quod superest remedio sectionis, mater pereat præter intentionem omninò secantis, qui solam infantis salutem intendit. Licitam verò esse nonnunquam necem Innocentis per accidens, vt in succensione nauis, euersione turris, & aliis pluribus eiusmodi casibus, in quibus Innocentes pereunt vnà cum nocentibus demonstrauimus, sæpiùs *laudato cap. 7. art. 1.*

Resp. Imprimis in nostro casu sectionem matris illius per se, & directam occisionem esse, ac proinde innocentis, quia non sunt duæ actiones per accidens tantum coniunctæ & separabiles; quarum vna per se intenditur, & æquè fieret, si altera non esset illi tunc connexa, & cum operans habeat ius ad vnam faciendam tunc, illamque vnam, reperitur tamen altera per accidens omninò coniuncta, & cum ad eam concomitantiam actionum nihil omninò conferat, non debet propter illam omittere actionem, ad quam tunc ius habet, immò & quam facere tenetur, vt suam v.g. vitam tueatur, vt victoriam reportet, licet contra suam intentionem cædes alicuius sequatur, vt qui fuga consulit suæ saluti, & obuium infantem proterit, qui ignem inijcit naui hostili, qui hostium turrim subuertit; in his euentibus, fugæ appetitio, incensio nauis, & subuersio turris non sunt vna eadẽ actio cum occisione innocentis, si qua contingat, quæque potest non contingere, idcóque cùm per accidens coniungantur istæ actiones, per accidens quoque vna sequitur ex alia, & qui vnam per se intendit, non intendit necessariò aliam, quæ ipsi neque per se, neque essentialiter connectitur. Itaque vnam dicitur per se intendere, quia illam primò, & per se vult, aliam verò nonnisi per accidens, quia per accidens tantùm sequitur ex priori, & poterat non sequi, neque propter eius consequutionem prior illa intenta fuit. At verò in hac sectione cæsarea hæc duarum actionum distinctio & separabilitas fingi nequit, quia reuerà non sunt duæ actiones, sed vna, eademque, ipsaque sectio matris eo casu est ipsamet occisio matris, & cum sectio per se intendatur, in illisque circumstantiis sit necessariò ipsamet occisio,

dici nequit sectionem esse dumtaxat matris occisionem per accidens quæ & per accidens tantùm intendatur, cùm non sint duæ actiones tunc separabiles realiter, neque etiam moraliter, cùm non possit intendi vna per se & directè sine altera, ad hoc enim non sufficit quod sector intendat sectionem, & nolit occisionem, immò doleat eam tunc cum actione coniungi, alioquin vix nunquam committetur peccatum quod semper sequetur dumtaxat per accidens; vix enim vllus est adeò perditus, vt malitiam quam videt suæ actioni coniunctam velit; vult enim bonum sensibile quod prosequitur sua illa actione cui videt connexam esse malitiam moralem, quam omninò non intendit, quamque abesse vellet, quia tamen eiusmodi malitia tunc coniuncta est inseparabiliter illi actioni. idque videt agens, neque sunt duæ actiones, quarum vna sequatur solùm separabiliter, & per accidens, non excusatur peccans, neque dici potest intendere per se & directè solam actionem, quam ponit, & indirectè ac per accidens malitiam necessariò consequentem, quod nemo concedet, nisi omnia eiusmodi duplicis intentionis per se & per accidens distinctione vniuersa scelera excuset.

19 §. IV. Tertius exercendæ sectionis casus est, quando matris vel prolis salus per sectionem, videtur certò obtinēda, sed alterutrius exitium & interitus, vel certus, vel admodùm dubius est. Quid porrò tunc agendum fuerit, an omittenda, an celebranda sectio, non leuis controuersia est propter vulgare illud Ambrosij dictum *lib. 3. officior. cap. 9.* quod refertur etiam 14. q. 5. *c. denique* 31. *Si non potest alteri subueniri nisi alter lædatur, commodius est neutrum iuuari.* Quod si verum est in causis pecuniariis, de quibus dumtaxat agit Ambrosius eo loco, verius multò fuerit, vbi de alterius graui damno corporeo, ac vita agetur, quam vni seruare non possumus sine alterius interitu, vti contingit in nostro casu, in qua sectione cæsarea seruanda est probabiliter mater, cum interitu prolis, aut e contrario seruabitur fœtus, sed petibit mater. Quare existimarunt aliqui ex Ambrosij, vt existimant, mente omittendam tunc sectionem, & neque matri, neque proli per illam succurrendam: quod idem affirmant de pharmacis prægnanti exhibendis, si matri noceant cum bono fœtus, aut fœtui incommodent, cum vtilitate matris, tunc autem abstinendum esse à pharmacis. Quam esse communem Doctorum sententiam affirmat qui eam sequitur Lopes 1. *p. Instructur. cap. 63. §. si autem.* Et tenuit Ludouic. Mercat. *lib. 4. de mulier. affection. cap. 1.* quod tamen probari non debet. Cur enim cum alterum è pereuntibus iuuare potes, vtrūque perire patieris, quod deinde si obligeris vnum potius seruare quàm alterum, vtrumque deseres? quis enim neget aliquando vnum tibi coniunctum, quem omni ratione & iure seruare teneris, esse in eodem periculo cum altero, aduersus quem nullâ obligatione teneris, & vtrumque seruare non potes, sed vnum dumtaxat, cur tunc vtrumque perire sines, & illum quem seruare tenebaris destitueres tuâ ope: quia alter, qui in eodem periculo cum ipso est, simul eripi nequit, frater v. g. aut parens tuus vnà cum alio tibi incognito merguntur aquis, vtrumque prehendere simul nequis & aquis educere, an-ne fratrem & parentem deseres, ne ille alius tibi incognitus sine socio pereat, quis hoc existimet? neque Ambrosij quem allegant verba id ferunt, agit enim de sacerdotibus, *qui vsu quodam de generis mercatura quæstu ignobili sollicitant, auaro æstuant corde, diebus ac noctibus inhiant in alieni detrimenta patrimonij: Vnde nascuntur aucupia quæsita hereditatis, continentia atque grauitatis, simulatione captata, quod abhorret à proposito Christiani viri, & vt ipsis etiam qui nullum Ecclesiastici ordinis officium receperint, incongrua iudicatur affectata ambitio hereditatis.* Monet deinde in supremo fine vitæ positos suum habere iudicium, vt liberè testentur quod sentiunt, qui posteà non sunt emendaturi, cùm honestum non sit compendia aliis vel debita, vel parata auertere, cùm Sacerdotia vel ministri sit prodesse, si fieri potest, omnibus, obesse nemini. Denique, si non potest alteri subueniri, quin alter lædatur, commodius est neutrum iuuari, quàm grauari alterum, ideòque in causis pecuniariis interuenire non est sacerdotis, in quibus non potest fieri, quin frequenter lædatur alter, qui vincitur, quoniam alter qui vincitur intercessoris beneficio se victum arbitratur. Commendat igitur Ambros. Sacerdotibus & aliis ordinis Ecclesiastici ministris, ne se condendis testamentis immisceant, & hominis in supremo fine vitæ positi, in vnum aliquem inclinens voluntatem, aut ab alio auertant; atque ita vni faueant, alterum lædant, cum sacerdotis sit omnibus prodesse & obesse nemini, & ne detur occasio existimandi illum sibi aut suis captasse hæreditatem, & vt distinguat causam pecuniariam ab aliis, addit in causa capitis nocere ei, quem iuuare debeas periclitantem, non sine peccato est graui. In causa autem pecuniæ odia quærere insipientiæ est; cum nempè nulla alia ex causa, quam pro tuo arbitrio faueas vni potius quàm alteri, etiamsi vt faueas ei, quem iuuare debes periclitantem; alteri noceas, non peccas; immò si omittas fauere & iuuare, grauem culpam admittis ex ipsomet Ambrosio. Quare quod paulò superiùs dixerat commodiùs esse neutrum iuuare, quàm alterum lædere, ita explicat Glossa *in citatum cap.* deinde 14. q. 5. si alter ille per iniuriam lædatur, idemque habet Archidiac. & Turrecremata *ibid.* debet igitur qui lædi dicitur pati aliquam iniuriam in eiusmodi rem, quà tuo consilio vel auxilio priuatur, aot vt eo casu iuoetur à te, vel ne alterum contra se iuues, alioquin non læditur si potiùs alteri quàm ipsi succurras. Nihil igitur habemus ex Ambrosio, quod persuadeat sectionem cæsaream esse omittendam, vbi vel matri, vel proli nocitura est, etiamsi alteri ipsorum profutura sit. Quare, vbi de duobus periclitantibus iuuandis agitur, neque vtrique simul succurri potest, non sunt ambo desetendi, ne vno nostra opera incolumi, alter desseratur, & in eo periculo pereat, sed videndum cuinam potiùs e duobus ex obligatione subueniendum sit, atque in hoc casu sectionis succurrendum, ne sit potiùs matri, cui sectio proderit, quàm fœtui cui oberit; an verò fœtui cui prodesit, quæque matrem perimet.

Et quidem matri potiùs subueniendum, quàm proli in eo discrimine, in quo alterutri pereundum est, censent illi omnes, qui ad vitam matris tuendam, perimi posse intra eius viscera fœtum sine medicamentis, vt sic eijciatur, siue ipsa obtritione, & peremptione, si saluâ matre educi nequeat, quod suadet Nicolaus Rochetus *lib. de morb. mulier. curand. c. 18. sub fin.* Roderic. à Castro *lib. 4. de mulier. c. 3.* affertque Aëtium Mosch. & Auicen. Vide & Maxim. *lib. 1. de vene. sect. in morbis acutis c. 15.* Theodor. Priscian. *in opere Gynecæorum*, ait sæpiùs expedire prægnantibus in vitæ discrimine constitutis, vnius partus sæpè iactura salutem mercari certissimam; sicut arboribus aresce ntium ramorum abscissio, & naues pressæ onere, cum graui tempestate iactantur, solum habent ex damno remedium. His medicis accersendi sunt Doctores, qui fatentur fas esse matri grauidæ, cui mors à fœtu imminet, illum tanquam matri suæ insidiantem quocumque remedio abijcere, nempè per potionem aut alio modo, v. g. sectionem, eductionē eroentam, & obtritionem; quamuis deinde quoad potionis & medicamenti exhibitionem, 20

tionem, alij velint non esse vsurpandam, nisi quatenùs est sanatiua matris, & non tendit per se ad fœtus interfectionem & abiectionem: vnde distinguunt inter directam intentionem, & indirectam extinctionem fœtus inde sequutam per se, vel per accidens, prægnantem medicamenta ad solam sui curationem facientia sumentem, & alios videlicet medicos, chirurgos, & obstetrices illa exhibentes, hos enim accusant & matrem excusant, sed de his medicamentis alibi dictum, & iterùm inferius aliquid *sequenti Consectario.* Nunc ago de ipsa sectione cæsarea matri grauidæ profutura, & fœtui nocitura, quàm licitè exerceri posse, affirmant sine dubio, quicumque ad vitam matris tuendam permittunt aliquo remediu perimi infantem, qui educi ex materna aluo non potest, in ea perimi & conteri, vt vel per frustilla, vel eijciatur vi naturæ, vel per crudelem lanienam extrahatur, quod allari medici laudant, neque ab eorum sensu videtur admodum abesse Tertullian. *lib. de Anima cap.* 26. dum necessitate crudelitatem illam & scelus infanticidij excusat, *At quin,* inquit, *& in ipso adhuc vtero infãs trucidatur necessariâ crudelitate, quin in exitu obliquatus denegat partum matricida vi moriturus. Itaque & inter arma medicorum, & organa est, quo prius patescere secreta coguntur tortili temperamento, cum annulo cultrato, quo intus membra caduntur anxio arbitrio cum hebete vnco, quo totum pecus adtrahitur violento puerperio. Est etiam aneum spiculum, quo iugulatio ipsa dirigitur caeco latrocinio* ἐμβρυοσφάκτην *appellant de infanticidij officio, vtique viuentis infantis peremptorium. Hec & Hippocrates habuit, & Asclepiades, & Erasistratus, & maiorum quoque prosector Herophilus, & mitior ipse Soranus, certi animal esse conceptum, atque ita miserati infœlicissima huius infantia, vt prius occidatur, ne viua lanietur.* De hoc æneo spicato, & eius vsu adi Celsum *lib.* 7. *cap.* 2. vsus autem iste medicinalis fuit ad educendos fœtus maximè mortuos, videtur fuisse ὄνυξ siue πίεστρον dictum ab Hippocrat. *lib. de superfœtat.* & *lib.* περὶ γυναικείων quod Galenus ἐμβρυοθλάστην exponit. Cæterùm non mihi videtur Tertullian. hoc infanticidium quod describit & in vsu fuisse, etiam antiquissimis medicis affirmat probasse, sed ex eo tantùm validè contra Platonicos, Stoicos, atque aliquos medicos arguit Infantem ante partum, & intra maternum aluum suam & vitam & animam habere. Neque illam effuso iam partu, nondum viuo infanti extrinsecùs imprimi, vti nuper referebamus, quod falsum ex eo demonstratur; quod infans in ipso adhuc vtero trucidatur ab ipsismet medicis, qui ad necessariam illam crudelitatem, inter sua arma & organa habent vncos annulatos, cultros & spicula ænea ad hoc infanticidij officium. Viuit igitur fœtus, quem trucidant: non disputat verò Tertullian. benè an malè faciant medici, dum hoc infanticidium perpetrant; vocat quidem necessariam crudelitatem, quia hanc vnam necessitatem suæ crudelitati & sceleri, vt etiam appellat, prætexebant. Quid verò tandem in hac nobili controuersia sentiendum sit, aperiam.

21 Eius definitio mihi pendere videtur ex illa alia, an liceat propriam vitam cum damno ex nece alterius, qui illam iniustè inuadit, tueri. An verò modò liceat eiusmodi inculpatam, alioquin defensionem omittere, sed etiam ad eam omittendam aliquando teneamur ex charitate, vel quapiam aliâ virtute, & causâ ad id obligante, *de qua controuersia* 22. *disputatione,* & *de charitat.* & *disputat. de iustitia,* atque etiam nuper *in tractatione de vniuersa rerum humanarum negotiatione lib*.... *c.* 7. *art.* 1. *n.* 13. & *maximè n.* 17. Vbi de moderamine inculpatæ tutelæ egimus: ex quibus omnibus dico fas quidem esse Innocenti tueri vitam suam cum damno & nece iniusti inuasoris seruato moderamine inculpatæ tutelæ, vbi explicuimus *art. citato,* quamvis ad eam defensionem non semper obligemur, immò & quandoque illam ex charitate, aliave virtute teneamur omittere, alioquin peccamus non quidem contra iustitiam, sed contra charitatem, aliamve virtutem tunc ad eam defensionem omittendam, & non inferendum damnum, vel necem alteri, licet iniustè aut saltem non iustè nos nostraque inuadenti obligantem. Cuius assertionis, & communis doctrinæ singulæ partes explicatæ, & confirmatæ locis allatis à nobis fuerunt: Quare vt certæ à nobis supponi debent, ex ea porrò communiori doctrina facilè fuerit controuersiam quam versamus definire.

22 Dico igitur primò, matrem grauidam cui ad vitam tuendam necessaria est sectio cæsarea cum aliter parere nequeat, & ex illa partus retentione moritura certò sit, quantum coniectura possunt assequi media, posse eam sectionem & pati & vrgere; quamvis eadem probabilitate fœtus sit extinguendus; neque tamen peccabit contra iustitiam mater, aut chirurgi alijve qui sectionem exercebunt aut consulent, neque tamquam iniusti infanticidæ habendi erunt.

23 Hæc assertio probatur ex iure quod quisque habet seruandi suam vitam aduersus iniustum illius inuasorem, aut etiam non iustum, & qui sine culpa ponit huic conseruationi obicem, nulla alia ratione euitabilem, quam iniustè inuadentis vel non iustè ponentis obicem, quamvis sine culpa, damno aut nece quod probatum locis citatis supponimus, seruato tamen moderamine inculpatæ tutelæ. & ostenditur exemplo illius, qui ab insano impetitur, neque aliter seruare se potest quam inuasoris cæde; illum enim non peccaturum tradit Corduba *lib.* 1. *q.* 38. §. *sed vt semel* Petrus Nauarr. *lib.* 2. *de restitut. cap.* 3. *n.* 347. Sayr. *in claui lib.* 7. *cap.* 10. *n.* 23. & alij passim. Qui præcipiti fuga consulit vitæ suæ, alioquin ab hoste qui illum stricto gladio prosequitur confodiendus, & obuium infantem obstantem, proterit, cum aliter exire & mortem vitare nequeat, non peccat contra iustitiam, neque reus homicidij est ex Lessio *lib.* 2. *cap.* 9. *n.* 39. Corduba *l. c.* Caietan. *in* 22. *q.* 67. *art.* 3. & tamen insanus inuasor atque obuius infans vacant omni culpa cædis. Quia ita inuasus aut impeditus non tenetur amittere vitam suam eo casu, vt seruet alienam eius, à quo iniustè vel non iustè impetitur. Atqui fœtus in nostro isto casu vitam matris inuadit, & impetit, neque illam mater tueri vlla ratione potest, quàm illum repellendo, & si non superfit alia via, eum perimendo: non peccabit igitur mater contra iustitiam, cum & vtatur suo iure, & fœtui nullam faciat iniuriam, quæ necessariò supponit violationem iuris alieni, quale ius nullum habet fœtus in vitam matris, quæ illam obliget perdendi propriam suam, ne fœtus suam amittat. Neque distinguendum est inter modos aut instrumenta quibus mater sese tuetur aduersus inuadentem fœtum, & illum à se repellit, siue id ferro siue medicamentis fiat, siue inedia, siue suffocatione, siue quo alio modo, cum reuera pereat infans, sine matris & aliorum qui matri cooperantur iniustitia: nihil etiam facit hoc loco directa & indirecta intentio creandi interitus proli. Quia cum habeamus ex r. 2. & dicemus iterum hoc opere, intentio indirecta, malitiæ præuisæ in actu faciendo sufficiat ad peccatum. Indirecta quoque intentio præuisi infanticidij sufficeret ad peccatum in matre, & alijs illi infanticidio etiam indirectè cooperantibus, & quoties actio indirectè violata mala non est & peccatum, neque etiam mala erit si directè intendatur. Nam idcircò actio aliqua indirectè volita mala est, quia in illa actione est malitia, eaque præuisa, & præcognita,

&

& tamen quis vult illam ipsam actionem propter aliquem alium finem etiam bonum, censetur enim velle quoque indirectè & interpretatiuè malitiam quam videt inesse illi actioni, & cum ea in talibus circunstantiis necessariò connexam, licet non tendat in malitiam quam inesse dolet, & quam vellet omninò abesse. Quare qui præuidet, ex sectione vel medicamento matris necandum fœtum, æquè se habet siue directè siue indirectè intendat necem fœtus, & æquè peccabit in sumendo illo remedio, siue directè siue indirectè eam necem intendat quia non sola intentio directa requiritur ad peccandum, cum indirecta sufficiat, ac proinde intentio indirecta fœtus necandi per tale remedium non excusabit à peccato, quod æquè committitur, atque si directè intenderetur eiusmodi. Neque quis cùm iustè operatur, prohibetur directè intendare actum suum, & omnia illius adiuncta; si enim aliqua sunt maleficia, & peccaminosa, æquè inficient actum si indirectè tantùm intendantur, atque si directe intenderentur: nihilominus

23 Dico secundò, matrem prægnantem obligari ex charitate abstinere à sectione, & omni alio remedio, quamvis sibi vtili ex quo præuidet fœtus cui baptismus ministrari nequibit interitum æternum per se & necessariò in illis circunstantiis sequuturum, neque intentione indirecta illius infœlicis exitus excusabitur. Eadem porrò lege tenentur medici, chirurgi, obstetrices & alij qui prægnanti ministrant.

Hæc assertio est contra Emanuëlem *5. v. charitas n. 4.* vbi nostram sententiam à nemine teneri significat, eam tamen fateri debent, quotquot affirmant matrem non posse sumere remedia ad suã curationem, si ex iis præuideat sequi mortem prolis baptismo cariturae: quod enim de non adhibendis remediis, de non adhibenda quoque sectione in iisdem prorsus circunstantiis, æquè fateri debent, si consequenter loqui velint, illud autem primum quamplurimi inte contendunt, vt videbis apud Theophil. *de ortu infantium cap. 7. n. 21.* Et si qui aliter sentiunt, intelligendi sunt de obligatione ex iustitia, quod vnum eorum argumenta probant ducta ex iure quo quisque pollet in suam vitam aduersus inuasorem: & iidem DD. deinde vbi agitur de vita spirituali fœtus alioquin amittenda negant vsurpari talia remedia, neque nos alio sensu loquuti sumus, *tractat. de vniuersa rerum human. negotiat. lib. 6. cap. 7. art. 1. n. 15. & 13.* Manet porrò probata nostra sententia, ex paulo antè assertis de ordine charitatis de quo disputauimus olim cum S. Thoma. *2. 2. q. 26. art. 5.* Salutem spiritualem proximi in extrema necessitate constitutam præferendam esse saluti nostræ corporeæ: in hoc verò casu fœtus est in extrema necessitate spirituali, cum absque baptismo qui illi nulla humana arte ministrari poterit, sit æternùm periturus: potestque mater abstinẽdo à sectione, aliove remedio, ad vitam propriam corpoream sibi vtili, baptismum, atqueadeò salutem fœtui procurare. Illo igitur remedio debet ex charitate abstinere, & vitam suam certo periculo exponere, quamvis abijciendo curam vitæ fœtus tum temporalis tum spiritualis, cum hæc necessariò pendeat ex priori, cum eoque damno prolis sibi consulens non peccet contra iustitiam, vti priori assertione constituimus, peccabit tamen grauiter contra charitatem, quæ tunc matrem obligabit ad præferendam vitam spiritualem prolis suæ corporali.

24 Quæ verò in contrarium opponi possent, pugnant solum contra commune placitum de obligatione præferendæ vitæ spiritualis proximi, nostræ corporeæ, & discussa sunt *2. 2. loco citato*: atque iterùm expendentur hoc opere *tom. 5.* commodius, moneo duntaxat illam spiritualem proximi necessitatem debere esse extremam, hoc est talem, vt illi non possit occurri nisi nostro periculo, & propriæ perditione, qualis non est necessitas iniusti inuasoris, quem occidi posse aliqui negarunt, quia est in peccato mortali, & ideò si tunc occidatur, æternùm peribit; illa enim necessitas est voluntaria à qua ipse se expedire potuit, & adhuc potest cum diuina gratia, vt loco citato dicemus: at verò infans in nostro casu laborat extrema necessitate spirituali à qua neque ipse se expedire potest, neque ab vllo alio per baptismum, qui solum est illi remedium salutis, illumque recipere nequit si in matris vtero vel sectione, vel pharmacis occidatur, quamvis inde sananda sit mater sed cum fœtus interitu temporali & æterno: illis igitur remediis eo casu tenetur abstinere.

Neque dicas matrem non teneri exponere periculo salutem propriam spiritualem ad seruandam salutem spiritualem fœtus, id enim non fert ordo charitatis, illud tamen faceret mater quæ abstinendo remedio fœtui nociuo, periret. Incerta enim est, an sit in gratia, an verò in statu peccati mortalis. Nam non requiritur omnimoda certitudo status gratiæ, quæ citra reuelationem haberi nequit, sufficit moralis certitudo ex coniectura, propter non remordentem conscientiam, & adhibita solita remedia quibus gratia obtinetur, qua licuit diligentia, alioquin iniustè inuasus teneretur se defendere, ne occideretur, quam tamen defensionis omissionem non modo Doctores non imperant, sed laudant, & nunquam liceret pro alterius salute etiam spirituali tuenda, aut procuranda, vitæ discrimen adire, cum nunquam certi sumus de statu gratiæ, ideoque temerarij prorsus essemus, qui vitam non modo corpoream, sed etiam salutem æternam obiiceremus periculo pro salute spirituali alterius. 25

Maneat igitur si fœtus superesse non potest neque baptismum consequi matre vtente aliquo remedio siue positiuo siue negatiuo, illo omninò matrem abstinere debere non quidem ex iustitia sed ex charitate, licet non vsurpato eiusmodi remedio certissimum vitæ discrimen subeat. 26

Moneo tamen hanc obligationem non esse quando pereunte matre, certò quoque pereundum erit fœtui, neque nisi salua matre seruari possit: v.g. si instantem leonem à quo discerpenda est, fugiat, præuideatque fœtus interitum sine baptismo, fugere poterit, quia si voretur à leone non saluabitur fœtus, & inutiliter suam vitam prodigeret, sine commodo fœtus, quod alioquin vitæ propriæ dispendio curare teneretur.

Addidi intentionem tantum indirectam, & per accidens interitus æterni prolis non excusare in nostro casu, quia iam ostendi eiusmodi intentionem sufficere ad peccatum. 27

Iam verò ministros quoque prægnantis, qui medicamentum aut sectionem illi exhibebunt, cum præuisione & probabili coniectura futuri interitus prolis, peccaturos æque ac matrem contra charitatem perspicuum est, quia illi & moraliter & physicè in illud peccatum concurrunt, & ad seruandam matrem fœtum occidunt æquè suis remediis, atque inuasor qui gladio petimit. 28

Dico tertiò, quoties sectio necessaria est ad fœtus exitum intra vterum vitandum adhibendam omninò esse, quamvis exitialis matri futura sit. 29

Hæc assertio sequitur ex superiori; si enim prægnans tenetur ex charitate omittere sectionem vitæ suæ conseruandæ necessariam, si fœtus interitus ex illa sequuturus sit, debebit ex eadem lege charitatis pati, quoties ea ad fœtus vitam conseruandam necessaria 30

prudenter

prudenter censebitur, licet ipsa discrimen incurrat ex eiusmodi sectionis omissione, cum in vtroque casu eadem charitatis ratio vrgeat vt vides.

§. V. Quartus casus in quo dubitatur an vsurpanda sit sectio matris, peti potest ex necessitate extrinseca quæ aliquando postulat hoc remedium adhiberi :
30 primò quia plurimum interest boni communis fœtum haurire lucem, & tamen partus naturalis prorsus desperatur: secundò quia mater morti quam commerita est, dedenda est, neque grauibus ex causis licet expectare moram, & tempus quod partus naturalis postularet : tertiò, quia quamvis ex expectatione partus naturalis nullum grande malum timeatur, cum tamen mater nocens sit plectendaque vltimo supplicio, cur non secabitur ad educendum fœtum, ne simul cum illa intereat, an verò sit necessariò partus naturalis expectandus eiusque tempus: quandoquidem ex ea mora, & retardatione supplicij nullum graue malum timetur, ad hos omnes casus paucis vnicâ distinctione respondeo.

31 Dico igitur primò. Nullo ex istis casibus fas esse matrem prægnantem innocentem secare ad educendum fœtum, si illa sectio matri futura est lethalis contra Varandæum *lib. 2. de morb. mulier. cap. 7.* Idque factitatum iussu Henrici VIII. Angli in ipsamet Regigina Ioanna Seimer, cui extractus per sectionem est Eduardus, qui postea regnauit eius nominis VI. dubitantibus enim medicis de fœlice sectionis euentu, respondit Henricus, sat sibi vxorum fore, non item liberorum matium qualem gestare reginam existimabat, vti narrat Florimond. Raymond. *lib. 6. histor. hæres. cap. 4. n. 2.* Verùm si sectio reginæ lethalis existimabatur, mala fuit ea sectio, & inique vsurpata. Ratio manifesta est, quia illa sectio, vti superius ostendimus esset directa, & per se occisio Innocentis, quam nunquam licitam esse, cuiusque boni siue publici, siue priuati, siue temporalis, siue spiritualis pretextu, nuper monuimus, quia intrinsecè mala est, neque vlla ex causa potest honestari : si verò sectio ista perpensis omnibus non existimetur futura lethalis, & partus naturalis nulla supersit spes, cum tamen boni communis plurium intersit fœtum illum edi, poterit secari mater, immò ea obligabitur eam sectionem pati ex charitate proli debita, cuius alioquin æterna salus deposita, vti diximus *§. superiori* : in hoc verò nostro casu, in quo pereunte intra viscera fœtu periclitatur bonum commune, sectio omninò adhibenda est ex obligatione iustitiæ, quæ obligat cum suo dispendio bono communi consulere.

32 Dico secundò matrem noxiam & capite damnatam posse secari ad educendum fœtum superstitem, quamvis eiusmodi lethalis futura sit matri, cuius tunc non erat habenda ratio, sed prolis, hoc est, non laborandum, an eâ sectione mater damnata, sit interitura, sed vtrum illa profutura sit proli : nam si per sectionem peritura sit, non erit vsurpanda sectio, quæ esset fœtus Innocentis occisio, licet partus naturalis desperetur, & ex diuturniori vita matris impendeant plurima, eáque grauia mala; immò neque licebit matrem & noxiam damnatam alia via perimere ante partum, si simul cum illa fœtus sit necessariò intra eius viscera extinguendus ; esset enim quoque tunc Innocentis occisio. Quare neque sectio vt diximus adhibenda erit, si fœtum occisura sit, vt quia nondum est maturus, quod expendere, sicut & alias circunstantias debebunt medici, nedum matrem damnatam supplicio afficiunt, fœtum Innocentem trucident. Addo quoties sperari iure potest partus naturalis, illum expectandum esse, neque secandam esse matrem etiam noxiam ad eximendum fœtum, cui semper opportunior erit partus naturalis quàm præproperus. Quare ipsa iura iubent noxiarum grauidarum partum expectandum antequam perimantur, vt ab ipsis quoque tyrannis factitatum legimus aduersus S. Fœlicitatem 17. *Martij in Martyrol. Rom.* & aduersus S. Eutychiam ex actis SS. Agopes Chit. & Irenes: sanè *l. prægnantis 3. D. de pœnis.* vult differendam esse pœnam prægnantis, donec pariat. Imperator quoque Adrianus Publicio Marcello, vel vt legi mauult Cortasius Vlpio Marcello celebratissimo Iurisconsulto, qui Adriani ætate florebat, rescribtus testatur solitum esse apud Romanos prægnantem damnatam vltimo supplicio seruari; donec partum ederet *l. 18. ff. de statu hominum:* ea verò dilatio supplicij non conceditur fauore matris, sed partus beneficio, ne Innocens fœtus opprimatur : Nam & impunitum nocentis facinus omnino relinquere satius est, quàm Innocentem offendere, *l. absentem 5. D. de pœnis.* laudat Romanam legem hac in parte Clem. Alexandrin. *lib. 2. stromat.* quam ipsos hausisse à Græcis ait Plutarch. *lib de sera numinis vindicta.* Græci verò sumpserant ab Ægyptiis, vt ibidem ait Plutarch. & Diodor. Siculus *lib. 2.* vbi de legibus, quas ab Ægyptiis mutuati sunt Athenienses, agit, huiusque hanc rationem reddit. Mulierum morti destinatarum si prægnantes essent, partus expectabatur, quod iniquum esset, eum qui nihil commisisset, vnà cum facinoroso pœnam pati, aut duos plecti, cùm vnus deliquisset à cúmque eo, qui spontè peccasset, criminis vacuum puniri : insuper cum sola peccasset mater, minimè æquum censebant, filium patri matrique communem luere maternam pœnam. Phil. *lib. de charit.* ait ex Iudaïca lege vetari, ne grauida pecus in sacrificium mactaretur : Verùm de hac dilatione supplicij matris prægnantis ad partum vsque, vide Sebast. Medicem *tr. de morte.* Couarru. *lib. 4. Variar. c. 4.* Benedic. *in caput Raynutius de testamentis v. & sobolem n. 9. & 60.*

Hinc colliges, an mater grauida noxia adiudicari 33
posset medicis & chirurgis, vt ex eius dissectione notitiam iuuandi grauidas comparare valeant, sapienterque respondet Theophil. *opere citato cap. 12. n. 11.* hanc causam non videri sufficientem, cùm eam notitiam aliunde quàm ex viuentis sectione comparare possint, & fœtus Innocentis occisio iure timenda sit.

Denique ex disputatis facilè compones dissiden- 14
tes sententias circa sectionem matris supplicio damnatæ. Illam enim nullo casu licitam vult Comitol. *lib. 1. Respons. q. 14.* Assertque Antoninum, Paludan. Gabriel. Fumum, Victoriam, Sotum : quibus accedunt Henriq. *lib. 2. cap. 21. n. 5.* & alij apud Bonacin. *de sacram. disp. 2. punct. 6. n. 10.* Contrarium verò censent Suar. *3. par. ad q. 68. art. 11.* Koniuk. *ibid.* Diana *2. p. tract. 1. Miscella resolut. 44.* Layman. *de baptis. cap. 2.* Filliu. *eod. tract. n. 139.* Quæ sententiæ non dissentiunt, vbi enim fœtui lethalis erit sectio, abstinendum erit ab ea, quamvis mater damnata sit, vbi verò non fuerit lethalis fœtui, si vel partus naturalis desperetur, vel grauissima aliqua causa externa vrgeat, permitti poterit, seruato incolumi fœtu : vulgò tamen expectandus erit partus naturalis, antequam de vltimo supplicio grauida mater afficiatur.

§. VI. Dubitatur, an matris viuentis mortuo fœtu 35
sectio licita sit, & quidem fœtum aliquando matre superstite immori vtero materno, siue ex causa extrinseca, vt contigit Marciæ, quæ inquit Plini. *lib. 2. cap. 51.* princeps Romanorum, icta grauida nimirùm fulmine, partu exanimato, ipsa citra vllum aliud incommodum vixit, siue à causis ipsi vtero intrinsecis; sæpè enim Neapoli & in Flandria Belgica gigni in locis mulirbribus bestiolas, quæ sobolem exugant, &

arrodant

videntur à nostra sententia discedere; ita enim exigunt in hoc casu aliquam probabilitatem ad exhibendum medicamentum dubium ægro desperato, vt probabilitatem nominent exiguam illam spem, quæ in eo ancipiti euentu restat, futurum vt prodesse possit medicamentum: quamquam tam debilis sit ea spes, vt dubitetur, an ex illo potiùs sit mors acceleranda, quam vitanda: Nam si aliter vsurparent nomen probabilitatis isti Doctores pro opinione probabili, quæ à dubio distinguitur, iam discederent à statu quæstionis; Essetque alius casus de quo diximus superiùs, neque profectò negarent desperatis ægris adhibenda esse medicamenta probabilia, quando alia non suppetunt, & aliqui ex eis Authoribus à se ipsis dissentirent: nam Sanch. qui *num. 39. cit.* putauit in dubio porrigi posse medicamentum conclamatis ægris. Negat *num. 42.* vsurpandum eiusmodi medicamentum, nisi eius vtilitatis aliqua probabilitas affulgeat; Quia sanè si omnis vtilitatis spes excluderetur, certumque foret nullo modo profuturum, & periculum ne obesset, inutiliter omninò & imprudenter adhiberetur. Quis hoc neget? Quando igitur dubium est ne sit inutile, aut etiam noxium medicamentum, aut proficuum, spes est aliqua, quamvis tenuis boni euentus, cùm par & æqualis sit timor contrarij, & infælicis exitus, speramus illo leuandum ægrotum, sed æquè timemus extinguendum violento remedio; & omnibus expensis rationum momentis hæret animus inter spem metumque, & neutram in partem inclinat. Cùm tamen aliunde ægroti salus omnino deposita sit, eóque solùm medicamento iuuari fortassis valeat non sine periculo; ne illo ipso fortassis acceleretur mors, in illa animi fluctuatione, & extremo casu. Prudenter & absque culpa dubium istud medicamentum vsurpari contendimus, quod ipsemet à Castro, qui tam acriter contrariam sententiam tuebatur, omninò tradit *tract. 1. disp. 3. punct. 5. num. 6.* Eosdemque authores adducit, quos retulerat *tract. 1. disp. 2. punct. 9.* pro contraria sententia, vt videas omnes istos Doctores vocibus duntaxat dissentire, & rebus conuenire; volunt videlicet quandiu aliqua spes affulget vtilitatis ex aliquo medicamento, etiamsi par omninò sit metus nocumenti; ideóque dubitet animus medentis profuturum an nociturum sit, illud nihilominùs morbis desperatis adhibendum esse: si verò nulla omnino esset spes vtilitatis, & dubium siue metus nocumenti; tunc omnino abiiciendum foret, neque ægroto quamvis deposito adhibendum; & hoc solùm probant quæ afferunt aduersarij de mortis acceleratione, quæ timenda est, ex dubio illo medicamento: Satius enim est ægrotum vi morbi perire, quàm medicum exponere se periculo illum interficiendi; quod enim aliqui dicunt plura passurum ægrotum, si eo morbo intereat, quam si medicamento illo extinguatur, ineptissimum est, alioquin liceret mihi gladio perimere illum, quem atrocissimis tormentis à tyranno torqueri video, aut brachium abscindere alicui, ne ab alio interficiatur. At verò in nostro casu prudenter & audacter remedium anceps vsurpandum esse suadent ipsi medicorum Principes Galenus, cuius fertur illa vox *audacter interfice*, & Celsus *lib. 2. de re medica cap.* 10. vbi de periculosa sanguinis missione agit, vbi nullum aliud apparet auxilium, periturusque est qui laborat, nisi temeraria via fuerit adiutus, in hoc enim statu, boni medici esse ait ostendere, quàm nulla spes sit sine sanguinis detractione, faterique quantus in hac re metus sit, & tum demum si exigetur sanguinem mittere, de quo dubitari in eiusmodi re non oportet, satius est enim anceps auxilium experiri, quam nullum. Et sanè cum in hoc casu certa sit mors ægroti nullo adhibito medicamento, adhibito autem hoc vnico quod superest dubia sit mortis acceleratio, aut salus, nemo non videt dubiam mortis accelerationem, siue periculum accelerandæ mortis, cum aliquâ salutis recuperandæ spe præoptandum & præferendum esse certæ & indubitatæ morti; & nemo vnus est, qui prius illud periculum eo momento non eligat. Neque si mors ægroti contingat illius causa fuerit medicus, cùm certam illius causam, nempe morbum ipsum habeamus. Neque etiam erit causa mortis festinatæ, illam enim non causauit, sed illius periculo ægrotum exposuit, prudenter omninò in illis angustiis melius eum fuit tentare hoc remedium, quàm certò exitio relinquere. Quid enim si profit remedium, vti aliquando contingit. Et nemo prudens est, qui vt euitet certum interitum se periculo illius accelerandæ non exponat, ita vt flammas quis fugiat, aut leonis immanis dentes ex altissima turre se præcipitat, aut in mare deiicit, quia in eo periculo cui se obiicit, spes aliqua, quamvis tenuis, elucet euadendi mortem, alioquin certam. Hoc igitur remedium anceps non modo licitum erit in tali rerum momento, sed etiam ea obligatione adhibendum, vti docent Sanch. Ferdin. à Castro *tract. 6. disp. 3. punct. 5. num. 6.*

Consectarium IX.

De sectione pregnantis.

Sectionem Cæsaream nominamus sectionem materni vteri ad prolem, quam eniti non potest extrahendam. Quare ita excisi Cæsones & Cæsares dicti sunt à cæso matris vtero, qualem primum fuisse Scipionem Africanum videtur dicere Plinius *lib. 7. cap. 9.* Et Solinus *cap. 4.* sed falsò, quia antè bellum Samniticum Claudius quidam Cæsar extitit, vt obseruat Salmasi. Quare verba Plinij aliter sunt intelligenda, nempè priori Scipioni Africano id contigisse, ideóque primum nomen Cæsarum in suam familiam intulisse; fuere siquidem duo Scipiones Africani, vnusque altero longe anterior, vti probat Hermolaus Barbarus in suis ad Plinium castigationibus. Iulium verò Cæsarem primum Romanorum Imperatorem fuisse quoque primùm qui excisus vtero materno fuerit, vulgatus est error, quem redarguit Plinij locis addoctus, & probat Beroald. *in annotatio. ad Seruium* §. 9. & Cuspinian. initio historiæ, & sanè matrem iam grandis natu in Gallia pugnans amisit Iulius, & licet contigerit aliquando matres eiusmodi sectionem passas diutiùs viuere, prodigij tamen instar habitum est, & obseruatum à scriptoribus, vt dicemus inferiùs. Nullus autem veterum id de matre Iulij tradidit, immò neque Iulium excisum à materno vtero fuisse meminit: Quare neque ab ea excisione nominatum Cæsarem Spartianus, in Aelio vero hanc Cæsaris denominationem ex aliis quoque causis sumptam esse ex Doctissimorum virorum mente scribit, nempe ab Elephanto, qui linguâ Mauricâ cæsa dicitur, in prælio cæso, vel ab oculis cæsiis, vel quod cum magna cæsarie natus sit, vel denique quod mortuâ matre ventre cæso effusus fuerit. Quæ eadem habet Constantinus Manasses in Annalib. *n. 71.* Et quod de Elephanto *Casa* vocato dicitur, idem existimant Robert. *lib. de nomin. Rom. c. 34.* Sign. *lib. eod. tit.* vbi de nomin. ab aliis euentibus. Cæsar & Castald. *de Imper. q. 4. n. 3.* probantque ex veteribus nummis, in quorum altera parte sculpitur Elephas anguem calcans subscripto nomine Cæsar. In altera varia instrumenta, quorum vsum fuisse volunt ad Elephanti cædem, verùm non satis appositè, quia illa instrumenta sunt sacrificatorum, & non leuis coniectura est ea Numismata cusa fuisse in apotheosi Cæsaris, quod ostendit citatus Sigoni. Seruius quidem in 1. *Æneid.* ait Iulium Cæsarem dictum, quod eius

Auus

Auus in Africa occidisset elephantum, qui Cæsar dicitur Pœnorum lingua. Sanè plurima nomina Punica in *ar* desinunt, obseruat Voss. à Cæsarie dictum Cæsarem; maluit verò Seruius & Isidor. *lib. 9. capit. 3.* quod sequitur Salmasius & alij recentiores: à Cæsiis verò oculis quod innuebat Spartianus, deduci negat Vossius: nam non Cæsar, sed Cæsius dici debuisset, maximè cum id nomen inter Romana reperiatur. Verum quidquid sit de nomine Cæsarum, & Cæsonum certum est à Plinio, Tertulliano & aliis deduci ex eo, quòd exsecti matris vtero viui aërem hauserunt, vt loquitur Tertullian. *lib. de anima cap. 25.* Hanc igitur sectionem, per quã aliqui excisi matris vtero Cæsones, vel Cæsares appellati sunt, nos quoque Cæsaream nominamus, vt ab aliis quæ in corpore humano & materno à mulieris prægnantis arte medica exerceri solent distinguamus, quia illæ alio pertinent, quam ad vitam fœtus adhuc aluo materna latentis procurandam, maximè ad cognitionem anatomicam non sine communi commodo ad incognitorum morborum causas dignoscendas, & curationem ex ea per sectionem affectis inspectione procurandam: vnde variæ sunt anatomicarum eiusmodi sectionum obseruationes omnino prodigiosæ, quas Zacutus, Thomas Bartholinus in suis centuriis aliique prodiderunt. Quibus omnibus omissis, de hac sola cæsarea, cuius beneficio fœtus extrahitur, & seruatur agere instituimus; ex iis enim quæ de licita aut illicita ipsius vsurpatione constituemus, quid de aliis sectionibus chirurgicis viuentis hominis sentiendum sit, facilè colligetur.

2 Hæc vero sectio tribus in casibus fieri potest, primò mortuâ matre prægnante vt statim extractus fœtus seruetur: eiusmodi homines Seruios dicebant Romani.

Secundò, secatur mater viuens superstite quoque & viuente fœtu, cui omnis alius aditus interclusus est, quemque parens foras expellere non potest, vt & mater graui illo onere leuetur, & fœtus quoque seruetur.

Tertiò, mortuo intra vterum fœtu secatur parentis vterus, ne aut eo putrefacto ipsa quoque extinguatur, aut diutiùs pondus illius cum maximis incommodis & continuis molestiis ferat, vitamque miserabilem ducat, vti aliquando contingit; Narrat enim Albosius libello quem Cordæo subiunxit suis commentariis in Hippocratem, mulierem Senonensem Embrionem vtero inclusum per 28. annos gestasse. Narrat & medicus Friburgensis se anno 1595. in dissecanda muliere repetisse eius vterum lapideum pondere librarum septem, vesicam item lapideam, & peritonæum cui vix nouacula immitti posset. Similia plures alij obseruarunt, & fœtum demortuum sæpius ex miseræ matris vtero extractum constabit. Iterum inferiùs nobilis porrò vetusque controuersia est, an hæc sectio in casibus enumeratis licita & honesta sit, propter probabile periculum matris vel prolis, vel etiam vtriusque, quod aliqui certum affirmant, alij negant, alij dubium faciunt. Diximus verò in nostra doctrina vniuersali ex duabus opinionibus probabilibus posse sine culpa alterutram eligi, immò & minùs probabilem, modò tamen verè probabilis sit; eam tamen communem doctrinam ita limitauimus, vt non agatur de damno proximi; eius enim euitandi causâ cogimur aliquando vnam potiùs opinionem quam aliam sequi; alioquin peccamus contra charitatem, vel aliquando contra iustitiam. Itaque in hac nostra quæstione probabilitas opinionum attendi debet penes periculum quod mater vel fœtus ex ea sectione incurrit, an illud per sectionem euitabit, illáque omissâ peribit. Vt verò rem definiamus, expendendi sunt tres casus enumerati, in quibus eiusmodi sectio poterit vsurpari. Primus est matre demortua, vt si adhuc deprehendatur fœtum viuere, illi scisso matris vterò consulatur ad vitam saltem specialem & animæ salutem baptismate procurandam.

Et quidem hoc casu secandam esse matrem S. Tho. *3. p. quæst. 68. art. 3.* omniumque Theologorum est communissima sententia, eos dabit Theophil. Raynaudus, qui totam istam materiam eruditè suo more pertractauit *opusculo singulari de ortu Infantium contra naturam per sectionem Cæsaream*; ex quo nos proficiemus *cap. 2. num. 2.* Consentiunt & medici paucis recentioribus exceptis; in quibus est Rodericus à Castro *lib. 4. de morbis mulierum cap. 3. in scholiis*: & Varandæus *de morbis mulierum lib. 2. cap. 7.* qui negant, mortuâ matre, posse vel ad momentum fœtum vtero eius inclusum viuere, atqueadeò quotquot narrantur ita extracti, superstites fuisse ex matre adhuc viuente, & spiritum agente, aut mortuâ, simili vel hystericâ passione laborante excisi sunt, deluso aut deludente chirurgo, quod in hysterica passione mulieris aliquando contigisse scribit Paræus *lib. 24. cap. 54.* Quare ea mortuæ matris sectio si mala non sit, saltem ad hunc effectum inutilis erit: Esto ad alios effectus, & fines anatomicos profutura sit, atqueadeò licita, cauendúmque est chirurgo, ne in matrem viuam adhuc & spirantem sæuam lanienam exerceat nullo compendio. Cùm enim ita in isto casu affecta sit mulier, vt à peritis quoque mortua existimetur, in illa ipsa carnificina extinguetur, & fœtus vna cum ipsa eodem momento neque viuus extrahetur, sed vtrique matri scilicet & proli mors accelerabitur. 3

Standum nihilominus est communi sententiæ sectionem istam vsurpandam esse, statim matre mortuâ, si deprehendatur fœtus adhuc viuere, cùm nullum inde sit matri periculum iam præmortuæ, neque etiam fœtui, qui vel cum matre extinctus est, vt volebant isti neoterici, atqueadeò nullum inde damnum patitur, vel non est extinctus, & adhuc viuere deprehenditur, & illius saluti æternæ per baptismum quem recipere poterit, consulitur, atque etiam vitæ nonnunquam temporaneæ, vti sæpiùs contigisse locupleti plurimorum testimonio certum est. Antiqua & noua exempla congessit Theophil. *cap. 2. cit.* Tiraq. *q. 18. de iure primogen. n. 2.* Illustre est quod de Sancio Abarca Vasconum Rege produnt Hispani; occiso enim per Arabes Eneco eius parente, & matre Vrraca, cum fœtus per vulnus materni vteri brachium ostentaret, à Sanctio Guenara viuus extractus est, & tandem annuente eodem post annos viginti in regnum tanquam legitimus successor euectus, dictusque Abarca à rusticanis calceis & peronibus, quos in priuata vita gestarat. Quia tamen Rodericus Toletanus *lib. 5. de rebus Hispan. c. 22.* Vrracam viuentem adhuc lancea Arabica perfossu latere Sancium enixam esse, & Marian. *lib. 8. hist. cap. 4.* totam eam historiam inter fabulas numerat. Adducendi sunt alij, qui emortua matre extracti fuerint, diúque superstites fuerint. In his numeratur Purchardus Comes, ideò ingenitus cognominatus anno Christi 959. Gerardum Episcopum Constantiensem anno 1001. simili ratione editum scribit Bruschius, vt & S. Lambertum Venciensem Episcopum, eius acta chronico Lerinensi inserta. S. Dragonem siue Druonem è Ioannæ Reginæ Siciliæ, & Comitissæ Tholosæ demortuo scisso vtero eductum scribit historia Fontis-Ebrald. *l. 3. c. 7.* Gregorium quoque XIV. R.P. è visceribus matris Annæ Comitissæ, Septimestrem extractum habet Spondan. *an. 1590. n. 21.* vide alia apud Paræum *lib. 24. c. 14.* Scheneium *lib. 4. obseru. medic.* Carol. Steph. *lib. 3. dissect. part. corp. hum. c. 1.* Horat. Augen. *lib. 8. ep. 2. c. 15.*

Daniel. Sennertum *lib. 4. quæst. 2. sectione 6. cap. 8.* Insigne est quod refert Guillelmus Fabricius Hildanus *centur. 3. obseruationum chirurgicarum in epistola ad Michaelem Doringium* de Hernia vterina, quam illi centuriæ subiicit, mulierem grauidam vna cum marito suspensam ann. 1567. propè Daurientam, vbi per quatuor horas mortua pependisset, gemellos viuos fudisse, idque confirmat Hildan. ex Ebero *in calendario historico*, Diomede Cornario *historia 14. admiranda*, & Gregorio Horestio *in Marcelli donati librum*: quo casu dubium non est, fœtum intra vterum matris mortuæ aliquandiu vixisse. Neque probat contrarium, quæ ab aduersariis obiiciebantur: quod enim dicebat Rodericus obeunte matre, statim intercludi fœtus respirationem, & motus cordis cessare, eò quòd pendeat ex contractione & distensione duarum arteriarum vmbilicarum, quæ cieri cessant mortuâ matre. Cum igitur fœtus sine respiratione & motu cordis viuere nequeat, vnà cum matre necessariò moritur. Verùm falsò supponit Rodericus cor & pulmones in fœtu cieri, quod ostendit Laurent. *lib. 8. anat. cap. 7. quæst. 16.* fœtus siquidem ob caloris exiguitatem solâ transpiratione contentus est, neque indiget respiratione; quæ ad solam copiosi caloris refrigerationem instituta est, cordis etiam motus necessarius non est, nisi vel ad trahendam spirituum vitalium materiam in cor, vel ad fumidos vapores, qui ex spiritibus vitalibus in cordis officina elaboratis tanquam recrementa quædam expellendos, quæ spiritum vitalium elaboratio non fit in fœtu, qui illos spiritus vitales iam elaboratos, & defœcatos accipit à matre per arterias vmbilicales, quod ostendit quidem fœtum extincta matre non posse diutiùs viuere, non tamen eodem cum illa momento perire, cùm non fiat subitanea spirituum à matre transmissorum eatioctio, & sine nouorum spirituum perenni affluxu, vitam tantisper continuare possit: quod autem Varandæus dicebat, fœtum non aliâ quam matris vitâ viuere, idem Stoïcis & Ænedesinio, atque è medicis Hiseccio tribuens, vel est id ipsum quod quæritur, vel falsum est, cum vita fœtus à vita matris æquè distincta sit; atque amborum animæ, nisi velit quod Tertullian. *lib. de anima cap. 5.* Platoni, Stoicis cum Ænedesinio atque Hisecio medico tribuit, fœtui non infundi animam distinctam à materna, nisi vbi ex vtero effusus est: *præsumunt*, inquit, *non in vtero concipi animam, nec cum carnis figulatione compingi, atque produci, sed & effuso iam partu nondum viuo infanti extrinsecùs imprimi. Cæterùm semen ex concubitu muliebribus locis sequestratum, motuque naturali vegetatum compinguescere in solam substantiam carnis, eam editam, & de vteri fornace fumantem, & calore solutam, vt ferrum ignitum, & ibidem frigida immersum, ità aeris Regione percussam, & vim animalem rapere, & vocalem sonum reddere.* Hoc nugax commentum pluribus confutat Tertullian. quem adeas velim, ipsáque experientia matrum, atque infantis ipsius motus poterat & addere clamores & vagitus in vtero sæpiùs auditos, de quibus Libanius & Thomas Bartholin. *in historiis anatomicis centuria 1. histor. 1.* aliique: idem argumentum versat Nyssen. ostenditque animam non esse corpore posteriorem *lib. de opificio hominis cap. 29. & lib. de anima, & resurrect.* Lactant. *lib. de opificio Dei cap. 17. contra Varron.* Plutarch. *lib. 5. de placitis Philosophorum capit. 15.* Platonem excusat Carpent. *in cap. 17. Alcinoi.* affertque Plotin. & Ficinum in *Theologia Platon. lib. 18. cap. 5.* in hanc rem. Hicesius verò medicus laudatur sæpiùs à Plinio, loca dabit Pammel. *in scholiis ad cap. 25. Tertull. de anima.*

4 Non negarim tamen non posse diutius viuere fœtum vtero clausum extinctâ matre, ideóque celeritate & diligentiâ vtendum esse ad hanc sectionem eo casu, vt saluti saltem æternæ infantis prouideri maturè valeat, peritique chirurgi fuerit omnia habere parata ad hanc operationem, vbi primùm expirauerit mater. Videat tamen ne præceps adeò sit, vt spirantem adhuc matrem secet, & interimat, sed vbi primum certis indiciis, quæ plurima sunt, obiisse deprehēderit. His omnibus addo non modò licitam & honestam esse matris sectionem eo casu, sed ad eam faciendam obligari peritum ministrum qui aderit, peccaréque mortaliter, si operam suam neget, aut tardet, cùm in exterionum salutis periculum proximum cōiiciat suâ culpâ & peruicacitate, vel morâ ac negligentiâ. Eadem obligatione tenentur propinqui, aliique qui adsunt puerperæ ad eam sectionem procurandam, vt fœtus salus collocetur in tuto.

§. III. Secundus casus de quo dubitari potest, an licita sit parentis grauidæ sectio, est, cùm & mater & fœtus viuunt: Nequit tamen fœtus aliâ viâ propelli, nisi exciso vtero extrahatur, siue propter angusti vteri ostium, & obesitatem infantis ex vbertate materiæ, aut vitioso tumore, siue propter omninò occlusum naturale ostium per phymos, immò deprauatam ossium ischij ac pubis conformationem, luxosum os femoris versus internam partem, & comprimens vterum, quâ parte fœtui foret exeundum, callum, cicatricem, lupiam, scirrum, calculum, molem carneam, & similes eiusmodi tumores, gangrænam, cancrum, aliosve affectus, quos experientia deprehendêre Medici, qui de morbis mulierum agunt. In iis enim casibus cum nequeat fœtus educi & exire ex vtero, nisi vi aliqua inde extrahatur, ipsi intra materna viscera pereundum erit, quia vel nimio cordis æstu quem mater temperare nequibit, suffocabitur, vel defectu alimenti, quo maiore tunc indigebit, vel denique pædore extinguetur, vnaque salutem æternam amittet. Neque mater extra periculum erit putrefacto fœtu intra vterum: Quare in hoc rerum momento non superest aliud remedium præter sectionem. Suppono enim cætera omnia præsidia magna quidem cura, sed inutiliter adhibita fuisse. Consentiunt enim omnes sectionis huius remedium extremum esse oportere; peccareos enim qui crudele istud & periculosum omissis aliis quæ profutura sperari possent, præcipitanter adhiberent: quâ de re Medicos & Chirurgos seriò monet Rodericus à Castro *de morbis mulierum lib. 4. cap. 5. in scholia.* & Ioann. Marinellus *in simili opere lib. 3. cap. 5.* & profectò esset illa summa temeritas absque grauissima necessitate tanto discrimini & matrem & fœtum exponere, quale ex sectione cæsarea à quocumque perito Chirurgo exerceatur, consequi nemo ambigit.

6 In his igitur angustiis, in quibus mater & fœtus sunt in extremo discrimine, vsurpandam tamen sectionem cæsaream negarunt iam olim magno consensu Theologi cum S. Thom. *in 4. dist. 6. quæst. 1. art. 1. q. 1. ad 4. & 3. p. quæst. 68. art. 11.* tum veteres tum recentiores, eos sicut, & summistas & canonistas veteres enumerat Theophil. Raynaud. *opere citato cap. 3. numer. 2.* quia eam sectionem matris viuentis trucidationem esse dicebant, quam nemo licitam esse diceret etiam ad salutem infanti, qui sine ea alioquin periturus est, procurandam nemo dicet, cum Paul. *ad Rom. 3.* negat facienda esse mala, vt eueniant bona, maximè cum eo casu salus infantis nulla nostra culpa pereat.

Neque à Theologis dissentiunt peritissimi Medici, qui ea sectione matrem perimi censuerunt Alexander Massaria *lib. 4. rei medicæ capit. 12.* Forestus apud Mizald. *centur. 1. memorabil. Aphorismo 100.* Paræus *lib. de hom. generat. capit. 38.*

Ludouicus

Ludouicus Guionius *lib. 5. de pulchritudine & sanit. corporis cap. 52.* & alij, qui narrationes de sectionis huius fœlici euentu, nimirum saluæ matris, ipsoque fœtu exciso diutius viuente: fabulis annuunt etiam grauissimi, tamen recentiores medici pluribus certis experimentis edocti, & rationibus etiam anotomicis persuasi, docent fœliciter omninò inculumi & matre & fœtu sectionem vteri celebrari, quos etiam recenset Theoph. *citato cap. 3. num. 6.* Francis. Roussetus *opusc. de partu cæsareo*, cui appendicem attexuit Gaspar Bas. vbi in sententiam Rousseti abit, & pro ea sibi coæuos medicos doctissimos Ioannem Albosium & Francisc. Saguiserium adducit. Idem sentiunt Mauritius Cordæus *Comment. 1. ad 1. lib. Hippocratis de morbis mulier. textu 11.* Iacobus Duuali. *lib. de Hermaphrod. & part. cap. 24.* Andreas Laurentius *lib. 8. anato. quæst. 2.* Velchard, *lib. de morb. mulier. cap. 19.* *Ioan.* Martin. *simili opere lib. 3. c. 50.* Ioan. Schenchius *lib. 4. obseruat. medicarum.* Rodericus à Castro *lib. 4. de morb. mulier. cap. 3.* Mizald. *centur. 1. memorabili aphorismo 10.* Ranchin. *lib. 7. qq. chirurgica. quæst. 14.* Daniel Sennertus *lib. 4. medica practica part. 3. sect. 6. capit. 8. casu 3.* qui omnes aliique plura in hanc rem exempla de quibus dubitari nequit adducunt, quibus alia subiicit Theoph, *citato opere cap. 5. a. 5. 6. 7. & 8.*

7 Ad nobilis controuersiæ definitionem & eruditorum virorum sensum conciliandum, notandum imprimis est; hanc sectionem vsurpari, vel prudenti & probabili spe fœlicis euentus, nimirum incolumi matre, & fœtu, vel cum probabili periculo mali, & infœlicis casus, matris vel fœtus, vel vtriusque interitu. Huius verò probabilis spei, vel periculi iudicium erit penes prudentem & peritum medicum, qui attenta matris dispositione ac robore, & fœtus quoque conditione, atque aliis iudiciis diligenter præcognitis, quæ dabit Roussetus *in parænesi ad Chirurgos.* Mattinus Akakias *lib. 2. de morb. mulier. cap. 15.* Ludouicus Mercat. *lib. 4. de mulier. affect. cap ....* de tota hac probabilitate spei, vel periculi pronuntiabit. Inde enim iudicari poterit, an licitè & honestè vtendum sit eâ sectione: Iam enim *Consectario superiore* monui, probabilitatem opinionis hoc loco sumi penes periculum & spem, euentusque sortietur remedium adhibitum, & sectio cæsarea. Non verò penes culpam admittendam à medico, qui culpæ reus, vel immunis erit, pro probabili periculo aut spe remedij quod vsurpat, vt diximus *eo loco.*

8 Hæc præterea spes & periculum sumi debent ex ipsa vi & natura sectionis, quæ necem matri vel fœtui illatura, aut non illatura est, seclusis aliis incommodis, quæ præter omnem artis prænotionem contingere possunt, aliis omninò ea causis, quam ex ipsamet præcisè sectione; Cùm enim medicus ea præuidere non poterit, & præstare non debet; Nam illa quandoque eueniunt insperata, certis alioquin remediis adhibitis, quorum vim infringunt nulla medici culpa, cuius tamen plerumque falsò insimulatur.

His obseruatis aio. Primò sectionem cæsaream vbi fœlicis euentus probabilis spes est, iudice prudenti & perito medico à perito chirurgo celebrari licitè & honestè posse: hanc sententiam docent omnes Theologi & Medici, qui contrarium eâ ratione dumtaxat affirmabant, quod existimarent eam sectionem, sine matris interitu exerceri non posse, si enim tam certa experimenta fœlicis exitus huius sectionis habuissent, credidissentque vtilem & possibilem sine matris & prolis interitu per sese & ex vi sectionis sequuto, eius quoque honestatem & vsum probassent, quod satis indicat Alens. *4. part. quæst. 17. memb. 4.* qui licet negasset secari posse matrem viuentem, vt fœtui procuretur baptismus, ne matri mors afferatur, aut acceleretur; subdit tamen illam sectionem licitam esse, si præstari possit, absque matris & prolis interitu: Quare supposità prudenti, & probabili spe salutis matris & prolis, nemo negabit opinor licitam esse. Hanc verò probabilitatem hoc loco supponimus, & adductis exemplis, in quibus sæpiùs fœliciter cecidit ea sectio, etiam sæpiùs in eadem muliere repetita confirmatur. Neque rationes, quibus aliqui medici omnia illa experimenta numerabant in fabulis, & necessariò sectionem lethalem esse matri probabant, firmæ admodum sunt.

* R.P. Ioseph. Gibalinus de Scient. Can.

9 Obiiciunt enim lethalem esse epigastrij siue abdominis sectionem, & ea ea consequentem hœmorragiam; deinde sectionem quoque peritonæi, siue membranæ musculis subtensæ, quæ non videtur sine spasmo incidi posse. Denique vteri ipsius diuisionem & periculosam, immò & mortiferam esse; has tamen omnes partes diuidi, & incidi oportet in sectione cæsarea, vt constat: Vnde quoque fit, vt si quo casu eiusmodi mulieres euadant, denuò concipere nequeant, aut si concipiant, fœtum propellere nunquam possint, quod de iterato conceptu Paræus *lib. de generat. homin. cap. 31. alias 38.* Guionius *de pulchritudine & sanitate corp. lib. 4. c. 52.* & Varandæus *lib. 2. de morb. mulier. c. 7.* quia vteri vulnus obductum obsistit vteri dilatationi, quæ & ad concipiendum, & ad gestandum necessaria est, & licet conciperetur fœtus non posset naturali partu emitti, quia vt ait Rodericus à Castro *lib. sæpè laudato*, vulnus obductum in partu dilatari non poterit, quin cicatria dehiscat, & vis vteri languidior reddatur quàm par sit ad excludendum fœtum per ostium naturale ita obseptum.

Resp. hæc omnia facilè dilui: nam musculos epigastrij sine mortis periculo incidi docet Galen. *lib. 6. methodi medic. c. 4.* Vbi etiam modum curandi & consuendi eiusmodi musculorum vulnera proponit, neque ea eo vulnere timenda est læthalis hæmorragia, quia quo loco fit incisio illa, paucæ venæ insignes diffunduntur. Nam venæ mammariæ, à quibus maximè timeri deberet hæmorragia secundum musculorum longitudinem ascendunt: præterquamquod obuia sunt plurima remedia adstringentia, & copioso sanguini cohibendo peropportuna, quæ facilè poterunt applicari.

10 Peritonæum posse sine interitu incidi tradunt medici Galen. Cels. Ægnieta, aliique, dum de eius vulnerati & perfossi curatione disputant, neque timendum est à spasmo, qui tunc accidit, cùm fibræ exquisitæ, neruosæ & vniformis roboris circa extrema cum violenta distensione contrahuntur versus suum principium, atqui peritonæi fibræ non sunt eiusmodi, neque exquisitæ, neruosæ. & finis extremitatum partis anterior, est laxior, faciléque cedit. Quod autem alij ex illa incisione peritonæi metuunt, ne curato peritonæo necessariò maneat hernia, non obstat, quia id necessariò non contingit, neque ita difficilis curatu esset. Denique cõparanda ista non sunt cum incommodis, quæ tandem extincto intra vterum fœtu, cui nullus superest naturalis exitus certissimè patietur mater.

11 Quod verò ad vteri incisionem pertinet, tantùm abest vt illa lethalis existat, cùm ne quidem eius tota abscissio talis sit. Nam aliquæ puerperæ vna cum fœtu, radicitùs euulsum vterum expulisse tradit Fernel. *lib. 7. physiol. c. 11.* Aliis verò ob gangrænam similesve causas excisum esse docent Christoph. à Vega *tr. de procidentia vteri.* Langius *lib. 2. ep. medic. 39.* Paræus *lib. 24. c. 48.* qui & Auicenn. adducit Mercat. *lib. 4. de morb. mul. c. 21.* aliique, fuitque eadem veterũ sententia, ea abscissione mortẽ non sequi necessariò. Paul. Aegn. *l. 6. c. 88.*

& lib.3.cap.72. Soran. *lib. de locis mulieb.* Aëtij *lib.16. cap.76.*

13 Denique per sectionem cæsaream non impediri iteratum conceptum, imò neque partum deinceps naturalem euincunt plura experimenta narrat Rousset, *in opusc. de partu Cæsareo cap.5.* narrat Mes. non procul à Lutetia mulierem extitisse sexies à Nicolao Guilleto chirurgo oppidano secatam fuisse viuente semper fœtu, septimo deinde partu, cum obiisset Nicolaus, miserè vnà cum fœtu periit Bas. *in appendice ad Roussetum* narrat de Germano à viro suo fœliciter secatam: duos deinde gemellos naturali partu fudisse, atque singulis deinde annis singulos, plura alia eiusmodi deprehẽdes apud Auctores. Ratio quoque non difficulter reddi potest: vbi enim vteri vulnus semel obductum & consolidatum est, nihil impediet eius dilatationem, cùm necessarium fuerit quod ostendit gemini & triplicis aliquando fœtus, atque etiam molæ perplures, non modò menses, sed & annos gestatio, pars siquidem illa ad distensionem & dilatationem aptissima, ac facillima est, neque ex quacumque distensione ad partem naturalem requisita, cicatrice disrumpi, sue hiscere, cum partes priùs firmiter cohæserint; nihil igitur afferunt aduersarij, quo demonstrent, sectionem cæsaream necessariò lethalem esse matri, ideóque illicitam esse, cum ad seruandum fœtum non liceat directè matrem occidere, neque ad seruandum vnum innocentem, alterùm æque innoxium trucidare, & facienda non sint mala, vt eueniant bona.

Aio 2. in casu de quo disputamus probabilis spei fœlicis euentus fieri per sectionem cæsaream obtinendi, illam non modò licitam & honestam esse, sed etiam necessariam, hoc est à matre subeundam esse, & aliis, quibus ea cura & officium incumbit, exercendam: alioquin hi omnes grauiter peccabunt.

Et quidem quod ad matrem attinet, obligatio subeundæ, & admittendæ huius carnificinæ spectari potest, vel penes ipsam matrem dumtaxat, & obligationem quam habet tuendæ propriæ vitæ, quam aliter videtur non posse satis tueri, nec sine grauibus incommodis diutius etiam ærumnosam trahere, vel penes fœtum, cui omnis aditus lucis huius obstructus est; cuiusque salus æterna conclamata alioquin est.

Si matrem ipsam dumtaxat attendamus, non videtur obligari sub graui culpa ad tam atrox, crudele, & horrendum remedium vsurpandum: est enim communis illa DD. sententia, non obligari ægrotum quodlibet remedium ad conseruandam vitam sumere, aut medium vsurpare, vti demonstrauimus *lib.6. de vniuersa negotiat. capit.7. art.1. num.8. & seq.* docebimusque fusius alibi hoc ipso opere; & quod ad medium, crudele & horridum consentiunt Ban. *2.2. q.65. art.1. & ibid.* Salon. *controu.2.* Turrian. *tom.2. in 2.2. disp.29. dub.1. num.13.* Lessius & Bonac. à nobis *citato loco* laudati: Ratio est, quia neque propria charitas, neque fortitudo, neque vlla alia virtus obligat ad vitam cum tantis cruciatibus, aut etiam impensis retinendam. Neque inde sequitur aliquem esse hoc modo mortis suæ caussam, cum ad eam neque physicè influat, vt patet, neque etiam moraliter, cum ad influxum moralem præsupponatur obligatio ponendi vel faciendi, quod à nobis neque ponitur, neque fit, qualis obligatio in hoc casu non reperitur. Quare priùs illam existere probandum est, vt inde inferatur concursus moralis, alioquin petitur principium, & respondetur id ipsum quod quæritur. Atqui hoc loco nemo negabit sectionem matris viuentis esse remedium crudele, & sæuum, quodque etiam fortissimis horrorem incutiat. Illam igitur mater ad tuendam propriam vitam pati non cogitur, nisi aliunde talis obligatio ingruat: Prætereaquamquòd ex eius neglectu non sequitur necessariò & certò matris interitus, quia licet naturalis exitus non pateat fœtui, qui proinde intra morietur, tamen aliis mediis extrahi saltem frustillatim poterit, vel aliis quoque viis naturæ viribus propelli, vti factum aliquando fuisse dicemus inferiùs. Neque dicas, matri ex retento, & extincto in suo vtero fœtu æquales aut maiores sæpius cruciatus & dolores, quàm quos afferret sectio, subeundos esse, ideóque ex atrocitate huius remedij non excusari matrem ab illo ferendo, & admittendo. Nego enim hoc loco solam atrocitatem sectionis excusare matrem, sed eius maximè horrorem, quod idem sæpiùs in quibusdam aliis casibus contingit, in quibus solus medij horror excusat, vt contingit in extrema fame laborantibus, qui deficiente omni alio pabulo, non tenentur humanis carnibus vesci, felum, canum & murum cadauera rictu ferino vorare, non alia de causa, quia eiusmodi cibus ferinus & horrorem maximum affert comedentibus, nisi & ipsi feris similes sint; quamvis si superato illo naturali horrore, pabulum eiusmodi sumant, peccati damnandi non sint, quæ omnia & singula tradidimus *lib.1. de vniuersa negotiatione cap.4. art.3. Consect. 6.* Maneat igitur matrem non obligari ad admittendam sectionem, vt propriam vitam seruet, neque vllos alios ad illam in eam renitentem exercendam, cùm eam ipsa recusare licitè possit.

Verùm, si consideremus prolis certum interitum, & salutis æternæ priuationem, eo quòd ipsi intra matrem 14
sine baptismo certo tandem pereundum sit, obligatur mater vt eius extremæ necessitati tum corporeæ tum spirituali succurrat, hoc vnicum quod infanti superest remedium sectionis pati, & vitam suam periculo exponere. Ratio manifesta est, quia ex communi S. Thomæ *1.2. quest.26 art.5.* & cæterorum doctrinâ, quam & nos in eandem 2.2. quondam stabiliuimus, & in hoc ipso opere confirmabimus suo loco, tenemur vitam nostram corporalem euidenti discrimini exponere, vt extremæ & manifestæ necessitati spirituali proximi occurramus. Atqui in casu nostro infans, qui necessariò intra parentis suæ viscera, extinguendus, nisi illi per matris sectionem succurratur, cùm omnis alia via inutilis & inanis sit, subibit certam damnationem æternam propter defectum baptismi, qui illi in eo statu nulla ratione validè conferri potest, vti diximus. & denuo hoc opere *tom.2.* demonstrabimus, & hoc loco ne longiùs digrediamur, tanquam certum supponimus. Illi igitur mater cum propriæ vitæ corporeæ periculo subuenire debet, quod non potest, nisi patiendo sectionem illam: igitur pati omnino tenetur, maximè cùm sit probabilis & prudens spes fœlicis euentus, non sine periculo & metu illius, non modò ratione ipsius sectionis, sed etiam ratione caussarum aliarum, quæ sæpiùs ipsos etiam peritos latent, quinimmò inde colliguut aliqui, matrem teneri non modò ad ferendam sectionem, sed etiam ad eam procurandam & vrgendam ex ipsa charitate, quâ vitam propriam obligatur exponere periculo, licet euidenti, vt saluti spirituali & æternæ prolis consulat, omniaque media in hunc finem necessaria vsurpare & vrgere: quod verius est, quando medium aliquod vnicum est, eiusque vtiliter applicandi prudens & probabilis spes affulget, quod totum in nostro casu contingit, in quo tota salus æterna prolis in vnico remedio, nimirum baptismo collocata est, & vnicum quoque medium illum applicandi superest sectio matris.

Inde

15 Inde quoque sequitur, peritos chirurgos operam suam, si necessaria sit, ad hanc sectionem offerre teneri, eamque exercere; quia tunc proximus in extrema necessitate salutis constitutus est, & illorum dumtaxat opera, illud alioquin certum discrimen euadere nequit; immò hanc obligationem subueniendi proximo in extremo periculo salutis quoque corporeæ extendit Codron. *lib.* 1. *de Christian. medendi ration. cap.* 33. Lessi. *lib. de instit. cap.* 31. *dub.* 7. Et alij apud Tiraq. *de nobilit. cap.* 29. *n.* 44. *& cap.* 45.

16 Aio tertio casu, quo nulla est spes fœlicis euentus ex sectione matris, sed certum est periculum cædis inferendæ vel matri vel fœtui, illicita per se est, & nullâ ratione vsurpanda: quod vbi de matris certo futuro exitu agitur, primùm ostendo ex communissimâ Theologorum omnium mente apud Konink 3. *par. q.* 66. *n.* 75. Estque apertissima ratio, quia in ea sectione reperitur directa, & per se occisio Innocentis, quæ per se & directè nunquam licita est, vti fusiùs ostendimus *lib.* 6. *tract. de vniuersa negotiat. cap.* 7. *art.* 1. quia dominium vitæ humanæ penes solum Deum est, qui illud concessit, solis dumtaxat supremis potestatibus aduersus reos & nocentes tam atrocem pœnam commeritos. In hoc verò nostro casu matris innocentis necem reperiri, & intendi notum est, quæ erat vnica ratio, propter quam veteres Theologi, atqueadeò quidam non vulgares medici negabant, vnquam esse licitam sectionem istam, quia non posse sine matris interitu vsurpari credebant; Neque recentiores tum Theologi tum medici illam hodie permittunt, nisi quia plura, eáque certa experimenta docuerunt, eam matris cædem, quam veteres timebant, non sequi necessariò ex sectione cæsarea, quæ sine matris occisione celebrari potest; sæpiúsque celebrata est. Vbi igitur nulla erit spes salutis matris, & certè conijcietur illam eiusmodi sectione perimendam, nefas omninò erit, ipsa vti sine peccato homicidij. Neque consensus matris, quæ prodigere suam vitam vult ad seruandam proli vitam & salutem animæ, reddet hanc cædem licitam; cùm enim illa non sit Domina vitæ suæ, neque sibi illam eripere, neque consentire, vt quis alius illam sibi eripiat, potest; & ille consensus, quamvis fortassis inculpabiliter ob ignorantiam aliamve causam præstitus non excusabit à culpa interficientem, sicut neque ille Amalecites, qui roganti Sauli saucio & moribundo, ne in manus hostium veniret, necem intulit, habitus est innocens à Dauide, cui Saulis aduersarij diadema detulerat, sed tanquam cædis regiæ reus punitus fuit.

17 Neque dicas ex hoc matris moriturae accelerato per sectionem interitu consequutura ingentia bona, quorum præcipuum est æterna fœtus salus, quia iam olim ex Paulo monuimus, non esse facienda mala, vt eueniant bona, neque peccandum ad salutem alicui procurandam. Deinde, liceret infantem moribundum in flumen proijcere ad baptizandum, vbi alia ratio baptizandi non suppeteret. Ille quidem baptismus, vt dicemus alibi, validus foret; proiectio tamen illa in flumen, ex eáque sequuta cædes, peccatum homicidij foret, quod idem dicendum est de baptismo per aquâ venenatam & pestiferam administrato, mox morituro infanti; si enim illa ablutione sit statim extinguendus infans, eius occisio mala erit, quidquid sit de validitate baptismi, quæ indicanda erit ex natura aquæ quâ tingitur, vtrum sit naturalis, vel adeò corrupta immixto medicamento, vt ampliùs aqua non sit, sed mixtum quoddam substantialiter diuersum: quâ de re alibi.

Denique, quod aliqui dicunt, è duobus malis minus eligendum esse, & hanc matris cædem esse dumtaxat vitæ abbreuiationem, siue mortis accelerationem, cum certò pòst paulò esset interitura, & liceat ad spirituale maximè commodum aliquod facere vel omittere: vnde quædā vitæ longioris abbreuiatio sequatur, idque cum laude præstitum à piis viris per rigidiores pœnas vltrò susceptas scimus. Hæc inquam malè afferuntur hoc loco, quia Vulgare illud: *ex duobus malis minus eligendum esse*, non intelligitur de malis culpæ, quam ne minimam quidem eligere vnquam licet, quamvis vbi quis ad maius aliquod malum committendum obfirmatus est, fas sit illi consulere, vt quandoquidem alterum ex duobus peccatis patrare in animum induxit, contentus sit minoris sceleris admissione, & tunc non eligitur malum, etiam minus, sed diminutio mali, quæ in eo casu bonum quoddam esse censetur; sed de eo diuerbio fusiùs & commodiùs alibi.

Alterum verò illud de licita quandoque abbreuiatione vitæ de qua egimus etiam *cap.* 7. *art.* 1. *libro super allato*, nihil facit hoc casu, in quo non est dumtaxat quædam abbreuiatio vitæ, sed eius abruptio & abscissio. Si cui enim post decennium ex constitutione corporis & valetudinis morituro cædes afferretur, esset tantum illa vitæ abbreuiatio, sed simul vera & propriè dicta occisio; eadem ratione sectione de qua agimus ita matri moriturae abbreuiatur vita, vt simul verè & propriè occidatur.

Difficilius est quod obijci posset hoc casu, cædem 18
matris non esse nisi per accidens, per se enim intenditur salus æterna fœtus, est verò per accidens quod in ea salute procuranda, vnico illo quod superest remedio sectionis, mater pereat præter intentionem omninò secantis, qui solam infantis salutem intendit. Licitam verò esse nonnunquam necem Innocentis per accidens, vt in succensione nauis, euersione turris, & aliis pluribus eiusmodi casibus, in quibus Innocentes pereunt vnà cum nocentibus demonstrauimus, sæpiùs *laudato cap.* 7. *art.* 1.

Resp. Imprimis in nostro casu sectionem matris illius per se, & directam occisionem esse, ac proinde innocentis, quia non sunt duæ actiones per accidens tantum coniunctæ & separabiles; quarum vna per se intenditur, & æquè fieret, si altera non esset illi tunc connexa, & cum operans habeat ius ad vnam faciendam tunc, illamque vnam, reperitur tamen altera per accidens omninò coniuncta, & cum ad eam concomitantiam actionum nihil omninò conferat, non debet propter illam omittere actionem, ad quam tunc ius habet, immò & quam facere tenetur, vt suam v.g. vitam tueatur, vt victoriam reportet, licet contra suam intentionem cædes alicuius sequatur, vt qui fuga consulit suæ saluti, & obuium infantem proterit, qui ignem inijcit naui hostili, qui hostium turrim subuertit; in his euentibus, fugæ apperitio, incensio nauis, & subuersio turris non sunt vna eadē actio cum occisione innocentis, si qua contingat, quæque potest non contingere, ideóque cùm per accidens coniungantur istæ actiones, per accidens quoque vna sequitur ex alia, & qui vnam per se intendit, non intendit necessariò aliam, quæ ipsi neque per se, neque essentialiter connectitur. Itaque vnam dicitur per se intendere, quia illam primò, & per se vult, aliam verò nonnisi per accidens, quia per accidens tantùm sequitur ex priori, & poterat non sequi, neque propter eius consequutionem prior illa intenta fuit. At verò in hac sectione cæsarea hæc duarum actionum distinctio & separabilitas fingi nequit, quia reuerà non sunt duæ actiones, sed vna, eademque, ipsaque sectio matris eo casu est ipsamet occisio matris, & cum sectio per se intendatur, in illisque circumstantiis sit necessariò ipsamet occisio,

dici nequit sectionem esse dumtaxat matris occisionem per accidens quæ & per accidens tantùm intendatur, cùm non sint duæ actiones tunc separabiles realiter, neque etiam moraliter, cùm non possit intendi vna per se & directè sine altera, ad hoc enim non sufficit quod sector intendat sectionem, & nolit occisionem, immò doleat eam tunc cum actione coniungi, alioquin vix nunquam committetur peccatum quod semper sequetur dumtaxat per accidens; vix enim vllus est adeò perditus, vt malitiam quam videt suæ actioni coniunctam velit; vult enim bonum sensibile quod prosequitur sua illa actione cui videt connexam esse malitiam moralem, quam omninò non intendit, quamque abesse vellet, quia tamen eiusmodi malitia tunc coniuncta est inseparabiliter illi actioni. Idque videt agens, neque sunt duæ actiones, quarum vna sequatur solùm separabiliter, & per accidens, non excusatur peccans, neque dici potest intendere per se & directè solam actionem, quam ponit, & indirectè ac per accidens malitiam necessariò consequentem, quod nemo concedet, nisi omnia eiusmodi duplicis intentionis per se & per accidens distinctione vniuersa scelera excuset.

19 §. IV. Tertius exercendæ sectionis casus est, quando matris vel prolis salus per sectionem, videtur certò obtinēda, sed alterutrius exitium & interitus, vel certus, vel admodùm dubius est. Quid porrò tunc agendum fuerit, an omittenda, an celebranda sectio, non leuis controuersia est propter vulgare illud Ambrosij dictum *lib. 3. officior. cap. 9.* quod refertur etiam 14. q. 5. *c. denique* 31. *Si non potest alteri subueniri nisi alter lædatur, commodius est neutrum iuuari.* Quod si verum est in causis pecuniariis, de quibus dumtaxat agit Ambrosius eo loco, verius multò fuerit, vbi de alterius graui damno corporeo, ac vita agetur, quam vni seruare non possumus sine alterius interitu, vti contingit in nostro casu, in qua sectione cæsarea seruanda est probabiliter mater, cum interitu prolis, aut e contrario seruabitur fœtus, sed peribit mater. Quare existimarunt aliqui ex Ambrosij, vt existimant, mente omittendam tunc sectionem, & neque matri, neque proli per illam succurrendum: quod idem affirmant de pharmacis prægnanti exhibendis, si matri noceant cum bono fœtus, aut fœtui incommodent, cum vtilitate matris, tunc autem abstinendum esse à pharmacis. Quam esse communem Doctorum sententiam affirmat qui eam sequitor Lopes 1. *p. Instructur. cap.* 63. *§. si autem.* Et tenuit Ludouic. Mercat. *lib. 4. de mulier. affection. cap.* 1. quod tamen probari non debet. Cur enim cum alterum è pereuntibus iuuare potes, vtrūque perire patieris, quod deinde si obligeris vnum potius seruare quàm alterum, vtrumque deseres? quis enim neget aliquando vnum tibi coniunctum, quem omni ratione & iure seruare teneris, esse in eodem periculo cum altero, aduersus quem nullâ obligatione teneris, & vtrumque seruare non potes, sed vnum dumtaxat, cur tunc vtrumque perire sines, & illum quem seruare tenebaris destituere tuâ ope: quia alter, qui in eodem periculo cum ipso est, simul eripi nequit, frater v. g. aut parens tuus vnà cum alio tibi incognito merguntur aquis, vtrumque prehendere simul nequis & aquis educere, an-ne fratrem & parentem deseres, ne ille alius tibi incognitus sine socio pereat, quis hoc existimet? neque Ambrosij quem allegant verba id ferunt, agit enim de sacerdotibus, *qui vsu quodam de generis mercatura quæstu ignobili sollicitati, auaro æstuant corde, diebus ac noctibus inhiant in alieni detrimenta patrimonij: Vnde nascuntur aucupia quæsita hæreditatis, continentia atque grauitatis, simulatione captata, quod abhorret à proposito Christiani viri, & vt ipsis etiam qui nullum Ecclesiastici ordinis officium receperint, incongrua iudicatur affectata ambitio hæreditatis.* Monet deinde in supremo fine vitæ positos suum habere iudicium, vt liberè testentur quod sentiunt, qui posteà non sunt emendaturi, cùm honestum non sit compendia aliis vel debita, vel parata auertere, cùm Sacerdotis vel ministri sit prodesse, si fieri potest, omnibus, obesse nemini. Denique, si non potest alteri subueniri, quin alter lædatur, commodius est neutrum iuuari, quàm grauari alterum, ideóque in causis pecuniariis interuenire non est sacerdotis, in quibus non potest fieri, quin frequenter lædatur alter, qui vincitur, quoniam alter qui vincitor intercessoris beneficio se victum arbitratur. Commendat igitur Ambros. Sacerdotibus & aliis ordinis Ecclesiastici ministris, ne se condendis testamentis immisceant, & hominis in supremo fine vitæ positi, in vnum aliquem inclinent voluntatem, aut ab alio auertant; atque ita vni faueant, alterum lædant, cum sacerdotis sit omnibus prodesse & obesse nemini, & ne detur occasio existimandi illum sibi aut suis captasse hæreditatem, & vt distinguat causam pecuniariam ab aliis, addit in causa capitis nocere ei, quem iuuare debeas periclitantem, non sine peccato est graui. In causa autem pecuniæ odia quærere insipientiæ est; cum nempè nulla alia ex causa, quam pro tuo arbitrio faueas vni potiùs quàm alteri, etiamsi vt faueas ei, quem iuuare debes periclitantem; alteri noceas, non peccas; immò si omittas fauere & iuuare, grauem culpam admittis ex ipsomet Ambrosio. Quare quod paulò superiùs dixerat commodiùs esse neutrum iuuare, quàm alterum lædere, ita explicat Glossa *in citatum cap.* deinde 14. *q.* 5. si alter ille per iniuriam lædatur, idemque habet Archidiac. & Turrecremata *ibid.* debet igitur qui lædi dicitur pati aliquam iniuriam in eiusmodi rem, quâ tuo consilio vel auxilio priuatur, aut vt eo casu iuuetur à te, vel ne alterum contra se iuues, alioquin non læditur si potiùs alteri quàm ipsi succurras. Nihil igitur habemus ex Ambrosio, quod persuadeat sectionem cæsaream esse omittendam, vbi vel matri, vel proli nocitura est, etiamsi alteri ipsorum profutura sit. Quare, vbi de duobus periclitantibus iuuandis agitur, neque vtrique simul succurri potest, non sunt ambo deserendi, ne vno nostra opera incolumi, alter deseratur, & in eo periculo pereat, sed videndum cuinam potiùs è duobus ex obligatione subueniendum sit, atque in hoc casu sectionis succurrendum, ne sit potiùs matri, cui sectio proderit, quàm fœtui cui oberit; an verò fœtui cui proderit, quæque matrem perimet.

Et quidem matri potiùs subueniendum, quàm proli 20
in eo discrimine, in quo alterutri pereundum est, censent illi omnes, qui ad vitam matris tuendam, perimi posse intra eius viscera fœtum sine medicamentis, vt sic eijciatur, siue ipsa obtritione, & peremptione, si saluâ matre educi nequeat, quod suadēt Nicolaus Rocherus *lib. de morb. mulier. curand. c.* 28. *sub fin.* Roderic. à Castro, *lib. 4. de mulier. c.* 3. affertque Aëtium Mosch. & Auicen. Vide & Maxim. *lib. 1. de vena sect. in morbis acutis c.* 15. Theodor. Priscian. *in opere Gynececorum*, ait sæpiùs expedire prægnantibus in vitæ discrimine constitutis, vnius partus sæpè iactura salutem mercari certissimam: sicut arboribus arescentium ramorum abcissio, & naues pressæ onere, cùm graui tempestate iactantur, solum habent ex damno remedium. His medicis accersendi sunt Doctores, qui fatentur fas esse matri grauidæ, cui mors à fœtu imminet, illum tanquam matri suæ insidiantem quocumque remedio abijcere, nempè per potionem aut alio modo, v. g. sectionem, eductionē cruentam, & obtritionem; quamuis deinde quoad potionis & medicamenti exhibitionem,

tionem, alij velint non esse vsurpandam, nisi quatenùs est sanatiua matris, & non tendit per se ad fœtus interfectionem & abiectionem: vnde distinguunt inter directam intentionem, & indirectam extinctiunem fœtus inde sequutam per se, vel per accidens, prægnantem medicamenta ad solam sui curationem facientia sumentem, & alios videlicet medicos, chirurgos, & obstetrices illa exhibentes, hos enim accusant & matrem excusant, sed de his medicamentis alibi dictum, & iterùm inferius aliquid *sequenti Corollario*. Nunc ago de ipsa sectione cæsarea matri grauidæ profutura, & fœtui nocitura, quàm licitè exerceri posse, affirmant sine dubio, quicumque ad vitam matris tuendam permittunt aliquo remedio perimi infantem, qui educi ex materna aluo non potest, in ea perimi & conteri, vt vel per frustilla, vel eijciatur vi naturæ, vel per crudelem lanienam extrahatur, quod allati medici laudant, neque ab eorum sensu videtur admodum abesse Tertullian. *lib. de Anima cap.* 26. dum necessitate crudelitatem illam & scelus infanticidij excusat, *At quin*, inquit, *& in ipso adhuc vtero infãs trucidatur necessariâ crudelitate, quum in exitu obliquatus denegat partum matricida vi moriturus. Itaque & inter arma medicorum, & organa est, quo prius patescere secreta coguntur tortili temperamento, cum annulo cultrato, quo intus membra caeduntur anxio arbitrio cum hebeto vnco, quo totum pecus adtrahitur violento puerperio. Est etiam aeneum spiculum, quo iugulatio ipsa dirigitur caeco latrocinio ἐμβρυοσφάκτην appellant de infanticidij officio, vtique viuentis infantis peremptorium. Hoc & Hippocrates habuit, & Asclepiades, & Erasistratus, & maiorum quoque prosector Herophilus, & mitior ipse Soranus, certi animal esse conceptum, atque ita miserati infœlicissima huius infantia, vt prius occidatur, ne viua lanietur.* De hoc æneo spicato, & eius vsu adi Celsum *lib. 7. cap. 2.* vsus autem iste medicinalis fuit ad educendos fœtus maximè mortuos, videtur fuisse ὄνυξ siue πίεστρον dictum ab Hippocrat. *lib. de superfœtat.* & *lib. περὶ γυναικείων*, quod Galenus ἐμβρυοθλάστην exponit. Cæterùm non mihi videtur Tertullian. hoc infanticidium quod describit & in vsu fuisse, etiam antiquissimis medicis affirmat probasse, sed ex eo tantùm validè contra Platonicos, Stoicos, atque aliquos medicos arguit Infantem ante partum, & intra maternum aluum suam & vitam & animam habere. Neque illam effuso iam partu, nondum viuo infanti extrinsecùs imprimi, vti nuper referebamus, quod falsum ex eo demonstratur; quod infans in ipso adhuc vtero trucidatur ab ipsismet medicis, qui ad necessariam illam crudelitatem, inter sua arma & organa habent vncos annulatos, cultros & spicula ænea ad hoc infanticidij officium. Viuit igitur fœtus, quem trucidant: non disputat verò Tertullian. benè an malè faciant medici, dum hoc infanticidium perpetrant; vocat quidem necessariam crudelitatem, quia hanc vnam necessitatem suæ crudelitati & sceleri, vt etiam appellat, prætexebant. Quid verò tandem in hac nobili controuersia sentiendum sit, aperiam.

21 Eius definitio mihi pendere videtur ex illa alia, an liceat propriam vitam cum damno ex nece alterius, qui illam iniustè inuadit, tueri. An verò modò liceat eiusmodi inculpatam, alioquin defensionem omittere, sed etiam ad eam omittendam aliquando teneamur ex charitate, vel quapiam aliâ virtute, & causâ ad id obligante, *de qua controuersia* 22. *disputatione*, & *de charitat.* & *disputat. de iustitia*, atque etiam nuper *in tractatione de vniuersa rerum humanarum negotiatione lib.*... 6. 7. *art.* 5. *n.* 13. & *maximè n.* 57. Vbi de moderamine inculpatæ tutelæ egimus: ex quibus omnibus dico fas quidem esse Innocenti tueri vitam suam cum damno & nece iniusti inuasoris seruato moderamine inculpatæ tutelæ, vbi explicuimus *art. citato*, quamvis ad eam defensionem non semper obligemur, immò & quandoque illam ea charitate, aliave virtute teneamur omittere, alioquin peccamus non quidem contra iustitiam, sed contra charitatem, aliamve virtutem tunc ad eam defensionem omittendam, & non inferendum damnum, vel necem alteri, licet iniustè aut saltem non iustè nos nostraque inuadenti obligantem. Cuius assertionis, & communis doctrinæ singulæ partes explicatæ, & confirmatæ locis allatis à nobis fuerunt: Quare vt certæ a nobis supponi debent, ex ea porrò communiori doctrina facilè fuerit controuersiam quam versamus definire.

Dico igitur primò, matrem grauidam cui ad vitam tuendam necessaria est sectio cæsarea cum aliter parere nequeat, & ex illa partus retentione moritura certò sit, quantum coniectura possunt assequi medici, posse eam sectionem & pati & vrgere; quamvis eadem probabilitate fœtus sit extinguendus; neque tamen peccabit contra iustitiam mater, aut chirurgi alijve qui sectionem exercebunt aut consulent, neque tamquam iniusti infanticidæ habendi erunt. 22

Hæc assertio probatur ex iure quod quisque habet seruandi suam vitam aduersus iniustum illius inuasorem, aut etiam non iustum, & qui sine culpa ponit huic conseruationi obicem, nulla alia ratione euitabilem, quam iniustè inuadentis vel non iustè ponentis obicem, quamvis sine culpa, damno aut nece quod probatum locis citatis supponimus, seruato tamen moderamine inculpatæ tutelæ, & ostenditur exemplo illius, qui ab insano impetitur, neque aliter seruare se potest quam inuasoris cæde; illum enim non peccaturum tradit Corduba *lib.* 1. *q.* 38. §. *sed vt semel* Petrus Nauarr. *lib.* 1. *de restitut. cap.* 3. *n.* 347. Sayr. *in claui lib.* 7. *cap.* 10. *n.* 23. & alij passim. Qui præcipiti fuga consolit vitæ suæ, alioquin ab hoste qui illum stricto gladio prosequitur confodiendus, & obuium infantem obstantem, proterit, cum aliter exire & mortem vitare nequeat, non peccat contra iustitiam, neque reus homicidij est ex Lessio *lib.* 2. *cap.* 9. *n.* 39. Corduba *l. c.* Caietan. *in* 22. *q.* 67. *art.* 3. & tamen insanus inuasor atque obuius infans vacant omni culpa cædis. Quia ita inuasus aut impeditus non tenetur amittere vitam suam eo casu, vt seruet alienam eius, à quo iniustè vel non iustè impetitur. Atqui fœtus in nostro isto casu vitam matris inuadit, & impetit, neque illam mater tueri vlla ratione potest, quàm illum repellendo, & si non superfit alia via, eum perimendo: non peccabit igitur mater contra iustitiam, cum & vtatur suo iure, & fœtui nullam faciat iniuriam, quæ necessariò supponit violationem iuris alieni, quale ius nullum habet fœtus in vitam matris, quæ illam obliget perdendi propriam suam, ne fœtus suam amittat. Neque distinguendum est inter modos aut instrumenta quibus mater sese tuetur aduersus inuadentem fœtum, & illum à se repellit, siue id ferro siue medicamentis fiat, siue inedia, siue suffocatione, siue quo alio modo, cum reuera pereat infans, sine matris & aliorum qui matri cooperantur iniustitia: nihil etiam facit hoc loco directa & indirecta intentio creandi interitus proli. Quia cum habeamus ex 1. 2. & dicemus iterum hoc opere, intentio indirecta malitiæ præuisæ in actu faciendo sufficiat ad peccatum. Indirecta quoque intentio præuisi infanticidij sufficeret ad peccatum in matre, & aliis illi infanticidio etiam indirectè cooperantibus, & quoties actio indirectè violata mala non est & peccatum, neque etiam mala erit si directè intendatur. Nam idcircò actio aliqua indirectè volita mala est, quia in illa actione est malitia, eaque præuisa, & præcognita, 23

&

& tamen quis vult illam ipsam actionem propter aliquem alium finem etiam bonum, censetur enim velle quoque indirectè & interpretatiuè malitiam quam videt inesse illi actioni, & cum ea in talibus circumstantiis necessariò connexam, licet non tendat in malitiam quam inesse dolet, & quam vellet omninò abesse. Quare qui præuidet, ex sectione vel medicamento matris necandum fœtum, æquè se habet siue directè siue indirectè intendat necem fœtus, & æquè peccabit in sumendo illo remedio, siue directè siue indirectè eam necem intendat quia non sola intentio directa requiritur ad peccandum, cum indirecta sufficiat, ac proinde intentio indirecta fœtus necandi per tale remedium non excusabit à peccato, quod æquè committitur, atque si directè intenderetur eiusmodi. Neque quis cùm iustè operatur, prohibetur directè intendere actum suum, & omnia illius adiuncta; si enim aliqua sunt maleficia, & peccaminosa, æquè inficient actum si indirectè tantùm intendantur, atque si directè intenderentur: nihilominus

23 Dico secundò, matrem prægnantem obligari ex charitate abstinere à sectione, & omni alio remedio, quamvis sibi vtili ex quo præuidet fœtus cui baptismus ministrari nequibit interitum æternum per se & necessariò in illis circumstantiis secuturum, neque intentione indirecta illius infœlicis exitus excusabitur. Eadem porrò lege tenentur medici, chirurgi, obstetrices & alij qui prægnanti ministrant.

Hæc assertio est contra Emanuëlem *s. v. charitas n. 4.* vbi nostram sententiam à nemine teneri significat, eam tamen fateri debent, quotquot affirmant matrem non posse sumere remedia ad suã curationem, si ex iis præuideat sequi mortem prolis baptismo cariturae: quod enim de non adhibendis remediis, de non adhibenda quoque sectione in iisdem prorsus circumstantiis, æquè fateri debent, si consequenter loqui velint, illud autem primum quamplurimi inte contendunt, vt videbis apud Theophil. *de ortu infantium cap. 7. n. 21.* Et si qui aliter sentiunt, intelligendi sunt de obligatione ex iustitia, quod vnum eorum argumenta probant ducta ex iure quo quisque pollet in suam vitam aduersus inuasorem: & iidem DD. deinde vbi agitur de vita spirituali fœtus alioquin amittenda negant vsurpari talia remedia, neque nos alio sensu loquuti sumus, *tractat. de vniuersa rerum human. negotiat. lib. 6. cap. 7. art. 1. n. 12. & 13.* Manet porrò probata nostra sententia, ex paulo antè assertis de ordine charitatis de quo disputauimus olim cum S. Thoma. *2. 2. q. 26. art. 5.* Salutem spiritualem proximi in extrema necessitate constitutam præferendam esse saluti nostræ corporeæ: in hoc verò caso fœtus est in extrema necessitate spirituali, cum absque baptismo qui illi nulla humana arte ministrari poterit, sit æternùm periturus: potestque mater abstinẽdo à sectione, aliove remedio, ad vitam propriam corpoream sibi vtili, baptismum, atqueadeò salutem fœtui procurare. Illo igitur remedio debet ex charitate abstinere, & vitam suam certo periculo exponere, quamvis abijciendo curam vitæ fœtus tum temporalis tum spiritualis, cum hæc necessariò pendeat ex priori, cum eoque damno prolis sibi consulens non peccet contra iustitiam, vti priori assertione constituimus, peccabit tamen grauiter contra charitatem, quæ tunc matrem obligabit ad præferendam vitam spiritualem prolis suæ corporali.

24 Quæ verò in contrarium opponi possent, pugnant solum contra commune placitum de obligatione præferendæ vitæ spiritualis proximi, nostræ corporeæ, & discussa sunt *2. 2. loco citato*: atque iterùm expendentur hoc opere *tom. 2.* commodius, moneo dumtaxat illam spiritualem proximi necessitatem debere esse extremam, hoc est talem, vt illi non possit occurri nisi nostro periculo, & propriæ perditione, qualis non est necessitas iniusti inuasoris, quem occidi posse aliqui negarunt, quia est in peccato mortali, & ideò si tunc occidatur, æternùm peribit; illa enim necessitas est voluntaria à qua ipse se expedire potuit, & adhuc potest cum diuina gratia, vt loco citato dicemus: at verò infans in nostro casu laborat extrema necessitate spirituali à qua neque ipse se expedire potest, neque ab vllo alio per baptismum, qui solum est illi remedium salutis, illumque recipere nequit si in matris vtero vel sectione, vel pharmacis occidatur, quamvis inde sananda sit mater sed cum fœtus interitu temporali & æterno: illis igitur remediis eo casu tenetur abstinere.

Neque dicas matrem non teneri exponere periculo 25
salutem propriam spiritualem ad seruandam salutem spiritualem fœtus, id enim non fert ordo charitatis, illud tamen faceret mater quæ abstinendo remedio fœtui nociuo, periret. Incerta enim est, an sit in gratia, an verò in statu peccati mortalis. Nam non requiritur omnimoda certitudo status gratiæ, quæ citra reuelationem haberi nequit, sufficit moralis certitudo ex coniectura, propter non remordentem conscientiam, & adhibita solita remedia quibus gratia obtinetur, qua licuit diligentia, alioquin iniustè inuasus teneretur se defendere, ne occideretur, quam tamen defensionis omissionem non modo Doctores non imperant, sed laudant, & nunquam liceret pro alterius salute etiam spirituali tuenda, aut procuranda, vitæ discrimen adire, cum nunquam certi simus de statu gratiæ, ideoque temerarij prorsus essemus, qui vitam non modo corpoream, sed etiam salutem æternam obiiceremus periculo pro salute spirituali alterius.

Maneat igitur si fœtus superesse non potest neque 26
baptismum consequi matre vtente aliquo remedio siue positiuo siue negatiuo, illo omninò matrem abstinere debere non quidem ex iustitia sed ex charitate, licet non vsurpato eiusmodi remedio certissimum vitæ discrimen subeat.

Moneo tamen hanc obligationem non esse quando pereunte matre, certò quoque pereundum erit fœtui, neque nisi salua matre seruari possit: v. g. si instantem leonem à quo discerpenda est, fugiat, præuideatque fœtus interitum sine baptismo, fugere poterit, quia si voretur à leone non saluabitur fœtus, & inutiliter suam vitam prodigeret, sine commodo fœtus, quod alioquin vitæ propriæ dispendio curare teneretur.

Addidi intentionem tantum indirectam, & per ac- 27
cidens interitus æterni prolis non excusare in nostro casu, quia iam ostendi eiusmodi intentionem sufficere ad peccatum.

Iam verò ministros quoque prægnantis, qui medi- 28
camentum aut sectionem illi exhibebunt, cum præuisione & probabili coniectura futuri interitus prolis, peccaturos æque ac matrem contra charitatem perspicuum est, quia illi & moraliter & physicè in illud peccatum concurrunt, & ad seruandam matrem fœtum occidunt æquè suis remediis, atque inuasor qui gladio perimit.

Dico tertiò, quoties sectio necessaria est ad fœtus 29
exitum intra vterum vitandum adhibendam omninò esse, quamvis exitialis matri futura sit.

Hæc assertio sequitur ex superiori; si enim prægnans 30
tenetur ex charitate omittere sectionem vitæ suæ conseruandæ necessariam, si fœtus interitus ex illa secuturus sit, debebit ex eadem lege charitatis pati, quoties ea ad fœtus vitam conseruandam necessaria

prudenter

prudenter censebitur, licet ipsa discrimen incurrat ex eiusmodi sectionis omissione, cum in vtroque casu eadem charitatis ratio vrgeat vt vides.

§. V. Quartus casus in quo dubitatur an vsurpanda sit sectio matris, peti potest ex necessitate extrinseca quæ aliquando postulat hoc remedium adhiberi :
30 primò quia plurimum interest boni communis fœtum haurire lucem, & tamen partus naturalis prorsus desperatur: secundò quia mater morti quam commerita est, dedenda est, neque grauibus ex causis licet expectare moram, & tempus quod partus naturalis postularet : tertiò, quia quamvis ex expectatione partus naturalis nullum grande malum timeatur, cum tamen mater nocens sit plectendaque vltimo supplicio, cur non secabitur ad educendum fœtum, ne simul cum illa intereat, an verò sit necessariò partus naturalis expectandus eiusque tempus: quandoquidem ex ea mora, & retardatione supplicij nullum graue malum timetur, ad hos omnes casus paucis vnicâ distinctione respondeo.

31 Dico igitur primò. Nullo ex istis casibus fas esse matrem prægnantem innocentem secare ad educendum fœtum, si illa sectio matri futura est lethalis contra Varandæum *lib. 2. de morb. mulier. cap. 7.* Idque factitatum iussu Henrici VIII. Angli in ipsamet Regigina Ioanna Seimer, cui extractus per sectionem est Eduardus, qui postea regnauit eius nominis VI. dubitantibus enim medicis de fœlice sectionis euentu, respondit Henricus, sat sibi vxorum fore, non item liberorum marium qualem gestare reginam existimabat, vti narrat Florimond. Raymond. *lib. 6. histor. hæres. cap. 4. n. 2.* Verùm si sectio reginæ lethalis existimabatur, mala fuit ea sectio, & inique vsurpata. Ratio manifesta est, quia illa sectio, vti superius ostendimus esset directa, & per se occisio Innocentis, quam nunquam licitam esse, cuiusque boni siue publici, siue priuati, siue temporalis, siue spiritualis prætextu, nuper monuimus, quia intrinsecè mala est, neque vlla ex causa potest honestari : si verò sectio ista perpensis omnibus non existimetur futura lethalis, & partus naturalis nulla supersit spes, cum tamen boni communis plurium intersit fœtum illum edi, poterit secari mater, immò ea obligabitur eam sectionem pati ex charitate proli debita, cuius alioquin æterna salus deposita, vti diximus *§. superiori* : in hoc verò nostro casu, in quo pereunte intra viscera fœtu periclitatur bonum commune, sectio omninò adhibenda est ex obligatione iustitiæ, quæ obligat cum suo dispendio bono communi consulere.

32 Dico secundò matrem noxiam & capite damnatam posse secari ad educendum fœtum superstitem, quamvis eiusmodi lethalis futura sit matri, cuius tunc non erat habenda ratio, sed prolis, hoc est, non laborandum, an eâ sectione mater damnata, sit interitura, sed vtrum illa profutura sit proli : nam si per sectionem peritura sit, non erit vsurpanda sectio, quæ esset fœtus Innocentis occisio, licet partus naturalis desperetur, & ex diuturniori vita matris impendeant plurima, eáque grauia mala ; immò neque licebit matrem & noxiam damnatam alia via perimere ante partum, si simul cum illa fœtus sit necessariò intra eius viscera extinguendus ; esset enim quoque tunc Innocentis occisio. Quare neque sectio vt diximus adhibenda erit, si fœtum occisura sit, vt quia nondum est maturus, quod expendere, sicut & alias circunstantias debebunt medici, nedum matrem damnatam supplicio afficiunt, fœtum Innocentem trucident. Addo quoties sperari iure potest partus naturalis, illum expectandum esse, neque secandam esse matrem etiam noxiam ad eximendum fœtum, cui semper opportunior erit partus naturalis quàm præproperus. Quare ipsa iura iubent noxiarum grauidarum partum expectandum antequam perimantur, vt ab ipsis quoque tyrannis factitatum legimus aduersus S. Fœlicitatem 17. *Martij in Martyrol. Rom.* & aduersus S. Eutychiam ex actis SS. Agopes Chir. & Irenes: sanè *l. prægnantis 3. D. de pœnis.* vult differendam esse pœnam prægnantis, donec pariat. Imperator quoque Adrianus Publicio Marcello, vel vt legi mauult Cortasius Vlpio Marcello celebratissimo Iurisconsulto, qui Adriani ætate florebat, rescribens testatur solitum esse apud Romanos prægnantem damnatam vltimo supplicio seruari, donec partum ederet *l. 18. ff. de statu hominum*: ea verò dilatio supplicij non conceditur fauore matris, sed partus beneficio, ne Innocens fœtus opprimatur : Nam & impunitum nocentis facinus omnino relinquere satius est, quàm Innocentem offendere, *l. absentem 5. D. de pœnis.* laudat Romanam legem hac in parte Clem. Alexandrin. *lib. 2. stromat.* quam ipsos hausisse à Græcis ait Plutarch. *lib de sera numinis vindicta.* Græci verò sumpserant ab Ægyptiis, vt ibidem ait Plutarch. & Diodor. Siculus *lib. 2.* vbi de legibus, quas ab Ægyptiis mutuati sunt Athenienses, agit, huiusque hanc rationem reddit. Mulierum morti destinatarum si prægnantes essent, partus expectabatur, quod iniquum esset, eum qui nihil commisisset, vnà cum facinoroso pœnam pati, aut duos plecti, cùm vnus deliquisset ; cúmque eo, qui spontè peccasset, criminis vacuum puniri : insuper cum sola peccasset mater, minimè æquum censebant, filium patri matrique communem luere maternam pœnam. Phil. *lib. de charit.* ait ex Iudaïca lege vetari, ne grauida pecus in sacrificium mactaretur : Verùm de hac dilatione supplicij matris prægnantis ad partum vsque, vide Sebast. Medicem *tr. de morte.* Couarru. *lib. 4. Variar. c. 4.* Benedic. *in caput Raynutius de testamentis v. & sobolem n. 9. & 60.*

Hinc colliges, an mater grauida noxia adiudicari 33
posset medicis & chirurgis, vt ex eius dissectione notitiam iuuandi grauidas comparare valeant, sapientérque respondet Theophil. *opere citato cap. 12. n. 11.* hanc causam non videri sufficientem, cùm eam notitiam aliunde quàm ex viuentis sectione comparare possint, & fœtus Innocentis occisio iure timenda sit.

Denique ex disputatis facilè compones dissiden- 34
tes sententias circa sectionem matris supplicio damnatæ. Illam enim nullo casu licitam vult Comitol. *lib. 1. Respons. q. 14.* Affertque Antoninum, Paludan. Gabriel. Fumum, Victoriam, Sotum : quibus accedunt Henriq. *lib. 2. cap. 21. n. 5.* & alij apud Bonacin. *de sacram. disp. 2. punct. 6. n.* 10. Contrarium verò censent Suar. *3. par. ad q. 68. art. 11.* Konink. *ibid.* Diana *2. p. tract. 1. Miscella resolut. 44.* Layman. *de baptis. cap. 2.* Filliu. *eod. tract. n. 139.* Quæ sententiæ non dissentiunt, vbi enim fœtui lethalis erit sectio, abstinendum erit ab ea, quamvis mater damnata sit, vbi verò non fuerit lethalis fœtui, si vel partus naturalis desperetur, vel grauissima aliqua causa externa vrgeat, permitti poterit, seruato incolumi fœtu : vulgò tamen expectandus erit partus naturalis, antequam de vltimo supplicio grauida mater afficiatur.

§. VI. Dubitatur, an matris viuentis mortuo fœtu 35
sectio licita sit, & quidem fœtum aliquando matre superstite immori vtero materno, siue ex causa extrinseca, vt contigit Marciæ, quæ inquit Plini. *lib. 2. cap. 51.* princeps Romanorum, icta grauida nimirùm fulmine, partu exanimato, ipsa citra vllum aliud incommodum vixit, siue à causis ipsi vtero intrinsecis ; sæpè enim Neapoli & in Flandria Belgica gigni in locis muliebribus bestiolas, quæ sobolem exugant, &

arrodant

attodant testatur Ludouic. Viues. *lib. 5. de anima §. de generatione*, cuius rei causas inquirit: mulier Cracouiensis *an.* 1494. fudisse infantem à serpente ipsi adnatum erosum narrat Licosthen. *de fœtibus intra uterum extinctis.* plura habet Theophil. *cap.* 13. *de ortu infantium contra naturam*, & Zacutus *lib.* 3. *historiar. princip. medicor. in commen. histor.* 17. & *in praxi histo. lib.* 3. *cap.* 17. quo loco has causas naturales interitus fœtus nondum ediri paucis enumerat, alimenti inopiam, eius malitiam, plethoricam dispositionem, ob quam ptæ multitudine sanguinis suffocatur, aut saluris acetabulis ictu, saltu, tussi, sternuramento, vel humiditate nimia laxatis ex epoto phatmaco, quod validè menses pronocet, sanguinis missione nimia, prægresso morbo ardenti, qui vires attriuit, & sanguinem comminuit, vel ob partus difficultatem: diu enim in osculo vteri detentus, obruitur, & suffocatur. Ita ille, vbi etiam signa, & præsagia huius calamitatis refert, de signis etiam agit Paræus *lib.* 24. *cap.* 31. An verò hoc casu sit licita matris sectio hic statuendum censeo.

36 Dico primò illam licitam esse, vbi constiterit de morte fœtus, & probabile est matrem vi sectionis non perituram, sed infœlici pondere leuandam, eo siquidem casu solius matris habenda ratio fuerit, cùm eius fœtum extinctum esse constet, cui proinde nihil ampliùs prospiciendum est. Quare omnia quæ licitam ostendebant sectionem viuente adhuc fœtu per illam extrahendo, cuius vitæ timeri poterat, tum à sectione, tum ab eius omissione, multò magis probant eandem esse licitam mortuo fœtu, quia in priori casu potissima ratio conseruandi fœtui habenda erit, vnde, & aliquando mater etiam cum suo periculo eam pati, lege charitatis obligabatur: hic verò sola matris salus attendenda est non fœtus, quem iam periisse volumus.

Dico tamen secundò eam sectionem non esse necessariam, nullàque lege teneri matrem ad eam subeundam, cùm non teneatur vti mediis superiùs, vt propriæ charitatis, & vitæ suæ conseruandæ causâ quodlibet remedium dirum & ferox adhibere, & possit malle incommoda quæ patitur, diotiùs sustinere, & vitam exponere periculo præpropetæ mortis, & diuturni morbi; non obligatur etiam charitatis aduersus infantem iam mortuum lege. Deinde solum & vnicum remedium iuuandi matrem, & excludendi fœtum mortuum non est sectio, quam etiam rarius hoc casu adhiberi, notauit Sennertus *lib.* 4. *part.* 2. *sect.* 6. *cap.* 6. Nam & arte chirurgica educi, & variis medicamentis propelli poterit. Præsidia dabit Zacutus *l. c.* Paræus *lib. de homin. generat. cap.* 26. & *lib.* 25. *cap.* 16. Albucasis *lib.* 2. *methodi medic. cap.* 76. & 77. Langius *lib.* 2. *epist. medic. epist.* 39. Moschius *cap.* 16. *Excerptorum.* Iacobus Ruffus *lib.* 5. *de muliebr. cap.* 6. Cognatus *lib.* 4. *Variar. obseruat. cap.* 9. & alij, qui omnes plura referunt exempla earum, quæ aliter quàm per sectionem, fœtu mortuo leuatæ sunt. Quem etiam aliquando viis omninò insolitis protrudit natura. Plini. *lib.* 20. *cap.* 8. narrat cichorium adeò mulierum purgationibus decoctum in aqua prodesse, vt emortuos partus trahat, & *e.g.* de Brassica; crudus quidem caolis si mandatur partus quoque emortuos pellit; & de eruca ex vino dulci epota: idem dicit *c.* 13. ex Hippocrate, vide & eiusdem *libri* 20. *caput* 54. & 21. & *lib.* 21. *cap.* 20. & 21. & *lib.* 22. *cap.* 21. Cùm igitur tot alia suppetunt remedia aduersus hanc calamitatem, nihil cur infœlicem matrem ad crudelem sectionem ferendam adigamus.

Dico tertiò, si constet cum fœtu mortuo alium supeṙesse viuùm in vtero, cuius partus naturalis desperetur, & mater non iudicetur impar sectioni, neque vi eius interitura, sed fœtus superstitis fœlix eductio, non modò licita erit, sed etiam necessaria sectio, quam mater lege charitatis pati obligabitur. Hæc assertio certa manet ex §. 3. *n.* 13. cum in vtroque casu rationes eædem demonstrent licitum & necessarium sectionis vsum, & æquè vita fœtus coniuncti cum ipso educto mortuo seruanda sit, atque si solitarius esset, siue eodem conceptu, siue diuersis geniti fuerint, immò in hoc duplicis fœtus, quorum vnus iam interiit magis necessaria, & celerius properanda est sectio, cum periculum sit, ne putrefacto socio in eadem aluo, ipse quoque rabescat, & pluribus causis extinguatur, antequam partu naturali effundatur. Tota itaque difficultas est solùm in suppositione gemini fœtus simultanei, siue ex superfœtatione, siue ea quacumque alia causa, quorum vnus intereat, altero superstite, qui aliquando naturali partu fœliciter in lucem prodeat, alias partu contra naturam extrahi per sectionem & excisionem vteri materni educendus sit: verùm non pauca huius rei exempla habemus, itavt quondam vopiscos appellarent è geminis, qui retenti vtero nascerentur, altero intererempto abortu. Namque maxima, & rara circa hoc miracula existunt, inquit Plini. *lib.* 7. *cap.* 10. qui & *cap.* 11. exempla quædam affert: similia habet Solin. *cap.* 1. & Probus *de nominum ratione* Valerio Maximo adnexus, & extremo opere opiscum dictum voluit aliqui, quasi ὀπίσω, quod alterum pone sequatur abortu eiectum, Vossius deducit ex vi apiscēdi, quia vigore virtuteque naturæ fit, vt post vnius abortum, alterum mater fœtum apiscatur, vel ab Dorico ὤψις, siue Eteolico τόψις, quæ κοινῶς ὄψις, ita dicunt ἀναιζοντες, ὑπὸ τῆ ὀπίζειν αὐτὴν τάς τικτούσας: sicut igitur à Syrus Syriscus, ita à Vopis Vopiscus, tanquam qui fauore Dianæ ἀνοπίζουσα vitalis permanserit.

Consectarium X.

Quæstiones de Iudicibus, Aduocatis, & militibus.

§. I. Disputant DD. quam opinionem in iudiciis sequi debeant iudex & aduocatus, an probabiliorem, quàm quæstiooem nos fusiùs tractauimus *tract. de vniuersa rerum humanarum negotiatione lib* 6. de iudice quidem *cap.* 3. *art.* 3. *à n.* 7. *ad* 14. de Aduocatis verò *art.* 9. *n.* 25. & 29. vide etiam Bossium *de conscientia probabili* §. 27. 28. & 29. Ferdin. à Castro *tract.* 1. *disp.* 2. *punct.* 10. & 11. atque alios.

Potest igitur iudex ex opinionibus æquè probabilibus in iuris aut legis alicuius interpretatione, quam libuerit amplecti, & modò vnam modò aliā, si scandalum & nota leuitatis absit, sicut ex duobus æquè dignis ad dignitatem quem volueris eligere tibi licet: Cùm enim sit vtriusque æquale ius, neutri facies iniuriam. Quando verò altera opinio probabilior est, eām iudex sequi tenetur. Quia idcircò iudex constituitur à republica vt litem dirimat, prout ipsi magis rationi consonum videbitur, & esset aliqua personarum acceptio, cùm alteri litem adiudicet nullo causæ merito: si tamen opinio quæ iudici minus probabilis videtur, esset magis frequentiori vsu recepta, quamque sequuturus sit superior, ad quem prouocabitur, poterit illam commonem quamvis minus probabilem sequi, quia & frustra probabiliorem sibi visam sequeretur, & probrosum illi foret suam sententiam à superiore rescindi. Denique tantùm iudicare debet ex allegatis & probatis, non autem sequi opinionem quæ probabilior esset,

esset, si quidpiam aliud allegatum fuisset quod allegari poterat, neque debet, quod allegandum esset alteri parti suggerere & indicare, quo eius ius rueatur, hoc enim ad patronum non ad iudicem spectat. Ita sapienter Vasq. 1. 2. *disp. 6. cap. 2.* Sanch. *lib. 1. in decalog. cap. 9.* & alij, quæ omnia de opinionibus circa ius intelligenda sunt, non autem de opinionibus circa factum: si enim sunt æquales probationes facti, debebit diuidi lis ex æquo, vti diximus.

2 §. II. Patronus si opiniones sint æquè probabiles, potest quam libuerit partem tueri, dummodò suo Clienti ius suæ causæ aperiat, & non certius illi promittat Victoriam quàm debeat, alioquin si affirmet certum esse ius, cùm sciat esse tantùm probabile, & cliens cognito causæ dubio non esset litigaturus, tenetur ad damnum inde sequutum. Cum eadem quoque limitatione poterit tueri causam sui Clientis, & si minùs probabilem iam iudicet, modò non tam parùm habeat probabilitatis, vt in eam vel tarò, vel certe nunquam iudices inclinent. Ratio aperta est, quia Patroni non est causam definire, sed tantùm quæ iuri sui Clientis fauent, afferre & expendere, & an litigans iustè litigare posset, neque propter maiorem probabilitatem contrariæ partis teneatur cedere, neque velit, & si sciret se condemnandum, poterit Aduocatus illi patrocinari; Ita Vasq. Sanch. & alij. Vide quæ *l. c.* adduximus.

3 §. III. Quænam debeat esse opinio de iustitia belli, vt illud princeps indicat, & an probabiliorem sequi debeat definiuimus olim in 2a. disputantes de charitate, & dicemus fusiùs *tom. 2.* nostræ huius scientiæ, atque opere de vsu artium, vbi de arte militari. Quare hoc loco ne digredi longiùs videamur, eâ implexâ quæstione abstinemus.

4 Moneo dumtaxat milites principi suo subditos teneri ad bellum vocatos obedire, quamdiu ipsis non constat de euidenti iniustitia belli, vti probabiliter existiment illud esse iniustum, quia vti diximus *consectario* 1. tenetur subditus parere legitimo superiori imperanti opus probabiliter bonum. Neque tenetur Princeps aperire subditis rationes, quibus mouetur. Ita Vasq. Sanch. *lib. 6. in decalog. cap. 3. n. 15.* Victoria *relectione de iure belli Hispanor. in Barbaros num. 30. & 31.* de his omnibus nus suo loco differemus hoc opere.

CONSECTARIVM XI.

An teneamur in articulo mortis sequi probabiliorem & tutiorem opinionem.

1 Existimant aliqui nos quidem sequi posse, dum valemus opinionem tutam, & probabilem, etiam relictâ probabiliori cognitâ, id tamen nefas esse volunt in articulo mortis, ne salutem extremo discrimini imprudenter exponamus. Ita nonnulli apud Dianam 1. *par. tract. 13. resolut. 9.* idem volunt omninò qui existimant, posse quidem impendi absolutionem pœnitenti duntaxat attrito, & tamen in articulo mortis habendam esse contritionem, neque sufficere cognitam attritionem, quos adduximus *Consectario 4. regula 5.* Non licebit igitur sequi minus probabilem opinionem in articulo mortis, quam extra illud momentum sequi fas esset. Estque ratio euidens ex disputatis *4. superiori* diximus enim per se quidem licitum esse ex duabus opinionibus probabilibus eligere quam libuerit, quamvis minùs probabilem, attento dumtaxat periculo peccandi, quod nullum tunc est, si vtraque opinio probabilis existat, vti demonstrauimus. At verò ratione alicuius alterius virtutis, vel præcepti tunc obligantis v.g. charitatis, aut iustitiæ, teneri nos nonnunquam sequi probabiliorem sententiam, & tunc maior aut minor probabilitas non sumitur penes peccatum vitandum, cum vtraque opinio illud vitet, sed circa quidpiam aliud, v.g. charitatis obligationem aut iustitiæ: at verò in articulo mortis tenemur tum nostræ tum proximi saluti consulere, quod non præstamus, nisi sequendo sententiam probabiliorem: quare tandem Ioann. Sanci. *disp. 19. select. numero 8.* fatetur sententiam certam eo casu tenendam omninò esse relictâ probabiliori: quod & affirmat Bossi. *moralium p. 1. tit. 1. n. 483.* quod si opiniones sint tantùm probabiles, & neutra sit certa, tunc fas erit quam libuerit amplecti, quod & ait Ferdinand. à Castro *tract. 4. disp. 1. punct. 12. num. 4.* & a Bossio citatus Pasqual. quia ex quacumque illarum opinionum operans, extra culpam erit.

Hæc tamen secum pugnare mihi videntur: nam si probabiles sint opiniones, quæ operantem eximant à culpa in aliquo casu, non potest esse obligatio in quocumque simili casu, vnam ex illis eligendi præ alia, quia tunc positâ eiusmodi obligatione peccabit, si illam non impleat. Igitur non erit opinio probabilis tantùm, sed certa, quandoquidem eius contraria non eximit a peccato: quoties igitur erunt diuersæ opiniones de obligatione quidpiam præstandi proximo propter præceptum charitatis aut iustitiæ, semper sequenda erit probabilior, quia si illam omitto, violo inquit, charitatē, vel iustitiam, aut periculo eam violandi me obijcio; si verò eam sequor, certus sum me aduersus eiusmodi obligationem non peccare, quod non erit tantùm verum in articulo mortis, sed in omni prorsus casu: verbi gratia si sint opiniones diuersæ de facienda restitutione, certum est me non peccaturum, quod tantùm probabile est non restituendo. Ergo semper tenenda erit opinio dictans esse restituendum, atque ita peccaturum, nisi restituam. Idem dico de contritione ad absolutionem Sacramentalem, certum enim est contritionem sufficere, de attritione tantum probabile: tenebor igitur contritionem afferre, etiam extra mortis articulum, alioquin peccabo, cum faciam informe Sacramentum, aut illud faciendi periculum volens incurram, quod tamen perfectum essentialiter facere potetam.

Dicendum igitur est quod tradidimus *Consectario 4.* opiniones diuersas sumendas esse singulares, siue indiuidualiter circa obligationem tunc & tali modo operandi, si eius opiniones circa eam obligationem sint tutæ & probabiles, poterò quam libuerit sequi. Quia ex quacumque opinione tunc operer, non peccabo, neque violabo obligationem, quâ teneri videor, sed illi omninò satisfaciam. Disputatur v.g. an in hoc casu obliger ad restitutionem, & consequenter an peccem non restituendo, si contrariæ de ea obligatione opiniones probabiles existant, non peccabo, siue restituam ex opinione probabili, vt paret, siue non restituam ex simili opinione, quia non violabo obligationem, quam probabile est me non habere, ac proinde illa non teneri; idque verum est in quocumque tempore de ea obligatione probabiliter in vtramque partem disceptetur, alioqoin semper teneret operari ex opinione quæ affirmat me obligari ad faciendum tale opus, aut ab eo abstinendum, licet contraria sententia negans sit quoque probabilis, quia teneor sequi opinionem, in qua possum non peccare, & abijcere eam, in qua possum peccare. Atqui sequendo opinionem, quæ affirmat me obligari ad restitutionem, v.g. eam implendo, atque restituendo, non

peccabo, & certum est me tunc non posse peccare: At verò sequendo contrariam me non obligari ad restitutionem, & non restituendo possum peccare, quia non est certum me eâ obligatione non adstringi, quamvis id sit probabile; probabilitas autem perpetuò includit formidinem, & periculum ne contraria sit vera, & me obliget, peccemque non implendo obligationem. Quoties igitur de aliqua obligatione quidpiam faciendi disceptabunt sententiæ, toties ex aduersariis sequenda esset sententia affirmans; illa enim certò me expertem peccati faciet, cum implendo obligationem quam affirmat, non possim peccare, & tamen omnes consentiunt ex duabus opinionibus saltem æquè probabilibus, posse me alterutram pro arbitrio sequi. Adde, cum tenear amplecti opinionem certam admissâ probabili, & certum sit me non peccaturum implendo obligationem, quam vna sententia imponit, & probabile tantùm me non obligari; & proinde non peccaturum eam non implendo: omnis opinio asserens eam obligationem certa erit, & contraria tantùm probabilis maneat quocumque momento reperientur opiniones de eadem contrariæ, probabiles tamen, me alterutram sequendo non peccaturum, neque violaturum obligationem de qua quæstio tunc est: quia tunc operabor ex conscientia probabili, certumque est eam excludere omnem culpam. Neque assignari potest vllum tempus in quo obliger ad aliud quàm ad vitandam culpam; per eiusmodi enim culpæ vitationem reipsà colloco salutem meam in tuto, qua de causa volebant aduersarij me obligari ad sequendum opinionem probabiliorem in articulo mortis, atqui sequendo etiam illo momento tantùm probabilem, non pecco: igitur non expono discrimini salutem, si non committo vllam culpam; aliunde igitur desumere debent hanc obligationem amplectendi tunc probabiliorem, quam ea maiori probabilitate, quandoquidem ea non requiritur absolutè ad rectè operandum. Et sanè qui docent eo momento me teneri ad contritionem, vel amorem diuinum, Id non faciunt ex sola maiori probabilitate huius obligationis tunc vrgentis, sed quia tunc præceptum diuini amoris eliciendi vrgere existimant, aut quia conferunt opinionem certam cum probabili, quo casu nos quoque concedimus certam esse amplectendam abiectâ tantùm probabili, immò addimus, non esse probabilem opinionem, quæ certæ contraria est, neque maior probabilitas facit certitudinem, sed relinquit opinionem in ordine & gradu probabilitatis, vt patet, ac proinde in periculo & formidine, vt contraria vera sit, licet minus probabilis appareat.

CONSECTARIVM XII.

An licet opinionem speculatiuè probabilem amplecti relictâ ea, quæ practicè probabilis est.

1 Diximus *q.4.§.2.n.9.* quid ferat ista vulgaris distinctio opinionis speculatiuè, vel practicè probabilis, cū reipsa nulla possit esse opinio probabilis speculatiuè, quę talis etiā non sit practicè, aut è cōtrario, vti eo loco fuit explicatum, suppositâ tamen eâ vulgari distinctione, & quocumque inter eas probabilitates discrimine, quæri iure potest, an fas sit sequi opinionem quam iudicamus speculatiuè tantùm probabilem, licet videamus, contrariam esse practicè probabilem, quia passim reducitur in vsum, & in foro seruatur, aliáve de causa.

2 Resp. ex demonstratis loco proximè citato opinionem, quæ verè & intrinsecè speculatiuè probabilis est, posse reduci in actum, siue fas esse operari ex opinione speculatiuè intrinsecè probabili, modò in ipsa deinde operatione non accedat aliqua circumstantia malefica, quæ ipsam actionem corrumpat, aut si eiusmodi circumstantiæ periculum immineat, illud omninò caueatur: si enim id seruetur, recta erit operatio facta ex tali opinione speculatiuè probabili.

Quæ assertio manifesta fit ea natura eiusmodi probabilitatis speculatiuè & practicè, quarum vna necessariò infertur ex alia, cùm enim operatio sit obiectum vtriusque istius opinionis, cùm non agamus hoc loco, nisi de opinionibus quæ circa res agibiles, siue circa actiones versantur, si attentâ rei agibilis, siue actionis natura, iudico illam mihi licitam esse; non pecco: deinde quando ex eiusmodi opinione operor, & pono actionem quam mihi licitam esse iudicaui. Deinde, si pono actionem mihi nunc, & in his circumstantiis probabiliter licitam, siue quam iudicium practicum dictat probabiliter esse licitam, non potest hoc iudicium practicum non esse conforme alicui iudicio speculatiuo, saltem vniuersali, quod indicat eiusmodi actionem de qua quæritur, probabiliter licitam esse, & ad praxim reduci posse: quia tamen, quamvis operatio quæ est obiectum speculationis & praxis, eiusdem naturæ sit, alioquin non foret eadem actio, non potest exerceri, nisi cum quibusdam circumstantiis, à quibus sæpiùs abstrahit speculatio, facilè contingit, vt ratione alicuius circumstantiæ quæ solet accedere, vix licitè exerceatur. Ideò dicitur aliquando non esse practicè probabilis opinio de illa operatione ponenda, quamvis speculatiuè probabilis sit, quia in speculatione præscinditur ab ea circumstantia, quæ tunc non consideratur, sed solùm ipsa natura operationis in sese, & non vt variis circumstantiis vestitur. Nam si tunc consideratio nostra circumstantiam vel maleficam, vel periculosam, quâ ipso exercitio vestitur operatio attenderet, omninò iudicaret talem actionem non sine peccato vel eius aliquo periculo exerceri non posse; atque adeò vel illicitam vel periculosam esse. Itaque iudicium speculatiuum & practicum semper consentient: licebit itaque mihi sequi opinionem & iudicium speculatiuum, quo iudico actionem aliquam neque malam, & illicitam, neque periculosam esse, quod si periculosam esse iudico, tenebor periculum illud amouere si velim operari, & eo amoto licitè operabor; neque duo ista iudicia contraria esse possunt vt diximus, si vera sunt.

Atque hæc tandem est opinio Ioan. Sancij *disp.* 44. 49. *&* 54. Diana 3. *p. tract.* 13. *resolut.* 5. *&* 12. Pasqualig. *decis.* 26. *& decis.* 361. aliorumve; neque verè dissentiunt Sanch. Suar. Konink, Layman, Granado, Azor. Bosset & alij innomeri, quos adducit Bossius 1. *part. tit.* 1. §. 25. *n.* 447. Qui negant semper opinionem speculatiuè probabilem fas esse reduci ad praxim, & nonnunquam dimittendam omninò esse, & plures eiusmodi casus enumerat Bossi. *citato n.* 447. *&* 448. non agunt de opinionibus, quæ licet in sese spectatæ sint omninò probabiles, in exercitio tamen inuoluunt aliquam circumstantiam aut periculum nocendi proximo, aliudve aliquod incommodum, vel minus honestum, vel violationem alicuius legis, aut communis vsus, qui iam in foro, aut in communi sensu legis authoritatem obtinuit: In quibus similibusve casibus, neque nos contendimus licitum esse operari ex opinione speculatiuè probabili, relictâ contrariâ, quam ipsa praxis probabilem facit, idque ipsum in nostra assertione monuimus; sed contendo in huiusmodi casibus opinionem illam, quæ non est practicè probabilis, & ex qua non licet operari ex doctorum 3

rum nuper adductorum sensu, non esse etiam speculatiuè probabilem, vti Doctores illi malè supponunt: vt enim iudicium speculatiuum & practicum de probabilitate alicuius opinionis, & honestate operationis sint contraria, vel contradictoria, debent habere idem obiectum, siue ferri in eandem opinionem, & operationem, de cuius probabilitate & honestate pronuntiant, & licitam vel illicitam esse affirmant, aut negant, quod non contingit io casibus allatis. Iudicium enim speculatiuū habet pro obiecto ipsam operationem secundum suam naturam, prout ab exercitio, & omnibus circunstantiis abstrahit, quæ operatio qoia sua natura, & sic præcisè considerata, verè iudicatur vel non esse mala, & illicita, vel saltem probabiliter carere omni defectu: At verò iudicium practicum habet pro obiecto eandem quidem operationem, sed vt exercitam, & suis omnibus circunstantiis tum Intrinsecis, tum extrinsecis, quæ hic & nunc eiusmodi exercitium comitantur, vestitam, quod obiectum formaliter, & realiter diuersum est ab obiecto prioris iudicij speculatiui, quod nudam & abstractam naturam illius operationis considerabat, deque honestate illius sic consideratæ pronuntiabat; neque proinde opponitur iudicio practico, qood illius operationis exercitium, & circunstantias tunc adiacentes addit, déque illius operationis sic conuestitæ honestate iudicat. Quod iudicium si verum aut probabile est, habet iudicium speculatiuum sibi proportionatum, & de eodem obiecto nempè probabile est licitum esse operari, & ponere talem actionem cum omnibus illis circunstantiis, vel non est probabile esse licitum eius operationis exercitium, quæ duo iudicia sunt contradictoria. Hæc verò tantùm contraria existunt, probabile est hanc operationem suis illis circunstantiis affectam, esse licitam: probabile est positionem & exercitium talis actionis non esse licitum. Quæ omnia de horum iudiciorum contrarietate constant ex notatis *superiori q. 4.* Eo verò casu licet quod libuerit ex eiusmodi iudiciis contrariis sequi etiam in praxi, neque vt sæpiùs mooui dissentiunt aduersarij, quia si nefas est in praxi opinionem aliquam sequi, atque ex ea operari, idcircò non licet, quia in eo exercitio & operatione inuoluitur aliquod peccatum, aut saltem ne quid simile inuoluitur periculum est. Atqui iudicium quo considerantur ea operatio cum illis circunstantiis ponenda, idem omninò iudicat, atque ita non dissentit à iudicio quod practicum nominant aduersarij, vel non idem iudicat, negatque quod affirmat aliud cui contradicit, expendendumque erit ex principiis extrinsecis vel extrinsecis vtriusque illius iudicij contradictorij, quodnam ex ipsis verum sit, vel falsum, cum vtrumque nequeat esse verum aut falsum, quod patet ex lege contradictorum, vel si contraria dumtaxat sint, modo sæpiùs explicato. Quia vnum dicit probabile esse eam operationem io his circunstantiis positam licitam esse. Alterum item affirmat probabile esse hanc operationem eo modo positam non esse licitam, cùm vtrumque illud iudicium probabile sit, fas erit ex alterutro operari aut non operari, & cui liburrit praxim suam accommodare; atque Ita vel eiusmodi actionem ponere, vel ab illa abstinere attentis omnibus circunstantiis, de quibus præiuisse debuit speculatio; atque ita explicata nostra sententia circa quæstionem hoc consectario propositam, neminem habere potest aduersarium, & varias doctorum sententias, nisi tricari velint, componit. Idque censent sine dubio, qui distingunt hoc loco inter honestatem opinionis vel operationis, & honestatem facti. Nam si præcisè agatur de honestate actionis & opinionis, dicunt posse nos sequi iudicium speculatiuum de illa, non verò si de honestate facti: nam in praxi potest aliquid contingere, quod vitare teneamur, vel ratione damni proximi, vel ratione iuris probibentis, vel ex aliquo alio capite, atque idcircò non omnes Theoricas statim practicabiles esse, vt loquuntur, quibus verbis non aliud profectò loquuntur, quàm idipsum quod nos dilucidius, nisi fallor, explicamus. Quæ omnia confirmantur ex iis, quæ initio *q. 4. notatione* 1. diximus, ex communi DD. sensu, iudicium speculatiuum esse illud, quod versatur circa vniuersalia, & dictat in communi aliquod esse licitum vel illicitum v. g. Contractum vsurarium esse iniustum, alienum esse domino restituendum: quāuis enim ea cognitio tota tandem ad praxim dirigatur, quia tamen praxes & actiones non exercentur, nisi circa materias determinatas & singulares, iudicium quo iudicamus aliquod singulare hîc & nunc licitum esse, vocatur practicum, quod tamen haberi nequit, nisi posito iudicio speculatiuo, ex quo semper sumitur maior propositio in syllogismo practico. Opinio igitur speculatiuè probabilis erit ea, quæ considerat operationem in vniuersali, & secundum suam naturā præcisam, practicè verò probabilis, quæ illam in singulari hîc & nunc ponendam attendit, ac proinde duæ istæ opiniones non habent præcisè idem obiectum, neque sunt propriæ aut contradictoriæ, aut contrariæ. Quare inter illas malè omniòd instituitur comparatio.

Consectarium XIV.

An fas sit opinionem singularem contra communem oppositam sequi.

1 Loquor de opinione singulari probabili, certum enim est nefas esse illam sequi, si sit improbabilis. Quid verò requiratur vt aliqua singularis opinio, censeri valeat probabilis. & an vnius viri docti authoritas eiusmodi probabilitatem præstet diximus *superiori quæstione* §. 2. *notatione* 2. Vbi etiam quænam dicatur communis opinio significauimus. Quibus obseruatis quærimus modò, an liceat, relictā communi opinione probabili, singularem quoque probabilem amplecti, atque ex illa operari, quæ quæstio potest excitari, vel de ipsomet authore, qui talem opinionem contra communem, aut excudit, aut proposuit & ratione confirmauit, aut ex ea sua propria & singulari sententia possit ipse contra communem cæterorum sensum ac mentem operari; vel quæritur, an fas sit cuique singularem eiusmodi sententiam reiectā communi tenere, illique consentaneæ operari, quam vtramque quæstionem, & maximè priorem *citato* §. 2. ita definiuimos, vt panca hoc loco nobis occurrant adijcienda: controuersia prætereà moueri poterit, de foro interno, & externo, an in vtroque illo foro, an io altero ipsorum obligemur aliquando sequi communem opinionem relictā singulari.

2 Aio imprimis fas esse in conscientiæ foro sequi opinionem singularem intrinsecè probabilem, siue agamus de eo qui illam docet, siue de aliis qui illi doctori singulari adhærent. Hæc assertio probata fuit §. 2. *quæstionis superioris*, & iterùm demonstratur à priori, quia singularitas non tollit, neqoe minuit probabilitatem intrinsecam opinionis; ea siquidem intrinseca probabilitas sumitur ex natura & principiis ipsius rei de qua controuertitur, quæ natura & principia eadem, & immutata semper manent, siue ab vno dumtaxat, siue à pluribus percipiantur & penetrentur. Cur igitur ex opinione sic intrinsecè probabili nefas erit operari, licet ab vno singulari Doctore proponatur & doceatur? Ego verò de probabilitate dum-

taxat intrinseca, quia in opinione singulari vix reperiri poterit probabilitas extrinseca: illa siquidem à plurium authoritate communi vsu & sensu, aliisque eiusmodi intrinsecis desumitur, quæ in opinione singulari & vnius dumtaxat aut paucissimorum Doctorum vix reperire licet, saltem vbi primum extunditur: Nam vbi deinde à consequentibus probatur, atque ita peruulgatur, vel in scholas inducitur, singularis ampliùs dici nequit sed communis, quamvis minus communis; neque enim opiniones communes, sunt eiusdem gradus & veluti communitatis, cùm aliæ sint magis, aliæ minus communes.

3 An verò vnius grauis doctoris authoritas possit alicui opinioni singulari conferre probabilitatem extrinsecam, respondimus §. 2. *citato* posse, ratione rudis & indocti, qui nequit penetrare principia probabilitatis intrinsecæ: potest enim tunc sequi virum doctum & probum, qui singularem eam opinionem tanquam probabilem, & ex qua tutò possit operari, illi proponit; Quod omnes concedere coguntur, ne obligent rudiores ad examen opinionum, de quibus iudicare nequeunt. Neque vnus est qui plebem, quæ suo Episcopo proponenti falsò quidpiam, tanquam de fide credit, accuset hæreseos formalis; immò verò disputant DD. an ille assensus quem proponenti Episcopo suo præbent, sit assensus fidei diuinæ, quandoquidem videtur habere ipsius motiuum, nimirùm reuelationem diuinam per Episcopum, sed falsò propositam; propter quam tamen vnam assentiuntur. Sicut erogans eleëmosynam ficto pauperi facit actum misericordiæ, quia tendit in eius rationem formalem, quamvis huic simulato pauperi falsò applicatam, & quamvis discrimen sit inter duos istos actus, vti docebimus *tom. 2. huius operis*, & erogans hoc casu eleëmosynam, faciat actum misericordiæ; credens verò Episcopo falsum quidpiam tanquam de fide proponenti, non eliciat assensum diuinæ fidei, vt eo loco demonstrabimus, non peccat tamen assentiendo Episcopo & ex isto assensu operando, quandiu contrarium illi non proponitur. Neque igitur apparet, cur peccabit sequens opinionem viri docti, cùm nihil contra probabilitatem eius opinionis videat, neque videre possit; immò sæpiùs ignoret, an ea sit singularis illi Doctori, an etiam aliquibus aliis communis: neque id inquirere teneatur, aut etiam possit. Maneat igitur singularem opinionem probabilem posse teneri etiam in praxi, tum ab eius Authore, qui eius probabilitatem intrinsecam nouit & docuit, tum ab aliis, qui eius Doctoris authoritati fidunt, & vel ignorant esse contra communem; vel si id norunt, nihil vident quod eam improbabilem faciat, & Doctoris illius vnius authoritatem pluribus aliis, qui plerumque res non expendunt accuratius, prudenter, & meritò præferunt. Quod verius quoque erit, si ille Doctor suam illam sententiam singularem vulgauit, neque vel temeritatis, vel falsitatis hactenùs damnatus sit. Denique certum est, probabilitatem intrinsecam opinionis præferendam esse extrinsecæ: Quare vbi illæ seorsim in aliquibus diuersis opinionibus reperiuntur, nemo negabit opinionem, quæ intrinsecè probabilis est, quamvis careat probabilitate extrinseca propter suam singularitatem, potiùs sequendam esse, quàm opinionem, quæ propter suam communitatem extrinsecè quidem probabilis est, sed de eius intrinseca probabilitate non constat, nisi ex illa extrinseca authoritate communitatis, probabilitatem quoque intrinsecam, quamvis nobis occultam colligamus, quod facilè & passim fit à rudibus & imperitis, cùm viri docti plurima expendere teneantur eo casu, & in eo iudicio ferendo, si nouerint, vel suspicentur non apparere de eius intrinseca probabilitate, cùm tamen illâ non careat opinio opposita, licet singularis, alioquin eam temerariò vulgus sequeretur: vbi nihilominus non apparebit communis opinionis improbabilitas intrinseca, licet eiusdem quoque probabilitas intrinseca lateat, poterit vir etiam doctus communi prudentum authoritati consentire, & propter illam communem sequi opinionem, eamque probabilem iudicare extrinsecâ probabilitate, licet intrinseca eius probabilitas ipsi non appareat, sicut apparet in opposita singulari; prudenter enim æstimabit tot DD. qui communem sequuntur, aliquam eius probabilitatem intrinsecam deprehendisse, quam ipse nondùm vidit, quæ probabilitas non tollit probabilitatem etiam intrinsecam singularis opinionis oppositæ, atque adeò vtramque illam opinionem esse probabilem intrinsecè, quamvis vnius probabilitas ipsi nota sit, non verò alterius; eamque dumtaxat colligat ex probabilitate extrinseca, quam tribuit communior Doctorum sensus; immò & aliquando illustris & nominati Doctoris Authoritas, respectu rudium & imperitorũ. Cum igitur vtraque illa opinio, tum singularis, tum communis sit probabilis, licebit ex vtraque operari. Cùm vtraque faciat conscientiam probabilem atque adeò operationem ex illa præstitam bonam, & nonquam formaliter malam siue peccaminosam, quod *superiori quæst.* demonstrauimus.

Aio secundò nonnunquam in foro externo sequẽdam esse communem opinionẽ relictâ contrariâ singulari quamvis probabili, ago dumtaxat de foro externo, in quo controuersia disceptatur: si enim iudex minus receptam aut etiam singularem opinionem sequatur sæpissimè & male audiet, & à superiori iudice emendabitur, & vtrique litiganti nocebit. Cùm is secundum quem decernet, tutus non sit propter aduersarij prouocationem, & qui prouocabit, quamvis in alio supremo Tribunali, superior euadat nonnisi magnis impensis, quæ sæpiùs non refunduntur, vel non semper æquales, causam suam obtinebit, damnum verò illud creauit iudex, qui in disceptando communem & receptam sententiam sequi noluit & singulari adhæsit, quia tamen aliquando communis opinio duci solet ex vulgi sensu, & ex communi errore, qui iuris locum obtinuit, plurima requiruntur, vt ad inuehendam obligationem sequendi commonem opinionem, etiam in foro externo. De hac iudicis obligatione diximus in tractatione de vniuersa rerum humanarum negotiatione *lib. 6. cap. 3. art. 3. toto.* Quia vero in diiudicanda probabilitate singularitatis & communitate opinionum plures difficultates occurrere solent, placet vniuersales quasdam regulas de delectu opinionum tradere, quas singulari de hoc ipso argumento opere fusius aliquando, si Numen annuat, & tu faueas erudite Lector exponemus. 4

Consectarium XV.

Regulæ vniuersales de opinionum delectu.

Paucas hasce regulas ex duabus superioribus quæstionibus fusiùs disputatis colliges, & ex doctrina tradita demonstratis, tibi ad faciliorem vsum & quotidianam praxim exhibeo. 1

Prima est, nemini licet opinionem quam falsam & omni probabilitate tum intrinseca tum extrinseca destitutam esse videt, siue verè siue falsò, & per errorem ita iudicet amplecti, vel ex ea operari, aut consulere. Ratio euidentissima est, quia tunc ex falso iudicio practico, siue ex conscientia improbabili; & falsa atque culpabiliter erroneè operabitur. Cùm non possit iudicium speculatiuum quo falsam, & prorsus improbabilem

babilem opinioonem, ex eáque consequentem operationem illicitam iudicat deponere; id enim necessarium prorsus est, & ex aliqua probabilitate saltem extrinseca duci, vt possit quis practice iudicare hic & nonc licitam esse suam opinionem, & ex illa propter Doctorum grauium authoritatem operari; vti fuit *quæst. 4.* explicatum, & ampliùs dicetur *quæst. sequenti de conscientia dubia.* Id verò fieri nequit in nostro casu, in quo quis iudicat opinionẽ esse falsam, & omni probabilitate tum intrinseca, tum extrinseca destitutam; tuoc enim caret omni motiuo, quo iudicet practice eam opinionem esse probabilem, & licitam operationem ex ea factam; huiusmodi siquidem iudicij motiuum aliud tunc fingi non potest, quàm si aliqua propositionis practicæ, & opinionis illam suadentis probabilitas appareat, qualem nullam esse in nostro casu supponimus. Quare qui eiusmodi iudicium habet de falsitate, & omnimoda opinionis & operationis improbabilitate, neque ex illa operari poterit sine culpa, saltem ex conscientia erronea, vti dictum fuit *quæst.* 2. neque illam alteri consulere; Idcircò enim diximus fas esse Confessario & Doctori contra propriam sententiam absoluere & consulere, sequendo alienam opinionem, quam pœnitens vel consulens tuetor; quia com illa opinio sit aliorũ DD. & aliquam probabilitatem saltem extrinsecam habeat, potest deposito proprio sensu, sese aliorum Doctocum sensui, & anthoritati accommodare, & mentem suam magnâ animi demissione postponere, quod fieri nequit, si nullam in ea opioione probabilitatem saltem extrinsecam aduertat.

2 Secunda Regola. Qui sequitur conscientiam inuincibiliter errantem, ex eáque operatur, licitè operatur, & non peccat saltem formaliter, immò sæpiùs tenetur suam illam conscientiam sequi, si tunc illi necessariò operandum sit. Hæc regula opposita est superiori, in qua agebamus de conscientia falsa, vel vincibiliter errante, quam non excusare à peccato, & nunquam ad operandum ex ea obligari diximus *quæst. 3.* vbi quoque ostendimus, nunquam operandum esse contra conscientiam, sed illam si erret deponendam, qood fieri potest, si vincibiliter erret, non verò si fallatur, & erret inuincibiliter: quo casu subsequens operatio peccatum non erit, vt dixi, saltem formaliter, sed materialiter dumtaxat: estque apertissima mens S. Thomæ *quodl. 8. articulo 15.* *Error* inquit *conscientia quandoque habet vim absoluendi, seu excusandi, quando scilicet procedit ex ignorantia eius, quod quis scire non potest, vel non tenetur, & in tali casu, quamvis factum de se sit mortale, tamen intendens peccare venialiter, peccaret venialiter.* Et mox. *Quando vero error conscientia non habet vim absoloendi vel excusandi, est quando scilicet ipse error peccatum est, vt cum procedit ex ignorantia eius, quod quis scire tenetur & potest.* Similia habet *in 2. dist. 22. quæst. 1. artic. 2. in corp. §. his ergo visis.* & *quæst. 17. de veritate art. 3. & 4.* hinc constans est DD. opinio ignoraotiam inuincibilem excusare à peccato, quod fusiùs explicabimus alibi: Moueo dumtaxat hoc loco Bartholomæum Ledesinan. in summario quod edidit Salmanticæ anno 1585. *tract. de pœnit. & confess. difficul. 14. 3. conclusione*, docuisse ignorantiam illam inoincibilem excusare etiam in iis, quæ sunt contra ius oaturale & diuinum, qood ipsum affirmat Martines de Prado Dominicanus *tom. 2. Theolog. moral. capite 33. in appendice contra Caramuel. quæst. 2. §. 3. numero 22.* & *tom. 1. capite primo, quæst. 4. §. 3. num. 12.* ait actum ex inuincibili ignorantia esse formaliter bonum Martinus de Ledesma *in 2. 2. quæst. 8. art. 4. ex editione Conimb. an. 1560.* & Ioan. Nider. *in consolatorio timorata conscientia 3. par. cap. 11.* vbi & verba nuper relata ex S. Thom. *quodl. 8. art. 13.* quæ difficultatem faciebant, adducit & explicat de ignorantia vincibili. Gerson. *tract. de vita spirituali lect. 4. Coroll. 4.* de Iacobo accedente ad Liam, quam existimabat suam esse vxorem, alios dabimus suo loco.

Tertia Regula. Licet operari ex opinione, quam 3
quis tutam, & probabilem prudenter existimat, siue verè, siue falsò ex conscientia inuincibiliter errante ita existimet, siue ea probabilitas intrinseca sit ducta ex non leui ratione, siue tantùm extrinseca ex authoritate ita sentientium, cui neque lex, neque aliud quidplam ius resistat.

Hæc regula manifesta manet ex communissima doctrina, quam hactenùs tradidimus. Cùm enim in moralibus non possimus habere semper euidentem certitudinem, sufficere nobis debet probabilitas ad iudicium prudentiale, quo dirigimus nostras operationes, illudque iudicium reperitur etiam in conscientia inuincibiliter errante, vti sæpiùs diximus, atque etiam proximè superiori Regula; probabilitatem verò duplicem esse, intrinsecam, & extrinsecam, prout vel ex ipsa rei natura, vel authoritate Doctorum aliisque circunstantiis externis desumitur, monoimus, & quomodo id fiat, siue quid ad vtramque eiusmodi probabilitatem requiratur, vt vera sit, & non temeraria *ibidem* docuimus, quibus positis vera statim & certa apparet nostra regula, quæ solâ ferè terminorum explicatione indiget.

IV. Qui habet conscientiam vincibiliter erran- 4
tem, tenetur eam deponere, aut noo operari; si enim tunc operetur, peccat, siue illam sequatur, siue contra illam perseuerantem, & nondum depositam, operetur.

Prima pars huius regulæ constat; cùm enim error sit voluntarius, quandoquidem vincibilis est, culpabilis quoque necessariò est, neque potest excusare à peccato: deponendum igitur est eiusmodi falsum, & erroneum iodicium, vti deponi reuerà potest, cùm sit vincibilis & voluntarius error vt supponimus.

Secundæ Regulæ pars, operationem quæ perseuerante conscientiâ vincibiliter errante sit, esse peccatum, siue eiusmodi conscientiæ conformis sit, siue illi aduersetur, facilè demoostratur, si priùs supposueris, eiusmodi conscieotiam, & errorem non alia ratione esse peccatum, quàm quia est causa peccati, & ad illud impellit; facit quippe vt voluntas amplectatur, aut reijciat obiectum, in cuius prosequutione vel reiectione malum aliquod & peccatum est. Repræsentat siquidem obiectum booum, quod reipsa malom est; & ideò in eius prosequutione & amore peccatur, vel dictat malum esse quod reapse bonum est, cuius proinde fuga, & auersatio malum quoddam, & culpa est.

Dico igitur, deponendum esse eiusmodi errorem, qui deponi potest cum vincibilis sit, vti ostendimus *cap. 7. q. 3. n. 13. & 14.* vbi & modum quo deponi potest, explicuimus, quod nisi fiat, operatio consequens siue conformis sit, siue difformis conscientiæ vincibiliter erranti, culpabilis erit, qood asserit secunda pars nostræ regulæ, & facilè demonstratur: si enim quis agat contra conscientiam peccat; id autem facit, si non agat secundum ipsam, eo enim ipso contra illam facit, quod *q. 3. cit. n. 14.* fusiùs ostendimus io eo, qui iudicat esse mentiendum ad propriam vel proximi vitam tuendam; ille eoim teoetur non agere contra illud iudicium practicum & conscientiam; ac proinde non omittere mendacium quod præcipit; non potest verò non omittere mendacium, nisi mentiendo: agendo igitur secundum conscientiam, mentitur, & peccat; quod si agat contra il-

lam conscientiam dictantem esse eo casu ad vitam proximi tuendam mentiendum, & non mentietur, peccat quoque, quia omittit actum tunc imperatum, & violat reipsa præceptum charitatis, quod tunc obligare iudicat. Vel illud igitur iudicium deponendum tamquam erroneum illi erit, vel mentiendum, quod faciendo peccabit, sicut & non mentiendo, cùm tunc conscientia etronea mentiendum esse dictet; non tamen datur idcircò casus perplexitatis, in quo necessariò peccatur. Quia deponenda est conscientia illa erronea; quod si deponi non possit, quia inuincibilis est, & non peccabit, cum non habeat libertatem moralem necessariam ad peccatum: quæ omnia diximus *q.* 3. *n.* 30.

5 V. Regula, ex duabus opinionibus probabilibus & tutis fas est quam libuerit sequi relictâ etiam probabiliori, si præcisè & absolutè loquamur sublatâ omni aliâ obligatione extrinsecâ, & solius peccati exclusione; hoc est, non peccat eligens minus tutam, minusque probabilem opinionem, si aliunde ad alteram ex illis præferendam & amplectendam non obligetur, & attendatur præcisè sola maior aut minus probabilitas & vitatio peccati, modò vtraque opinio probabilis existat, & tuta.

Hæc vniuersalis regula sic explicata à nemine negari potest, & *q.* 4. *superiori* demonstrata fuit, atque etiam *q.* 5. in variis Consectariis & singularibus casibus ostensa, & confirmatur iterùm. Nam qui prudenter agit non peccat, neque periculo peccandi se exponit; illud siquidem periculum tollitur eo ipso, quòd quis prudenter operatur. Qui verò sequitur iudicium prudentum operando, prudenter sine dubio operatur; id verò præstat qui sequitur opinionem, quam viri docti & prudentes docent & defendunt, vel ipsamet ratio persuadet: quod reperitur in omni opinione tuta & probabili, & sanè vti sapienter arguit Arriaga t. 2. *disp.* 24. *n.* 5. ex Suare, intolerandum onus nobis aliisque imponeremus, si quoties aliqua ratio dubitandi suboriretur, quæ omnimodam certitudinem opinionis impediret: quod ipsum in omni opinione tamùm probabili contingit, cogeremur sequi tutiorem partem aut probabiliorem. Cùm enim ipsi opposita sæpè minùs tuta probabilior & tutior, ac minus probabilis existat, cogeremur in angustias inextricabiles, è quibus vix sine magnis angoribus liceret exire in omni prorsus materia. Nam si v. g. plures viri docti, prudentes ac pij, quidpiam mihi licere dicant, quod vel vnus doctus quoque & prudens, licere negaret, cogeret huius opinionem sequi, licet contraria ex maiori numero Doctorum probabilior foret, quia ista esset tutior, quandoquidem in ea sequenda nequit committi peccatum, vti potest in contraria, quæ licet probabilior sit, non tamen certa est, nec sine formidine oppositi. Quod si dicas fas esse sequi probabiliorem, quamvis minùs tutam, iam fateris falsum esse non licere sequi nisi tutiorem, quamvis opposita sit probabilior. Deinde nequis reddere rationem, cur liceat amplecti opinionem probabiliorem, quamvis minus tutam, & non liceat sequi minùs probabilem, sed tutam, aut etiam tutiorem: tota enim ratio peti dumtaxat potest, ne operans se peccandi periculo sequendo minus tutam exponat: quæ ratio valebit quoque in opinione probabiliori, sed minùs tuta. Cùm enim eiusmodi opinio minùs tuta licet probabilior, non sit tamen certa sed fallibilis, & de qua possit excitari dubium, in ea sequenda periculum erit peccandi: Adde in his opinionibus amplectendis quæ probabiles & tutæ sunt, nullum esse peccandi periculum, quod sæpiùs monuimus; immò qui ita operatur habet saltem reflexè, sine per iudicium prudentiale, certitudinem non peccandi in ea operatione, quia per iudicium prudentiale, iudicat sibi hic & nunc fas esse sic operari ex illa opinione probabili & tuta. Denique nullum aliud periculum hoc casu fingi potest, quàm faciendi rem materialiter malam, sicut qui facit rem prohibitam, quam inuincibiliter ignorat esse prohibitam, peccat materialiter non formaliter, neque per eiusmodi operationem Deum offendit, aut alicuius culpæ vel pœnæ reus existit: quare exponere se periculo peccandi materialiter, quod solum periculum fingi potest hoc loco, malum, aut peccatum non est, quod innumeris casibus ostenditur. Nam qui vouit recitare hodie Rosarium Virginis, aut qui tenetur ad horas Canonicas, potest ex communi DD. sensu eiusmodi recitationem differre ad vesperam, si non præuideat se illâ horâ ab eo officio persoluendo impediendū, neque tenetur summo mane, aut statim atque cogitat de ea obligatione illam implere. Licet quoque Confessionem & communionem Paschalē in diem octauam Paschatis differre, neque ipso die Palmarum illud præceptum Ecclesiasticum implere tenetur. Qui peccauit mortaliter, non obligatur ex communiori quoque DD. sententia statim confiteri, sed potest in aliud tempus opportunum & sibi commodius siue solitum reijcere, & tamen in his omnibus & similibus aliis casibus exponit se periculo peccandi, qui eam recitationem, vel confessionem, alteriusve obligationis impletionem, quæ certo tempori affixa non est, differt: quia non est certus nullum morbi, obliuionis, alteriusve rei futurum impedimentum, quo dilatam voluntariè obligationem nequeat implere, non idcircò tamen ratione talis periculi cui se exponit, peccat, qui tamen teneri fatetur, oportet aduersari, si nefas sit amplecti minus tutam opinionem, quamvis probabilem, quia minus tuta est omninò opinio, quæ docet eiusmodi dilationem implendæ obligationis esse licitam quam opposita, quam nullus non videt esse tutiorem, quandoquidem eam sequendo, vitatur prorsus periculum peccandi, quod reperitur in illa dilatione, quam tamen nemo vnus licitam esse negat.

Quod verò dicunt aduersarij, nunquam fas esse operari contra iudicium, quod tamen faceret, qui operaretur ex opinione quam iudicat esse minus probabilem, vel minus tutam, iam sæpiùs reiectum fuit; 6
quia potest quisque suum iudicium deponere, & alieno prudenter submittere, cum illius probabilitatem videat. Itaque tunc habet hæc iudicia, probabile est hoc esse peccatum, & probabile est non esse peccatum; quæ iudicia non sunt contradictoria, vti aliàs monui: quia contradictio non reperitur inter propositiones morales, nisi vna neget modum, quem altera affirmat, non verò si neget dictum affirmantis. Quare hæ propositiones, probabile est in hac actione committi peccatum, non est probabile committi peccatum, sunt contradictoriæ; istæ verò propositiones, probabile est hanc actionem esse licitam, probabile est hanc actionem non esse licitam, sunt contrariæ, non contradictoriæ, & simul reperiri nihil vetat; ac proinde potest operans formare hoc iudicium: licet iudicem probabilem me peccaturum, iudico tamen probabile esse me non peccaturum, quod vtrumque iudicium sua habet motiua, eáque sufficientia, ac proinde prudens & non temerarium, quod si sequar, non peccabo, sed prudenter agam, cum me vel rationi, quâ prudenter persuadeor, vel prudentum & Doctorum iudicio ac sensui consentiam, prout probabilitas opinionis quam amplector extrinseca, vel extrinseca est, vti fuit aliàs explicatum.

VI. Regula

7 VI. Regula. Licet ex oppositis opinionibus vtraque tuta & probabilis sit, obligamur tamen aliquando obligatione quapiam extrinsecâ tutiorem vel probabiliorem ex illis eligere & sequi, alioquin peccamus, non præcisè quod illa probabilior sit aut tutior altera, sed quia alioquin non satisfacimus alicui obligationi tunc vrgenti, sequendo opinionem oppositam, quamvis alioquin tutam & probabilem: v.g. in administratione sacramentorum, vel ægri curatione, lex charitatis obligat sequi opinionem probabiliorem de materia & forma necessaria ad valorem sacramenti, & de remedio probabiliori atque efficaciori ad curationem, & in similibus quibusdam casibus, vti fusiùs ostendimus *quæst. 5. in Consectariis.* Neque aliud fortassis volunt, qui docent probabiliorem opinionem esse sequendam; Certè argumenta quibus id probare conantur, non aliunde petuntur, quàm quia alioquin exponimus nos periculo nocendi proximo, cui nostram operam præstamus, aut etiam præstare tenemur. Quæ omnia nos fatemur, sed negamus quod ipsi affirmant, inde colligi nos teneri præcisè & absolutè ad complectendam opinionem probabiliorem aut tutiorem, & eo ipso quod probabilior vel tutior est, & ratione vitandi peccati quod incurremus, seclusâ omni aliâ obligatione extrinsecâ. Quare nostra ista Regula quæ est explicatio quædam, & limitatio Superioris, communis est & omninò certa, quam etiam euidens ratio demonstrat: si enim grauis obligatio vrgeat, quæ nequeat impleri, nisi certam & determinatam opinionem sequendo, & ex ea operando, non possumus tunc oppositam sequi, nisi violemus vrgentem obligationem; quamcumque enim probabilitatem habeat ea opinio, per eam non satisfaciemus obligationi, quâ tunc obstringimur; vnde etiam fit, vt si illam opinionem consideremus non in se absolutè & præcisè, siue speculatiuè, sed in istis circunstantiis, quibus vestitur in præsenti exercitio & praxi, & sine quibus nunc exerceri non potest, illa non sit probabilis neque tuta, quandoquidem per illam non modò non impleo præsentem & vrgentem obligationem, sed eam violo, ac proinde pecco. Quare eiusmodi opinio tunc practicè considerata, non est probabilis, & qui nouit obligationem quâ tenetur, & cui satisfacere non potest sequendo opinionem aliquam, non potest prudenter iudicare, sibi fas esse illam amplecti; cùm per illam violet obligationem quâ premitur, ab ea igitur abstinere tenetur. Quare semper manet superior regula, ex duabus opinionibus oppositis probabilibus & tutis, fas esse quam libuerit eligere; nam in nostro casu & aliis similibus vna ex opinionibus oppositis non est practicè probabilis & tuta, immò neque speculatiue, si illam omnibus circunstantiis à quibus in exercitio, & quodammodo in indiuiduo, hìc & nunc abstrahere nequit, vestitam consideremus, & non in vniuersum, & secundum suam naturam dumtaxat speculemur. Quare istas obligationes quibus cogimur aliquando certam & determinatam opinionem ex duabus oppositis, licet vtraque in sese spectata sit probabilis, amplecti in operando, vocant extrinsecam, quia sumitur ex aliquibus circunstantiis, quæ in ipso operationis exercitio reperiuntur aliquando, & non ex ipsa natura opinionis in sese præcisè & abstractè consideratâ, eiusmodi sunt lex, quæ tunc vrget & seruanda est, ius proximi quod violabitur stylis curiæ, & sensus communis, offensio & scandalum aliorum, pleraque absurda, & incommoda, quæ inde orirentur, quæque vt dixi praxim illam, & operationem prohibent, ideóque vt monebam, reddunt eam praxim tunc improbabilem, & illicitam. Quare in eo casu non datur electio inter duas opiniones oppositas probabiles, cùm propter circunstantiam implendæ tunc obligationis, altera sit prorsus improbabilis, indéque impugnari non possit nostra regula vniuersalis, esse in operantis arbitrio, quam voluerit opinionem ex duabus oppositis, tutis & probabilibus eligere. Quæ omnia ex casibus singularibus, in consectariis nuper allatis manifesta fiunt, probant alij; quia quoties bona fides nihil confert ad obtinendum effectum, qui quæritur, etiamsi excuset à peccato, tenemur adhibere medium, quo scimus nos assequuturos effectum intentum: v.g. in administratione sacramenti adhibenda est materia, & forma solita, quæ certa est, & non illa quam probabiliter existimo esse sufficientem; quia quamvis ea probabilitas excuset à culpa, non tamen obtinebit effectum, neque faciet validum sacramentum, si eiusmodi materia & forma non sint sufficientes, vt possunt non esse, si opinio de illarum sufficientia sit tantum probabilis: In ea igitur sequenda opinione in praxi iniuriam facio proximo, cui tale sacramentum administro, cùm possit certius administrari. Quod idem continget, quoties de seruando iure proximi agetur, si mea bona fides & sententia probabilis, ex qua operor, non sufficiat ad ius illud seruandum, & possim securiùs atque vtilius pro proximi iure tuendo operari: tunc enim tutiorem vel probabiliorem opinionem sequi tenebor.

VII. Regula. Ex duabus opinionibus probabilibus licet modò vnam, modò alteram sequi; atque ita sententiam mutare modò absit scandalum, & ea mutatio, eiusque libera facultas non sit in præiudicium tertij, qui per eam mutationem fraudabitur iure certo, & non tantum probabili quod habet. 8

Prima pars regulæ probata manet ex superioribus; si enim possim ex duabus opinionibus oppositis, tutis & probabilibus quam libuerit amplecti, cur etiam non licebit quam elegerim reiicere, & oppositam sequi; & cur cogar in sententia semel suscepta permanere, cum sua probabilitas æquè maneat oppositæ sententiæ, quam idcircò poteram amplecti initio, neque opinio quam tunc prætuli, quamque relinquere poteram, non euaserit per meam electionem probabilior, neque ipse mihi meam libertatē sustulerim, possintque accidere causæ quibus permouear ad mutandum opinionem, quamvis in ea suscipienda non peccauerim, neque eo interuallo decursi temporis ea facta fuerit improbabilior, sed dumtaxat mihi modò non libeat præstare, quod tunc libebat, & æquè liberum mihi sit arbitrium modò atque tunc erat. 9

Secunda pars regulæ, quæ prioris limitatio, vel exceptio quædam est, æque probatur, cum non possim ex sola mutatione sententiæ, nullaque alia de causâ præiudicare iuri certo tertij, quod hoc exemplo confirmat Lugo *disput. 15. de Eucharistia, sect. 3. num. 40.* Debeo ex iustitia singulis diebus nummum, ita tamen, vt onus illud affixum sit diei, itavt si non soluam vno die, non debeam duplum sequenti: Imminente igitur sonitu mediæ noctis, aut etiam pulsante vno horologio, Petro exigenti nummum sibi debitum, respondeo me stare alteri cuipiam horologio, & in eius pulsationem differre solutionem: vbi autem illud posterius horologium pulsauit signum mediæ noctis, aut mutata sententia sequi prius horologium, atque ita exactoiam toto illo tibi nihil debere, illicita est illa mutatio, per eam enim possem reddere inutile debitum; & ius Petri, mutata singulis diebus sententia post sonitum primi horologij, atque ita nihil toto anno soluere, quod nemo concedet: Cùm enim Petrus habeat certum ius, & non tantùm probabile ad nummum quotidie habendum, habet etiam ius, vt non mutes successiuè sententiam probabilem in ipsius præiudicium, 10

cium, quandoquidem eius sententiæ variatio debiti certi illius solutionem impediret: quod idem contingeret in aliis materiis extra iustitiam. Si enim sententia probabilis dicat me non teneri hodie ieiunare, sed eras, altera æquè probabilis dicat, me teneri hodie non cras, amplector hodie primam sententiam, & non ieiunabo, & cras sequar secundam, & non ieiunabo, quia præcedenti die tenebar, non hodie. Similia affert Lugo in ieiunio naturali præceptu ad Euchristiæ sumptionem, circa diuersorum horologiorum diuersitatem, & in aliis, in quibus ex ea mutatione sententiæ probabilis in aliam oppositam, sequeretur omnis exsolutio à certæ legis vrgentis obseruatione, quam nemo concedet, quia lex ius habet vt obseruetur, & ne ex sententia de qua agimus frustranea reddatur.

10 VIII. Regula. Opinio, quæ vel de fide est, vel ad illam accedit, illa præferenda est, quidquid grauissimi DD. in contrarium afferant.

11 IX. Regula. Sententia, quæ in legis & iuris sensu maximè nititur, vel vsu recepta, & consuetudine magis probatur, præferenda vtplurimùm est, maximè in foro externo.

12 X. Regula. In controuersiis circa pœnas & odia, à iuris vtriusque DD. excitatis, benignior plerumque sententia sequenda est, & ex ea iudicandum.

13 XI. Inter opiniones æque communes, & pondere rationum, atque authoritate DD. ferè æquales, quamvis liberum sit alterutram eligere, consultiùs tamen fuerit tutiorem præferre.

14 XII. In rebus agendis maximè in foro externo, communis opinio sapientis præfertur singulari.

Has omnes quatuor regulas & præceptiones affert, & pluribus illustrat Azor. 1. *p. instit. lib. 2. à cap. 9. ad* 18. quæ etiam nostris priùs positis non operosè colliguntur.

15 XIII. Opinio singularis non est eo ipso temeraria, quod singularis sit, & contra communem, quod *quæst.* 5. ostendimus: vnde vero communis vel singularis opinio dicenda sit, & quinam Authores præferendi aliis sint, explicabimus *lib. vltimo*, vbi de locis scientiæ canonicæ disputabimus, & de argumento ab authoritate ducto.

16 XIV. Et vltima regula. Vt quis licitè operetur, debet esse moraliter certus se in ea operatione non peccaturum. Probatur, quia si solùm debet iudicare probabiliter se non peccaturum, exponit se volens & sciens periculo tunc peccandi, & si illud iudicium falsum est, vti potest esse, & operans cognoscit, omnino peccat: quod absurdum erit, quia implicat bona fide operantem peccare. Neque dicas enim non peccare eo ipso quod habeat iudicium probabile, quia si non peccat, repugnat illud iudicium esse fallibile; alioquin si falleretur, peccaret, vt supponimus, & non peccaret, quia ad vitandum peccatum sufficiebat iudicium probabile ex aduersariis: neque potest iudicium aliquod sufficere ad excludendum peccatum, & simul cum illo cohærere peccatum; vt igitur licitè operetur, certus esse debet se non peccare hîc & nunc. Qui verò sequitur opinionem probabilem, certus est practicè se non peccare sequendo huiusmodi probabilem opinionem, & ex ea operando: quia certus est se prudenter agere, cum agat ex iudicio prudentum, quod faciendo non peccat, vt patet. Itaque aliud est opinionem aliquam esse probabilem practicè, aliud verò iudicium de licita operatione conformiter illi opinioni esse probabile dumtaxat, ac proinde fallibile & non excludere peccatum. Quare iudicium istud certum omnino est, & certò iudicat mihi licitum esse operari ex opinione probabili, & me tunc prudenter agere, nullámque culpam admittere. Itaque aliud est iudicium quo iudico probabilem esse aliquam opinionem, aliud verò illud quo iudico me non peccare, & licitè operari sequendo opinionem probabilem. Hoc postremum iudicium certum est & euidens, cùm certo principio innitatur, licet semper prudenter agere non peccatur sequendo iudicium prudentum: Sum autem certus me sequi prudentum iudicium, & me prudenter agere, quando certus sum opinionem quam sequor esse probabilem; si enim talis est, necessariò quoque prudens, & prudentum est, & denique certus sum me non peccare hîc & nunc. Vide plura de hac certitudine apud Arriagam 13. *disp.* 13. *sectione* 2. *subsect. item* 2. & Sfortiam Palauicinum *de actib. human.* 1.2 *disp.* 9 *art.* 1. & 2.

QVÆSTIO VI.

De conscientia dubia.

Quid sit opinio dubia. n. 1.

Nefas est operari cum conscientia practicè dubia. n. 2.

In dubiis tutior pars est eligenda. num. 3. 4. & 5.

Quid ferat vulgatum axioma, melior est dubia conditio possidentis. n. 6.

Consectaria.

Consectarium primum. De dubio legis latæ. num. 9.

Consectarium secundum. De dubio præcepti superioris. n. 10.

Consectarium tertium. De dubio voti. numer. 12.

Consectarium quartum. De dubio incursæ pœnæ. n. 13.

Consectarium quintum. De confessione dubij peccati. n. 15.

Consectarium sextum. De dubio coniugij contracti.

Obseruandum est discrimen olim inter opinionem & dubium allatum; in opinione enim animus vni parti contradictionis determinatè assentitur, licet de veritate oppositæ formidet, in dubio intellectus perpensis vtriusque partis coniecturis & motiuis cohibet assensum, & veluti in æquilibrio constitutus, in neutram partem inclinat, saltem vi rationum, licet fortassis ex quadam animi affectione magis in vnam propendeat, quæ dicitur tantum tenuis quædam suspicio aut determinatio ad vnam partem, quæ frequenter non aduertitur, neque ordinariè habet vim generandi assensum: Quare neque dicitur opinio, si quis tamen illum assensum clarè aduerteret, ex illo operari posset, quia esset determinatus, vt ait Vasq. *disp.* 67. *num.* 7. & Sanch. *capit.* 10. *lib.* 1. *in decal. num.* 4. 1

§. I.

§. I.

Nefas est operari cum conscientia practicè dubia.

2 Aio imprimis non licere operari cum dubio practico, id est, cum non modò dubitatur in vniuersum, an res sit licita, aut illicita, sed etiam an hîc & nunc nobis licita sit: Etsi enim iudicium practicum generetur ex iudicio speculatiuo, similéque illi sit; potest tamen ratione alicuius circunstantiæ iudicium practicum ab speculatiuo deficere, vt monuimus olim, licet v.g. dubitem, an aliquid in se spectatū licitum sit, possum tamen mihi persuadere hic & nunc esse mihi licitum v. g. retinere rem de qua dubitatur, an sit aliena, & an reddenda propter meliorem conditionem possidentis. Ita exposita assertio communissima est, & probatur, quia ille dubitans nullam habet regulam suæ actionis, cùm careat iudicio præscribente; quandiu enim hæret animus, neutram partem amplectendam esse dicit, & exponit se periculo peccandi, quando admittit id de quo dubitat esse peccatum, & sanè qui dubius an aliquid contra amicitiam faciat, illud nihilominùs facit, amicum offendit, cùm potius suæ libidini morem gerat, quam amicitiæ, cuius violandi periculum incurrit vt sibi satisfaciat: ita diuinam amicitiam offendit, qui eius lædendæ periculum non præcauet, sed illi se lubens & volens obiicit: vnde fit vt peccet eo genere peccati, de quo dubium est; si enim dubitat, an sit peccatum mortale, aut veniale, peccat peccato mortali aut veniali, & eius speciei ad quam reducitur materia, circa quam est dubium.

Respondendum itaque est, dubium saltem practicum & circa actionem singularem, quamvis maneat forsitan dubium speculatiuum, quod fieri posse sæpiùs monui, cum probatur alicuius circunstantiæ mutatione id, quod in se spectatum licitum, aut illicitum videbatur, possit hîc & nunc tali personæ reddi illicitum, aut licitum: deponitur autem dubium, assensum alteri parti determinatè præbendo; ita vt iam sit opinio, siue per extrinseca principia, cuiosmodi sunt fides publica, dicentis authoritas, vsus sapientum, antiqua consuetudo; siue etiam per intrinseca principia, quæ magis penetrata sunt, aut ipsa rei natura, causæ, effectus proprietas: quibus persuasus animus, qui prius anceps hærebat, ad vnam partem contradictionis duci se sinit, licet formidinem de veritate partis oppositæ retineat.

§. II.

In dubiis tutior pars eligenda est.

3 Si verò tam tenues sint vtriusque partis rationes, aut tam obtusus animus & tenebratus, vt illis non percellatur, aut ità peruicax, vt nullis se vinci non patiatur, & adhibitâ diligentiâ sufficienti, ac indagatâ veritate dubius persistat, tunc tutiorem partem eligendam esse dico, hoc est eam in qua aut nullum est peccati periculum, aut minoris saltem mali. v.g. dubitatur, an aliquod opus sit peccatum, abstinendum est ab opere quod dubitatur esse peccatum, aut si duo præcepta incompatibilia concurrant, quorum alterum necessariò violandum sit, violandum est illud quod minus obligat; regulariter autem naturale diuinum, & diuinum positiuum magis obligat quàm humanum quod inferioris est; naturale verò diuinum plusquam diuinum positiuum, & præcepta primæ tabulæ, magis quàm secundæ; præcepta negatiua magis quàm affirmatiua, quia negatiua semper & pro semper obligant: non autem affirmatiua. Denique præcepta altioris Domini magis quàm inferioris; potest tamen contingere, vt præceptum nobilioris virtutis, aut Prælati minus obliget vel ob prauitatem materiæ, vel ob maius bonum commune, quod ex inferioris præcepti transgressione violatur, vel ob maiorem certitudinem.

Denique alia est obligatio intensiua, alia extensiua; 4
Intensiua est, quæ sub maiori peccato obligat, & ob nobiliorem virtutem, extensiua, quæ diutiùs & vniuersalius obligat, quávis sub minori peccato, v.g. præceptum audiendi sacrum die Dominicâ magis obligat obligatione intensiua, quàm præceptum non mentiendi; quod tamen magis extensiua obligat, quia in nullo casu licet mentiri, cum tamen dari possit iusta causa excusans à seruando præcepto Missæ die Dominicâ. Quoties igitur dubitatur de duorum præceptorum violatione, alterumque violandum est, tutior pars erit violare quod minus obligat; si autem æqualiter obligent, attentis omnibus circunstantiis, licebit alterutrum ad libitum violare, quia cum vtrumque vt supponitur impleri nequeat, & neutrius obligatio præponderat; vtraque enim æque dubia est, & æqualis in omnibus aliis, non est vnde adigatur voluntas ad vnius potius, quàm alterius obseruationem. Immò si exigua inæqualitas sit inter illa præcepta, non erit nisi culpa venialis seruare leuius omisso grauiori. Atque hæc obligatio eligendi obseruationem grauioris præcepti tanta est, vt nunquam liceat voluntati etiam conditionaliter velle eligere violationem maioris præcepti v.g. si peccandum esset necessariò, malle fornicari, quàm mentiri à fide deficere, quam furari, incensum adolere Idolo, aut verbum iniuriosum alteri dicere, deberque in ea conditionali eligere minus malum voluntas, eritque bona ea hypothetica, alioquin est mala, vt fuse probat Sanch. *cap.* 10. *lib.* 1. *in decal. à n.* 22. *ad* 32. Et ita *assent.* Concil. Toleran. VIII. vt refertur *dist.* 13. *cap. duo mala licet sint certissimè præcauenda, tamen si periculi necessitas ex his vnum perpetrare compulerit, id debemus resoluere, quod minori nexu noscitur obligare.* & *cap. Nerui. ead. d.* 13. idem fusè refertur ex Gregor. *lib.* 32. *moral. cap.* 18. 19. & 20.

Tutiorem verò partem hoc modo explicatam in 5
dubiis eligendam esse apertissimè traditur *c. ad audientiam nostram de homicidio voluntario.* & *cap. iuuenis de sponsalibus:* quibus locis hoc principium tanquam lumine naturali notum supponitur, & ex eo respondet Pontifex quid in priori illo casu de dubio homicidij, & in posteriori de dubio matrimonij, de quibus infra agendum sit. Et sanè suffragatur aperta ratio; nisi enim alterum è duobus liceret, daretur perplexitas simpliciter, & status in quo hominem peccare necessarium esset; quod omnes passim iure reiiciunt. Deinde videtur omne periculum quantum humana prudentia vitari potest, dum partem tutiorem sequimur, & quamvis minus malum sit, malum in se spectatum, tamen respectu maioris mali, quod vitatur, rationem boni habet, dictatque prudentia, aut vtrumque malum fugiendum esse, aut si necesse sit alterum incurrere, minus præferendum; quod censet communissima sententia, quæ ait posse consuli minus malum ei, qui paratus est maius patrare, neque ab eo vllis rationibus auerti potest; ne enim occidat, author illi ero, vt solis plagis contentus sit; quod autem aliis consulere licebit, cur nefas fuerit sibi sumere in hac maximè perplexitate, de qua agimus, in qua dubium deponi nequit quâcumque adhibitâ diligentiâ.

§.III.

§. III.

Quid ferat vulgare axioma.

Melior est conditio possidentis.

6 Excipio tamē quoties possessio fauet dubitanti; tunc enim si reliqua paria sint, potest quis ea eo quod bona fide possideat, dubium practicum deponere, perseuerante dubio speculatiuo, & opinionem alioquin minus tutam licitè & tuto sequi: v.g. non restituere rem quam hactenus bonâ fide possedit, & de qua recens dubium ortum est; neque adhibitâ sufficienti diligentiâ potuit excuti, & rei veritas innotescere; quia certa vnius possessio, reddit iam ius inæquale; imò si quis in eam partem magis inclinaret, & rem alienam non crederet, si tamen non sit assensus determinatus, possessio præponderat illi inæqualitati, quæ videtur esse in iure illius, pro quo fortiores vrgent rationes. Itaque neque totam, neque partem rei pro ratione dubij reddere debet, vt aliqui existimant, & docuerat olim Sanch. *lib. 2. de mat. d.* 41. *num.* 19. Sed *lib.* 1. *in decalog. cap.* 10. *n.* 9. totam rem retineri posse probabilius docuit, cum Vasq. 1.2. *d.* 66. *c.* 7. *num.* 42. & Sal. *tract.* 8. *d. vn. num.* 531. ob rationem allatam; atque in materia iustitiæ hoc axioma tanquam certum omnes ferè admittunt, vt Vasq. Sal. & Sanch. *l. c. lib.* 2. *de mat.* fusè docent. Vnde fit, vt & rem retinere de qua dubitat, possit, quamdiu de vero domino inquirit, & vti adhibitâ diligentiâ non constat de domino, eadem re vti, & alienare, admonito tamen emptore de eo dubio, modo paratus sit inuento domino reddere, quem vsum si eo consumi aut deteri res solebat, liberum non habebit, ante præmissum examen de domino, fides autem mala nunquam facit possessionem alterius iuri præponderare, aut æquari; vnde qui emit v.g. dubitans rem esse furtiuam, tenetur domino restituere. Denique quod de meliore conditione possidentis in dubio, diximus, extendi etiam debet ad opinionem aut probabilitatem. Habetur autem hæc maxima *Regula in pari de Regul. in* 6. & *Dig. de Regul. iuris Regula in pari.*

7 Grauis porrò difficultas est, an hæc maximè valeat in aliis materiis extra iustitiam, itavt ratione illius possessionis possit practicè non dubitare aliquis, non obstante dubio speculatiuo, an obligetur v.g. lege, voto; negant enim Vasq. *d.* 65. & 66. siue dubium sit iuris, siue facti, hoc est, siue dubitetur, an res aliqua licita sit, an non, atque pro hac sententia negante xx. authores affert Sanch. *lib.* 1. *in decal. c.* 10. *num.* 10. qui tamen *ibid. n.* 11. & *lib.* 2. *de mat. d.* 41. *n.* 31. probabilius affirmantem docet cum Henriq. *lib.* 14. *c.* 3. *n.* 4. Suar. *tom.* 5. *in* 3. *p. d.* 40. *sect.* 5. *à num.* 14. *ad* 18. & *sect.* 6. *num.* 8. Filliuc. *tract.* 21. *cap.* 4. *num.* 159. Arriaga 1.2. *disp.* 25. *num.* 6. & *seq.* & aliis, qui in eo casu, quo possessio fauet dubitanti, dicunt consilium esse & non præceptum sequi tutiorem partem, quod ita intelligendum est, vt in reliquis omnibus par sit causa vtriusque. Nam si propter aliquam disparitatem, iusta alterius possessio vincatur, ea non faciet meliorem conditionem possidentis, etiam in materia iustitiæ. v. g. certus sum me contraxisse debitum, quocumque modo id contraxerim, & dubito vtrum soluerim, teneor integrè soluere, licet iustè adhuc meas pecunias possideam, quia cùm sit certum debitum, & solutio dubia, ea inæqualitas alterius solutioni præualet; pertinet autem ad iustitiam ponere æqualitatem inter vtriusque iura, quam constat in eo casu non asseri. Itaque in iure dicitur, in dubio & pari causa meliorem esse possidentis conditionem, simili ratione quando constat de voto emisso, aut lege imposita, dubitatur autem de impletione seu executione, tenemur exequi, quia tunc ea executio non præsumitur, sed dubitanti illam probare incumbit; atque ita possessio tenet se pro obligatione, non pro libertate voluntatis, quod diligenter aduertendum est: Hinc enim soluitur quod obiiciunt aduersarij, fore vt nunquam obligemur sequi in dubio tutiorem partem, semper enim possessio libertatis voluntatis fauebit dubitanti: Nam sæpius possessio non est ex parte voluntatis gaudentis adhuc suâ libertate, sed ex parte obligationis, atque tunc tutior pars tenenda est; hoc est, implenda obligatio, de qua, an impleta fuerit, dubitatur; quod sæpius contingit in dubio facti, quando ius certum est. Deinde quoties manet aliquis practicè dubius, etiam posito fauore possessionis, cogitur etiam quod tutius est amplecti. De isto possessionis fauore plura vide apud Arriag. 1. 2. *disp.* a 6. *tota*, & nos nonnulla diximus *de vniuersa negatione, lib.* 6. *cap.* 5. *art.* 2.

Hoc etiam axioma extendendum non est ad casus in iure exceptos inferius afferendos, ex quibus Vasq. & alij malè inferunt generalem regulam, in omni materia extra iustitiam, illud commune dictum minimè valere, cum grauis causa fuerit Pontifici, vt in illis singularibus casibus vellet nos tutiorem sequi partem, & quandoque etiam in pluribus casibus, qui afferri solent, consilium potiùs fuerit quàm præceptum, vt Suar. respondet *tom.* 3. *in* 3. *p. d.* 40. *sect.* 46. *num.* 9. Difficilis tamen est obiectio *ex cap. Iuuenis. de sponsalibus.* vbi iuuenis qui puellam nondum septennem duxerat, eaque deinde dimisâ superinduxerat eius consobrinam, iubetur seiungi à posteriore vxore, propter dubium impedimenti publicæ honestatis, & dubium valoris priorum sponsalium, quæ etiam forsan consummare tentauit, etsi non potuerit, neque aliam reddit Eugen. rationem, nisi quia in dubiis eligendum est tutius. In eo tamen casu possessio erat pro matrimonio secundo, & de quo constabat, & non pro impedimento quod oriri non potest, quando sponsalia sunt irrita defectu consensus, qui nullus esse præsumitur ante vsum rationis & septennium, nisi malitia suppleat ætatem. Quod cum pertineat ad factum non præsumitur, sed probandum est. Adde fauorem matrimonij pro quo in dubio præsumi solet, & tamen Pontifex ne principium naturale de eligenda tutiori parte in dubiis violaret, eiusmodi matrimonium rescidit. Resp. hunc textum vrgere quoque aduersarios, qui axioma de fauore possessionis in dubiis valere concedunt, saltem in causa iustitiæ: atqui fauor posterioris matrimonij, cuius erat possessio, ad materiam iustitiæ pertinet. Dicit itaque Sanch. *lib.* 1 *in decal. c.* 10. *num.* 15. In hoc casu certum fuisse valoris priorum sponsalium malitia supplente ætatem, quamvis conatus ad copulam esset dubius, atque ita impedimentum dirimens propter publicam honestatem certum erat; dubium tamen appellauit Pontifex, quia ex coniecturis tantum licèt validis, & quæ moralem certitudinem facerent, constabat, & quia coniecturæ tantum erant, omnimodam euidentiam & certitudinem non generabant: Irritum igitur, & nullum reuerà erat subsequens matrimonium, atque hanc interpretationem esse ad mentem Eugenij eius verba satis indicant; ait enim, *In his quæ dubia sunt, quæ certius existimamus tenere debemus*: non dicit, quod tutius existimamus, sed quod certius, quia certius erat priora sponsalia valida fuisse, atque ita intellecta vulgatis axiomatis de fauore possessionis ad omnes materias & alias virtutes extra iustitiam extensio. Probatur, quia ideò in materiâ iustitiæ potior est conditio possidentis, quia cùm vtriusque partis ius sit æquale, & certa sit alterius pos- 8

sessio,

ſeſſib, ille aã parte vincit non poſſidentem, ac proinde potior eſt iure. Atqui hæc ipſa ratio in omni materia valet: cùm enim ſit æquale ius obligationis ex parte voluntatis obligatæ & virtutis obligantis; & voluntas poſſideat hactenùs iuſtè & licitè ſuam libertatem, ea parte vincit ius virtutis obligantis, quod ſi poſſeſſio ſe teneat ex parte virtutis obligantis, vincit ſanè ius voluntatis, quod æquale tantum erat, neque rectè titulus poſſeſſionis ad ſolam iuſtitiã arctatur, eſt enim aliquid trãſcendens ad omnem virtutem ſpectans, cùm & voluntas ſuam libertatem poſſideat, & volenti eam ſpoliare incumbat obligationem probare: vnde vt iam dixi longè eſt diuerſa ratio, quãdo dubium eſt de facto, & conſtat de iure obligante; tunc enim poſſeſſio ſtat pro iure obligante, & non pro voluntate, quæ pridem per obligantem legem cùm lata eſt, priuata fuit ſuá libertate; vt autem certò cognoſcatur pro quo ſtet poſſeſſio, attendendum eſt, quid præſumatur in foro externo: ſi enim præſumptio fori externi ſtet pro libertate voluntatis, ea cenſebitur poſſidere, ſin minus varitas quæ inquiritur ſtare præſumatur pro obligatione, eius erit poſſeſſio, quia cum iuris externi præſumptio iniqua non ſit, neque temeraria, obligatio pro qua ſtat præſumptio, alteri præponderare debet; naque iudicia fori externi & interni diuerſa ſunt, niſi quando externum ſolã præſumptione & veriſimili coniecturã ducitur; internum autem perſpectã veritate licet occultã, aliàs eodem modo procedunt, & coniecturæ, quæ ob ſui veriſimilitudinem præſumptionem faciunt in foro externo, facere quoque debent in foro interno, qood pluribus exemplis oſtendit Sanch. *lib.1.in decal.cap.10.num.13.*

§. IV.

Conſectaria ad praxim.

Ex hac maxima de fauora poſſeſſionis in dubiis ſic explicata, plurima ad quotidianam praxim deduci poſſunt.

PRIMVM.

In dubio legis latæ.

9 Primò. Quoties dubium eſt, an lex aliqua fuerit impoſita, & an res ratione alicuius legis ſit illicita, neque adhibito examine deponitur dubium, non obligatur voluntas, cùi antiqua libertatis poſſeſſio in hoc dubio fauet, neque adeſt ſufficiens legis propoſitio, quæ ad inducendam obligationam exigitur, quamdiu de exiſtentia legis poſt debitum examen nihil certi apparet, & manet dubius animus, ita Sanch. *l.2.de mat. d.41.num.37.& lib.1.in decal.c.10.num.32.* Soar. *tom.5. in 3.p.d.4.ſect.5.num.15.* Henriq. *lib.8.cap.45.num.3.* Filliuc. *tract.21.num.163.* Contra Vaſq. *1.2.d.63.art.3. & d.66.cap.1.* Sal. *d.vn.tract.8.ſ.25.num.258.* Vnde ſequitur, eum qui dubitat, an. xxi. annum impleuerit, non teneri ieiunio, quia hoc eſt dubitare, an illi ſit impoſita lex ieiunandi. Quando verò conſtat de lege, dubitatur autem an rationa neceſſitatis vel aliqua alia de cauſa quis obligetur, vel lex contraria conſuetudina aut lege ſit abrogata; an verò pœna impoſita à lege, v.g. excommunicatio vel ſuſpenſio ſit vſu recepta; poſſeſſio ſtat pro lege, & cum iam antè ſpoliata fuerit voluntas ſuã libertate, non eſt cur in hoc dubio eam recipiat lege iam poſſidente. Id mihi omninò videtur velle Suar. *lib.6.de legib.cap.8.num.10.* cum ait, in dubio an aliquis caſus lege comprehendatur, non eſſe vtendum Epikiã, ſed ſeruandam eſſe legem, niſi quando duæ leges pugnare videntur; tunc enim licet vnam partem quam volueris ſequi; atque ita, quando eſt dubium, an impletum fuerit opus quod ex præcepto iubetur, implendum eſt, quando etiam dubitatur, an aliquis habeat ætatem ad ordines v. g. requiſitam, poſſeſſio quoque eſt pro præcepto, quia de illo non dubitatur: Qui dubitat, an audita fuerit hora 12. noctis, & nihilominus comedit, non poterit die ſequenti ad Euchariſtiam accedere, quia præceptum de ieiunio naturali ad hoc requiſito certum eſt, & nulla eſt hîc poſſeſſio, quæ alteri parti faueat; poterit tamen in eo dubio horæ edere carnes, quamvis dies ſequens ſit ſexta feria, quia dubium non eſt, an tunc excuſetur à præcepto, ſed an ſit præceptum & poſſeſſio, eſt in præcepto libertatis; ſi tamen eſſet hodie dies ieiunij, dubiteturque an hora 12. noctis pulſata fuerit, non licere edere carnes, quia certum eſt diem hanc eſſe ieiunij, & dubitatur an iam tranſacta ſit; itaque poſſeſſio pro eã die præſumitur: Si autem ſint diuerſa horologia, poterit quod libuerit ſequi, ſe habent enim vt diuerſæ opiniones probabiles de eadem. Denique ſi vnum eſſet horologium, ſi quis ad vltimum vſque pulſum horæ 12. bibat, non poterit die ſequenti communicare, quia ad primum pulſum hora 12. expleta eſt, quod ſuo pulſu indicat horologium. ita Sanch. *lib.2.de mat.d.41. num.40.*

CONSECTARIVM II.

De dubio præcepti ſuperioris.

Secundò tenetur inferior obedire ſuperiori, licet 10
dubitet, an res imperata ſit licita, an non; vel an excedat limites poteſtatis ſuperioris, aut an habeat iuriſdictionem. Quare debet ſubditus dubium practicum quod habet tanquam à conſcientia erronea cadens deponere, quia in eo dubio fauet Prælato poſſeſſio ſuperioritatis, quá re manente, quiã ſpoliari non debet, fauétque præſumptio iuris externi; neque ſuperior habet tantùm ius præcipiendi, quæ ſubditus nouit eſſe iuſta, ſed quæ non conſtat eſſe iniuſta, aut limites ſuæ poteſtatis excedentia: Et ſanè cùm ad gubernationem inferiorum tendat omnis ſuperioris authoritas, ea gubernatio in rebus præſertim dubiis neceſſaria eſt. Ita contra Vaſq. *1.2.d.66.capit.9.1.2.* Et Sal. *d.vnic. tract.8. n.152.* Peſant. *d.8. de conſcientia dubia.* docet Sanch. *lib.6.in decal.cap.3.* vbi *num.3.43.* authores in hanc rem allegat, quibus adde Bonacin. *d.10.in decal. q.3.p.2.n.4.* Theoph. *de veris.cap.4.num.6.* vnde ſequitur Religioſum valetudine laborantem dubium, an teneatur ieiunio officij recitatione, teneri obedire prælato prohibenti ne ieiunet, quia dubium tunc eſt tantùm, an illa omiſſio ſit licita, & ſuperioris mandatum eſt legis interpretatio. Neque tenetur ſubditus peritos conſulere, aliudque præſtare, quo rei veritas ampliùs exploretur, quia ſubditi non eſt examinare præceptum ſuperioris: vnde non eſt quod obiiciunt de dubitante de valore matrimonij, aut vero domino rei quam poſſidet, horum non eſt hæc examinare. Ita Valent. *2.2.d.7.queſt.5.p.2.Coroll.2.* Sanch. *l.c.num.19.* Si tamen exiſtimaret ſuperiorem aut ex ignorantia aut oblinione alicuius circnoſtantiæ præcipere quod ſubditus dubitat eſſe illicitum, tenetur veritatis circunſtantiam proponere, & deinde perſtante præcepto obedire.

Limitat tamen hanc ſententiam Sanch. nam pri- 11
mò ſubditus certus ſe non peccare non parendo ſuperiori defectu poteſtatis circa rem quam præcipit, ſi dubitet an ea res ſit illicita, aut an obediendo, tenetur non parere cum dubio rei illicitæ, quia nulla eſt ratio eius

eius dubij deponēdi, & exponere se peccandi periculo, cùm possessio non faueat superiori. Secundò non licet subdito exequi id quod dubitat esse licitum, eo quod sciat superiorem ita velle, nisi illud ipsum expressè aut tacitè præcipiat, aut nisi propter superioris authoritatem esse quoque opinionem probabilem iudicet, quia tunc non est causa sufficiens deponendi dubij. Quare si vni tantum ex pluribus dubitantibus prælatus tantùm imperaret, non esset aliis integrum idem exequi, quia temerariò dubium deponerent. Tertiò si subditus certus sit superiorem quoque dubitare, an quod præcipit licitum sit, aut eius potestatem excedat, eo dubio stante nequit licitè parere, quia possessio non fauet superiori, quæ est tantum iuris præcipiendi, quæ licita credit. Quare tunc non petit à subdito aliquid sibi debitum; si tamen subditus sciret rem esse licitam, & non excedere potestatem superioris, qui de his omnibus dubitaret, etsi superior ex conscientia erronea malè imperaret, subditus tamen obedire cogeretur; sicut etsi verus rei dominus petat, dubitans esse suam & malè petat, qui eam rem possidet, domino cognito licet malè petenti reddere tenetur. Quartò si dubitet subditus an aliquid factum verè fuerit sequuta irregularitas, à qua superior non possit dispensare, non tenetur obedire præcipienti celebrare, quia tunc res præcepta est euidenter illicita, cum in dubio facti debeat se quilibet censurâ innodatum existimare. Quintò si res de qua dubitatur mœstissima aut difficillima esset, non tenetur statim parere, sed potest rem amplius discutere, quia tanta rei difficultas cum dubio, præponderat possessioni superioris, & fauet libertati subditi. Sextò si in dubio timeatur ex executione rei imperatæ maximum aliquod tertij incommodum, quod maius erit, quam semel non obedire, non tenetur obedire, quia hæc omnia simul sumpta præponderant iuri superioris, & Reo potiùs quàm alteri in dubiis fauendum est, quando autem non tenetur subditus obedire, id verum erit, etsi sub pœna censuræ iubeatur, quia censura non infligitur nisi ratione inobedientiæ, quæ tunc nulla erit vt diximus.

CONSECTARIUM III.

De dubio voti & iuramenti.

22 Tertiò. Qui dubitat an votum aliquod emiserit, eo non tenetur, cum possessio tunc suffragetur voluntati, & non iuramento aut voto ita Suar. *tom.5. in 3.p. d.40.sect.5.num.15.* Henriq. *lib.8.c.45.* Rebell. *de iustitia part.2.lib.1.quæst.3.sect.2.num.10. & 11.* Sanch. *lib.4.de mat.d.9.num.11.* & *lib.1.in decal.cap.10.n.36.* contra Vasq. *1.2.d.64.c.3.* Azor. *lib.2.tom.1.capit.19. q.20.* Sal. *d.vnic.tract.8.n.165.* & *n.252.* quod & dicendum est, quando dubium est de modo vouendi & se obligandi, vt an cùm vouit castitatem & Religionem, an vouerit castitatem dependenter à Religione, an seorsim vtrumque, an vouerit Religionem tantùm in communi, aut aliquam specialem, an dum vouit se nullam cogniturum fœminam, de copulâ tantum illicita, an etiam licita intellexerit. In his omnibus fauendum est libertati voluntatis, quæ est in possessione, quia si quando dubitatur de tota obligatione, vt an votum emiserit, ad nihil tenetur, ergo quando dubium erit de aliqua parte obligationis, ad illam partem non tenebitur, secus verò quando quis certus de voto, dubitat an illo obligetur ratione alicuius circunstantiæ, aut an habuerit animum se obligandi, tunc enim possessio fauet voto, pro quo etiam stabit præsumptio in foro externo, quia obligatio naturaliter consequitur votum & promissionem quam constat emissam fuisse; si quis autem dubitaret an attigisset 25. an. dum vouit votum reale, aut pubertatem dum vouit personale, etsi ipse obligatus maneat, potest tamen illud votum pater vouentis irritare, quia pater possessionem habet ne filius independenter ab ipsius voluntate voueat ante illam ætatem, qua possessione quandiu res dubia est, spoliari non potest, estque possessio paternæ authoritatis hoc loco antiquior possessione voti.

CONSECTARIUM IV.

De dubio incursa pœna.

Qui dubitat an delicto quod admisit, sit annexa pœna irregularitatis alteriusve censuræ, in neutro foro est irregularis, aut censura innodatus, neque tenetur aut ab ordinum ministerio cessare, aut absolutionem procurare, aut vt excommunicatum ex aliquâ censurâ ligatum se gerere: Ita Sanch. *lib.1. in decal. c.10.n.42. & 56.* contra Vasq. *d.65. n.11. & d.66.c.1.* quia *cap.13.de sent.excom.in 6.* definitur, quod non incurri potest irregularitas, nisi & in iure sit expressa: quare nō incurret quoque vbi totum ius dubium erit. Et sanè in foro externo præsumptio stabit pro dubitante, qui nequaquam vt irregularis damnabitur. Neque censetur lex vt suprà diximus, quādiu dubia est, an sufficiēter sit promulgata inducere obligationē. Quare qui cum illo dubio iurit, an esset irregularis suscepit ordines, & demùm post adhibitam diligentiam manet dubius, potest ministrare in sacris, quia etsi peccaric suscipiendo ordines ante adhibitam diligentiam, illi tamen peccato non est inflicta irregularitas, & iam post adhibitam diligentiam non tenetur se gerere pro irregulari: Quando autem dubium est facti, seu an sit admissum delictum v. g. homicidium, cui certum est impositam fuisse irregularitatem, tunc in vtroque foro interno & externo ille censebitur irregularis. Ita idem Sanch. Suar. *tom.5.in 3.p.d.40.sect.5.num.18.* & alij, quia id expressim est clarè in iure *cap. Ad audientiam nostram de homicidio voluntario,* & in foro externo ille damnabitur, quæ tamen damnatio expectanda non est; cùm enim hæc pœna suaptè natura iam indigeat iudicis sententia, ius ita censetur eam inducere, vt in vtroque foro ex ipso facto oriatur quoad ea, quæ sunt ipsi essentialia, qualis est cessatio à ministerio ordinum, celebratione Missæ, non autem quoad alias pœnas externas consequentes. Quare qui præbet causam abortui, licet dubium sit an fuerit fœtus animatus, sicque ille vel homicida vel irregularis est. Qui etiam consilium occidendi dedit, & dubitat an ex eo consilio, sequutum fuisse homicidium, est irregularis, quia in dubio homicidij censenda irregularitas est contracta, vt patet ex iuribus citatis: vnde vides non esse eandem rationem restitutionis, ad quam in eo dubio non tenetur quis, quia opinionem dubiam sequitur ex natura rei, & ex dubio melior est conditio possidentis: at verò irregularitas pœna est, quæ iure humano in tali etiam casu potuit infligi; In aliis tamen irregularitatibus, quando non est dubium facti, non debet censeri quis irregularis, quia omnia iura clamant in dubio reum absoluendum. Cum igitur in solo dubio homicidij incurri irregularitatem ius exprimat, in dubio delictorum, quibus erat annexa irregularitas, standum erit regulæ communi: vnde ne quidem ad irregularitatem ex mutilatione aut iusta occisione natam, quando dubitatur de mutilatione & de iustitia occisionis, extendi vult Sanc. *n.49. & 50.* atque stante eiusmodi dubio non contrahi irregularitatem, quod multò verius est in excommunicatione, aliisque censuris, 23

Iuris, quæ neque in dubio iuris, neque in dubio facti contrahi censendæ sunt, cùm melior sit conditio possidentis, & in dubio absoluendus sit reus, nisi dubitetur tantùm de valore excommunicationis, aut censuræ propter interpositam appellationem, quia tunc præsumitur possessio stare pro excommunicatione; quod etiam dicendum est, quando dubitatur de potestate excommunicantis, quando ille est iam in possessione excommunicandi; si autem in ea non sit, incumbet illi suam possessionem & authoritatem probare: quate possessio ei non fuerit, sed de his casibus plura diximus opere de censuris & irregularitate.

Consectarium V.

De confessione dubij peccati.

14 Quintò. Tenetur quis confiteri dubia peccata mortalia sub dubio, siue dubitet de qualitate tantum criminis, certus de admissione eius, siue dubius sit de ipso facto, seu an admiserit, siue an aliàs fassus sit, & clauibus subiecerit, ita omnes quia tūc positio est pro præcepto confessionis, & in dubio, tunc tantum illi fauet possessio, quando obligatur aliquis ad aliquid excedens dubij limites. etsi restituere cogeretur qui dubitat de re, quam possidet; conditio enim illius esset deterior, quod si non dubitaret, & sic non obligaretur, nisi fateri sub dubio, quod reuerà habet, tunc igitur erit tenenda tutior pars. Quando autem dubitatur an casus sit reseruatus censet Sanch. *n.* 74. non esse existimandum reseruatum, neque adeundum ea de causa superiorem, v g. reseruatur grauis percussio clerici, & dubitatur an hæc sic grauis percussio, ac proinde reseruata, id verò ita intelligendum est, vt in foro externo non stet præsumptio contra delinquentem, tunc enim tale delictum existimandum est reseruatum.

Consectarium VI.

De dubio coniugij contracti.

15 Sextò, quando coniugum alter post initum bona fide matrimonium de eius valore dubitat, potest ante diligens examen de valore matrimonij debitum reddere, non tamen petere, quia qui rem quam alienam esse putat, possidet, eam retinere potest, quamdiu inquirit de domino, non tamen ea vti; vsus autem veluti actus matrimonij est in petitione, redditio autem est tantùm, ne alter sua possessione priuetur, & dominio quod habet; vnde reddere tenetur iustè & licitè petenti post adhibitum sufficiens examen, potest & petere & reddere: ita probabilius putat Sanch. *lib.* 2. *mat. d.* 41. *num.* 47. Refragante Vasq. *d.* 12. 66. *cap.* 4. Anton. Perez *certamine* 10. *num.* 133. probatur, quia possessor bonæ fidei vti dubitat de aliena re, vincere non potest, adhibito tamen examine licite rem illam retinet, eademque licitè vtitur; poterit igitur vti matrimonio dubitans de eo, petendo, videlicet & reddendo debitum, & omnia quæ in petitionem aduetsarij intorquent, eadem in redditionem quoque retorqueri possunt, vt etiā vidit Vasquez, qui proinde aliter non ostendit licitam esse redditionem, quam quia in dubiis tutior pars est eligenda; Est autem tutior pars reddere quam non reddere, quia non reddendo peccatur contra iustitiam, si sit vetus coniux, qui petit; reddendo autem peccatur tantùm contra castitatem, in non petendo autem non peccatur, quia petitio libera est, petendo autem incurritur periculum fornicationis: verùm nullum incurritur periculum in hac petitione, vt satis apparet ex ignorantia inuincibili, quam habet coniux dubius, etiamsi petat cum nōn potuerit vllā diligentiā dubium vincere: præterquam quod si vterque coniux esset ita dubius, neuter posset petere, neque proinde vllus reddere, atque ita vitam cælibem ducere cogerentur. Denique definitionem Ecclesiæ apertam ait Vasq. haberi *c. dominus de secūdis nuptiis*, vbi Lucius iubet christianis à Saracenis detentis, qui dubij de morte prioris coniugis matrimonia contraxerant, non exigere debitum, sed solum reddere, quod idem quoque statuit Innoc. III. *c. Inquisitioni de sententia excommunicat.* Verùm hæc intra intelligenda sunt de dubio, quod aliquā diligentiā vinci potuit, aut potest, non verò vti inuincibilis est, vt nos supponimus esse; quod idem dicendum est quando vterque coniux dubius est: Nam antè examen neuter licitè petit, neque proinde licitè reddit, at verò adhibitā diligentiā, cuius hactenus meminimus, vterque licitè petet, & reddet, sed de hoc dubio & verbis Lucij III fusiùs alibi, interim adi Arriag. 1. 2. *disp.* 5. *sect.* 4 *tota.*

Ex his omnibus tandem colliges vulgatum axioma de meliori conditione possidentis valere in omni materia, quando dubium est iuris, non autem quando dubium est facti, nisi in lege Pontificia, & censuris, quæ quando dubium est factum, coi annexæ sunt, non incurrunter in illo foro præter irregularitatem homicidio annexam, illa enim etiam stante dubio homicidio contrahitur ex peculiari iuris definitione: axioma autem aliud de sequenda in dubiis tutiori parte, valet quoque vbique, quoties dubitanti possessio non fauet, sed fauet obligationi contractæ, atque ita non se destruunt hæ Regulæ: cætera consectaria in singulis materiis facilius tradentur. Indicem horum dublorum texuit ordine alphabetico Tambur. *lib.* 1. *in decal. c.* 3. §. 8. quem adeas velim, plerasque etiam quæstiones dabit hac in parte Azor. 1. *p. lib.* 2. *c.* 18. *&* 19. vide & fusissime Bossium *tract.* 1. *part.* 2. *tit.* 1. qui est totus de conscientia dubia; tractandæ enim forent hoc loco singulæ ferè materiæ, de quibus potest suboriri dubitatio in agendo, quod faciunt aliqui ex allatis Doctoribus, quæ digressio videtur mihi importuna hoc loco.

Qvæstio VII.

De conscientia scrupulosa.

§. 1. *Quid sit conscientia scrupulosa.*

§. 2. *Causa & remedia huius mali.*

Pauca quæ de hac vltima conscientia supersunt indicabo; fusior enim tractatio superflua foret hoc loco, & aliò omnino spectat.

§. I.

Quid sit scrupulosa conscientia.

Dicendum est nos licitè contra conscientiam scrupulosam etiam perseuerante scrupulo operari. Ita omnes. Cum enim scrupulus sit vacillatio seu fluctuatio quædam mentis circa conceptam semel opinionem, aut determinatum vnius partis assensum ex leui fundamento procedens, vnde etiam pusillanimitas apud Nidet. 3. *p. consci.* dicitur, & ab aliis leuis quædam suspicio nō potest, etsi molestum sit, tollere certitudinem practicam ad honestè operandum requisitam: Et sanè, si licet operari ex iudicio probabili manente formidine partis oppositæ, cuius probabilitas cognoscitur, multò magis fas fuerit operari cum determinato vnius partis assensu, perseuerante scrupulo, seu leui suspicione de illius falsitate, aut improbabilitate, seu oppositæ partis probabilitate: si enim hic scrupulus priorem assensum expelleret, & nouum extorqueret, iam non esset scru-

pulus;

pulus;sed dubium;quando autem Pontifex *c. Inquisit. de sent. excomm.* iubet, vt qui leniter & temerariò de valore matrimonij dubitat,ea conscientia ad consilium sui Pastoris explosâ, vtatur matrimonio, vti videtur velle non posse agi contra conscientiam leuem, seu scrupulosam,nisi deposito scrupulo, vult dumtaxat illi non præstari consensum, quamvis fodicare animum perseueret.

§. II.

Huius mali causæ & remedia.

Huius morbi molestias & causas pluribus prosequitur Nider. *3.p.consolatorij* & *ibid.* medicinam facere conatur, quod & plures alij accuratè præstiterunt, Laurent.Iustin. *de disciplina christiana c.13*,Gerson. *2.p.1.opuscul.de natura & qualitate conscientiæ*,& *Alphab. 59.l.9.& alphab.70.l.m.* Anton. *1.p.tit.3.cap.10.§.10.* & ex illo Nauar. *c.27.Ench. n.*282. atque recentiores omnes hoc loco,in iisque fusius Sal *tract.8.d.vni.sect.29.*Pesant,*d.2.de consc.scrupulos.* Regin.*lib.2.c.9.&* 10. accuratè Sanch. *c.*10. *n.*81*.lib.1.in decal.* Arriaga *1.2. disp.27.sect.3.*Iosephi Rossel.Carthus.*tract.de deponenda conscientia dubia & scrupulosa.*Laym.*lib.1.tract.1.cap.6.* Ferd.à Castro Pala. *tract.1. disp.4.punct.2.* Azot. *1.p. lib.2.c.20.* Ludou.Gran. *de deuotione p.2.c.3.§.3.*Binsfeldius *de tentationibus c.6.* Alphonsus Cabrera *de scrupulis.* Rod.Aluar. *de vita spirituali tom.2.lib.1.p.3.c.12.* Summistæ omnes verbo *scrupulus*.Boss.*p.3.de conscientia scrupulosa* fusissimè qui & alios dabit. Ex quibus hæc obseruanda maximè videntur. Primò videndæ sunt causæ ex quibus procedunt scrupuli: Nam huius fons sæpè est timidus animus inquietus, leuis in iudicando; ex qualibet enim coniectura mutat iudicium, nimia in omnia sua,& omnes euentus reflexio,peruicacia,& tenacitas proprij sensus,peccata aliàs commissa, Dæmonis denique impugnatio: quibus causis aliqua remedia prosunt, vt pharmaca, moderata recreatio,otij fuga, & occupatio, quâ animus seriis exercitiis pœnes exprimatur, diuinæ bonitatis consideratio, oratio, lectio spiritualis &c. 2. Inculcandæ sunt regulæ generales circa modum honestè operandi hactenus hîc traditum. Primò in dubiis parendum omnino esse superiori. Secundò fas esse operari contra dubium speculatiuum, cuiusmodi sunt plerumque scrupuli, qui etiam neque ad dubium accedunt. Tertiò fas esse operari contra propriam opinionem,& sequi alienam, quamvis minus tutam minúsque probabilem, etiam retentâ propriâ, & cum formidine partis oppositæ, ita nos neque ad tutiorem, neque ad probabiliorem opinionem teneri, modò probabilem sequamur.Quartò,vnius viri docti & pij authoritatem sufficere ad reddédam opinionem probabilem.Quintò ex communi omnium Doctorum consensu fas esse, imò & interdum necessarium agere contra dictamen conscientiæ scrupulosæ,ita enim Sanch.*l.c.n.*83. dicit præceptum esse aliquando operari contra scrupulos, vbi ex illis malitiis graue detrimentum timetur;itaque dum ita anxius, vt vitet malum scrupulis obedit, in illud ipsum malum incurrit, quod asserit quoque Val. *9.2.q.14.p.4.q. vlt.6.* Anton. Peres *certamine* 10.*scholast.* non tenetur scrupulosus examinare causam scrupuli, satis est audierit eam esse leuem & ridiculam: deponet itaque scrupulum absque satellitio oppositarum rationum. Sanch.*num.*80.Vt quis contra scrupulum agat, non est opus euidenter sciat esse scrupulum, sed probabiliter tantum credat,nam eo ipso quòd probabile scit esse scrupulum, est quoque probabile omni fundamento carere; huc facit quod ait Caietan. *In summa verb. scrupulus* dubitationem, quæ in aliis esset rationalis,in scrupuloso nihili faciendam,etsi dubitet, aut etiam erret speculatiuè non practicè. 7.In moralibus frustrà quæri omnimodam certitudinem. 8. Epichia vtendum sæpissimè. 9. Filliuc. *tract.21.c.4.n.*18. benè intelligantur illa axiomata, quibus sibi blandiri solent scrupulosi. *Qui amat periculum in eo peribit*, hoc est, qui se moraliter saltem probabili periculo, & cum dubio practico exponit.Secundò bonarum mentium est,ibi culpam agnoscere, vbi culpa non est, exponendum est de moderato quodam timore & confessione apud Deum secreta non sacramentali. Ita vt non liceat perpetuò confessarium in his dubiis adire. 3. *tene certum,dimitte incertum*, de certitudine morali loquitur. Cùm itaque pars opposita scrupulo certa sit moraliter,tenenda erit.His & similibus principiis extrinsecis tutam sibi conscientiam quis fingere poterit. Quartò fidat viro pio, & docto, & quod illi insserit præstet, certus se eâ in parte nulli obnoxium esse periculo. Quintò sæpiùs contra scrupulos suos ex dictamine viri pij faciat, neque illis inhæreat libenter, sed cogitationem aliò auertat. Sextò,ipse suam agnoscat ægritudinem, quam se omni pace priuet, dæmoni faueat, plurima ridicula operetur. Septimò, confessarius persuadeat huic ægroto. Primò nihil tanquam mortale fateatur, aut vt non aliàs expressum: iterùm confiteatur, nisi non modò certus sit se admisisse, consensum præstitisse, non fuisse confessum, & illud esse mortale,sed etiam iuramento affirmare possit. Ita Sanch.*num.*82. Vasq. *d.* 67.*cap.*2.Sà.*v.dubium, num.*5. Azot. *lib.*2. *tom.*1. *cap.*10. Secundò, non admittat frequenter dubia scrupulosi, imò si adeuntem aliquando verbis exterreat,alioqin nunquam exhauriet fontem dubiorum. Tertiò, neque patiatur, vt dubium quidquam confiteri,aut iteratò confessionem constituere,vbi aliquam diligentiam adhibitam fuisse constat. Quartò, iubeat sæpè nullo alio consulto, solus quid agendum sit decernat. Quintò, dubia eius quoad fieri poterit in meliorem partem interpretetur. Sextò, velit iuuari ipse scrupulosus, ac proinde adhibitis remediis vtatur, ceruicosus non sit,sibi non fidat: humilis sit,& Deo confidens,ad diuinam gratiam se disponat, Septimò, aliqui ita anguntur circa præterita peccata, vt futura non caueant, aut circa determinatam, eámque leuem aliquando materiam, & tamen circa alia omnia facilè sese præcipitent, isti difficilè sanantur,& frequenti confessione expiandi sunt, vt habet. Vasq. atque diuinis iudiciis continendi in officio. Vide *cit.* Anton.vno verbo moneo eum, qui curandum suscipit scrupulosum peritum esse oportere in materia circa quam versantur illi scrupuli, & suauem in tractando ægroto,atque prudentem,illique lumen à Deo petendum esse enixè.

LIBER



LIBER QVARTVS.

DE IVRE POSITIVO, DIVINO, & Humano.



ACTENVS de iure naturali fusiùs disputauimus, illud enim reliqui totius iuris siue diuini siue humani fons & origo quædam est. Vti eleganter edisserit Tullius lib. 1. de legibus*: vbi à lege, quæ est* ratio summa insita in natura, quæ iubet quæ facienda sunt, prohibétque contraria, *ducendum esse constituendi iuris exordium censet; Illa enim sæculis omnibus antè nata est, quàm scripta lex vlla, aut quam omninò Ciuitas constituta: Quare sic tandem concludit,* repetam stirpem iuris à natura, qua Duce est nobis omnis disputatio explicanda; *Et deinceps ita disputat, concedi sibi postulat imprimis Deorum immortalium, vt naturâ, ratione, potestate, mente, numine, siue quod est aliud verbum, quo planiùs significet, quod vult, naturam omnem regi; si enim hoc non detur, ab eo illius causa ordiendum erit potissimum, hoc verò concesso pergit ostendere, hominem animal rationis & cogitationis particeps conditum à supremo Deo, cùm cætera omnia rationis sint expertia; quæ ratio cùm & in Deo, & in homine sit, prima homini cum Deo rationis societas est, & cùm recta ratio lex sit, lege quoque consociari homines cum dijs putandi sumus. Inter quos porrò est communio legis, inter eos communio iuris est: quibus autem hæc sunt inter eos communia, & ciuitatis eiusdem habendi sunt: Si verò ijsdem imperiis & potestatibus parent, multò magis parent huic cœlesti descriptioni, mentique diuinæ, & præpotenti Deo: vnde etiam vniuersus hic mundus, vna ciuitas communis Deorum atque hominum est existimanda, & quod in ciuitatibus ratione quadam agnationibus familiarum distinguuntur status, id in rerum natura tantò est magnificentiùs, tantóque præclariùs, vt homines Deorum agnatione & gente teneantur. Pergit deinde hanc hominis cum Deo cognationem pluribus eleganter ostendere, & eandem esse in homine ac Deo rationem, & virtutem, neque vllo alio ingenio præterea: Est autem virtus nihil aliud, quàm in se perfecta, & ad summum perducta natura: Addit deinde ipsam per se naturam longiùs progredi, quæ etiam nullo docente, profecta ab ijs, quorum ex prima, & inchoata intelligentiâ genera cognouit, confirmat ipsa per se rationem & perficit, & omnium, quæ in hominum Doctorum disputationibus versantur, nihil esse profectò præstabilius, quàm planè intelligi, nos ad iustitiam esse natos, neque opinione, sed naturâ constitutum esse ius; nec est quisquam gentis vllus, qui Ducem nactus ad virtutem peruenire non possit. Tum fusiùs ostendit eandem naturam omnibus communem esse, & non solùm in rectis, sed etiam in prauitatibus insignem esse humani generis similitudinem, & quidem natura communis est: tanta verò est corruptela malæ consuetudinis, vt ab ea tanquam igniculi extinguantur natura dati, exordiantúrque, & confirmentur vitia contraria: quod si quod modo est natura, sic iudicent homines, humani nihil à se alienum putarent, & coleretur ius æquè ab omnibus; quibus enim ratio natura data est, ijsdem etiam recta ratio data est, ergo & lex quæ est recta ratio iubendo, & vetando: Si lex ius quoque. At omnibus ratio: Ius igitur datum est omnibus. Ex quibus ita à Marco Tullio disputatis colligit Atticus* in illo Dialogo,

primùm quasi muneribus Deorum nos esse instructos & ornatos : Secundò autem locô vnam esse hominum inter ipsos viuendi parem , communémque rationem : deinde omnes inter se naturali quâdam indulgentiâ , & beneuolentiâ , cum etiam Societate iuris contineri ; quare nec liceret nobis à natura legem , & iura seiungere. Deinde ex ipsa conscientia & ratione peccatum & scelus damnante , non ex pœna , malum , &c. turpe ex natura esse & iustum ostendebat Cicero , sed ea pars operis nobis periit. Est enim, *inquit* , vnum Ius, quo deuincta est hominum Societas, *Et quod lex constituit vna. Quæ lex est recta ratio* imperandi atque prohibendi, quàm qui ignorat, is est iniustus , siue est illa scripta vspiam, siue nusquam , nulla est omninò iniustitia , si natura non est , & si natura confirmatum ius non erit, virtutes omnes tollentur. Si populorum iussis , si Principum decretis , si sententiis Iudicum iura constituerentur,ius esset latrocinari, ius adulterari, ius testamenta falsa supponere, si hæc suffragiis, aut scitis multitudinis probarentur. Quod si tanta potentia est stultorum sententiis atque iussis , vt eorum suffragiis natura vertatur : cur non sanciunt, vt quæ mala perniciosaque sunt, habeantur pro bonis ac salutaribus ; aut cur cum ius ex iniuria lex facere possit, bonum eadem facere non possit ex malo. Atqui nos legem bonam à mala , nulla alia nisi naturali norma diuidere possumus , nec solùm ius ex iniuria à natuta diiudicantur , sed omninò honesta , ac turpia. Nam & communis intelligentia nobis res notas efficit ea , quæ in animis nostris inchoauit, vt honesta in virtute ponantur , in vitiis turpia. Hæc autem in opinione existimare, non in natura esse posita , dementis est , nam , nec arboris , nec equi virtus quæ dicitur in quo abutimur nomine , in opinione sita est, sed in natura : quod si ita est, honesta quoque & turpia natura diiudicanda sunt : quod laudabile bonum est ; in se habeat, quod laudetur, necesse est ; ipsum enim bonum non est in opinionibus , sed in natura. Nam nî ita esset, beati quoque opinione essent, quo quid dici potest stultius. Quare cum & bonum, & malum natura iudicetur, & ea sint principia naturæ : Certè honesta quoque & turpia, simili ratione diiudicanda & ad naturam referenda sunt ; sed perturbat nos opinionum varietas , hominúmque dissensio : & quia non idem contingit in sensibus hos natura certos putamus : Illa quæ aliis sic , aliis secus nec iisdem semper vno modo videntur, ficta esse dicimus, quod est longè aliter. Nam sensus nostros non parens , non nutrix , non magister , non Poëta , non scena deprauat , non multitudinis consensus abducit à vero. Animis omnes tenduntur insidiæ, vel ab iis quos modò enumerant, qui teneros & rudes cum acceperunt, inficiunt & flectunt vt volunt, vel ab ea quæ penitus in omni sensu implicata insidet, imitatur boni voluptas , malorum mater omnium cuiuis blanditiis corrupti , quæ natura bona sunt, quia dulcedine hac & scabie carent, non cernimus satis.

Ex iis concludit Cicero , & ius & omne honestum suâ sponte , & per se expetendum , & colendum esse , quod fusius adstruit. Nam si propter alias res virtus expetitur , melius esse aliquid quàm virtutem necesse est : istis ita fusius explicatis , delabitur lib. 2. *ad naturam Principis legis exponendam, quam ex sapientissimorum sententia dicit , neque hominum ingeniis excogitatam , neque scitum aliquod esse populorum , sed æternum quoddam quod vniuersum mundum regeret imperandi prohibendique sapientia. Ita Principem legem illam & vltimam mentem esse dicebant , omnia ratione , aut cogentis , aut vetantis Dei : ex qua lex illa , quam Dii humano generi dederunt rectè est laudata. Est enim ratio, mensque sapientis ad iubendum, & ad deterrendum idonea : & sanè iussa ac vetita populorum vim quidem habent ad rectè facta vocandi , & à peccatis*

auocandi,

auocandi, sed ea vis non modò senior est, quàm ætas populorum & ciuitatum, sed æqualis illius, cælum, atque terras tuentis & regentis Dei. Neque enim esse mens diuina sine ratione potest, nec ratio diuina, non hanc vim in rectis prauisque sanciendis habere: Nec quia nusquam erat scriptum, vt contra omnes hostium copias in ponte vnus assisteret, à tergóque pontem interscindi iuberet. Idcircò minus coclitem illum reum gessisse tanta fortitudinis lege atque imperio putabimus: Nec si regnante Tarquinio, nulla erat Romæ scripta lex de stupris; Idcircò non contra illam sempiternam Sex. Tarquinius vim Lucretiæ Tricip. filiæ attulit, erat enim ratio profecta à rerum natura, & ad rectè faciendum impellens, & à delicto auocans, quæ non tum denique incipit lex esse, cum scripta est, sed tum cum orta est. Orta autem simul est, cum mente diuina. Quamobrem lex vera atque princeps apta ad iubendum, & ad vetandum: Ratio est recta summi Iouis. Ergo vt illa diuina mens summa lex est, item perfecta lex est, cum in homine est perfecta, & in mente sapientis. Quæ sunt autem variæ, & ad tempus scriptæ populi fauore magis, quàm re, legum nomen tenent, & subinde: ergo lex est iustorum, ministrorúmque distinctio ad illam antiquissimam, & rerum omnium Principem expressa naturam, ad quàm leges hominum diriguntur, quæ supplicio improbos afficiunt, defendunt ac tuentur bonos: Atque hoc tandem legis esse præmium, vti appellat Plato. Concludit Tullius, & deinceps ad ipsas leges explicandas delabitur, orditúrque ab iis, quæ tum de Religione, & sacris aliquid constituunt, & ad ius Pontificium pertinent. Vides igitur ius naturale exordium esse totius reliqui iuris, siue naturam & summam rationem, quæ in Deo natura est, esse Principem legem, eámque æternam, quæ ex hominum institutis & populorum scitis non pendeat, & ad quam tanquam ad normam leges omnes, quæ à rebus omnibus latæ sunt, referendæ, & exigendæ sint; illud enim stultissimum est, existimare omnia iusta esse, quæ sita sunt in populorum institutis, aut legibus, etiam inquit Cicero, si quæ sint Tyrannorum leges; si triginta illi Athenis leges imponere voluissent, aut si omnes Athenienses delectarentur tyrannicis legibus. Num idcircò hæ leges iustæ haberentur, nihil credo magis illa, quam interrex noster tulit vt dictator, quem vellet Ciuium indicta causa impunè posse occidere. Quare laborat Tullius toto secundo & tertiò libro demonstrare iura Romana ad naturam accommodari, siue secundum naturam haberi, quæ norma legis est, & cum Magistratus præsint populis, & iura præscribant recta, & vtilia, & coniuncta cum legibus, vt enim Magistratibus leges, ita populo præsunt Magistratus, veréque dici potest, Magistratum legem esse loquentem, legem autem mutum Magistratum. Nihil porrò tam aptum est ad ius conditionémque naturæ (quod cum dico, legem à me dici volo) quam imperium, sine quo nec domus vlla, nec ciuitas, nec gens, nec hominum vniuersum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus potest; Nam & hic Deo paret, & huic obediunt maria, terraque, & hominum vita iussis supremæ legis obtemperat.

Ex his vides quàm consentaneè de iure naturali, siue de lege naturali, quæ est ipsa summa ratio in Deo primùm, deinde in natura insita prius disputauerimus, quàm de iure Ecclesiastico, cuius notitiam scientificâ methodo suscepimus explicandam, singillatim agemus. Quare legem æternam, siue summam rationem, vt Cicero loquitur, cuius naturalis lex promulgatio, & non solum participatio quædam est, fusiùs proximo libro tradidimus, vt ab eo iuris totius & cæterarum legum omnium fonte Platonis & Tullij exemplo sumus orsi.



CAPVT I.

Quid sit ius positiuum & quotuplex.

Quid sit Ius positiuum, & quomodo differt à naturali. n.1.
Quotuplex sit Ius positiuum. n.2.3.
Legis positiuæ, siue iuris positiui necessitas. num.4.5.6.

1 TOTVM verò illud ius vno verbo positiuum dicimus, vt à naturali distinguamus, quia istud non naturâ insitum hominibus est, sed ab externa quadam potestate constitutum, consentaneè tamen, & ad normam naturæ, siue legis naturalis, siue rectæ rationis, à qua si dissentiat, ius non erit impositum. Quare cum addatur iuri naturæ, variis in gentibus diuersum est, & non semper idem, neque vbique, quamvis semper æquum & rectæ rationi congruens, quæ aliquando illud poni postulet aut suadeat, aliquando refigi patiatur, aut etiam velit pro varia rerum mutatione, & statu, ac temporum opportunitatibus. Voluntarium à quibusdam nominatur, & Dio. Chrysostom. illud εὕρημα βίου καὶ χρόνου, inuentum temporis dixit. Ius igitur positiuum & naturale, siue lex naturalis & positiua differunt in eo, quod lex naturalis insita naturæ sit, positiua illi aliunde est imposita: prior illa sit posterioris norma, & origo, nec alium habeat authorem, quam ipsam naturam, Deumque, à quo immediatè regitur, cuiusque æternam legem & summam rationem promulgat ac participat; modo à nobis *toto superiori libro* tradito & vt ait Aug. *tr. 6. in Ioa. sub fin.* ipsa iura humana per Imperatores & Reges sæculi Deus distribuit generi humano. Lex naturalis est simpliciter necessaria supposita naturæ rationalis existentia. Lex positiua fertur ad melius esse, & respectu alicuius finis particularis, qui intenditur vel ratione morum & opinionis deprauatæ, quæ à vera legis naturalis obseruantia reuocat: Denique lex naturalis & positiua diuersam inducunt obligationem, diuersa violantibus supplicia, diuersaque seruantibus præmia: quare legis naturalis obseruationem promouet & tuetur.

2 Quia verò duplex principium siue potestas condendi legis positiuæ, eiusque iuris existit, nimirum diuina & humana; duplex quoque lex positiua agnoscenda est, diuina, quæ immediatè à Deo lata est, ideóque differt à lege æterna, cum ista sit temporalis, illa in Deo existat, ista ab illa emanat, & non est necessaria, nisi vti monebam ad melius esse, aut ex suppositione distinctionis naturæ rationalis ad finem aliquem supernaturalem, quem attingere nequit, nisi diuinis legibus ad illum dirigatur, & veluti manuducatur. Est denique nobilissima participatio legis æternæ, & nouam tanquam à Deo proximo Legislatore, inducit obligationem: Quare eius violatio propria est inobedientia, quam formaliter non committit, qui aliquid turpe contra solam legem naturalem, aut etiam æternam committit, alioquin omnia scelera, nullis licet humanis aut diuinis legibus prohibita, essent formales inobedientiæ, haberentque duplicem malitiam formalem, quia pugnant cum recta ratione, quæ est ipsa lex naturalis & æterna promulgatio, vti diximus.

3 Humana lex positiua ab humana potestate & magistratu fertur ad tuendos bonos, terrendos malos ad rationis summæ & perfectæ naturæ normam, quam legem vides & naturali posteriorem esse, & ab illa tanquam fonte manare, atque aliam nouámque obligationem inducere, nempe humanam: obligat si quidem vt signum proximum voluntatis humanæ potestatis, vel magistratus imperantis. Quare ea obligatio non nisi humana est, & non diuina, nisi remotè, quatenùs ea humana potestas à diuina progreditur; neque naturalis, nisi quia ad naturæ normam ferri debet ea lex à Magistratu, vti recta & iusta sit, & quod inde sequitur, vim obligandi subditos habeat, qua carent iniquæ leges, & instituta, vti monebat Cicero.

Vtriusque porrò legis huius positiuæ necessitatem probat S. Thom. 1. 2. q. 9. Diuinæ quidem *art.* 4. quia primò per eam homo ad finem supernaturalem dirigitur: secundò iuuatur, ne in iudiciis de rebus agendis erret, in iisque habeat regulam aliquam infallibilem, cui tutò inhærere liceat; deinde actus internos ordinat. Denique omne peccatum & malum prohibet, quod lex humana nequit, atque hæc omnia diuinæ legi competere ostendit ex *Psalm.* 18. *Lex Domini immaculata*, quia nullam turpitudinem permittit, & omnem inhibet, *conuertens animas*, quia ipsos internos actus regulat: *testimonium Domini fidele*, quia rectum indefectibiliter ostendit: *sapientiam præstans paruulis*, quia hominem in supernaturalem finem destinat; quæ tamen omnia à lege æterna, aut etiam naturali vniuersim accepta, prout legem naturæ solitariè sumptæ, aut gratiæ, quæ quædam natura est, congenitam continet, præstari videntur. Nam & actus internos regulant hæ leges, & omne malum prohibent, & indefectibiles sunt, & suo modo ad finem supernaturalem iuuant, æternæ videlicet & gratiæ connaturales. Quare minus efficax erit tota illa ratiocinatio S. D. ad necessitatem diuinæ legis positiuæ naturali & æternæ superadditæ demonstrandam. Verùm loquitur S. Thom. vel ex suppositione institutionis Ecclesiæ, vel de necessitate tantùm congruentiæ maioris, quam necessitatem ad melius esse vocant, ob deprauatos enim hominum mores sæpissimè crassi errores contingunt in dijudicanda actuum honestate, aut turpitudine, maximè circa interiora & supernaturalia, atque vsus, vel consuetudo, vel exemplum animum in malo obfirmauit, vt docet experientia: Hæc autem omnia falsa iudicia emendat diuina lex, quæ & actuum internorum turpitudinem, & plurima media præscribit, quibus tum reuocemur à vitiis, tum ad virtutem impellamur, atque finem supernaturalem certius assequamur; ad maiorem etiam nobilioremque sanctitatem, ad quam naturalis Gratiæ lex in se considerata aspirare nos hortatur, vt in lege maximè Euangelica videre est: Quare & plura, quæ vel continentur in prioribus illis legibus naturalibus, ac æterna declarat, ac determinat, quæ in ea non continentur, & iubet. 4

Legis humanæ eandem necessitatem non absolutam, sed secundum quid, seu ad melius esse, adstruit idem. S.D. *art.* 3. sicuti enim ex principiis naturalibus sine ratiocinio, sed ipsa terminorum perceptione cognitis, deducuntur plurimæ conclusiones scientificæ, quarum cognitio non est nobis indicta à natura, & ex quibus deinde sint adinuentæ scientiæ, quas nobis congenitas, licèt animarum in corpora demersione obliuioni traditas, opusque esse solâ reminiscentiâ malè dixit Plato; experimur enim ingentem laborem in ea refricanda memoria, aut potiùs in nouis cognitionibus imbuendo animo; quamvis vt dixit earum principia sint naturaliter indita, seu lumine naturali cognita, absque vlla maiori diligentia, aut cultura; ita ex principiis practicis naturalibus, veluti indemon-

strabilibus,

ſtrabilibus, atque à naturali lege & æterna præſcriptis atque dictatis, quæ plerumque circa communia & generalia verſantur, deduci debent cooclusiones quædam practicæ ad ſingulares vitæ actiones dirigendas, io quibus concluſionibus eiiciendis, quia plurimi contingunt errores, opus eſt aliquâ regulâ eiuſmodi diſpoſitiones particulares præſcribente, quæ quia ratione humana inuenta eſt, & vbi ab habente poteſtatem proponitur, ſi reliquæ conditiones adſint, vim habet legis, lex humana dicitur, eſtque vt vides neceſſaria; quamvis enim quilibet per rationem naturalem participet, vt olim monui dictamen rationis practicæ infallibilis, idque ad regulaodas actiones ſufficere videatur: hæc tameu diuinæ rationis practicæ participatio imperfecta admodum eſt, & nonniſi circa communia verſatur. Sicut in ſpeculatiuis diuinam notitiam circa principia quædam coiomunia naturaliter participamus, non verò ſecundum particulares cognitioues ſcientiarum, vti in diuina ſapientia & mente continentur. Quare eas notitias comparare magno labore cogimur, ita circa actionum ſingularum diſpoſitionem, quæ in æterna lege continentur, implantatam notitiam non habemus, & ſæpè vti conſtat, erramus: opus erit igitur regulâ aliquâ humanâ, quâ tuto, quantum mortalia hæc, quæ contingentia motabilia, ac proinde defectibilia ſunt, patientur. Et vt ait Gregor. *in proœm. decreta.* Ideò lex proditur, vt appetitus noxius ſub iuris regula limitetur, & per quam genus humanum, vt honeſtatè viuat, informetur. Adde ad bonum commune ſocietatū & Rerumpub. ſeu naturæ humanæ, vt politica eſt, exigi leges, quibus eiuſmodi perſonæ vinciantur in ordine ad bonom commune. Denique *q. 95. art. 1.* homini quidem innatam eſſe aptitudinem ad virtutem, non autem virtutem ipſam obſeruat S. Thom. Quare ad virtutis perfectionem diſciplinâ duci debemus, quæ diſciplina cum verbo contra proprietatem & vulgatem vſum accipienda, alioquin plurima abſurda & rerum omnium perturbatio in expoſitione ſcripturæ naſceretur. Deinde in locis allatis fit mentio plurium ſingulorum non vnius dumtaxat, atqui in legis ſanctione fuit tantùm vnus Sacerdos, nimirùm Aaron, qui ne quidem inauguratus adhuc erat Sacerdos, quique nihil ad legem dandam & ſanciendam contulit, multóque minus ipſe Ioſue, vt noo niſi perabſurdè per hos tanquam Angelos & Dei nuncios data & diſpoſita fuiſſe lex dici queat.

5 Reſpondent alij ſecundò, Angelum illum qui locutus eſt Moyſi in ſolitudine, vt ait Stephan. quique legem tulit verè fuiſſe Deum ipſum, cui adſuerunt, honoris causâ, perplures Angeli & miniſtri, quod probant, quia hic Angelus ſe Deum Dominum perpetuò nominat, & ea illi tribuuntur, quæ ſoli Deo conuenire poſſunt. Nam *numer.* 12. Deus de Moſe ſic loquitur. *Ore enim ad os loquor ei, & non per ænigmata & figuras Deum videt.* Quæ verba de ſolo Deo dici poſſunt. Nam illud *ore ad os loquor ei,* ſiue vt legit Tertullian. *lib. 4. contra Marc. cap. 22. & lib. contra praxeam c. 14. Os ad os loquar ei.* & Græci *ςόμα κατὰ ςόμα λαλήσω αὐτῷ*: Hebræus quoque futuro tempore vtitur, illa inquam verba quibus etiam vtitur Ioan. *ςόμα πρὸς ςόμα ep. 2. v. 13. & ep. 3. v. 14.* idem omninò ſignificant, quod facie ad faciem græcè *ἐνώπιος ἐνωπίῳ* facialiter, coram, familiariter, abſque interuentu epiſtolæ vel perſonæ, & vno verbo ſine medio, quod falſum eſt, ſi Deus medio Angelo cum Moſe agebat, quod illuſtrius oſtendunt ſequentia verba, *& palam & non per ænigmata & figuras Deum videt.* Igitur non per Angelum Dei ſimilitudinem, aut perſonam ſuſtinentem, ſed vt ait Græc. *ἐν εἴδει* in ipſa ſpecie, cui opponitur ænigma, quod eſt quid obſcurum, aliud exterius prætendens, aliud interius ſignificans; & quidpiam figuris inuolutum. Qua de re vide Aulum Gelli. *lib. 12. cap. 6.* Rhodigin. *lib. 12. cap. 43.* Scaliger. *lib. 3. poët. c. 84.* Serati *in cap. 12. iudic. q. 12. & ſeq.* Lorio. *in cap. 12. num. v. 7. & in pſalm. 48. v. 5.* hinc viſio per ſpeculum & in ænigmate apud Paul. 1. *Cor.* 13. & apud Auguſtin. *lib. 15. de Trinit. c. 9.* obſcura omninò eſt, & opponitur faciali. Denique Moſes non videt Deum per figuras, quomodo id verum, ſi videt per Angelum qui Dei perſonam repræſentat. Tota itaque difficultas, cur aliquando Deus in hac, & aliis quibuſdam apparitionibus nominetur Angelus, qui tradere legem, & Moſem, Abrahamum, Iacobum, & alios alloqui dicatur, & tamen ſe Deum nominet. Nam Moſi in Sina, & in rubo apparuiſſe dicitur Angelus *act.* 7. & ibi ſtatim ſubduntur eius verba: nam *διαταγὰς, διαλέξεις, & διατάγματα* id ſignificant, alij volunt eiuſmodi iuſſa & diſpoſitiones dici angelicas, eò quòd eximiæ & ſanctiſſimæ forent, quâ ratione dicitur manna cibus & panis Angelorum, & linguæ Angelorum à Paul. & in Apocal. menſura Angeli, id eſt maxima: alij plures *in cap. 3. ad Galat.* Angelos interpretantur, Moyſem, Aaronem & Ioſue Dei internuntios. Verùm & commodus ac genuinus ſenſus eſt, legem exhibitam fuiſſe miniſterio Angelorum, quamvis non malè monuerit Caietan. dubitari poſſe, an illæ diſpoſitiones referantur ad varias apparitiones Moyſi factas, an ad diuerſitatem ſignorum, quæ cum data eſt lex, exhibita ſunt, an ad diuerſitatem ordinationum, ſiue ſtatutorum, quæ in ea lege continentur, quaſi accepiſtis legem in ſtatutis Angelicis, idque voluerit Paul. cum dixit, legem ordinatam per Angelicos, *διαταγείσας δι' ἀγγέλων,* eóque referre licet quod *eod. c. 7. act. v. 38.* dixit quoque Stephan. de Moſe loquens. *Hic eſt qui fuit in Eccleſia in ſolitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, & cum patribus noſtris: qui accepit verba vitæ dare nobis.* quia enim publicè præſente tota fidelium multitudine lata fuit lex, ait Stephan. in Eccleſia Moſem accepiſſe ab Angelo verba vitæ, quæ daret populo: quod interpretari licet verba viua *λόγια* eloquia & ſermones, quos daret plebi *δοῦναι ἡμῖν* ad dandum nobis. Denique ad *Hebr. 2. v. 2. ſi enim qui per Angelos dictus eſt ſermo; factus eſt firmus,* vbi legem Euangelicam præſtare docet Paul. quod prior illa data fuerit per Angelos: hæc verò per Chriſtum, & crebrioribus maioribuſque ſignis confirmata quàm illa prior. Itaque dubium eſſe nequit, legem illam per Angelos tanquam Dei miniſtros latam fuiſſe.

Reſpondent primò aliqui cum Chryſ. *in cap. 3. ad Galat.* eos Angelos fuiſſe ſacerdotes, aut vt nuper referebamus Dei internuntios Moſem, Aaronem, & Ioſue, neque nouum eſt id nomen quod officij eſt, non naturæ, vt ſæpiùs obſeruat Auguſtin. *lib. 5. de Gen. ad litteram cap. 19. lib. 15. de ciuit. cap. 23.* atque alibi Hilari. *5. de Trinit.* Gregor. *homil. 34. in Euan:* Tertull. *lib. de carne Chriſti capite decimo quarto,* alijque paſſim, tribui aliquando hominibus non modò Chriſto, ſed Ioanni Baptiſtæ, Apoſtolis, Prædicatoribus, Prælatis & Sacerdotibus: immò improbis quoque nomen illud tributum, Angelum enim Satanæ Paulum colaphiſantem 2. *ad Cor.* 12. de homine Paulum perſequente exponunt Irenæ. *lib. 4. c. pen. & vlt.* Theodor. & Theophil. *in eum Pauli locum:* Verùm non ſunt abſque graui ratione ſæpius vſi vi coërcitiua, vt ab indebitis delectationibus, quibus allecti nonnulli ad vitia præcipitant, efficaciter abſtrahantur, ſed opus fuit legum diſciplinâ, quod totum illuſtrat exemplo aliarum inclinationum à natura inſitarum, quæ tamen exigunt induſtriam, & veluti diſciplinâ perficiuntur, vt apparet in omnibus artibus, quarum 6

semina nobis indicta sunt, immò & io ipsis necessitatibus maximè naturalibus explendis cibo & vestitu, quorum initia quidem habemus, ioquit, à natura, nempè manus & pedes, non autem complementum vti reliqua animalia, quæ ad hæc sufficienter instructa sunt. Neque dicas ex his haberi dumtaxat opus esse externâ aliquâ disciplinâ, quæ mandata naturæ semina honestatis, educer, & errores quibus aliquando obducitur animus dissipet, angustiis & ambagibus occurrat. Ad id verò satis esse vel disciplinam paternam, vel moderatoris alicuius priuati domesticam, ac familiarem institutionem, vel ad summum ad publicam quietem & bonum, Iudicum & Magistratuum responsa, ac rescripta, vt se dabit occasio. Quare iudex dicitur lex animata, non verò fuerit opus sanctionibus istis, quæ & perpetuæ sint, & omnes comprehendunt, quas leges vocamus. Resp. enim S. Thom. *eo art.* 1. *q.* 95. *ad* 2. ex Aristotele 1. *Rheto.c.*1. satius fuisse legibus explicari quæ agenda sunt, quàm Iudicum arbitrio relinquere: primùm quia vnum aut paucos prudentes qui leges ferreaut iudicare possint, facilius est inuenire, quàm multos: deinde quoniam longi temporis consideratione leges feruntur, iudicia breuissimè conficiuntur, difficile est, vt à iudicibus iustum & conducibile bene distribuatur. Illud autem omnium maximū est, quod legislatoris iudiciū non de singulis, nec de præsentibus, sed de vniuersalibus & de futuris est: Senator verò & Iudex de præsentibus iam, determinatisque iudicant; vnde fit vt cùm & ament, & oderint, sua quoque vtilitas connexa sit, non satis queant veritatem perspicere, sed propria vel voluptas, vel dolor iudicia sua obumbret. Quare minimam cæterarum rerum potestatem iudici tribuendam esse vult. Factum verò esse aut non factum, fore, aut non fore, esse quoqoe ac non esse, hæc omnia cùm non possit lator legis prouidere, iudicibus relinquenda necessariò sunt, hoc est conditionem & constitutionem iuris relinquendam legi, non iudici, cuius est cognitio facti, & ad illud iuris seu regulæ à lege præscriptæ applicatio. Ex quibus optimè concludit S.D. cum iustitia animata iudicis flexibilis sit in plures partes oppositas, pluribusque obnoxia erroribus, præferendam fuisse legem, quæ & constantior est & magis certa. Adde arbitrium vnius Principis non ita facile deferri potest per totum regnum, aot accipiendum ad singulas occasiones, in quibus eo foret opus, vt optimè Vasq. *d.*159.*n.*36. Vide Bellarm. *l.* 3. *de memb. Ecclesia cap.* 10. Encomium humani iuris multis dabit D. Chrys. *Orat.*76. & Iulia. Imp. *Orat.* 5. qnod non impedit quominus plura qoibus non potuit per legem commodè prouideri, aut quæ circa singularia & determinata sunt, prudeotiæ iudicis committantur.

✿✿✿✿✿✿✿✿✿✿✿✿✿✿✿✿✿

CAPVT II.

De iure positiuo diuino, siue lege positiua diuina.

QVÆST. I. *An sit aliqua diuina lex positiua, & quotuplex.*

QVÆST. II. *De lege diuina Mosaica, an Deus fuerit eius author.*

QVÆST. III. *Quibus lata sit lex Mosaica.*

QVÆST. IV. *Modus quo lata est lex Mosaica.*

QVÆST. V. *Quo loco sancita fuerit ea lex.*

QVÆST. VI. *Quibus verbis lata fuerit.*

QVÆST. VII. *Quo fine lata fuerit.*

LEGES omnes Plato partitur in diuinas & humanas; siue vt ipse loquitur sociales τῶν νόμων οἱ μὲν θεῖοι εἰδὼς ζυμβολαιοῖ. Diuinas appellat, quæ de Religione & sacris, ac diuinis rebus agunt; humanas & sociales quæ ad æquitatem & vsum omnem vitæ humanæ spectant; ideóque vniuersam benè viuendi rationem atque scientiam distribuit in ἱεροῖς siue θείοις, & τὸ περὶ τῶν ἀνθρώπων θεραπείας, ita vt τὸ δίκαιον sis vtriusqne illius speciei quoddam genus, quod diuidere liceat in diuinom & humanum. Nos tamen hoc loco non appellamus leges diuinas, quæ de rebus sacris & diuinis quidpiam statuunt, quá ratiooe leges omnes de religione, diuinæ dici possunt, oeqoe etiam quæ diuina quadam potestate, à Deo nimitùm supremo legislatore sanciuntur, qua de causa Canones Ecclesiastici ipsaque Principum edicta, diuina qnandoque nominantur, vt dicetur inferius; sed diuinas leges dumtaxat appellamus, quæ immediatè ab ipso Deo tanquam legislatore sanciuntur, licet ab hominibus tanquam præconibus dumtaxat promulgentur, qui proinde nonnisi impropriè, & per quandam ampliationem legislatores nuncupantur: ius autem ijs legibus sancitum diuinum ius positiuum propriè & non figuratè tantùm, vel participatiuè nominamus: quæstio verò est, an rigorosum eiusmodi ius diuinum, constitutum aliquando fuerit, hodieqoe vigeat, eo enim nos obstringi nemo dubitare poterit, sit igitur.

QVÆSTIO I.

An sit aliquod diuinum ius positiuum, siue diuina lex positiua & quotuplex.

Quinam suas leges à Deo accepisse fingunt. num. 1.
Retecti n.2. & 3.
Contra communitatem Socraticam n. 3.
De politia Phalea n.4.
Hippedami n. 5.
Spartana n. 6.
Cretensium n.7.
Carthaginensium n. 8.
Datur vera lex diuina n.9. & 10.
Lex de non comedendo sanguine n. 11.
De non comedendo adipe n. 12.
De circumcisione n. 13.
Lex Mosaica n.14. & 15.

CElebertimi quondam legislatores vt authoritatem suis legibus apud populum conciliarent, se eas ab ipso numine veluti dictante accepisse finxerunt, de quibus consule Valeri. Maxim. *lib.* 1. *cap.* 3. Nam Numa videri volebat congressus cum Nympha Ægeria, ab eaque discere sacros ritus, quibus populum Romanum obstringebat, vti narrat Liui. *lib.* 1. Lactant. *lib.* 1. *cap.* 22. Augustin. *lib.* 7. *de Ciuit. cap.* 5. *&* 53. & Cicero *lib.* 1. *de legib.* & Valeri. maxim. *l*, *c*. Menas 1

Ægyptio

Ægyptiorum Rex finxit suas se leges accepisse à Mercurio, Zam. à Vesta, Lycurgus ab Apolline (quod tradit Diodot. *lib.* 1. *cap.* 8.) Menos à Ioue: nono enim quoque anno in specum Ioui consecratum secedebat, & ab eo leges accipiebat, immò illum Iouis filium fuisse, & ab illo nouem annos institutum ex Homero narrat Plato *in Minoe*, vbi quod Homerus dixit illum nouem annorum spatio fuisse Iouis ὀαριστὴν interpretatur συνουσιαστὴν, Iouem illum suo dignatum esse alloquio. Nam ὄαροι idem est quod λόγοι, & ὀαριστὴς est συνουσιαστὴς ἐν λόγοις, qui colloquio alicuius vtitur, quamquam aliquos existimare dicat Plato ὀαριστὴν significare συμπότην, & συμπαίστην, compotorem & collusorem Iouis, quàm interpretationem ex eo reijcit Plato, quod suis Cretensibus conuiuia, & compotationes, licet cæteris Græcis & Barbaris permissas, prohibuerit suis legibus, ne inde ebrietati indulgerent, neque ipse aliter sensit, quàm egerit. Addit ex Hesiodo Minoëm sceptrum Iouis gestasse, quod sceptrum interpretantur Plato non aliud esse, quàm Iouis disciplinam, quâ Cretam regebat τὸ τοῦ Διὸς σκῆπτρον οὐδὲν ἄλλο ἢ τὴν παιδείαν, τὴν τοῦ Διὸς ᾗ εὔθυνε τὴν Κρήτην, eadem fraude ficti cum Diis colloquiis: deluserunt plebes & alij. Nam Pisistratus finxit se à Minerua in arcem Athenensium reduci, inducta quadam muliere, quæ Phia vocabatur, Deæ habitu vestita, vt ait Valer. qui etiam narrat Seleucum apud Locrenses mentito nomine Mineruæ prudentissimum habitum fuisse, & insanum ac nouum Bacchanalium morem sustulisse. Nota est, Q. Sertorij cerua alba, per quã per asperos Lusitaniæ colles trahebat, ab eaque de iis quæ agenda essent monebatur. Sylla in procinctu pugnæ Apollinis signum Delphis sublatum palam complexus rogabat, vt promissam sibi victoriam maturaret: Scipio Africanus in cella Iouis Capitolini considebat aliquandiu, antequam ad negotia siue priuata, siue publica staret.

Verùm hæc figmenta non difficile fuerit reijcere, cum ipsimet Authores, qui illa narrant mentitæ religionis damnent, & iure suspicari liceat, eos ita finxisse, ne quid minus se à Mose Hebræorum legislatore accepisse iactarent, eo enim fuisse posteriores non foret operosum demonstrare, & permulta à Poëtis aliisque ad æmulationem eorum, quæ in sacris scripturis narrantur, conficta fuisse: quod etiam à nobis aliquando fusiùs obseruabitur. Deinde cum ipsa numina à quibus se νομοθεσίας edoctos gloriabantur, isti legislatores, falsa fuerint, falsa quoque est tota illorum diuina institutio & disciplina, vel diabolica. Quare & isti Nomothetæ Magiæ nomine fuerunt infames, vt Zoroastres Bactrianorum rex imperante Nino, de quo Clem. Alexand. Stromat Plini. *libro* 30. *c.* 1. Eusebi. *lib.* 1. *præparat. cap. vlt.* & alij Hydund. illum Pythagoras, & ipse Magus, æmulatus est, & eius Secretos libros se habere gloriabantur prædicti sectatores. Denique cum plurima inepta, & absona leges istorum contineant, neque diuinæ, neque à Deo edicente acceptæ existimari possunt. Ipse Zoroastres apud Euseb. *l. c.* dicebat Deum habere caput accipitris, quamquam ibidem plurima de Dei natura vera & probanda adijciat Menas, siue Meoes primus Ægyptiis imperauit, si fidem habeamus Manetho Sebennitæ, Flamini Hieropolitano, sacrorum Ægypti adytorum, qui regnante Ptolomæo Philadelpho. vniuersam veterem Ægyptiorũ historiam tribus voluminibus complexus est: ait verò hunc fuisse Meniæ Technicẽ, qui ab Hippotamo raptus interiit, dicitur. Doctor. Μηνὰς Herodoto *in Euterpe* Μὴν Minæus Iosepho *lib.* 8. *antiq. c.* 6. Vbi ait reges Ægyptios imperasse mille tercentis annis capto initio ab illo Minæo, qui Memphim condidit. Vossius *lib.* 1. *de Idolat. cap.* 2. Existimat illũ sacrum fuisse bouem qui μνεῦις dicebatur, & qui ab Æliano *lib.* 11. *histor. Animal. cap.* 10. vocatur Μνεῦις, Æolico more, quo eo & H. sæpiùs commutantur: ὀρφνὸς enim Atticis est ὀδυσσεύς, Περσεύς, Æolis est ὀρφὸς, Ἀχίλλης, Ὀδύσσης, Πέρσης. Huius porro Menæ vel Menis à Mercurio acceptas leges non habemus, sed certa coniectura est, eas ipsas esse, quas cæteri deinceps Ægyptij Reges seruari voluerunt, & maximè circa superstitiosa, & impia sacra, quæ sed diuinus Mercurius, vti iactabat, docuerat de sacris quæ Numam docuit Nymphia Ægeria, quàm profana essent nemo vnus dubitat.

Quàm verò inepta & absona, quæ cæteri Nomothetæ, quos à numine doctos volunt, sanciuerint suis legibus, facilè foret earum recensione demonstrare, sufficiat magni philosophi Aristotelis de celeberrimarum rerum publicarum, quæ diuinos illos Legislatores habuerant statutis iudicium. Nam *lib.* 2. *politicor.* Expendit præcipuas πολιτείας, quæ ea ætate florebant, vtrum omnia quæ ad optimam & beatissimam vitam consequendam necessaria sunt, haberent, μάλιστα κατ' εὐχὴν, ex animi voto, quod Galli dicimus *à plein souhait.* Et primò quidem Socraticam & Platonicam politiam sex prioribus capitibus, damnatque quam ipsi inducebant malè sanam etiam vxorum, liberorum, officiorum, & denique rerum omnium, & bonorum communitatem: Licet enim in ciuitate necesse sit aliquam reperiri communitatem, nam ciuitas κοινωνία τίς ἐστι. Communitas quædam est, non tamen oportet illam esse omnimodam qualem induxit Socrates, falsumque est quod supponebat Socrates, eam meliorem præstantioremque esse ciuitatem, quæ magis & maximè vna est, cuiusmodi profectò est, in qua est illa omnimoda rerum omnium vnitas siue vnio: Nam natura Ciuitatis & Reipublicæ minimè paritur summam illam vnitatem, neque proinde in ipsa eius præstantissima perfectio constitui potest, quæ potiùs eiusmodi vnione perit; sic enim Ciuitas reduceretur ad domum vnam, illaq; ad vnum hominem, in his enim est maior perfectiorque vnitas, quæ tamen Reipublicæ, & Ciuitatis essentiam destrueret, cum ea sit hominum multitudo, ordine, statu, vitæque instituto differentium, quod agnouit ipsemet Plato. Neque Ciuitas poterit iste αὐτάρκης, nisi omnium bonorum genere sic cumulata sit, vt sibi ipsa sufficiat, qui bonorum cumulus cum ex diuersis generibus coalescat, non potest summam illam vnitatem efficere, quæ Ciuitati quam componimus, noxia prorsus esset, vti prosequitur philosophus *cap.* 2. Quod verò Socrates volebat, tunc demum perfectum esse, Ciuilem societatem, cùm omnes ciues & singuli dicunt meum, & non meum, reiicit Aristot. *cap.* 3. Cùm id affirmari verè non possit, nisi in vniuersum & collectiuè, non autem singulorum & distributiuè. Ex ea verò vnitate & communitate confusa, neque concordia exurget, Neque rerum amor & cura, sed neglectus, quia ἥκιστα γὰρ ἐπιμελείας τυγχάνει τὸ πλείστων κοινόν. Quæ res communis est pluribus, ea negligi foret, Καὶ οἱ πολλοὶ θεράποντες ἐνίοτε χεῖρον ὑπηρετοῦσι τῶν ἐλαττόνων, plures famuli interdum deterius seruiunt, quam si pauci fuerint: deinde vxorum & liberorum communitas, omnem cognationem confundit, & consanguineorum, ac propriæ prolis agnitionem; parricidiis, incestibus aliisque flagitiis caosam præbet, impunitati fauet, cùm quis vereatur ne fratrem, aut filium, aut consanguineum alium plectat. Quod verò attinet ad bonorum omnium communitatem eam reijcit *cap.* 5. Cum vix fieri possit, vt in eiusmodi communione omnes & singuli æqualem fructum capiant, & laborem impendant, & quio occasio detur dissidiis & querelis, dum vnus plus laborat, alter plus

commodi

fœmina nobis indicta sunt, immò & in ipsis necessitatibus maximè naturalibus explendis cibo & vestitu, quorum initia quidem habemus, inquit, à natura, nempè manus & pedes, non autem complementum vti reliqua animalia, quæ ad hæc sufficienter instructa sunt. Neque dicas ex his haberi dumtaxat opus esse externâ aliquâ disciplinâ, quæ mandata naturæ semina honestatis, educet, & errores quibus aliquando obducitur animus dissipet, angustiis & ambagibus occurrat. Ad id verò satis esse vel disciplinam paternam, vel moderatoris alicuius priuati domesticam, ac familiarem institutionem, vel ad summum ad publicam quietem & bonum, Iudicum & Magistratuum responsa, ac rescripta, vt se dabit occasio. Quare iudex dicitur lex animata, non verò fuerit opus sanctionibus istis, quæ & perpetuæ sint, & omnes comprehendunt, quas leges vocamus. Resp. enim S. Thom. *ex art. 1. q. 95. ad* 2. ex Aristotele 1. *Rhetor. c. 1.* satius fuisse legibus explicari quæ agenda sint, quàm Iudicum arbitrio relinquere: primùm quia vnum aut paucos prudentes qui leges ferre aot indicare possint, faciliùs est inuenire, quàm multos: deinde quoniam longi temporis consideratione leges feruntur, iudicia breuissimè conficiuntur, difficile est, vt à iudicibus iustum & conducibile bene distribuatur. Illud autem omnium maximũ est, quod legislatoris iudiciũ non de singulis, nec de præsentibus, sed de vniuersalibus & de futuris est: Senator verò & Iudex de præsentibus iam, determinatisque iudicant; vnde fit vt cùm & ament, & oderint, sua quoque vtilitas connexa sit, non satis queant veritatem perspicere, sed propria vel voluptas, vel dolor iudicia sua obumbret. Quare minimam cæterarum rerum potestatem iudici tribuendam esse vult. Factum verò esse aut non factum, fore, aut non fore, esse quoque ac non esse, hæc omnia cùm non possit lator legis prouidere, iudicibus relinquenda necessariò sunt, hoc est conditionem & constitutionem iuris relinquendam legi, non iudici, cuius est cognitio facti, & ad illud iuris seu regulæ à lege præscriptæ applicatio. Ex quibus optimè concludit S.D. cum iustitia animata iudicis flexibilis sit in plures partes oppositas, pluribusque obnoxia erroribus, præferendam fuisse legem, quæ & constantior est & magis certa. Adde arbitrium vnius Principis non ita facilè deferri potest per totum regnum, aut accipiendum ad singulas occasiones, in quibus eo foret opus, vt optimè Vasq. *d. 159. n. 36.* Vide Bellarm. *l. 3. de memb. Ecclesiæ cap.* 10. Encomium humani iuris multis dabit D. Chrys. *Orat. 76.* & Iulia. Imp. *Orat. 3.* quod non impedit quominos plura quibus non potuit per legem commodè prouideri, aut quæ circa singularia & determinata sunt, prudentiæ iudicis committantur.

CAPVT II.

De iure positiuo diuino, siue lege positiua diuina.

QVÆST. I. *An sit aliqua diuina lex positiua, & quotuplex.*

QVÆST. II. *De lege diuina Mosaica, an Deus fuerit eius author.*

QVÆST. III. *Quibus lata sit lex Mosaica.*

QVÆST. IV. *Modus quo lata est lex Mosaica.*

QVÆST. V. *Quo loco sancita fuerit ea lex.*

QVÆST. VI. *Quibus verbis lata fuerit.*

QVÆST. VII. *Quo fine lata fuerit.*

LEGES omnes Plato partitur in diuinas & humanas; sue vt ipse loquitur sociales τῶν νόμων οἱ μὲν θεῖοι οἱ δὲ ζυμβολαιοι. Diuinas appellat, quæ de Religione & sacris, ac diuinis rebus aguot; humanas & sociales quæ ad æquitatem & vsum omnem vitæ humanæ spectant; idcóque vniuersam benè viuendi rationem atque scientiam distribuit in ὁσιότητα siue ἅσιον, & τὸ περὶ τὴν ἀνθρώπων θεραπείαν, ita vt τὸ δίκαιον sit vtriusque illius speciei quoddam genus, quod diuidere liceat in diuinum & humanum. Nos tamen hoc loco non appellamus leges diuinas, quæ de rebus sacris & diuinis quidpiam statuunt, quâ ratione leges omnes de religione, diuinæ dici possont, neque etiam quæ diuina quadam potestate, à Deo nimirùm supremo legislatore sanciuntur, qua de causa Canones Ecclesiastici ipsaque Principum edicta, diuina quandoque nominantur, vt dicetur inferius; sed diuinas leges dumtaxat appellamus, quæ immediatè ab ipso Deo tanquam legislatore sanciuntur, licet ab hominibus tanquam præconibus dumtaxat promulgentur, qui proinde nonnisi impropriè, & per quandam ampliationem legislatores nuncupantur: tus aotem ijs legibus sancitum diuinum ius positiuum propriè & non figuratè tantùm, vel participatiuè nominamus; quæstio verò est, an rigorosum eiusmodi ius diuinum, constitutum aliquando fuerit, hodieque vigeat, eo enim nos obstringi nemo dubitare poterit, sit igitur.

QVÆSTIO I.

An sit aliquod diuinum ius positiuum, siue diuina lex positiua & quotuplex.

Quinam suas leges à Deo accepisse fingant. num. 1.
Reiecti n. 2. & 3.
Contra communitatem Socraticam n. 3.
De politia Phalea n. 4.
Hippedami n. 5.
Spartana n. 6.
Cretensium n. 7.
Carthaginensium n. 8.
Datur vera lex diuina n. 9. & 10.
Lex de non comedendo sanguine n. 11.
De non comedendo adipe n. 12.
De circumcisione n. 13.
Lex Mosaica n. 14. & 15.

CElebertimi quondam legislatores vt authoritatem suis legibus apud populum conciliarent, se eas ab ipso numine veluti dictante accepisse finxerunt, de quibus consule Valeri. Maxim. *lib. 1. cap. 3.* Nam Numa videri volebat congressus cum Nympha Ægeria, ab eaque discere sacros ritus, quibus populum Romanum obstringebat, vti narrat Liui. *lib. 1.* Lactant. *lib. 1. cap. 22.* Augustin. *lib. 7. de Ciuit. cap. 1. &* 13. & Cicero *lib. 1. de legib.* & Valeri. maxim. *l. c.* Menas Ægyptio 1

Ægyptiorum Rex finxit suas se leges accepisse à Mercurio, Zam. à Vesta, Lycurgus ab Apolline (quod tradit Diodor. *lib.* 1. *cap.* 8.) Menos à Ioue: nono enim quoque anno in specum Ioui consecratum secedebat, & ab eo leges accipiebat, immò illum Iouis filium fuisse, & ab illo nouem annos institutum ex Homero narrat Plato *in Minoe*, vbi quod Homerus dixit illum nouem annorum spatio fuisse Iouis ὀαριστὴν interpretatur συνουσιαστὴν, Iouem illum suo dignatum esse alloquio. Nam ὄαροι idem est quod λόγοι, & ὀαριστὴς est συνουσιαστὴς ἐν λόγοις, qui colloquio alicuius vtitur, quamquam aliquos existimare dicat Plato ὀαριστὴν significare συμπότην & συμπαίστην, compotorem & collusorem Iouis, quàm interpretationem ex eo reijcit Plato, quod suis Cretensibus conuiuia, & compotationes, licet cæteris Græcis & Barbaris permissas, prohibuerit suis legibus, ne inde ebrietati indulgerent, neque ipse aliter sensit, quàm egerit. Addit ex Hesiodo Minoëm sceptrum Iouis gestasse, quod sceptrum interpretatur Plato non aliud esse, quàm Iouis disciplinam, quâ Cretam regebat τὸ τοῦ Διὸς σκῆπτρον οὐδὲν ἄλλο ἢ τὴν παιδείαν, τὴν τοῦ Διὸς ἣ ἴθυνεν τὴν Κρήτην, eadem fraude ficti cum Diis colloquiis: deluserunt plebes & alij. Nam Pisistratus finxit se à Minerua in arcem Atheniensium reduci, inducta quadam muliere, quæ Phia vocabatur, Deæ habitu vestita, vt ait Valer. qui etiam narrat Seleucum apud Locrenses mentito nomine Mineruæ prudentissimum habitum fuisse, & insanum ac nouum Bacchanalium morem sustulisse. Nota est, Q. Sertorij cerua alba, per quã per asperos Lusitaniæ colles trahebat, ab eaque de iis quæ agenda essent monebatur. Sylla in procinctu pugnæ Apollinis signum Delphis sublatum palam complexus rogabat, vt promissam sibi victoriam maturaret: Scipio Africanus in cella Iouis Capitolini considebat aliquandiu, antequam ad negotia siue priuata, siue publica staret.

a Verùm hæc figmenta non difficile fuerit reijcere, cum ipsimet Authores, qui illa narrant mentitæ religionis damnent, & iure suspicari liceat, eos ita finxisse, ne quid minus se à Mose Hebræorum legislatore accepisse iactarent, eo enim fuisse posteriores non foret operosum demonstrare, & permulta à Poëtis alijsve ad æmulationem eorum, quæ in sacris scripturis narrantur, conficta fuisse: quod etiam à nobis aliquando fusiùs obseruabitur. Deinde cum ipsa numina à quibus se νομοθεσίαν edoctos gloriabantur, isti legislatores, falsa fuerint, falsa quoque est tota illorum diuina institutio & disciplina, vel diabolica. Quare & isti Nomothetæ Magiæ nomine fuerunt infames, vt Zoroastres Bactrianorum rex imperante Ninu, de quo Clem. Alexand. Stromat Plini. *libro* 30. *c.* 1. Eusebi. *lib.* 1. *præparat. cap. vlt.* & alij Hydund. illum Pythagoras, & ipse Magus, æmulatus est, & eius Secretos libros se habere gloriabantur prædicti sectatores. Denique cum plurima inepta, & absona leges istorum contineant, neque diuinæ, neque à Deo edicente acceptæ existimari possunt. Ipse Zoroastres apud Euseb. *l. c.* dicebat Deum habere caput accipitris, quamquam ibidem plurima de Dei natura vera & probanda adijciat Menas, siue Menes primus Ægyptiis imperauit, si fidem habeamus Manetho Sebennitæ, Flamini Hieropolitano, sacrorum Ægypti adytorum, qui regnante Ptolomæo Philadelpho. vniuersam veterem Ægyptiorũ historiam tribus voluminibus complexus est: ait verò hunc fuisse Meniæ Technitẽ, qui ab Hippotamo raptus interiit, dicitur. Doctor. Μήνης Herodoto *in Euterpe* Μὴν Minæus Iosepho *lib.* 8. *antiq. c.* 6. Vbi ait reges Ægyptios imperasse mille trecentis annis capto initio ab illo Minæo, qui Memphim condidit. Vossius *lib.* 1. *de Idolat. cap.* 2. Existimat illi sacrum fuisse bouem qui μνεῦις dicebatur, & qui ab Æliano *lib.* 11. *histor. Animal. cap.* 10. vocatur Μνεῦις, Æulico more, quo eo & H. sæpiùs commutantur: ὀρφνὸς enim Attice ὀδυσσεύς, Πιρθνὸς, Æolis est ὄρφις, Ἀχίλλης, Ὀδύσσευς, ὄφρυς. Huius porro Menæ vel Menis à Mercurio acceptas leges non habemus, sed certa coniectura est, eas ipsas esse, quas cæteri deinceps Ægyptij Reges seruari voluerunt, & maxime circa superstitiosa, & impia sacra, quæ sed diuinus Mercorius, vti iactabat, docuerat de sacris quæ Numam docuit Nymphia Ægeria, quàm profana essent nemo vnus dubitat.

Quàm verò inepta & absona, quæ cæteri Nomothetæ, quos à numine doctos volunt, sanciuerint suis legibus, facilè foret earum recensione demonstrare, sufficiat magni philosophi Aristotelis de celeberrimarum rerum publicarum, quæ diuinos illos Legislatores habuerant statutis iudicium. Nam *lib.* 2. *politicor.* Expendit præcipuas πολιτείας, quæ ea ætate florebant, vtrum omnia quæ ad optimam & beatissimam vitam consequendam necessaria sunt, habeerent, μάλιστα κατ' εὐχήν, ex animi voto, quod Galli dicimus *à plein souhait*. Et primò quidem Socraticam & Platonicam politiam sex prioribus capitibus, damnatque quam ipsi inducebant malè sanam etiam vxorum, liberorum, officiorum, & denique rerum omnium, & bonorum communitatem: Licet enim in ciuitate necesse sit aliquam reperiri communitatem, nam ciuitas κοινωνία τίς ἐστι. Communitas quædam est, non tamen oportet illam esse omnimodam qualem induxit Socrates, falsumque est quod supponebat Socrates, eam meliorem præstantioremque esse ciuitatem, quæ magis & maximè vna est, cuiusmodi profectò est, in qua est illa omnimoda rerum omnium vnitas siue vnio: Nam natura Ciuitatis & Reipublicæ minimè patitur summam illam vnitatem, neque proinde in ipsa eius præstantissima perfectio constitui potest, quæ potiùs eiusmodi vnione perit; sic enim Ciuitas reduceretur ad domum vnam, illaq; ad vnum hominem, in his enim est maior perfectiorque vnitas, quæ tamen Reipublicæ, & Ciuitatis essentiam destrueret, cum ea sit hominum multitudo, ordine, statu, vitæque instituto differentium, quod agnouit ipsemet Plato. Neque Ciuitas poterit esse αὐτάρκης, nisi omnium bonorum genere sic cumulata sit, vt sibi ipsa sufficiat, qui bonorum cumulus cum ex diuersis generibus coalescat. non potest summam illam vnitatem efficere, quæ Ciuitati quam componimus, noxia protsus esset, vti prosequitur philosophus *cap.* 2. Quod verò Socrates volebat, tunc demum perfectum esse, Ciuilem societatem, cùm omnes ciues & singuli dicunt meum, & non meum, reiicit Aristot. *cap.* 3. Cùm id affirmari verè non possit, nisi in vniuersum & collectiuè, non autem singulorum & distributiuè. Ex ea verò vnitate & communitate confusa, neque concordia exurget, Neque rerum amor & cura, sed neglectus, quia ἥκιστα γὰρ ἐπιμελείας τυγχάνει τὸ πλείστων κοινόν. Quæ res communis est pluribus, ea negligi foret, Καὶ οἱ πολλοὶ θεράποντες ἐνίοτε χεῖρον ὑπηρετοῦσι τῶν ἐλάττων, plures famuli interdum deterius seruiunt, quam si pauci fuerint: deinde vxorum & liberorum communitas, omnem cognationem confundit, & consanguineorum, ac propriæ prolis agnitionem; patricidiis, incestibus aliisque flagitiis causam præbet, impunitati fauet, cùm quis vereatur ne fratrem, aut filium, aut consanguineum alium plectat. Quod verò attinet ad bonorum omnium communitatem eam reijcit *cap.* 5. Cum vix fieri possit, vt in eiusmodi communione omnes & singuli æqualem fructum capiant, & laborem impendant, & quio occasio detur dissidiis & querelis, dum vnus plus laborat, alter plus

commodi

commodi percipit; & sanè cum difficile sit plures in societate vnanimes viuere, itam & sæpiùs itineris socij de leuissimis rebus inuicem altercantes ἐκ μικρῶν προσκρούοντες ἀλλήλοις videmus: quomodo in omnimoda communitate bonorum idem non continget, debent bona esse quodammodo πὼς communia, vt amicorum, κοινὰ τὰ φίλων dicuntur; at verò simpliciter & absolutè ἁπλῶς καὶ ὅλως propria, maiorque erit hinc animorum consensio, & maior rerum cura, atque in iis seruandis, colendis, & augendis diligentia. Adde Socraticam communitatem nos maxima voluptate quàm ex dominio & rerum proprietate percipimus priuare, atque illustrium virtutum officia prorsùs abolere, temperantiæ nimirum & liberalitatis: prioris enim est ab aliena vxore abstinere, quod Socratica communitas permittit, posterioris propria, non communia tantum bona largiri, quod in ea communitate bonorum non licet: sicut Musicam destruit, qui eam ad vnam vocem redigit & τὴν συμφωνίαν facit ὁμοφωνίαν εἰ τὸν ῥυθμὸν βάσιν μίαν, sic destruunt ciuitatem qui vnam facit. Ciuitas enim ex dissimillimorum consensu ex mediis infimísque ordinibus certa ratione temperatis constituitur. Debet igitur ciuitas esse essentialiter multiplex, cum sit essentialiter multitudo πλῆθος, debet & esse quodammodo vna, nempè διὰ τὴν παιδείαν, secundum disciplinam & institutionem, hoc est, secundum iustitiæ præcepta & bonas leges. Reprehendit alia quædam in politia Socratis reliqua eo *c. 6.* & plura in *cap. 7.* vbi Platonis *dialogos de legibus* accuratè examinat, quod nobis obseruare hoc loco, ne longiùs distagemur, non licet. Id tamen non omittendum quæ Plato *dialogo 5.* docuerit, non aliter Magistratus differre ab iis qui parent, quam stamen τὸ στημόνιον, quod ex meliore & firmiore lana fit, à subtegmine, ἀπὸ τῆς κρόκης, quod ex molliore ducatur; aliam siquidem oportet esse differentiam inter ἄρχοντας, & ἀρχομένους, vt patet.

3 Cap. sequenti VII. Phaleæ Chalcedonij politiam examinat ea ætate celeberrimá. Is bonorum æquationem inter ciues inducebat, ne ex inæqualitate seditiones, vti sæpiùs contingit, excitarentur; sed qui bonorum modum definiret, liberorum quoque & Ciuium numerum præscribere debuisset; inde enim fiet, vt alij bona habeant, alij careant, vnde huius legis iniquitatem & impossibilitatem arguit Aristoteles, ideóque antiquandam docet, sapientérque monet, solâ bonorum æqualitate non impediri seditiones; sed disciplinâ, potiúsque æquandas esse cupiditates quàm bona, μᾶλλον δεῖ τὰς ἐπιθυμίας ὁμαλίζειν, ἢ τὰς οὐσίας, immò verò fortiores, nobiliores, digniorésque contenderent, si vel meritis honoribus priuentur, vel illi communicentur indignis, quos ægrè patientur sibi æquari. Quare Achilles apud Homerum *Iliad.* 1. queritur sibi alios minus fortes & generosos in præmiis distribuendis æquari ab Agamemnone, cùm iniquum sit fortes & ignauos affici pari honore.

——ἐν δ' ἰῇ τιμῇ ἠμὲν κακὸς, ἠδὲ καὶ ἐσθλός.

4 Ideóque bonorum æquatio (quo nomine, & facultates & honores intelligimus,) non semper iusta & commoda est ad Reipublicæ fœlicitatem.

5 Cap. VIII. Hippodami politica instituta plurima improbat, quamuis ille & eruditus, & multis rebus commendandus esset, diuisionem tamen ciuitatis iudiciorum ordinem, aliáque permulta ab ipso malè constituta ostendit.

6 Cap. IX. Vitia Spartanæ & Lacedæmoniorum Reipublicæ notat, quòd peregrinos ad artes mechanicas, & opificia cogerent. Ilotas seruos ad agros colendos, & alia ministeria, inde enim seruorum & opificum seditiones enasci, idque sæpiùs contigisse Thessalis & Lacedæmonibus: arguit deinde quòd Lacœnæ mulierea licentiùs agerent, vnde nascebatur auaritia, luxuria, & intemperantia; ζῶσι γὰρ ἀκολάστως πρὸς ἅπασαν ἀκολασίαν καὶ τρυφερῶς. Tertiò, quòd illæ viris imperitarent, obseruátque gentes bellicosas esse γυναικο-κρατουμένας præter Celtas, cuiustamen ineptam rationem reddit quòd palam masculis consuescerent, quod Spartæ quidem in vsu erat, non verò apud Celtas. Quartò plura alia arguit à Licurgo constituta, addítque Plutarchus ipsum edixisse, vt nudæ Virgines cum pueris versarentur, saltarent & cantarent in sacrificiis, festis, ac sacris diebus, nubebant raptu maturæ, iam verò cæteris gymnicis & publicis ludia prohibebatur, & nudus hyeme forum circuibat, seniori, maritò honestum iuuenem liberorum causâ ad vxorem admittere, aliáque ridicula iussit, & tamen se ab Apolline doctum mentiebantur.

Cap. X. Cretensium leges à Minoë Iouis ipsius discipulo latas pluribus incestibus & sanè infandum fuit impurissimi hominis institutum, qui masculorum vsum permiserat, vt pauciores essent Ciues, iisque tenuis ager sufficeret, ἵνα μὴ πολυτεκνῶσι, τὴν πρὸς τοὺς ἄρρενας ποιήσας ὁμιλίαν passus est: Apage spurcas leges & Authore adultero Ioue dignas, & quod videtur Aristot. dum obscœnissimam legem hoc loco refert, recta an iniqua fuerit dubitare, eámque disputationem aliò amanda, rectè, inquit, an secus, alius erit disputandi locus, περὶ εἰ φαύλως ἢ μὴ φαύλως ἕτερος ἔσαι τοῦ διασκέψασθαι καιρός. 7

Pergit Aristoteles *cap. 11.* in excutienda Carthaginensium republica, quæ licèt foret popularis, permaneret tamen in ordine suo politico ἐν τῇ τάξει τῆς πολιτείας, sine seditione, & sine tyrannide, viguit tamen quod in oligarchiam declinaret, & quod vni eidémque simul plures & diuersi Magistratus crederentur, quod sine præiudicio administrationis fieri non poterat. Denique *cap. postremo* de cæteris politiis & celebrioribus Nomothetis agit Salonem, qui Atheniensibus leges tulit. Zaleuco qui Locris, Epizephyriis in magna Græcia, Charondæ qui Siculis & Italis, Onomacrito, qui in Creta habitauit: Philabao Thebanis, qui παιδοποιΐαν siue παίδων θέσιν filiorum adoptionem, & bonorum inæqualitatem instituit, Platone de quo nuper, Dracone qui Atheniensibus leges non atramento, sed sanguine scripsit, cùm omnibus delictis pœnam capitis indixerit, Pittaco, quem non administratorem Reipublicæ, sed legum latorem fuisse dixit νόμων δημιουργὸν, οὐ πολιτείας, qui ebrium alium pulsantem iniuriâ, duplo grauiores pœnas subire voluit, quàm si sanus id admisisset. Refert quoque Andromadam Rheg. Italum, Chalcidensium Thraliorum legislatorem, cuius tamen nullæ extarent tunc leges. Quare vides quàm multa in sois legibus ferendis peccarint, qui tamen sapientissimi, & à Deo docti legislatores habebantur. Nam præter ea quæ in illis arguit Aristoteles, plura alia notari possunt. Salon punit eum, qui in seditione ciuili neutri parti adhæserit, fœminis quæ viros parum coniugio idoneos nactæ essent, iis dimissis, quem vellent ex mariti propinquis admitterent, Principem ebrium morte puniuit, de Romana politia tacuit Aristoteles, vtpotè longè posteriori ætate exorta: quàm multa tamen inepta edixerint facilè foret ostendere ex l. 12. Tabularum longè omnium antiquissima & sanctissima, atque primaria totius Romani iuris origine: Nam adulteram viro & parentibus necare promisit, & vinum bibentem vt adulteram punire, parentibus ius necis dedit in liberos, & fœtus monstruosos fas esse necare, de impiis Sacris plurima quoque edixit, quæ similiáque in aliis 8

dein

deinceps legibus à Romanis Magistratibus sancitis non fuerit operosum annotare. Atque ex his omnibus colliges quod initio demonstrandum susceperamus, Antiquiores illos Nomothetas, qui se leges authore numine sanciuisse gloriabantur, mentitos egregiè fuisse, & sua somnia pro diuinis dictatis, insanis populis obtrusisse, cùm & illa numina quibus se consuescere mentiebantur, aut nulla essent, aut Dæmones, & Deus impias, obscœnas, iniquas, & ridiculas leges dictare non poterit.

9 Dico tamen, ciuilibus istis eiusmodi legislatorum nugis abiectis, fuisse, esséque quasdam diuinas leges ab ipsomet vero Deo, & non fictitiis numinibus positas; & quidem si legis vocem in ampliori quadam significatione capiamus pro quolibet præcepto, quod Deus alicui vel homini, vel familiæ imposuerit, certum ex fide nobis esse debet, aliquot eiusmodi diuina præcepta lata esse, quæ commendata sacris literis habemus. Nam *Genes.* 2. prohibuit primis parentibus esum arboris scientiæ boni & mali, interminata morte. Cæteris verò arboribus vescendi liberam & securam quandocumque & quomodocumque fecit potestatem. Itaque prius illud præceptum negatiuum fuit, posterius permissiuum dumtaxat; neque enim illum esum imperabat Deus, vti fusè prosequitur ex Basilio, Chrysost. & aliis Tostatus *in cap.* 13. *Genes. q.* 206. *& seq.* Neque soli Adamo, sed Euæ quoque positum fuit illud præceptum, quod ipsamet fatetur *cap.* 3. ideóque pœnam violati præcepti tulit. Iure itaque existimauit Gregor. in c. 10. *Iobi lib.* 35. *Moral.* iam productam fuisse Euam, & Mosem *cap. illo* 2. vsum fuisse anticipatione, vel dici potest illud præceptum fuisse intimatum Euæ ab Adamo, quod sentit August. *lib.* 8. *de Genesi ad Litteram cap.* 17. quia non fuit tantum personale præceptum, sed omnibus Adæ posteris per modum perpetuæ legis impositum Adamo omnium parenti & capiti. Quare ex Paulo *illud nos omnes in Adamo transgressi sumus, & eius transgressionis pœnas, mortem nimirum quotidie patimur.* Et iure Tertullian. *lib. aduers. Iudæos cap.* 2. ait *hanc fuisse primordialem legem; quasi matricem legis subinde per Moysen latæ.* In hoc verò præcepto obseruā, illa verba, *morte morieris*, cùm adduntur præceptis non esse dumtaxat pleonasmum, sed valdè energeticum: cum enim res aliqua morte sancitur sine eiusmodi repetitione, continet tantùm nudam comminationem ferendæ, vti loquuntur sententiæ, & legislator sibi reseruat potestatem necis inferendæ cùm libuerit, vt *Leuitic.* 22. 9. *Custodiant præcepta mea, vt non subiaceāt peccato, & moriantur in sanctuario cum polluēt illud.* Quando verò adhibetur repetitio, & vox illa mortis geminatur, est pœna quasi latæ sententiæ, pœna mortis; non quidem in instanti, sed certò & infallibiliter inferendæ. Sic Salomon minatur Semei *lib.* 3. *Regum. cap.* 2. *v.* 36. Vbi vulgatus habet. *Scias te interficiendum.* Hebræ. legit, *scias quod moriendo morieris, &* 1. *Reg. cap.* 14. 39. *Saul, quia si per Ionatham filium meum factum est, absque retractatione morietur*, & *ibid. v.* 44. *Hæc faciat mihi Deus & hæc addat, quia morte morieris Ionatha*: vnde plura apud Delrio. *in Adagiis sacris.* Hoc tamen discrimen huius comminationis non esse perpetuum obseruat Lorin. *in cap. Leuitici citatum.* Verùm quidquid sit de hoc loquendi modo, certum est mortem non fuisse dumtaxat interminatam Adamo, eiúsque posteris, cùm facti fuerint ex eo tempore mortales.

10 Præter hoc præceptum alia perplura facta fuisse quondam ab ipsomet Deo sacræ paginæ loquuntur *Genes.* 6. 7. *&* 8. Noëmo imperauit Arcæ fabricam, in quam induceret animantia munda septena & septena, de immundis verò duo, & duo; distinctio enim illa animantium non erat antè diluuium. Exacto quoque diluuio, plurima pacta pepigit cum eodem Noëmo, prohibuítque ne carnem cum sanguine comederet; Abrahamum quoque & familiam eius circumcidi iussit, *Genes.* 17. in signum fœderis cum Deo initi. Quamquam aliqui dubitant vtrum diuino præcepto distinctio mundorum, & inmūdorum animalium inducta fuerit, cum illo *cap.* 7. *Genes.* nulla fiat præcepti quoad illam distinctionem mentio, potuit enim illa ex Sethi traditione haberi potius, & Moses ista narrando hæc nomina vsurpare per anticipationem, potuit & Deus Noë illam distinctionem docere, vt ait Chrysost. *Hom.* 24. *in Genes.* Nullo tamen addito præcepto. Denique quod annotat *ibid.* Chrysost. potuit facta fuisse illa discretio siue ad sacrificia, siue ad humanum cibum, prudentia & consuetudine humana, ipsiúsque naturæ ductu, quæ à quibusdam cibis & animantibus abhorret. Præceptum verò de non comedendo sanguine. Diuinum reuerà, & non tantùm naturale fuit, neque tropologicum dumtaxat, quasi non aliud illi 11
prohiberetur quàm hominis occisio, vt aliqui existimarunt apud Eugubinum & Salmeronem, *tract.* 43. *in Acta.* Patres siquidem omnes intelligunt de vera sanguinis comestione, & non tantùm tropologica. Nam licet aliquando in scripturis carnem comedere, sit idem quod hominem occidere, vt Iob. 30. 31. *Quis det de carnibus eius vt saturemur*, & *psal.* 26. 2. *Appropiant super me nocentes, vt edant carnes meas:* nunquam tamen tunc additur cum sanguine, perspicuúsque est Hebraicus textus, *carnem in anima sua, in sanguine suo non comedetis*, hoc est, non comedetis carnem cum anima sua, quæ anima est sanguis ipsius, vel in sanguine consistit, vti interpretatur Chrysost. Eugubin. Delrio, & passim cæteri, fauéntque versiones omnes: Nam Græci πλὴν κρέας ἐν αἵματι ψυχῆς οὐ φάγεσθε, Aquila ἐν ψυχῇ αὐτοῦ αἷμα αὐτοῦ, Symmach ὂν σὺν ψυχῇ αἷμα αὐτοῦ. Moses itaque primùm dicit carnem cum anima non comedendam, deinde semet exponens addit, id est cum sanguine. Itaque ait Vatablus vocari carnem cum sua vita & anima, atque cum illa comedi, quando sanguine imbuta comeditur; itaque anima siue vita, & sanguis non ponuntur tanquam res diuersæ, sed vnum & idem hoc loco significant; non quod sanguis per se anima, siue vita sit, sed quia in eo præcipuè vigent spiritus vitales, qui vitam fouent & tuentur, & est animæ vitali sanguis quod oleū lichnio vnde Empedocles ψυχὴ ἐν τῷ αἵματος ουσία: & 12
Plutarch. agens de Homerica poësi egregiâ metaphorâ dixit, τὸ αὐτῷ ταμιεῖον ἐστὶ τοῦ πνεύματος, de hoc loco vide Ambrosium eleganter, quomodo anima sit in sanguine *lib. de Noë & arca, cap.* 25. Idem præceptum habetur *Leuit.* 3. *v.* 17. *& cap.* 7. *v.* 26. & *cap.* 17. *v.* 10. 11. 12. 13. *&* 14. *cap.* 19. *v.* 26. *Deuteron. cap.* 12. *v.* 15. 16. 23. 24. *&* 25. Reijciendi igitur sunt Hebræi recentiores, qui volunt prohiberi dumtaxat esum membri ab animali excisi, quales delicias ferunt Americanis populis placere, quæ feritas non erat mitioribus Noëmi liberis, opinor, tam seuero edicto prohibenda, cùm ipsa natura ipsam horreat. Eòdem recidit quam fatuam esse dixit Delrio Lutheri opinionem, qui quasi Læstrygonibus & Cyclopibus non Sethi & Noëmi posteris ferretur lex, eius veram & simplicem sententiam esse putauit, viui corporis quod adhuc retinet animam agitantem mouentémque, carnibus & sanguine abstinendum, ne sicut miluus pullos, aut lupus oues vorat, nos crudas & palpitantes, & sanguine calido stillantes partes animantium voremus: præscribitur igitur hac lege modus comedendi carnem animalium, quam in cibum tunc Deus concedebat, vt primùm iuguletur animal, tum sanguis effundatur,

&

& demùm caro comedatur. Quata neque per eam legem licuit comedere sanguinem adhuc in animali existentem, siue illud sit viuum, siue suffocatum, siue morticinum, neque etiam ab animali separatum, siue sit liquidus & potabilis, siue in escam factus, aut coagolatus : priori modo sanguinem cum lacte bibebant Trogletitæ apud Sitabonem, quod idem de Scythis, Concanis, aliisque barbaris proditum, & à mitioribus quoqoe gentibos aliquando Medicinæ causâ detestatur Plini. *lib.* 28. *capite primo*, sangoinem enim gladiatorum bibebant ad comitiales morbos pellendos, qood, inquit, spectare facientes in eadem arena feras horror est : at illi ex homine ipso sorbere efficacissimum putant, calidum spiritantémque & vita ipsam animam ex osculo vulnerum, com plagis ne ferarum quidem admouere ora fas sit humana, similia habet Tertullian. *in Apologet.cap.*9. Minutius morbo, inquit, grauiore sanat. Aret. *de acutorum morborum curatione lib.*4. *cap.*4. testatur se vidisse excipientes ex hominis occisi vulnere, & potantes, non vidisse tamen curationem. Strabon. Largus c.12. agens de comitialis morbi remediis ait, ex iecore gladiatoris iugulati particulam nouies sumptam consumi. De hac re vide Liphium *lib.* 2. *satur. cap.*22. Non modo autem potum sanguinis prohibuit Deus, sed etiam ne in cibum coagulatum comederent, atque, vt loquitur Tertulli. *cap. cit.* ne botulos cruore distentos comederent, ideóque Christianos illos ad probationem fidei ingerebant Gentiles. *Erubescat*, inquit, *error vester Christianis, qui ne animalium quidem sanguinem in epulis esculentis habemus, qui propterea quoque suffocatis & morticinis abstinemus, ne quo modo sanguine contaminemur, vel intra viscera sepulto. Denique inter tentamenta Christianorum botulos etiam cruore distentos admouetis, certissimi scilicet illicitum esse penes illos, per quod exorbitare eos vultis.* Arnob. *lib* 2. botulos vocat spirulas. Sen. *Epist.* 56. meminit botularij & crustularij. Renouata porrò fuit hæc ex Apostolis *Actor.*15. quod obseruat idem Tertullian. *lib de Monogamia cap.*5. *adeo in Christo omnia reuocantur ad initium : vt & fides reuersa sit à circumcisione ad integritatem carnis illius, sicut ab initio fuit, libertas ciborum, & sanguinis solius abstinentia sicut ab initio fuit, & matrimonij indiuiduitas sicut ab initio fuit, & repudij cohibitio quod ab initio non fuit : & postremo totus homo in paradisum reuocatur, vbi ab initio fuit causa huius ferendæ legis, fuit ne fundendo sanguini etiam humano assuescerent.* Vnde Octauius apud Minutium *nobis homicidium nec videre fas, nec audire, tantúmque ab humano sanguine cauemus, vt nec edulium pecorum sanguinem in cibis nouerimus.* Tertulli. *Apolog.cap.*9. aduersus impactum crimen Christianis de infanticidio. *Porrò quale est, vt quos sanguinem pecoris horrere confiditis, humano inhiare credatis, nisi forsè suauiorem eum experti : quem quidem & ipsum examinatorem Christianorum adhiberi vt foculum, vt acerram & foculum oportebat. Proinde enim probarentur sanguinem humanum appetendo, quemadmodum sacrificium respuendo : alioquin negandi si non gestassent, quemadmodum si immolassent, & vtique non deesset vobis in auditione custodiarum, & damnatione sanguis humanus* : & *lib. de pudicitia. Interdictum enim sanguinis multò magis humani intelligimus.* Christiani Lugdun. & Viennens. in Epistola *ad Asia.* apud Euseb. πῶς ἂν παιδία φάγοιεν οἱ τοιοῦτοι οἷς μηδὲ ἀλόγων ζώων αἷμα φαγεῖν ἐξόν, *quomodo infantum sanguinem comedunt, quibus non licet irrationabilium animaliũ sanguinem comedere* : videtúrq; ipse Deus Legislator hanc sanciendæ legis afferre causam cùm addit, *sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum, & de manu hominis* : aliam quoque causam addit *Leuit.cap.*17.*v.*11. *Quia anima carnis in sanguine est. Et ego dedi illum vobis, vt super altare in eo expietis pro animabus vestris, & sanguis pro anima piaculo sit* : Quia nempè sanguis est maximè ad vitam necessarius, & velut anima ipsius animalis, voluit Deus, totum illum tanquam pretium pro expiatione peccatorum effundi, & velut animam pro anima offerri, vt inquit Philo *lib. de victim.* quare fundi debebat totus sanguis in sacrificiis circa altare, extra sacrificia effundi super terram, illáque operiri, itavt nullum ex eo commodum percipi posset, quia peculiariter domino dicatus erat : Mysticas alias huius præcepti causas dabit S.Thom. 1.2. *q.*102. *art.*3. *ad* 8. & nos alibi adducemus.

Eodem iure vetabatur adipis esus : Nam Leuit. 12
*cap.*3. *v.*17. *iure perpetuo in generationibus & cunctis habitaculis vestris nec sanguinem, nec adipem comedetis*, ex quibus quidem verbis colligit Caietan. & Oleaster prohiberi dumtaxat ne in sacrificio quis comedat oblatæ victimæ sanguinem vel adipem, vti fiebat in gentium sacrificiis Deut. 32. *v.* 38. sed per cremationem vel effusionem totus Deo consecretur. Nihilominus quoad sanguinem extat pluribus aliis locis prohibitio vniuersalis esus eius comedendi, vti diximus hactenùs. Hæc porrò prohibitio cùm toti genti Hebrææ facta fuerit, iure perpetuo, veræ & propriæ legis rationem habuit, quæ etiam Christianæ Ecclesiæ lata fuit ab Apostolis in primo Concilio generali *Act.*15. vti monuimus, durauitque huius obseruatio diutiùs. Nam scribit Pau. *in scholiis ad Tertull. Apologetic. n.*138. ante cccc. annos præscriptum pœnitentiæ tempus fuisse illis qui hanc Apostolicam legem violassent ; eam etiam hodie seruari à Græcis testatur Lorin. *in Acta* : quòd si faciant intuitu legis Mosaicæ, quæ modò non ligat superstitiosum dicit ; si verò ex quapiam alia honesta causa, non damnat.

Præceptum & lex posita Abrahamo & posteris 13
eius de maribus circumcidendis in signum fœderis cum Deo initi Genes. *c.* 17. à Deo ipso posita fuit, quare & diuina lex fuit de qua fusius *in secundo tomo, siue parte huius operis* disputabimus.

Præter hæc peculiaria præcepta diuina, tradita quo- 14
que est ab ipso Deo lex aliqua continens multitudinem plurium præceptorum, & ius aliquod atque politiam integram, quâ regeretur religiosa quædam respublica ad diuinum cultum, sub peculiaribus quibusdam signis & sacramentis atque institutis; hócque nos intelligimus propriè nomine legis, quoties quærimus an sit aliqua diuina lex : nimirum an extet lex aliqua continens multitudinem plurium particularium mandatorum, ex quibus consistat cuipiam communitati latæ, & per quam instituatur & dirigatur in ordine ad peculiarem aliquem finem, fiatque politia quædam peculiaris à cæteris distincta : sic dicimus aliam esse legem Monarchiæ, aliam Democratiæ, aliam legem naturæ, in quibus loquendi modis satis apparet legem non accipi pro vno tantum præcepto, sed pro multitudine illorum, ex quibus totum ius & lex qua politia regitur, coalescit : & sanè, cum eiusmodi lex & ius totam politiam instituens & dirigens, de singulis illius partibus, multa eáque diuersa statuere debeat, non potest vno dumtaxat iusso, aut statuto contineri, sed plura complectatur oportet.

Huiusmodi verò datam esse aliquam legem à Deo, 15
nemo christianus dubitat, cùm de lege veteri Hebræorum Synagogæ, Mose promulgatore & interprete, data, & de lege Ecclesiæ à Christo sancita passim testentur scripturæ : adde necessariam fuisse diuinam aliquam legem positiuam per quam ad finem supernaturalem obtinendum humana politia institueretur, & dirigeretur, vti *sub finẽ capitis superioris* cum S.Thom.

demon

demonstrauimus. De his duabus Legibus agemus seorsim hoc loco, pertineut enim maximè ad scientiam nostram Canonicam, & Hieropoliticam. Nam Ecclesia Christiana diuinis Christi legibus gubernatur, & antiquam Legem Iudaïcæ Ecclesiæ positam considerat, licet plura eius præcepta emẽdata, vel sublata fuerint à nouo Legislatore *Christo*, vti explicabimus. Ordior igitur à Lege Mosaïca.

QVÆSTIO II.

De Lege diuina Mosaïca, & quis eius fuerit Author.

Quisnam sit verus Legis alicuius Author, n.1.
Legis Mosaica Author est Deus, n.2.& 3.
Ministri fuere Angeli, n.4.
Quomodo id factum, & quid nomine Angeli significetur, n.5.6.7.& 8.
Cur Angeli ministri, ex Dyon. n.9.10.11.12.& 13.
Cur Angeli nomen Dei sibi sumpserint, n.14.
Quodnam fuerit ipsorum ministerium in sanciend a Lege, n.15.& 16.
Moses non fuit Legislator, sed promulgator, siue praco, n.17.18.19.& 20.

1 Dicimus eum Legis Authorem esse qui pro sua suprema authoritate & potestate Legem eam tulit, & subditos ad eius obseruationem obstrinxit, siue deinde ad illam promulgandam, indicendam, scribendam, explicandam alicuius alterius tanquam præconis & Amanuensis operâ fuerit vsus, siue non, quâ ratione Homerus dicitur sui poëmatis Author, licet dubitent aliqui apud Ioseph. *lib.1. aduers. Apponem*, an illud literis mandarit, immò neque tunc temporis vllas literas extitisse velint alij; quod ego interpretarer de iis characteribus quibus eius poëma exaratum fuit: Nam erant priores literæ Caducæ siue Phœniciæ à Cad. Phœnice in Græciam adductæ, quæ subinde vel ipso vsu, vel ab aliis qui idcircò ipsarum inuentores habiti sunt, nonnihil immutatæ & auctæ fuerunt, quâ de re consule Vossium *lib.1.de Gramm.c.10. & 30.* Deinde si Homerus ex vulgari fabula cæcus fuit, sua carmina non scripsit, eius tamen Author habendus omnino est, & sacra scriptura diuina dicitur, quia Deus eius Author est, licèt ipse illam non scripserit, sed homines eius afflati numine: vnde à Paulo *2.ad Timot.c.3.* dicitur scriptura diuinitus inspirata, γραφὴ θεόπνευστος. & D.Petrus *Epist.2.cap.1. non voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt Dei homines*; ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι, *à spiritu agitabantur, ferebantur*; Syrus dixit, *à spiritu instractos vel attractos.* Obseruat verò Caietanus Prophetiam scripturæ apud Petrum denotare sacram Prophetiam; nam scripturæ vox absolutè posita significat sacram scripturam, quod ipse annotauit Lorin. *in cap.17. Actor.v.24.* Omnis quoque diuina scriptura censeri & dici potest Prophetia, licèt non contineat rei futuræ vaticinationem vllam, quia quidquid non nisi instinctu diuino sciri potest, prophetia est, ex Greg. *homil.1.in Ezechiel.* & S.Thom.2.2.q.171. *art.2.* Et denique quidquid Propheta imperio diuino facit, si quidpiam mysticum & diuinum contineat, dicitur vaticinari, vt constat ex Ezechiele *cap.38.toto.*

Verùm quidquid sit de prophetiæ voce certum est scripturam diuinam dici, quia Deo Authore & inspirante scripta fuit. Quia, inquit Greg. *praf. in Iob. ipse scripsit, qui hac scribenda dictauit. Ipse scripsit qui & illius operis inspirator extitit.* Ioseph. *lib.1.contra Appion.* ait omnes Prophetas scripsisse κατὰ τὴν ἐπίπνοιαν τὴν ἀπὸ τοῦ θεοῦ μαθόντας, per sanctam inspirationem quam à Deo didicissent: quare Dauid *Psalm.44.* Dum Christo & victori prob. Epinicion, siue Epitalamium caneret, aiebat de se ipso, *lingua mea calamus scriba velociter scribentis*, & cor suum eructare verbum bonum; tantâ scilicet copiâ spiritus plenum se esse, vt cum impetu quodam ex continenti fluxu, celeritate & copia tanquã ex scaturiente fonte prorumperet in sermones, peritos & bonos; quare Symm. ἐκινήθη ἡ καρδία μου λόγῳ ἀγαθῷ, *commotum est cor meum verbo bono*; quasi, vt exponit Eusebius alio sermonem pronuntiante se auditu commotum illud effundere & eructare diceret, Septuaginta habent ἐξηρεύξατο ἡ καρδία μου λόγον ἀγαθόν, quasi significaret ebullitionem, & quasi germinationem & emanationem quandam. Quo eodem verbo vtuntur 70. *Exod.cap.8.v.9.* ad significandam ranarum ebullitionem: eodémque eructandi verbo sæpiùs aliàs vtitur Psalmographus *Psalm.119.v.171. Psalm.144.v.7. Psalm.18.v.3.* vt plenitudinem & copiam mentis ex qua sequatur profusio, & vt ita dicam ebullitio externa, significet; quod & Auctus etiam ostendit cum sit flatus qui inuitis etiam sursum expirat vti Hieron. & Basil. in hæc verba exponunt similem sermonum qui contineri non possint copiam, aliis quoque metaphoris exprimit scriptura. Sic ille apud Iob. *cap.4.v.2.* comparat musto quod lagunculas disrumpit. En inquit; *Venter meus quasi mustum absque spiraculo quod Lagunculas nouas disrumpit.* Verum ille plenus erat suo spiritu non afflatus diuino numine; quare magis ad nostram rem faciunt ea, quibus sancti Prophetæ explicant copiam illam diuini numinis inhabitantis & afflantis verba, quæ sibi retinere & premere non liceret. Ierem. *cap.20.v.9. Factus est in corde meo quasi ignis exæstuans, clausúsque in ossibus meis & defeci ferre non sustinens*: Salomon. *prouerb. cap.30.* id eleganter exprimit verba congregantis filij vomentis visio, quam locutus est vir cum quo est Deus, & qui Deo secum morante confortatus ait: de variis mentis Dei plenæ fructibus & euaporatione consimile quid Bernard. *sermone 67. in cant. & serm.18.* Redeo ad Dauidem qui addit se esse veluti scribam excipientem quæ dictet spiritus Sanctus, & linguam suam esse calamum notarij velocis & acuti, γραφέως, & γραμματέως ὀξέως. vt Symmach & Aquila, vel vt 70. ὀξυγράφου, & alibi ipsemet Dauid ait *2. Regum.cap.23.v.2. Spiritus Domini locutus est per me, & sermo eius per linguam meam*; quare sapienter mõnet Gregor. *prefat.in Iob.* non esse laborandum, quisnam fuerit sacri alicuius libri scriptor, quandoquidem quisquis ille fuerit, calamus dumtaxat spiritus Sancti fuit. *Si magni*, inquit *cuiusdam viri susceptis epistolis legeremus verba, easque quo calamo fuissent scripta, quareremus Ridiculum profectò esset, si non Epistolarum Auctorem scire, sensúmque cognoscere, sed quali calamo earum verba impressa fuerint indagare studeremus. Cum ergo rem cognoscimus, eiusque rei spiritum sanctum Auctorem tenemus, quia scriptorem quærimus, quid aliud agimus, nisi legentes literas, de calamo perscrutamur.* Quæ omnia adduximus, vt doceremus Authorem libri, eum habendum esse, qui eum vel dictauit vel inspirauit, vt videmus in sacra scriptura, quam diuinam dicimus, quia Authorem habuit Deum, qui illam sacris scriptoribus inspirauit; parique ratione, Legis eum Authorem facimus cuius authoritate illa lata est, & à quo suam omnem subditos obligandi vim sortitur, cuiuscumque tandem ministerio promulgata & indicta fuerit subditis. *Quare* diligenter distinguendum est inter Authorem Legis, & eius præconem, primus ille solus Legislator propriè existit, Cæteri verò non nisi Ministri, quamvis & ab illis aliquando per vulgarem abusum denominentur tanquam à Legislatoribus, ita per ampliationem quandam nuncupatur, quod in tota ista

quæstione ad exponenda diuersa scripturæ loca fuerat obseruandum.

2 Aio igitur imprimis Legis quondam Hebræorum Genti,& Abrahami posteris Mose præcone latæ verum proprium, & immediatum ac proximum Auctorem esse Deum, eúmque solum, prima pars huius assertionis de Deo Authore manifesta est ex sacris scripturis, quæ solæ eam referunt, & explicant, cùm alibi nulla, vel omnino obscura eius fiat mentio, quæ ipsa ex illis libris accepta fuit, nullum siquidem antiquiorem Authorem Mose habemos vti fusissimè ostendit Eusebius Nieremberg. *opere de origine sacra scripturæ*, vbi & ipsum Mosem primum Litterarum inuentorem, primúmque omnium scriptorem demonstrare contendit.

Ex his igitur scripturis quas nobis sacras & sanctas esse ex fide diuina supponimus, argumentari dumtaxat licèt toto isto & sequenti capite: quare si scripturæ faciant Deum proximum & principalem huius Legis Authorem, nostra assertio Catholica erit,& fide tenenda: atqui ita omninò pronuntiat scriptura, nam *Exodi* 20. *Locutúsque est Dominus omnes sermones hos. Ego sum Dominus Deus tuus.* Pergit deinde afferre totum Decalogum, sæpiùs alibi vocatur Lex Domini *Psal* 118.& *Psal.*18. præceptum Dei *Mac.*7. Matthæi *verò* 15. vbi de præcepto honorandi parentes. Deus dixit, *honora, &c.* mandatum Dei *ad Hebr.*9. *Hic sanguis noui testamenti quod mandauit ad vos Deus.*

3 Hanc eandem assertionem demonstrat S. Tho. 1.2. *quæstion.* 98 *artic.*2. quia Lex illa vetus disponebat ad Christum & ad illum ordinabatur, nam de illo testabatur, cúmque designabat *Luc.vlt.* inquit ipse Christus, *oportet impleri omnia quæ scripta sunt in Lege, & Psalmis, & in Prophetis de me* & Ioann. *Si crederetis Moysi crederetis forsitan & mihi, de me enim ille scripsit.* Deinde Lex eadẽ retrahebat homines ab Idololatria, & cultum vnius Dei docebat à quo mundus saluandus erat per Christum. Quare Paul. *ad Galat.*3. *priusquam veniret fides sub Lege custodiebamur conclusi in eam fidem, quæ reuelanda erat: itaque Lex pedagogus noster fuit in Christo, vt ex fide iustificemur.* Ex quibus sapienter concludit S. D. Legem illam à Deo latam fuisse; ipse enim solus potuit præceptis & factis futura infallibiliter præsignare, maximè quæ ab vna illius voluntate pendebant, solúsque potuit ad Christum quem miserat homines disponere; Eiusdem siquidem est per se, vel per suos subditos ad finem disponere, & perducere, cuius solius est finem illum ponere, finis verò Legis, vt dicemus inferius, est Christus & salus, qui finis poni non potuit nisi à Deo, qui & solus ad illum disponere & adducere potest quod Legis illius institutis præstitit. Hæc S. Doctoris argumentatio demonstratiua quidem est, supponit tamen principium aliquod de fidè, nimirum Legem hanc fuisse dispositionam & præparationem ad Christum, quod non habemus nisi ex fide: & sanè cum ista νομοθεσία, & legislatio sit fidei articulus, solo lumine naturali demonstrari nequit. Et potuisset Deus singulis hominibus loqui, Christum futurum reuelare, & ad illum adducere priuatis afflatibus, quod tamen non fuit consentaneum. Valétque hoc loco, quod habet Aug. *lib. de vtilitate credendi cap.*14. *contra Manichæ Si Christo etiam credendum negant, nisi indubitata ratio reddita fuerit Christiani non sunt.* At nos agimus hoc loco cum Christianis qui sacris libris credunt. Nam cum aliis agendum erit iis rationibus quæ persuadeant esse prudenter credibile Legem illam esse à Deo sancitam, vti contingit in cæteris quæ ad finem & Religionem persuadendam conferunt, quæ motiua fidei & *κριτήρια* nominant. Et Canus *lib.*2. *de locis c.*8. *ad* 4. Exteriora & humana incitamenta externas & humanas persuasiones, credendíque adminicula, de quibus *in* 2. *huius operis parte* disputabimus: In hac verò quam versamus quæstione sunt illa ipsa quæ ostendunt sacram scripturam esse diuinam & infallibilem, atque Deo Authore scriptam, qua de re agemus *lib.*8. eadem pertinent quæ de huius Legis æquitate & perfectione docebimus inferius.

Altera pars assertionis Deum solum fuisse Authorem Legis Hebræis latæ, constabit ex sequentibus quibus reiicicmus omnes alios quibus eam dignitatem aliqui male vindicant.

Aio itaque secundò Legem illam Ministris Angelis latam & indictam fuisse. Id enim testatur Paul. *ad Galat.*3.*v.*19. *Quid igitur Lex? propter transgressiones posita est, donec veniret semen cui promiserat ordinata per Angelos in manu mediatoris*, quod ipsum dixerat Stephanus *Act.*7.*v.*53. *Qui accepistis Legem in dispositione Angelorum, εἰς διαταγὰς, in institutionibus & præceptionibus.* Syrus, *in manu* siue *per præceptum & mandatum Angeli*: non placet autem Oecumenius qui interpretatur ad dispositiones Angelorum, vt nimirum Legem obseruantes inter Angelos referri possent. Alij *εἰς διαταγὰς* exponunt *ad* vel *secundum* dispositiones *κατὰ διαταγάς*, quemadmodum disposuerant & statuerant Angeli Mosi loquentes in rubo siue Legem in varia iussa & edicta distinctam ab Angelis, qui & ea proposuerunt eius verba: *Ego sum Deus Patrum tuorum Genes.* 18. Apparuit Dominus in conualle Mambre Abrahamo sedenti in ostio Tabernaculi sui in feruore diei, & tamen *ibidem* subditur fuisse tres viros siue Angelos quos & tabernaculo suo excepit; eò alludit Paul. ad *Hebr.*13.2. *Hospitalitatem nolite obliuisci, per hanc enim quidam placuerunt Angelis hospitio receptis & cap.Genes.*22. *tentauit Deus Abraham*, & tamen additur deinde fuisse Angelum. *Ecce Angelus Domini de cœlo clamauit dicens, &c. Nunc cognoui quod timeas Dominum; & non pepercisti vnigenito filio tuo propter me*: Quare sapienter S. August. *Quid ad hoc respondetur? an dicturi sunt Deum iussisse vt occideretur Isaac, & Angelum prohibuisse? porrò ipsum Patrem aduersum Dei præceptum, qui iusserat vt occideret, obtemperasse Angelo vt parceret. Genes.*32.*v.*27. virum qui per totam noctem luctabatur cum Iacob Deum fuisse, produnt ipsiusmet luctantis verba, *si contra Deum fortis fuisti quantò magis contra homines.* Deinde nomen suum prodere noluit. *Cur quæris nomen meum*, addunt aliquæ editiones quod est mirabile, sed illud assumentum esse ex *Iudic.*13.*v.*18. Contendit Delrio, quare in eo vim facere non placet; habemus enim ipsummet Iacobum qui se luctatũ esse cum Deo fatetur, *vidi*, inquit, *Dñm facie ad faciem* vbi, *vidi*, id est quod conserui, colluctatus, pugnaui, Phrasi nõ insolita Hebr. *lib.*4. *Reg.c.*14.8. *Misit Amasias nuntios ad Ioas filium Ioachas filij Iehu Regis Israel dicens veni & videamus nos*, & *eod. lib.*4. *c.*23.30 *abiit Iosias Rex in concursum eius, & occisus est in Maggedo cum vidisset eum*, nempe cum eo præliatus decubuit. Ait igitur Iacobus se & vidisse Deum, & cum eo pugnasse. Denique Iacobus vocat luctæ locum *Phanuel*, id est Dei facies, & ipse Iacobus inde dictus quoque *Israel potens contra Deum.* Iste tamen luctator qui se Deum dicit, & vt talis agnoscitur à Iacobo, nominatur Angel. *Osee* 12.3. *in vtero supplantauit fratrem suum, & in fortitudine sua directus est cum Angelo.* Vt igitur ista loca scripturæ quæ inuicem pugnare videntur, non dissentire inter se doceat Philo *in vita Mosis*, affirmat Deum reuerà apparuisse Mosi aliisque, nominatum tamen Angelum quod futura nunciaret; quod innuere quoque videtur Nazianz. *tract. de fide*, atque alij de Deo Christo, vti statim monebo: hæc verò Philonis expositio inepta omnino videtur, non enim mirum videri debet si Angelus qui Dei personam

nam gerit, eiúſque nomine quidpiam eloquitur, edicit,& imperat verba Dei referat, Deúſque nominetur, vti ex Auguſt. *poſt paulò* referemus. At verò abſurdum eſt Deum qui aliquid nunciat,& edicit, ſe nuncium, aut præconem dicat,cùm enim Philo, aliíſque qui eius ſententiam probarunt fateantur Angeli nomen eſſe officij, non naturæ, eſſéque nuncium, quis dicat eum qui mittit nuncium, ſe nuncium vocari & illius veluti vicem induere, à quonam verò multa cuiúſve nomine nunciare,& Angelus eſſe dicetur quare veriùs.

7 Reſpondent 3. alij Deum qui apparuit Moſi aliiſve fuiſſe verbum, cui nomen Angeli tribuitur, quod in ſententia Origenis explicari poſſet, ille enim in *Ioan.* & *in Epiſtolam ad Romanos* non modò pro Angelis Chriſtum mortuum & paſſum nugatur, ſed etiam propter Angelos Angelum factum: *Seruator*, inquit *diuinus multò quam Paulus factus eſt omnibus omnia,vt omnes lucrifaceret,vel perficeret: Et manifeſtè hominibus homo, Angelis Angelus factus eſt. Cúmque fidelium nemo ambigat hominem,eum fuiſſe, Angelum etiam fuiſſe inducamur ad credendum ſeruantes Angelorum apparitiones & verba,quando poteſtatem eum apparet Angelorum habere*, addit, *& hominibus* 1. *in Leuit.* poſt oblatum in cruce pro hominibus ſacrificium, aliud deinde in aëre pro Angelis obtuliſſe. *Et hic quidem*, inquit, *pro hominibus ipſam corporalem materiam ſanguinis ſui fudit. In cœleſtibus verò miniſtrantibus, ſi qui illi inibi ſunt Sacerdotibus, vitalem corporis ſui virtutem velut ſpeciale quoddam ſacrificium immolauit*, quod non videtur ad Origenis meotem,de ſecunda Crucifixione in aëre ſatis appoſitè interpretari Bernard. *ſerm.* 54. *Denique*, ait, *operatus eſt ſalutem in medio terra, numquid & in medio aëris hoc aduerſus Origenem,qui in aëre Dominum gloriæ demùm Dæmonibus impudenti crucifigit mendacio,cùm huius conſcius myſterij Paulus affirmet,quod reſurgens ex mortuis iam non moritur*: Verùm hæc duo ſacrificia diſtinguit Origenes,quod vno corporalem materiam ſui ſanguinis fuderit,in altero ſpecialem corporis ſui virtutem tanquam ſpeciale ſacrificium, verùm quid ſit illa ſpecialis virtus corporis quis diuinet? Neque in his nugis aut explicandis, aut reiiciendis immorandum eſt, quamquam priorem illam de verbo facto Angelo ve & homine confutet Tertullian. *lib. de carne Chriſti cap.* 11. Quare.

8 Reſpondent 4. Angelum qui Moyſi apparuit,eíque Legem dedit,fuiſſe verbum ipſum incarnandum, qui & verè Deus erat,& ſimul Angelus ſiue nuncius,pluribus de cauſis dicebatur; atque ita conſentiunt loca omnia ſcripturæ, in quibus tum Deus, tum Angelus Legem tuliſſe, tum aliis ſanctis Patribus quondam appariuſſe dicitur, fuitque ea peruetus ſacrorum quorundam Patrum opinio verbum ante Incarnationē in ſpecie corporea Patribus viſum,quaſi iā prælūderet Incarnationi,Clem. *lib.* 5.*conſt. cap.* 11. ait viſum vti hominem à Iacobo,exceptum hoſpitio ab Abrahamo, In rubro à Moſe, armatum,& ſecum pugnantem aduerſum leticontem à Ioſuë, quæ omnia paucis complectitur Hilar. *lib.* 12.*de Trinit.* [*vocem, inquit, deambulantis in paradiſo Adam audiuit; putáſne deambulantis inceſſum,niſi in ſpecie aſſumpta carnis audita,vt in aliqua creatura conſiſteret, qua inambulans fuerit auditus homo ad Abraham venit,homo loquitur, & corpore aſſiſtit verumtamen vt Deus adoratur: adeſt autem ad Iacob etiam vſque ad lucta complementum in habitu humano, idem poſtea Moyſi eſſe ignis oſtenditur*]ſimilia habet Leo *ep.*13.*ad Pulcheriam Auguſtam.*]additque *ſed illa imagines huius hominis erant indicia, cuius veritatem ex precedentium Patrum ſtirpe ſumendam myſtica ſignificationes nunciabant.*]Ambroſ. *lib.* 1.*de fide c.* 5.non Patrem in rubro nec in eterno, ſed filium Moyſi locutum eſſe affirmat

R.P. *Ioſeph.Gibalini de Scient.Can.*

de verbo loquente cum Moſe. Idipſum docet Irenæ. *lib.* 4.*c.*37.qoi & *c.*23.inſeminatum eſſe vbique in ſcripturis filium Dei demonſtrat, qoi aliquando loquatur cum Abraham, cum eo comeſurus, aliquando cum Noë, dans ei menſuras; aliquando quærens Adami, aliquando ſodomitis inducens indicium,in via dirigit Iacob,cum Moyſe de Rubo loquitur. Nazianz. *tract. de fide* reddit rationem diuerſarum iſtarum apparitionum filij Dei in forma humani corporis, Abrahæ quidem;ea cuius ſemine poſtremis temporibus venturum ſe oſtēdebat:Iacobo videtur in Angelo,& Iacobo,quia nuncius magni conſilij,in homine cum illo colluctante vt imaginem futuræ colluctationis quam eum Iſraël habiturus erat, ſignificaret,cum ſecundum hominem aduenisſet Moyſi in Rubo in flamma ignis apparuit, vt lumen credentibus,incredulis iudicium oſtenderet populum in columna nubis die,in columna ignis nocte præcedebat, in Baptiſmi gratiam per nubem, & donum Spiritus ſancti per ignē oſtenderet:Cum Moſe in Monte Sina, quia agendis explendiſque rebus à Patre venturus erat.Author quæſtion.ad Antioc.*q.*12. Nudam quidem Dei eſſentiam à quoquam viſam negat,ſæpius tamen ſicut hominem appariuiſſe Prophetis incarnatum.Chr. *Hom.* 3 2.*in Gen.* de apparitione facta Iacobo, & *Hom.*68. de apparitione Abrahæ, & quia tunc erant tantum principia liberationis humanæ, in figura cuique illorum apparebat: Demùm veram formam humanam non putatiuam, aut apparentem tantum carnem induit, & *in cap.* 3.*ad Galat.*explicans illud Pauli in manu mediatoris Legem eſſe latam dicentis, ait Chriſtum ante Legem fuiſſe, illámque dediſſe,quod idem affirmat Theoph. *ibid.* vnde colligit in arbitrio Chriſti eſſe Legem quam tuletat, tollere Oecumeni, & Primaſius de more Chryſoſthomum ſublegunt.Theod. *q.*88. *in Geneſ.* ex eo quod is qoem Iacob vidit ſcalæ innixum,vocetur Deus,& Angelus, infert ipſum non fuiſſe Deum Patrem,qui nullius eſſe Angelus potuit filium qui magni conſilij Angelus eſt, & Patrem nūciauit nobis myſteria,atque hanc Angeli nominationem verbo ante Incarnationem tributam eſſe,habes ſæpius apud Patres Baſi.*lib.*2.*contra Eunom.* Athanaſi *ſerm.*3.*contra Arrianos* Clem. Alex.*lib.* 1. *Pedagogic.*7. Iuſt. *Dial.cum Triphone Euſeb.lib.* 1.*demonſt. c.* 5.Tert.*lib.de carne Chriſti c.*14.in quem locum alios dabit Panuti *ſcholio* 114.Tam;conſentienſporrò videtur fuiſſe hac in re Patrum ſententia,vt Concilium Sirmienſe œcumenicum in profeſſione fidei *anathem.*14. hæc habeat *ſi quis cum Iacob non filium tanquam hominem luctatum eſſe, ſed ingenitum Deum aut Patrem eius dixerit, Anathema ſit.* Denique videmur apertum habere ſenſum Eccleſiæ in Antiphonis maioribus Aduentus:Primà eum ſic habet *O adonai & Dux Domus Iſrael qui Moyſi in igne Rubi apparuiſti, & ei in Sina Legem dediſti,veni ad liberandum nos in brachio extento.*

Dicendum oihilominus eſt Deum & Moſi Legem dediſſe & cæteris Patribus appariuſſe mediātibus Angelis,qui & eius perſonam gerebant, & eius nomine loquebantur: quod enim de verbo,velot in rudimentū futuræ Incarnationis humana & corporea figura apparente,& eo quod diuina nunciaret Angelo nominato, dicebāt laudati Patres,ſtare nō poteſt cū aliis ſcripturæ locis,maximè *actor.*7.vbi Stephanus apertè ait Angelū fuiſſe cum Moyſe in ſolitudine locutū in Monte-Sina, & cum cæteris Patribus, atque Legem in diſpoſitione Angelorum acceptam eſſe,quod Paul.*c.*3.*ad Galat.*dicit Legem ordinatam fuiſſe per Angelos, *vt* ſupra retulimus; Neque poteſt conſiſtere eximia illa legis Euangelicæ prærogatina, quam tantis laudibus effert Paul. *ad Heb.*2. quod Lex vetus data fuerit per Angelos, non per ipſummet Dei filium. *Propterea*, inquit, *abundantius oportet attendere nos ad ea qua audiuimus*

nimus ne fortè defluamus. Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, & omnis prauaricatio, & inobedientia, accepit iustam mercedis retributionem, quomodo non effugiemus si tantam neglexerimus salutem, quæ cum initium accepisset enarrari per Dominum ab iis, qui audierunt, in nos confirmata est, contestante Deo signis & portentis, & variis virtutibus & spiritus sancti distributionibus secundum suam voluntatem. Hoc est si Lex quondam data per Angelos firma & rata permansit, eiusque præuaricatores meritas pœnas luetunt, quomodo nos Dei supplicium effugiemus, si eximiam illam salutem quam affert Lex Euangelica, neglexerimus? Illa enim non per Angelos, sed per ipsummet Angelorum Dominum tradita primum est, & deinde per Apostolos infinitis miraculis promulgata & constabilita. Præmiserat verò Deum olim multifariam & variis modis loquutum esse cum Patribus & Prophetis, nouissimè verò loquutū in filio & per filium, quem pluribus ostendit Angelis præstantiorem esse, vtpote Deum & Dominum, cuius ministri dumtaxat sunt Angeli, hæc porrò Pauli argumentatio nulla & inutilis foret, si ipse filius Dei æquè Legem Mosi dedisset, atque Euangelium Apostolis, & Ecclesiæ, & inepta foret illa filij cum Angelis comparatio, si ipse filius erat ille Angelus, qui cum Mose aliisve Patribus loquebatur, quique Legem tulit, quomodo enim eum se ipso comparabitur quoad diuinitatis imperium quod filius habet, non autem vt Angelus qui erat, vt aduersarij volunt, ipsemet filius. Deinde quoties in scriptura dicitur Angelus loquutus, aliudve operatus, vel id intelligendum perpetuò erit de verbo & filio Dei Patris nuncio, vel aliquando de verbo, alias de Angelo, & spiritu creato. Hoc posterius perpetuas æquiuocationes afferet, & ferè pro arbitrio modò verbo, modò Angelo tribuere licebit has apparitiones & locutiones. Si verò de verbo semper & constanter omnia interpretanda erunt, mirum erit scripturam nusquam ferè nomen Angeli propriè de spiritu creato, sed translatiuè vsurpare de verbo Dei filio. Deinde plurima tribuentur verbo, quæ illum dedecent, vt quod dicitur *Exod. 14. & cap. 23. Ecce ego mittam Angelum meum qui præcedat te, & custodiat in via.* Quis enim dicat ipsum verbum fuisse Angelum custodem, qui præcederet castra Israël: Denique quamvis non negemus nomen Angeli quandoque tributum fuisse Christo, vti exponunt PP. nunquam tamen id fit, cùm absolutè ponitur vox Angeli, semper enim aliquid additur, vnde colligitur figuratè de Christo vsurpari, quod sapienter aduertit Suar. *de legib. lib. 9. c. 2. n. 5.*

Dicendum igitur est Deum ipsum propriè & Immediatè Legem Hebræis sanxisse, vsum tamen Angelorum ministerio & operâ, qui idcircò in Dei persona loquuntur: quod ipsum de omnibus diuinis antiquis visionibus tradidit Dionys. *lib. de cælesti Hierarc. cap. 4.* vbi cum docuit Deum sua se bonitate creaturis communicare, eiusque omnes participes pro suo captu efficere. Est enim omnium causa & supremæ bonitatis ad sui communionem Res omnes vocare pro cuiusque capacitate & modo: ἔστι γὰρ τοῦτο τῆς πάντων αἰτίας καὶ ὑπὲρ πάντα ἀγαθότητος ἴδιον τὸ πρὸς κοινωνίαν ἑαυτῆς τὰ ὄντα καλεῖν, ὡς ἑκάστῳ τῶν ὄντων ὥρισται πρὸς τῆς οἰκείας ἀναλογίας. Entium autem, vti notat S. Maxim. in *Scholiis*, alia non viuunt, alia viuunt, alia intelligunt, alia ratiocinantur τῶν ὄντων ἢ βάζωδείων ἢ ζῶντα; & ἄλογα ζῶα ἢ νοερά, quæ sunt ἀσώματα ἢ λογικά, quæ ratiocinantur & sunt in corpore ἐνσώματα, vti homines. Ex his omnibus creaturis & cælestium essentiarum dispositiones ἅγιαι τῶν οὐρανίων οὐσιῶν διακοσμήσεις, diuina participatione antecellunt τῆς θεαρχικῆς μεθέξεως ἐν μετουσίᾳ γεγόνασι, ideóque primò & multis modis Dei arcanum siue secretum manifestant; πρώτως καὶ πολλαχῶς ἐκφαντορικαὶ τῆς θεαρχικῆς κρυφιότητος, indéque per excellentiam quandam nomen Angeli præ omnibus obtinuerunt, διὸ καὶ παρὰ πάντα τῆς Ἀγγελικῆς ἐπωνυμίας ἐξαιρέτως ἠξίωνται. Quia illæ essentiæ à Deo illuminantur θεαρχικὰς ἐλλάμψεις, & per illas diuinæ reuelationes in nos transmittuntur, καὶ δι᾽ αὐτῶν εἰς ἡμᾶς διαπορθμεύοντας τὰς ὑπὲρ ἡμᾶς ἐκφαντορίας. Sic Lex dicitur data per Angelos, & illos Patres nostros celebratos, τοὺς κλεινούς, ante & post Legem Angeli ad eum adducebant; vel quod agendum erat exponentes τὸ πρακτέον εἰσηγούμενοι; vel ab errore & vita profana ad rectam viam veritatis traducentes, καὶ πρὸς εὐθεῖαν ἀληθείας ὁδὸν ἐκ πλάνης καὶ ζωῆς ἀνιέρου μετάγοντες; vel manifestantes sacros ordines, aut mysteriorum quæ supra mundum sunt, abditas visiones, aut diuinas quasdam prædictiones tanquam nuncij & Ministri explanantes, ἢ τάξεις ἱερὰς ἢ μυστηρίων ὑπερκοσμίων κρυφίους ὁράσεις, ἢ θείας τινὰς προαγορεύσεις ὑποφητικῶς ἀναφαίνοντες. Quibus verbis explicat magnus Dionysius quomodo Angeli diuina participent, & nobis nuntient, indéque nuntij & Angeli vocentur, omnesque viri sanctitate eximij ab illis diuinam lucem hauserint, & mysteriorum supra mundanorum cognitionem acceperint, ipséque Moses Legem sibi ab iisdem datam, quæ omnia eleganti paraphrasi Illustrat Pachimeres, vbi describit Angelorum in superiora motum in diuinam similitudinem atque imitationem quæ suam spiritalem speciem efformant, ideóque in pluribus cum deitate communicant tanquam existentes, tanquam viuentes, tanquam rationales, atque insuper tanquam spirituales & assiduæ mentes, & nequaquam distractæ per diuersam sententiam, vti nobis accidit, & ad anteriora semper summo diuini indeficientis amoris studio intentæ διὰ τοῦτο καὶ πλείονας εἰκότως ἔχουσι πρὸς αὐτὴν θεαρχικὴν ὁμοίωσιν κοινωνίας ὡς ὄντα, ὡς ζῶσαι ὡς λογικαί, καὶ ὅτε ὡς νοεραὶ καὶ προσεχῶς μένουσαι, καὶ οὐ διεσπασμέναι κατὰ τὴν διάφορον γνώμην, ὥσπερ ἔστιν ἐν ἡμῖν καὶ ἀεὶ ἀνατεινόμεναι πρὸς τὸ ἄνωθεν ἐν συντονίᾳ τοῦ θείου καὶ ἀνεκλείπτου ἔρωτος: quod verò dixerat Dionysius cælestes illas mentes quæ cum diuinitate communicant, ab illáque illustrantur, verba deinde eximios illuminare illisque mysteria supermundāna aperire, veritatem docere, ad Deum adducere, & abscondita reuelare, diuina dictata & Leges manifestare, vti contigit Moysi, sic enarrat paraphrastes eius Angelicæ & diuinæ virtutes, θεῖαι δυνάμεις, primordiales & diuinas suscipiunt Illustrationes, ἀρχικὰς καὶ θείας ἐλλάμψεις, & secundum illas ordinentur τάττονται, omnémque suam vitam habent specialem, siquidem earum naturæ sunt viua quædam mens, εἰ γὰρ αὐτῶν οὐσίαι τοῦ ζῆν νοῦ, idcircò tanquam assiduæ quidem primum habent participationem: in quantum verò multas habent naturales communicandi facultates, multipliciter diuini luminia consortes sunt, ideóque iterom primum, & multipliciter diuinum illud arcanum enuntiant ἐξαγγέλλουσι τὴν θεαρχικὴν κρυφιότητα: vnde Angeli vocantur, quoniam per illos diuinum illud Dei secretum manifestatur, vt quod sit quod viuat, quod mens sit. Tamersi supra illa sine comparatione ἀσυγκρίτως sit, vel etiam quod per illos diuina ad nos voluntas deferatur. Sic enim & Lex per Angelos promulgata est, vt magnus Apostolus testatur; & inclytos ante Legem, vt Abraham, & manu, cæterósque & post Legem Iosephum, & Petrum, reliquósque Patres nostros Angeli ad diuinā voluntatem eduxerunt, partim quid agendum esset edocentes, & ab errore remouentes, vti Cornelium, partim ad sacros ordines adducentes, vt Daniëlem, Ezechiëlem, & Isaiam, quorum alter quidem mille Myriades Angelorum adstantes conspexit, alter verò thronum vidit, & quæ Cherubim habebant; alter

alıer verò ſedentem in throno & in circuito Seraphim aſpexit: partim viſiones Myſteriorum, vt Moyſi in rubo, partim etiam viſiones diuinas reuelantes, ἢ καὶ θείας προῤῥήσεις ἀναφαίνοντες, vt Manoe & Danièli.

11 Quia verò obiiciebatur Dionyſio quibuſdam ſanctis immediate & ex ſe Deum apparuiſſe, αὐτόπτως ἀμέσως ἐγγίνεσθαι τισὶ τῶν ἁγίων θεοφανείας, quia vt explicat Paraphraſtes *Gen.* 2.7. apparuit Deus Abrahæ, & *Gen.* 33. 1. Dixit Deus ad Iacob. Respondet Dionyſ. primum ex ipſiſmet ſcripturis illud Dei occultum & arcanum, τὸ θεοῦ κρύφιον, neminem vidiſſe, aut viſurum eſſe *Exod.* 33. *&* *Ioan.* 1. 18. 2. Deum quidem ſanctis apparuiſſe vti eum decebat per ſacras quaſdam viſiones intuentibus proportionatas, hoc eſt, Deum non apparuiſſe vt in ſe eſt, ſed quia diuina illuſtratione digni facti διά τινων ὁράσεων ἱερῶν καὶ αὐτοῖς ἀναλόγων, ὄψονται ἅπερ ἔβλεπον, per ſacras viſiones ſibi proportionatas videbunt, ea quæ videbant: Theologia verò erudita & omni ſapientiâ plena πάνσοφος θεολογία illam viſionem, quæ diuinam ſimilitudinem in illo ipſo viſo figuratam, tanquam in figura eorum, quæ figurari nequeunt oſtendebat Theophaniam. & Dei apparitionem vocat, eo quod intuentes ad Deum adducat, & diuinam illuminationem videntibus immittat, & aliquid de diuinis eos ſacrè doceat τὴν ὅρασιν ἐκείνην ἥτις ἐν ἑαυτῇ διαγεγραμμένην ἐνέφαινε τὴν θείαν ὡς ἐν μορφώσει τῶν ἀμορφώτων ὁμοιότητα, ἐκ τῆς τῶν ὁρώντων ἐπὶ τὸ θεῖον ἀναγωγῆς, εἰκότως καλεῖ θεοφάνειαν, ὡς δι' αὐτῆς τοῖς ὁρῶσι, θείας ἐγγινομένης ἐλλάμψεως, καὶ τι τῶν θείων αὐτῶν ἱερῶς μυουμένων, ait Tertiò Patres veteres diuinis illis viſis mediis Angelis fuiſſe initiatos, διὰ μέσων τῶν οὐρανίων δυνάμεων, quod oſtendit, quia ſcriptura dicit ſacram ἱερὰν τοῦ νόμου θεσμοθεσίαν, ab ipſo Deo Moſi fuiſſe traditam ὡς αὐτόθεν ἐκ θεοῦ τῷ Μωυσῇ διαδεδομένην, vt ſignificaret eam eſſe ſacræ ac diuinæ Legis delineationem, θείας αὐτὴν εἶναι καὶ ἱερᾶς ὑποτύπωσιν, quod interpretatur pachymeres, eius quæ Chriſtum & diuini verbi Incarnationē τῆς περὶ, τῆς (νομοθεσίας) κατὰ Χριστὸν καὶ τὴν τοῦ λόγου θεανδρικὴν ἐνανθρώπησιν, & nihilominus eadem Theologia Legem per Angelos datam teſtatur, vt *Act.* 7. *&* *ad Galat.* 3. Concludit tandem Dionyſ. ſic eſſe conſtitutum diuina quadam lege vt inferiora adducantur ad Deum per ſuperiora ὡς τῆς θεονομικῆς τάξεως ἐκεῖνο τεθεσμοθετούσης τὸ διὰ τῶν πρώτων τὰ δεύτερα πρὸς τὸ θεῖον ἀνάγεσθαι; qood oſtendit imprimis in ipſis Angelorum ordinibus, ſunt enim in ſingulis Hierarchiis primi, medij, & nouiſſimi, definiuitque ſacra Lex diuiniores inferioribus myſtas eſſe ac manuductores ad diuinum acceſſum, & illuſtrationem, atque communionem, τῶν ἧττόνων εἶναι τοὺς θειοτέρους μύστας καὶ χειραγωγοὺς ἐπὶ τὴν θείαν προσαγωγὴν, καὶ ἔλλαμψιν καὶ κοινωνίαν. Oſtendit id ipſum in Myſterio Incarnationis, nam Gabriel Zachariam docuit puerum, ex ipſo præter humanam vim naſciturum qui foret Propheta diuinæ humanæque *Ieſu* diſpenſationis benigoe mundo appariturae, τῆς ἀγαθοπρεποῦς καὶ σωτηρίου τῷ κόσμῳ ἐπιφανησομένης ἀνδρικῆς τοῦ Ἰησοῦ θεουργίας. Idem *Mariam* erudiuit quomodo in ipſa peragereiur diuinum ineffabilis Dei formationis myſterium, τὸ θεαρχικὸν τῆς ἀφθέγκτου θεοπλασίας μυστήριον, alius Ioſephum, alius Paſtores erudiuit, quin immò ipſe *Ieſus* τῶν ὑπερουρανίων οὐσιῶν ὑπερούσιος αἰτία, vbi ad nos ſine vlla ſui moratiooe ἀμεταβόλως deſcendit, hunc eundem diuinæ legis ordinem & humanitatem ſeruaſſe, obedienter enim ſubmiſit formis à Deo per Angelos effectis εὐπειθῶς ὑποτάττεται ταῖς τοῦ πατρὸς καὶ ἐν θεοῦ δι' ἀγγέλων διατυπώσεσι, voloitque per Angelos ea quæ ad ipſum ſpectabant reuelari & diſponi, vt de fuga in Ægyptum & reditu, & in agonia ab Angelo confortari, quin & ipſemet magni conſilij Angelus ab Iſaia nominari, quia manifeſtandi & nuntiandi munus obiit, & in ordinem manifeſtorum redigi εἰς ἐκφαντορικὴν τάξιν. Itaque Angeli munere ἀγγελοπρεπῶς dicebat quæcumque audiui à Patre nota feci vobis, *Ioan.* 15. 15. Manifeſtaui nomen tuum hominibus *Ioan.* 17. 6.

Ex his omnibus perſpicuam habes magni Diooyſ. neque per ſe Legem tuliſſe & Moyſi loquutum eſſe, neque aliis Patribus apparuiſſe, ſed per Angelos, eámque eſſe diuinæ prouidentiæ Regulam, vt inferiora per ſuperiora ad Deum adducantur & illuminentur, quod perpetuò & conſtanter ſeruatum fuiſſe longa inductione oſtendit: atque hanc Dionyſij doctrinam Theologi ſemper retinuerunt, quod ipſum veteres alij docuerunt, etiam in hac de qua agimus νομοθεσίᾳ, Audi Philonem *in Decalog. apud quem Deus non eſt per ſe locutus, ſed mentem quandam rationalem implens perſpicua cognitione, qua aërem formans atque attenuans, velut in ignis flammantis ſpeciem tanquam ſpiritus per tubam vocem edidit diſtinctam* ψυχὴν λογικὴν ἀναπλέαν σαφηνείας, καὶ τρανότητος ἣ τὸν ἀέρα σχηματίσασα καὶ ἐπιτείνασα καὶ πρὸς πῦρ φλογοειδὲς μεταβαλοῦσα, καθάπερ πνεῦμα διὰ σάλπιγγος φωνὴν τοσαύτην ἔναρθρον ἐξήχησεν. Quod & alij deinceps dixere Patres qui rationem quoque reddunt cur & illi Angeli Dei nomen vſurpent. 12

Caoſam quidem ouper attulit Dionyſ. cum dixit illam Angelorum apparitionem θεοφανείαν, quia oſtendebat in illa viſione diuinitatem inſcriptam, & in figura expreſſam, quod figurari nequibat verba eius dedimus. Iuſtinus *in Reſponſ. ad Orthodoxos* Angeli qui Dei nomine viſi aut locuti ſunt hominibus, Dei vocabulo nominati ſunt, vt ille qui Iacobo, quique Moyſi locutus eſt, etiam homines Dij vocantur, vtriſque ob officium ipſis iniunctum datum eſt, & Dei vicem & nomen obtinere. Expleti autem officio deſinunt vocari Dij, qui tantum operæ alicuius cauſa id nomen acceperunt. τῶν ἀγγέλων ὅσοι ἐν τάξει θεοῦ ὤφθησαν ἢ ἐλάλησαν τοῖς ἀνθρώποις ἐκλήθησαν, καὶ αὐτοὶ τοῦ θεοῦ τὴν κλῆσιν, ὡς ὁ λαλήσας τῷ Ἰακὼβ, καὶ τῷ Μωυσεῖ; ἐκλήθησαν δὲ καὶ οἱ ἄνθρωποι θεοὶ, ἑκατέροις δὲ διὰ τὴν ἐγχειρισθεῖσαν αὐτοῖς χρείαν, ἐδόθη τοῦ θεοῦ τὴν τάξιν καὶ τὴν προσηγορίαν ἔχειν, πληρωθείσης δὲ τῆς χρείας παύονται τοῦ καλεῖσθαι θεοὶ οἱ χρείας τινὸς ἕνεκεν εἰληφότες τοῦ θεοῦ τὴν κλῆσιν. Ex officio igitur quod in illis apparitionibus gerebant Angeli Dij nominati ſunt. Atque eo modo Ioſephus illud nomen *Phanuel* quod loco in qoo luctatus erat cum Angelo Iacobus; impoſuit πρόσωπον θεοῦ faciem Dei interpretatur.

Verùm ne longior ſim in addocendis Patrum ſanctorum dictis, ſatis ſit vnus Aoguſtinus, qui *lib.* 3. *de Trin. cap.* 11. & *vltimò* pluribus oſtendit neque Abrahamo, neque Moyſi Deum per ſe loquutum eſſe, aut apparuiſſe, ſed per Angelos. Ad volgarem autem obiectionem de Dei nomine ſic reſpondet, *ſed ait aliquis cur ergo ſcriptum eſt, dixit Dominus ad Moyſem, & non potius dixit Angelus ad Moyſem? quia his verba iudicis præco pronuntiat, non ſcribitur in geſtis ille præco dixit ſed ille Iudex: Sic etiam loquente Propheta ſancto cum dicamus Propheta dixit, nihil aliud quam Dominum dixiſſe intelligi volumus, & ſi dicamus dixit Propheta non ſubtrahimus, ſed quis per eum dixerit admonemus:* deinde docet ſcripturam illam ipſum quem Deum dicit, Angelum qooque nominare, quia in Angelis Deus loquebatur. *In edictis quidem Angelorum Lex illi populo data eſt, ſed Domini Ieſu Chriſti per eam diſponebatur aduentus, & ipſe tanquam verbum Dei miro & ineffabili modo erat in Angelis in quorum edictis lex ipſa dabatur, vnde dicit in Euangelio ſi crederetis Moyſi, crederetis & mihi, de me enim ille ſcripſit.* Per Angelos ergo tūc loquebatur filius Dei mediator Dei & hominum futurus, ex ſemine Abrahæ ſuum diſponebat Aduentū vt inueniret 13

à quibos recipetetur confitentes Reos, quos lex non impleta fecerat transgressores. Ad extremum longam disputationem concludit his verbis. *Sed iam satis quantum existimo pro captu nostro disputatum, & demonstratum est, quod in hoc libro susceperamus ostendere: Constitisque & probabilitate rationis quantum homo, vel potius quantum ego potui; & firmitate authoritatis quantum de scripturis sanctis diuina eloquia potuerunt, quod antiquis patribus nostris ante incarnationem Saluatoris, cum Deus apparere dicebatur, voces illæ ac species corporales per Angelos factæ sunt siue ipsis loquentibus, vel agentibus aliquid ex persona Dei, sicut etiam prophetas solere ostendimus: siue assumentibus ex creatura, quod ipsi non essent, vbi Deus figuratè demonstraretur hominibus. Quod genus significationum, nec prophetas omisisse multis exemplis docet scriptura.*

Eadem habet *contra Adimantum c. 9. quemadmodum verbum Dei, quod est Christus in Propheta loquitur veritatem, sic & in Angelo ipso loquitur, quando veritatem Angelus annuntiat, & rectè dicitur, Deus dixit Deus apparuit, & item rectè Angelus dixit, & Angelus apparuit, cùm illud dicatur ex persona inhabitantis Dei, hoc ex persona seruientis creaturæ.* Hieron. *in cap. 3. ad Galat. Quod autem ait Apostolus Lex ordinata per Angelos hoc vult intelligi, quod in omni veteri testamento vbi Angelus primum visus refertur, & postea quasi Deus loquens inducitur. Angelus Regi quidem verè ex ministris pluribus quicumque sit visus, sed in illo mediator loquatur, qui dicat. Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob, nec mirum si Deus loquatur in Angelis, cum etiam per Angelos qui in hominibus sunt loquatur Deus in Prophetis dicente Zacharia, & ait Angelus qui loquebatur in me, ac deinceps inferente, hæc dicit Dominus omnipotens, neque enim Angelus qui esse dictus fuerat in Propheta ex sua persona audebat loqui. Hæc dicit Dominus omnipotens.*

His eximiis Ecclesiæ Doctoribus placet alium non minus illustrem adiungere magnum Gregor. *præfat. in Iob. cap. 2. Angelus qui Moysi apparuisse describitur modo Angelus, modò Dominus memoratur. Angelus videlicet, propter hoc quod exterius loquendo seruiebat, Dominus autem dicitur, quia interius præsidens loquendi efficaciam ministrabat, Cum ergo loquens ab interiori regitur, & per obsequium Angelus, & per inspirationem Dominus nominatur*, vide eundem fusius de duplici ista loquutione interna & externa disserentem *lib. 28. cap. 2.*

14 Ad extremum obserua ex Hugone Grotio *in commentario in praecepta Decalogi*, κύριος *Dominus*, Græcum modo respondet Hebr. אלהים, vt hoc loco, quia vbi ea vox cū singulari cōstituitur, est ὑπερτικὸν, pro אלהנה אלהוסת id est. *Deus Deorum*, vt בהמת ponitur pro בהמות בהמה, id est, *fera ferarum*, siue excellentissima fera, חכמות חכמה, id est, *Doctrinarum præcipua*: modo verò nomini proprio veri Dei, quod scribitur יהוה, efferri autem ne olim quidem solebat, nisi in Sacerdotali ad populum benedictione, hodie autem efferri non potest quia vocales ignorantur. Nam quas scripsere Masorethæ, sunt commodatæ ex voce אדנו, tantum *Patach Schenato* mutato in *Schena* per compendium, quia & reuera vocales, Schenatæ nihil aliud sunt, quàm ipsum Scheua εὐφωνίας causâ aliquantulum variatum ob difficultatem pronunciationis, putà sub gutturali, aut vbi duo Scheua concurrunt. Sic quoties præcedit aut sequitur אדני, eadem vox יהוה in textu quo vtimur Hebræo vocales commodatas sumit ab אלהים. Idem autem significant aut nomen proprium aut nomen clarum κατ᾽ ἐξοχὴν, per excellentiam: vt Homerus, aut Poëta. Cur autem Græci interpretes κύριος, *Dominus*, in hoc sensu dicere maluerint quam θεὸς Deus, puto hanc esse causam, quod cum scriberent Græcis, inter quos onmerandi & Ægyptij Reges Macedonico è sanguine Hebræis dicti Reges Græci מלכים, *Reges Græciæ*, apud Græcos autem etiam qui plus sapiebant, vt Platonici, cuius instituti fuêre Ptolomæi Reges, θεῶ, *Dei*, appellationem etiam de illis quos ipsi δαίμονας, *Dæmones*, Hebræi מלאכים, & inde Græci ἀγγέλους, *Angelos* vocant vsurparent apertè testatum; voluerunt se de eo agere qui ipsis illis dictis Diis summo iure imperaret: sicut inter mortales Reges Rex Persa, βασιλεὺς βασιλέων, *Rex Regum*, vocabatur. Quamquam verò hæc verba quæ sequuntur elocutus dicitur κύριος, id est summus ille Deus, tamen pro certo habendum, non id eum fecisse ἀμέσως, immediatè, sed per Angelum legatum, summi Dei agentem nomine, quod & de aliis visis similibus quæ viris sanctis euenêre, pari ratione debet intelligi. Angelus enim Mosi & Populo in Sina locutus est. *Act. 7. 38.* sic & Iosephus sensit 15. *libro historiæ*: ἡμῶν δὲ τὰ κάλλιστα τῶν δογμάτων καὶ τὰ ὁσιώτατα τῶν ἐν τοῖς νόμοις δι᾽ ἀγγέλων παρὰ τοῦ θεοῦ μαθόντων. *Cùm nos Dogmatum potissimam & sanctissimam legum partem per Angelos à Deo acceperimus.* Errant grauiter qui hic per Angelum intelligunt secundam Dei hypostasin, ob illud nomen יהוה. Variis enim multiplicibúsque modis Deus locutus est patribus: At per filium vltimis demum temporibus ad nos cœpit loqui *Heb. 1. 1.* Lex data per Angelos ministerio internuntij, Mosis scilicet, vt valeret donec veniret semen promissum, *Gal. 3. 19.* Et ad Hebræos scriptor Euangelium eo præfert legi, quod Euangelium per Dominum *Iesum* datum est. Lex per Angelos tantum *Hebr. 11. 2.* quibus in locis multitudinis numero Angeli nominantur; cùm Angelum dixerit Stephan. quia ita mos habet visorum, eiusmodi, vt vnus sit Angelus Dei personam, nomenque sustinens, alij autem ei adsint velut appatitores, vide *Genes. 18. Luc. 11. 13.* Confer. 1. *Thess. 4. 16.* cum *Matth. 13. 39. 41. 49.* Quomodo igitur is qui Legem pronuntiauit Angelus dicit ego יהוה ita & alij qui ad res magnas à Deo legati sunt, Angeli loquuntur, & simili modo compellari se ferunt. Sic Moses in tubo sibi locutum dicit Deum יהוה, 15. & is qui locutus erat se dixerat esse, אשר אהיה, quæ vocis יהוה est explicatio. At Stephanus *Act. 7. 30.* visum ait Mosi in flamma rubi Angelum κυρίου. *Domini* idque ipso Mose Auctore, *Exod. 3. 2.* Neque aliter Hebræorum doctissimi explicant loca similia, vbi & Angeli apparet nomen, & is tamen Angelus, vt יהוה loquitur, & vt יהוה compellatur. Vide *Gen. 18. 13. & 33.* collato loco *ad Hebr. 13. 2. Genes. 22. 15. 17. Iosue vers. 14.* Collato 6. 1. *Iud. 6. 11.* collato 14. & 13. 3. collato 8. 11. *Sam. 24. 16.* collato 17. Philoni *in Decalogi enarratione* dicitur Deus locutus non per se, sed φωνὴν λογικὴν ἀναπλάσαι σαφηνείας καὶ τρανότητος, ἣ τὸν ἀέρα σχηματίσασα καὶ ἐπιτείνασα καὶ πρὸς πῦρ φλογοειδὲς μεταβαλοῦσα καθάπερ πνεῦμα διὰ σάλπιγγος φωνὴν τοσαύτην ἔναρθρον ἐξήχησεν, *mentem quandam rationalem implens perspicua cognitione, quæ aërem formans atque attenuans velut in ignis flammantis speciem, tanquam spiritus per tubam, vocem edidit distinctam.* vbi & alia sequuntur eius argumenti. Vide si vacat, Iosephum Album fundamentorum *lib. 11. cap. 28.* aut si Christianum mauis, audi scriptorem responsionum *ad Orthodoxos*: τῶν ἀγγέλων ὅσοι ἐν τάξει θεοῦ ὤφθησαν, ἢ ἐλάλησαν τοῖς ἀνθρώποις, ἐκλήθησαν καὶ αὐτοὶ τοῦ θεοῦ τὴν κλῆσιν, ὡς ὁ λαλήσας τῷ Ἰακὼβ, καὶ τῷ Μωϋσῇ ἐκλήθησαν δὲ καὶ οἱ ἄνθρωποι θεοὶ ἑκάτεροι δὲ διὰ τὴν ἐγχειρισθεῖσαν αὐτοῖς χρείαν, ἐδόθη τοῦ θεοῦ τὴν τάξιν καὶ τὴν προσηγορίαν ἔχειν πληρωθεῖσι. δὲ τῆς χρείας παύονται τοῦ καλεῖσθαι θεοὶ οἱ χρείας ἕνεκα ἐν τάξει πληρώσαντες τοῦ θεοῦ τὴν κλῆσιν, *Angelorum, qui Dei loco visi aut locuti sunt hominibus, Dei vocabulo nominatis*

nominati sunt, vt ille qui Iacobo, quique Mosi est locutus. Etiam homines Dij vocantur: vtrisque ob officium ipsis iniunctum datum est, & Dei vicem & nomen obtinere. Expleto autem officio, desinunt vocari Dij, qui tantum opera alicuius causâ id nomen acceperunt. Sic Phanuel *πρόσωπον θεοῦ, faciem Dei*, capiunt, & Iosephus & Gerundensis. Sciendum autem est quæ in Exodo hoc loco habentur verba per Angelum Dei nomine prolata: quæ vero sunt *Deut. 5.* esse Mosis eadem memoriter referentis, & quidem ea libertate, vt voces transponat interdum, quasdam eum idem significantibus commutet, omittat quædam satis nota ex prioribus, addat alia interpretamenti vice.

15 Ex hac porrò nostra assertione sic stabilita, noua difficultas exurgit, quodnam tandem fuerit illud ministerium quod exhibuerunt Angeli in legis Mosaïcæ sanctione: In qua quæstione tria in Legis datione distinguere licet ex *cap. 19. & 20. Exod.* primum continet signa Dei in montem Sinai descendentis, montis ipsius succussio, tonitrua, fulgura, nebulæ, fumus, sonitus buccinæ, aliáve similia. Secundum est ipsa Decalogi promulgatio. *Locutus est Dominus Deus cunctos sermones hos. Ego sum Dominus Deus tuus qui eduxi te de terra Ægypti, &c.* Tertium continet alia præcepta præter Decalogum, quæ Deus mandauit Moysi promulganda populo *ibid. cap 20. 22.* Dixit præterea Deus ad Moysem: *Hæc dices filiis Israël*, & quidem illa præparatoria ministerio & opera Angelorum facta esse, non est ambigendi locus, cum similia in scripturis ipsorum opera præstita legamus. Quod ad Secundum attinet ipsammet videlicet Legis promulgationem ipsam ab ipso Deo per sese & immediatè loquente factam existimarunt aliqui cum Chris. *in 3. ad Gal. & Hom. 3. ad Heb.* sed eos iam fusius reiecimus cum ipsomet Paulo qui *cap. 2. ad Heb.* de Lege loquens ait. *Qui per Angelos dictus est sermo, & ad Galat. 3.* ait illam ordinatam siue dispositam fuisse per Angelos, vnus igitur ex illis cui cæteri tanquam apparitores assistebant verba illa decem, quæ Paul. appellat verba vitæ, distinctè pronuntiauit: Idem affirmo de descriptione Legis in tabulis lapideis, quam incisionem Angelica manu, & cœlo factam esse fateatur: minus enim est Legem scripto mandare quàm ferre & sancire, hoc autem tribuimus Angelis, ergo & illud quoque concedendum ipsis est. Itaque censet Euseb. Nierembergius *lib. 11. de origine scriptura, cap. 11.* qui *cap. sequenti 12.* obseruat Angelos in veteri testamento scripsisse sæpius primò Legem ipsam in Monte-Sinai. Secundum aduersus Baltazarem continuantem damnationis sententiam in pariete Danielis *cap. 5.* malè enim totam hanc scripturam & visionem in Regis phantasia fuisse peractam, illique soli obiectam dicunt aliqui, cum reuera visi fuerint articuli & digiti scribentis contra candelabrum è Regione lychnuchi pensilis qui propè Regem erat quo rectius scriptio conspiceretur, deinde in superficie parietis Chaldæus habet *in calice*, idest, tectorio *ἐπὶ τὸ κονίαμα* vertit Theodotion. De hac portentosa, vt loquitur Hieronymus, scriptione vide Petri & Sanctium *in commentariis*, vbi ab omnibus quotquot conuiuio aderant, & non à solo Rege visam demonstrant, & sanè id maximè expediebat, vt ex literis à Daniële, deinde lectis & expositis, intelligerent non casu Regem vita ac Regno priuatum fuisse, sed iusto Dei iudicio, cui ipse Temulentius insultarat, *lib. 1. Paralipom. cap. 28.* Dauid filio suo Salomoni tradens descriptionem condendi templi, quam à Deo acceperat, inquit, *Omnia venerunt scripta manu Domini ad me, vt intelligerem vniuersa opera exemplaris.* Hanc descriptionem traditam à Samuële quidam existimant; alij fuisse tantum diuinam reuelationem Dauidi factam; alij designationem singularum partium templi, earúmque delineationem siue Conographiam verius Abulensis fuisse & scripturam & simul delineationem, quod sequitur etiam Euseb. *cap. 12. cit.* Salian. & Abulens. *quæst. 7.* contra Caietan. *quæstione verò 8.* demonstrat eam scripturam exaratam fuisse ab Angelis, sed diuino iussu, & Deo monstrante. Quidquid verò dicas de his scripturis Angelicis, certum est nihil in nouo testamento scripsisse Angelos, iussisse tamen aliquid scribere, vt in Apocalypsi. *Scribe Beati mortui qui in Domino moriuntur.* Ezechiel 9. vir habens atramentarium scriptoris in lumbis suis iubetur transire per mediam Ierusalem, & signare *Thau* super frontem virorum gementium, & dolentium super cunctis abominationibus, quæ fiebant in medio eius, quamvis autem nomen *Thau* sit signum indefinitum, tamen hoc loco iussum esse Angelum inscribere gementium frontibus certam aliquam & determinatam notam, quæ illos vindicaret à cæde, certum est. Eámque notam fuisse *literam Thau* postremam Alphabeti, quam & crucis & retulisse formam; quod quomodo verum sit, cum ea litera crucem minimè referat, longa est disputatio quam modo non attendo, sufficit enim mihi Angelum illum inscripsisse frontibus saluandorum à cæde literam aliquam; ad hoc enim gestabat in lumbis atramentarium scriptoris, cũ tamẽ in Apoc. 7. alius Angelus ascendens ab ortu solis habeat signum Dei viui quo signat frontes electorum, quos ex singulis Tribubus elegerat, signum illud vocat Ioan. *σφραγῖδα* sigillum quod imprimitur, non scribitur, idcóque nulla illic mentio scriptoris & atramentarij, vt videas in nouo Testamento sigillationem quidem fuisse ab Angelis vsurpatam aliquando, non scriptionem sicut in veteri, sigillo; porrò impressio figuram insculpit & signat indelebilius, profundius, & ornatius, scriptura debilior est. Quia igitur noua gratiæ Lex intimè cordi imprimitur, & Christus, qui sigillũ est, altius pulchriúsque imaginem menti insculpit, Angelus noui testamenti Sanctorum frontes sigillo Dei viuentis obsignat, & non inscribit literá mortua, vti Angelus veteris fœderis, ita Eusebius Nierembergius.

Tertiò, præter decem verba Decalogi, continebantur in Lege veteri plura alia præcepta, quæ tradenda filiis Israelis dedit Moysi: Existimant verò nonnulli Angelum hæc edicta tanquam verum Legislatorem dictasse, & solius Decalogi Authorem fuisse Deum, reliquam verò Legem ferendam credidisse Angelo qui illam disposuit, & in sua capita distribuit, atque pro sibi credita authoritate sanciuit, sicut Princeps in quem Respublica suam authoritatem transmisit, Leges deinde sancit, quas Reipublicæ consentaneas esse iudicat, estque verus Legislator, & non ipsa Respublica; verum neque placet ista distinctio præceptorum Decalogi & aliorum quæ Lex Mosaïca complectebatur, quæque Moyses diuina authoritate promulgauit. Nam omnia præcepta duplicis illius generis à Deo ipso lata, ministerio tamen Angelorum, vti fuit explicatum, existimandum est, cum ex scripturis nulla eiusmodi distinctio, quoad illa sancientem authoritatem colligi possit, & omnium ipsorum author præcipuus, atque immediatus sit Deus, qui illa ministerio Angelorum Moysi dictauit. Adde Angelis nullam esse in Iudæos iurisdictionem, quæ ad Leges ferendas necessaria omnino est; neque vllibi legimus illam fuisse ipsis à Deo concessam, neque sanè congruum erat, alioquin Lex Decalogi magis diuina dici posset quàm cæteræ, quæ summa æquitate ab humanis Legislatoribus feruntur, eæ enim habent

potestatem à Deo communicatam & cuius ipse vnus primarius fons est & origo, sicut & omnis æquitatis, vti ostendemus alias.

17 Dicendum tertiò est Moysem non fuisse authorem Legis quam Israëlitico populo dedit, sed illius promulgatorem proximum & immediatum. Prima pars sequitur ex priori nostra assertione, in qua demonstrauimus Deum fuisse huius legis authorem immediatum, ac proinde non fuit Moyses, ne vnius eiusdémque legis duos authores proximos & immediatos fateamur, quod absurdum foret, maximè cùm tota vnius authoritas deriuatur ab alio. Deinde si Moyses fuit author legis, illa habuit totam suam vim proximam obligandi ab humana voluntate sui conditoris, ac proinde lex diuina dici, non poterit, nisi dicas tum humanam, tum diuinam fuisse hanc legem, quod repugnat, si eiusmodi denominationes à proximo, proprio & immediato authore desumamus præterquamquod cùm lex possit refigi ab eo qui eam fixit, potuisset Moyses legem a se latam abrogare, restringere, ampliare, ab eius obligatione quos vellet eximere, aliisque rationibus ipsam immutare. Neque præcepta illa essent iuris diuini, quod male concedit Tiraq. *in præfat. de retractu, n.* 10. ex eo quod ea præcepta iudicialia & ceremonialia de quibus loquitur, non essent perpetua, fatemur enim ea non fuisse iuris diuini naturalis, sed positiui quod non est necessariò perpetuum & immutabile, sed pro diuinæ voluntatis arbitrio poni & abrogari, vel mutari potest.

18 Neque etiam placet Salmeron. *in Acta. disp.* 61.62. cui & alij adhæserunt Deum authorem fuisse Decalogi immediatione virtutis & suppositi, cæterorum autem cærimonialium, & iudicialium immediatione tantùm virtutis, immediatione verò suppositi solum Moysem, neque ex ea parte legem illam dici diuinam, nisi quia fertur ab homine per potestatem quandam supernaturalem ipsi diuinitus datam, & per diuinam inspirationem, & illustrationem. Hæc inquã distinctio non placet. Dico itaque omnia illius legis præcepta habuisse vim obligandi immediatè à voluntate diuina, atq; independenter à voluntate Moysis qui proindè non fuit propriè eius author, ipsa verò proprissimè diuina dicenda est, atque ita docet S. Thom. *quod l.* 4. *art.* 13 & apertè scriptura significat Moysem tulisse legem ex diuina reuelatione, & ipse Moyses sæpiùs ait se præcepta sibi à Deo tradita proferre: Ea verò reuelatio non fuit nisi significatio diuinæ voluntatis circa ea quæ à Mose illi populo obseruanda tradenda erant: ea igitur præcepta à Moyse tradita, vim omnem obligandi ad sui obseruationem immediatè accipiebant ab illa diuina voluntate sibi per Mosem significata; immediatè inquam tum immediatione suppositi, tum immediatione virtutis, licèt quoad ministerium scribendi illa præcepta, & ea promulgandi essent immediatè è Mose. Huc pertinet argumentum nuper allatum de immutabilitate cœremoniarum & iudiciorum per Moysem. Si enim is proprius legislator erat, eas mutare, aliásve substituere potuisset, vel omninò abrogare sua authoritate, & absque nouo, Dei mandato, quod tamen non potuisse fatentur omnes, ipséque S. Thomas *art.* 13. *citato* hoc discrimen legis veteris & nouæ constituit, quòd in illa cæremoniæ, & Religiosæ obseruantiæ erant de iure diuino, ac proinde immutabiles. In noua verò lege sunt de iure Ecclesiastico duntaxat, idcóque variabiles & reuera nunnunquam pro exigentia temporum, grauibus ex causis variatæ sunt.

19 Dices Christum *Matthæi* 5. 19. tribuere diuortij legem Moysi, qui illud permiserit propter duritiem cordis eorum πρὸς τὴν σκληροκαρδίαν. Instituit igitur Moses legem repudij, neque necesse est vt omnes & singulæ partes legis antiquæ dictatæ fuerint immediatè à Deo. Resp. Quidquid sit de lege diuortij de quo in Leuitico, & Deuteron. quámque nos fusiùs explicabimus *tomo* 2. *huius operis*. Nihil ex his Christi verbis confici posse quo doceatur Moysem aliquam partem legis instituisse tanquam proprium eius authorem. Cùm si quid hac in re indulserit Iudæis, quod non fuerit priùs constitutum, id totum authore Deo fecerit. Eadem planè ratione quâ reliquam legem promulgauit. Quare standum est in nostra eâque communi sententia Moysem omnium & singularum partium Legis promulgatorem fuisse non authorem, vel vnius duntaxat. Vide Salam *disp.* 22. *de legib. s.* 2.

De promulgatione verò facta à Mose quam initio huius assertionis posuimus, nefas est dubitare, cùm ipse Ioan. *c.* 1. *v.* 17. id affirmet. *Lex*, inquit, *per Moysem data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est*. Dedit Moyses legem quam ab alio accepit; Christus verò gratiam & veritatem quam Lex adumbrabat, contulit: hanc antithesim inter illas duas voces obseruauit Clem. Alexandrin. *lib.* 1 *Pædag. cap.* 7. & fusiùs Maldonat. *in eum locum Ioannis*. Christus præterea apud eundem Ioan. *c.* 7. Legem a Mose datam ait. *Nonne Moyses vobis dedit legem?* & Paul. *ad Galat.* 3. de eadem lege loquens; *ordinata per angelos in manu mediatoris*, nomine mediatoris Chrys. & alij quidem Christum intelligunt, in cuius manu siue authoritate, & virtute legem Angeli disposuerunt, quæ tamen expositio non videtur menti Pauli consentanea, quamvis enim Christus sit verè mediator inter Deum & homines, vt monet ipse Paul. 1. *ad Tim.* 2. verbum tamen ante Incarnationem, quæ illam ordinationem & dispositionem legis per Angelos consequuta est, non fuit mediator, neque est quidpiam in illa νομοθεσίᾳ quod potiùs verbo quàm Patri aut Spiritui Sancto tribui & singulariter accommodari debeat, aut possit. Quare verius est quod pluribus confirmat Salm. *in Ep. ad Galat disp.* 18. Moysem hoc loco mediatoris nomine intelligi, cui Angeli Legem promulgandam dederunt, quod sentiunt Epiphan. *Hæres.* 66. Nazianz. *orat.* 6. *coram Gregorio Nysseno habita*. Cyrill. Alexand. *lib.* 12. *Thesaur. cap.* 10. & alij: fuit siquidem ille mediator inter Deum & populum, cui diuina verba siue legem annuntiauit, vt ipse de se fatetur Deut. 5. v. 5. *Ego sequester & medius fui inter Deum & vos in tempore illo vt annuntiarem vobis verba eius, timuistis enim ignem & non ascendistis in montem*. Neque dicas Paul. *loco citato ad Galat.* non videri agere de Moyse. Post illa enim verba *in manu mediatoris*, addit, *mediator autem vnius non est, Deus autem vnus est*. Laborant interpretes, vt videbis, apud Adamum, Salmeron. Cornelium & alios in conuertendis istis verbis placet interpretatio Suar. *lib.* 9. *de legib. cap.* 2. *n* 10. qui, hinc maximè colligit Moysem non fuisse authorem legis, sed ministrum. Dixerat superiùs Paul. legem non euacuare promissiones: *Lex ergo aduersus promissa Dei, absit*, probat quia licet fuerit lex ordinata per Angelos in manu mediatoris Mosis, nempè qui mediator fuit inter vos & Deum. Quandoquidem mediator non est vnius, sed inter duos: In ea verò mediatione & fœdere Deus promissione sua se obstrinxit, non verò Moses qui fuit solum medius & minister legis ac fœderis initi: Deus autem vnus est, neque sibi contrarius esse potest, quare ferendo legem Angelorum & Mosis tanquam mediatoris ministerio non promissiones suas euacuare potest & fidem datam frangere; ab hoc verò Mosis ministerio tum ipse legislator, tum lex ab eo promulgata vocatur. *Luc.* 2. *secundum legem Moysi* Malach. 4. *mementote legis Moysis serui mei. quam mandaui in Horeb. ad omnem Israel, præcepta & iudicia*.

Quibus

quibus verbis docet Deus se non solum Decalogum quem ex Burgense nomine legis significat, sed alia quoque præcepta, & iudicia, siue cærimonialia & iudicialia mandâsse Moysi promulgando. Atqua hactenus de authore legis veteris siue Mosaïcæ, duplici enim illo nomine vtimur vt eam à lege noua & Christiana distinguamus.

QVÆSTIO III.

Quibusnam lata sit lex Mosaïca quosvè obligarit.

Licita fuit solis Hebrais, n. 1.
Eadem tamen obligati proselyti, n. 2.
Quinam essent proselyti, n. 3.
Pertinuit etiam aliquomodo ad Christianos, n. 4.
Cur solis Iudais sancita lex, n. 5. & 6.

1 QVærebamus secundò loco cuinam genti & populo Legem de qua hactenùs disputamus, tulerit Deus, certúmque omninò est vni populo Hebræo, cuius dux Moyses ab ipso Deo fuerat constitutus, sancitam fuisse illam legem, ad quam proinde cæteri minimè tenebantur: idque inter eximias populi Israëlitici prærogatiuas numerat scriptura, dum eam gentem vel ad gratitudinem, vel ad legis exactam obseruationem hortatur. Quare ipse Moses *Deut.* 4. 5. 6. 7. 8. 9. sic alloquitur. *Scitis quod docuerim vos præcepta, atque iustitias*, (δικαιώματα καὶ κρίσεις.) *Sicut mandauit mihi Dominus Deus meus, sic facietis ea in terra quam possessuri estis, & obseruabitis & implebitis opere: hac enim sapientia & intellectus coram populis, vt audientes vniuersa præcepta hæc* (πάντα τὰ δικαιώματα ταῦτα,) *dicant, en populus sapiens & intelligens, gens magna, nec est alia natio tam grandis quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis orationibus nostris. Quæ est enim alia gens sic inclyta vt habet cæremonias* δικαιώματα, *iustáque iudicia*, (καὶ κρίματα δίκαια,) *& vniuersam legem*, (ταύτην) *istam, quam ego proponam hodie ante oculos vestros. Custodi igitur temetipsum, & animam tuam sollicitè* (πρόσεχε σεαυτῷ, καὶ φύλαξον τὴν ψυχήν σου σφόδρα,) *attende tibi & custodi animam tuam valdè.* Dauid *Psal.* 147. v. 8. Si tamen eius est Psalm. & non potiùs Aggæi & Zachariæ quorum nomina Græci inscribunt titulo, & aliqui Interpretes sequuntur. *Qui annuntiat verbum suum Iacob, & iudicia sua Israël. Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis.* Chaldæ. *qui annuntiat verba legis suæ.* Iasvs Syrach. *Ecclesiastici cap.* 17. *v.* 9. *addidit illis disciplinam & legem vitæ hæreditauit*, tanquam hæreditatem scilicet dedit ad posteros transmittendam. Græci Legunt ἐπιστήμην scientiam, fecit, siquidem Israëlitas sapientiores cæteris gentibus, vt retulimus ex *cap.* 4. *Deuteron.* Dicitur portò lex vitæ, quia vitæ longæuæ & fœlicis promissa habet, his verbis addunt Græci εἰς τὸ νοῆσαι ὅτι θνητοί ὄντες ὑπάρχουσι νῦν *vt se nunc mortales agnoscerent*, quæ verba licet parum commodum habere sensum hoc loco existimat Grottius, qui tamen apertus videtur, nempè idcircò traditam fuisse legem, vt homines suæ conditionis admoneret, atque à mortali vita ad spem immortalis reuocaret, pergit verò, *testamentum æternum constituit cum illis*, διαθήκην αἰῶνος fœdus sæculi, & iudicia sua ostendit illis, τὰ κρίματα αὐτοῦ ὑπέδειξεν αὐτοῖς, præcepta omnis æquitatis plena. Hoc fœdus institutum prius fuit cum Abrahamo, & eius semine, sed deinde in monte Synaitico, cum lex data est, magnificentius renouatum & confirmatum. Quare *Act.* 3. 25. Petrus vocat Iudæos υἱοὺς τῶν προφητῶν, καὶ τῆς διαθήκης, *filios fœderis*, quibus nimirùm debentur tanquam hæredibus & filiis, quæ pactis conuentis cum Prophetis promissa sunt. Sic dicuntur filij Regni, filij mortis, filij sponsi. *Et magnalia honoris eius vidit oculus illorum, & honorem vocis audierunt aures illorum*, μεγαλεῖον δόξης & δόξαν φωνῆς, Maiestatem enim gloriæ viderunt suis oculis in monte Sinaitico fumante, & audierunt gloriam vocis δόξαν φωνῆς αὐτῶν, *vocis eorum*, vti habent omnia exemplaria, dum nimirum audierunt & acceperunt iudiciorum quæ antea nominauerat proclamationem, *in vnamquamque gentem præposuit rectorem*, In diuisione scilicet & partitione nationum ἐν μερισμῷ τῶν ἐθνῶν, vnicuique suum ducem & Rectorem ἡγούμενον præposuit, *& pars Dei Israel facta est manifesta*, καὶ μερὶς κυρίου Ἰσραήλ ἐστι. Quem nimirùm ipse Deus singulariter regeret, fuit enim, vt Iosephus testatur in Iudæorum Republica θεοκρατία, idque disertius explicat textus Græcus qui Latino hoc loco prolixior est, καὶ προσελάβετο τὸν Ἰσραὴλ ἑαυτῷ μερίδα, ὃν πρωτόγονον ὄντα ἐκτρέφει παιδείᾳ, καὶ μερίζων φῶς ἀγαπήσεως οὐκ ἀνίησιν αὐτόν. *Israëlem populum suum peculiarem sibi delegit, quem vt primogenitum alit disciplinâ, & lumen impertiens amabilissimum, non dimittit.* In diuisione igitur omnium orbis vniuersi gentium singulis suum ducem & gubernatorem constituit. Neque enim pariter homines sine ordine ἀτάκτως, eas potestates vocat Paul. Dei ordinationes, Israëlem verò sibi in partem & veluti portionem elegit, quod magnificè affert Moses *Deut. cap.* 10. 14. & 15. Ideóque ipsum tanquam primogenitum educat disciplinâ, & ipsi lumen dilectionis impertit; id verò totum peractum esse in fœdere Sinaïtico satis ostendit Moyses *cap. citato* Deuteronomij, similia sunt plura alia loca in quibus commendatur diuina beneficentia aduersus Israëlem cui sua mandata & Legem dedit, simúlque ipsius Israëlis prærogatiua qui cæteris populis ea in parte prælatus fuit. *Baruch. cap.* 3. 1. 2. 3. 4. *hic est liber mandatorum Dei & lex quæ est in æternum*, ὁ νόμος ὁ ὑπάρχων εἰς τὸν αἰῶνα, *Omnes qui tenent eam peruenient ad vitam, qui autem dereliquerunt eam in mortem conuertere Iacob, & apprehende eam, ambula per vim ad splendorem eius contra lumen eius.* ipsa siquidem dirigit & illuminat. *Ne tradas alteri gloriam tuam & dignitatem tuam genti alienæ. Beati sumus Israel quia quæ Deo placent manifesta sunt nobis.* per datam nimirùm legem quâ diuina nobis voluntas innotescit. Atque vt plura alia quæ passim in scripturis leguntur omittam, sufficiat illud Pauli *ad Rom.* 9. 4. Loquentis de Israëlitis, quorum adoptio filiorum ἡ υἱοθεσία, & gloria, ἡ δόξα, & testamenta, καὶ αἱ διαθῆκαι, & Legislatio, ἡ νομοθεσία, & obsequium λατρεία, & promissa, καὶ αἱ ἐπαγγελίαι. Id est, ex Adami sapienti interpretatione, Israëlitarum est adoptio, quoniam & olim Deus ipsos in filios & populum peculiarem assumpsit, & in adoptione nouæ Legis patribus facta primas etiam partes habent, *& gloria*, mirabilia enim quæ Deus eorum causa gessit, ipsos toto orbe celebres reddidit *& testamenta*, alterum in litera, alterum in spiritu, vt qui seruierant in Littera postea seruirent in spiritu. *Et Legislatio*, cùm aliæ gentes sine lege, vt dixerat superiùs Paulus, viuerent, *& obsequium* λατρεία Religio, cultus diuinus per cerimonias & sacrificia & promissa, nimirum Legem obseruantibus: Cùm igitur dubitari non possit Legem datam fuisse Iudæis, eximia quadam prærogatiua, certum

tum quoque est cæteras gentes, illâ non fuisse obligatas, quoad illa saltem quæ iuri naturali addidit, quandoquidem illis posita non fuit; quare fallitur Tripbon. *apud Iustin.* dum ait alienigenas si salui esse vellent teneri Legibus Mosaïcis.

2 Certum secundò est proselytos & Aduenas qui in Religionem Iudaïcam transibant, suscepta Circumcisione, Lege & institutis Mosaïcis obstrictos fuisse, quod fatetur Paul. *ad Roman.* Id verò plures faciebant vt videbis *Exod. capit.* 12. *sub fin.* & *Etheris cap.* 8. dicebantur illi proselyti. Sic *Deut. v.* 14. vbi & peregrinus qui est intra portas tuas *Exod.* 20. 10. ponitur Aduena, sed vtrobique in *Græce* est ὁ προσήλυτος, ὁ παροικῶν ἐν σοί, *habitans in te*, quod vulgata, *habitans intra portas tuas.* id est, intra ciuitates & oppida tua: *Exod.* 12 48. cum in tuam voluerit transire Coloniam & facere phase Domini. 70. ἐὰν δέ τις προσέλθῃ πρὸς ὑμᾶς, προσήλυτος ποιῆσαι τὸ πάσχα κυρίῳ; Hebraïcè, *cum peregrinatus tecum fuerit peregrinus, & fecerit transitum Domine*, id est, diuinæ Legi se subiecerit, factus sit גר צדק & Christus *Matth. capit.* 23. exprobrat Iudæis quod circuirent mare & Aridam, vt facerent vnum proselytum quem mox deprauarent & magis filium gehennæ facerent. υἱὸν γεέννης, id est gehennæ debitum, sic dicitur *lib.* 1. *Reg. cap.* 20. 31. & *lib.* 2. *cap.* 12. 5. *vide* θανάτου *morti debitus* & *Deut.* 27. ἄξιος πληγῶν multo magis quàm vos ipsi διπλότερον ὑμῶν, quod comprobauit experientia, Iustinus enim de proselytis, Iudæos sic alloquitur. οὐδὲ προσήλυτοι οὐ μόνον οὐ πιστεύουσι, ἀλλὰ διπλότερον ὑμῶν βλασφημοῦσιν τὸ ὄνομα αὐτοῦ, Christi videlicet προσήλυτος igitur erat qui ortu & Religione gentilis se per Circumcisionem obstringebat. Philo vocat ἐπηλύτων, qui in plerisque rebus iura habebat, τῶν αὐτοχθόνων. Si dicebantur ab Hebræis hospites iostitiæ heitemistis γειώρας, aut γειώρας dicitur is qui abiecto Idolorum cultu vni Deo & communibus humani generis legibus se addixerat. Euseb. προσηλύτους τούς τε καλουμένους γειώρας. Et Iustin. Dialogo cum Tisyphone simul dixit γειώραν καὶ τὸν προσήλυτον.

3 Obseruat enim Grottius *in præcepta Decalogi* proselytorum duo fuisse genera, alij enim per Circumcisionem se toti Legi subiiciebant ad connubiorum honorúmque participationem, alij exteri quidem erant, permittebantur tamen habitare inter Iudæos, modò Deum vnum colerent, & Leges perpetuas omnium gentium communes additis Legibus de incestis, de non comedendo sanguine, & Sabbathi obseruatione, non verò aliis nisi iis caueretur vt incolæ non minus iis quam indigenæ tenerentur. Eiusmodi Aduenæ & exteri qui inter Iudæos habitabant dicebantur εὐσεβεῖς καὶ σεβόμενοι τὸν Θεόν, qualis fuit Syrophanissa *Matth.* 15. 22. Cornelius *Act.* 10. 2. εὐσεβὴς καὶ φοβούμενος τὸν Θεόν. *Act.* 17. 4. Paulo & Syla, concionantibus multitudo magna Græcorum Religiosorum se adiungit, τῶν τε σεβομένων ἑλλήνων πολὺ πλῆθος Thalmudicis titulo de Rege dicuntur pij ex gentibus, *Leuit.* 25. 47. *capit.* 22. 25. Incolæ incircumcisi à Chaldæo.

Licuisse quoque externis templum Hierosolymitanum adire, ibique adorare, & vero numini victimas afferre, stantibus tamen in loco peculiari & separato ab Israëlitis colligimus ex *lib.* 3. *Regum capit.* 8. 41. *lib.* 2. *Machab. cap.* 3. 35. *Ioan. c.* 12. 20. *Act. capit.* 8. 27. Qui igitur externi circumcisi non erant, non tenebantur circumcidi, & si non circumcidebantur, non obligabantur Legibus Mosaïcis, vti dictum fuit, licet inter Israëlitas habitarent, nisi id expressè iuberet Lex, sed Paul. *ad Roman.* 1. 1. 16. *si præputium* (præputiatus homo) *obseruet mandatum Legis, nónne præputium illius pro Circumcisione reputabitur*; id est apud Deum fructum Circumcisionis habebit, sapienter igitur Ananias Iudæus apud Ioseph *antiq. lib.* 20. *cap.* 2. Raten Adiabenum quem Ezaten Tacitus vocat, citra circumcisionem Deum rectè coli & propitium haberi posse dicebat. Igitur proselyti non circumcisi, & qui se ea professione ritibus Hebraïcis non addixerant, licet inter Israëlitas degerent omnibus Legibus ipsorum non tenebantur, sed paucis dumtaxat nuper enumeratis, de quibus Lex ipsa specialiter cauebat, vt de Sabbathi obseruatione constituitur *Exodi* 20. 10. *Deut. v.* 21. quia si quo die Hebræi otiabantur licuisset Aduenis & externis sua negotia actitare, tum id scandalo fuisset & quæstum ab indigenis auertissent.

4 Dicendum est Tertiò Legem veterem quamvis solos Iudæos obligaret, pertinuisse tamen aliqua ratione ad Christianos, tanquam figuram videlicet nouæ Legis, & eorum quæ per Christum erant adimplenda, vt enim ait Paul. 1. *Corint.* 10. omnia in figura contingebant illis ex 2. *Cor.* 1. *Quotquot enim promissiones sunt, in illo sunt.* Christo nimirum & *ad Galat.* 3. *priusquam veniret fides in Lege custodiebamur conclusi in eam fidem, quæ reuelanda erat itaque Lex Pedagogus noster erat in Christo Iesu:* sed hac de re fusius disputabimus inferius *q. vltima.* Interim adi Augustin. *lib.* 19. *contra Faustum, cap.* 8.

5 Quærendum verò restat hoc loco, cur Deus solis Iudæis Legem hanc suam dederit, cæteris gentibus spretis, quarum tamen salutem vt prouidus pater curare debuisse videtur, & sanè ad omnium salutem venturus erat Christus, ad illum autem suscipiendum Lex disponebat, quæ proinde debuit communis esse omnibus nationibus salutem à Christo accepturis, quod si Angelos huius Legislationis ministros adhibuit, illis omnium quoque gentium cura demandata fuit, sic enim aliqui exponunt illud Ezech. *cap.* 17. nuper adductum *in vnam quamque gentem posuit Rectorem.* Denique videri poterit Deus personarum acceptatorem si vnam gentem alteri prætulit, cùm vnius merita maiora non essent meritis alterius.

6 Respondet S. Thomas 1. 2. *quæst.* 98. *artic.* 4. quem Soto *lib.* 2. *de Iust. quæst.* 1. *artic.* 4. & alij omnes sequuntur, id ita factum quia Deus promiserat olim Abrahæ ex eius semine Christum nasciturum, æquum verò erat gentem ex qua proditurus erat, eximiis quibusdam beneficiis honorari & ad illum recipiendum ornari, disponique, vt qui primi veritatem agnituri erant, primi quoque vmbras & figuras haberent. Quòd si vlterius quæras quàm ob causam Abrahamum eiúsque posteros è qoibus nasceretur Christus sua promissione lubens & volens obstrinxerit, non alia reddi ratio potest quam eximia & singularis in eum populum voluntas & beneuolentia; eáque in re consistit altitudo diuinæ & incomprehensibilis scientiæ Dei & iudiciorum ipsius abyssus, atque viæ eius inuestigabiles vt loquitur Paul. Denique cuius vult miseretur, eóque sapienter S. Thom. *art.* 4. *citato* trahit illud Augustini *tract.* 26. *in Ioan. Quare hunc trahat & illum non trahat, noli velle iudicare, si non vis errare.* Ad propositum igitur voluntatis suæ totam Abrahami & posterorum eius destinationem in parentes Christi refferre nos oportet, quâ positâ consentaneum fuit illi populo eloquia Dei, Legislationem & alias eiusmodi prærogatiuas conferri. Quare Moses sic compellat Israëlitas *Deuteron.* 4. 36. 37. *De cœlo te fecit audire vocem suam, vt doceret te, & in*

terra

terra ostendit tibi ignem suum maximum, & audisti verba illius de medio ignis. Quia dilexit Patres tuos, & elegit semen eorum post eos, eduxitque te præcedens in veritate sua magna ex Ægypto. Itaque totam causam mirabilium quæ præstitit Deus in fauorem Israëlitarum, quæque pluribus exaggerat Moses *toto eo capite* in vnam dilectionem quâ Deus prosequutus est ipsorum patres, refert vox Hebræa & Chaldæa visceralē quandā dilectionem denotat, estque etiam aliquod discrimen inter ἀγαπᾶν & φιλεῖν atque inter amare & diligere, de quo fusius Lorin. *in Act. & in 1. Epist. Ioan. & in Deuteron.* 4. 37. Iustinian. *in Epist. ad Roman. cap.* 8. 34. & alij. Neque Deus iniustus fuit aduersus cæteras gentes, cùm Israëlitis beneuolentiorem se præbuit, neque acceptator personarum fuit. Nam cæteras non despexit, aut absque præsidiis ad salutem consequendam necessariis destituit. Quæ enim ex mera liberalitate conferuntur, licet inæqualiter distribuuntur, pendent omninò ex mero arbitrio conferentis, cùm ij quibus ita benefacit, nullum ius habeant ad quidquam exigendum, aut violatæ iustitiæ querelam, alioquin omnes gratuitas donationes æquales esse oporteret, & minima inæqualitas rerum sic donatarum, reum iniustitiæ faceret aduersus donatarios, quibus tamen ex sita mera liberalitate donauit & benefecit, neque posset liberalis iste donator vni soli, cæteris omissis, quidquam donare sine iniustitia. Personarum igitur acceptio supponit aliquod ius in vno donatario, quod tamen non attenditur à Donatore, sed quidpiam aliud propter quod aliis immeritò præfertur. Non sunt quoque nationes destitutæ mediis salutis quamvis illis data lex non fuerit, sed solis Israëlitis. Nam vt ait Paul. *licet Legem non haberent scriptam, naturaliter tamen quæ legis faciebant & sibi ipsis erant lex*: quod etiam verùm fuit ante legem latam, ipsi tamen notitia legis naturalis abusi in transuersum à suis concupiscentiis abducti, plurima peccârunt: vide Paul. *ad Roman. cap.* 1. quem etiam affert Chrys. dum illud, *Psalm.* 147. *v.* 9. *Non fecit taliter omni nationi*, vbi Græci οὕτως & alij ὅμοια similia, Apollinar. τοῖον *Tales*: obseruat autem in hunc Psalm. Chrysost. Dauidem non dixisse absolutè, *non fecit*, sed, *non fecit sic*. Non datam quidem fuisse legem aliis sicut Iudæis, sed non tamen cæteris defuisse legem naturalem, vti dicebat Paul. scriptam legem γραπτὸν νόμον nulli alij dedit; naturalem enim intùs habebant omnes personantem quid sit bonum, quid secus. Τὸν μὲν γὰρ φυσικὸν ἔνδοθεν εἶχον ἅπαντες ἐνηχοῦντα τὸ μὲν καλὸν, τὸ δὲ οὐ τοιοῦτον. Cùm enim hominem fingeret πλάττων ὁ ἄνθρωπον, illi indidit incorruptum iudicium δικαστήριον ἀδέκαστον, suæ conscientiæ calculum, τὸ συνειδότος ψῆφον, Iudæis autem hoc procurauit eximium, vt quæ iusta erant per scripta cognoscerent: διὰ γραμμάτων δηλῶσαι τὰ νόμιμα. Et ideò non dixit ipse, non fecit in omni gente, sed non fecit sic, hoc est non misit eis tabulas scriptas non Mosem Legislatorem, non alia quæ fuerunt in monte Sina, sed Iudæi soli peculiari quodam priuilegio hæc omnia consecuti sunt. Verùm enimverò vniuersa humana natura habuit sufficientem legem conscientiæ: διὰ τοῦτο δὲ αὐτὸς οὐκ εἶπεν ὅτι οὐκ ἐποίησεν ἐν παντὶ ἔθνει, ἀλλ' οὕτως οὐκ ἐποίησε τουτέστιν, οὐ πλάκας αὐτοῖς ἔπεμψεν ἐν γράμμασι, οὐ νομοθέτην Μωυσέα, οὐ τὰ ἄλλα τὰ ἐπὶ τοῦ Σινᾶ ὄρους: ἀλλὰ τούτων ἁπάντων πεπεισμένοι Ἰουδαῖοι μόνοι ἀπέλαυσαν ἡ μὲν τοὶ πᾶσα φύσις ἡ ἀνθρωπίνη ἀρκοῦν εἶχε τὸν ἀπὸ τῆς συνειδότος νόμον. Idque probat ex Paulo *Rom.* 12. præiuerat Chrysost. Clemen. Alexand. 6. *Stromat.* eundem versum Psalmi enarrari, & vocem οὕτως sic obseruans.

QVÆSTIO IV.

Modus quo data est lex vetus.

Descriptio omnium quæ in Legislatione acciderunt, n. 1. 2. 3. & 4.

Conflatio vituli, n. 5.

Eius sceleris pœna & Dei offensi placatio, Mosis Cornuta facies, 6.

Tempus data legis, n. 7.

Hic modus describitur ab ipsomet Moyse *Exod. cap.* 19. 20. *& seq.* Ad radices montis Sinai Castra posuêre Hebræi mense tertio egressionis ex Ægypto *Exod.* 19. tres menses inchoatos & nondum exactos intellige, abierant enim tantùm mensis & dimidius, quia egressi sunt 15. mensis Nisan, fluxit deinde mensis Icar ordine secundus egressus, aderátque mensis tertius Siuan. de die illius mensis lis est. Inquit enim scriptura, *in hac die venerunt, in solitudinem*; de particula, *hac*, digladiantur interpretes, verosimilius est sumi hoc loco eandem diem quâ egressi sunt de Raphidin, propter vicinitatem locorū quam Genebr. ait fuisse 4. milliarium, fuitq; illa dies 4. mensis & 44. ab exitu figunt igitur tentoria Israëlitæ ad radices mōtis. Neque satis constat an mōtem habuerint ab Occidente an ab Oriente, vel à meridie, & de ea quæstione leuibus coniecturis certatur, adoentati hac die ascendit Moses ad dominum qui illum vocârat de monte, eúmque delegat ad populum vt exploret vtrùm velit eius fœdera seruare, & leges accipere, adiungitque eximia promissa, maximè de singulari cura & pietate aduersus ipsos, Assumpturus enim erat eos in Regnum sacerdotale, hoc est eximium & illustre, aut potiùs sanctum & electum ex omnibus, sicut Sacerdotes eximij & electi esse debent; accipit conditionem populus: Quare Moses delaturus promptam illam populi voluntatem ad Deum regreditur, accipitque noua mandata de sanctificando populo in tertium diem, quo in montem erat descensurus Deus visibili nube velatus, defigendis cancellis per circulum montis, ne siue homo, siue iumentum accederet, pœnâ mortis propositâ. Descendit itaque Moyses plebem sanctificat & reliqua iussa exequitur: Iámque aduenerat dies tertius à colloquio Domini cum Moyse, mensis Siuā 6. ab exitu Ægypti, & repentè audiuntur tonitrua, micant fulgura, montem densissima nubes operit: Immò & igne totus accenditur, atque ingenti terræ motu succutitur, ingruunt turbines & procellæ ventorum; Pluuiam addit. Dauid *Psalm.* 70. Cœli distillauerunt à facie Dei Sinai. Ioseph agnoscit imbrem & procellas vehementes, clangit Buccina, & denique Angelus tubali horribilique voce Decalogum intonat, percellitur horrore populus. Quæ omnia quo ordine contigerint paucis & singillatim accipe. Ascendit Moyses atque in omnium conspectu loquitur ad Dominum qui in verticem montis descenderat, iubétque denuò Mosem descendere, monetéque populum ne positos terminos transgrediatur.

Respondet Moses fieri non posse vt præceptum sæpiùs repetitum infringant, vrget tamen Dominus vt descendat, & assumpto Aarone iterum redeat, prohibeátque etiam sacerdotibus ne montem attingant: sacerdotes autem qui hîc nominantur, non erant illi Leuitici nondum instituti, sed aut viri primarij in qualibet tribu, aut potiùs ex Abulens. Caiet. Lippoma primogeniti, quibus ius aliquod naturale sacerdotij conueniebat. Intereà dum monet denuò Moses populum de seruandis limitibus, & apud illum adhuc detinetur, Angelus è media flamma clara & sonora voce

populo

4 Completis,igitur his sermonibus per 40.dies,dedit Deus Moysi duas tabolas lapideas quibus ipso Dei digito lex inscripta erat. Duæ fuetunt vt minueretur pondus, & faciliùs cum atca ferrentur à Leuitis Ioseph. & Philo in qualibet tabula quina præcepta scripta censent, & in singulis paginis bina cum dimidio, atque ideò geminam faciem insculptam volunt. Rabi Salomon putat ea quæ scripta erant in vna pagina ea aduersa qooque lecta fuisse, sed sine necessitate miraculum geminat, & lapidem pellucidum ac vitreum facit, & quæ in aduersa facie ad dextram conuersa erant, vult recto ordine legi.

5 Intereà Populus dum diuriùs Mosem in monte morantem frustrà præstolatur & mortuum inter fulmina & nubes arbitratur, exactis 20. aut 30. diebus Aaronem adit per suos videlicet Legatos,& vt sibi Deos faciat, iubet. R. Salom. apud Abulens. ait Mosem dixisse populo se per 40. dies moraturum, sed in computandia rebus falsum fuisse, atque 29. pro 40. cœpisse & ad vesperam Satanam in aëre addensato speciem quandam fererri exhibuisse, quæ & Mosem mortuum ostentaret, & voce proclamaret; sed quot ibi in ea concinnāda fabella absurda vim igitur penè inferunt cunctanti Aaroni: suadet ille dies aliquos expectent, & dum obfirmatos animos videt; vt tamen tem protrabat, petit ad conflandum vitulum mauter, & ornamenta vaorum & filiarum, vt sic à suscepto facinore deterreret, sed illi libenter omnia præbent: iubet quæri atrifices qui mox adsunt, & accingunt se operi, paratur fornax, fit typus ea argillosa terra, aurum infunditur, liquefit, & demum refrigeraro metallo postridie vitulus conflatus apparet, siue fuerit domtaxat caput Bubulum, vt voluit Tertull. *l.contra Iude.c.*21. Lactant.*lib.4.de vera sapient.cap.*10.Hieron.*in cap.*7.*&* 21.*Osea,& in cap.*5.*Amos*, atque alij plures quos Lorin *in cap.*7. 4. *Actor.* & Ribeta *in cap.*10. *Osea n.*13. afferunt, sequitúrque Cornel. siue fuerit vitulus integer, quod censet Salian. *in annalib. ad illum ad annum. n.*608. quia vituli Ierob. ad huius similitudinē conflati, fuère integri, ex Clem. *lib.6.Constit.Apost.cap.*20. Lactant.*l.c.*Philo.*lib.* 2. *de Mon.init.*& *lib.*3. *de vita Mosis*, vbi Apium Ægyptium imitatos vult Israëlitas: Apis verò non poterat nisi integro corpore reddi propter dorsum albâ maculâ notatum, neque etiam aliter sexus dignosci potuisset. Vitulum autem Israëliticum vaccam fuisse Ribera, Salian. Cornel. & alij volunt, quòd ita ferr superstitio Ægyptiaca, vti probant ea Herodoto *in Euterpe*, fusum igitur hunc vitulum per incredibilem amentiam dedicant, & publica Apotheosi consecrant die 17. mensis Thamnos 40. ab ascensu Mosis; Ascenderat enim vnà cum Iosuë 8. mensis Siuan. indicitur itaque solemnis per præconem ad nefarios ritus sacrorum, dedicatio quam fingunt Rabbini conatum fuisse Hutum impedite, sed frustra, nec sine discrimine, immò aliqui occisum ea de causa volunt, & martyrem faciunt, trepidante Aarone quem metus ille non excusant; Ludunt igitur ad aras Hebræi & comessantur, quem ludum Tertullian. interpretatur luxuriam, alij choreas. In ea comessatione Philo & Abulens. vinum agnoscuot, sed vnde apportatum fuerit, non docent. Hoc scelere populi Deus se grauissimè offensum ostendit Moysi, qui illum placare humillimis precibus contendit; & tandem placatior factua, eum cum tabulis in castra redire iubet. Redit igitur, & agnito scelere, dolore incredibili saucius, tabulas ad ruppem illisas frāgit, deiicit Idolum, Sacra disturbat, ac dissipat admittente Iosuë ministro, trepidante & stupente populo ad illins reditum inopinatum, & ardorem animi, corripit grauissimè impios, sceleris atrocitatem ostendit, & prima piacula indicit, potandas publicæ ignominiæ fœces cum fauilla vituli bibit ipse, & Aaroni grauissimis verbis castigato propinat, tum principibus & omni populo. Aaron separat noxios ab innoaiis, quoniam iudicio incerrum; multa hîc somniant Rabini. Deinde Ratus seueriore aliqua pœna coërcendam esse Impietatem, & diuinæ Maiestati satisfaciendum, iubet cædem noxiotem, & Leuitas, aliósque ad eam hortatur, laudat vindices legis Leuitas, & mercedem, eorum xelo promittit. Imperat deinde omnibus pœnitentiam tanti sceleris, dum ipse acturus de venia Deum adeat: Montem itaque repetit, ad secundum ieiunium 40. dierum, & orandam populi veniam, placatúrque tandem Deus, eúmque post 40. dies remittit ad populum die 28. mensis quinti qui dicitur Ab. cum his mandatis, vt sibi præcidi iubeat duas tabulas lapideas ad legem inscribendam 2. arcam ligneam ad eas seruandas curet, *Deut.*10.12.3. sequenti die redeat ad montem. 4. nullum sibi assiscat socium, nullus in monte sit, ne quidem boues aut iumenta.

Reuersus itaque Moyses in Castra præcidi tabolas 6
lapideas iubet, & docet populum quo in statu res sint apud Dominum, imperat deponere culnim & ornatum de quo *cap.* 33. *Exod.* Deum quidem velle illi dare promissam Chananitidem, sed non cum eo ascensurum, quo audito fleuit popolus, & deposuit ornatum à monte Oreb. Transtulit quoque tabernaculum extra Castra, itavt populus vel eacommunicatus, vel quasi interdictus baberetur, illi præfecit aditum Iosuë. Quale verò fuerit hoc tabernaculum disputat Abul. *in cap.*33.*q.*19. Setar. *in lib.*1. *Iosue cap.*5. *q.*11. & Salian. vt autem peruenit ad montem Moses, Nubes Domini quæ vertici imminebat demisit se, & Moysem voti ac promissi, extrem. *cap.*35. compotem fecit, quare ille quodam diuino instinctu abdidit se in spelunca, quæ obscura nube obducta est & transiit gloria Domini cum bis vocibus. *Dominator Domine Deus c.*34. 5. Quæ verba communissima sententia tribuit Deo vt Mosem moneret, Hieronym. & Pagninus Mosis ipsius esse volunt. His auditis festinus adorauit, & rogauit vt secum graderetur, acquiescit tandem Deus, spondétque se ionouaturum omnia mirabilia, & pactum ac fœdus, eiecturum Amorrhæum; & denuò sua omnia præcepta inculcat, iterúmque legem scribit. Descendit igitur Moyses die 40. & 19. mensis 7. qui est Thiori, duas referens tabulas, sed cornota facie, ex consortio Domini quod ipse ignorabat *Exod.*34.19.70. Μωυσῆς οὐκ ᾔδει ὅτι δεδόξασται ἡ ὄψις τοῦ χρώματος, vel vt alij legunt, χρωτὸς τοῦ προσώπου αὐτοῦ *non sciebat Moyses quòd glorificatus fuerat aspectus*, vel *faciei suæ.* & mox *v.* 30. ἦν δεδοξασμένη ἡ ὄψις τοῦ χρώματος τοῦ προσώπου αὐτοῦ, Chaldæ. *ignorabat Moyses quod multiplicatus esset splendor gloriæ vultus eius.* vox enim Hebræa קרן. vnde cornu, radiare significat. Paul. 11. *Cor.*3.8. nominat δόξαν προσώπου, & ad eum gloriam tegendam velo vsum Mosem ostendit; nihil autem repugnat existimare radios illos in cornuum speciem assurrexisse, ideóque Abenesdras *in c.*11. *Exod.* eaistimat Muenes qui apud Ægyptios cornibus colebatur, fuisse ipsum Moysem, & Iustinus, siue quis alius Author admonitionis ad Græcos in Diodoro siculo pro Μνευὴν, restituit Mosem, & *ibidem* pro ἀγράφοις, habet ἐγγράφοις, & pro κοινότατον, habet ἱκανώτατον, sensu meliore, inquit Grotius, nimitùm Moyses alter erat Iosephus populi pastor, Ioseph. boois nomine ac figurâ significatus fuit: censet idem Grotius Deum in hac gloria & cornuta facie respexisse ad vituli cultum, quasi diceret, vultis aliquid Ταυρόμορφον habetur, & experimini an ferre possitis, *Macrob.lib.*1.*Saturn.c.*21. ait apud Heliopol. Taurum fuisse soli consectatum, quem *noton*, siue vt emen-

dat Grotius, *Muenin*, dicebant. Verùm, non alium quæramus huius portenti causam oportet, quàm quæ affertur à scriptura ex consortio nimirùm (Domini. *ἐν τῷ λαλεῖν αὐτὸν αὐτῷ*, quia nimirùm gloriam Domini viderat in foramine petræ. Nam licèt aliàs per 40. dies bis cum Domino fuisset in monte, illíque collocutus, nunquam tamen cum ea vultus maiestate redierat. Voluit nimirùm Mosem impensiùs coli à populo, & legis gloriam testari: hanc porrò gloriam vultus & splendorem ad obitum vsque permansisse probabilius est, cùm scriptura dicat Moysem obtendisse velum dum populum alloqueretur, abstulisse verò cùm ingrederetur ad Dominum, illo autem ingresso descendebat columna nubis & stabat ad ostium, loquebatúrque cum Mose cernentibus cunctis.

7 Habes explicatam Sertem eorum omnium quæ in promulgatione & sanctione legis veteris peracta esse scriptura testatur, circa quæ nonnulla aduertenda sunt & primò quidem circa tempus quo lata est, quærit S.Thom. 1.2.*q*.98.*art*.6. an illud conueniens fuerit, & cur non priùs vel posterius data fuerit, nempè Paulò post Adami peccatum, aut proximè incarnati verbi Natiuitatem ad quam excipiendam disponebat. Simili ferè ratione quæritur de tempore Incarnationis, ad quas similésque alias quæstiones vniuersalis est August. *in Psal*. 118. *concione* 20. Responsio. *Nouit Dominus quid quando faciat qui in mensura modo & pondere cuncta disponit*; offeruntur tamen aliquæ non reijciendæ prorsus rationes, prima est quia cùm lex intuitu Chr[illegible] m præparabat vt dicemus, data fuerit, debuit ad ill[illegible]m eligi tempus illud quod futuræ Incarnationi magis accommodatum existeret. Illud autem videtur quod medium erit inter orbis creationem & verbi Incarnationem. Nam debuerint homines lapsæ naturæ imbecillitatem agnoscere, quæ & cognitione & viribus mirum quantum destituta erat, obscurato & excæcato intellectu, voluntate prorsus infirma ad operandum: quare ex infinitis, & absurdis erroribus, & in omnia scelera pronitate supernaturali aliqua & luce & robore se indigere negare non poterat. Ne tamen omnes prorsus crescentibus in dies vitiis corrumperentur, opportuno tempore data lex est, quæ & doceret quid fugiendum amplectendúmve esset: & auxilium aliquod afferret, intuitu Christi quem designabat, vti docebimus inferiùs ex Paulo *ad Galat*. 3. Quare debuit eligi aliqua gens ex qua Christus esset nasciturus, & cui lex daretur: quæ electio facta est per Circumcisionem imperatam Abrahæ & posteris eius in signum fœderis initi promissionē Christi futuri, qui ex eo semine nasciturus erat. Quare congruum erat vt ab iis suis primogenitoribus peculiari fide crederetur, speraretur, & vehementiori affectu desideraretur quò diuturnior esset eius dilatio: dicebat quoque Christi diuini cultus obseruatores, diutiùs fuisse, diuinam Legem seruando, suúmque obsequium illi præstando, quo verò potissimum anno mundi promulgata fuerit lex, disputant Chronologi magnis animis; nostrum non est eorum dissidia hoc loco arbitrari vel componere, adi Geneb. Baron. Spondan. Tormel. Salianum, Petauium Scaligerum, Isaacum Vossium *in Chronologia sacra*. Causa controuersiæ est dissentio 70. Seniorum, & Hebræi textus in computandis Patriarcharum annis diuersitas, quæ in diuersas sententias traxit interpretes.

QVÆSTIO V.

Vbi data fuerit lex Mosaïca.

Causa difficultatis, n. 1.

Cur dicitur Mons Horeb. & Sina. ibid.

Quomodo Sina sit coniunctus Hierosolymis, n. 2. 3. 4. & 5.

LOcus huius Legislationis difficultatem facessere potest, quia data dicitur lex in monte Sina *Exod*. 3.19. *& seq. Actor*. 7. alibi verò dicitur in monte Horeb. *Deut. cap*. 1.1.5. *&* 5. *Malachia cap*. 4. atque alibi sæpius *lib*. verò 3. *Regum c*. 19. in monte Dei & *Exod*. 3.1. de his vide Euseb. apud Hieron. *in locis Hebraic*. Caiet. *in c*. 3. *Exod*. Lorin. *in Deuteron. cap*. 1. *v*. 2. *& in Act. c*. 7.30. *& in Psal. c*. 5.9. Villarpand. *in Ezech. p. de vrbe lib*. 2. *c*. 6. Serrarium *in Iosue lib*. 1. *c*. 4. *q*. 4. Salian. *anno* 80. *Mosis n*. 27. Peretium *disp*. 30. *in exod*. Adrichon. *in theatro terra sancta in pharan. n*. 69. Suar. *lib*. 9. *de legib. cap*. 5. *n*. 10. & alios: Omissa verò fusiori disputatione, dicendum est vnum eundémque montem tribus illis nominibus appellatum fuisse. Primò quidem mons Dei, non quòd iam olim Deus habitarit, & hactenus iohabitare, ideò semper inaccessus & Sacer fuerit ab incolis habitus. Verùm nihil affert Iosephus. Vnde suam istam sententiam confirmet: Dei siquidem habitatio in aliquo loco non nisi per insignes aliquos effectus, quos ibidem & non alibi præstet colligi potest. Non constat verò quidnam in eo monte Deus insigne perpetrarit, antequam Moysem in eo alloqueretur. Dicendum igitur potiùs est, id nomen sortitum esse eiusmodi montem vel ex antiqua & vulgari superstitione, quæ montes omnes omnes excelsiores vt religiosos colebat, & singulis Diis dicabant, vt de Tarpeio cecinit Virgil. *Æn*. 8. 1

Hoc nemus, hunc inquit, frondoso vertice collem
Quis Deus, incertum est, habitat Deus. Arcades ipsum.
Credunt se vidisse Iouem, cùm sæpè nigrantem.
Ægyda concuteret dextra, nimbósque cieret.

Vel quia quæ magna sunt, res Dei dici solent, quasi diuinæ, siue Deo authore dignæ, ipsique scribendæ, vel denique probabilius, quia in eo iam Deus apparebat sæpiúsque appariturus erat, & magna cum mairstate legem daturus.

Secundò Nominatur hic mons Horeb. qui est alterum iugum, & cacumen montis Sinai, neque illis nominibus designantur duo distincti montes, sed vnus & idem qui duas partes & iuga habeat, & proindè modò ab vna parte, modò ab alia indiscriminatim appelletur, neque in Sacra narratione præcisè distinguitur perpetuò, quid in vna quidve in altera parte factum fuerit, sed absolutè dicatur, vt factum modò in monte Sinaï, modò in monte Horeb. Sinai quidem Orientem, Horeb Occidentem spectabat. Sinai porrò deriuatur à Rubis in eo frequentibus. Rubus si quidem Hebræis est Sineth. *cap*. 3. *Exod*. Immò & ipsemet mons ita dicitur *Deuteron*. 33. *v*. 16. vt obseruat Serar. Hieron. *Epist. ad Fabiolum* à singulari *sini*, deriuat *Sinai*, quasi *Rabi mei*: Horeb autem est quasi siccus & sterilis, quippe in arenosa solitudine positus. 2

Difficilius est quod ait Paul. *ad Galat*. 4.25. montem illum esse coniunctum ei quæ nunc est Hierusalem; quod enim Respondent aliqui hanc coniunctionem fieri per montium Radices qui ad ipsam Hierusalem porriguntur, vel per Arabiam quæ Iudææ coniuncta est, in qua est Hierusalem, non satisfacit; sic enim & Caucasus coniunctus dici posset Hierosolymæ per Tauri, Libani; Antilibani; Hermonis, & Sionis montium colligationes: Memphis quoque Tanis, Sydon, Gazà & Tyrus, eidem Hierosolymæ coniungi dicerentur per eiusdem Regionis vicinitatem. Neque etiam placet S. Thom. qui solam coniun- 3

ctionem

ctionem itineris agnouit hoc loco, quia è Syna Hyerosolymam venerunt Israëlitæ, quâ ratione ipsum mare rubrum, Hesebon. & tota trans Iordanem Regio coniungi diceretur huic vrbi; quare probabilius Serar. *q. 4. cit.* hanc coniunctionem Horebi siue Sinaï cum Hierosolyma, non loco sed significatione interpretatur, quod Cornel: aliique non pauci sentiunt, & omninò fauet vox Græca, totúsque contextus Pauli, τὸ γὰρ Ἄγαρ, Σινᾶ ὄρος ἐστὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ, συστοιχεῖ δὲ τῇ νῦν Ἱερουσαλὴμ δουλεύει δὲ μετὰ τῶν τέκνων αὐτῆς. Porrò συστοιχεῖν, est in eodem ordine & serie esse, στοῖχος enim est in acie versus, Series, & ordo à fronte in qua est πρωτοστάτης, id est, præses incipiens, & per ἐπιστάτας succenturiatósque à tergo, siue substites sigillatim ad extremum agmen porrectus, hanc Seriem & συστοιχίαν nominamus, Vulgò *vne file*; ζυγὰ verò sunt à læuo cornu ad dextrum porrecti; quare οἱ κατὰ στοῖχον τεταγμένοι, στοιχεῖν, dicuntur ab Æliano, atque per altitudinem, id est, à Phalangis fronte ad tergi ductores porrigi; ζυγεῖν, verò, id est iugare siue iuga efficere, est astites stare per directum in latitudinem collocatos: συστοιχεῖν igitur dicuntur ij qui sunt eiusdem versus, & Seriei, οἱ ἐν τῷ αὐτῷ στοίχῳ ὄντες, hoc est οἱ ἐν, ἰσῶς τεταγμένοι. Quare qui sunt eiusdem sortis, ordinis cùm eandem veluti Seriem efficiant, σύστοιχοι & συστοιχοῦντες, appellantur, sicut σύζυγοι καὶ ὁμόζυγοι eiusdem iugi, & coniugationis ac veluti coniugis: Est enim ζυγεῖν ἐν τῷ αὐτῷ ζυγῷ εἶναι. Ea his ni: vt σύστοιχα, quæ ὁμόστοιχα, vel ὁμοταγῆ, quæ sunt eiusdem Seriei & ordinis dicantur, imprimis illa quæ sunt inter se affinia aliqua qualitate, vt inter elementa, aqua & terra: Aër & ignis, quæ vna qualitate participant, vnde fit facilis transitus ab vno ad aliud ea σύστοιχα nominat Arist. *lib. 1. de generat.* & Theophr. *lib. 6. de causis.* Sic etiam in Saporibus σύστοιχοι sunt pingue & dulce. Nominantur quoque σύστοιχα, quæ ab eodem capite & genere manant, v. g. genera & species quæ sub genere substantiæ continua Serie vsque ad indiuidua. In verbis autem σύστοιχα sunt παράγωγα, siue παρώνυμα deriuatiua & deriuata, de quibus Arist. *lib. 2. topicor. & lib. 1. Rhetoric.* Alexand. *in Topica* 5. γραμματικῶς, ὁ γραμματικὸς, deinde σύστοιχα, siue συστοίχους: λεγόμενα sunt quæ licet sint sub alio genere posita, similem tamen habent rationem & Analogiam respectu subiectorum, dicunturq; σύστοιχα κατ' ἀναλογίαν; sic scientia & sensus ἐπιστήμη καὶ αἴσθησις, eorum enim ratio similis est ad sua subiecta τὸ ἐπιστητὸν καὶ τὸ αἰσθητὸν, vt habet Arist. *lib. de sensu*, & Alexand. *in 1. topica.* Ex natiua autem hac significatione, nascitur alia translatitia. Cùm enim συστοιχία, sicut σύστοιχος sit, vti diximus, propria disposita in longum militum, Series translatitiè sumitur pro quauis Serie, siue ordine rerum, & pro qualibet etiam cognatione & conuenientia naturæ, ea mente Aristotelis, vti obseruat Philopon. *in lib. 1. post. Analit.* & Theophrat. *lib. 6. de causis* ostendit in saporibus qui habent eandem naturæ affinitatem, vt dulcia quæ facilè fiunt amara, v. g. coquendo mel fiunt porrò aliquando συστοιχίαι diuersorum generum quæ inter se compositæ sunt ἀντιστοιχίαι; fiunt siquidem duæ Series, ita vt vna alteri contraria è regione locetur. Hoc est enim ἀντιστοιχεῖν siue ἀντιστρόφους, vel ἀντιγραμμένας, κατὰ, quod fatetur Arl. *lib. 3. metaph & lib. 3. de partib. Animal.* Quare si facias duas series elementorum oppositas, habebis συστοιχίας & ἀντισυστοιχίας. Nam ignis & aër habent συστοιχίαν, sicut aqua & terra, at verò ignis & aqua habent ἀντιστοιχίαν sicut aër & terra. συστοιχίαν est cononire cum alio, & in eodem ordine reponi siue propriè, siue translatione & ἀντιστοιχεῖν est alicui opponi in simili serie.

4 His Paulò Fusiùs obseruaris, explicabis quo sensu *R. P. Ioseph. Gibalini de Scient. Can.*

Paul. de monte Sinaï in quo lex data fuit, dixerit qui coniunctus est συστοιχεῖ, quæ nunc est Ierusalem; non loco, vel per radices montium aut continuatione itineris, sed Serie & ordine eiusdem significationis, in qua conuenit & illi consonat. Quare Hieronym. *in 2. homilia Origenis in Cantica*, quam latinè reddit ait *Sina mons est in Arabia, qui confertur ei quæ nunc est Hierusalem*: illi nempè comparantur, & idem omninò designat; quare sunt eiusdem ordinis & significationis & συστοιχεῖν inter se, ad quod non requiritur, vt vides, locorum coniunctio siue vicinatas. Eámque veram loci huius sententiam facilè docet ipse contextus & mens Pauli, si diligentius attendatur: nam Paulus vbi disputauit contra eos qui contendebant, Mosaïcæ legis obseruationem necessariam esse ad salutem, nósque ex lege iustificari, ad extremum aduersarios qui volebant omnes ad Christum conuersos circumcidi, ac proinde reddebant illos debitores vniuersæ legis, vt loquitur Paulus, obseruandæ, impugnat, ea ipsamet lege, & ex iis quæ scriptura de illa tradit, eiúsque veluti ortum & effectus, & lationem memorat. Dicite mihi qui sub lege vultis esse, Legem non legistis. Agite vos qui vultis sub onere & seruiture legis viuere, tanquam eius obseruatio sit ad salutem necessariam. Nunquam legem ipsam legistis, aut vt habet Græcus, audistis ἀκούετε. Consulamus itaq; legem ipsam & scripturam, quam nomine legis intelligit: quod ostendit particula, *enim*, quam subiungit immediatè ait siquidem. *Scriptum est enim quod Abraham duos filios habuit*, vnum quidem Ismaëlem quem ea Agare concubina serua, alterum de libera, nimirum Sara, inter quos hoc discriminis fuit, primo quod Ismaël de ancilla susceptus secundum carnem natus est, nempè secundum naturales vires carnis & ordinē; nihil enim insolitū est ea puella florentis & viuidæ ætatis atque fœcundæ hominem iam Senem, sed firmis & crudis viribus, liberos procreare: Isaacus verò ex Sara iam effœta annosa, & & hactenus sterili, atque Patre Abrahamo, plusquam Centenario. Non potuit generari solis naturę viribus, ideóque per repromissionem natus est, quam Deus illi fecit per Angelos quos peregrinorum specie in suo tabernaculo ad quercum Mambre, hospitij causâ susceepit secundò. Inter hos duos Abrahami liberos, alterum etiam discrimen existit, quòd Ismaël susceptus ex Ancilla, seruus quoque natus est, & verò Isaacus matre libera genitus; liber quoque natus est. Estque semen in quo benedicendæ sunt omnes gentes. In hac historia latebant futurarum rerum mysteria, quæ diligenter attendenda monet Paul. cùm addit, quæ sunt per allegoriam dicta, ἅτινά ἐστιν ἀλληγορούμενα: Typica nimirùm & repræsentatiua Mysterij cuiusdam latentis vti præfert ipsummet nomen ἀλληγορία quippè dicitur, quia ἄλλο μὲν ἀγορεύει, ἄλλο δὲ νοεῖ, *aliud dicit, aliud verò intelligit*, vti definit heraclides Ponticus *in allegoriis homericis*, & Arnob. *lib. 5.* de allegoricis sensibus fabularum ex gentium opinione, ait in iis aliud quidem dici, sed aliud intelligi. Hieronym. in hoc ipsum *c. 4 ad Galat.* quod versamus, definit allegoriam cum alia ea aliis figurantur; quare vertunt aliqui diuersiloquium, Plutarch. *lib. de audiendis Poetis*, obseruat veteres appellasse ὑπονοίας, quas sua ætate vocabant ἀλληγορίας, sanè Aristoteles nusquam ἀλληγορίαν vsurpat; In ea porrò voce, illud ἄλλο restringi debet aliud simile, & amicè conspirans cum eo quod dicitur, non item ad quoddam inimicum aut repugnans; quare elegans illa allegoria apud Plautum *in Persa actu. 2. s. 2.* *Albo rete aliena bona oppugnare*, hoc est fraudibus suis leges, aliáve iura prætendere. Nam reti leges notantur, Album verò significat honesti speciem, & ὡς ἐμπρέποντα, quo sensu dixit alibi homines, sed cretâ occultare, alij Legum

albo arieta oppugnare. Triplex verò est allegoria, vna pura quæ nihil proprium adiungit, vt Plaut. *in Epist. act. 1. sc. 1. vtcumque in illa ventus est, ex imo velum vertitur*, hoc est vt tempora mutantur, animi quoque cupiditates variant, & ibid. *Act sc. 1. guttulâ pectus ardens miti adpersisti, mærere confectum verbis tuis consolatus es.* Altera allegoria est mixta in qua aliquid proprium admiscetur ad maiorem lucem, vt apud Ciceron. *in Miloniana. Equidem cæteras tempestates, & pro albis in illis duntaxat fluctibus Concionum semper putaui esse Miloni subeundas*, non dixit absolutè, fluctibus, sed fluctibus concionum, & apud Macrob. *lib. 2. Saturn. cap. 7. Decimus Laberius quingentis millibus inuitatus à Cæsare, vt iam Ser ez, & eques Romanus in scenam prodiret & mimum ageret.*

Si tibi erat libitum literarum laudibus
Florum (vel floris, vel floreas) cacumen nostræ famæ frangere
Cur cum vigebam membris præuiridantibus
Satisfacere populo, ac tali cum poteram viro
Nec floribilem me concurristi vt carperes alij (frangeres.)

Tertia allegoria est potiùs in rebus quã in rebus, est nempè typus, ænigma emblema aut symbolum, atque ita ἀλληγορικῶς καὶ συμβολικῶς, intelligenda sunt pleraque Platonis dogmata; quare sæpiùs ab Aristotele & aliis qui Platonem confutârunt, non tam confutatur, quod sensit Plato, quam quod eius verbis propriè acceptis significatur. Hoc eodem modò allegoriis dicuntur Poëtæ mysteria naturæ, & Philosophiæ moralis inuoluisse, vt fatentur apud Arnob. *lib. 5.* & Dionys. Halicarn. dixit illos sub ludicra larua Philosophari, ἡ γάρ τοι κωμῳδία αὐτὴ τὸ γελοῖον προτεινομένη φιλοσοφεῖ. Nam si verba ipsorum simpliciter & propriè intelligeres, delitia haberes, ideóque Eratosthenes Poëticam γραώδη μυθολογίαν ciuile fabulamentum appellabat. Multi sunt in euoluendis istis fabularum poëticarum inuolucris & allegoriis pharnatus, palaphatus, Fulgentius Grammaticus, non Episcopus Carthaginensis, & alij de quibus & tota ratione Allegoriarum poëticarum Floridus Sabinus *lection. Subsic. lib. 1. cap. 24.*

Allegoria verò qua vtitur hoc loco diuus Paulus, est tertij huius generis, vt ipsemet explicat; ait enim duas illas Abrahæ vxores cum duobus filiis suis, esse duo testamenta vetus & nouum: hæc enim sont duo testamenta nimirùm significatione, vt inquit Chrys. quod ipsum nomen Allegoriæ demonstrat: In Græco legitur αὗται γάρ εἰσιν αἱ δύο διαθῆκαι. Hæ enim duæ vxores scilicet Abrahami sunt significatione & per allegoriam siue Typicè duo testamenta: quare respondet Serar. vitio Librariorum adiectum fuisse illud *e.* cum anteà legeretur *ha.* Nam licèt αὗται referri possit ad διαθήκας, tamen clarior & facilior est sensus, si ad vxores referantur, illæ enim, vt dixi ex ipsius Pauli mente, sunt significatione duo testamenta, & ex sequentibus μία μὲν ἀπὸ ὄρους Σινᾶ εἰς δουλείαν γεννῶσα ἥτις ἐστὶν Ἄγαρ, vna quidem istarum vxorum, quæ est Agar à monte Sinai in seruitutem generans: Nam si ad testamentum referas, vt ferunt verba latina, vnum quidem à monte Sina in seruitutem generans, quæ est Agar, quærendum restat quomodo id testamentum generet, cur non nominaret alterum testamentum, quod in libertatem generet: Neque vel in seruitutẽ Sion, vel locus alius à quo exierit nominetur, quando dicitur de illo testamento quæ est Agar; quare propter promissam testamenti vocem librariũ dixisse *vnũ*, vt ad illud refferret, cùm vox μία æquè de testamento διαθήκη, quàm de fœmina dici posset. Quare congruenter dicitur duas illas vxores esse duo testamenta, typice nimirùm & per allegoriam, & vna quidem à monte Sina in seruitutem generans, ipsáque est Agar. Neque obiicias Agarem Ægyptiam fuisse non Arabem, aut Sinaidam. Respondeo enim non esse quidem Agarem ortam è Sina, sed quia vel ibi ad eius montis radices, vel potiùs quòd in Arabia in qua montem illum constituit Apostolus, habitauerit cum suo filio, & eius deinde posteri omnes, quare inde iure accersitur, tanquam ex propria illius sede, & domicilio, ad allegoriæ explicationem. Nam hinc faciliùs intelligitur quomodo Agar vetus fœdus significet, quandoquidem in illius fœderis loco ipsa eiúsque filius ac nepotes omnes vixerint. Addit Paul. Sina enim mons est in Arabia, Græcus habet τὸ γὰρ Ἄγαρ, Σινᾶ ὄρος ἐστὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ, quæ repetitio omissa est ab interprete vulgaro, & Serarius æstimat ex γὰρ factum esse superfluè Ἄγαρ. Adamus tamen illa repetitione existimat magis inculcari ab Apostolo quod dixerat Agar esse typum veteris testamenti, & iterùm aliis verbis expressisse cùm ait, *Agar enim Sina mons est*, quasi dicat Agar reuerà est typus eius, quod dixi veteris testamenti, non dico montis Sina, nimirum per metonimiam pro re exhibita in monte Sina nempe fœdere ibi dicto, addit montem illum Situm esse in Arabia, estque ideò in verbis Pauli non nuda repetitio, sed aliqua explicatio, qua dicat, inquit Adamus, vos Galathæ, scitis quid sit mons Sina ex vsu Scripturæ, quòd sit res horribilis, quòd sit extra terram promissionis. Ista, volo vos aduertere, vt ex his intelligatis naturam veteris testamenti, siue legis, ob eandem causam miscet *& Hierusalem*, dicens qui coniunctus est ei quæ nunc est. Hoc est, mons Sina eiusdem est naturæ & indolis cuius est nostri temporis Hierusalem: hæc duo quoad rem de qua ago cognata sibi sunt, Hierusalem, quidem situ longè abest a Sina, & propterea videri posset non pertinere ad Sina, tamen est planè Sinaica, conferte eam doctrinam quam accepistis à me, cum ea quæ est in ciuitate Hierusalem: Item spiritum & vitam vestram, cum spiritu & vita eorum qui habitant Hierusalem, inuenientis verè esse Sinaiticam, & Legalem: Deprehendetis vitam eorum similem esse vitæ eorum qui terrebantur in monte Sina; eam itaque quæ nunc est Hierusalem vocat crassam terrenam, carnalem: Talis siquidem erat cùm ista scriberet Paulus: hactenus Adamus, ex quibus tandem vides quid velit Paul. cùm ait montem Sina coniunctum esse ei quæ nunc est Hierusalem. Non loci quidem propinquitate, sed significatione coniunctus est, illi Respondet, eiusdem ordinis est, συστοιχεῖ. Cùm enim Agar serua significet terrenam Hierusalem quæ nunc est, vt ait Apostolus. Eadẽ verò Agar è Sina fit modo explicato. Sina quoque Hierusalem allegoricè significat, non immediatè sed mediatè ratione Agaris quæ in ipso monte Sina est, vti explicuimus. Itaque Pauli locus sic enucleandus, aut potiùs legendus erit. *Scriptum enim est quod Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla & vnum de libera, sed qui de ancilla secundum carnem natus est, qui autem de libera per repromissionem, quæ sunt per allegoriam dicta: hæ enim duæ, Abrahami vxores sunt duo testamenta, vna quidem à monte Sina in seruitutem generans, quæ est Agar: Sina enim mons est in Arabia qui coniunctus est ei quæ nunc est Hierusalem*, id est eadem serie respondet ipsa Agar ei Hierosolymæ quæ nunc est, eam nempè significat, & seruit cum filiis suis; illa verò quæ sursum est Hierusalem libera est, & significat vxorum alteram, eáque est mater nostra; quod probat ex Isaía. Constat igitur ex Apostolo Christianos non esse amplius obnoxios Legis seruituti, sed ad verã libertatem vocatos per nouam regenerationẽ in Christo ex illustri Allegoria duarum vxorum Abrahæ, quarũ

vna

vna fuit Agar, & serua fuit, & Ismaëlem seruum genuit; altera serua libera, & domina quæ licèt initio sterilis fuerit, diuina tandem virtute Isaac liberum & Dominum enixa est, prior illa typus est veteris testamenti & fœderis quod in sina montè datum est, & præterea terrena Hierusalem qualis ætate Pauli erat; terrena siquidem fœlicitas per illud testamentum promissa erat, eius quoque filius adumbrat eos, qui in veteri Testamento seruiunt. At verò Sara posterior Abrahæ vxor denotat nouum testamentum, & fœdus quo superna Hierusalē datur, quapropter eā cœlestē vocat, eius filius, & ipse liber eorū typus fuit qui nouum hoc fœdus amplectuntur, & vera libertate donantur, quod ex subiecta tabula demonstrat Serari.

1 Typus	Ancilla, Agar 1	Αν	Libera, Sara 1	Typus 1
2	Eius filius Ismaël 2	τὶ	Eius filius Isaac 2	2
3 Veritas	Vetus testamentum siue Hierusalem quæ in hoc sæculo est. 3	στοὶ	Nouum Testamentum Siue Hierusalem superna 3	Veritas 3
4	Huius veteris Testamenti siue Tettenæ Hierusalem filij 4	τὶ χα	Huius noui Testamenti Siue supernæ Hierusalem filij. 4	4

Atqoe hactenus de loco prumulgatæ Legis Mosaïcæ.

QVÆSTIO VI.

Quibus verbis lata fuit Lex Mosaïca.

Quanam fuerint illa verba, n. 1.
Solemnitas sacrificij in hoc fœdere Legis, n. 2.

1 MOdum prætereà promulgarionis huius obseruanda sunt verba quibus lata & promulgata fuit: ea verò fuerunt imprimis sensibilia & externa quæ locutus est Dominus, quæque audiuit populus. Et sæpiùs repetit Moyses, vti habetur Exodi. 20. *&* 24. *& Deut.* 4. *Hebr. c.* 9. scripta quoque fuit lex in duabus tabulis quoad Decalogum, reliqua verò mandata à Mose, quod significat Moyses *Deut.* 4. & Deus ipse iussit eam legem scribi *Exodi* 3. 27. *Scribe tibi verba hac quibus & secum & cum Israel pepigi fœdus Deut.* 27. 28. Quare vocatur lex scripta, vt colligitur ex *Deuteron.* 30. 10. *si audieris vocem Domini Dei tui, & custodieris pracepta eius & carimonias qua in hac lege conscripta sunt*, καὶ τὰ δικαιώματα αὐτοῦ τὰ γεγραμμένα ἐν τῷ βιβλίῳ τοῦ νόμου τούτου, & *cap.* 31. 10. *scripsit itaque Moyses Legem hanc & tradidit sacerdotibus*. Græci Καὶ ἔγραψε μωυσῆς τὰ ῥήματα τοῦ νόμου τούτου εἰς βιβλίον, & *v.* 26. Imperat Moyses Leuitis, *Tollite librum istum, & ponite eum in latere arca fœderis Domini Dei vestri, vt sit ibi contra te in testimonium*. De hac positione Legis in latere arcæ plura disputant sancti *in lib.* 3. *Reg. cap.* 8. 9. Libera & Ludouicus Tenas *in cap.* 9. *ad Hebraos* Salian. *ad ann. mundi* 3024. *n.* 86. Lorin. *in cap.* 31. *Deuteron. v.* 26. alij. Verius est totum librum Legis ipsúmque Deuteronomium positum fuisse ad latus arcæ extra illam in aliqua capsa; intra arcam verò non nisi duas tabulas lapideas quibus inscriptus erat Decalogus ex Paul. ad Hebræos *cap.* 9. quod indicat quoque Ioseph. *lib.* 4. *Antiq. cap.* 8. Procopius in hac positione libri legis ad latus arcæ, mysterium agnoscit, nimirùm noua per Christum oracula edenda esse, & quamvis lex Mosaïca reiicienda non sit, non ei tamen primas deferendas esse, de scriptione verò verborum Decalogi in tabulis quo authore facta sit, & quis ea verba loquutus fuerit, an Deus, an Angelos Dei personam sustinens, diximus nuper *super. quæstione*.

2 Restaret circa formam & modum sancitæ Legis Mosaïcæ sacrificium & victimarum immolatio per quam antè sancitam legem fœdus cum Domino sanciuère Israëlitæ, vti monuimus, eo ritu qui describitur 24. *Exodi v.* 5. 6. 7. & 9. sed fuit ille antiquus mos feriendi fœdera percussa pecude. Iurabant enim & inter partes cæsæ victimæ transibant, quasi dicerent diuidenda esse membra violantis iuramentum: hunc ritum Deus seruauit fœdus, cum Abrahamo feriens, vt obseruauit Chrysost. *homil.* 56. *in Genes.* Diodorus Tharsens. *in cap.* 15. *Genes.* Cyrill. *lib.* 10. *in Iulian.* seruauit & Moses paciscens cum Ietro. 20. *Exod.* 18. 12. Ad eundem morem alludit Deus apud Ierem. *cap.* 34. 18. *& dabo viros qui prauaricantur fœdus meum, & non obseruauerunt verba fœderis quibus assensi sunt in conspectu meo vitulum quem consciderunt in duas partes, & transierunt inter diuisiones eius*. Efficiam vt isti fœdifragi similes sint vitulo, qui in percutiendo fœdere concisus fuit, atque discerptus, inter cuius dissecta membra legitimo ritu transierunt: de hoc ritu consule Brissoni. *lib.* 4. *de formulis*. Christoph. à Castro *in cap.* 34. *Ieremia*, & alios. Res obuia est, de fœdere inter Titum Albanum & Romulum cæsa porca sancito. Liuius *lib.* 1. & *lib.* 40. de lustratione exercitus Macedonici à Rege perseo. *Forte lustrandi exercitus venit tempus, cuius solemne est talo. Caput media Canis pracisa, & prior pars ad dexteram cum extis, posterior ad Lauam via ponitur. Inter hanc diuisam hostiam copia armata traducuntur. In effusione porrò sanguinis victimalis inerat comminatio similis excidi aduersus, qui fœderi non stetissent.* Vide Eustach. *ad Iliad.* 3. Estque vetus formula apud Liui. *lib.* 1. *Si prior defecit, tu illum Iupiter sic ferito, vt ego hunc porcum hodie feriam, tantóque magis quantò magis potes pollésque.* Plutarch. *in quæstionibus Romanis*, Βοιωτοῖς δημοσίᾳ καθαρμός ἐστι κυνὸς διχοτομηθέντος τῶν μερῶν διεξελθεῖν in Appollodori Bibliotheca legitur de Peseo qui casti vxorem dissecuerat, ἐν δὲ τῷ μέσῳ διήγαγεν αὐτοῦ τὸν στρατὸν, & Zenobius ὁμόλογοι ἐν τοῖς ἑρμαϊκοῖς κατακόψαντες εἰς μικρὰ τοὺς βοῦς τὰς συνθήκας ἐποιοῦντο. huc referri quoque posset factum Saülis *lib.* 1. *reg. cap.* 11. Nam rediens ex agro sequens boues, ad quos iam designatus, vnctus Rex, & aratrum redierat, vt multis ostendit sanctius *eo loco*, & audiens clamores & eiulatus populi propter minas Naas Ammonitas, Iabesites intentatas, qui contribulium subsidium ea de causa implorabant, zelo defendendæ patriæ exæstuans, concidit vtrumque bouem infrusta, misitque in omnes terminos Israël per manum nunciorum dicens, *Quicumque non exierit, & sequutus fuerit Saul & Samuel, sic fiet bobus eius*: quo facto ad sumendam de hoste insolenti & barbaro vindictam omnium animos accendit exemplo Leuitæ, qui vxorem à Gabaonitis oppressam, & immoderata vexatione extinctam in duodecim partes dissecuit, & in totidem Israëlitarum fines dispersit, vt ad vindictam

tam fœdi flagitij Tribus omnes Israëliticas accenderet *Iudic.* 21. 10. sed in Leuitæ facinore non fuit pœna *ἀστρατείας*, vt in facto Saulis: *sic fiet bobus eius qui non fuerit sequutus Saul*, prisco, vt dixi, fœderum more in quo talia sibi præcabantur si fallerent, qualia dissectum coram animal patiebatur, hoc igitur more fœdus Dei cum Israëlitis in sanctione Legis ictum fuit, quod expressit fœdus cum Ecclesia Christi sanguine sanciendum. Hinc illud Paul. *ad Cor.* & Luc. 21. 20. *ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου*, vel *ἐν τῷ ἐμῷ αἵματι*, & Paul. aduers. Hebræos *τὸ κοινὸν ἡγησάμενος τὸ αἷμα τῆς διαθήκης*. Zacha. 9. 11. *αἵματι διαθήκης*, sanguis quo fœdus solemniter sancitur quod *ἐγκαινίζεται*, dixit Paul. & Tacitus in vita Agricolæ *sacrificium conspirationem sanciret*, Stephan. *Actor.* 7. 8. ait Deum dedisse Abrahamo *διαθήκην περιτομῆς* testamentum Circumcisionis, quia nimirùm circumcisione & fuso sanguine pactum illud est, testamentum obsignatum, siue vt loquitur Tertullian. *lib. de Monogamia* testamenti signaculum. Paul. dixit *ad Rom.* 4. 11. *εἰς σφραγῖδα τῆς δικαιοσύνης σημεῖον περιτομῆς*. Existimabant porrò Hebræi id quod sanguine obsignatum esset deleri non posse. Quidnam porrò fœdus hoc inter Deum & populum Israëliticum seruato solemni fœderum more initum in Legis promulgatione pertenderet, quidve efficeret, dicemus. Vbi de noui & Christiani fœderis cum isto veteri collatione disseremus.

QVÆSTIO VII.

Finis Legis Mosaïcæ.

Vnde pendeat hæc quæstio, n. 1.
Duplex finis Legis, n. 2.
Finis vltimus, fœlicitas supernaturalis populi Hebræi, n. 3.
Alter finis, dispositio ad Christum excipiendum, n. 4.
Singula præcepta habent proprios fines, n. 5.

1 QVæ controuersiæ circa finem diuinæ Legis ministro Moyse datæ Iudæis excitari solent vix commodè & distinctè possunt explicari, nisi percepta eius materia, præceptis & effectibus, cùm enim Lex sit medium alicuius certi finis assequendi per præcepta quæ tanquam media vel necessaria, vel saltem plurimum commoda obtinendo fini vsurpat, vix distinctius explicari poterit eiusmodi finis, nisi quæ sit natura præceptorum quibus in eum tendit Lex, prius innotescat & quamnam efficaciam habeant erga eiusmodi finem. Nam si inutilia, vel parùm ad illum idonea sunt, non poterit is esse finis vniuersæ Legis, cùm per eam non obtineatur; quare hæc certa & distincta notitia fuit Legis Mosaïcæ ex duabus proximis quæstionibus colligenda erit.

2 Obseruandum tamen est in vniuersum duplicem esse Legis finem, vnum totalem & adæquatum, qui etiam remotus & vltimus dici solet; alterum, partialem, qui proximus & immediatus appellatur. Lex enim duobus modis considerari solet, vel collectiuè prout comprehendit totam multitudinem & varietatem præceptorum quibus constat, vel diuisiuè secundum singula & diuersa præcepta quæ imperat; vtroque enim modo Lex considerata suum habet finem tum proximum & immediatum, tum vltimum & remotum, tum adæquatum, tum partialem. Posset quoque distingui hoc loco finis externus quem sibi proponit ipse Legislator, & finis internus ipsiusmet Legis ad quem ex ipsa quodammodo suâ naturâ destinatur isti tamen duo fines vix in hac materia seorsim considerantur. Cùm enim lex feratur à Legislatore tanquam medium accommodatum ad finem quem animo destinauit comparandum, non videtur esse alius finis Legis quàm ipsiusmet Legislatoris, qui Legi à se latæ præfigit illum suum finem; & quia ad illum obtinendum commoda est, ideircò illam præscribit, quamvis ipsa ex sua natura ad aliud quidpiam conferre posset, & in alium finem dirigi, habeátque fines illos proximos & internus qui sunt connaturales, & proximi singulis actibus quos imperat per varia præcepta.

Aio igitur primò, Dei in ferenda Lege veteri finem 3
præcipuum & vltimum fuisse populi Hebræi supernaturalem fœlicitatem, quam per bonos mores & sanctitatem assequeretur, atque adeò Legis ipsius finis proximus & adæquatus fuit institutio & eruditio eius populi, tum in his quæ ad naturalem morum honestatem & rectitudinem instámque politiam, tum in iis quæ ad diuinum cultum ac Religionem pertinent, vt tandem diuinam & supernaturalem fœlicitatem assequeretur: quæ assertio generalis verissima est, cùm Deus non modò vt Author naturæ, sed etiam vt Author gratiæ ex prouidentiâ supernaturali Legem illam dederit, ac proinde non modò naturalem honestatem, sed supernaturalem quoque sanctitatem intenderit, ideóque lex dicitur spiritualis & sancta *ad Rom.* 7. & *Matth.* 19. atque *Luc.* 10. ad vitam æternam consequendam sufficere à Christo, quamdiu nimirùm illa viguit & obligauit, vt dicemus inferius.

Aio secundò finem quoque illius legis & Legisla- 4
toris fuisse præparationem & dispositionem excipiendi Christi qui apud illum populum nasciturus erat. Quare Paul. *ad Rom.* 10. vocat Christum finem Legis, vti suo loco explicabitur.

Vnde sequitur finem adæquatum & vltimum illius legis non fuisse temporalem; quamvis enim lex illa præcepta plurima contineret ad temporalem pacem, & fœlicitatem illius Reipublicæ vt iudicialia, ea tamen non faciebant totam Legem, sed partem dumtaxat, illáque ipsa tẽporalis fœlicitas, eiúsq; obtinendæ præcepta ad æternam fœlicitatem principaliter ordinabatur, quæ proinde fœlicitas supernaturalis erat finis vltimus & adæquatus totius legis.

Aio tertiò singula præcepta illius legis habuisse 5
fines suos proprios & immediatos, ipsas nimirùm rationes propter quas lata fuerunt, quæ variæ erant, & propriis actibus, & materiis de quibus ferebantur accommodatæ, ex cáque diuersitate finium proximorum distinguuntur inter se, cùm aliunde sumi nequeat specifica distinctio actuum, quàm ex finibus propriis ad quos ordinantur. Quare sicut in omnibus compositis heterogeneis licèt sit vnus finis proximus, & totalis totius compositi, singulæ tamen partes, suas habent diuersas rationes & fines proprios, sicut & diuersas naturas, ad finem tamen vnum totius compositi referuntur, ad illúmque sicut ad ipsam compositionem conferunt; ita in lege quamvis singula præcepta diuersam rationem & finem habeant, ad vniuersalẽ tamen totalem, & adæquatũ, atq; vltimum finem totius Legis referuntur, illique subordinãtur, & obtinendo commodant; quod in omni Lege tùm ciuili, tùm Canonica facilè fuerit aduertere, si singularum Legum naturas peculiares & proprias attendamus, & rationes propter quas singulæ latæ sunt. Nam omnes ad totius politiæ siue sacræ, siue profanæ finem vltimum conducunt, eiúsque tandem causa latæ sunt.

CAP. III.

CAPVT III.

De Nobilitate legis Mosaïcæ.

QVÆSTIO I. *De praeceptis legis Mosaicæ.*
QVÆSTIO II. *De effectibus legis Mosaica.*
QVÆSTIO III. *De æquitate legis Mosaica.*

HÆc Nobilitas colligenda maximè est ex eius materia siue præceptis, effectibus & insigni æquitate.

QVÆSTIO I.

De materia & præceptis legis Mosaïcæ.

Quid dicendum, n. 1.
Quomodo Lex habeat plura pracepta, n. 2.
Diuisio praeceptorum Mosaicorum, n. 3.
Quid sit δικαίωμα, n. 4.
Quid sit finis legis adaquatus, n. 6.
Pracepta moralia quanam, n. 7.
Praecepta virtutum Tgeologicarum, n. 8.
An pracepti actus interni, n. 9.
De praeceptis caremonialibus, n. 10.
Praecepta iudicialia, n. 11.
Consilia, n. 12.

1 ANimus non est totam materiam legis Mosaïcæ, singuláque eius præcepta explicare, id enim & immensæ foret operæ, & alieno loco fieret: Nos de singulis in operis decursu, provt sese dabit occasio id facturi sumus; hoc verò loco totam eiusmodi materiam & præcepta in vniuersum dumtaxat spectamus. Materiam legis appellamus id in quod cadit siue id de quo fertur Lex; præceptum autem est id quod circa eiusmodi materiam prohibetur aut imperatur, & modus quo quidpiam iubetur,& si propriè loquamur tum actus imperatus, vel prohibitus, tum præceptum quò iubetur, vel vetatur, est ipsa materia remota; præceptum verò materia proxima.

2 Ponendum imprimis legem Mosaïcam, non vnum dumtaxat, sed plura præcepta continere, quod ostendit S. Thom. 1. 2. *quæst.* 99. *art.* 1. Cùm enim præceptum feratur de aliquo quod est necessarium, vel vtile ad vnum aliquem finem comparandum, & plura sint vel necessaria vel vtilia ad eum finem consequendum, de illis omnibus dari possunt, immò & debent diuersa præcepta à prudente Legislatore, qui suis legibus intendit eiusmodi finis assequutionem: quare Lex ab eo lata vna dicenda erit ratione vnius finis, multiplex verò ratione multitudinis præceptorum quæ complectitur; immò & omnia præcepta eiusmodi lege contenta in ordine ad vnum finem qui per illa intenditur, vnum præceptum non malè dicetur, diuersa tamen & plura propter diuersitatem & multitudinem eorum quæ vsurpanda iubentur tanquam media ad illum finem. Ex quibus S. D. Sapienter explicat quod ait Paul. ad *Rom.* 13. Omnia mandata instaurari in hoc verbo, *Diliges proximum sicut te ipsum.* Et Christus ipse *Matth.* 7. 12. *Omnia quacumque vultis vt faciant vobis homines & vos facite illis. Hæc est enim Lex & propheta*: Quare tum Christus, tum Paulus totam legem vno dilectionis proximi præcepto contineri volont. Nam finis & scopus quem Lex sibi propouit est Charitas, vt ait Paul. *Prima ad Timoth. c.* 1. 5. Finis, inquit, præcepti est Charitas, quia nimirùm tota Lex πληροῦται impletur, obseruato mandato Charitatis, in id siquidem tendit omnis Lex, vt amicitiam, concordiam & pacem constituat, tum hominum ad inuicem in mutuis officiis, tum hominum ad Deum, quod totum obtinetur Charitate & dilectione; tum Dei tum proximi, cùm quis alteri non aliud facit, quàm sibi fieri vellet, quod Seuerus Imperator in ore perpetuo habuisse dicitur,& Appius locus in oratione sua apud Halicarnasseum persuadet, fuitque Iudæorum prouerbium, *Tob.* 4. 16. Charitas verò Dei hominem in iis quæ Deum respiciunt componit pacémque & amicitiā cum illo conciliat, eius denique cultum promouet: quia verò Charitas & dilectio Dei includitur in dilectione proximi, qui propter Deum diligitur, & duplex illa dilectio virtus Theologica est, atque ex plurimorum sententia ex vno & eodem habitu procedit quod olim 2. 2. Disputauimus, & iterùm quæremus *tom.* 2. Huius operis, fit vt vnum aliquando præceptum dilectionis dicatur vt *Rom.* 3. proximi scilicet, aliàs duplex, dilectionis proximi & Dei, *Matth.* 22. Et eo præcepto dilectionis vnum præceptum cætera mandata dicantur à Paulo instaurari, hoc est impleri & recapitulari omnem legem ἐντολὴν ἀνακεφαλαιοῦσθαι, Syrus vertit, contineri, nam ἀνακεφαλαιοῦν & κεφαλαιοῦν est Aristoteli & Platoni in summam contrahere. Alij dicunt præceptum dilectionis esse, τὸ καθ' ὅλου legis. Vniuersale videlicet præceptum in quo cætera omnia tanquam particularia, in vniuersalibus contineantur, ab ijsque sequantur siue per illationem & consequentiam, vt sunt omnia præcepta decalogi vel per rationem cuiusdam subiecti speciei, vt præcepta rituum & iudiciorum quæ in lege iuris θετικοῦ à Mose promulgati continentur, quæ omnia ad Dei & proximi dilectionem tuendam & conseruandam valent, *quare* sapienter S. Thom. *art.* 1. *citato ad secundum.* Concludit omnia præcepta veteris Legis vnum esse secundum ordinem ad vnum finem, & multa secundum diuersitatem eorum quæ ordinantur ad illum finem. Idem omninò volunt Hebræorum Magistri, dum dicunt omnia illa numero per multa præcepta in summam contracta esse à Dauide *Psal. XIV. Isai.* 33. 15. Vbi Deus viri pij characterem describit. *Qui ambulat in Iustitijs & Isai.* 56. 1. *Hac dicit Dominus custodite Iudicium & facite Iustitiam.* & *Micha. cap.* 6. 8. *Indicabo tibi ô homo quid bonum, & quid Dominus requirat à te, vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo*: Vbi Hebræus habet, & quid Dominus à te exigit, nisi facere quod Ius est: amare beneficientiam & submittere se vbi cum Deo res est, & *Abacuc. c.* 11. 4. *Iustus ex fide viuet*, fidem autem intelligit δι' ἀγάπης ἐνεργουμένην. Sicut & Christus *Matth. cap.* 22. 4. requirit ἀγάπην τὴν ἐκ πίστεως. Verùm quia contractior ista summa præceptorum legis Mosaicæ.

Aio secundò. Omnia præcepta veteris legis adæquatè diuidi in moralia, Cærimonialia, & iudicialia. Ita 3
S. Thom. 1. 2. *q.* 99. *art.* 5. Quem omnes passim sequuntur. Moralia sunt naturalia, siue quæ ad Legem naturæ spectant: Cæremonialia ad diuinum cultum proximè ordinabantur: Iudicialia ad optimum Regimen Reipublicæ pertinebant, quæ tria genera præceptorum significantur sæpiùs his verbis. *Pracepta, cærimonia & Iudicia*, aliàs præcepta vox continet tum præcepta naturalia, tum cæremonias, vt *Deuteron. IV.* 1. *audi Israel pracepta, & Iudicia* δικαιώματα, καὶ κρίματα, *Deut. IV.* 45. dicuntur testimonia Cæremoniæ, atque iudicia τὰ μαρτύρια, καὶ τὰ δικαιώματα, καὶ τὰ κρίματα. Lex verò

omnia ista comprehendit quare *cap.* Prior dixit ista est Lea ουτ☉ ὁ νόμ☉, & *cap.* 6. 1. Hæc sunt præcepta & cærimoniæ atque iudicia, Καὶ αὗται αἱ ἐντολαὶ καὶ τὰ δικαιώματα καὶ τὰ κρίματα. Quæ omnia deinde *vers. sequenti*, comprehendit nomine mandati & præcepti, vt custodias omnia mandata, & præcepta eius, πάντα τὰ δικαιώματα αὐτοῦ καὶ τὰς ἐντολὰς αὐτοῦ. Denique *eodem cap.* 6. 24. Vno verbo omnia complectitur, præcepítque nobis Dominus vt faciamus omnia legitima. Hæc πάντα τὰ δικαιώματα ταῦτα. Sanè legitimum propriè significat, quidquid à lege imperatur cuiuscumque tandem generis sit, siue morale, siue iudiciale, restringi tamen ad cærimoniale & illud proprijssimè significare caistimat Abulens. *Hoc loco.* Quia illud porè positiuum, est atque à sola Legistatoris voluntate ita sancientis pendet, cùm indiciale pendeat magis à ratione quod discrimen non satisplacet, cùm pleraq; ad Regimen Ciuitatis & politiam instituantur à Legislatoribus, quæ sapienter etiam aliter institui possent, & quæ non pendent ea iure naturali, quamvis sine ratione non instituantur, quod ipsum verum est in cærimonialibus, quæ non ita sunt in mero instituentis & præscribentis arbitrio, vt non sapienti ratione ducantur, quare illud δίκαιον, iustum, siue ius quod Aristoteles partitur *lib.* 5. *Ethicor. c.* 7. 15. τὸ φυσικὸν καὶ τὸ νόμιμον in legitimum, siue lege sola constitutum, & in naturale huc non pertinet, neque ostendit cur δικαίωμα propriissimè ius cerimoniale significet, vti comendebat Abulens. quamquam & ita sæpiùs reddatur à vulgato interprete, quod allata loca, & post Paulò adducenda demonstrant.

Quare, obseruandum est plura interdùm significare δικαίωμα, quorum præcipua attingit, Suidas, nósque de eius vocis apud Aristotelem acceptione disputauimus *cap.* 1. *superioris libri*: Est igitur δικαίωμα primò iustè factum, & maximè emendatio siue correctio iniustè facti ἐπανόρθωμα ἀδικήματι. Secundò causæ præsidium quodcumque & δικαιολόγημα κατάκλεισις εὐλόγοι ἀφορμή. 3. δικαιώματα ex Suida sunt idem quod νόμοι, ἐντολαί, κρίματα, itaque dici νόμον legem à Deo per Mosem datam, ἐντολάς verò mandata siue προστάγματα ioperata nominari. Veluti more regio mandatam & imperatam siue mandata iussáque continentem αἱ βασιλικαὶ ἐπιταχθέντα καὶ προσταχθέντα, dici quoque δικαιώματα, vt quæ iustum reddere possint ὡς δίκαιον τὸν κατορθοῦντα δυνάμενα, nimirùm legem perfectè seruando: significant & iudicia κρίματα, vt quæ diuina suffragia & iudicia demonstrent, & conuenientes remuoerationes illorum qui secundum legem aut contra illam vixerint ὡς τὰς θείας ψήφους ὑποδεικνύντα, καὶ τὰς ἀξίας ἀντιδόσεις τοῖς τε ἐννόμως, καὶ παρανόμως βιοῦσι. dicuntur μαρτύρια testimonia, αἱ διαμαρτυρόμενα καὶ ὑποδεικνύντα ὅσαις ὑποβληθήσονται ποιναῖς οἱ ταῦτα παραβαίνοντες, vt quæ testentur & demonstrent quibus pœnis subiiciantur, qui hæc Dei mandata violant. Denique δικαιώματα sunt ipsæ καταδίκαι condemnationes. Ex quibus vides ex Suida δικαιώματα, νόμον, ἐντολάς κρίματα. & μαρτύρια dici de tota Lege diuina secundum varios eius effectus, non de vna aliqua eius parte, aut secundum varia genera præceptorum & ordines, cum singula dici possint νόμοι, ἐντολαὶ δικαιώματα κρίματα, μαρτύρια, prove imperantur, & obligant, reddunt iustum ea seruantem diuina iudicia demonstrant, remunerant ea seruantes, vel violantes, easdem que pœnas testantur, quod etiam existimauit S. Thom. 1. 2. *q.* 99. *art.* 5. Quæ omnia quoque significant δικαιώματα, quæ vulgatus *Deut.* 6. 24. Reddidit *legitima* Nám apud Iurisconsultos legitimum est quod Lege siue veteri & antiqua, siue nouâ cōstitutum est, & tam personis quàm rebus, actionibus, & temporibus applicatur in iure, idque innumeris exemplis Brissoni, sæpius nihilominus in scripturis de cærimoniis & ritibus à Deo vsurpatur *Exod.* 12. 2. vbi de ritibus Phase. *Custodis verbum istud legitimum tibi & filiis tuis vsque in sempiternum.* τὸ ῥῆμα νόμιμον; & *vers.* 25. *obseruabitis ceremonias istas*, τὴν λατρείαν φυλάξεσθε *n. c.* 19. 21. vbi de ritibus quibusdam expiatoriis. *Erit hoc preceptum legitimum sempiternum* νόμιμον αἰώνιον. In quibus locis additur cū verbo & præcepto, alias absolutè pro cærimoniis vsurpatur illud νόμιμον αἰώνιον *Exod.* 28. 43. & *c.* 30. 21. *Leuit. c.* 6. 18. & *c.* 10. 11. absolutè ponitur omnia legitima πάντα τὰ νόμιμα, atque aliis locis quæ congessit Lorin. *in c.* 6. *Deut. v.* 24. Quare vides aliquando nomen Legis ad ritus & cærimonias contrahi, atque etiam vocem δικαιώματος licet & Legem ac præceptum, & varia alia significet, vt diximus, & quidquid iure constitutum est; vulgatus tamen interpres ad sacros ritus transtulit, quia erant iustificationes quædam externæ sic diait Paul. *ad Hebr. c.* 9. 1. vbi ait prius testamentum, haboisse δικαιώματα λατρείας τό τε ἅγιον κοσμικόν *Iustificationes cultura, & sanctum sæculare.* Prius nempè testamentum habuit mandata quæ pertinebant ad diuinum cultum, interprete Chrisostomo, & fusiùs Theodoret. sic fumin Moyses *in Deut. hac sunt iudicia iustificationes, quas loquutus est Dominus* filiis Israël, quas Theodoret. Oecumen. *in hoc cap.* 9. *ad Heb.* de præceptis ad sacros ritus pertinentibus exponont, ad quos pertinebat sæculare sanctom, siue tabernaculum in quo peragebantur sacra; Cur verò sanctum sæculare & κοσμικὸν dictum fuerit, fusiùs quærunt Theodoret. & Oecumenius.

Atque hactenus de variis Legis & præceptorum nominibus. quoad rem verò ipsam spectat. Dico illorum multitudinem ad tria summa capita, siue genera & ordines reduci moralia, cærimonialia, & iudicialia, ex vulgata interpretum partitione.

Moralia sunt illa quæ ad Legem naturalem spectant, quibusque singuli perficiuntur per bonos mores, quæque vocari solent, veloti per quandam Antonomasiam, præcepta & verba Dei, *Deut.* 4. verba vitæ *Act.* 7. quia continentur Decalogo quem immediate latū, à Deo, siue ab Angelo eios vices gerente consentiunt omnes, cum de cæteris aliqui dissentiant, & à Mose lata, diuinitos tamen illustrata dictata & sancita velint, vti *superiori capite* retulimus. Cærimonialia continent omnia quæ ad diuinum cultum & regimen spectabant, & iudicialia quæ ad totius Reipublicæ Iudaïcæ fœlicem & commodam administrationem desiderari poterant.

Ex quibus apparet partitionem istam præceptorum in tria illa vulgata genera adæquatam esse. Primò quia continet quidquid ad sacram & profanam politiam requiritur: dirigit enim Religionem & instruit hominem in his quæ Deom respiciunt, & proximum atque iostitiam, & denique in ordine ad se ipsum, qui tres ordines adæquatè complectuntur vniuersam disciplinam Ethicam & politicam, de qua ferri præcepta & sanciri Leges possunt: Neque diuina ista Lex aliud intendit quam instruere homines, tum in his quæ pertinent ad naturalem & necessariam honestatem ac rectitudinem, tum in his quæ ad diuinū cultum & politiam spectant: certum enim est *c.* 19. *Exod.* Deum sibi Iudæos in peculiarem populum suscepisse ex illóque singularem quandam Rempublicam & Regnum ad diuinum suum cultum, & vt loquitur, Sacerdotale Regnum instituisse. *Eritis mihi in peculium de cunctis gentibus mea est enim omnis terra. & vos eritis mihi in Regnum Sacerdotale & gens sancta.* Debuit igitur Deus dare Legem quæ illos ad bonos mores & Regnū Sacerdotale instiueret, quod præstitit triplici illo genere præceptorum, quæ faciunt hominem bonum in se & in ordine ad Deum, atque ad humanam Rempublicam. Nam præcepta moralia præcipiunt quæ simpliciter

citer & absolutè necessaria sunt ad bonos mores, sine honestatem naturalem. Et quia non potest homo esse bonus simpliciter in se, nisi talis etiam sit in ordine ad Deum, & ad proximum, ideo addita sunt præcepta de diuino cultu & politia, immo duos istos fines intendunt etiam ipsa moralia præcepta positiua, vt constat ex Decalogo, cuius prior tabula Deū respicit, posterior proximum ex vulgari diuisione; neque in his datur aliquod positiuū homini in ordine tantùm ad seipsum, quia non fuit necessarium aliquod eiusmodi specialiter & expresse sancire, cùm ea quæ ad diuinum cultū lata sunt, sufficerent ad bonū animi, ad bonū verò corporis non alia requirerentur quam ipsamet naturalia, absque vlla alia iustificatione & præceptione positiua. Cùm igitur finis adæquatus diuinæ legis fuerit instituere subditorum mores, quatenus sunt homines & Dei cultores atque Ciues, idque per tria illa genera præceptorum moralium, cærimonialium & iudicialiū fiat, sequitur tres illos ordines præceptorum adæquari fini legis, atque illi comparando sufficienter esse.

6 Ex quibus etiam sequitur finem adæquatum & vltimatum legis illius non fuisse merè temporalem, quamvis non negemus politicam pacem ac fœlicitatem internam & procuratam fuisse per præcepta iudicialia. Illa tamen non faciebant nisi partem quandam legis, & illa ipsa fœlicitas temporalis ad æternam ex primaria intentione dirigebatur, atque ad Religiosam institutionem sub vnius Dei veri cultu, de quo tam multa sunt constituta. Quare Suar. *lib. 9. de leg. c. 3. n. 8.* Existimat finem proximum & adæquatum illius legis comprehendisse finem legis Canonicæ & Ciuilis, quibus & religio & politia instituitur.

Neque verò triplex iste præceptorum ordo fini legis duntaxat adæquatur in vniuersum, sed etiam singuli ipsi ordines singillatim sumpti complectuntur quidquid in eiusmodi ordine & genere desiderari poterat ad obtinendum finem illum partialem legis, quod facilè ostenditur.

7 Nam imprimis præcepta moralia, quæ decalogo continentur, sunt principia iuris naturalis totius, aut ex ipso proximè & immediatè deductæ conclusiones præter quàm in iis quæ ad faciliorem illorum explicationem, vel obseruationem & determinationē feruntur, vt de sanctificatione Sabbathi addita sunt lege positiua de his & alijs quę circa hæc præcepta quęri possent & de quibus disp. S.Th. 1. 2. *q.* 100. tota. Egimus hoc ipso libro, vbi de iure æterno & naturali fusiùs.

Videri tamen possent vel superflua, vel manca & imminuta hæc diuinæ legis pars, superflua quidem, quia minimè necessaria erant hæc præcepta moralia de actibus virtutum quibus homo bonus in se fieret; quandoquidem Lex naturalis ipsos imperabat, & actus contrarios vetabat: Neque satisfacit ratio S.Thomæ 1. 2. *q.* 99. *art.* 1. Principalem intentionem legis humanæ esse constituere amicitiam hominum ad inuicē; legis verò diuinæ amicitiam hominis ad Deum, quæ amicitia obtineri nequit sine similitudine inter amicos, quæ similitudo est ratio amoris, non poterit fingi amicitia inter Deum qui optimus est, & homines, nisi ipsi boni sint, quales euadunt virtute quæ bonum facit habentem: fuit igitur Legislatoris, qui eam amicitiam procurare intendit, præcepta de actibus virtutum, quibus homines efficerentur boni, & ideò similes tradere, ac proinde dare præcepta moralia: hæc inquam ratio non placuit Caietano, quia cùm ipse S. D. fateatur legem humanam plurima de Religione & cultu diuino statuere si finem adæquatum habeat, amicitiam hominum ad inuicem, præpostero ordine virtutem Religionis ad eam humanæ societatis amicitiam referret. Et quæ subtiliùs *ibid.* disputat Caietan. non placet. probabilius respondet Vasq. *in eum A.* humanum Legislatorem intendere quidem ciuium & subditorum profectum secundum virtutem, & præcipuè secundum illas quæ maximè pacem & amicitiam Ciuium conciliant & tuentur, in quibus sunt tum Religio, tum Principes aliæ virtutes, quæ nobiliores multò sunt ipsâ amicitiâ, & pace ciuium; quæ vtrùm virtus distincta & particularis sit, disputari iure potest: Neque tamen præposterus est ille ordo; cùm enim bonum commune sit finis Legislatoris, illud procurare potest per media idonea, quæ licèt secundùm peculiarem suam honestatem nobilissima sint, ad finem illum tanquam media commodissima iure referri possunt. Et sanè bonū commune quod est perfectio Ciuium secundum omnem virtutem, est aliquid perfectius quacumque honestate virtutis peculiaris, quia illam cęterásque singulas continet, & Legislator sanciendo legem, bonum illud commune & perfectionem ciuium vniuersalem Ciuitatis intendit, ex eóque fine actus perfectionum siue honestatum peculiarium virtutum imperat, quas deinde exerceant subditi ex affectu honestatis peculiaris virtutis imperatæ, quàm tamen Legistator imperando non intendit & eligit, nisi tanquam medium ad finem quem primariò & adæquatè intendit. Et quamvis media semper in ratione medij sint ignobiliora fine propter quem eliguntur, illum tamen aliquando superant in ratione entis siue nobilitatis essentialis, cùm itaque humanus Legislator intendat bonum commune subditorum, & vt faciat illos bonos secundum vniuersalem aliquam perfectionem in certo aliquo genere morum, sapienter imperat virtutes quæ ad illam vniuersalem perfectionem in eo genere necessariæ vel commodæ existunt, atque ex diuersis eiusmodi finibus singulæ politiæ distinguuntur, habéntque diuersas leges & mandata vt Aristoteles & Plato disputāt: Quia verò Deus intendit facere hominem omni ex parte bonum & studiosum, idcircò omnes quoque virtutes imperat, quæ faciant hominem bonum in ordine ad se, ad Deum, & ad proximum. Hæc quidem vasquis ratiocinatio vera est, non soluit tamen difficultatem à S. Th. propositam, cur Deus præcepta moralia positiua dederit in sua lege, quandoquidem illa iam dederat per legem naturalem, de qua fusiùs nuper. Quare respondendum est quod ex eodem. S.D. retulimus aliàs, necessariam fuisse legem positiuam, tum diuinam, tum humanam, vt mentibus hominum prauitate excæcatis noua lux legis positiuæ affulgeret, & vt Lex naturalis distinctius explicaretur, & circa plurima determinaretur eiusque obseruatio pœnis aut præmiis propositis vrgeretur, vti videmus in imperato Decalogo, & explicat S.Thom. *quæst.* 100. *art.* 1.

Videtur etiam manca & imminuta Lex, eò quod nō 8
contineat præcepta fidei & Charitatis, quæ tamen necessaria sunt, vti contendit Caietan. *q.* 100. *art.* 5.

Respondet primò Idem Caietan *eo loco*, præcepta moralia ea omnia esse, nō modò quæ ex ratione naturali deriuantur, sed ea quoque quæ rationi naturali superiori lumine illustratæ cōsonant, neque aliud voluisse S. D. *eo art.* 1. *citato*, cùm dixit moralia præcepta esse de illis quæ secundum se ad bonos mores pertinent. Nam illud. *Secundum se.* Distinguit præcepta naturalia & moralia ab ijs quæ sola voluntate Legislatoris ponuntur, & quæ sublata voluntate illa, non constarent, eáque ratione præcepta fidei spei & Charitatis moralia, atque etiam quodammodo naturalia dici poterunt. *Quia secundum se*, & non ex voluntate Legislatoris posita sunt, quamvis supponant ipsam naturam rationalem superiori quodam lumine illustratam, vt ad eiusmodi actus obliget, ipsósque imperet, quod tamen non requiritur ad Cæterarum virtutum moralium actus imperandos. Verùm licèt fatendum sit præcepta moralia veteris Legis obligatura fuisse, quāvis diuino

præcepto

præcepto positiuo,& à naturali distincto non fuissent imperatæ, non idcircò dicendum est præcepta virtutũ Theologicarum esse aut naturalia, aut moralia, quia ratio naturalis non nisi lumine supernaturali illustrata ipsa præcipit, quod fatetur ipse Caietan. Non igitur naturalia vel moralia ex communi huius vocis acceptione dici debent, nisi velis omnia quæ natura rationalis ex superiori lumine,& auxilio facit esse naturalia, atque ita actus Theologici naturales quoque dicentur. Deinde hæc doctrina Caietani non satisfacit obiectioni, immò potiùs illam auget;si enim præcepta illa fidei,spei, & Charitatis moralia dici iure possint: Cùm illa non tradantur in lege veteri, sequitur legem eam quoad præcepta moralia non fuisse sufficientem, sed omninò mancam, vti obijciebant aduersarij.

Quare Respondent & alij, præcepta ista virtutum Theologicarum non pertinuisse ad legem, sed ad Euangelium, vnde fiat vt perpetuò Paulus distinguat fidem à lege *in epist. ad Rom.& ad Galat.* Verùm hæc responsio falsò supponit nullam fidem fuisse necessariam Iudæis ad salutẽ, si de illa debuit dari præceptum. Deinde alia sentit Paul. dicens legis notitiã non esse sufficientẽ ad salutem, cùm illa sola non subministret vires ad obseruationẽ legis, quod solus fidei spiritus præstat, vti ostẽdit Vasq.1.2.*d.*183.*c.*2.& nos *c.seq.* ostẽdemus.

Respondendum igitur est trium harum virtutum Theologicarum præcepta etiam Iudæis data fuisse. Neque aliud voluit Caietan. *l.c.* cùm ait hæc præcepta comprehendi sub moralibus;neque alia videtur esse S. D. mens *q.* 100.*art.* 1.cùm ait quędam esse moralia pręcepta ad quæ iudicanda ratio humana indiget instructione diuina per quam erudimur de diuinis. Et *art.* 3. ad Decalogum vult pertinere præcepta quæ statim ex principiis communibus, vel ex fide diuinitùs infusa innotescunt: hæc itaque præcepta dicuntur moralia, non quia à Theologalibus distinguntur, sed quia respiciunt actus liberos,& honestos qui morales dicũtur, sed quia respiciunt actus liberos, & honestos qui morales dicuntur. Quare tum virtutum Theologalium tum pœnitentiæ, tum aliarum qui necessarij sunt ad salutem, data sunt præcepta. Et S. Th. *q.* 100. *art.* 2. ait data esse pręcepta moralia de actibus omnium virtutũ, per quas homines ordinantur ad communicationem cum Deo: Eam verò communicationem esse dixerat. *q.*99.*art.*2. Quæ constituit amicitiam inter Deum & hominem, additque eam amicitiam esse non posse nisi homo sit similis Deo per bonitatem & sanctitatem, ex *Leuit.* 19. Ea porrò bonitas & sanctitas non fit nisi per actus fidei spei,& Charitatis. Neque difficile fuerit assignare loca in quibus hæc præcepta feruntur: Nam primò fidei quidem initio promulgati decalogi & primò præcepto *Exod.*20.& *Deut.* 6. *Audi Israel, Deus tuus vnus est.* Quod Monarchiæ præceptum vocant Ralbini,& tota illa Lex vnius Dei fidem tradit, præceptũ verò spei in præmiis quæ seruantibus legem promittuntur, satis euidenter continetur. Et denique præceptum Charitatis expressè traditur. *Deut.*6. 3. *Leuit.* 15. Dilectio Dei ex toto corde imperatur, Charitatem quoque & dilectionem proximi lege contineri, agnouit Christus. *Matth.*22.& Paul. *ad Roman.* 13. Dixitq; his duobus præceptis geminæ dilectionis vniuersam Legem & prophetas pendere, atque impleri, quod nuper monuimus.

9 Ex quibus omnibus relicies quod aliqui asserebant, vt ostenderent legem illam moralem imminutam videri, eò quod non præcipiat actus internos, sed solùm externos. Nam præceptum dilectionis ex tota anima & corde contrarium ostendit, vti constabit vti *tom.* 2. *Operis*, hoc præceptum explicabimus: Deinde in ipso Decalogo prohibetur concupiscentia. *Non concupisces vxorem proximi tui,non domum, nec agrum &c.* un ἐπιθυμήσεις. Et vocem Hebræam tum in Exodo, tum in Deuteronom. solent Græci reddere per ἐπιθυμεῖν, quâ voce non significatur, vt ait Philo *in Decalogum*, quilibet animi motus & visum animum excitans, φαντασία ἐγείρουσα τὴν ψυχήν, sed ipsummet πάθος ipse animi motbus: primum illum motum Seneca *l.*2. *de ira c.*4. Vocat motum non voluntarium, ictum animi qui ratione effugi non potest, alterum autem motum ait iudicio nasci, iudicio tolli, cuius duo sunt gradus: vnus nondum est contumax: alter iam est impotens qui rationem vincit! voces Hebrææ quas Græci per ἐπιθυμίαι, vt iam monui, reddunt, sępiùs non solos motus, sed propositũ & studium permanens significant, vt *Michea* 2. Quod peccandi propositum etiam non sequuto opere damnant ipsi Ethnici. Vnde illud Ouidij, *vt iam seruans benè corpus, adultera mens est.* Dio. *orat.*77. Porphyri. *lib. de abstinentia*, ipsique Iurisconsulti. Nam Triphonius adulterum dicit ex solo animi proposito, licèt alienam matrem familias non cortupetit, ineptiebant verò Rabbini qui hanc prohibitionẽ concupiscentiæ solius cõsilij & nõ præcepti vim habere sibi fingebãt, eò quod illi nulla pœna fuisset adiecta, quæ causa fuit Christo *Matth.* 5.27. contra eos disputandi, sed de his alias.

Denique vt videas sufficientem fuisse legem Mosaicam, quà parte continebat moralia, S.Th.1.2.*q.*100. *tribus prioribus articulis.* Omnia naturalia & moralia ad Decalogum illatiuè, vel reductiuè, aliáve quapiam ratione pertinere ostendit, quod explicauimus nuper, vbi de lege naturali,& singillatim egregia inductione demonstrat Grotius sub finem explicationis Decalogi.

Alterum genus præceptorum legis Mosaïcæ fuit cæremonialium, quæ diuinum cultum & religionem spectabant, quamuis enim natura dictet colendum esse Deum, determinandus tamen fuit ille cultus lege aliqua, ositiua, nequid vitij in illum irreperet, vti in falsorum numinum cultu contigisse legimus; idcircò præcepta de Religione voluit sancire Deus,& seruandos in ea ritus ac cæremonias præscribere. De vocis cærimoniæ Ethymo varias opiniones affert S. Thom. *q.*99.*art.*3.& nos alibi commodiùs, sicut & de illarum significationibus mysticis. Obseruo dumtaxat impræsentiarum sapienter S. Thom. omnia ista præcepta ad quatuor summa capita reduxisse *q.*101.*art.*4. Nimirùm ad sacrificia, Sacra Sacramẽta,& obseruationes. Sacrificia erant in quibus res aliqua destruendæ offerebantur Deo; Sacra erant res diuinis vsibus certò aliquo ritu, vnctione v. g. consecratione, benedictione, aliisue modis distinctæ, v. g. templum, altare, arca fœderis, vestes pontificiæ,& Leuiticæ festiuitates: Sacramenta erant rei alicuius Sacræ significatiua, vt Circumcisio, immolatio Agni Paschalis, Pontificis vnctio: Denique obseruantiæ quæ circa alia quædã diuino iussu obseruanda erant, ciborum mundorum, & immundorum discrimen ieiunia, vota Nazaræorum, & alia eiusmodi quæ maximè in Leuitico explicantur. Quæ singula sparsim hoc opere suis commodis locis tradantur, vbi & eorum causas, tum significatiuas rerum futurarum, tum litteras atque Historicas, tum denique morales quantum licuerit assignabimus, quod aliquatenus præstitit S. Thom. 1. 2. *quæst.* 102. 10

Tertium genus præceptorum veteris legis ex Magistris cõplectitur iudicialia quæ ad, quatuor capita reuocat S.Th. *q.* 104. Agebãt enim de omni parte Reipublicæ, de Principe creando & eligendo, eiusque iure, de æquitate & Charitate inter Ciues tenenda,& cõseruãda, de variis inter ipsos contractibus, alienationibus, & venditionibus, de mutuo de pignore, locato, conductio, de bellis gerendis, de matrimoniis, vxoribus ducendis, contrahendis nuptiis, de diuortiis, de successionibus ex testamento, vel ab intestato, de seruis & ancillis, de parentibus & filiis, de exteris & peregrinis, 11

de

de iudiciis, de imptoborum pœnis. De quibus omnibus sicut & de quatuor generibus cærimonialium præceptorum quæ cum S. Thoma assignabamus, singillatim per plura capita disputat Azor. *Prima part. institutio. moral. l. 6.* Nobis ad illa digredi non vacat. Ex quibus vides ingentem fuisse multitudinem præceptorum, quorum numerum iniuerunt diligentius Burgensis *l. 1. scrutiny scripturarum d. 8. c. 9.* Parisiensis *lib. de fide & lege.* Galatin. *lib. 2. de Arcanis cap. 4.* Et alij satis inutili diligentia.

12 His omnibus ad extremum Addo quædam fuisse in veteri lege, quæ non caderent sub rigore præcepti, sed potiùs Consilij, quod aduertit S. Thomas 1. 2. *q. 99. art. 5.* Quæ nominari dicit mandata, quia quaodam inductionem ac persuasionem habent.

QVÆSTIO II.

De effectibus legis Mosaïcæ.

Duplex legis effectus, n. 1.
An Lex Mosaica iustificarit, n. 2.
An saltem ex opere operantis, n. 3.
Obiectio prima de Circumcisione, n. 4.
Obiectio secunda ex actibus Theologicis, num. 5. 6. 7. & 8.

1 DVplex est legis effectus, vnus proximus & immediatus obligatio ad certum quoddam opus ponendum, aut non ponendum. Alter est facere bonum subditum per eiusmodi opus, de priori non agimus hoc loco, reijcimúsque in caput sequens, vbi de legis Mosaicæ obligatione disputabimus ex vniuersalioribus principiis tradendis inferiùs, vbi de lege humana disceptabimus. De altero effectu nimitùm de bonitate & sanctitate atque iustitia, quam causabat Lex Mosaica in subditis illam obseruantibus, & opera imperata facientibus, pauca quædam monenda sunt, quia fusior Tractatio præcipuæ controuersiæ, quæ hoc loco solet excitari, commodiùs in secundum huius operis Tomum reiicietur. Est enim duplex sanctitas & iustitia, vna externa, altera interna, priorem vocat Paul. *ad Heb. 9. 10.* δικαιώματα σαρκὸς, iustitiam carnis, alibi verò iustitiam legis, posteriorem iustitiam fidei & spiritus, iustitiam carnis exponit S. Thom. 1. 2. *quæst. 103. art. 1. 2.* Expiationem & emundationem ab immunditiis quibusdã externis & legalibus, quæ excludebant homines à diuino cultu, & sacrificiis ad quæ reddebant illos inidoneos. Itaque erant veluti quædam irregularitates quæ etiam cæremoniis legalibus tollebantur, vti exponit. S. Doctor *q. 103. art. 1. cit.* Et fusiùs immunditias illas explicárat *quæst. 102. art. 5. ad 4.* Iustitia igitur carnis erat expiatio eiusmodi immunditiatum, quam Iustitiam tribuebat illa Lex ritibus & sacrificiis ad hoc institutis, Iustitia spiritus est bonitas, & sanctitas interior, quæ culpam moralem excludit & expiat: quæ iustitia siue sanctitas duplex iterùm est, vna naturalis, atque ita qui opera bona moralia præstat, moraliter bonus dicitur & iustus. Et Lex quæ eiusmodi bonos & rectos mores suis præceptis promouet, dicitur suos subditos facere moraliter bonos: Alia verò est iustitia supernaturalis, quâ præter rectitudinem bonorum operum, & Iustitiam moralem, quam etiam aliqui dicunt Philosophicam, eò quod à Philosophis cognita & celebrata sit, qui idcircò illam dixerunt, rectitudinem, & bonitatem, siue virtutem vniuersalem affert diuinam gratiam quâ sanctificatur animus, & culpa omnis, peccatique macula abstergitur, eámque nomine Iustificationis Theologi & Consilium Tridentinum appellant. De hac nos Iustificatione modò disputamus, quærimúsque an Lex Mosaïca iustificaret per sui obseruationem Iudæos, siue illis gratiam diuinam & supernaturalem conferret, per quam culparum immunditia tolleretur, ipsíque iusti & sancti efficerentur. Nam priorem illam externam & carnis, atque etiam internam naturalem & Philosophicam per bona & recta opera, bonósque mores, quos imperabat, procurâsse nemo negat.

Quod verò attinet ad veram Iustitiam spiritus & fidei, siue supernaturalem Iustitiam, & gratiam, an eam contulerit Lex vetus, dubitatum quondam est nascente Ecclesiâ à quibusdam Christianis iudaisantibus, quos Paul. *Epist. ad Roman. & ad Galat.* damnat. Quare constantissima est Patrum omnium & Ecclesiæ assertio legem veterem non iustificasse, *ad Rom. cap. 3. ex operibus legis non iustificabitur omnis Caro. & ad Galat. 3. quoniam in lege nemo iustificatur apud Deum*, quin immò *ad Rom. cap. 7.* ait *legem operatam esse peccatum, & per peccatum mortem.* Et idcircò legem mortis appellat, occasionaliter nimirum, vti explicabimus *q. sequenti*: probátque hanc ipsam assertionem Paul. *ad Galat.* 11. Quia inde sequeretur inutilem fuisse, & minime necessariam Christi passionem. *Si per legem iustitia, ergo gratis Christus mortuus est*, id est sine causa. Mortuus siquidem est vt nos iustificaret, quod totum aliter obtinere poteramus, cùm iustificandis hominibus Lex sufficeret, & 11. *Corinth.* 3. Literam occidere ait spiritum, viuificare Literam, appellat legem literis exaratam, *& ad Rom. 5. Lex subintrauit, vt abundaret delictum, vbi autem abundauit delictum, superabundauit & gratia.* 2

Quod intelligendum est sine Legis detrimento, vt *q. seq.* dicemus cum August. & cæteris P. P. Vt ostendamus Legem sui obseruatores non posse iustificare nisi ex opere operato, vel ex opere operantis, neutro autem modo faciebant opera Legis Mosaïcæ. Quod de Cærimonialibus ostendit S. Thom. 1. 2. *q. 103. art. 2.* De moralibus *q. 100. art. 12.* De iudicialibus autem supponit, idcóque de illis non disputat. De omnibus verò demonstratur ratione allata, cùm id non faciant, neq; ex opere operato, neque ex opere operantis: non primùm, id enim fieret per cærimonias, sacrificia & sacramenta, aliósque eiusmodi sacros ritus, quos tamen omnes Paul. *ad Galat. c. 4. 9.* vocat τὰ ἀσθενῆ καὶ πτωχὰ στοιχεῖα, quæ nempè non poterant gratiam quâ peccata mundantur, conferre; neque enim hircorum aut vitulorum sanguine mundabantur peccata, vti pluribus prosequitur idem Apostolus *ad Heb. 9.* Quæ omnia distinctiùs, fusiúsque docebimus, vbi *de sacramentis nouæ & veteris legis, Tom. 2. huius operis.*

Non conferri quoque gratiam & sanctitatem internam per solius legis veteris opera, constat ex locis scripturæ adductis, atque etiam ex communi PP. sensu qui tam crebrò affirmant non legis opera, sed fidem, eiusque spiritum viuificare ad mentem omninò Pauli *ad Galat.* 3. Nam arguit Galatas quòd opera legis tanquã ad salutem & iustitiam consequendam necessaria vsurparent, à quibusdam Pseudo Apostolis fascinari, ideòque illos insensatos vocat, & ἀνοήτους. Quis vos, inquit, fascinauit non obedire veritati. τίς ὑμᾶς ἐβάσκανε τῇ ἀληθείᾳ μὴ πείθεσθαι: Est autem βασκάνειν fascinum, præstigij genus quo sensibus illuditur, vt quæ non sunt, appareant, & quæ sunt non appareant, idque Dæmonia opera fieri docet S. Th. & Delrio. *l. 3. disquisi. Magic. p. 1. q. 4.* Vide quoque Basil. *Homil. de inuidia.* Aphrodisæ. *problem.* 2. & alios. Videtur ductum nomen à Græco. quo significatur oculus malus, & inuidus, de quo *Deut. c. 28. 5.* in Græco: *sapient. 41. 12.* Ecclesiastici 23. 15. *Matth. 20. B.* conuerso in F. qua de re Agelli. *l. 16. c. 12.* Vt à βρέμω fremo, βασκαίνω vero, vnde βάσκανον, βασκάνιον βάσκανος, dicitur quasi φάεσι καίνω, hoc est, oculis sine aspectu occido. Fascinum verò Galatarum in hoc erat quòd non obedirent veritati Euangelicæ, 3

gelica, & adhuc operibus legalibus opus esse contenderent quasi Pseudo-Apostolorum aspectu & linguâ delusi & fascinati non viderent veritatem quam edocti priùs fuerant. Vnde subdit *vers.* 2. *Ex operibus Legis spiritum accepistis,an ex auditu fidei* & *v.* 5. *Quis ergo tribuit vobis spiritum,& operatur virtutes in vobis? ex operibus legis an ex auditu fidei.* Pergit deinde ostendere exemplo Abrahæ tum ipsum tum gentes quæ in eo eiúsque semine benedictæ sunt,ex fide non est operibus legis fuisse iustificatas & benedictas, atque adeò ex fide, & non ex lege fieri filios Abrahæ & *Vers.* 11. *Quoniam autem in lege, nemo iustificatur apud Deum manifestum est quia iustus ex fide viuit.*

4 Obiicies primò Circumcisione fuisse deletum peccatum originale, ac proinde collatam fuisse gratiam, & iustitiam ex opere operato & non operantis,vt constat: Hæc quæstio alibi tractanda erit, vti iam monui, dico dumtaxat tum Circumcisionem, tum aliud remedium antè Circumcisionem institutam ad peccati originalis deletionem, concurrisse dumtaxat tanquam signum quoddam necessarium, vt illo posito, peccatum illud deleretur, erat verò signum illud professio quædam & protestatio fidei in Deum, in Christum venturum, atque adeò non delebatur peccatum illud per Circumcisionem ex opere operato, sed operantis. Cùm neque Circumcisio, neque illud aliud remedium esset causa iustitiæ, sed signum dumtaxat ad profitendam fidem, sine qua professione non fuisset data iustitia, & sanctitas infanti. Quite illa parentum fides aliud non erat quàm conditio sine qua non; neque erat causa iustificans paruulum, & conferens gratiam ex opere operato, cùm neque illam contineret, vti *citato loco* explicabitur.

5 Obiicies secundò per opera virtutum Theologicarũ fidei,spei,& Charitatis pœnitentiæ & contritionis,aliarúmque virtutum, etiam moralium potuisse comparari iustitiam etiam supernaturalem,tum primam per Charitatem & contritionem,tum secundam,siue augmentum primæ iam acquisitæ quod ex fide, & Concilium Trident. *sessione decimaquarta, cap. quarto.* Certum est; atqui virtutum Theologicarum & pœnitentiæ actus præcipiebantur à Lege Mosaica quod, *q. superiori* ostendimus. Lex igitur Mosaïca per suos actus opera iustificabat.

Resp. Hoc eodem argumento demonstrari posse etiam legem naturalem æquè ac Mosaïcam iustificâsse, quia cùm in illa posset obtineri salus, debuit ipsa quoque cõtinere præcepta fidei,spei,Charitatis,& pœnitentię, sine quibus non potest haberi salus: Nemo tamen concedat hominem ex operibus Legis naturalis potuisse iustificari, alioquin vti de lege Mosaïca Paulus argumentabatur, Christus fuisset Gratis mortuus, cùm absque eius morte iustitia posset comparari.

Quare dicendum est, vt Lex aliqua dicatur iustificare, & dare gratiam sanctificantem, non satis esse vt præcipiat actus per quos iustificari quis potest,nisi simul præstet vires ad eiusmodi actus elicendos. Nam præceptum fidei & Charitatis non est fides & Charitas,quare licèt fides & Charitas suo modo iustificent,non idcircò præceptum imperans actus fidei & Charitatis iustificat, nisi vires ad illos eliciendos suppeditet, atque ita Dei spiritum fidei & Charitatis,vt loquitur Paulus; neque Lex Euangelica idcircò iustificat,quia dat præcepta fidei & alia ordinantia affectus humanos,sed quia dat spiritum gratiæ, spiritus sancti & fidei,quod sapienter obseruat S. Th. 1.2. *q.* 106. *art.* 2. Ait enim ad legem Euangelicam duò pertinere. Vnum quidem principaliter, gratiam nimirùm spiritus sancti interius datam, & quantũ ad hoc iustificare; alterum secundariò, scilicet documenta fidei & præcepta ordinantia affectus humanos, & actus. Et quantum ad hoc legem nouam non iustificare, quod probat ex illo Paul. 2. *ad Cor.* 3. *Litera occidit, spiritus autem viuificat.* Et August. *lib. de spiritu & litera cap.* 14. Nam per literam intelligitur qualibet scriptura extra homines existens etiam moralium præceptorum,qualia continentur in Euangelio: vnde etiam litera Euangelij occideret, nisi esset interius gratia Dei Sanans. Neque ab eo sensu abit Hieronym. *Dialogo* 3. *aduersus Pelagian.* Quia igitur lex Mosaïca non suppeditabat vires & auxilia gratiæ necessaria ad ponendos actus,quibus iustitia & peccatorum remissio obtinetur, non poterat dici iustificare, quamvis illos imperaret. Lex, inquit S. D. quamvis præcepta charitatis daret, non tamen per eam dabatur spiritus sanctus per quem diffunditur Charitas in cordibus nostris. Ratio igitur vniuersalis est, quia nulla Lex iustificat præcipiendo, sed iuuando, ex constanti doctrina Theologorum.

Verùm, inde exurgit grauis difficultas, nam Lex vetus imperans actus supernaturales quorum aliqui etiam primam gratiam & iustitiam producunt,vt Charitas & perfecta contritio, omnes verò conferunt secundam iustitiam siue augmentum primæ iustitiæ iam acquisitæ, dedit quoque vires supernaturales & necessarias ad eiusmodi actus eliciendos, alioquin non modo inutiliter illos imperasset, sed etiam iniustè, vtpotè impossibiles. 6

Respondent Primò aliqui non defuisse in illa Lege auxilia necessaria ad actus supernaturales imperatos, ea tamen auxilia non fuisse data, & multominus debita vi illius Legis & status, aut cuiusquam principij, tituli, vel causæ pertinentis ad illam Legem & statum, sed ex Lege gratiæ futura,& per merita Christi venturi; omnem enim gratiam collatam antiquis PP. fuisse datam per merita Christi futuri, latè docuimus in materia de incarnatione,& iterum dicemus inferius. Cùm itaque gratia & auxilia supernaturalia neque darentur,neque promitterentur ex vi Legis siue naturalis,siue Mosaïcæ,non poterant dici illæ Leges iustificare,sed vna sola Lex Euãgelica quæ & Christi merita continet,& iam tunc quâvis & nondum existens sed adhuc futura sperabatur, quod mirum videri non debet in operationibus moralibus, quæ non requirunt existentiam moralem suæ causæ, sed moralem dumtaxat, qualis est quæ certò & reipsa futura est,vti videbimus in fine. Denique quoquomodo explices operationem meritorum Christi antequam reipsa existerent, certum est omnibus retrò sæculis antequam Christus realiter existeret illa operata fuisse in antiquis patribus priusquam in rerum natura posita fuissent, ac proinde tum primam iustitiam, tum illius augmentum siue secundam iustitiam acquisitam fuisse ex fide & Christi meritis, & non ex vi & efficacia legis, siue naturalis siue Mosaïcæ. Ita Suar. *lib.* 9. *de legib. c.* 7. & alij passim.

Hæc tamen doctrina quamvis verissima sit, & vltrò fateamur omnem gratiam exhibitam perpetuò fuisse post Adami lapsum ex Christi meritis, sicut & hodie datur, nihilominus non satisfacit obiectioni, neque ostendit veterem Legem non iustificasse, quandoquidem ipsa quoque habuit promissam Christi gratiam necessariam ad obseruationem suorum præceptorum, non modò promissam ex Christi meritis, sed & reipsa quoque exhibitam; quandoquidem plurimi Legem illam obseruarunt, etiam quoad actus supernaturales imperatos; & Moyses post promulgatam legem illam expressè promittit; cum *Deuteron.* 30. ait facilem fore mandatorum omnium obseruationem, & cui nullam difficultatis exceptionem prætexere queant: *iuxta est sermo valdè in ore tuo & in corde tuo, vt facias illum, quod refert Paulus ad Rom.* 7

Rom. 10: *iuxta* est inquit, *Sermo val de propè est verbum in ore tuo & in corde tuo*, hoc est, *verbum fides quod prædicamus*: Sanè verbum illud, *fidei*, aliud non est, quàm spiritus gratiæ & fidei per quem lex impletur & obseruatur, iustitiámque ex illo spiritu obseruatam, vocat, deinde iustitiam Dei; & tandem concludit, *finis legis Christus ad iustitiam omni credenti*, hoc est, complementum & consummatio legis quæ in obseruatione consistit & Christus per fidem creditus, vbi sapienter exponit Vasq. 1.2. *disp.* 183. *cap.* 2. *n.* 5. Cùm itaque æquè legi Mosaïcæ, atque Euangelicæ promissa fuerit Christi gratia & reipsa exhibita; eo modo quo Christus fuit occisus ab origine mundi, dici nequit vnam potiùs legem iustificare, quàm aliam, cùm in vtraque & vi ipsius suppeditatæ fuerint vires sufficientes & necessariæ ad actus, quibus iustificatio comparatur & augetur. Quare alij discrimen hoc loco petunt à Sacramentis vtriusque legis, quòd illa nouæ legis causent gratiam, non verò veteris.

Verùm non agimus modò de spiritu fidei & gratiæ qui per Sacramenta communicatur, sed de spiritu illo qui extra Sacramenta ad actus à lege imperatos præstandos exhibetur, & prout intelligitur in vtraque lege, cùm & Paul. *ad Corinth.* 15. moneat Corinthios saluari per Euangelium quod ipsis prædicauit, & quod acceperunt, quod de solis Sacramentis accipi non debet, cùm præter illa, Euangelium plura alia contineat, & non salus per sola Sacramenta, lex quoque vetus saluauerit per actus supernaturales, & mandatorum diuinorum obseruationem, & non tantùm vi Sacramentorum, quæ licèt non essent tunc causa gratiæ sanctificantis, erant tamen illius certa signa à Deo posita, quibus gratia Christi suscipientibus conferenda & promissa erat.

8 Quare tertiò obseruat Vasq. 1.2. *disp.* 183. *n.* 7. ex S.Thoma *ibid. q.* 106. *art.* 1. Legem Euangelicam distingui in legem inditam & scriptum: prior est ipsa gratia spiritus sancti cordibus hominum infusa, quæ dicitur apud Paul. *Lex fidei & spiritus*, hoc est auxilium gratiæ, quod per fidem nobis communicatur; lex autem scripta in tabulis vel lapideis, vel cuiusvis alterius generis, sunt præcepta quæ continet lex, & quæ in lege noua sunt, vel sicut dispositiua ad gratiam spiritus Sancti, vel sicut ordinatiua ad vsum gratiæ ait S.D. *illo art.* 1. *ad* 1. Vbi addit alia esse dispositiua quoad intellectum, alia quoad affectum: nam quoad intellectum fides confert ad gratiam, Euangeliũ autem docet quæ faciunt ad Christi diuinitatem & humanitatem; affectus disponitur ad recipiendam eandem gratiam per ea quæ docentur de contemptu mundi vsus quoque spiritualis gratiæ est in operibus virtutum ad quæ variis modis Euangelium hortatur homines: cùm autem ex *lib.* 9. *Ethic.* id maximè vna quæque res fit, quod in ea potissimùm esse videtur, & quod in lege noui testamenti potissimum est, & in quo tota eius virtus consistit, sit gratia spiritus Sancti, quæ datur fidelibus per fidem Christi, sequitur legem nouam & Euangelicam esse principaliter ipsam gratiam spiritus Sancti fidelibus Christi communicatam: cæterá quæ continentur in lege noua veluti secundaria, sunt vel dispositiua ad gratiam spiritus Sancti, vel ad eius vsum pertinentia, de quibus oportuit instrui fideles Christi & verbis & scriptis, tam circa credenda quàm circa agenda. Ex quibus tandem concludit, principaliter legem nouam esse legem inditam, secundariò autem esse legem scriptam probat hanc duplicem legem ex Paulo *ad Roman.* 3. vbi legem fidei, & legem factorum distinguit. *Vbi est ergo gloriatio? exclusa est? per quam legem? factorum? non? sed per legem fidei.* De distinctione huius duplicis legis fusiùs Augustin. *lib. de spiritu, & Litera à cap.* 13. ostenderat Paul. æquè Iudæos atque gentiles peccasse, & obnoxios esse diuinæ iustitiæ, atque adeò agere propitiatione & Redemptione Christi. Vnde concludit nihil habere Iudæos vnde se præferrent iactabundi & gloriabundi gentilibus: Quare velut insultans ait, vbi est gloriatio tunc exclusa est, reiecta, explosa, & extincta per legem fidei, non factorum. Nam licèt acceperis legem in qua plorima moralia, & cærimonialia, atque iudicialia præcepta præscribebantur, quia imperauit illa quidem quid faciendum esset, & ostendit, non dedit tamen vires. Lex autem fidei quæ est ipse spiritus fidei & gratiæ, apprehendit iustitiam, & præbet auxilium, & gratiam ac vires ad facienda opera præscripta. Est porrò lex communicata Iudæis, vt legem factorum, quæ tantùm ostendit quæ facienda sunt obseruarent. Ne eiusmodi lex esset illis potiùs occasio peccandi quam iustitiæ. Neque dicas spiritum fidei, gratiæ eiúsque auxilium ad opera quibus iustitiam apprehendimus, ad illámque promouemur, impropriè admodum legem vocari, cùm nihil præcipiat. Nam simili loquendi modo vtitur Paul. *ad Roman.* 7. Cùm nominat legem peccati, & legem membrorum ipsum appetitum sentientem, quia inclinat, inuitat & quodammodo cogit ad malum, etiam quodammodo inuitum, qui sunt effectus legis quæ ad aliquid præstandum, aut omittendum inducit. Quâ similiratione ibidem nominat legem mentis, cui lex membrorum resistit; quia repugnat rationi cui consona est, tum lex naturalis, tum Mosaïca. Ratio verò lex mentis est, illâ siquidem regi debet animus, ipsámque sequi obligatur, a qua consensione & obseruatione lex membrorum siue concupiscentiæ fomes hominem auertit: immò vt obseruat S.Thom. *lect.* 4. *in illud cap.* 7. *ad Roman.* peccatum in peccantem Dominium accipit, & ei legem imposuit, quod est fomes sicut Victor victo. Deinde quia Deus peccanti homini pœnam hanc inflixit, vt rationi vires inferiores non obedirent; hæc ipsa inobedientia quæ dicitur fomes, lex quoqua nominatur: in quantum est per legem diuinæ Iustitiæ introducta, sicut sententia iusti iudicis legis locum obtinet. Quæ omnia habet S.Thom. *lectione citata*. Satis nobis est, hoc loco ostendisse legem aliquando nominari à Paulo, quod nos ad quidpiam impellit, quamvis non præcipiat aut cogat semper, itáque dici legem peccati, legem membrorum, & legem mentis, & simili ratione legem spiritus vitæ in Christo *ad Rom.* 8. 2. *νόμος τοῦ πνεύματος τῆς ζωῆς ἐν χριστῷ ἰησοῦ*, quæ lex liberauit hominem à lege peccati & mortis. Nam sicut lex peccati non est lex præcipiens peccatum sed causans illud, dum ad ipsum inclinat: Ita lex spiritus vitæ non datur per modum præcepti, sed est ipsemet spiritus qui causat vitam animæ, & consequenter liberat à peccato, & morte atque damnatione, quæ nulla est, vt ait Paul. *ibid.* iis qui sunt in Christo Iesv, qui non secundum Carnem ambulant, quia illi habent spiritum Christi, qui est vita in Christo. Quare sapienter S. Thom. *lect.* 1. interpretatur hanc legem spiritum Sanctum: lex spiritus, id est lex quæ est spiritus: lex enim ad hoc datur, vt per eam homines inducantur ad bonum, & Ciues faciat bonos, quod lex humana facit, solùm notificando quid fieri debeat: sed spiritus Sanctus mentem inhabitans non solùm docet quid oporteat fieri, mentem illuminando de agendis, sed etiam affectum inclinat ad rectè agendum. Alio quoque modo lex spiritus potest dici proprius effectus Spiritus sancti, scilicet fidei per dilectionem

operans, quæ quidem & docet interius de agendis secundum illud 1. *Ioan. cap.* 2. *vnctio docebit vos de omnibus*, & inclinat affectum ad agendum secundum illud 2. *Corinth. c.* 5. *Charitas Christi vrget nos.* His addit. S. D. maximè in rem nostram: Et hæc quidem lex spiritus dicitur lex noua, quæ vel est ipse spiritus Sanctus, vel eam in cordibus nostris spiritus Sanctus facit. *Hieremia* 31. *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum superscribam eam.* De lege autem veteri supra solùm dixit quod erat spiritalis, id est data à spiritu Sancto. Quarè quatuor leges inductas esse à Paulo notat S. Thom. Primò quidem legem Moysi, de qua dicit *condelector legi Dei secundum interiorem hominem.* Secundò legem fomitis, de qua dicit *video aliam legem in membris meis.* Tertiò legem naturalem, secundum vnum sensum, de qua subdit *repugnantem legi mentis meæ.* Quartò tradit legem nouam, cùm dicit *lex spiritus*, & addit, *vitæ*: quia sicut spiritus naturalis facit vitam naturæ, sic spiritus diuinus facit vitam Gratiæ *Ioan. 6. spiritus est qui viuificat* Ezech. 1. *spiritus vitæ erat in rotis.* Addit autem, *in Christo IESV*, quia scilicet iste spiritus non datur nisi his qui sunt in Christo IESV. Sicut enim spiritus naturalis non peruenit ad membrum quod non habet connexionem ad caput, ita spiritus Sanctus non peruenit ad hominem qui non est capiti Christi iunctus, quæ omnia ex scripturis ostendit. Cùm igitur S. Th. dicat hoc loco legem nouam esse legem spiritus modo explicato, & 1. 2. *q.* 106. *art.* 1. dixerit, vti referebamus, præcipuum quod est in Euangelio, & à quo denominari debet esse spiritum & gratiam, siue spiritum fidei & gratiæ, qui solus est spiritus vitæ, qui à lege peccati & damnatione mortis liberat, necessariò dicendum est solam legem nouam & Euangelium iustificare. Non verò quampiam aliam legem, siue naturalem siue Mosaicam, immò neque Euangelicam, si secundum solas præceptiones sumatur, & non secundum spiritum fidei & gratiæ, qui est id quod in ea præcipuum est, vti nuper monebamus, & cum Augustino interpretabamur illud Pauli. *Litera occidit, spiritus autem viuificat*: quamvis autem hic spiritus gratiæ & fidei communicatus ab ipso mundi initio fuerit ad seruandam legem, siue exteriùs, siue interiùs sonantem, dicitur tamen spiritus Christi, quia eius meritorum intuitu communicatus fuit: neque aliis datus, quàm iis qui fuerunt in Christo IESV, siue cum illo coniuncti, vti ostendimus *in tractatu de Incarnatione*, & hoc ipso opere suo loco dicetur iterùm: Quare si sumamus Euangelium pro spiritu gratiæ cum S. Th. incæpit illud ab initio mundi: si verò quatenus continet noua quædam præcepta, non incæpit nisi in Aduentu Christi. Atque eo sensu capiendus est S. Thom. 1. 2. *q.* 106. *art.* 3. quod monet Vasq. 1. 2. *disp.* 183. *n.* 12. & 13.

QVÆSTIO III.

De æquitate & dignitate legis Mosaïcæ.

Lex Mosaica sancta n. 1.
Obiectiones ex scripturis diluuntur numero 2.
Quid sint præcepta non bona apud Ezechielem n. 3. 4. 5. 6. & 7.
Obiectio ex Paulo & reiectio num. 8. 9. 10. & 11.
Obscuritas Pauli vnde n. 11. & 12.
Voces vsurpat contra vsum communem numero 12.
Canon intelligendo Paulo n. 13.
Vocum quarundam explicatio apud Paulum n. 14.
Vox peccati & concupiscentiæ ibid.
Vox Carnis & spiritus n. 15.
Homonymia vocis legis n. 16.
Explicantur ea quibus Paulus videtur damnare legem Mosaicam n. 17. 18. & 19.
Quid sit peccatum regnare in nobis numero 19.
Explicatur caput VII. Epistola ad Romanos n. 20. 21. & 22.
An lex sit perfecta n. 23.
Prima imperfectio negatiua n. 24.
Aliæ imperfectiones & defectus num. 25. 26. & 27.
Perfecta tamen est in suo genere n. 28.
A lege Mosaica externi Phylosophi suam politiam hausêre n. 29.

SAnctitatem, & dignitatem legis Mosaïcæ, nemo sanus indubium reuocare posse videtur, cùm ex hactenos disputatis, constet illam Deo primario & immediato Authore sancitam fuisse, præcone dumtaxat Moyse, & ministris Angelis. Quare non immorandum nobis est in confutandis impiis hæreticis, qui à malo principio, siue mala quadam virtute Constitutam somniabant: cum Simone mago apud Epiphani. *Hæres.* 21. Theodor. *lib.* 1. *de hæretic. Fab.* Clemen. *lib.* 6. *constitut. cap.* 20. quod ipsum tribuit Carpocratianis August. *lib. de hæres. cap.* 7. & Cerdoni *ibid. cap.* 21. Martioni verò Origen. Tertullian. & alij qui aduersus eum disputârunt, quem errorem amplificarunt Manichæi apud August. *lib. de hæres cap.* 46. & *lib.* 1. *contra faust.* & *lib. contra Aduersarium legis & Prophetarum*: simile quid alij tribuunt Polemaris, Caianis, Albanensibus, Archonticis, Seuerianis, de quibus vide Hæret. leges nos aliò properamus. Errorem istum sibi persuaserunt, eo quod mala seuera & iniqua lex non potuerit à bono Deo sanciri, nos verò è contrario legis sanctitatem colligimus ex Deo legislatore, qui nihil iniquum præscribere potest, & cui, vt ait Iob. *cap.* 36. non est similis in legislatoribus; sanctitatem prætereà ipsius legis per se se spectatam sæpiùs scriptura testatur. 1

Quamvis enim sæpius sanctitatem diuinæ legis scriptura testetur, vt Psalm. 18. *Lex Domini immaculata, testimonium Domini fidele, iustitia Domini recta, præceptum Domini lucidum*, & Paul. *ad Roman.* 7. *Itaque lex sancta, & mandatum iustum sanctum & bonum.* 2

Objiciunt tamen aliqui tum aliqua scripturæ loca quæ in contrarium quidpiam significare videantur, tum præcepta aliqua legis huius quæ & dura & iniqua censentur; quare eiusmodi calumniæ nobis paucis diluendæ sunt. Ordior à scripturis quas nobis opponunt. 3

Atque imprimis illud Ezechiel. 20. *Et dedit eis præcepta non bona, & iudicia in quibus non viuant & pollute eos cum muneribus suis, cùm offerrent omne quod aperit vuluam.* Hæc verba plurimum interpretum exercuerunt ingenia, Nam imprimis de præceptis cærimonialibus

nialibus, quæ non bona dicuntur quia non præstabant sanctitatem, & veritatem quam significabant, exponunt S.Thom. 1. 2. *quæst.* 98. *art.* 1. *ad* 1. Chryſ. *hom.* 17. *in Acta & in priorem ad Corinth. hom.* 7. Iustin. *Dial. cum Trypho.* Aug. *Ep.* 9. *ad Hieron.* Theodoret. & alij. Neque tamen reddunt rationem cur de solis præceptis cærimonialibus eo loco agi velint, cùm *ibidem* æquè dicat Deus se dedisse iudicia in quibus non viuent.

Secundò, Non bona præcepta interpretantur non perfecta, quæ cum aliis perfectioribus in Euangelio ferendis comparata dici possunt non bona, non quidem absolutè, sed comparatiuè; sæpiùs enim in scriptura negatur aliquid inesse alicui, quod alterius comparatione existimatur exiguum: sic Sodoma & Samaria quamvis sordibus contaminatæ, comparatione tamen Iudææ dicuntur iustæ, *Ezech.* 16. *Iustificasti sorores tuas in abominationibus tuis.* & *Genes.* 25. 28. Isaac non amâsse Esau, & Rebecca Iacobum amâsse dicitur; non quod Isaac Iacobum non amaret & Rebecca Esau, sed quia vnum præ alio amabant, & *Luc.* 14. 6. ait Christus. *Si quis venit ad me & non odit Patrem suum & Matrem, & vxorem, non est me dignus*: non imperat Christus odium Patris aut vxoris, sed amorem ita diuino inferiorem, vt eius comparatione dici potiùs odium possit, quàm amor, quod ipsemet Christus disertè exponit *Math.* 10. 35. *Qui amat Patrem aut Matrem plus quàm me, non est me dignus.* Simili ratione præcepta cærimonialia veteris legis ità imperfecta erant, si cum Euangelicis comparentur, vt quodammodo non bona dici queant, eáque est Ambros. *serm.* 16. *in Psalm.* 118. Gregor. *lib.* 28. *moral. cap.* 17. Cassian. *collat.* 13. *cap.* 4. Mens. Non agimus tamen hoc loco de perfectione horum præceptorum quam minorem esse si cum Euangelicis comparentur, vltrò fatemur, sed de ipsamet bonitate, quam videtur negare Deus qui paulò ante *eod. capite* Iudæis exprobat se dedisse præcepta bona in quibus viuere possent, vt statim dicam. Ergo bonitas quam negat inesse istis præceptis, est opposita illi quam paulò superiùs inesse affirmabat.

4 Vnde reijcias omnes illas, aliásque plures expositiones quæ licèt veram doctrinam contineant, non cohærent textui, sed potiùs cum illo pugnant: Nam *v.* 11. & *dedi eis præcepta mea, & iudicia mea ostendi eis quæ faciens homo viuet in eis.* deinde quæritur ea præcepta non fuisse seruata *v.* 13. & *Irritauerunt me Domus Israël in deserto, in præceptis meis non ambulauerunt, & iudicia mea proiecerunt quæ faciens homo viuet in eis,* & v. 21. *In præceptis meis non ambulauerunt, & iudicia mea non custodierunt vt facerent ea, quæ cum fecerit homo, viuet in eis.* Vides perperuò affirmare Deum se dedisse Iudæis præcepta, & iudicia bona, vtpotè in quibus viuerent, & tamen subinde *v.* 25. ait, *Ergo & ego dedi eis præcepta non bona, & iudicia in quibus non viuent*: Hæc igitur præcepta sunt & diuersa ab iis quæ primùm illis in deserto dederat, Immò illis prorsus opposita, cùm priorum obseruatio contineret vitam, non posteriorum; quæ oppositio diuersorum istorum præceptorum confirmatur ex præcepto Sabbathi, quo sanctificabantur filij Israël, quod opponit cum aliis sacrificiis quibus polluebantur quæ cum præceptis perpetuò coniungit Deus. Nam vbi dixit v. 11. *Et dedi eis præcepta mea & iudicia mea ostendi eis quæ faciens homo viuet in eis.* addit v. 12. *Insuper, & Sabbatha mea dedi eis, vt essent signum inter me & eos, & scirent quia ego Dominus sanctificans eos.* Deinde vbi quæritur non obseruatis præceptis & iudiciis, quæritur quoque de violatis Sabbathis *v.* 13. 16. 19. 20. 21. & 24. Et tandem propter hanc præceptorum & Sabbatorum violationem ait *v.* 25. se dedisse *præcepta non bona, & iudicia in quibus non viuent.* & statim *v.* 26. & *pollui eos in muneribus suis*: hæc igitur oppositio præceptorum quæ tamen Deus se dedisse affirmat, explicanda est, & quomodo aliqua fuerint bona in quibus ea seruantes viuerent, alia fuerint non bona in quibus non viuerent docendum, quod tamen non faciunt hactenus allatæ explicationes.

Neque illa alia Rabi Salomonis apud Lyran. Clement. *lib.* 6. *constitut. Apostoli cap.* 251. August. *in quæst. ex veteri testam. q.* 44. & quorumdam recentiorum, præcepta non bona nominari, quia fuerunt materia & occasio grauioris duriorísque supplicij, quia si non habuissent legem, non adeo grauiter peccâssent, neque proinde grauiori supplicio fuissent obnoxij. Durius siquidem puniantur qui legibus tenentur, quàm qui sunt à legibus soluti, verum hac ratione æquè dici possent præcepta & iudicia primùm in deserto data fuisse non bona. Cur igitur Deus ait se propter violata sua illa præcepta & Sabbatha dedisse præcepta non bona, & iudicia in quibus non viuent. Nam & priora illa fuêre causa siue occasio grauioris supplicij ipsorum violatoribus. 5

Non satisfacit etiam qui existimat commune illud xxv. quod versamus, legendum esse cum interrogatione hoc sensu. Itáne erant præcepta non bona quæ ego tradidi, vt contemnanda viderentur? Itáne munera quæ offerri iussi polluta erant, vt mihi offerri non debuerint, sed Idolis? Verùm nihil est vnde hæc lectio contra ipsius contractus Acolythiam probari valeat. 6

Quare existimarim præcepta non bona hoc loco esse præcepta aspera dura, & seuera, quæ tum à Tyrannis sunt illis imposita, tum à me in ipsos decreta in vltionem criminum quæ violando mea præcepta commiserunt. Ita Maldonat. Et prad. *in Ezechiel.* Vasq. 1. 2. *q.* 98. *art.* 1. Neque abest Suar. *lib.* 19. *de legib. cap.* 4. *n.* 5. & 6. Sancti. *in Ezech. cap.* 20. *n.* 61. & 62. Sequor sine dubio Hyeron. *in idem caput.* Quare hæc præcepta non tam sunt à Domini præcipientis imperio, quàm à non impedientis permissione: dedit siquidem Deus præcepta non bona, quia in nefaria sacra, & impium Idolorum cultum, quæ suas habent leges & cærimonias diffluere permisit; siue, vt eleganter exponit Sanctius, hæc præcepta prioribus quæ Deus ipse tanquam bona laudauerat in quibus viuere potuissent, cum istis posterioribus non bonis componens. Dedi eis præcepta bona & iugum leue, quibus si parere vellent vitam agerent iucundam, & rebus omnibus affluentem: in terra, quæ lacte manabat, & melle: sed quia præcepta mea bona contempserunt, feci vt alia subirent præcepta non bona, aspera videlicet & dura à Tyrannis imposita, aut à me in illorum capita decreta, qualia sunt, gladius, fames, pestis, & iugum verè ferreum, quo ceruix frangatur indomita, & spiritus ambitiosi ac vani deprimantur. Quare non viuent ij quibus mandata illa non bona imposita fuerint, quia aut morientur gladio, fame, peste, aut quia vitam agent eiusmodi, vt cum morte meritò computari possit. Non abest ab hoc sensu Chaldæ, quem sic expressit Grotius. Mentem ipsis ademi, ita vt meis legibus contemptis, ipsi sibi leges facerent, atque mortiferas, pollui eos in muneribus quia permisi vt sacrilegia sacra facerent: similia habet Vatablus. Quia noluerunt legibus meis parere, abieci eos, permisique vt legibus iniquissimis vrgerentur, quarum obseruatio mortem eis afferret. Vnde ille Sarcasmus *v.* 39. & *vos singuli post Idola ve-* 7

stra ambulate; & seruite eis. Sic dixit Paul. *ad Rom.* c. 1. *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam, vt contumeliis afficerent corpora sua.*

8 Confirmatur hæc expositio ex totius capitis contexto: cùm enim anno septimo à transmigratione Iechoniæ die decima mensis quinti, qui nostro Iulio respondet, quidam inter captiuos principes & Seniores accessissent ad Ezechiëlem Prophetam, vt cum ipso de publica re & futuro Iudæorum statu Dominum consulerent, negauit Deum ipsis responsurum, cùm neque ipsi modo, neque parentes olim digni essent quibus ad optata & interrogata responderet, ideóque diuino iussu exprobrat ipsis scelera, tum post egressum ex Ægypto commissa in deserto, tum post obtentam promissam à Deo prouinciam, & cum parentum iniquos mores expressserint filij, neque magis diuinam in se Clementiam promeruerint, non esse cur meliora sibi sperent à Domino, cuius supplicium non effugient, etiamsi tutelares sibi Deos asciscant, & cum gentilibus eadem legum, sacrorúmque communione consentiant. Iubet igitur Deus Prophetæ, imprimis vt istis senioribus consulentibus Patrum suorum abominationes ostendat. *v.* 4. quæ ex diuina in illos munificentia magis elucescent: quare memorat qua ratione ab eo tempore quo primum Israëliticum populum elegit, leuatâ in cœlum manu, quæ est iuramenti forma, se illius rationem habiturum promisit, & cum iam Ægyptum esset ingressurus simili iuramento id confirmârit, & se Deum illorum futurum dixerit, & liberaturum ab Ægyptiaca seruitutem, & in destinatam ipsis terram aliis omnibus Regionibus bonitate atque vbertate præstantem ducturum: cúmque iussisset vt gentium Idola projjcerent, quod tamen minimè præstiterunt, atque eò vsque diuinam indignationem prouocârunt: quare in illo ipso loco in quo se nefariis idolorum cultibus contaminârant, sic in hos impios & rebelles animaduertere meditabatur, vt totam indignationem effunderet super eos, & iram suam impleret in medio terræ Ægypti, abstinuisse tamen ne nomen ipsius violaretur à gentibus inter quas morabantur, & promissam ab Ægyptiaca seruitute liberationem acceperant, ne vel potentiam in Deo promittente desiderarent, aut in illo perfidiam arguerent, ideò eos illos in desertum ex Ægypto eiecit. Vbi dedit præcepta & iudicia, *quæ faciens homo viuet in eis* v. 11. Et dedit de Sabbatha quæ essent signum inter eos, & ipsummet Deum, cuius videlicet Religione secernerentur à reliqua gentium turba, quæ tamen omnia violarunt impij, quare tot sceleribus prouocatus cogitabat Deus conceptum, animo furorem totum in illos effundere, & omninò delere in deserto. Continuit tamen vltricem manum, ne in perfidiæ suspicionem veniret apud illas gentes, quæ popolum ab ipso suis è sedibus eductum esse conspexerant! Oiurauit tamen leuatâ in cœlum manu, non ingressuros illos terram optimam, quàm interposito iuramento promiserat, eò quod sua iudicia, leges, & Sabbatha contempserint, séqoe totos vano Idolorum coltui dederint, non tamen illos interfecit in deserto, filiis autem eadem commendaoit, monuítque ne parentum vestigiis insisterent, neque Idolorum superstitione se polluerent, sed vitam ad diuinorum præceptorum normam informarent, Sabbati Religionem sanctè seruarent, & professione eiusmodi restatum facerent gentibus, se illis Deum esse. Illi verò non meliores parentibus filij æquè Deum similibus sceleribus prouocarunt; quare comminatus est illis extremam plagam, & quod effuso contra illos indignationis impetu furori suo in ea solitudine planè satisfaceret: sed cohibuit etiam tunc manum, nominis sui studio, ne vilesceret, & apud gentes accusaretur violatæ fidei, quam obligârat præstito iuramento, da educendo illo lo nouas sedes. Ne tamen imponita manerent tam immania flagitia, iterùm interposito iuramento comminatus est illis in solitudine fugam & exilium in varias terras in quas oon aliter essent dispergendi, quam à turbine veotilantur paleæ, eò quod iuxta iudicia & diuinas leges noo vixissent, immò & illa præcepta reprobâssent, Sabbata violâssent, & post Idola Patrum suorum fuissent oculi eorum, atque idcircò se dedisse eis præcepta non bona: *Ergo & ego dedi eis præcepta non bona, & iudicia in quibus non viuent, & pollui eos in muneribus suis cùm offerrent omne quod aperit vuluam propter delicta sua, & scient quia ego Dominus.* Ex qua diuinæ orationis serie constat hæc præcepta non bona, in quibus non vioent isti rebelles, data fuisse in pœnam violatorum præceptorum, & iudiciorum in quorum obseruatione victuri erant, & propter Sabbata neglecta habiturum se Munera, & Sacrificia, quæ deinceps oblaturi essent tanquam ingrata impia & polluta, ex eáque atroci puoitione cognituros Israëlitas Numinis veri potentiam. Hoc indicat particula illatiua, *Ergo & ego dedi eis præcepta non bona*, quæ indicat hunc sensum. Violâruot mea præcepta, & Sabbata, *ergo & ego dedi præcepta non bona, & munera & sacrificia*, tanquam polluta & impia reieci: & quamvis verba non habeant particulam illam illatiuam, sed solùm coniunctiuam, & *ἐγὼ ἔδωκα αὐτοῖς προστάγματα οὐ καλά* ea tamen connexio habet eandem vim, paritqoe eundem sensum, *ipsi iudicia mea non fecerunt, & præcepta mea reprobarunt, & Sabbata mea violarunt & ad Idola patrum suorum oculos & animos intenderunt, & ego dabo eis præcepta non bona, & iudicia, in quibus non viuent, & pollui eos in muneribus suis.* Quare particula & aduersatiua est, quòd ex oppositione inter præcepta, iudiciáque primùm data egressis ex Ægypto, quæ faciens homo victurus erat in eis *v.* 11. & ea quæ propter priora illa contempta offensos in pœnam tot scelerum dedisse se ait *v.* 25. Non bona, & iudicia, in quibus non viuerent, atque inter imperata eodem tempore Sabbata, quibus & à Deo sanctificari, & in pecoliarem eius populum eligi notabatur, atque inter monera, & sacrificia, quæ in idololatriæ sordibos contaminata, & polluta reijciebantur: Nam obseruatio priorum præceptorum vitam confert, posteriorum verò mortem; ideóque non bona dicuntur: Priora Sabbata sanctificabant, posteriora munera, & sacrificia polluebant, siue hanc vitam de spiritali cum Vasq. 1. 2. *disp.* 189. *cap.* 4. & cum aliquot recentioribus siue de corporali interpreteris cum communiori sententia capias, quâ etiam ratione explicauit similia *Leuit.* 18. 5. & 24. & *cap.* 20. 22. & *cap.* 21. Videtúrqoe expressum *Deuteron.* 30. 16. & 19. similia habet Paul. *ad Rom.* 10. 5. & *ad Galat. cap.* 3. ex quibus, aliísve id demonstrat Sanct. *in capite* 20. *v.* 11. *n.* 38. qui sapienter addit *n.* 41. ex prado illis verbis: *Viuet in eis.* Videri verò similius intelligi quod vulgus existimat, & viram appellat; nimirùm delicias, & rerum omnium ad commodam, & suauem vitam abundantiam. Quare legem obseruantibus promittit Deus terram melle & lacte manantem, in qua nihil desit ad hominum vsus opportunum, cuiusmodi promissa rerum, quæ ad deliciosam, & commodam vitam spectant, sæpiùs Iudæis facta legimus *in Psalm.* 80. 24. *Isaia* 66. 15. Nam & vita tristis, ignobilis, egena, incommoda mors quædam potiùs dicitur quàm vita. Quare Seneca.

Mortis

——— Mortis habet vices
Lentis cum trahitur vita gemitibus.
Sophocles in Antigone:
Nam nulla cui mentem volnptas recreat
Non viuere hercle existimo sed mortuum
Viuentis illum ferre præ se imaginem.

Et Martial.lib.6. Epigram.69.

Et quantum tetrica tulére febres
Aut languor grauis, aut mali dolores
A vita meliori separentur
Non est viuere, sed valere vita.

Qui igitur diuina mandata, & iudicia seruabunt, viuent in eis; vitam nimirùm suauem, & deliciis affluentem: qui verò spretis illis mandatis alia non bona dura, & aspera acceperint à gentibus, & tyrannis, quorum imperio propter commissa crimina Deus illos tradiderit, miseram, & ærumnosam vitam ducent, quæ cum morte iure commutari possit, aut re ipsa interibunt gladio, fame, peste, aliisque afflictionibus. Eadem ratione sicut Sabbati custodia sanctificabantur Iudæi, vt dicitur *v. 12. hoc capite 20. Ezech.* erat enim præcipuum signum, vt ibi habetur inter Deum & Israëliticum populum, quis maximè, vt obseruat eo loco Theodoret. distinguebatur à gentibus. Nam circumcisiu, & ciborū delectus, quibus secerni, videri poterunt, aliis quoque quibusdam communia erant, neque hæ notæ ita manifestæ, & publicæ erant, vt legi, & dissimulari non possent, cùm externa Sabbati Religio publica, & omnibus nota esset, illóque cultu Deum faterentur, & quàm vellet illos esse sanctos, & pietati vacare. & quod *v. citato* addit: *scient quia ego Dominus sanctificans eos* illa institutione Sabbati; è contrario verò neglecta Religione Sabbati polluebantur deinde in muneribus v. 26. *Et pollui eos in muneribus suis cum offerrent omne, quod aperit vuluam propter delicta sua.* Non quod Deus istis Sabbatorum, & Religionis diuinæ violatoribus sordes aliquas spirituales illineret, sed quod vel inflicto supplicio, vel quopiam alio modo pollutos, & sibi abominabiles declararet Sic de iudicio lepræ dicitur Leuit. 13. *Contaminabit eum sacerdos*, nempè contaminatum esse declarabit. Iob. 9. *Abominabuntur me, vestimenta mea*, ostendent me esse abominabilem. Isai. c. 45. *Contaminaui principes* contaminatos esse ostendi. Sensus itaque est, quia præcepta mea non custodistis, & Sabbata mea violastis, dum mihi offertis etiam quæ vobis in maiori pretio, & amore sunt, vt primogenitos; ego vos pollui tanquam pollutos auersor, & horreo, adeò mihi vestra sacrificia ingrata sunt propter delicta vestra. Sic Isai. c. 1. *Holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui*, &c. *Manus enim vestra sanguine plena sunt.* Atque ex his omnibus tandem vide, nihil probari contra legis Mosaicæ sanctitatem, ex eo quod dixerit hoc Deus Ezechiëlis loco se dedisse præcepta non bona, in quibus non viuent.

7 Verùm, licèt nobis satis constet de sensu horum verborum, in modo tamen loquendi videtur aliqua non leuis difficultas: Quomodo enim Deus dicatur dedisse præcepta non bona, eo quòd in pœnam scelerum suorum passus sit Iudæos in tyrannorum potestatem cadere, à quibus dura, & sæua imperia acceperint; Quare sanctius *n. 59.* Obseruat, bonum in scripturis nonnunquam idem esse quod gratum, iucundum. Isai. *cap.* 38. Ezechias ait, *bonum verbum Domini*: hoc est, placet mihi, gratum est, Genes. 19. *Si bonum est in oculis vestris*, Si placet vobis Ether. 8. *Si placeo regi* Heb. si bona ego.

Obseruat secundo præcipio, & mandu præceptum, & mandatum verba, & nomina minitoria esse, Amos. 9. 3. *Mandabo serpenti, & mordebit eos*, & v. 4. *Mandabo gladio, & occidet eos.* Psal. 67. 29. *Manda Deus virtuti tuæ.* Isai. 23. 11. *Dominus mandauit aduersus Chanaam vt contereret fortes eius.* & *cap.* 10. 2. de Asur. *contra populum furoris mei mandabo illi, vt auferat spolia, & diripiat prædam, & ponam illum in conculcationem.* Vnde colligit sanctius, omnia supplicia, & aduersa, quibus Deus rebellem illum populum afflixit, vocari posse Dei præcepta, & iudicia, eáque non bona, vel mala, vt Ezech. 14. 21. *Si quatuor iudicia mea pessima gladium, & famem, ac bestias malas, & pestilentiam misero in Ierusalem, vt interficiam de ea hominem, & pecus*: quæ iudicia vocantur pessima, quia dura, & iudicia, quia ostendunt quid Deus de hominum meritis iudicet; quare iudicia vocantur supplicia Exod. v. 6. *Redimam in brachio excelso, & iudiciis magnis.* Ezechiel. 5. 8. *Ecce ego faciam in medio tui iudicia* ad Galat. 5. 10. *Qui conturbat vos, portabit iudicium.* Cùm itaque Principum barbarorum imperio populum subiicit, aut variis infortuniis illum castigat, quarum aliqua describuntur illata à gentibus *Psalm.* 78. *Ierem.* 1. 28. & *Thren.* 5. Hæc omnia Dei mandata ex scripturæ phrasi dici queunt. Nam mandat Deus tum hominibus, tum aliis creaturis, tanquam militibus suis mandat, vt pœnas exigunt tanquam iustitiæ suæ vindicibus ministris, & illis dat præcepta, & iudicia in homines sceleratos exercenda. Cùm igitur recensito Israëlitarum scelere, qui præcepta sibi salutaria contempserunt, ait se alia præcepta non bona dedisse, significet fecisse se, vt alia præcepta non bona, siue dura, & aspera subirent, subiecítque illos gentium grauissimis imperiis. Hactenùs de verbis Ezechiëlis, quibus ineptè abutebantur aliqui ad accusandam diuinæ legis æquitatem.

Obiiciunt 20. Difficiliora quædam Pauli *epist. ad Roman. verba.* Nam legem causam peccati videtur agnoscere cap. 5. v. 20 *Lex subintrauit, vt abundaret delictum ἵνα πλεονάσῃ τὸ παράπτωμα*, & cap. 6. 14. *Peccatum nobis non dominabitur, non enim estis sub lege, sed sub gratia* Peccatum igitur dominium, & potestatem accipit à lege, & cap. 7. 5. *Cùm enim essemus in Carne passiones peccatorum, quæ per legem erant, operabantur in membris nostris, vt fructificarent morti*, v. 6. vocat legem mortis, à qua soluti seruimus in nouitate spiritus. Et *v.* 7. Negat quidem legem esse peccatum, nos autem non cognouisse peccatum nisi per legem, subdítque v. 8. *Occasione accepta peccatum per mandatum esse in nobis omnem concupiscentiam: sine lege enim peccatum mortuum erat*, v. 10. 11. 12. & 13. Explicat quomodo id contigerit, vt peccatum per bonum operatum sit mortem, & hominem occiderit, & homo venundatus sit sub peccato, quæ, aliáque sanctitati legis plurimùm detrahunt, cùm eam occasionem, & causam peccati aliquo tandem modo faciant. *cap.* 8. 2. vocat legem peccati, & mortis. 8

Resp. Imprimis Paulum apertè suam mentem circa sanctitatem legis testatum fuisse tota illa *Ep. ad Roman.* & maximè *cap.* 7. nam *v.* 12. Etiam postquam ostendit, peccatum occasione legis acceptæ operatum esse, subdit: *Itaque lex quidem sancta, & mandatum sanctum iustum, & bonum.* Sanctam dicit quod verum Dei cultum, & legitimas cæremonias præciperet, iustam quod rectam iudiciorum formam, & æquitatis plenam politiam præscriberet, bonam denique quod honestatis præcepta, & humanæ vitæ officia doceret; siue vt obseruat S. Thom. 1. 2. *quæst.* 99. *art.* 4. Lex sancta est propter præcepta cærimonialia: iusta propter iudicialia, bona propter moralia. Alij existimant Paulum distinguere hic legem à mandato. Nomine legis significat totam legem, quam 9

secundùm se totam sanctam esse pronuntiat *ὁ νόμος ἅγιος*, mandati nomine singula mandata lege comprehensa: sed illud maximè, cuius paulò antè meminerat, & cuius occasione peccatum operatum esse, & reuixisse, cùm mortuum esse diaerat. Nimirum mandatum: *Non concupisces*, Nam & illud sanctum, & iustum & bonum esse ait, *ἡ ἐντολὴ ἁγία ἡ δικαία ἢ ἀγαθή*, quia facit hominem castum, & ne iniustè alienam vxorem, aut rem concupiscat, & omnes animi motus, & vires ritè componat; in quo consistit omnis honestas, & morum bonitas: Theodoret verò ait, sanctum appellari mandatum, quia docuit id, quod oportet; iustum, quia violatores iustè punit: bonum quia illud obseruantibus vitam promittit. Vnde concludit Paul. legem non esse causam peccati, & mortis, sed peccatum lege prohibitum, & declaratum siue hominem peccato subditum, qui praua carnis & peccati desideria sectatur, quare subdit *v. 14.* Paul. *lex spiritualis est*, ego *autem carnalis sum, venundatus sub peccato*, spiritualis quidem est, primò ex Chrys. quia præscribit spiritualia, virtutes, nimitùm secundo ex Hieronym. & August. *prop. 41. in Ep. ad Roman.* quia ex diuino spiritu, tertiò ex Theodoreto, quia diuino spiritu à Muyse conscripta, quartò ca Ambrosio Dei qui purissimus spiritus est, notionem affert quintò ex S. Thom. *in Comm.* quia menti, & spiritui hominis maaimè consentit, sextò quia spiritualiter accipienda est, & ad legem Euangelicam quæ est lex spiritus præparat.

10 Addit Paul. *Ego autem carnalis sum venundatus sub peccato*, siue loquatur in persona peccatoris constituti sub lege, & nondum Christi gratia liberati, vti volunt Chrys. Theodoret. Theophilact. Hieronym. *q. 8. ad Algasiam*, Basil. *in Regul. Breuiorib. Respon.* 16. Augustin. *lib. 1. ad simplician.* & Origen. fusiùs & elegantiùs, qui infirmitatem, & procliuitatem ad præterita vitia reluctantem spiritu, ornate describit, siue in sua persona & iusti hominis personam nobis exhibeat Paul. quod maluit Augustin. iam Senior *lib. 1. Retractat. cap. 23. & lib. 6. contra Iulian. cap. 11.* Hilarium Nazian. & Ambrosium allegans, idémque sentiunt Gregor. *lib. 19. moral. cap. 6.* Hieron. *lib. 2. contra pelagian.* & passim recentiores id pluribus probant siue vtramque illam personam sustineat constabit sensus, & legis sanctitas, à qua non oritur peccatum, cùm ipsa sancta, & spiritualis sit, sed ab hominis carnalis vitio, qui se peccati seruituti mancipat quod sapienter explicat S. Thom. *in comment.* Ait enim hominem dici carnalem, quia eius ratio, quæ est principale & *ἡγεμονικὸν* hominis, carnalis est, quod accidit duobus modis, primò quia se se carni subijcit consentiens iis, ad quæ caro instigat, vt *1. Cor. cap. 3.* secundò quia à carne impugnatur spiritus, indéque nascitur vehemens, & importuna illa pugna, cuius memini hoc eodem *cap. 7.* Paul. & ad Galat. *cap. 3.* vtramque verò istam carnalitatem prouenire ea peccato notat S. Thomas: quæ enim importat rebellionem carnis ad spiritum, cùm proximè nascatur ex fomite, eiúsque corruptio ex primi parentis peccato deriuetur, ab eo quoque Carnalitas, de qua loquimur, petenda erit. Carnalitas autem, quæ importat subiectionem ad carnem fluit ea peccato tum originali, tum maaimè actuali, cùm homo concupiscentiis carnis obediendo seruum carnis se constituit, ideóque subiicit Apostolus se venundatum esse sub peccato, quia vendit se ipsum in seruum peccati, pretio propriæ voluntatis implendæ. Isai. cap. 50. 1. *Ecce in iniquitatibus vestris venditi estis.* Estque ille loquendi modus frequens, vt qui peccatum admittit, peccato venditur, aut peccati seruus esse dicatur, Ioan. 8. 34. & de Achab. venundati vt faceret malum 3. *Reg.* 21. & de quibusdam Iudæis 1. Machab cap. 5. *Iuncti sunt nationibus & venundati sunt, vt facerent malum*, qui omnes sunt a Deo venditi, quandoquidem illos vehementer hortatur, vt ad Dominum redeant, à quo in libertatem assererentur, atque hi sunt, qui se ipsos peccatis vendunt: alij verò dicuntur à Deo venditi, non quod Deus illos peccato subiiciat, sed cùm ipsi se se sponte à Dei dominio subtraxerint, & peccatis, atque concupiscentiis mancipatint neque ab eo cœno, & sordibus quamvis diuina misericordia sollicitati emergere velint, Deus illos deinceps non tanquam domesticos, ac suos, sed velut alienos, & alterius voluntati, ac imperio obligatos respicit, quorum quàm misera sit conditio, describit sanct. *in cap. 50. Isaia citatum n. 30.* Comparat enim cum vxore, quam Deus dato libello repudij à se dimisit: sicut enim non laborat, de illa reducenda vtpote iam aliena, & quam ad se pertinere non putat, patitúrque proinde residere apud illum, cuius thalamum, & nuptias ambiuit: sic qui seruum vendidit, & alteri mancipatum iam videt, abiecit omnem curam illius vel reducendi tanquam fugitiui; vel tanquam Domestici sibi conseruandi. Ea ca porrò venditione à Domino modo explicato facta, consequuntur & impendent extremæ calamitates, quod in Iudæis à Deo venditis videmus *Deuteron. 32. Iudith. c. 7. Psalm. 43.* Quamvis autem, si propriè loquamur, venditio, & emptio non fiant, nisi interueniente pretio, & commutatione, nihilominus omnis alienatio, & abdicatio rei à se dicitur venditio, & omnis acceptio illius emptio, quamvis nulla fuerit propria commutatio, sed omnia gratuitò fiant. Isai. cap. 52. 3. *Gratis venundati estis, & sine argento redimemini*, & cap. 55. 1. *Emite absque argento, & absque vlla commutatione.* Cùm igitur Deum vendidisse aliquem hostibus, aut alienis nihil aliud significet quàm Deum respicere illum, quem vendidisse dicitur, tanquam alienum, & qui iam ad se, familiámque suam non pertineat, perinde atque si pretio accepto alieno domino datus esset mancipi, atque hoc eodem sensu Paulus hominem carnalem dixit venundatum sub peccato. Accipit verò peccatum obiectiuè siue materialiter concupiscentiam, eiúsque seruitutem, quia etiam deleto peccato originali, remanet obnoxius concupiscentiæ, cuius motus velit, nolit, sentit, quamvis nonnisi volens, & lubens illi consentiat, & se ipsum deinde peccato mancipet. De hac venditione Augustin. in proposit. Epistolæ ad Roman. n. 42. *Quisque peccando animam suam Diabolo vendit, acceptà, tanquam pretio, dulcedine voluptatis*, sed fusiùs explicat Cassian. *collat. 23. cap. 13.* hanc venditionem in Adamo, cuius negotiatione damnosâ, fraudulentóque commercio venditi sumus: omnem enim prolem suam serpentis persuasione seductus: illiciti cibi perceptione distractam iugo perpetuæ seruitutis addixit. Ex quibus omnibus vides legem & sanctam, & spiritualem esse, quamvis homo: & carnalis, & venundatus sub peccato aliqua occasione ex lege sua culpa accepta.

Vt verò totam Pauli ratiocinationem faciliùs capiamus, & verbo nuper obiecta interpretemur. 11

Obserua imprimis obscuriorem quandoque esse Paulum in suis Epistolis inde factum, ait Petrus *Ep. 2. cap. vlt.* vt indocti quidam, & instabiles eas deprauarent ad sui ipsorum perditionem, hanc tamen obscuritatem reperiri in Epistola ad Roman. Existimauit Origen. *præfat. in epist. Pauli* eo quòd confusis interdum, & minùs explicitis locutionibus vtatur, & plures quæstiones moueat, quibus hæretici abutantur, similem obscuritatem in epistola ad Galatas, & Ephesios agnouit Hieron. *Epist.* 50. Eam verò verborum obscuritatem obseruant, passim interpretes, quia sæpè

græcisat,

græcisat, & hebraizat, licet enim Hebræus esset, Græcè tamen scripsit, inuenimúsque apud illum & phrases Græcas, & solæcismos aliquando, & plurimos Hebraismos. Solæcismos, & hyperbata agnouit Hieronym. *lib. 2. comm. in epist. ad Ephes.* frequenter abstracta pro concretis vsurpat per hæterosin; circuncisionem pro circuncisu, & Iudæo; præputium pro præputiato & gentili: omittit per Hebraismum notas similitudinis, comparationis, caulalitatis, aduerbiorum, & coniunctionum vincula, habet familiares Enallaps, præpositionum coniunctionum, & aduerbiorum, quare Hebræorum more sumit loco *per, ex, ad, cum, propter, apud*, & per, *in*, omne genus causæ significat, propositionem κτ, quam vulgatus sumit pro, *secundum*, accipit pro *dia, in, ante, & coram*, secundum, iuxta, *A*, *ex*, *propter*, quæ variis exemplis illustrat Cornel. *canone XXV. in epist. Pauli.* Neque variæ illæ acceptiones eiusdem particulæ intra paucas interdum lineas possunt dignosci, & distingui, aliunde quam ex ipso scopo, & sententia Pauli, deinde etiam eodem Hebræorum more sumit aliquando infinitiuos pro nominibus, alias pro verbis quorumlibet temporum, & modorum: & alio deinde Hebraismo, nomina, gerundia, & infinitiuos, modò passiuè modò actiuè capit. Sic ait: *Christus factus est nobis iustitia*, id est, iustificator; ac verò 2. ad Cor. 5. v. vlt. *Nos facti sumus iustitia in Christo*, id est, iusti, qua etiam ratione Deus dicitur amor, & timor noster, spes, & patientia, quia est obiectum nostri amoris, timoris, spei, & patientiæ, nam Hebræi potentiam, & actum sumunt aliquando pro obiecto, sicque colorem vocant oculum num. 11.7. *Erat man, coloris B delly.* Hebraïcè man. habebat oculum B delli, loquitur etiam quandoque phrasi sibi natiua, & patria Tarsensi, quod notat Hieronym. *epist. 151. ad Algasiam* sic 1. ad Cor. 4. 3. *Mihi pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humana die* ὑπὸ ἀνθρωπίνης ἡμέρας, vbi diem Cilicium phrasi vocat iudicium. & ad Coloss. 2. 18. *Nemo vos sedacat volens in humilitate, & religione Angelorum* μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω θέλων ἐν ταπεινοφροσύνῃ καὶ θρησκείᾳ τῶν ἀγγέλων: quod verbum καταβραβεύειν dixit Hieronym. *l. c.* fuisse peculiare Cilicibus, quo significarent insidiosè alicui palmam præripere, quod tamen nimium confidenter à tanto Doctore dictum sigillat Beza, eo quod à Demosthene, Isocrate, Aristotele & Plutarcho vsurpatum fuisse ostenderit ineptè omninò. Neque enim negat Hieronym. vocem illam Græcam esse, & ab aliis, quàm Cilicibus vsurpari, sed non in ea peculiari significatione; nimirum quando quis in certamine positus, iniquitate Agonothetæ, vel insidiis magistrorum βραβεῖον, & palmam sibi debitam perdit, quare ipsemet Hieronym. vertit: *nemo vos superet, & aduersus vos brauium accipiat*, quæ est communis acceptio verbi illius, & ideò sapienter vertit: *Vulgatus nemo vos sedacat in certamine illo Religionis*, ipsáque scholia Græca, quæ adducit Beza καταβραβευθέντες vsurpari volunt, cùm penes alium est victoria, penes alium præmium, in quo est manifesta iniquitas & seductio, esto τὸ βραβεύειν sit regere, moderari, atque adeo διακρίνειν ius dicere, adeóque apud Plutarch. & Arist. *lib. 1. Rhetoric.* δικαστὰς dicatur, τοῦ δικαίου βραβευτὰς translatione ab iis qui certaminibus præerant, quos Græci Agonothetas, Athlothetas, & Brabentas dicunt, παρὰ τὴν ῥάβδον, Virgam enim gestare solitos gymnasiarchas colligimus ex Plutarch. in Antonio, quod enim qui iniquè & per fraudem alios iudicarunt aut accusarunt, & in certamine superiores visi fuerint dici potuerunt à Cilicibus peculiari sibi verbo καταβραβεύειν, vti docet Hieronym. quem nimiæ confidentiæ hoc est in Græcis ignorantiæ damnare ausus est Beza, qui tamen eodem loco vocem θρησκεία, qua vtitur *ibid.* Paul. vt cultum superstitiosum Angelorum significet, ait se Thracum apud quos orgia inuenerit Orpheus, qua voce deinde vsi fuerint Græci plerique vti probares Nazianzeno. Thracum igitur vocem illo versiculo vsurpauit Paulus, qui propter eiusmodi aliasque vocum obscuritates & loquendi modos intellectu difficilis est, quia profundos & reconditos sensus lingua non explicat, & cum ipse sentiat quid loquatur: in alienas autem puro non potest transferre sermone inquit Hieronym. *quæstion. 10. citata.*

Sed huius obscuritatis & difficultatis potissima Ratio, quæque maximè hoc loco nobis attendenda est, quod aliquando nouas voces, noua significatione, & insolito sensu vsurpet vt mentem suam explicet, quod eleganter demonstrat Nyssen. *orat. in illud 1. Corinth. 15. 28. Quin autem subiecta fuerint illi omnia tunc & ipse filius subiectus erit ei qui subiecit sibi omnia*, quibus verbis abusos esse hæreticos dicit ad euertendam vnigeniti gloriam, & ostendendam quandam seruilem humilitatem δουλικήν τινα ταπεινότητα, vt difficultatem illam diluat Nyssen. post explicata diuersa subiectionis genera, addit Paulum vsurpare quandoque voces præter vulgarem & vsitatum morem prout sensibus suis significandis aptiores esse existimat, eaque est diuina illius sapientia ἔθος γὰρ τῇ σοφίᾳ τοῦ μεγάλου Παύλου τὸ δοκοῦν κεχρῆσθαι κατ' ἐξουσίαν τοῖς ῥήμασι καὶ τῷ ἰδίῳ τῆς διανοίας εἰρμῷ προσαρμόζειν τὰς τῶν ῥημάτων ἐμφάσεις, κἂν πρὸς ἄλλας τινὰς ἐννοίας ἡ συνήθεια τὴν καλάχρησιν τῶν λέξεων φέρῃ, id est, interprete Gentiano Herueto: solet enim magni Pauli sapientia liberè vti verbis ad id quod sibi videtur, & propriæ cogitationis connexioni adaptare verborum significationes, etiamsi ad aliquas alias mentis conceptiones vsum dictionum ferat consuetudo, quod exemplis ostendit in voce κενόω exinanio, quam de Christo ipso gloriatione, fide, cruce exinanitis nullo exemplo vsurpat eodem modo Paul. vt suæ dilectionis affectum indicet, dixit ἱμειρόμενοι ὑμῶν desiderans vos, vt ostendat charitatem à fastu, & superbia alienam aut non agere perperam & litigiosam esse contentionem ἐριθείαν. Vox autem ἔριθος ducitur ex Lanificio, & studium quod in illud confertur dicitur ἐριθεία ita fugidas etymologias ἐτυμολογίας ψυχρὰς reiiciens voces vsurpat in quem sensum libuerit, δι' ὧν βούλεται λέξεων ὑποβουλεύεται παρίστησι νόημα, quod qui diligenter ἀκριβῶς examinant plurima in verbis Apostoli reperient, quæ non seruiunt vsui consuetudinis, sed quadam propria mentis cogitatione liberè ab ipso proferuntur, minimè aduertens consuetudinem, siue vsum μὴ δουλεύοντα τῇ χρήσει τῆς συνηθείας, ἀλλὰ κατά τινα ἰδιότροπον ἔννοιαν ἐπ' ἐξουσίας παρ' αὐτοῦ προσφερόμενα μηδὲν ἐπιστρεφομένου πρὸς τὴν συνήθειαν. Id ostendit in voce subiectionis, cuius significatum est excogitatum, & nouatum à Paulo diuersum ab iis quæ communiter intelliguntur τὸ τῆς ὑποταγῆς σημαινόμενον ἄλλο τι παρὰ τὰς κοινὰς ἐννοίας ὑπὸ τοῦ Παύλου νενόηται. Passim enim subiectio significat violentiam quandam inuoluntariam, Paulus autem hoc loco vsurpat pro reconciliatione: duo enim genera inimicorum Dei distinguit, quorum alij delendi sunt à filio, alij subiiciendi, deletur quidem naturâ inimicus ὁ τῇ φύσει ἐχθρὸς καταργηθήσεται, hoc est mors & quod circa eam est peccati vis & impetium, subiicientur verò ὑποταγήσονται, qui non naturâ, sed alia ratione sunt Deo inimici, qui ab eius regno ad peccatum transfugerunt, de quibus ad Rom. 5. *Cùm inimici essemus, Deo reconciliati sumus*, & quàm ibi vocat reconciliationem καταλλαγήν, hic nominat subiectionem ὑποταγήν, vtroque nomine idem significans nempè salutem τὴν σωτηρίαν.

Nam & ex hac subiectione contingit salus, & ex reconciliatione quoque vita, ad Rom. 10. ait itaque Paul. Inimicos Deo & patri subiiciendos per filium, mortem autem & quod in ipsa est imperium non fumtum amplius quod significat cum ait delendam, & destruendam mortem, qui verò per inobedientiam erant inimici Deo, ij per subiectionem fiunt amici Dei, vbi igitur omnes Deo inimici fuerint Deo reconciliati & subiecti atque mors deleta, in omnium subiectione, subiicietur filius Patri, quæ non erit seruilis quædam humilitas, sed Regnum, incorruptio & fœlicitas *ἡ ἐκ οὐκὶ δουλικὴ νοῆται ταπεινότης, ἀλλὰ βασιλεία ϗ ἀφθαρσία ϗ μακαριότης*, vt ibidem explicat Nyssen.

13 Ex hac Nysseni doctrina certum canonem explicandi difficilem aliquando Pauli sententias & verbis implexis subobscuras colligere licet, nimirum non esse semper attendendam, vel retinendam vulgatam, & vsitatam vocum significationem quam ipse non sequitur, sed suæ conceptioni subtiliori contra consuetum vsum adaptat, itaque diuersæ significationes, quas pati potest aliqua vox, distinguendæ erunt & attento contextu verborum scopo Pauli & intentione quærendum, in quo tandem sensu illâ abutitur Paul. ne nos ipsi fallamur, & ineptas opiniones affingamus Apostolo quod ab hæreticis factum quæritur Nyssen. initio orationis laudatæ: hæc porrò regula nobis in disputatione quam versamus, de legis Veteris æquitate maximè necessaria est, illam enim peccati causam impij quidam hæretici facere non verentur ex obscurioribus, & prauè intellectis aliquot Pauli verbis quæ tamen facilè ex regula à Nysseno tradita expensis atque distinctis variis vocum acceptionibus, atque attento stylo Pauli, & vsu ipsi proprio, ac singulari explicabuntur. Diuina siquidem illius sapientia, & sublimis mens suæ conceptioni voces vulgares accommodat, nec eas perpetuò in eadem significatione sumit vnde sine dubio minus attentis oriri obscuritatem oportet, & difficultates nonnunquam admodum implexas.

14 Voces porrò aliquot hoc loco expendendæ sunt primò peccatum quod tum propriè, sumitur, secundò minus propriè pro causa, vel effectu peccati cuiusmodi est concupiscentia tertiò pro hostia vel sacrificio expiatorio peccati, sic 2. ad Corint. 5. 21. *Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit.*

Secundò concupiscentia dicitur peccatum non propriè & formaliter, sed primò quia est materiale peccati, cum enim sit contra Dei legem nihil ipsi deest nisi consensus voluntarius, ad rationem formalem peccati, secundò quia est causa peccati ad quod incitat, tertiò. Est effectus peccati tum originalis, tum etiam actualis, quartò est pœna peccati, vide Trid. *sess. 5. capit. 4. & 5.* Est instrumentum quo per actum generationis peccatum originale transfunditur in posteros, quare Aug. *lib. 5. contra Iulian. cap. 3.* sic ait cæcitas *cordis quam solus remouet illuminator Deus & peccatum est, quo in Deum non creditur, & pœna peccati, qua cor superbum digna animaduersione punitur, & causa peccati, cum mali aliquid cæci cordis errore committitur: ita concupiscentia carnis, aduersus quam bonus concupiscit spiritus, & peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis, & pœna peccati reddita meritis inobedientis, & causa peccati est defectione consentientis, vel contagione nascentis;* quæ singula fusissimè reliquo libro prosequitur Augustin. qui etiam *lib. de originali peccato à cap. 34. ad 39.* & *duobus libris de nuptiis*, & concupiscentia docet contra pelagianos concupiscentiam quam ipsi laudabant, & inter bona naturæ numerabant, malam esse cum ipsa ad peccatum incitet, reluctetur spiritui, dicatúrque à Paulo lex membrorum, peccati, & mortis, ad Romanos 7. vti statim explicabimus, indigeátque valido fræno ne mentem in omnia flagitia præcipitem rapiat. Ortam quoque fuisse ex peccato primi parentis, cum antea non pateretur illos libidinis motus, & quotidie nouis nostris peccatis augeatur, & vehementius irritetur atque in noua, & pudenda flagitia concitet. Itaque peccati effectus, causa, & pœna est, atque adeò peccatum quoties voluntarium est, siue liberum voluntatis consensum ipsam non comprimentis habet. Quare expendendum in quanam ex istis significationibus accipiatur à Paulo, qui non semper in eadem significatione vsurpat.

Tertiò carnis vox non tantum sumitur propriè pro corporea hominis parte, sed etiam per Tropum plura significat, & primò quidem carnis corruptionem, cum dicitur 1. ad Cor. 15. *Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt*, caro & sanguis pro corruptione carnis & sanguinis posita sunt vt ait Aug. *Ep. 146. ad consent.* Eo siquidem loco docet Paul. corpora beatorum fore incorruptibilia: *quæ enim ibi gloriatio vbi adhuc corruptio? itaque tunc non erit corpus animale quod seminatum fuit sed spirituale, quæ* subtiliter exponit ibid. August. *Anima quippe in corpore animali viuit quidem, sed non viuificat vsque ad auferendam corruptionem, in corpore verò spirituali quoniam perfectè adhærens domino vnus spiritus est, hic viuificat vt spirituale corpus efficiat, absumens omnem corruptionem; nullam metuens separationem:* concludit deinde paulum nomine carnis, & sanguinis corruptionem mortalitatis intelligi voluisse, &c. 15

Secundò caro significat hominem carni deditum, quem & carnalem dicit Paul. ad Rom. 7. ideóque virtute præstantes dicuntur carnis expertes ad Rom. 8. 9. vos *non estis in carne*, eodem sensu Ioan. 3. 6. *Quod natum est ex carne caro, quod natum est ex spiritu* spiritus *est.*

Tertiò est externa species qua ratione dixit Paul. Iudæos *gloriari in carne*, hoc est circumcisione, qua testabantur se esse filios Abrahæ, & sapientes secundùm sapientiam carnis, sapientes mundi sapientiam mundi, & se neminem nosse secundum carnem, & 2. ad Cor. 10. 2. *Qui arbitrantur nos tanquam secundùm carnem ambulemus. In carne enim ambulamus, non secundum carnem militamur. Nam arma militiæ nostra non carnalia sunt, sed potentia à Deo*, hoc est non vtimur carnali humanaque ac politica prudentia, industria, & astutia eorum more qui animaliter viuunt, ambulant, gloriantur in specie externa, rebus & dotibus externis. Vnde & *cap. 11. 18.* aut PseudoApostolos gloriari secundum carnem, & *cap. 5. 15. 16.* dixerat se neminem & ne ipsum quidem Christum nosse secundum carnem, & alibi animalem, carnalem philosophorum sapientiam spirituali Apostolorum opponit, & ad Galat. 3. 3. eodem sensu spiritum opponit carni. *Sic stulti estis, vt cum spiritu cœperitis, nunc carne consummemini.* Circumcisionem, & Mosis legem tanquam necessariam seruantes.

Quartò caro significat concupiscentiam, primò quia licet caro sola, & nuda non concupiscat, omnesque affectus & motus ipsius animæ sint, ad illos tamen concurrit caro, vel tanquam materia circa quam excitantur, vel quia per sensus corporeos, & organa spiritos agit, & in carne tanquam in quadam officina sua illa velut Idola fabricatur, vti eleganter explicat Cyprian. vel si quis est alius author de operib. Cardinalib. in præfatio. *Hoc ipsum quod dico carnis affectus impropriè dico: quia hæc vitia propria animi sunt, qui sentit, & mouet, & viuit, & cui imputatur peccatum: quia ipsi datum est arbitrium, & iudicium, & scientia, & potentia:*

tia : per qua possit improbare malum, & eligere bonum, corpore autem sic vtitur anima, sicut faber malleo, vel incude, in qua format omnium turpitudinum idola, & fabricatur qualibet quarumcunque voluptatum simulachra, non est dictatrix peccati nec inuentrix malitia, nec cogitatus format, nec disponit agenda, sed officina est spiritus, qui in ea & per eam quacumque affectauerit, peragit, & consummat; quod autem ipsa inhabilis sit, spiritu recedente dignoscitur, post cuius discessum, nulli apta vsui superest putredinis massa, & paludis aceruus, quidquid enim sentit à natura corporis alienum probatur. Secundò caro iuuat, & fouet concupiscentiæ motus efferuescentia sanguinis, & conciratione spirituum, vnde variæ concupiscentiæ & motus, iræ libidinia, aliæve commouentur.

Quintò spiritus carni opponitur à Paulo quia concupiscentiæ motus ad alia excitant quam vellet spiritus, qui tamen sæpius illis consentit, hinc lex mentis legi carnis & membrorum; lex Dei : legi peccati & mortis, interior & nouus homo exteriori & veteri aduersantur : Itaque concupiscentia nominatur caro, lex membrorum, carnis peccati, peccatum, corpus peccati siue peccato obnoxium, homo terrenus, animalis, exterior, vetus. Cum verò spiritus est gratia adiutus, lex Dei, mentis, spiritus, homo nouus, interior, spiritualis noua creatura appellatur : inde denique lucta illa inter hominem nouum & veterem, interiorem & exteriorem, carnem & spiritum, legem mentis ac Dei, & legem carnis membrorum & peccati, & denique inter spiritum & carnem, de qua Paul. ad *Rom.* 7. aa. & alibi ex qua contentione duas in homine animas vnam bonam, alteram malam, quæ inter sese certarent fingebant Manichæi; Ineptius verò Mathias Illyricus interiorem hominem dixit esse animum & spiritum Dei, exteriorem vero peccatum originale, quæ quasi forma quædam substantialis animum afficiat; verum cum in homine vna sit anima, quæ simul & rationalis & sensitiua est, habétque diuersas operationes vnus & idem homo pro diuersis statibus, effectibus, & operationibus, multiplex esse videtur & simul interior, atque exterior, cuius diuersi affectus; cum inter se se pugnent, dicitur ipse cum se ipso pugnare, & interior quidem est ipsemet gratia, spiritu Dei, & charitate imbutus, cuius anima est gratia & charitas, lex est diuina eiusque dictata, & præcepta, vitalis operatio diuinus amor, cultus, obedientia, cæteræque virtutes; Exterior seu vetus homo est ipse homo omnibus suis potentiis vitiatus, & corruptus, huius anima est concupiscentia, lex vitiosa, inclinatio, & propensio eiusque dictata legi Dei contraria circa quidpiam concupiscibile, vitalis operatio ipsamet concupiscentia voluptatum, deliciarum, honorum vt fornicatio, ebrietas, ambitio, libido; & alia eiusmodi, quæ Paulus *Galat.* 5. Vocat opera carnis, quare homo interior & virtus est in anima, voluntate & mente; quatenus ratione & libertate vtitur, & suis actibus ipsique concupiscentiæ dominatur præsertim adiutus diuina gratia, Deique legem ac rationis dictata sequitur homo exterior & concupiscentia est in eadem anima, mente, & voluntate, quatenus naturaliter agunt, & in sua propria obiecta feruntur motu naturali, qui motus & inclinationes cum sibi inuicem repugnent, atque ita diuersa mentem distrahunt inuicem pugnare spiritus & caro dicuntur, atque ita vnus, & idem homo secum ipse luctatur quod ornatè, & verè describit citatus Author apud Ciprian. *Quod caro aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem contendere dicitur & repugnare, impropriè arbitror dictum quia solius anima lis ista est, qua secum rixatur, & cum proprio arbitrio litigat, certior in eiusmodi quæstionibus, quod bonum sit, quid malum, quam in aliarum rerum inquisitionibus, quid verum sit quid falsum. Nam in additarum causarum inspectionibus, & secretis naturæ potest homo errare vel decipi : quia non per omnia à fine vsque in finem intellectus humanus attingit : sed in his quæ oculis & manibus subiacent, nulla subtilitas iudicium impedit : quia non fœtentia à non fœtentibus, decora à turpibus, amara, à dulcibus, dura à suauibus, & à dissonis consonantia facile discernuntur : sed desiderij sui veneno mens ebria corpus contumeliis applicat, & iuncti complexibus ambo in mortiferas suauitates elapsi obdormiunt. Cumque euigilauerint serò pœnitentiam addacit confusio, & inquinamentorum horror fœdata menti occurrit, & in cæteris omnibus quæ maligne patrata sunt, huiusmodi vltio peccatorem persequitur, & ipse libidinum labe crapulatus se commit sed auaritia solius, & quæstus ardor nec satiat cupidum, nec pœnitet eum cumulasse, quod crescere optat non minui &* idololatra, (sic enim emendat Pamelius) *obstinatas semper quid idolo suo immolet, sedulus coaceruat; Vnde hac sitis diuitiarum miseris pectoribus assidet, & ambitionis falsugo bibulam animam occupat, vt per fas & nefas ad loca superiora etiam de latebris Eremi nonnulli se ingerant : Et de omni gradu vbi aliquis aditus patet anheli prodeant,* &c. Hæc lex peccati quare in his & similibus legem iustitiæ opprimat, & quare eneruata ratio cùm stare possit, tam miserabiliter ruat difficilè est assequi, maximè cum defectus iste à damnationis sententia pendeat, & hanc ineuitabilem pœnam antiqua transgressio sit sortita.

Hinc vides Homonymiam vides, legis, apud Paulum 16
quam obseruauit quoque Hieronym. *Ep.* 150. *ad Algasiam, quæst.* 8. Numerat enim plura legis genera, primò quidem lex per Moysem data ad Galat. 3. *Quotquot enim ex operibus legis sunt sub maledicto sunt,* &c. *Lex propter præuaricationes posita est. Itaque lex Pædagogus noster fuit in Christo,* 2. Historia ipsa quæ præcepta non continet, sed gesta narrat, lex appellatur ad Galat. 4. *Dicite mihi, qui sub lege vultis esse, legem non legistis. Scriptum est enim quia Abraham duos filios habuit,* &c. 3. Psalmi lex etiam appellantur. Ioan. 15. *Vt compleretur sermo, qui in lege eorum scriptus est, quia odio habuerunt me gratis.* Psalm. 68. 4. Isaiæ prophetiam nominat legem Apostolus ad Roman. 7. *In lege scriptum est quoniam in aliis Linguis, & aliis labiis loquar populo huic,* quod Hieronym. iuxta Hebraïcum & aquilam in Isaia reperiisse se dicit, si mystica scripturarum, intelligentia lex vocatur; atque ita illud Pauli scimus *quia lex spiritualis est,* exponit Hieronym. 6. lex naturalis in cordibus nostris scripta ad Rom. 1. Quare cum nullus hominum sit, qui hanc legem nesciat, fit vt omnis mundus sub peccato, & vniuersi homines præuaricatores legis sint, inquit Hieronym. vbi multa de hac lege. Ex ea siquidem lege tenentur omnes peccati. Septimò est lex membrorum, & carnis, mortis, & peccati, & lex Dei, lex mentis & spiritus, vti nuper explicuimus. Aliam legis multiplicitatem explicat S. Thom. *lect.* 5. *in cap.* 5. *ad Rom.* Primò enim dicitur tota scriptura. Secundò præcepta data à Mose Deut. 33. legem præcepit nobis Moyses. Tertiò Decalogus Exod. 24. *Dabo tibi duas tabulas lapideas, & legem ac mandata quæ scripsi vt doceat.* Quartò aliquod speciale præceptum cerimoniale, vt *hæc est lex hostiæ.* Leuit. pacificorum.

His Paulo fusius explicatis quæ pluribus obscuris 17
quæstionibus lucem affundent facilè fuerit verba Pauli, quæ legem Mosaïcam videbantur damnare iniquitatis explicare : Nam. Primò illud *cap.* 5. *ad Roman.* 20. *Lex subintrauit, vt superabundaret delictum,* & superius v. 13. *Vsque ad legem enim peccatum erat in mundo, peccatum autem non imputabatur cum lex non esset.* Non fauet aduersariis, atque vt ordiamur à posterioribus illis

verbis

verbis quæ diuinus torserunt, interpretes, illa potius ostendunt peccati causam non esse legem contra quam velint aduersarij, nam Augustin. *lib. 1. de peccator. merit. cap. 10.* Theodoret. aliique dicunt permansisse peccatum in mundo vsque ad legem Mosaïcam, quia ante eam nullum illius expiandi remedium institutum erat. Et alij dicunt fuisse vsque ad legem peccatum quia legis aduentu extinctum quodammodo fuit, alij quia nulla pœna mortis ante legem sancita fuerat sceleribus, quæ aliquæ interpretationes, quas modo non expendo clarè fatentur cum Paulo peccatum præcessisse legem Mosaïcam, à qua proinde natum & causatum non est, quamvis ante illam non imputaretur, non argueretur, & puniretur. Vult igitur Paul. probare quod prius dixerat peccatum tum originale, tum actuale fuisse in mundo, atque adeò regnasse peccatum etiam ante legem: Cum enim mors regnauerit ab Adamo, & in homines se diffuderit, ipsáque sit effectus & pœna peccati, debuit & peccatum fuisse: quod peccatum dici non potest fuisse actuale singulorum hominum, non verò originale ex Adamo, quia sapienter subiicit Paul. v. 14. sed regnauit mors ab Adamo vsque ad Mosem, etiam in eos qui non peccauerunt in similitudinem præuaricationis Adæ, qui est forma futuri, morte nimirùm puniri sunt, etiam ij qui non peccauerunt peccato actuali, sicuti Adamus præuaricando legem sibi à Deo datam hoc est infantes quos tamen peccasse (cum eius pœnam subierint) oportuit, non aliò sanè peccato quàm parentali. Malè verò Origen. & Ambros. ex verbis Pauli negationem tollunt contra fidem omnium Codicum Græcorum & Latinorum ipsiusque Apostoli mentem, qui probat peccatum fuisse in mundo etiam ante legem, cum eius pœna, & effectus nimirum mors quæ afflixit omnes etiam illos, qui non peccarunt peccato præuaricationis sicut Adamus, nimirum infantes eorum, igitur peccatum quod morte punitur, non potuit esse aliud quam originale, quod nascitur à peccato Adami, qui genuit filios, qualis ipse fuit, nimirùm peccatores, mortales, & miseros, vti explicat August. *lib. 1. de peccat. merit. cap. 11.* dicitur Adamus esse *forma futuri τύπος τοῦ μέλλοντος* nimirùm Christi. Vterque enim fuit parens noster, sed contrario modo vti obseruat Aug. *lib. 2. de nupt. & concup. cap. 27.* Adamus siquidem solus posteros omnes peccando perdidit, quos omnes solus Christus moriendo reparauit. Ille nobis meritus est gratiam & gloriam, Adam verò peccando nobis quoque meritus est reatum & pœnam. Vnde colligunt interpretes aliquando scripturam vti allegoriis atque similitudinibus in contrario sensu, & dissimiliter per modum Antithesis. Sic Oseæ legitimo matrimonio cum fornicaria, significauit impiam Synagogæ Idolatriam quæ relicto Deo vero marito, Idolis sese deuouit quod denique dixit Paul. peccatum non imputatur vbi non est lex *ἁμαρτία δὲ οὐκ ἐλλογεῖται μὴ ὄντος νόμου* non existente vlla lege non reputatur, neque æstimatur, aut accusatur peccatum ab hominibus qui concupiscentiam intemperanter sequuntur, neque legem vllam quæ peccati fœditatem ostendat, incuset ac puniat; Ideóque homines (nondum sancita lege) peccatum illud parentale quo tenebantur cuius pœnam mortem, & humanæ vitæ miserias omnes sustinebant, quodque ratione aliorum peccatorum quotidie commissorum regnabat in mundo, non accusabant, aut alicuius momenti æstimabant, cum non possent sibi fingere præuaricationem, aut culpam sine violatione legis, quam nullam hactenus latam sciebant.

Obiiciunt 2. ex eod. cap. 5. ad Roman. v. 20. *lex subintrauit vt abundaret delictum.* Vnde videtur finem legis fuisse delictorum abundantiam, ac proinde malam fuisse legem, cuius finis malus fuerit. malitiæ siquidem finis inficit id omne cuius finis est. Resp. Paülum occurrere tacitæ obiectioni, cum enim superiori *vers. 13.* dixisset peccatum fuisse in mundo vsque ad legem, videri poterat illud per legem omninò sublatum fuisse, quam consequentiam negat Paul. aitque potius per legem auctum fuisse peccatum & numero & grauitate, non quidem præcisè ratione legis, sed hominum vitio occasione, ex lege imprudenter accepta, vti dicit *cap. 7.* vbi id explicabimus: particula vero *vt* non significat hoc loco causam, sed consequentiam, & quid sancita lege fuerit consequutum, vti sæpè alias, & explicat S. Thom. *lect. 5. in cap. 5. ad Roman.* & sanè lex prohibens & puniens peccata non potuit ferri eo fine vt peccata foueret, & multiplicaret. Vnde Dauid. *in corde meo abscondi eloquia tua vt non peccem tibi.* Abundauit porrò peccatum. Primò multitudine, eo quod inquit S. Thom. licet lex peccatum prohiberet, concupiscentiam, eius primam causam neque auferret, neque cohiberet, soleatque concupiscentia vehementius in rem prohibitam exardescere, quod notat Aug. lib. de spiritu, & litt. cap. 4. *Lex*, inquit, *quamvis bona augendo prohibendo desiderium malum, sicut aquæ impetus si in eam partem non cessat influere, vehementior fit obice opposito, cuius molem cum vicerit, maiore cumulo præcipitatus violentius per prona prouoluitur. Nescio quo enim modo, hoc ipsum quod concupiscitur, fit iucundum cum vetatur*, eius tamen rei triplicem rationem assignat S. Thom. *lect. 5. citata.* Primò quia quod est extra hominis potestatem, apprehenditur vt quidpiam magnum, atque adeò maius quam quod habet in sua potestate, ideóque illud desiderat vehementius; atqui prohibitio ponit quodammodo rem prohibitam extra hominis potestatem, quare illam ardentius concupiscit. Secundò quia interni affectus quoties interius cohibentur ne in externa defluant, eo vehementius inflammantur, quod in tristitia, desperatione, ira, aliisq; mente compressis, experimur: Nam vbi foras erumpunt, eorum virtus minuitur, & veluti difflatur, prohibitio cohibet concupiscentiam metu pœnæ, ideóque accenditur, donec maiori impetu foras erumpat. Tertiò quia rem non prohibitam non modo possibilem, & facilem nobis apprehendimus, sed etiam pro libito & arbitrio ponendam à nobis; vnde fit vt datam illius ponendæ occasionem sæpius negligamus, quia dum libuerit & quacumque obuia occasione licebit nobis illam ponere: quod vero prohibitum nobis est, apparet nobis non semper possibile, quare si qua se det occasio illud impunè faciendi, eiusmodi opportunitatem ne elabatur, statim magno animo occupamus. Cum igitur concupiscentia prohibitione rei concupitæ soleat accendi, lexque prohibitionem contineret, inflammabat quodammodo cupiditatem quam aliunde per gratiam non cóprimebat: quare mirum non fuit maiori impetu in concupita, quamvis contra æquitatem ferretur, violata prohibitione legis quo refert S. Thom. illud Zech. 5. vers. 5. *Ista est Hierusalem, in medio gentium posui eam, & in circuitu eius terras, & contempsit iudicia mea, vt plus esset impia quàm gentes, & præcepta mea vltra quàm terræ, quæ in circuitu eius sunt, Iudicia enim mea proiecerunt, & in præceptis meis non ambulauerunt*: nimirùm voluit æmulari, immò superare gentium ritus, & crimina quæ sibi prohibita sciebat diuinis præceptis & iudiciis.

Neque dicas omnes leges humanas fore aut inutiles, aut noxias dum aliquid prohibebunt, quia concupiscentiam rei prohibitæ accendunt, & vires ad eam cohibendam non præstant, respondet S. Thom. legem humanam intendere duntaxat pœnæ metu, & prohibitione sua impedire actus quosdam externos, qui pa-

cem

cem politiæ turbare possent, quod assequitur intermi-natione pœnæ, neque sollicitam esse de motibus, & æstibus internis concupiscentiæ, ideóque quamvis illi efferuescant modo non erumpant in actus externos, finem suum obtinet. At verò diuina lex non solùm externa peccata prohibet, sed ipsos etiam prauos concupiscentiæ motus, qui sæpius ea prohibitione vti diximus, inflammantur, atque ita occasione prohibentis legis, & vires ad eos restinguendos non suppeditantis, multiplicantur peccata. & vt dicebat Paul. *lege subintrante abundat delictum*, tum numero vti ostendimus, tum etiam grauitate, grauius enim est peccatum vbi accedit præuaricatio, & inobedientia, vbi verò non est lex, nec etiam præuaricatio existit, vt monet ipsemet Paul. Si tamen in Pauli verbis, *vt abundaret delictum placeat* particulam, vt sumi causaliter, licet interpretari eum S. Thom. de abundantia delicti quoad cognitionem, id est, vt abundantius delictum cognosceretur, & homines se peccatores agnoscerent, indéque magis humiliarentur, & sic se ad gratiam accipiendam præpararent, cognitisque suis vulneribus medicum quærerent, vt sentit August. in Psalm. 102. *Quare lege subintrante vt abundaret peccatum? quia nolebant se confiteri homines peccatores, addita lege facti sunt, & præuaricatores.* Et mox. *ideò ergo data est lex, vt crescente peccato humiliarentur superbi: humiliati confiterentur, confessi sanarentur*, sed fusissimè & ornatissimè *tract. 3. in Ioan. hoc proderat superbis vt abundaret delictum, multum enim sibi dabant, & quasi viribus suis multum assignabant, & non poterant adimplere iustitiam, nisi adiuuaret ille qui iustus erat superbiam illorum volens domare. Deus dedit legem tanquam, dicens ecce impletur, ne putetis deesse iubentem. &c.* & lib. 83. quæstion. q. 66. *Vbi ergo non est gratia liberatoris, auget peccandi desiderium prohibitio peccatorum, quod quidem ad hoc vtile est, vt sentiat anima seipsam non sufficere ad extrahendum se de seruitute peccati, atque hoc modo detumescente atque extincta omni superbia subdatur liberatori suo, sinceritérque homo dicat. Adhæsit anima mea post te, &c.* Quare Paulus vbi istam abundantiam delicti posuit, addit abundasse deinde Christi gratiam quæ & delictum deleuit, & illo maior fuit, & regnauit in vitam æternam, sicut peccatum regnarat in mortem: quare tres veluti mundi status distinguit Paul. primus ab Adamo ad Mosem in quo regnauit peccatum, & mors 2. à Mose ad Christum in quo lex peccata auxit 3. à Christo ad finem in quo gratia peccatum & mortem sustulit: quoad voces denique quibus vtitur Paul. *νόμος δὲ παρεισῆλθεν* accessu insinuauit variè exponunt *subintrauit*, quia non erat diu duratura.

19 Obiiciunt 3. illud *cap. 6. ad Roman. vers. 14.* peccatum enim vobis non dominabitur; non enim estis sub lege sed sub gratia, peccatum igitur dominatur iis qui sub lege sunt.

Resp. ex ipso contextu & scopo Apost. facilè colligi, longè aliam esse mentem ipsius: hortatur enim toto illo capite fideles, vt studeant seruandæ augendæque iustitiæ quam per solum Christum accepisse docuit, atque vt eiusmodi studium diligenter amplectantur, ostendit imprimis illos in Baptismo consepultos & complantatos esse Christo, atque adeò peccato mortuos vt in nouitate vitæ ambulent, sicut Christus semel mortuus, surrexit ad nouam, & æternam vitam, non amplius neque iterùm moriturus, atque adeò ipsos peccato mortuos debere cum Christo ad nouam & vitam & gloriam resurgere, nec pati vt regnet amplius in ipsorum corpore mortale peccatum, neque eius concupiscentiis obedire, idque facilè ipsis esse quandoquidem à Christo liberati, non amplius sunt sub lege quæ imperabat, non iuuabat, neque præbebat vires ad excutiendum peccati onus, comprimendasque concupiscentias, æquum proinde esse, vt membra quæ prius tradiderant immunditiæ in mortem, nunc exhibeant in Dei obsequium & iustitiæ ac ad vitam, quandoquidem stipendia peccati mors, gratia autem Dei est vita æterna, ait igitur vers. 12. *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore vt obediatis concupiscentiis; eum mortui fueritis peccato & consepulti Christo & cum ipso viuatis, non regnet peccatum:* Hoc est fomes peccati, qui & peccatum *μετωνυμικῶς* dicitur, quia & peccati effectus est, & ad peccatum sollicitat, iugum eius graue à vestris excutite ceruicibus, non dixit, inquit Chrysost. caro non viuat, neque operetur, sed peccatum non regnet; non enim naturam tollere, sed voluntatem corrigere iubet, quandiu enim viuimus inter mortales, fomitis illius concupiscentiæ, & libidinum stimulos pati cogimur, etiam inuiti, vt fusè persequitur August. *in Psal. 35. 50. & 65. serm. 13. de verb. Apost. serm. 43. de verbis Domini*, & alibi atque ea est peccati tyrannis, vti obseruant Chrysost. & Theodoret. quam ferimus inuiti, licet reluctemur, regnum verò est dum illi libidini præstamus assensum, vnde subdit Paul. *vt obediatis concupiscentiis eius*, tunc enim eius imperium sponte subimus. Audi Theodoret. qui totam Pauli sententiam dilucide aperit, *Regnum in hoc differt à tyrannide, quod existat quidem tyrannis inuitis subiectis, regnum autem iis volentibus quibus imperatur*, suadet ergo ne peccati potestati amplius assentiamur, Dominus enim humana carne suscepta eius regnum euertit, & vt qui mortalibus & adhuc patibile corpus habentibus legem fertet, ea statuit, quæ illorum imbecillitati respondeant, & non dicit ne tyrannidem exerceat peccatum, sed ne regnet. Illud enim est illius proprium, hoc nostræ mentis. Animi enim perturbationes motus, & vexatio inest nobis à natura, eorum autem quæ sunt prohibita, effectio à nostra pendet voluntate, appellans autem corpus mortale, ostendit bellum hoc non fore diuturnum; Cum enim mortis terminum acceperit, cessabit etiam animi perturbationum, insultus. Iubet ergo Paulus non quidem abiicere peccati tyrannidem, sed regnum: id autem est fomiti immodicè inflammato appetitiones corporis nequaquam *cedere*. In eandem sententiam Gregor. *lib. 14. moral. capit. 9.* Explicans illud Iobi. 18. 14. *Euellatur de tabernaculo suo fiducia eius, & calcet super eum quasi Rex interitus*, hunc Regem interitus exponit Gregor. Primò Diabolum, qui interitum intulit & satellitem habet mortem, Apocal. 6. & in die exitus Rex super impium calcat, quia quem prius blandis persuasionibus decepit, ad extremum violentis nexibus ad supplicium rapit, & dum reprobi mentem possidet, eam calcat quia quoties eam delectationibus pressit, quasi toties super eam pedes suæ tyrannicæ dominationis posuit. Secundò Regem interitus dicit Gregor. peccatum, quod quasi Rex mentem calcat, cum eam non resistentem possidet. Non enim potest in hac vita homini posito tentatio deesse peccati, sed aliud est peccato tentanti resistere, aliud dominanti seruire: iniquus autem quisque, quia resistere peccati suasionibus nescit, subiugari autem eius dominio non pertimescit, rectè de eo dicitur *Calcet super eum quasi Rex interitus*, huius quoque interitus regnum à discipulorum cordibus repellebat Apostolus cum dicebat, non regnet peccatum in vestro mortali corpore: non enim ait non sit, sed non regnet; quia non esse non potest, non autem regnare in cordibus bonorum potest: quia ergo cum quælibet culpa cor iniqui pulsauerit, resistens illud non inuenit, sed suo dominio substernit dicatur rectè, euellatur de tabernaculo suo fiducia eius, & calcet super eum quasi Rex

interitus

interitus. De tabernaculo suo ergo fiducia eius euellitur, quando peruersus quisque, qui multa sibi ad votum in hac vita parauerat repentina morte dissipatur, & calcat super eum quasi Rex interitus, quia vel hic vitiis premitur, vel mortis suæ tempore, per hoc quod ad supplicia rapitur potestati Dæmoniacæ subiugatur: quod idcircò in reproborum mentibus agitur quia & cum occasio perpetrandi peccati déest, desideriorum cogitationes eorum cordibus nullatenus *de sunt.* Pergit deinde ostendere cogitationem præire operationi, & filiam Babylonis prius sedere in puluere, deinde in terra etsi enim semper puluis terra sit, non tamen semper terra puluis est: per puluerem cogitationes quæ mentis oculos excæcant, per terram operationem terrenam accipit: Et quia reproborum mens prius ad praua cogitanda deiicitur; & postmodum ad facienda rectè filiæ Babylonis quæ ab internæ rectitudinis iudicio descendit, per seruentem sententiam dicitur, vt prius in puluere, & post in terra sedeat, quia nisi se in cogitatione prosterneret, in malo opere non inhæsisset.

Quia verò non solùm consensu quem præstamus concupiscentiæ, sed multò etiam magis operatione praua peccatum regnat, vbi dixit Paulus. *Ne regnet peccatum in vestro mortali corpore*, addit *vt obediatis concupiscentiis eius, sed atque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato, sed exhibete vos Deo, tanquam ex mortuis viuentes, & membra vestra arma iustitiæ Deo:* Hoc est ne accommoderis membra corporis vestri & fomiti ad praua concupiscentiæ opera incitanti (tanquam arma quibus ad operandum iniquitatem iuuetur & instruatur) sed potius exhibete vos Deo, consecrate mentem vestram Deo, qui ad vitam gratiæ vos ex peccati morte suscitauit, exhibete præterea membra vestra, tanquam arma quibus pugnetis ad exercendam iustitiam, & sanctitatem cum enim regnet vt diximus peccatum per interiorem mentis consensum, & per operis exequutionem, primum excluditur, si non obediamus concupiscentiis, immò reluctemur eius imperio: secundo amolimur si non exhibeamus membra nostra ad peccati operationem, atque ita pugnemur nostris membris, tanquam armis quibusdam ad restituendum aut propugnandum peccati dominium, quod consuetudine peccandi plurimum confirmatur: sed potius sese Deo exhibeant & consecrent, non interiori dumtaxat mentis affectu, sed etiam externis actibus impendendi, corpus ipsum omniáque eius membra in diuinum obsequium tanquam instrumenta quibus iustitiam operentur, & arma quibus ad peccati regnum impugnandum, & destruendum, atque Christi dominatum stabiliendum, magnis animis decertent. Duo igitur imperia inducit Paul. peccati & Christi siue iustitiæ pugnant pro alterutro caro & spiritus, in qua lucta describenda frequens est Paul. & ipsum sequuti patres quare monet Basil. *homo de ieiunio* videndum esset, cuinam militemur carni an spiritui: Liberum enim est cui libuerit adhærere vt habet Bernard. *lib. de gratia & libero arbitrio*, qui idcircò ait mediam esse animam inter carnem & spiritum; quod dixerat Origen. *in epistolam ad Roman. quæ*, inquit, *si se iunxerat carni ad obediendum desideriis peccati efficitur vnum corpus cum ea. Si verò iunxerit se Deo, efficitur cum eo vnus spiritus; Arma porrò quibus militamus sunt membra nostra, quibus iniquitatem vel iustitiam operamur cum secundum carnem, vel mundialiter & secundum veterem hominem, vel secundum spiritum viuimus*, vti explicat Tertullian. *lib. de resurrect. carnis cap.47.* vbi sic verba Pauli reddit. *Ne ergo regnaueris in corpore vestro mortali delinquentia ad obaudiendum illi, & ad exhibendum membra vestra arma iniustitiæ delinquentiæ, sed exhibete vosmetipsos Deo velut ex mortuis viuos, & membra vestra arma iustitiæ.* Quomodo verò corpus & caro ministret spiritui & animæ quæ illo ad bonum vel malum vtitur, explicat fusius idem Tertullian. *lib. de anima cap.40. & 58.* Clem. Alexand. *lib.4. stromat.* August. *lib.4. contra Iulian. cap.12.* Referens Ciceronis verba ex *lib.3. de rep.* & de tota ista militia nostra Tertullian. *in exortat. ad martyr. cap. 2.* Ambros. *lib. de Elia, & ieiun.* vbi de variis etiam corporis exercitiis in hac pugna, vbi igitur Paul. ad exscindendum regnum peccati, negandúmque eius imperiis, & concupiscentiis obsequium impendendáque membrorum arma, & instrumenta iustitiæ, non iniquitati exercendæ, Romanos vehementer hortatus est Paulus, statim & proximè subdit: *peccatum enim vobis non dominatur: non enim estis sub lege sed sub gratia.* Quæ verba nobis obiiciebant aduersarij ad accusandam legem quasi faueret dominio peccati & tyrannidi, sed ipsorum ex superioribus intelligentia manifesta fit, quasi dicat facilè vobis est non pati dominium peccati, quia non estis sub lege siue sub statu, & conditione legis, quæ quidem iubebat, sed non præbebat auxilium quo imperata præstari possent: sed estis sub gratia quæ non tantum iubet quid fieri oporteat, verùm etiam vires addit, quibus id quod iubetur præstari possit, immò & perpetrata prius peccata delet, & vires fomitis frangit, atque debilitat: Quare occupat Paulus excusationem quam quis afferre posset, & peccati dominium quod patitur, longiori consuetudine confirmatum obtendere. Estis siquidem sub gratia non sub lege, Augustin. *in proposit. Epist. ad Roman. num. 18. Ante legem sequebantur homines concupiscentiam carnis, sub lege trahebantur cum sua concupiscentia; sub gratia nec sequimur concupiscentiam, Nec trahimur ab ea, in pace nulla est concupiscentia carnis*, & distinctius *tract.3. in Ioan. Ecce ad hoc venit Christus, vt eos qui sub lege erant redimeret vt iam non simus sub lege, sed sub gratia. Ille autem dedit legem, qui dedit & gratiam: sed legem per seruum misit, cum gratia verò ipse descendit: sed vnde facti erant homines sub lege? Non implendo legem: qui enim legem implet non est sub lege, sed cum lege. qui autem sub lege est, non subleuatur sed premitur à lege, omnes itaque homines sub lege constitutos, lex faciebat Reos, & adhoc illis super caput erat, vt ostenderet peccata, non vt tolleret, lex ergo iubet, dator vero legis miseretur & adiuuat in ea, quod lex iubet, conantes homines implere viribus suis præcepta legis, ipsa sua temeritate, & præcipiti præsumptione ceciderunt, & non fuerunt cum lege, sed sub lege facti sunt rei, & quoniam suis viribus implere non poterant legem, facti rei sub lege implorauerunt liberationis auxilium, & reatus quidem legis fecit ægritudinem superbis, ægritudo superborum facta est confessio humilium. Iam confitentur ægroti quia ægrotant, optant vt medicus veniat, & sanet ægrotos. Medicus autem est Dominus noster IESVS-CHRISTVS, &c.* varios quoque modos existendi sub lege explicat S.Thom. in comment. alij enim sunt sub lex, lege timore coacti, alij amore ducti & vtrique abstinent à peccato, neque eius dominium patiuntur.

Obiiciunt plurima ex *cap.7. ad Roman.* quæ implexa quidem videntur, sed ex ipsa serie totius capitis & obscurata vocum Homonymia, qua vtitur Paul. vti 20
nuper monuimus, manifesta fient quod paucis ostendo, plura leges apud Suar. *lib.9. de legib. cap.13. à n.10.* probat igitur Apostolus non esse peccandum Christianis quia, & peccato & legi mortui sunt: potéstque totus eius discursus hoc Syllogismo comprehendi: Lex non habet ius in hominem nisi quandiu ille viuit, vos autem non viuitis, sed mortui estis, immò legi, cum peccato, ergo lex nullum ius habet, vel dominationem

nationem in vos : maiorem propositionem quamvis vniuersalem, probat tamen in singulari casu, vel potius exempla declarat *vers.1.* coniugij nimirum in quo mulier, quæ sub viro est *ὕπανδρος* subuiro subiugalis viro alligata est, legi maritali viuente marito, & si cum alio fuerit etiam prætextu matrimonij fit adultera, eo vero mortuo soluitur à lege viri *ἀπὸ τοῦ νόμου τοῦ ἀνδρός*, quod & verti potest a lege viro quia lex matrimonialis est quasi legalis vxoris maritus, & maritus est vicissim vxori, quædam quasi viua lex minorem primi Syllogismi probat *v.4. Et mortificati estis legi per corpus Christi vt sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit, vt fructificemur Deo.* supponit Apostol. duplex quoddam coniugium allegoricum primum est in quo lex quæ peccatum & mortem occasione quadam causat, vt statim explicabo, maritus est, anima, vxor, proles, hoc coniugio suscepta, sunt opera mala, quæ fructificant morti, quia mortem pariunt : alterum coniugium est, in quo Deus siue Christus maritus est, anima, vxor, quæ Deo nupsit, proles sunt bona opera quæ Deo fructificant, ad hoc secundum coniugium transit anima mortuo primo marito, nimirum peccato, & lege, & iure quidē cum prioris cōiugij vinculo non teneatur, quippe quia morte viri fuli prorsus dissolutum, éstque in potestate, & arbitrio vxoris alias ambire nuptias : cum igitur anima soluta sit lege mortis tanquam vxor matrimonij lege mortuo maritò & alteri marito Christo sese dederit, debet ex eius motibus & legibus viuere, nouá nque vitam ex noui mariti præceptis & arbitrio instituere, illique in nouitate spiritus & cordis seruire, atque adeò quæ illi sunt grata præstare : Atque hæc quidem est Pauli ratiocinatio, modo expendamus eius verba quæ videntur obscuriora. *Et vos*, inquit *vers.4. mortificati estis legi per corpus Christi.* Id est lex quæ erat in hoc allegorico coniugio quasi maritus mortua est in vobis, cum eius imperium quo minatur, terret, accusat, damnat, & punit, & dat occasionem præuaricationis, per Christum sublatum est, atque adeò mortuum est, vti exponit Aug *lib.15. contra faust. cap.8.* non dicit tamen Paul. Legem esse mortuam, ne Iudæos offendat, sed illos mortuos esse legi, quia sicut siue vxor siue maritus mortuus sit, dissoluitur matrimonium, ita siue lex mortua sit, siue anima mortua sit legi, cessat matrimonium, cum lex mortua sit, anima quoque mortua est legi; atque idcircò validum est posterius illius coniugium per quod viuit, & Christi noui mariti facta est, & in illo viuit : atque in Euangelica gratia seruit.

Explicat verò quomodo contingerit hæc mors siue mortificatio, per quā anima mortua est legi. *Mortificati estis lege, per corpus Christi*, nempè per Christi passionē & crucem lex nobis mortua, & nos legi. Cum igitur lex non dominetur homini, nisi quasi viuens viuenti, & lex vobis mortua sit, & vos legi mortui per Christi crucem, non estis sub dominio legis, neq; eius imperio subiecti, id est, *non estis sub lege*, vt sitis alterius qui ex mortuis resurrexit, vt fructificemus Deo. Iamque cum nouo homine & Christo resurgente alterum iniistis matrimonium illiusque facti estis, nimirum per Baptismum illi incorporati, & cum eo facti vna caro, cuius matrimonij vi nouas proles Deo paratis, hoc est bona opera quæ ex Christi veluti semine, eius videlicet gratia concipimus, vt illa Christo & Deo quasi ipsorū parenti, & noui coniugij fructus offeramus. Vnde addit *vt fructificemus Deo*, pergit *v.5. & 6.* ostendere huius duplicis coniugij discrimen nam ex priori coniugio cum peccato vel lege, vel vt alij malunt Toletum sequuti, cum veteri homine sequebatur mala proles & fructus mortis siue mortiferi : *Cum enim* inquit *essemus in carne, carnalibus* adstricti desideriis teneremur, passiones peccatorum, vitiosi affectus & perturbationes, quæ ad peccata incitant *παθήματα τῶν ἁμαρτιῶν*, quæ per legem erant *τὰ διὰ τοῦ νόμου* acuebantur scilicet & excitabantur, occasione legis, *operabatur in mēbris nostris, vt fructificemus morti:* Illi siquidē affectus motus stimulent ad gignenda opera praua, & partus morte dignos, neque alij sunt huius infausti coniugij fœtus & fructus *εἰς τὸ καρποφορῆσαι τῷ θανάτῳ* quasi non sit alius huius coniugij finis quàm morti fructificare. Verùm per Christi crucem illa efficax passionum vis, & operatio fracta & quodāmodo eneruata est; atque adeò lex mortis quâ detinebamur & ligabamur, soluta prorsus est, quod significant hæc verba *v.6 Nunc autē soluti sumus a lege mortis in qua detinebamur. νυνὶ δὲ κατηργήθημεν ἀπὸ τοῦ νόμου ἀποθανόντος ἐν ᾧ κατειχόμεθα.* Obserua vocem *κατηργήθημεν* quod vulgatus *soluti sumus ἀπελύθημεν* vel *ἀπηλλάγημεν*, propriè significare eneruati sumus : Nam *καταργεῖσθαι* est eneruari siue inertem reddere *Αργὸς* enim siue *Αἔργος* est piger, iners & segnis, *Αργία & Α᾽εργία* cesso ab opere, otior & *καταργέω*, reddo *ἄεργον* & inefficacem cessare facio ab opere, reddo inutilē; inde Pauli verbum *καθηργήθημεν*. Itaque *καθηργήθημεν ἀπὸ τοῦ νόμου* eneruati sumus à lege, idem est per Sympallagem quod eneruata est in nobis lex, eiúsque vires fractæ & opponit Paul. *τῷ ἐνεργεῖσθαι* quod vsurpauerat *v. superiori* cum diceret quod existente lege passiones peccatorum operabantur in membris nostris, vt fructificarent morti *τὰ παθήματα τῶν ἁμαρτιῶν ἐνηργεῖτο ἐν τοῖς μέλεσιν ἡμῶν εἰς τὸ καρποφορῆσαι τῷ θανάτῳ*, illa porrò energia erat efficax operatio passionum, quas occasionaliter accendebat lex, à qua modo liberati & soluti sumus, fractis passionum illarum fructib. atque ipsa lege, quam vocat legem mortis *θανάτου*, cum tamen alij legant *ἀπὸ τοῦ νόμου ἀποθανόντος* lege mortua, alij verò *ἀποθανόντες* in qua mortui sumus, de qua varietate plura Hensius *in exercitat.* sacris *ad hunc locum*, vtráque lectio facit eundem sensum, siue lex mortua dicatur, siue nos mortui lege, siue lex illa dicatur mortis, quam occasionaliter operationes passionum causab ant, in qua lege detinebamur *ἐν ᾧ κατειχόμεθα*, quæ vox significat violentiam quandam, licet enim Græci omnem vim *κατέχειν* vocem, id faciunt, quia quæ nostra sunt, non nisi vi nobis eripi aut a nobis conseruari possunt, neque aliter communia, nobis propria facere videamur, & *κατέχειν* violentum quoddam sonat, vi igitur quadam, & reluctante mente, lege passionum detinebamur, & ab illis possidebamur: mortua verò lege euasimus liberi, ita vt seruiamus in nouitate spiritus, & non in vetustate literæ. Hic demum finis nostræ libertatis siue liberationis à lege est, non vt ex lege viuamus & simus, sed ne præstemus in veteri carnali, & animali viuendi more quo tenebamur, lege veteri dominante, & passionibus peccatorum, per legem in membris nostris operantibus, & morti fructificantibus, sed nouam vitam per spiritum Gratiæ, quem confert nouus vir Christus atque ita fructificemus in vitam æternam, non in mortem.

Quia verò ex toto hoc Pauli discursu, quo legem mortis edixit, & per illam passiones peccatorum in ax
membris nostris operari vt fructificarent morti, poterat quis inferre legem esse peccatum, aut saltem malam, vti faciūt aduersatij quibuscum hac quæstione disputamus, occupat Paul. v. vii. hanc obiectionem, illique respondet v. viii. *Quid ergo dicemus, lex peccatum est? absit*, quæ vox negantis, reiicientis, & abominantis est : non enim lex ipsa propriè aut in se peccatum est, sed per illam comparata est cognitio peccati, *sed* inquit *peccatum non cognoui nisi per legem*, *Nam concupiscentiam nesciebam nisi lex diceret*, *non concupisces*, id est id quod verè peccatum est, verbi gratia, vxoris, aut rei alienæ concupiscentia, non cognoui esse peccatum, nisi lex eiusmodi concupiscentiam tanquam malam prohiberet, illo vniuersali mandato

Exodi 21. Non concupisces, etsi aliquando id quod verè peccatum est nouerim esse peccatum, licet non doctus aut monitus à lege externa & Mosaica, eius tamen peccati grauitatem, & magnitudinem, & reatum etiam æterni quandoque supplicij non noui, nisi per legem, quæ & peccatum vetat & punit. Quare non nisi ineptè dicatur lex causa peccati, aut mala, & reprehensione digna quæ peccatum & prohibet, & punit. concupiscentia verò non tantùm.... externus actus prohibetur qui iam prioribus præceptis vetitus fuerat, non furaberis, *non mœchaberis*, sed interna quoque desideria, & concupiscentiæ (voluntariæ tamen & liberæ) in quibus solis peccatum residere ostendimus s. 1. & iterùm alibi monebimus, neque enim placet modò in eiusmodi quæstiones digredi.

Pergit deinde Paulus explicare & mollire quæ superius dixerat de lege mortis, quæ & abundare fecerat delictum, & quod passiones peccatorum excitatæ fuerint per legem, atque ita, excitatæ peccatum operatæ, quòd illa omnia lex non per se se effecerit, sed per occasionem quam dedit, ex eáque lex nobis perniciosa fuit per occasionem non datam, sed acceptam à concupiscentia, siue fomite, qui mandato legis quodammodo irritatus genuit in nobis omnem concupiscentiam, id est, omnis generis motus, puta iræ, libidinis, superbiæ, auaritiæ, & alios eiusmodi, & omnem concupiscentiam, id est vehementissimam ita vt vehementius excitemur, & inflammemur ad peccatum, quam excitaret peccati notitia nondum per legem habita, *sine lege enim peccatum mortuum erat*, quia non ita exercebat vires suas, sed languidè & mortuo quodam modo, minúsque incitabat: quàm lata lege: præterea tunc peccatum latebat, & occultum erat, neque virus eius apparebat hominibus, sed in quibusdam densissimis ignorantiæ tenebris sepultum iacebat, qui est sensus v. 8. *Occasione autem accepta peccatum per mandatum operatũ est in me omnem concupiscentiam. Sine lege enim peccatũ mortuum erat.* Id autem ipsum probat *v. 9.* Et hanc ipsam irritationem concupiscentiæ per legẽ & eius prohibitionẽ. *Ego autem viuebã sine lege aliquando*, id est non cognoscebam legem, v. g. antè rationis vsum, túnque concupiscentiæ quidem motus sentiebam, qui tamen defectu rationis peccata non erant vti explicat Hieronym. *quæst. 8. ad Algas.* & August. *lib 6. contra Iulian. cap. 11.* Deinde cum etiam infantiam egressus his motibus consentiens, atque adeò peccans, nondum tamen legem edoctus, viuerem quasi ex leg. neq; peccatum proinde curabam, aut agnoscebam, aut æstimabam, neque multùm ad illud incitabar, verùm cum mihi notum est mandatum, excitauit peccatum veluti prius mortuum, & quod latebat occultum, mihi apparuit. Ego verò peccato saucius & mortuus sum, quare quod mihi concessum fuerat ad vitam tuendam, meo quodam infortunio mortem attulit. *vers. 11. Sed cum venisset mandatum, mihique inuoluisset, peccatum reuixit*, exeruit vires suas, cum prius esset quasi sopitum. Et sanè sæpiùs experimur fomitem aliquandiu quodammodo latere, sopitum esse, & veluti extinctum, deinde magno quodam impetu exurgere, & ad turpia quæque importunè excitare, ego autem mortuus sum, & perij cum stimularet, & vehementius excitaret à fomite concupiscentiæ, túncque euenit vt mandatum, & lex quæ data mihi fuerat à Deo, vt me ad vitam perduceret, tum demonstrando peccatum, tum ad Christum peccati destructorem deducendo, esset mihi ad maiorem damnationem: Ego autem mortuus sum, & inuentum est in me quod erat ad vitam, hoc esse ad mortem, causam reddit *vers. 11. Nam peccatum* ad mortem, causam reddit *v. 11. Nam peccatum occasione accepta per mandatum seduxit me, & per illud occidit me. ἐξηπάτησέ με* fefellit, à via abduxit me, peccatum hoc est fomes peccati concupiscentia, occasione captata ex mandato seduxit & decepit me, atque à via mandatorum Dei quæ mihi monstrata erant à lege, abduxit, atque ea abductione & fallacia me interfecit. Itaque non fuit illa culpa legis quæ sancta est, & mandatum sanctum, & iustum, & bonum *v. 12.* quia lex aperit, & declarat peccatum, ac quale sit demonstrat, non autem affert, aut causat, mandatum quoque, id est quod lex iubet, aut prohibet, est quidpiam iustum sanctum, & bonum. Neque idcircò rectè inferes ex dictis mandatum quod in se ipso quidem bonum & sanctum est, mutatum esse, factumque mihi in mortem cum sit causa & occasio peccati, & consequenter mortis *vers. 13. Quod ergo bonum est mihi factum est mors?* Id reiicit Apostolus, absit, inquit, non enim hoc est vitium vel culpa mandati, sed hominis mandato abutentis, & contra illud peccantis, *sed peccatum vt appareat peccatum, per bonum operatum est mihi mortem, vt fiat supra modum peccans peccatum per mandatum*, hoc est vt redderetur euidentius quantum malum sit peccatum per occasionem legis quæ bona est, mihi exitium creauit, & legem salutiferam vertit in perniciem, & per bonum legis mihi mortem æternam & præsentem peperit, violatione legis, siue boni illius abusu *per bonum operatum est mortem.* Atque ita *peccatum factum est suprà modum peccans per mandatum*, quia peccati malitia, & virus ingens apparuit, cum per rem bonam puta legem accreuit, factáque est vt Græcus textus habet *ἁμαρτωλὸς ἡ ἁμαρτία* peccatrix peccantia, & sceleratum scelus, & vt loquitur S. Hieronym. *quæst. 8. ad Algas.* peccantius peccatum induxit videlicet Paul. per quandam Prosopopœiam, concupiscentiam quam vocat peccatum, propter causas sæpiùs allatas, quasi quandam personam quæ habeat artem peccandi, peccata fingendi, suggerendi machinandi, eamque exerceat, tanquam sæua quædam, & accepta occasione, ex rebus etiam bonis suis blanditiis pelliciat ad peccatum, atque tandem suum virus & malitiam prodat, quam pellaci fascino tegebat. In quibus omnibus denuò monendus es, Paulum non accusare legem tanquam ipsa dederit occasionem peccandi, sed ipsum peccatum occasionem accepisse ex lege *occasione accepta* inquit, qui enim aliquid bonum facit, non peccat, licet alij inde scandalizentur & peccent. Sic lex quæ iustè & sanctè peccatum prohibuit, & puniuit: non proptereà posuit occasionem peccandi, alioquin leges omnes damnandæ essent, quia inde subditus occasionem arripiat peccandi violando legem, & præuaricando. Neque etiam passiones peccatorum siue concupiscentiæ, peccati, dici possunt esse per legem, quasi lex illas operetur, quia peccatum, ipsaque concupiscentia ita operatur, & ad peccatum impellit occasione accepta à lege: qua etiam ratione dicitur lex mortis, non quia ipsa mortem operatur, sed quia peccatum mortem operatur occasione accepta ex lege, vti commentatur S. Thom.

Id totum amplius illustrat Paul, *vers. 14.* nempè le- 22
gem esse sanctam, & non esse causam peccati, sed hominem, qui se peccato subiicit, & praua carnis & peccati desideria sectatur. *Lex spiritalis est, ego autem carnalis sum, venundatus sub peccato.* Hoc est vt superius explicuimus, lex, sancta, & spiritualia præcipit, ego verò prosequor ea quæ carni placent, & sub dominio peccati cui me subdidi & vendidi mihi ipsi carnalis vitæ, peccati, ac proinde mortis causa sum, non lex, quod demonstrat ex interna lucta mentis, & concupiscentiæ quæ tandem sæpiùs mentem sibi subiicit, & quodammodò inuitam rapit ad peccandum consentientẽ, tamen vel quia à concupiscentia seducta, non satis attendit peccati malitiam, vel quia si nouit, ita pellicitur vt idipsum quod improbat, & odit, nihilominus præster,

conde

condelectetur quidem legi, nihilominus se trahi patiatur à contraria lege carnis, & membrorum vnde *vers. 15. quod enim operor non intelligo: non enim quod volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum hoc facio*: qui enim, inquit, Theodoret. à voluptate vel ira vincitur, illa animi perturbatione ebrius, non habet apertam peccati cognitionem, sed vbi ab illa perturbatione quieuerit, mali tunc sensum accipit, & S. August. *lib. 1. contra duas Epist. Pelagian. capit. 11. quod operor non intelligo, id est, per rationem & voluntatem non approbo motus & opera mea concupiscentia. Et sæpè eosdem motus non intelligo, quia rationem & intellectum praeueniunt. Quare einsmodi passionum prauitatem non dispicio.* Quæ est expositio methodi apud Epiphan. Hæresi. 61. *Non enim quòd volo bonum, hoc ago, sed quod odi malum hoc facio* obseruat Theodor. illud *non volo, & odi* non necessitatem, sed imbecillitatem significare, cùm non necessitate, aut vi aliqua impulsi peccemus, sed à voluptare deliniti, ea faciamus quæ scelerata & flagitiosa abhorremus. Lex verò docet quid sit malum, & eiusodium animæ inserit. Docet quoque hoc loco Chrys. in ipsis etiam peccantibus esse quandam boni & virtutis velleitatem, & imperfectum quoddam odium mali, Augustin. ait iustum velle non concupiscere, quod est bonum quod optat, odit verò malum quòd est concupiscere ita vt velit non concupiscere, & nolit concupiscere, nihilominus tamen concupiscat in quo est angor animi; quare addit Paul. *vers. 16. Si quod nolo illud facio, consentio legi quoniam bona est.* Id est si concupisco, quod tamen nolo, quod nolens facio quod potius patior, consentio legi, ratione & voluntate approbo, quod bona sit, & tunc mens & voluntas mea integra & intacta est, quia legi adhæret & cum ea consentit, atque vt vertit Syrus interpres suffragium fero legi quod bona sit, Theod. illud odium quod in peccatum à lege accepi. Legem itaque defendo, & eam rectè habere fateor. Tunc porrò non operatur deliberatè, sed inuitus animus, sed ipsa concupiscentia quæ in nobis habitat, *vers. 17. Nunc autem iam non ego operor illud, sed quod habitat in me, peccatum.* Id est concupiscentia nobis insita, quæ imperanti menti repugnat. Pergit Paul. hunc conflictum interiorem pluribus explicare, quæ legas licet. Nostro enim huic instituto modo nihil conferunt, qui hoc dumtaxat volumus ostendere legem Mosaïcam malam non fuisse, contra quosdam qui Pauli verbis ineptè abutebantur. Quæ omnia licet illustri S. Hieronymi commentario *quæst. 8. ad Algasiam* concludere. *Quomodo medicina non est causa mortis, si ostendat venena mortifera, licet his malis homines abutantur ad mortem & vel se interficiant, vel insidientur inimicis: Et hæc lex data est, vt peccatorum venena monstret, & hominem sua libertate abutentem, qui prius ferebatur improuidus, & per præcipitia labebatur fræno legis retineat, & compositis doceat incedere gressibus, ita vt seruiamus in nouitate spiritus, & non in vetustate literæ, id est viuamus sub præcepto, qui prius in modum brutorum animalium dicebamus, manducemus, & bibamus! Cras enim moriemur, quod si subintrante lege, quæ docet quid facere, & prohibet quod non facere debeamus, vitio nostro, & incontinentia feramur contra scita legalia: videtur lex causa esse peccati: quæ dum prohibet concupiscentiam, quodammodo eam inflammare cognoscatur. Sæcularis apud Græcos sententia est, quidquid licèt minus desideratur, ergo è contrario, quidquid non licèt fomentum est desiderij. Vnde & Tullius de parricidarum suppliciis apud Athenienses Solonem scripsisse negat, ne tam prohibere quam commonere videretur. Igitur lex apud contemptores, & legum præcepta calcantes videtur esse occasio delictorum: dum prohibendo quod non vult fieri, ligat eos vinculis mandatorum, qui prius absque lege peccantes, non tenebantur criminibus: hæc diximus, legem quæ per Moysem data est, intelligentes &c.* concludamus igitur cum Baruc. cap. 4. 1. *Hic liber mandatorum Dei, & lex quæ est in æternum: omnes qui tenent eam, peruenirent ad vitam: qui autem dereliquerunt eam, in mortem conuertere Iacob, & apprehende eam, ambula per viam ad splendorem eius contra lumen eius, ne tradas alteri gloriam tuam, & dignitatem tuam genti alienæ, Beati sumus Israel: quia quæ Deo placent manifesta sunt nobis.*

Hactenus de bonitate & æquitate legis Mosaïcæ. 23
Sequitur vt de eius perfectione agamus, quàm huic legi negat S. Thomas 1. 2. *quæst. 91. art. 1.* Et sanè si cum lege gratiæ comparetur, imperfectam siue minus perfectam esse constabit, quod inferiùs demonstrabimus. Si verò in sese & absolutè consideretur, certum quoque est illam imperfectam fuisse, id enim disertè Paulus affirmat ad Hebræos 7. 18. *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem eius & inutilitatem; nihil enim ad perfectum adducit lex: Introductio verò melioris spei per quam proximamus Deo*, & sanè non alia de causa murata est, nisi quia imperfecta erat, alioquin retenta fuisset.

Dicendum igitur legem illam pluribus perfectio- 24
nibus caruisse, atque adeò iure imperfectam dici potuisse, cùm illi plurima defuerint ad perfectionem pertinentia v.g. virtus iustificandi, spiritus gratiæ adiuuans infirmitatem nostram, perfectio sacramentorum, & sacrificiorum, consilia quoque ad perfectionem propter quæ omnis dicitur infirma, immò & inutilis à Paulo, ideóque reprobatam, & nihil ad perfectum adducere, eiusque loco introductam per nouum mandatum, meliorem spem per quam Deo proximemus r Agit enim ibi Paulus de nouo Christi Sacerdotio secundum ordinem Melchisedech, Aaronico Sacerdotio reiecto tanquam infirmo, & inutili: Non enim potuit per sua omnia crebra Sacrificia homines sanctificare, & perducere ad vitam æternam; quare Sacerdotium illud reiectum est, & vna cum ipso lex, non quod mala esset, sed propter infirmitatem, cum hominem iustificare non posset, neque vires sufficeret, vel ad præcipuum suum finem assequendum, vel ad præcipua eius opera præstanda. Finis siquidem ille est vita æterna, quam sine iustitia, remissione peccatorum & gratia comparare non possumus. Quæ omnia lex dare non poterat quod ad Hebræos IX. monet ipse Paulus: opera quoque à lege præcepta siue diuisiuè siue collectiuè sumantur, non poterat etiam sine spiritu gratiæ & eius viribus, quas lex non suppeditabat præstare, ideóque inutilem dixit *cap. 7.* verbis citatis & nihil ad perfectum adducere, quia nullum hominem quamvis omnia illius sacrificia, aliaque religiosa opera quæ imperat, seruaret perficere potuit, neque sanctificare & ad vitam æternam, in qua est summa eius perfectio perducere: Omnem autem hominem designat Paul. per vocem, *nihil, ad perfectum adducit lex*, vti exponit Theophylact. Nam eiusmodi nomina neutra commoda sunt ad vniuersitatem designandam, quod facit aliquando scriptura; vt Ioan. 6. 37. *Omne quod dat mihi pater, ad me veniet*, & v. 39. *Hæc est autem voluntas eius qui misit me Patris, vt omne quod dedit mihi non perdam ex eo, sed ressuscitem illud in nouissimo die.* Hinc obseruat Theophil. Paulum non nominasse legem prauam, sed infirmam, & inutilem, & consummandum nempè & perficiendum, sicut lac infantibus vtile est & necessarium, non vero iam grandioribus & firmæ, ac perfectæ ætatis. Ita lex infantibus

Iudæis vtilis fuit, quos ab Idolis ad verum Dei cultum abduxit per conuenientia mandata, & carnales victimas, ac purificationes quibus perfecti non indigent, Ideóque introducto nouo Christi Sacerdotio vice Aaronici, inuecta & introducta melior spes per Euangelij gratiam, & noua Sacramenta, per quæ iustificati vitam æternam speramus, per legem enim & legis Sacerdotium habebamus quidem iustitiam carnis, & exteriorem munditiam, per quam non fiebamus Deo propiores, cum per gratiam Christi noui Sacerdotis efficiamur Deo proximi: quare lex vetus quantum in se erat, insufficienter, & inefficienter ordinabat hominem ad finem supernaturalem, atque adeò minus perfecta erat.

25 Altera imperfectio erat, quod plurima difficilia opera, neque multum vtilia imperaret. Quare Petrus Acto. 15. 10. *Vocat iugum quod neque ipsi neque patres eorum portare potuerunt*, quibus verbis non significat quidem impossibilitatem omnimodam, sed grauem difficultatem, quæ quædam moralis impossibilitas est, eam hoc loco perit Augustin. *serm. 9. de verbis Domini* ex innumerabilibus obseruationibus imperatis, cruentis, & carnalibus institutis, in cibis, & in potibus, & in variis baptismatibus & iustitiis carnis, quæ non poterant perfectum facere seruientem, iuxta conscientiam ad Heb. 9. 9. mundabant quidem homines ne à cæterorum conuictu, & rerum aliarum contractu prohiberentur, non tamen poterat perficere τελειῶσαι consummare, vti vertere solet vulgatus *iuxta conscientiam*, & secundum interiorem hominem, & si mala erat conscientia non poterant bonam facere; quamvis quis accuratè ea omnia iussa seruaret, & Religioso illo cultu Deo seruiret, *nec perfectum facere seruientem* inquit λατρεύοντα: hæc quidem onera vtilia erant illi populo carnali vt in officio continerentur, & ab Idolorum cultu auocarentur, ideóque sapienter illi fuerant, anthore Deo imposita, qui etiam illi suppeditabat auxilium ad legem implendam, vti alias monuimus ex D. Thom. 1. 2. *quæst. 98. art. 5.* Id tamen non præstabat ex debito & virtute legis illius, sed ex gratia Christi futuri. Ideóque lex in se imperfecta manebat propter eiusmodi defectum.

26 His omnibus, accedit. Tertiò legis eiusdem terror, quo ad eius obseruationem cogebantur homines, non amore inuitabantur: Ideóque lex timoris dicta fuit, quod explicat Augustin. *lib. contra Adimantum cap. 16. & 17.* & *lib. de morib. Ecclesiæ cap. 28.* Hinc dicta fuit lex seruorum potius quàm filiorum. Quare Paul. ad Rom. 8. 15. *Non enim accepistis spiritum seruitutis τὸ πνεῦμα δουλείας iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum πνεῦμα υἱοθεσίας*, & Galat. 4. 24. dicitur in seruiturem generare filios.

27 Erat præterea. Quartò lex illa infantium & paruulorum, qui adhuc sunt sub tutore & Pædagogo, vt ait Paul. *cap. 3. & 4. galat.* Quintò ob mercedes dumtaxat bona temporalia quibus velut paruulos & infantes alliceret. Sextò non dabat consilia maiora perfectionis, paupertatis, castitatis aliáve similia, & indulgebat quædam minus perfecta, neque quandoque sine mali periculo. Ex quibus omnibus defectibus constat, legem quidem Mosaïcam bonam fuisse, sed non vsquequaque perfectam, sed pluribus perfectionibus caruisse.

28 Dicendum nihilominus est legem illam fuisse in suo genere, gradu, & ordine perfectam, quod affirmat S. Thom. *quæst. 98. artic. 2.* Si enim ratione generis illam spectemus, fuit lex diuina, & omnia quæ genus illud requirit, habuit authorem videlicet proximum Deum, eiusque voluntate, & potestate latafuit, atque adeò supernaturalis, cum per fidem innotuerit hominibus, atque ad finem supernaturalem ordinata fuerit, & præterea quandam immutabilitatem ex diuina voluntate participauit, vt dicemus inferius, ideóque *sancta, bona, iusta & spiritalis* vocatur à Paulo ad Roman. Septimò vti fuit explicatum.

Iam verò si illam legem consideremus secundum propriam speciem, & vt talis est, perfecta omninò extitit quia quod spectato tempore quo data est & durauit, iis quibus data est pro conditione ac statu eorum, nihil illi defuit, quod debitum esset, sed iis omnibus sapienter accommodata: quâ in re consistere legis perfectionem sapienter vidit S. Thom. t. c. Si enim leges viris Religiosis accommodatæ, sæcularibus imponantur, & lex viris propria, pueris lata, inepta erat, neque eorum institutioni accommodata: Cum igitur lex Mosaica habuerit omnem perfectionem quam status humani generis & illius maximè populi, cui sanciebatur, requirebat, quandoquidem præcipiebat omnia necessaria ad cognitionem veri Dei & Christi, atque ad rectitudinem vitæ moralis, atque politicæ, perfecta omnino fuit in sua specie.

Hanc de qua loquuti sumus hactenus æquitatem non modo ex ipso Authore Deo & sacris literis, sed externorum quoque sapientum testimonio, placet comprobare qui suam inde ciuilem, moralémque Sapientiam magnam partem hauserunt. nam & chalcidius Platonicus in Timæum Platonis *p. 351. Editionis Mursiana*, Philosophiam Hebraïcam commendat, quam & Clemens Alexandrin. Archetypum facit, vt quæ Philosophiæ gentilium facem prætulerit & Aristobulus Iudæus Ægyptius Ptolomæi Philometris magister, ex *lib. 2. Mach. cap. 1. 10.* testatur apud Clem. Alexand. *lib. 1. Stromatum*, & Eusebium *de præparat. Euangelia lib. 9. cap. 6.* Pythagoram multa ex Iudæorum disciplina in sua transtulisse πολλὰ τῶν παρ' ἡμῖν μετήνεγκε εἰς τὴν αὐτοῦ δογματοποιίαν, multa inquit, quæ nostræ sunt disciplinæ in suæ sectæ dogmata transtulit. Ioseph *lib. 1. contra Apion.* Idem quoque de eodem Pythagora affirmat ἐγνωκώς τὰ παρ' ἡμῖν δῆλός ἐστιν, ἀλλὰ καὶ ζηλωτὴς αὐτῶν ἐκ πλείστου γεγενημένος planè nouit disciplinam nostram, sed & eiusdem plura cupidè amplexus est de Platone Aristobulus *iam laudatus*, similia tradit apud Clem. & Euseb. *locis adductis* Κατηκολούθηκε τῇ καθ' ἡμᾶς νομοθεσίᾳ καὶ φανερός ἐστι περιειργασμένος ἕκαστα τῶν ἐν αὐτῇ λεγομένων leges & instituta nostra sectatus est, à quo etiam partes eorum curiosè & diligenter excussas esse constat.

Idem ait Clem. Alexand. *in protrepticο & in Pædagogo lib. 5. cap. 1.* & τὸν ἐξ Ἑβραίων φιλόσοφον Philosophum ex Hebræis expressè vocat *lib. 1. Stromat.* Quod & sentit Iustin. Apolog. 2. & Ioan. Philoponus *in Genes. lib. 1. cap. 2. lib. 3. cap. 5. & lib. 6. cap. 5 r.* Theodoret. *in Theraphentico lib. 5. 6. & 11.* ex Hebraïcis fluentis hausisse, quæ de Deo & eius cultu scripsit Ambros. *in Psal. 118.* Mosis gesta, legis oracula & prophetarum dicta cognouisse. Vide & *lib. de Noe cap. 8.* & Augustinus *de doctrina Christiana capit. 28. & retractat. lib. 2. capit. 4.* Falluntur tamen qui Ieremiæ auditorem faciunt Platonem, qui sæculis aliquot Ieremia posterior fuit, concludamus cum Tertullian. *in Apologet. capit. 47. quis Poëtarum? quis sophistarum? qui non omninò de Prophetarum fonte potauerit. Inde igitur Philosophi situm ingenij sui rigarunt*, & Clem. Alexandrin. *lib. 5. Stromat.* παρὰ Μωσέως καὶ τῶν προφητῶν τὰ κυριώτατα τῶν δογμάτων

λων ἐκ εὐχαρίςως ἀπηνέγκε, à Mose & Propheris præcipua sua dogmara satis ingrati acceperunt. Quare vides falsum Lactantium *lib.4. de vera Sapient. cap.*2. dum quætitur Pythagoram & Platonem ad Magos Ægyprios, & Persas penetrasse veritatis indagandæ causa, Iudæos verò non adiisse penes, quos tamen solos tunc veta Religio & sapientia tesideret. Quin & de Aristotele fas est idem affirmare quandoquidem Philosophiam Peripateticam cuius Princeps fuit Aristoteles, idem qui supta Aristobulus apud Clem. *lib.5.Stromat.* Ex lege Mosaïca & Phrophetis pendere dixit ἐκ τε τῦ κατὰ Μωυσέα νόμου καὶ τῶν ἄλλων ἠρτῆσθαι προφητῶν, Refertque Selden. *lib.1. de iure naturali Hebræo capit.* 2. Antiquum Hebræorum commentum Aristotelem moribundum, animæ immortalitatem pœnæ, & præmij rationis à peculiatibus semi posteris, id est, Iudæis edoctum tradidisse, atque à Simone iusto Monitum sententias vniuersas, de quibus ante senserat contra legem ac doctrinam Hebræorum mutasse, & in alium prorsus virum euasisse. Quia immò Pythagoram circumcisum fuisse Clem. *lib.1. Stromat.* & Theodoret. *in Therapentic.lib.*1. Neque dicas ritu quidem id factum Ægyptio, & simul Iudaïco & à Iudæis accepto sanè Laërti. *lib.* 8. *de vitis Philosophorum* testatur Pythagoram dum peregrinaretur, cunctis tum Barbarorum tum Græcorum mysteriis initiatum fuisse, neque id de Pythagora mirum videri debet, cum Ambros. *lib.* 1. *Epistol.* 5. Dicat pleraque arbitrari ipsum ex populo Iudæorum genus duxisse, & ex eius disciplina deriuasse magisterij præcepta, meritóque magnum apud Philosophos habitum æqualem vix reperiisse. Deinde mandatum illud quo Discipulos suos communem atque vsitatam populo prohibuerit ingredi viam, ex Mose ex Exodo desumpsisse demonstrat. Numan quoque Romanus, siue Pythagoreus fuit vt ait. Dionysi. Halicarn. *lib.* 2. siue Pythagora antiquior Iudæorum doctrinam hausisse putat Clem. *lib.1. Stromat.* Et ex libris septem de disciplina Sapientiæ anno V.C.DLXX. sub Ianiculo in agro Petilij scribæ repertis, atque Numæ ex Arculæ inscriptione tributis, iussuque Senatus crematis, ostendunt illam Hebraicam disciplinam: non verum ne nostrorum dumtaxat Christiana testimonia corrogasse videamur. Ipsi etiam externi suam Philosophiam à Iudæis accepisse fatentur. Ita de Pythagora vetustissimus eius vitæ scriptor apud Ioseph. *lib.1. contra Apion.* vbi & ait illum docuisse interdictum de anima, de mundirie & de blasphemio ait, illeque ipse Hermisp. *lib.1.de legislatorib.* ἐν τῷ πρώτῳ περὶ νομοθετῶν ἱστορηκώς, narrat Pythagorum à Iudæis ad Græcos Philosophiam transtulisse, quod refert Origen. *lib.1. contra Celsum.* Porphyrius in vita Pythagoræ idem scribit, & addit Babylone cum Chaldæis aliis versatum, & Zabratum Ζαβράτον à quo fuerit pristinæ vitæ sordibus expurgatus παρ᾽ οὗ καὶ ἐκαθάρθη τὰ τῦ προτέρου βιώματα. Hunc autem Zabratum qui & Zaradus & Zarethas aliquando dictus est fuisse Nazaræum, Assyrium Phytagoræ præceptorem, ex Alexandro Pythagorico apud Clem. Alexand. existimauit Hostenius in obseruationibus ad Porphyrij vitam Pythagoræ Clemens verò *lib.1. Stromat.* ait aliquos Nazaræum fuisse Ezechiëlem existimasse, qood & probat Selden. *lib.1. de iure naturali cap.* 2. Tota difficultas est circa ætatem Pythagoræ & Ezechiëlis, de qua disputat eo loco Selden. adducitque Saidum Batricidem scriptorem Arabiom, qui ex pluribus veterum scriptis, quæ nobis interciderunt Chronicon diligentissimè contexuit, & post captiuitatem Babylonicam in quam abductus est Ezechiel, Pythagoram collocat. Hæc omnia de Philosophia tum morali tum ciuili, & politica ab Hebræis demonstrant, aliqui adductis pluribus sapientiis Pythagoricis & Platonicis, quas ex Hebræis desumptas esse volunt, quas tamen suo aliquando more corruperunt cum maxima iniuria veritatis, quod quæritur Tertulian. *lib.de anima.cap.*2. *& in Apologetico cap.*41. possent quoque politiarum diuersa instituta adduci, & cum Mosaicis componi: inde enim statim appareret politiæ Mosaïcæ, quæ eius maximè legibus continetur æquitas, quam cæteræ gentium politiæ sibi imitandam esse censuerunt. Verùm ista comparatio longioris esset operæ, & nimium diu aberraremus, idque commodius præstabimus cum in operis decursu, lex aliqua singularis tractanda eiusque sanctitas demonstranda; atque diuersæ aduersus illam calumniæ diluendæ erunt: sufficiat impræsentiarum legis Mosaïcæ in vniuersum æquitatem docuisse, ipsis etiam externis Philosophis & sapientibus testibus, qui illam & probarunt, & in sua dogmata transtulerunt. Quærit verò singillatim S. Thom. 1.2. *quæst.*106. de æquitate præceptorum iudicialium, quæ circa principes, Ciues, Externos, & alios Reipublicæ status à Mose sancita sunt, quod vti iam monui in decursu operis commodius explicabuntur, ne vniuersum ius politicum vnâ quæstione per infinitam disgressionem complecti parùm appositè velimus.



CAPVT IV.

De obligatione & cessatione legis diuinæ Mosaïcæ.

QVÆST. I. *De obligatione legis Mosaicæ.*
QVÆST. II. *De abrogatione legis Mosaicæ.*

PRIMARIVS effectus legis est obligatio, cuius vim hoc loco in lege Mosaïca explicare necesse est.

QVÆSTIO I.

De obligatione legis Mosaïcæ.

Lex Mosaica obligabat Hebraos in conscientia, n.1.
Obligationis huius quantitas, n.2.
An distincta sit ab obligatione naturali, numer.3.
Quid de carimonialibus & Iudicialibus, numer.4.
An obligatio sit etiam cum periculo vita, numer.5.
An fuerit lex aliqua permissiua, n.6.
Obligatio ad pænam, n.7.& 8.
Quanam fuerint eius pramia, n.9.& 10.

QVæ de hac obligatione primario legis effectu quæri possent hoc loco, ex his quæ de natura legis in

vniuersum dicta sunt, & quæ inferius de lege humana, ipsiusque effectibus dicentur, explicata manebunt. Quare iudicanda dumtaxat potius impræsentiarum sunt quàm pertractanda.

1 Certum imprimis est legem Mosaïcam obligasse in conscientia Hebræos, quibus lata est ad sui obseruationem, quod ei ex natura legis in communi, atque obligatione, quæ nulla aut inutilis valde esset, si subditorum conscientias aliquo modo non obstringeret, tum quia violatores illius peccatum etiam Deo, & culpam, vt loquuntur Theologicam admittebant, & denique cum ipsa lex humana subditorum conscientias, licet vti demonstrabimus suo loco inferius potiori iure id diuinæ legi concedendum fuerit. Quare Paul. de hac ipsa lege loquens ad Galat. 5. 2. *Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ:* quod debitum, & obligatio legis seruandæ ex accepta circumcisione natum, leue admodum erat, nisi conscientiam circumcidentis se aut Circumcisionem passi, voluntariè nimirum περιτεμνομένῳ, liget.

2 Huius verò obligationis quantitas, leuitas, aut grauitas petenda est ex grauitate, vel leuitate rei præceptæ, sicut fit in legibus humanis; nam licet in lege diuina maior sit dignitas præcipientis, ex illa tamen non debet sumi tota mensura obligationis & culpæ in violatione legis commissa, sed ex specifica ratione materiæ, cuius leuitas vel grauitas mensura est obligationis, quod fatetur S. Thom. *quæst.* 100. *artic.* 2. vbi discrimen ponit inter legem diuinam & humanam, quod cum lex humana tantum prospiciat communi bono Reipublicæ, non præcipit, nisi actus iustitiæ, si autem præcipit actus aliarum virtutum, eatenus solum eos præcipit, quatenus respiciunt rationem aliquam iustitiæ. Quia verò lex diuina ordinat hominum communitatem ad Deum, ideò præcepta proponit de actibus omnium virtutum, quia per actus omnium virtutum homo rectè cum Deo componitur: Ita tamen vt quædam cuiusque virtutis opera, sine quibus ordo rationis, obseruari non potest, cadant sub obligationem præcepti, quædam quæ pertinent ad bonum statum & perfectionem virtutis, cadant sub consilium ex quibus vides diuinam legem non eandem & vnimodam obligationem afferre, quæ cum diuersa sit, aliunde quàm à diuersitate materiæ præceptæ, sumi, non potest, cum vnus & idem sit omnium præceptorum, finis vnaque & eadem sancientis authoritas. Denique lex naturalis quàm diuinam promulgationem & transcriptionem esse diximus *cap.* 3. diuersitatem obligationis inducit pro ratione materiæ. Igitur & lex diuina positiua idem præstabit.

3 Quæri tamen iure potest: an obligatio quam imponit diuina lex, noua & distincta sit circa quædam præcepta, quæ lege naturali tenebamur obseruare, & quæ tamen sua lege positiua denuò imperauit Deus, qualia sunt præcepta Decalogi quia cum eædem materiæ sub iisdem rationibus virtutum præcipiuntur (quamvis distinctis legibus) non inducunt diuersas obligationes siue specie, siue numero distinctas, vt videmus in ieiunio diuersis legibus imperato: Hoc autem contingit in nostro casu. Nam lege naturali singula Decalogi præcepta exceptâ festiuitate Sabbathi seruare tenemur, quæ eadem *Exodi* 24. diuina lege sanciuntur. Itaque quoad eiusmodi moralia præcepta, lex diuina declaratiua dumtaxat, & non constitutiua esse videtur, secus quam circa cærimonialia & iudicialia.

Nihilominus dicendum videtur diuinam legem (etiam circa moralia & naturalia præcepta) fuisse veram, legem constitutiuam, & non declaratiuam dumtaxat prioris legis & obligationis, per modum cuiusdam doctrinæ, sed Authenticæ, vti contingit in lege humana declaratiua, quæ tunc potius est doctrina, quam lex, nisi dicas illam obligare ad sequendam eiusmodi declarationem, quæ idcircò debet esse Authentica, & quodammodo obligatiua. Probatur verò quia diuina lex etiam circa ista præcepta vera & propria lex vocatur in scripturis, & ea præcepta ita propria dicuntur, vt absolutè, præcepta vocentur ad distinctionem cærimonialium & iudicialium, quod superius obseruasse me memini ex Deuteron. 4. & 5. vbi & eorum obseruatio sollicita, idcircò grauiter commendatur. Et sanè Hebræi, quibus data est lex, obligarentur vi eius ad mandata illa moralia, quamvis ignorarent inuincibiliter aliqua ipsorum esse de iure naturali, & è contrario cæteri non Hebræi laborantes eadem inuincibili ignorantia, non tenerentur eiusmodi præceptis, quamvis illa sancita fuissent Iudæis, quia non tenentur lege Hebræis lata. Nouam igitur & distinctam obligationem à lege naturali lex Mosaïca imposuit circa illa præcepta, quare dicendum est Hebræum in illis delinquentem, vel duplicem culpam admittere vel saltem grauiorem. Quia quando præcepta eiusdem rationis circa idem multiplicantur, si peccatum in ea transgressione non multiplicetur, grauius saltem fit vt quando ius ciuile & Canonicum idem præcipit, vel ius naturale & positiuum simul, quid imperat: Siue maior illa obligatio fiat ex plurium obligationum concursu, siue per eiusdem augmentum intensiuûm, & non solùm extensiuûm, id enim in re morali non distinguitur accuratius.

Hanc porrò in conscientia, siue ad peccatum obligationem non modo impositam circa moralia præcepta, sed etiam circa cærimonialia & iudicialia æquè certum mihi videtur. Et de cærimonialibus quidem non video dubitari, cum illa Religionem, & diuinum cultum spectarent, finémque diuinum intenderent, de iudicialibus verò negauit Gerson. *tract. de vita spirituali lect.* 2. *Alphab.* 61. Ex falsa opinione leges humanas, quæ solam humanæ politiæ gubernationem respiciunt, neque sanciuntur vt homines reddant vita æterna dignos, non obstringere subditorum conscientias, sed pœnæ dumtaxat Reos constituere, quam sententiam confutabimus inferius, vbi de lege humana & ciuili disputabimus. Neque enim lex (eo quod pœnam adiiciat) non obstringit conscientiã subditi, imò ex grauitate pœnæ sancitæ, grauitatem pœnæ passim colligunt, DD. atque in hac ipsa lege diuina, videmus pœnas & comminationes æquè adiici præceptis moralibus, atque iudicialibus, non tamen idcirco dicemus illa moralia non obligare in conscientia, sed ad solum Reatum pœnæ, adiectæ finis denique rectæ politiæ & gubernationis quem intendit aliqua lex, non excludit finem vitæ æternæ, sed illi subordinatur, nam seruando externam iustitiam & pacem Reipublicæ, potest quis si iustus sit mereri vitam æternam, illáque se dignum reddere, cur igitur eorum obseruatio non poterit præcipi sub obligatione conscientiæ. Denique constat eiusmodi præcepta esse diuina ex authore, & forma præcipiendi, illis in communi cum aliis præceptis diuinis. Materia verò illorum est capax obligationis ad veram culpam siue in conscientia, quia est opus alicuius virtutis moralis, & maximè iustitiæ, quidnam igitur déest ad inducendam obligationem in conscientia?

Circa grauitatem obligationis quæri potest: an ea in quocumque periculo etiam vitæ conscientiam subditorum obliget? & præcipua difficultas est de

præceptis

præceptis negatiuis, quia illa semper & pro semper, obligant, Deusque pro summa sua authoritate obligare sine vlla exceptione potest, stante, vero & perseuerante obligatione nunquam licet agere contra illam, & si quopiam casu fas sit agere contra legem præcipientem, aut prohibentem, necesse est, vt tunc temporis, eoque casu v.g. in periculo mortis, cesset obligatio legis: non agimus autem de præceptis moralibus lege naturali obligantibus, quæ nunquam sine peccato violari possunt, sed de præceptis positiuis quatenus positiua, quia vel non sunt præcepta iure naturali prius obligatiua, vel illis aliquid positiuum ex sola legislatoris æquissima voluntate dependens.

Aio igitur eiusmodi diuina præcepta quatenus positiua, licet negatiua sint, non obligare cum periculo vitæ, nisi tunc eorum violatio fiat in contemptum Dei vel Religionis, quo casu certum est malam & Sacrilegam fore eiusmodi Religionem, vt patet *lib.* 2. *Machab. cap.* 7. mortem subiére Machabæi ne carnem porcinam lege vetitam comederent, at verò Suidas hoc casu, legem positiuam etiam diuinam non obligare cum tam graui periculo docet Soto *lib.* 1. *de iustit. q.* 1. *art.* 6. Adrian. *quodlib.* 1. *art.* 3. *ad* 5. & *quodlib.* 6. *art.* 2. *ad* 2. & *in q.* 3. *de clauib. except.* 8. Soar. *lib.* 9. *de legib. cap.* 2. *n.* 7. Docétque Machabæorum exemplum *lib.* 1. *cap.* 2. pugnarunt enim die Sabbathi propter periculum vitæ, si impugnantibus eo die hostibus non resisterent, neque se Religione & lege Sabbathi teneri sapienter iudicarunt, nō quod impendente metu & periculo liceret contra diuinam vel humanam legem obligantem agere, sed quia tunc cessat obligatio, ac proinde non violatur lex obligans. Et quod passim dicitur præceptum negatiuum semper & pro semper id est, perpetuo & omni occasione obligare, intelligendum est de præcepto prohibente aliquid intrinsecè malum, aut si tale non sit, obligabit nihilominus quoties non erit grauis necessitas, aut periculum soluens siue tollens obligationem pro eo momento. Et quamvis Deus pro sua summa potestate possit, obligare etiam quocumque ingruente periculo, id tamen fecisse existimandum non est, cum suauis eius diuinæ prudentiæ contrarium nobis persuadeat.

Quæritur ad extremum circa hanc obligationem; an semper fuerit ita stricta & rigida, & nulla fuerit vera & propria lex permissiua diuina. Est verò permissio non prohibitio alicuius mali, aut libertas faciendi quod aliunde prohibitum est, quod contingit duobus, primò quando factum prohibitum vel ex se malum non punitur, quam permissionem facti quidam appellant, quâ ratione Deus voluntariè dicitur peccata permittere, quamdiu ea non punit, Altera permissio est, quâ lex permittit aliquid facere, quod aliunde prohibitum est, quam vocant permissionem iuris, quia illud quod prohibitum fuerat, liberè & impunè fit, authore iure & lege, quod fuerat alias prohibitum, estque illa vera, & propria permissio, quæ duobus quoque modis contingere potest. Nam lex non modo non plectit aliquod peccatum & peccanti concedit impunitatem, sed etiam virtualiter quodammodo iubet, ne sic operans puniatur, aliàs verò per modum priuilegij, exemptionis, atque immunitatis, siue denique dispensationis tollit prohibitionem, ita vt iam facere liceat sine culpa quod aliàs prohibitum erat, & sine peccato præstari non poterat, quæ vt vides permissio neque pura immò neque propria est, sed dispensatio, quæ omnia vbi de legibus permissiuis humanis agemus inferius. Explicabuntur assignatis variis permissionis modis cum S.Thoma *in* 4. *dist.* 33. *q.* 5. *art.* 2.

6 Aio itaque nullam fuisse veram & propriam permissionem lege Mosaïca concessam, sed si quæ in illa reperiatur esse dispensationem & priuilegium per quod obligatio, siue prohibitio tollitur in eo peculiari casu, vel singulari persona, quod inductione singularum eiusmodi permissionum, quas in scriptura factas legimus demonstratur. Nam Polygamiam, quæ permissio supponitur *Deut.* 21. quamque, sine culpa vsurpatam scimus à Patribus ex Augustin *lib.* 1. *de nuptiis cap.* 9. & Innoc. III. *in cap. Gaudemus de priuileg.* nulla lege positiuè, statuitur, sed præsuppositiuè, Nam iam olim concessam supponit lex, & de illa vt iamdiu bene seruata per legitimam dispensationem agit. Idem dico de permissione libelli repudij *Deuteron.* 24. de vsura fœneratiua cum alienigenis, de colligendis vuis in vinea aliena, modo inde efferantur *Deut.* 23. de sacrificio Zelotypiæ, *num.* 5. Et cætera quibusdam in quibus omnibus facillimum est dispensationem aduertere: quare meritò diximus nullam fuisse factam propriam permissionem ponendi actum malum vel prohibitum, durante malitia, vel prohibitione actus, sed per dispensationem quæ & prohibitionem sustulit, & consequentem ex ea malitiam, si enim illa proflueret ex natura rei, ea malitia non posset etiam à Deo permitti, etiam per veram dispensationem, sed impropriam facta mutatione materiæ, quod fusè explicuimus priori libro cap. hactenus de obligatione ad culpam, restat obligatio ad pœnam.

Dico igitur legem Mosaïcam obligasse ad ferendam pœnam, quam vel ipsa imponebat, vel comminabatur & imponi mandabat vti sæpiùs faciebat; ideóque lex timoris & seruitutis fuit appellata. 7

Obserua verò quod diximus *in disquisitione de censur.* & *tom.* 2. *de vniuersa negotiatione* duo esse genera pœnarum; aliæ enim incurruntur ipso facto, & imponuntur à sola lege, & ideò dicuntur secum trahere executionem, quia non indigent vlla actione externa siue delinquentis siue alterius, cuiusmodi sunt censuræ. Vbi enim commissum est delictum, & censura inflicta est vel à Lege vel à Iudice, eodem momento absque noua actione incursa est, & habuit suum effectum. Vnde fit vt ne quidem per prouocationem ad superius Tribunal suspendatur. Ratio est, quia sunt pœnæ priuatiuæ quæ priuant aliqua aptitudine ad quidpiam agendum, vel obtinendum & hominem inhabilitant, inhabilem & ineptum reddunt ad quidpiā. Aliæ verò sunt pœnæ, quæ vt habeant suum effectum exigunt aliquam actionem vt mandentur executioni, cuiusmodi sunt pœnæ corporales vel pecuniariæ, quæ etiam sunt, iterùm duplicis generis, quædam latæ à lege, quædam ferendæ à Iudice, quæ tamen omnes exigunt sententiam Iudicis, vel condemnatorum vel declaratorum criminis, vti locis citatis fuit expositum. Dico igitur fuisse in lege Mosaïca ista omnia genera pœnarum, quædam enim erant veluti inhabilitates, & irregularitates quæ reddebant inhabilem ad aliquid faciendum, illæ verò imponebantur à lege, neque vllam aliam actionem externam aut iudicis ad sui effectum requirebant, vt videbis *Leuit.* 11. & 15. & *n.* 19. de contingente mortuum & aliis eiusmodi. Quamvis dici posset non semper fuisse proprias pœnas, cum aliquando sine culpa incurrentur, vt videmus hodie in irregularitatibus quæ etiam ab innoxiis incurruntur. Cæteræ omnes pœnæ quæ non erant priuationes, vel solæ inhabilitates non erant subeundæ ante sententiam Iudicis, vti monui, & colligi videtur ex *Exodi* 21. atque aliis locis, quamvis enim aliquando supponerent aliquam obligationem naturalem, vt restituendi iniustè accepta, & compensandi damna illata, quæ obligatio prorsus implenda erat, etiam seclusa

lege & sententia Iudicis ; non tamen hæc obligatio habet rationem pœnæ, & potest impleri qua ratione placuerit reo, modu iustitiæ naturali ad æquitatẽ satisfaciat, quatenus tamen à lege vel à iudice designatur modus, & quantitas eiusmodi compensationis, haber rationem pœnæ, ad quam dico minimè teneri reum ante sententiam siue condemnatoriam, siue declaratoriam criminis, contentúmque esse posse æquali compensatióne ad quam iure naturali obligatur.

8 Legem Mosaïcam pœnas inflixisse aduersus, ipsam peccantibus constat, quare iure quæri potest num etiam præmia proposuerit imperanda seruantibus, & quænam illa præmia fuerint.

Et primò quidem præmiorum pollicitationibus vsum Deum fetendo, hanc legem patet ex *cap.* 19. Exodi. *Deuter*. 4.27. *&* 28. atque alibi sæpiùs apod Prophetas, qui tum comminationibus tum promissionibus rebellem & parùm obsequentem populum vrgebant. Et sanè prouidi Legislatoris est, tum præmiis tum pœnis sua edicta sancire, neque Deus promptior ad puniendum quàm ad compensandum dici potest, ne minus liberalem, & misericordem, quam seuerum faciamus. His adde legem Mosaïcam latam fuisse, quod olim monuimus per modum pacti, fœderis, & contractus cuiusdam, quo populus se ad diuinum obsequium. Et obseruationem mandatorum obstrinxit, & vicissim Deus acceperit illum populum in peculiarem, suam protectionem & prouidam curam, victoriam inimicorum, possessionem Regionis olim Patribus ipsorum promissæ, melle & lacte fluentis, aliaque eiusmodi promisit isto fœdere & solemni contractu.

Dubium tamen est cuiosmodi fuerunt hæc promissa, præmia. Et quidem temporalia fuisse plurima, dubitari nequit ex allatis scripturæ locis, rationémque reddit S. Thomas 1.2. *q.99.art.6.* quia cum illa lex data fuerit populo imperfecto, qui temporalibus maximè mouebatur, conueniens fuit promissionibos bonorum, & malorum eiusdem ordinis comminationibus illum vrgere : qua etiam de causa S.D. existimat Paul. *Galat*. 3. comparasse legem Pœdagogo, qui puerum aliquando flagellis terret, aliàs leuibus munusculis ad quæ afficitur allicit.

9 Difficultas tamen est, an lex sola temporalia & promiserit & exhibuerit, non verò spiritualia, & æterna, ita enim omninò sentit Thom. qui 1.2. *q.*100.*art.*12. *ad* 2. verba illa *Leuit*. 18. & *Ezechiel* 20. *Custodite leges meas atque iudicia, quæ faciens homo viuet in eis*, exponit de vita temporali, legis siquidem transgressoribus mors infligebator, & adducit Paul. ad Galat. 3. 11. *&* 12. *iustus ex fide viuit, Lex autem non est ex fide, sed qui fecerit ea homo viuet in eis*, vbi prior vita ex fide spiritualis intelligenda est, ideò dicit Paul. viuit iam vitam illam possidet, posterior autem vita ex lege non est eadem cum priori, cum fidem & legẽm ibi ponat Paul. & legem neget esse ea fide? Vita igitur legis quæ opponitur fidei est quoque opposita fidei, & proinde temporalis : vnde ait viuet in illis, id est, in lege & præceptis, quia non incurret pœnas legis, vel etiam viuet in iustitia legis quæ externa tantum erat, quomodo ipsemet Paul. illa verba ad Roman. 10.5. *Moyses enim scripsit quoniam iustitiam quæ ex lege est, qui fecerit homo viuet in ea.* Vbi Paul. apertam iustitiam ex fide & ex lege distinguit, ac proinde vitas quæ ex diuersis illis consequuntur. Huius quoque videtur esse sententiam Augustin. *lib.* 18 *de Ciuit. cap.* 11. ait enim in veteri Testamento res terrenas, in nouo Cœlum promissum, similia tradit *quæst.* 92. *exod. &* *quæst.* 33. *in num.* Hieron. *Dialogo* 1. *aduersus Pelagian.* quos reprehendit, quia dicebant in veteri testamento cœlum promittit, cum inquit, perspicuum sit Regnum Cœlorum, primum in Euangelio prædicari, vide & Bern. *serm.* 30. *in cant.* certum tamen aliunde est patribus antiquis, & animarum immortalitatem, & vitæ æternæ promissiones innotuisse illarumque, aduersa quæque tolerasse. Nam Thobias *cap.* 2. vxorem & filios sic solatur. *vitam illam expectamus, quam Deus daturus est iis qui fidem suam nunquam mutant.* Eleazar *lib.* 2. *Machab. cap.* 6. hortatur se se ad mortem subeundam pro seruanda lege, quia alioquin manus omnipotentis Dei nec viuus nec defunctus effugiet *cap.* 7. secundus fratrem sic solatur. *Sed Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in æterna vita resurrectione suscitabit* : Vide & quæ mater dicit filiis *ibid. Isa* 64. quæ *oculus non vidit Deus absque te quæ preparasti expectantibus te*, quæ eadem repetit Paol. 1. *ad Cor.* 2. Daniel. vero *cap.* 12. de futuro Prophetans : *Et multi de iis qui dormiunt in terræ puluere euigilabunt, alij in vitam æternam, & alij in opprobrium vt videant semper.* Paul. ad Hebræos 11. de antiquis sanctis plurima passis, *non suscipientes redemptionem, vt meliorem inuenirent resurrectionem*, perlege totum caput & prius *cap.* 4. denique apud Luc. *cap.* 18. rogat Christum, quidam quid faciendo vitam æternam possidebo, quare ne hæc omnia inter se pugnent, dicendum est legem ex se se non promisisse æterna, sed temporalia ; aliunde tamen supposuisse promissiones factas patribus vitæ æternæ, quæ per fidem & Charitatem, atque legis obseruationem ex iisdem motiuis & diuino obsequio debita erant, quæque deinde appertissimè in lege noua Euangelica prædicata & promissa sunt. Quomodo verò iusti essent aliqui in illa lege, & meritoria opera exercerentur dictum fuit superius *q.*4. *&* 5.

QVÆSTIO II.

De cessatione & abrogatione legis Mosaïcæ.

Quot modis mutetur lex, n. 1.

Israël Dei peculiaris populus, n. 2. & 3.

Lex Mosaica omni modo mutabilis erat, n. 4. 5. 6. & 7.

Non potuit tamen nisi à Deo, n. 8.

Potuit tamen esse locus Epychia, n. 9.

Reipsâ mutata, immò & abrogata fuit ratione gentium, n. 10. 11. 12. & 13.

An etiam ratione Iudæorum fuerit abrogata, n. 14. 15. 16. 17. & 18.

An tota fuerit abrogata ; an pars tantum, & quænam, n. 19.

An quoad præcepta iudicialia, n. 20.

An quoad moralia, n. 21.

Quo tempore fuerit abrogata, n. 23. 24. 25. 26. & 27.

An facta fuerit mortifera, 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. & 36.

Quandonam mortifera fuerit, n. 37. 38. & 39.

Cur Ritus Iudaici seruati ab & de contentione Petri & Pauli, n. 40. & 41.

PErtinet maximè ad nostrum institutũ de iure Ecclesiastico quæstio ista. Cùm enim Ecclesia Christiana successerit Israëliticæ, immò vna eadémque

cum

cum illa sit, ratione diuersi dumtaxat status distincta, tenebitur iisdem diuinis legibus, eodémque iure regetur, nisi priores illæ leges fuerint abrogatæ, aut alia quapiam ratione cessauerint obligare, quare id accuratè disquirendum à nobis est. Quatuor verò quæstiones disceptandæ sunt prima. An lex diuina Mosaica cessauerit, & abrogata fuerit secunda. An tota & vniuersa illa lex cessauerit, vel secundum aliquam dumtaxat partem tertia. Quando nam cessauerit quarta. An non modo cessauerit, sed eius quoque obseruatio prohibita & mala fuerit, siue vt passim loquuntur, non modo lex illa inutilis & mortua fuerit, sed etiam mortifera, secundum omnia præcepta, an verò saltem secundum aliqua, & quænam illa.

1 Obseruandum imprimis est legem aliquam variis modis mutari posse, nam primò mutatur lex quod immodo ex se & velut ab intrinseco, quod contingit quando vel defectu materiæ, vel finis vel rationis eius obligatio cessat; siue secundum aliquam partem in particulari aliqua occasione, & casu singulari, vel eadem obligatio integra & secundum vniuersam materiam desinit. Est tamen discrimen aliquod inter illos duos modos mutationis legis. Nam quando partialis tantum est, & circa peculiarem dumtaxat casum vel materiam, mutatio fit per interpretationem, diciturque æquitas vel Epijchia: quoties verò mutatio talis integra est, dicitur absolutè cessatio legis & obligationis secundò. Mutatur lex ab extrinseco, quia per actionem legi ipsi contrariam aufertur ab habenta potestatem eius obligatio, siue quoad partem aliquam siue quoad totum, prius fit per dispensationem, posterius fit per abrogationem: addunt & aliqui alium mutationis modum cum S. Thom. 1. 2. *quæst.* 97. *art.* 1. nimirum additionem alicuius perfectioris, sed eiusmodi additio est noui cuiusdam statuti inductio, si antiqua statuta mutet, erit illorum abrogatio per alicuius melioris inductionem. Quare ad mutationem per modum cessationis aut abrogationis pertinebit, hos omnes mutationis modos inferius explicabimus Paulò fusius, agentes de iure positiuo humano, in quo crebrius reperiuntur, nunc quærimus dumtaxat, quænam ex illis mutationibus circa diuinam legem veterem contigerint.

2 Repetendum est secundò Deum Hebræorum gentem in peculiarem sibi populum elegisse, cuius eximij beneficij neglectum ingrato populo Moses acerbius sub mortem exprobrat *Deuteron.* 32. 8. in suo illo Cantico quod Angelorum hominumque auribus dignissimum esse dixit Philo. *lib. de Charitate* ὑμνῳδίας ἐποιεῖτο διὰ παντὸς ἁρμονίας καὶ συμφωνίας εἴδους ἵν κατακούσωσιν ἄνθρωποί τε καὶ ἄγγελοι λειτουργοί in quo ita reprehendit peccata vetera, vt nouis simul præceptis imbuat, in futurorum bonorum spem erigat, & affectua eximiæ charitatis in suam gentem inter obiurgantis animi seueritatem prodat. Quare idem Philo vocat eiusmodi Canticum τὰς χορείας ὁσιότητι καὶ φιλανθρωπίᾳ τρόπον τινὰ συνυφασμένας chorus sanctitate charitatéque quodammodo contextus. Ait igitur, *Quando diuidebat Altissimus gentes: quando separabat filios Adam constituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Israel, pars autem Domini populus eius: Iacob funiculus hæreditatis eius.* Hoc est cùm Deus confusis ædificantium turrim Babylonicam linguis, filios Adam, id est, homines ab inuicem separaret, & in varias gentes toto orbe terrarum diuideret, certam & conuenientem Regionem pro Hebræis tanquam peculiari & electo populo assignauit, atque ita populum illum præ aliis sibi delegit veluti in partem hæreditariam, tanquam funiculo mensorio ab aliena hæreditate diuisam. Quare & eos ab illa linguarum confusione exemit, suam propriam linguam & Idioma, quo hactenus vsi fuerant ex multorum interpretum sententia relinquendo. Illa quidem verba *iuxta numerum filiorum Israel*, difficilem videntur habere intellectum: Cùm alij legant iuxta numerum filiorum Dei, alij, cum lxx. Angelorum Dei, quas aliasque lectiones diligenter expendunt Salmeron. *tom.* 1. *Prolegom.* 6. Barradius *tom.* 1. *concord. Euangel. lib.* 2. *cap.* 10. & *in itinerar. lib.* 9. *cap.* 14. Lorin. aliique passim interpretes in hunc Deuteronomij locum, sed quamlibet sequamur lectionem, eundem eliciemus sensum nostro instituto accommodatum. Quando igitur diuideret altissimus gentes siue ex Hebræo quando hæreditare fecit, aut hæredes & possessores constituit. Quando separabat filios Adam, cum disseminaret filios hominum: Adam enim non sumitur propriè, & vt proprium primi hominis nomen sed appellatiuè, & cuiusvis hominis commune. Constituit terminos populorum, constituit singulis gentibus suas fines, & certas regiones iuxta numerum filiorum Israël primò lxx. Angelorum Dei Sanctorum nimirum non malorum, aut Dæmonum. Quia cuique genti suum assignauit præsidem. Sibi verò regimen vel præfecturam populi Hebraïci reseruauit, quo pertinet illud Ecclesiastici *cap.* 17. 14. ἐν μερισμῷ τῶν ἐθνῶν τῆς γῆς πάσης ἑκάστῳ ἔθνει κατέστησεν ἡγούμενον, καὶ προσελάβετο τὸν Ἰσραὴλ ἑαυτῷ μερίδα. In diuisione gentium totius terræ, vnicuique genti proprium constituit ducem, & accepit Israël sibi partem. Secundò Hyperbolem, agnoscunt alij vt maximo numero gentes diuiserit, sicut Angeli in maximo numero sunt: tertiò seruata vulgata lectione *iuxta numerum filiorum Israel*, eadem gentium multitudo significatur quas ita dimisit, vt multos condiderit populos. Qui omnes numero pares essent, vel superarent filios Israël, quibus tamen omnibus aliorum iure nimirum Angelorum commissis, ipse vnum Israël curandum, seruandúmque susceperit. Pars autem *Domini populus eius: Iacob funiculus hæreditatis eius.* Vnde infert Irenæ. *lib.* 3. *cap.* 12. populum qui Deo credit non esse sub potestate Angelorum sed sub potestate Domini. Origenes autem *homil.* 8. *in Exod.* inde probat vnicum Deum esse colendum Israëli, Angelos siquidem quibus Deus gentes regendas commisit, Deos ab illis dici & coli; at cum ipsemet excelsus regat Israëlitas ab iis vnicè colendum esse, quasi diceret Deus. O populus Israël qui pars Dei es, qui funiculus hæreditatis eius effectus es, non erunt tibi alij Dij præter me. Inde Paul. ad *Galat.* 6. 16. Christiani nominantur Israël Dei, propter hanc præcipuam, tum huius populi tum terræ Chanaam ipsis destinatæ, electionem, terra illa etiam prius quam ab eo populo incoleretur, cognominata est Sancta, ex destinatione dumtaxat diuina, quod obseruauit Lorin. *in cap.* 12. 3. *Sapientia*, immò & Tyrum ipsam dici montem Sanctum Dei, apud Ezechiel. *cap.* 28. 14. Arbitratur villa ibid. & Corneli. quia sita erat intra terminos huius terræ sanctæ, nempè in Tribu Aser, ideóque Principi Tyri verti vitio, quod qui terram Sanctam incolens, longius abesset à Sanctitate. Ipse verò populus frequenter electus à Deo peculiaris præ aliis omnibus Sanctus, ipsi Hæreditas, eiusmodique aliis nominibus donatur in scripturis & *Zacha* 11. 7. Ex duabus virgis quarum vna decoris appellabatur, alia funiculi, posterior ad Hebræorum gubernationem spectat interprete Hieronymo in Isai. *cap.* 59. & Rupert. *in citatum Zacharia locum.* Et sanè ille populus cognominatur virga hæreditatis Dei *Gerem.* 10. 16. & *Psal.* 73. 2. quia hæreditates siue possessiones virgis diuidebantur, qua de re disputat Villal. Paud. *in cap.* 4. *Ezechiel. lib.* 3. *c.* 8. quamquam virga illa quæ funiculus dicitur apud Zachariam

chariam alterius fuerit, vt sapienter existimauit Sanct. generis à virgis hæreditatem. Erat enim virga pastoralis præferreata vnco & quasi hamata, quæ à cruribus ouem capit. Quasi funis aut laqueus, ideóque dicitur à Latinis pedum, quæ pedes vincit ac trahit; a Suida dicitur κάλαβρωπ quo dicit capi pecudes, sicut pisces hamo, & opponitur apud Zachariam virga decoris: Noam Hebraicè נעם iucunda & mitis, éstque baculus modicè à summo inflexus, ita vt nihil afferat nocumenti, quamvis ab irato pastore proijciatur in pecudem; verum redeamus in viam quandoquidem nobis satis superque constat populum Hebræum, Dei populum singulari prærogatiua dictum esse, quæ ab illo regeretur & instrueretur.

3 Hanc itaque gentem tanquam peculiarem suam Rempublicam lege lata temperauit, de qua hactenus egimus, & quod morum honestatem, diuinum cultum, & communem denique politiam instruxit, deditque illis mandata, cæremonias & iudicia: mandata continent legem Moralem, suntque decem verba, siue præcepta Decalogi: cæremoniæ docent Religiosum vnius numinis cultum: iudicia denique quæ inter Ciues variosque eorum ordines, & cum externis seruanda sint, vti superius explicuimus, quæ omnia lex simul complectitur, de hac igitur lege quam diuinam esse, ex superiori prima & secunda quæstione constat, quærimus; an aliquam mutationem passa sit, an eius obligatio cessauerit; an verò perseueret hactenùs.

4 Dico imprimis diuinam legem Mosaicam esse mutabilem omnibus illis mutationum generibus quæ recensuimus notatione prima. Ratio a priori est, quia eius obiectum mutabile omninò est, cùm opera per illam præcepta, aut prohibita possint pro vno tempore, & non pro alio præcipi, vel vetari, quamvis enim diuina voluntas à qua lex illa immediate non tantum effectiuè, sed quasi formaliter tota pendebat, cum ab illa sola acciperet totam suam vim obligandi, à qua in esse legis constituitur, sit immutabilis, illi tamen immutabilitati non officit mutabilitas, ipsáque mutatio legis externæ sicut neque aliorum obiectorum externorum, vti alias fusius demonstrauimus 1. *p.* de diuinæ voluntatis decretis & immutabilitate disputantes, & facilè intelligi potest hoc loco circa mutationem legis a Deo latæ.

5 Potest enim Deus legem variis modis ferre. Primò quidem absoluto quodam decreto, quo velit legem aliquam perpetuò, absolutè, & simpliciter durare absque vlla limitatione, siue conditione expressa, vel tacita & subintellecta, qua ratione voluit præmium beatorum & pœnas damnatorum æterna esse; eiusmodi porrò lex semel lata perpetua & ita immutabilis est, vt ne quidem à Deo mutari possit, saltem in sensu, vt aiunt, composito, cum implicet diuinum decretum absolutum non impleri, aut impediri per aliquam aliam voluntatem & decretum etiam diuinum, alioquin aliqua diuina voluntas absoluta, inefficax, & mutabilis esset, eaque tota mutabilitas intrinseca esset voluntati, & tota mutatio in illa reperiretur, neque in obiectum aliudvè quidpiam extrinsecum reijci posset. Quomodo verò ista immutabilitas diuinæ voluntatis cohæreat cum eiusdem libertate, disputauimus eo loco, neque ad intricatissimam illam difficultatem digrediendum modo est.

6 Secundò potest Deus ferre legem pro certo tantum aliquo tempore, vel vsque ad certum terminum & euentum, quo posito lex lata cessabit, tertiò potest Deus velle legem quam sancit durare sub tacita aliqua conditione, vel quamdiu aliod non statuet, qui tamen modus refertur ad priorem: quia quando Deus refiget legem à se latam, non suscipiet nouam voluntatem intrinsecam, quam ab æterno non habuerit, sed voluit ab æterno accedente noua conditione, aut vsque ad illud tempus quo condet nouam legem, aut priorem cessare, perseuerabit, habuitque proinde Deus ab æterno voluntatem vt lex cesset, tâ conditione posita nouæ legis, aut alterius cuiuspiam rei, aut adueniente certo temporis termino. Quare tunc non est opus noua reuocatione latæ legis, aut nouo decreto & voluntate in Deo, sed adueniente, temporis pro quo lata fuit, termino, eo ipso cessat, vti contingit quoque in legibus humanis, in quibus tunc non opus est noua reuocatione, aut noua voluntate Legislatoris ipsam rescindentis. Quare tota illa mutatio legis non fit per physicam & realem successionem in ipsa lege, sed per modum desitionis cuiusdam, vti contingit in relationibus, quæ desinunt mutato aut desinente termino. Nam lex signum est voluntatis diuinæ vel humanæ obligantis pro tali tempore, quo elapso non amplius significat eiusmodi voluntatem; atque adeò desinit, sicut signum desinit tale esse, quando res significata desinit, vti quandam fusius ostendimus in Logicis de veritate & falsitate propositionum disputantes. Quod si Deus legem refigat per contrariam legem, & voluntatem, illa voluntas nouæ legis sanciendæ, & prioris tollendæ fuit quoque ab æterno in Deo. Neque nouus actus Deo aduenire intelligendus est, etiam nostro concipiendi modo, ex quibus vides legem mutari posse absque vlla mutatione, vel mutabilitate intrinseca diuinæ voluntatis, quæ semper essentialiter & intrinsecè eadem est, quamvis eius effectus externi mutabiles sint, & reipsa mutentur. Lex verò sancita hominibus, est signum, & effectus diuinæ voluntatis, ad talia opera præstanda, aut non præstanda tali tempore obligantis, in quos effectus, vt in cætera omnia Deo extrinseca, & à diuina voluntate dependentia, cadit mutatio, licet ipsam diuinam voluntatem non attingat, neque mutabilem vel mutatam intrinsecè faciat, aut significet vti 1. *part.* loco citato fuit accuratiùs explicatum.

Ex quibus omnibus, explicata manet altera pars 7
nostræ assertionis, nimirum legem diuinam Mosaïcam fuisse mutabilem omnibus illis mutationum speciebus, quas ibidem enumerauimus, & tum ab intrinseco tum ab extrinseco. Primò quidem modo defectu materiæ, vel finis, & rationis propter quam lata est, & mutatione personarum quibus lata secundò per reuocationem, dispensationem, interpretationem, detractionem, & diminutionem factam ab habente potestatem. Deinde mutari potest vel secundum se totam, vel secundum aliquam sui partem, vel per omnimodam abrogationem, vel per alterius inductionem: siquidem mutato Reipublicæ Iudaïcæ statu cui lata erat lex Mosaïca, ex fine ob quem lata est; necessariò & veluti ex natura sua cessare debuit, deinde potuit in illa dispensari, potuit, & æquam ac legitimam interpretationem pati; & denique aliquid ipsi addi & detrahi, vt patet cum non contineat nisi præcepta mutabilia, & quæ pro variis temporum momentis, & rerum articulis commoda, aut incommoda videri possint.

Dicendum secundò nihilominus est, nullam ex istis 8
mutationibus in lege diuina Mosaïca nisi à Deo, ipsóque immediato Authore fieri potuisse, alioquin lex secundum illam mutationem, non esset diuina, vt patet sed prorsus humana. Secundò quia cum lex pendeat à voluntate Legislatoris obligantis, cuius tota lex externa est dumtaxat, aut signum aut effectus vt monuimus, non potest illa mutari nisi ab alia voluntate, vel superiori vel saltem æquali. Nulla verò alia voluntas aut superior diuina voluntate, aut illi æqualis fingi

fingi poteft. Quare obligationem ab illa pofitam reuellere nequit, ac proinde neque totam legem, vel eius partem abrogare. Neque ab ea quandoque difpenfare, quod fufius oftendit Salmeron. *tractat.* 16. *in acta.* Ex pluribus fcripturæ locis Dei Verbum æternum & irreuocabile effe, & à nullo eius vim & efficaciam tardari, impediri, & infringi poffe, ipféque Innoc. III. *cap. fuper eod. de vfuris* probat vfuram effe indifpenfabilem, quia paginis vtriufque teftamenti prohibita fuit. Supponit igitur Pontifex tantam effe diuinæ prohibitionis, quam vtriufque teftamenti paginæ continent, efficaciam, vt in ea nullus, ne ipfe quidem Pontifex difpenfare poffit. Eftque ratio manifefta quis enim poteft facere licitum, quod Deus voluit effe fua prohibitione illicitum: id autem faceret difpenfatio; quæ vel tollit prohibitionē, vel illa perfeuerante facit licitum quod prohibitum erat. Potuerat quidem Deus facere poteftatem fummo Pontifici Aaronico, aut alicui Prophetæ difpenfandi in lege Mofaïca. Verum ea difpenfatio fieret adhuc immediatè à Deo concedente poteftatem difpenfandi, potius quam ab homine Dei nomine difpenfante: quia Dei voluntas obligandi per eiufmodi legem non fuiffet prorfus abfoluta, fed tacitè conditionata, & determinata, nifi nimirùm Pontifex, aut alius eiufmodi difpenfaret. Itaque difpenfatio non effet contra prohibitionem aut decretum diuinæ voluntatis, fed illi omninò confentaneom, neque tunc in obligatione legis fieret propriè difpenfatio, quæ fupponit obligationem legis in qua fit. His adde nullibi tradi in fcripturis aliquam eiufmodi poteftatem difpenfandi in lege diuina Mofaica conceffam fuiffe, neque vllum talis difpenfationis vfum repetire licet.

9 Alia longè ratio eft de interpretatione & Epiichia, quæ non eft nifi admodum impropria mutatio, & difpenfatio: illam enim licitam fuiffe & a Deo eius poteftatem conceffam, colligimus ex eius neceffitate ad fuauem & prudentem Reipublicæ adminiftrationem: quandoquidem eæ nonnunquam occurrunt occafiones, in quibus prudenter & quodammodo neceffariò cogimur iudicare, non fuiffe voluntatem Legiflatoris in his circunftantiis obligare propter grauia incommoda, quæ fequerentur & moralem quandam impoffibilitatem, fiue fummam difficultatem tunc implendi præceptum. Quod contingit tribus maximè in cafibus, primò in dubiis de obligatione vrgente, aut non vigente, vel de vera intelligentia legis quare *Deut.* 17. 78. imperat Deus vt in dubiis circa leges referatur ad facerdotes ex Leuitica tribu, & eum qui illorum præeft Concilio, eorumque decreto ftetur fub mortis interminatione, neque ibi tantum agitur de caufis criminalibus & ciuilibus, fed etiam de legalibus quæ ad munditias, immunditiáfque pertinerent, & quæ de cæremoniis facris, de fide & Religione agerent: quæ omnia ad legis obfcuram quandoque fententiam exponendam faciebant. Vide Lorin. *in comm.* In his omnibus vbi lis definiri nequibat ab inferioribus iudicibus, prouocabatur, ad fummum Pontificem refidentem in loco facro, cuiufmodi fuit Ierufalem, is autem vtebatur quoque aliorum ad hoc deputatorum, iudicio, & definiebat controuerfias tanquam verus & certus legis interpres, fiue per Vrim & Thumin. fiue quo alio modo fecundò. Vbi duæ leges contrariæ eodem modo videbantur obligare, videndum erat quænam implenda tunc effet. Sic *Math.* 5. Chriftus ait licuiffe circumcidere hominem in Sabbato, ne lex præcipiens circumcidi die octauo violaretur *Leuit.* 12. & de eiufdem Sabbati materiali violatione & externa, & tamen inculpabili à Sacerdotibus immolantibus, vt feruarent alteram legem *Numer.* 24. latam ait Chriftus *Math.* 15. Tempus faciendi Phafe præfcriptum *Exod.* 12. exponitur per legem *Numer.* 12. 3. fimilis interpretatio licita erat in cafu neceffitatis, quæ tamen extrema effe non debuit, & ex facti euidentia. Quare Machabæi pugnandum etiam effe dixerunt die Sabbati & repellendos hoftes 1. *Machab. cap.* 2. Achimelech fummus Sacerdos *lib.* 1. *Reg. cap.* 21. dedit Dauidi fugienti panes propofitionis, quibus alioquin vefci ei non licuiffet, nifi ob grauem neceffitatem quâ vrgebatur. Et Chriftus excufat difcipulos à calumniis Pharifæorum, quod Sabbato fpicas vellerent & fricarent *Matth.* 12. Vbi probat licuiffe fibi conferre ægris fanitatem Sabbato, quia licebat quoque eo die bouem è fouea in quam ceciderat extrahere, & ligatum foluere vt adaquaret.

Dico tertiò non modo legem Mofaïcam fuiffe mutabilem, fed reipfa mutatam, eiufque obligationem abrogatam. Hæc affertio iam olim definita eft ab ipfis Apoftolis: Cum enim Antiochiæ Iudæi Chriftiani facti contenderent folos Iudæos tanquam promiffionis & Abrahæ folos filios ad Euangelij gratiam admittendos effe, non verò gentiles, aut fi gentiles admitterentur, non nifi ea conditione admitti oportere, vt legem Mofaïcam feruarent & Circumcifionem fufciperent. Cuius duplicis erroris primus veluti author fuit Cerinthus tefte Epiphan. *Hæref.* 28. vbi ait illum Petro reftitiffe cum venit ad Cornelium, adfuiffe illis qui coram Apoftolis feditionem illam mouerunt, quæ decreto Apoftolico fedanda fuit, & à Paulo notari cum iis quos vocat falfos teftes exploratores, euerforefque libertatis Chriftianæ *Galat.* 2. 4. fimilia tradit Philafter. *in Catalogo Hæref.* Auguftin. *de Hæref.* 8. Hieronym. *epift.* 89. & alij, acceffit Cerintho Ebion. Aduerfus Paulum, qui cum Barnaba tuebatur acriter gentilium partes, & vti nefas effet Petro primum Enuti ad Cornelium teftitui, ita & Paulo cum Ebion, qui vt ait Epiphani. *Hæref.* 30. comminifcebatur Paulum gentilem primò fuiffe, & cum Ierofolymis filiam Sacerdotis habere non potuiffet, cuius caufa Profelytus factus fuerat, poftea in fectatum effe Circumcifionem, & Sabbatum, & vniuerfam legem, huius igitur erroris occafione *facta feditio eft, non minima Paulò & Barnaba aduerfus illos*, inquit Lucas *v.* 2. quia nimirùm Paul. & Barnab. aduerfus hos errores difputabant, ex eoque diffidio orta commotione ab iis feceffernot, duplici enim voce ςάσεως & συζητήσεως vtitur Lucas, quæ fignificant difceptationem & tumultum ad quem fedandum vifum eft Ierofolymam ad Petrum, Iacobum, & cæteros Apoftolos, fi qui adeffent, & Prefbyteros, ac feniores prouocare, & coram illis controuerfiam agitare, ipforumque iudicio definire. Quare Paulus & Barnabas & quidam alij ex ipforum aduerfariis eò profecti funt, & honorificè ab Apoftolis & Ecclefia fufcepti, vbi etiam offenderunt aliquos ex Pharifæorum Hærefi factos Chriftianos, qui legem Mofaïcam & Circumcifionem retinendam feruandamque cenferent. Coacto igitur hac de controuerfia Concilio, cum conquifitio magna fieret, furgēs Petrus narrauit Conuerfionem gentium à fe factam in Cornelio gentili, & aliis: & quia gentiles qui facti fideles acceperant quoque Spiritum fanctum, nihilque Deus difcreuit inter illos & Iudæos, fide ipforum corda purificans. Vnde concludit v. 10. *Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere iugum fuper ceruices difcipulorum quod neque Patres noftri neque nos portare potuimus.* Eft enim tētare Deum aduerfus expreffam, teftatámque eius voluntatem, nifi & velle aliis adhuc fignis explorare quod certi fumus Deum velle, quod ifti faciebant qui fatis exploratam habebant Dei voluntatem circa gentilium conuerfionem abfque onere legis: fubfcripfit

scripsit Iacobus Petro atque ex Prophetis futuram conuersionem gentium confirmauit, quæ vnum cum Iudæis populum facerent, & ruinas atque rupturas tabernaculi Dauidici implerent. Censetque tandem non inquietari eos qui conuertuntur ex gentibur μὴ παρενοχλεῖν τοὺς ἀπὸ τῶν ἐθνῶν ἐπιστρέφουσιν ἐπὶ τὸν Θεὸν non esse contundendos; illo nimirùm graui legis onere eos, qui conueniuntur ad Deum, eáque de re scribendum esse ad Antiochenses: quare placuit Apostolis & Senioribus cum omni Ecclesia mittere Antiochiam Paulum & Barnabam, Iudam cognomine Barsabam, & Sibam, viros primos in fratribus, cum literis ad gentiles qui Antiochiæ Syriæ & Ciliciæ crediderant, & vnam Concilij de Controuersia disceptata sententiam his verbis. *Visum est Spiritui sancto & nobis nihil vltra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis simulacrorum & sanguine & suffocato, & fornicatione, à quibus custodientes vos benè agetis valete.* Vides itaque in celeberrimo Concilio definitum fuisse ab Apostolis, authore Spiritu sancto, legis Mosaïcæ obseruationem minimè necessariam esse, atque eius proinde obligationem laxatam esse & abrogatam. Quid verò sibi velit illa exceptio, quam circa quosdam cibos adhibent docebimus alibi: satis modo est illam non fuisse adhibitam ex vi legis Mosaicæ adhuc vigentis, sed ex mandato Apostolico propter varias causas alibi afferendas. Habemus igitur obligationem legis Mosaïcæ sublatam esse saltem ratione gentilium qui ad fidem conuertebantur: de illis enim maximè disceptabatur in eo Concilio.

11 Huic Apostolicæ definitioni fauebat apertissima ratio: cum enim neque lex Circumcisionis data Abrahæ, neque lex Mosaïca alios obligaret quàm Abrahæ posteros, & Hebræos quibus solis lata erat, vti superius ostendimus. Ideóque illis ritibus & institutis nulli alij tenebantur, siue Idololatræ siue etiam fideles essent, ex terra Hebræorum nationem, antè Christi aduentum & promulgatum Euangelium, neque etiam post Christum gentiles, infideles, & Idololatræ: vnde enim noua hæc obligatio fuit imposita, & à quonam. Qui verò Christo crediderunt, & abiecta Idololatria fideles facti sunt. Non subeunt etiam nouá istam legis Mosaicæ obligationem, vel enim eam habent ex vi legis Mosaicæ, vel Christianæ, non primùm, cum vt sæpius dixi illis lata non fuerit; non etiam secundum, vbinam enim docuit aut præcepit gentibus credentibus instituta Mosaïca seruanda esse, vbinam Apostoli & prædicatores ita instituerunt cum contrarium docuerint, vti iam vidimus. An quando Christus iussit Apostolis, vt gentes docerent & Baptizarent, aliquid eiusmodi imperauit, dum vixit docentes eos seruare omnia quæcumque mandaui vobis. Vbi autem mandauit Circumcisionem vel veteris legis obseruantiam.

12 Dices gentes quidem non obligari per se Mosaïcis institutis, vt tamen coniungi possint Christo, qui solis Iudæis & Semini Abrahæ promissus fuerat, debere quoquæ illi populo coniungi, quod per Circumcisionis & legis Mosaicæ susceptionem fieri duntaxat potest; verùm falsum est solis Iudæis fuisse communicandum Euangelium quod sæpius ostendit Paulus, & contrarium errorem impugnat, falsum quoque est solis Iudæis promissum fuisse Christum, si de eius fructu agamus: quamvis enim ex illo semine oriturus esset, & illos per se se docturus, tamen gentium omnium salutem operaturus erat, & expectatio gentium *Genes.* 24. *desideratus cunctis gentibus.* Aggæi 2. Salus futurus vsque ad extremum terræ. Quare gentibus æquè ac Iudæis promittebatur, sicut licet non nisi de tribu Iudæ & familia Dauidica nasciturus esset, non illi soli, sed vniuerso Israëli promittebatur. Non tenebantur itaque gentes vt Christi salutem participarent, coniungere se carnali Circumcisione, aliòve ritu, Israëlitico populo, sed fide in Christum; quæ fides primò Iudæis communicata fuit, quibus & credita fuerant eloquia Dei; & factæ promissiones Patrum vt loquitur Palus.

13 Confirmatur quia legis Mosaïcæ obseruatio, gentibus vel fuit necessaria necessitate medij, vel necessitate præcepti, hoc posterius dici nequit, cùm vti iam euicimus nullum eiusmodi præceptum vllibi extet, immò potius contrarium haberemus ex dictis Pauli; necessitas autem medij fingi non potest. Iam enim nuper ostendimus legem illam non conferre iustitiam internam, quare neque salutem confert, ideóque non est medium ad illam obtinendam necessarium. Sanè antè datam legem, tum Abrahamus nondum Circumcisus, tum antiquiores illo vel etiam posteriores antè legem iusti fuere, quod etiam dicendum de Iustis, non Hebræis, etiam post latam legem. Quæ pruinde non est necessarium medium ad Iustitiam & Sanctitatem, cur verò fuerit facta necessaria, post Christi Aduentum, qui veram nobis & Iustitiam, & salutem aliis mediis attulit, & cum ea lex esset inefficax & inutilis ad hunc effectum, vti superius ex Paulo demonstrauimus; & totam suam vim hauserit ex fide & lege Euangelica futura, cur vbi fides ipsa obtinetur & Euangelium præsens, & lex illa hactenus ad Eiusmodi effectum, inefficax, medium necessarium ad eundem effectum euaserit, quod in Circumcisione ostendit Cyprian, *lib.* 1. *ad Quirin. cap.* 8. Vbi Adamum, Abelem, Enochum, Noëmum, Melchisedechum iustos fuisse, & tamen incircumcisos ostendit Tertullian. *lib. aduers. Iudæos cap.* 3. ait Abrahamum Deo placuisse, antequàm circumcideretur, & deinde accepit Circumcisionem, sed quæ esset in signum temporis illius, non in salutis prærogatiuam, Melchisedechum incircumcisum fuisse; pergit ibidem plura de Circumcisione data Israëli in signum. Vnde dignosci posset, & addit sicut ergo Circumcisio carnalis quæ temporalis erat, imbuta est in signum populo contumaci, ita Spiritalis circumcisio est in salutem populo obaudienti. Cum igitur gentes ad Christum conuersæ non obligarentur ad veterem legem necessitate præcepti, neque necessitate medij, nullo modo obligarentur.

14 Restat quærendum, an post Christum Iudæi lege Mosaïca teneantur, siue fidem susceperint, siue in sua infidelitate & contumacia perseuerent, & quidem Iudæos fideles non obligari lege Mosaïca, certum de fide est. Cum enim lex illa fuerit abrogata, non potuit abrogari nisi respectu illorum, quibus sancita fuerat, atqui Iudæis sancita quondam erat, ergo respectu illorum fuit abrogata. Tota difficultas est, vt ostendamus legem veterem abrogatam fuisse, eiusque loco nouam aliam fuisse inductam, quod accuratissimè præstiterunt Cyprian. *lib.* 1. *ad Quirin. vbi cap.* 8. Circumcisionem carnalem in spiritualem mutandam *cap.* 9. legem Mosaïcam cessaturam. *cap.* 10. nouam dandam *cap.* 11. nouum testamentum disponendum ex pacto veteri *cap.* 12. vetus Baptisma in nouum commutandum *cap.* 13. Iugum vetus euacuandum, & nouum dandum *cap.* 14. veteres pastores cessaturos & nouos futuros *cap.* 15. vetus templum cessaturum *cap.* 16. vetus sacrificium euacuandum, nouum celebrandum, *cap.* 17. Vetus Sacerdotium cessaturum, *cap.* 18. Nouum Prophetam instar Moysis futurum qui nouum testamentum conderet, *cap.* 19. nouum populum *cap.* 20. Ecclesiam fœcundam ex gentibus prædictam, pluribus sacris testimoniis accuratè demonstrat; quæ expendas licet, & Tertullian. toto etiam *lib. contra Iudaos à cap.* 3.

à c.3. Iustin. *Dialogo cum Tryphone* August. *Heresi* 30. & *in libris contra Faustum*, & ex recentioribus Galatin. *lib.* 11. & aliàs, suppositis verò his scripturæ testimoniis de noua lege danda, de nouo pacto & fœdere feriendo, de nouo testamento condendo, de nouo Sacerdotio, nouisque sacrificiis, de nouo statu populi inducendo, aliisque eiusmodi, facilè erit ostendere veterem legem abrogatam fuisse.

Primò enim cessante fine primario, propter quem lex aliqua sancita fuit, mutato statu populi cui data est, & elapso tempore pro quo lata est, cessat ipsa per se neque opus est vlla alia positiua abrogatione; atqui finis legis Mosaïcæ cessauit, erat enim præparatio & dispositio ad recipiendum Christum, quem omnes eius cæremoniæ figurabant, erantque vmbra futurorum. Totius Israëlitic. populo status, alius longè fit, vt patet, tempus pro quo lata erat fluxerit, vt enim ait Paul. ad Galat. *cap.* 3.19. *propter transgressionem posita est, donec veniret semen, cui promiserat, ordinata per Angelos in manu mediatoris.* Lucas verò 16.16. *lex & Propheta vsque ad Ioannem ex eo Regnum Dei Euangelizatur, & omnis in illud vim facit:* quia cum lex temporalia dumtaxat promitteret, durauit tantùm vsque ad Ioannem, ex eo siquidem tempore regum Dei, & Cœlum proponi cœpit, vt præmium benè operantibus. Elapso igitur tempore pro quo data fuerat lex ipsa per sese cessauit.

16 Secundò Quoties fertur noua lex pugnans, siue formaliter, siue per quandam consequentiam cum priore illam reuocat, atqui noua lex à Christo tradita pugnat consequenter cum Mosaïca, illam igitur tollit. Minor in qua est, tota difficultas ostenditur. Quia opera per istas leges imperata pugnant inuicem noua, siquidem legis opera per se sufficientia & necessaria sunt ad quam opera Mosaïca per se se insufficientia sunt, & à lege noua sine fidei etiam futura dumtaxar suam omnem vim, si quam habuerunt acceperunt. Cur igitur cum iam lex illa fidei instituta est, & præsens, verus, inutilis restabit & obligabit, deinde veteris legis obseruantiæ mysteria futura significabant, nouæ Legis Sacramenta & mysteria, iam factum exhibent.

Tertiò lex Mosaïca vni dumtaxat populo lata fuerat, cuius certum statum & Rempublicam constituebat, Pontificatum, magistratum, & iurisdictionem. Noua lex toti mundo sancitur, & nouam constituit Ecclesiam quæ ex omnibus Gentibus conflatur, ita vt omnes homines in vnam vnitatem coëant: ad id verò necessarium fuit leges & obseruantias vni populo singulares tollere, alioquin esset populus distinctus, neque cum alio in perfectam vnitatem coïret. Quare Christus abstulit medium parietem maceriæ, & inimicitias dissoluit, vt vnus dumtaxat popolus constitueretur, cuius status, cùm diuersus à priori fuerit, vt per se constat, debuit quoque nouis legibus temperari, prioribus vt inutilibus reiectis valetque Pauli argumentum ad *Heb.* 7. *translato sacerdotio, necesse est vt legis translatio fiat,* nemo verò dubitat de translatione Sacerdotij, ergo neque de translatione Legis, & vt *ibid.* ait Paul. *Reprobatio fit prioris mandati propter infirmitatem eius, & inutilitatem*, quod superius exposuimus, quæ omnia confirmantur ex aliis scripturæ locis, quæ apud Cyprian. Tertullian. & alios adductos leges. audi vnum Ambrosium *lib.* 1. *in Luc.* vbi punito Zacharia propter fidem negatam Angelo, filij ortum nuntianti. *Eris tacens, & non poteris loqui, non vnius mysterium, nec vnius silentium est. Tacet sacerdos, tacet Propheta: nisi fallor in vno vox totius plebis obmutuit, quia in vno totus ad Dominū per Moysem populus loquebatur, cessatio Sacrorum, & silentium Prophetarum, taciturnitas Propheta, & taciturnitas Sacerdotis*, & pergit plura alia de hoc silentio Zachariæ & Legis. *Remansit ergo mutus Zacharias, & erat annuens illis. Quid est mutus, nisi quidam sine verbo corporalis actus, indicare moliens nec exprimens voluntatem: quidam suprema morte, voce suppressa, mutus sermo morientium? nonne tibi videtur huic similis esse populus Iudæorum, ita irrationabilis, vt actuum suorum non possit præstare rationem, qui in vltimo spei vitalis obitu constitutus vocem quam habebat, amiserat, & titubantis actu corporis signum verbi cupiebat explicare non verbum.* Vide complura alia in hanc rem, quibus Legis silentium & cessationem eleganter exprimit.

Cum igitur abrogata fuerit, non est quod dicamus, 17
illa teneri Iudæos siue ad fidem conuersos, siue in sua perfidia perseuerantes, de quibus tamen videri posset aliqua difficultas, alioquin essent prorsus ex Leges. Nam neque noua neque veteri lege obstringerentur, & sua illis perfidia prodesset, ad vtriusque legis onus excutiendum, verùm cum illa simpliciter, & absolutè abrogata sit, neminem per se se potest obligare, eius siquidem obligationis tempus desiit, & frustrà obligaret Iudæos de quibus agimus, cum eius obligatio sit impossibilis, cum neque templum, neque sacrificia, neque Pontifices habeant, & cætera quæ imperantur præstare nequeant in Regionibus, in quas toto orbe dispersi sunt, neq. manent omninò ex Leges tenentur enim Christum prædicatum suscipere eiusque legem, ex conscientia erronea obligati non possunt, sed culpa non vacaut qua de re alibi.

Quod verò passim obijciunt, pactum & fœdus 18
quod in sancienda lege inter Deum & populum istum fuit, fore æternum & perpetuum dixerit Deus, quod falsum est, si lex illa cessauerit, facilem habet explicatum, tum ex varia acceptione æterni & perpetui in scripturis, tum quod illæ promissiones non intelligi debeant implendæ solum in re illa materiali de qua loquitur, sed in alia per illam figurata: Nam Agnus Paschalis Typicus perseuerat in vero Agno per illum repræsentato, & Circumcisio in Baptismo, & omnes denique temporales promissiones in spiritualibus quarum figuræ erant: Dicuntur etiam perpetua, quæ ex natura sua sunt indissolubilia, licet per causas extrinsecas, & rerum mutationem solui possint, immò & soluantur. Sic matrimonij vinculum, professio Religiosa, aliaque vota perpetua sunt, quia tota vita hominis durant, & legis veteris pactum ea ratione perpetuum erat, quia solui non poterat donec impleretur, & lex cessatura non erat, nisi tanta rerum mutatione facta, cum qua nec veritas illius legis, nec eius obligatio subsistere posset, vti Suarez cum pluribus quos allegat exposuit *lib.* 9. *de legib. capite* 10. *sub fin.*

Altera quæstio erat, an abrogatio Legis veteris fuerit totalis, hoc est tota fuerit abrogata, an verò secundum aliquam partem.

Certum verò imprimis est, omnia præcepta cæri- 19
monialia legis sublata fuisse; de illis enim agebatur dumtaxat in controuersia, de legalibus seruandis coram Apostolis disceptata, quod etiam ex illius Concilij decreto constat, & sanè de iis cæremoniis quæ vmbræ erant futurorum, & figuræ mysteriorum nouæ Legis, Euangelij probant rationes, & Scripturæ loca quæ adduximus ad astruendum eius legis abrogationem. Quare ita sentiunt omnes cum S. Thom. 1.2. q.103. *art.* 3. Innocent. III. *cap. vnico. de Purificat.* August. *lib.* 6. *contra Faust.* ex illo ad Coloss. 2.15. *nemo ergo vos iudicet in cibo, aut in pota, aut in parte diei festi aut Neomenia, aut Sabbatorum, quæ sunt vmbra futurorum. Corpus autem Christi.* Vbi Paulus agit de cæremo-

niis legis vt vides, quæ cum sint vmbra futurorum, veniente veritate, debet cessare vmbra, inquit, S. Thomas *lect.* 4. corpus, id est, veritas pertinet ad Christum. Vmbra ad legem itaque de præceptis iudicialibus manet difficultas, cum de illis nihil affirmet Paul. vbi de legalium abrogatione contendit, ratióque videtur aperta. Idcircò enim abolitæ sunt cærimoniæ, quia erant figuræ & vmbræ futurorum, quæ cum præsentia facta sunt, & obtenta veritas cessare debeot: fatetúrque S. Augustio. *lib.* 6. *&* 10. *contra Faustum* distinguit enim inter præcepta vitæ agendæ, & præcepta vitæ significandæ, atque hæc posteriora cessasse ait, non verò priora, quibus annumeranda esse iudicialia uemo non videt.

20 Dicendum nihilominus est cum S. Thom. 1. 2. *q.* 104. *art.* 3. & eius discipulis ac cæteris Theologis, etiam hæc præcepta iudicialia quæ ad iustitiam & Reipublicæ Hebrææ politiam pertinebant fuisse abrogata, neque obligare ex vi legi illius, quamvis aliqua ex illis, si commoda videantur alicui politiæ, ferri possint ab aliquo Legislatore, túncque obligabant non vi legis Mosaïcæ, sed vti reliqua præcepta illius humani legislatoris, qui etiam ad persuadendam eiusmodi alicuios præcepti æquitatem, afferre poterit exemplum Reipublicæ Hebrææ, cui tale præceptum impositum fuerit à Moyse, Authore Deo, sicut afferret exemplum Atheniensium, aut Romanorum, qui similes leges tulerant.

21 Hæc verò communis doctrina probatur, imprimis ex scripturis & certis regulis ab illa positis. Nam legem mortuam in vniuersum dixit Paul. *ad Roman.* 7. & Iudæos illi esse mortificatos per mortem Christi, neque quidquam excipit. Igitur tota lex mortua est, & non secundum aliquam tantum partem & præceptum, quatenus ex lege. Deinde ad *Hebraos* 7. Vniuersim pronuntiat translato Sacerdotio, necesse quoque esse legis translationem fieri. Sacerdotium verò ablatum esse nemo dubitat. Igitur & ablata est lex ex Doctrina Pauli, quam restringere ab solam cerimonialem non debemus. Adde & illod ad Ephes. 2. 14. & 15. *Ipse enim est pax nostra qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ soluens inimicitiam, in carne sua legem mandatorum decretis euacuans, vt duo condat in semetipso, in vno nouo homine faciens pacem & reconciliet ambos in vno corpore, Deo per crucem, interficiens inimicicitiam in semetipso.* Ex quibus vides reconciliationem duorum populorum in vnum, dissolutis inimicitiis constitui à Paulo, in quod Christus legem mandatorum suis nouis decretis euacuarit, atque sublatis diuersorum popularibus moribus & præceptis, atque obseruationibus communes illi leges dederit, & priorem illam à Deo datam, qua Iudæi à cæteris Gentibus maximè differebant, voluerit cessare, eámque euacuarit nobis, decretis vtrique populo communibus, eáque ratione medium illum maceriæ parietem, quo diuidebantur destruxit, atque omnem proinde causam inimicitiarum sustulit, cur igitur nos aliquam legis per Christum abolitæ partem, aut rudera dissipata maceriæ medij parietis retinebimus, aut resiliemus? quare ex his vniuersalibus Pauli propositionibus, communi Patrum & Theologorum sensu ipsóque vsu Ecclesiæ, de quo statim dicam, colligunt aliqui nostram assertionem: his omnibus addo manifestam rationem ex allatis scripturis elicitam.

Primò enim Paul. ad Galat. 5. 3. *Testificor omni homini circumcidenti se, quia debitor est vniuersa legis faciendæ:* à contrario igitur euacuata & destructa circũcisione, quæ hominem rerum vniuersæ legis faciendæ constituebat, cessat illa legis seruandæ obligatio, & destructa circumcisione, simul destructa est illa lex.

Secundo Argumentor cum S. Th. *art.* 3. *citat.* mutato statu Gentis, vel ciuitatis & regiminis, siue politiæ, leges quibus prius regebatur mutari necesse est, cum eædem diuersis statibus & politiis minimè conoeniant. Aliæ siquidem in Democratia, aliæ in Monarchia & Oligarchia ex Arist. *lib.* 3. *politic. cap.* 5. 6. *&* 9. & communi omnium sensu requiruntur: atqui mutatum esse statum, & politiam populi Hebræi aduentu Christi habemus ex *Ephes.* 2. duobus verbis allatis & ex fide, igitur mutanda fuit lex illius politiæ, non modo cæremonialis & Religiosa, sed etiam politica, quæ ad ciuile regimen spectat, cuiusmodi erant præcepta iudicialia, quæ proinde cum ea mutatione politiæ cessare debuerunt. Neque dicas aliam esse rationem cærimonialium, & iudicialium præceptorum, quia illa figuratiua erant, quæ proinde adueniente re, figurata cessare debuerunt, hæc verò non ordinantur ad aliquid figurandum, sed ad aliquid fiendum. Vnde eorum obseruatio non præiudicat absolutè fidei veritati, sicut obseruatio cærimonialium, quia iam confitemur illa mysteria esse completa. Resp. tamen S. D. iudicialia præcepta instituta quidem non esse ad figurandum, sed ad disponendum status illius populi, qui ordinabantur ad Christum; Idcircò adueniente Christo, & mutato statu populi suam obligationem amiserunt, & si obseruarentur adhuc vi legis, præiudicaret ea obseruatio veritati fidei. Quia per hoc haberetur, quod status prioris populi adhuc duraret, & quod Christus nondum venisset.

His omnibus accedit communis vsus Ecclesiæ, quæ plurima ex illis præceptis quæ iudicialia sunt, vt in impedimentis matrimonij & gradibus prohibitis, atque aliis eiusmodi materiis non obseruat, immò passim violat, ipsorum igitur obligationem nullam esse supponit.

Restant præcepta moralia de quibus magna dissensio est, sed vt ego censeo de vocibus, omnes eiua consentiunt, illa quatenus sunt præcepta iuris naturalis adhuc obligare, immò & esse immutabilia, vti explicuimus ipso libro disputantes de iure naturali, totaque difficultas est, an præter obligationem iuris naturalis acceperint nouam, eámque diuinam vi legis in qua continentur, atque adeò respectu illorum lex non fuerit tantum declaratiua, sed etiam constitutiua, & vtrum adhuc illa diuina obligatio vna cum naturali perseueret, illáque teneamur Vasquez enim 1a. *disp.* 180. *cap.* 3. Bellarm. *lib.* 4. *de iustific. cap.* 6. Lorin. *in Acta. cap.* 15. aliíque quos allegant duplicem hanc obligationem perseuerare putant, quarum vna vi legis naturalis, altera vi legis Mosaïcæ contrahatur, contrarium docent Soto *lib.* 2. *de Iust. q.* 5. *art.* 4. *conc.* 2. & alij quos allegat, & sequitur Suar. *lib.* 9. *de legib. c.* 11. *n.* 22. Vbi vtriusque partis rationes & argumenta fusius retulit. Cum enim lex Moysi data fuerit donec veniret semen: cessauit omninò in quacumque materia, qoamvis sua cessatione non abstulerit priorem obligationẽ qua aliunde obstringebamur. In hac verò controuersia distinguenda perpetuò fuerit præcisa obligatio vi legis Mosaïcæ, ab ea quæ contrahitur vi legis naturalis, independenter à Mosaïca, quæ cùm non fuerint simul & eodem tempore contractæ, possunt etiam separari, & vnà remanere, altera cessante. In hac itaque controuersia quidquid statuas non moror, quamvis in Suaris sententiam magis inclinem. 22

Tertia quæstio erat de tempore, quo primum abrogata est lex Mosaïca desiítque obligare. Nam Scot. *in* 4. *dist.* 3. *q.* 4. §. *quantum ergo*, & Gab. *ibid. dist.* 14. *q.* 4. *art.* 3. Volunt cessasse Circumcisionem, & cum illa totam legem veterem ex quadam consequentia, statim atque Baptismus institutus est, etiam adhuc Chri- 23

sto

sto viuente, alij cessationis istius tempus assignant ipsum mortis Christi primum instans, idque tribuunt S.Thom. *in 4.d.1.q.2.artic.5.quæstiuncula* 3. Eo siquidem momento sunt omnia consummata, Sacerdotium translatum, velum templi scissum, media maceries rupta, completa redemptio, & vna oblatione sanctificatos Christus consummauit. Alij fatentur quidem legem veterem Christi morte interijsse, non ipso tamen momento mortis, sed aliquanto post, tunc quidem vulnus accepisse lethale, ex quo post aliquod tempus prorsus interiit, interea aliquandiu langueret. Ita Scot. tandem *l.c.* Bonau. *in 4.d 3.2.part.art.3.q.2. sub fin.* Sotus *lib.2.de Iust.q.5.art.4.&* in *4 d.3.q.7.art.* 3. aliique de hoc tamen tempore quo mortuo Christo, superuixit languidè tamen lex vetus, dissensio est. Nam Sotus *l.c.* assignat illud breuissimum, ipso si quidem momento Christi resurrectionis prorsus extinctam fuisse putat, alij differunt eius interitum vsque ad Pentecostem, quo die lex noua promulgata fuit, qui etiam non satis inter se consentiunt, cum aliqui dicant ex eo momento, Iudæos noua lege fuisse obligatos, immò & totum orbem: Alij die quidem Pentecostes cœpisse veteris legis abrogationem, sed non esse perfectam nisi successiuè & consummata promulgatione legis nouæ, consummatam quoque fuisse legis veteris abrogationem.

24 Dicendum est primò legem veterem non fuisse abrogatam ante Christi mortem, etiam post institutum Baptismum & eius adhuc obligationem perseuerasse. Ita S.Thom. 1.2. *q.103.art.3. ad* 2. Nam & Christum ipsum tum infantem tum adultum seruasse legem, dies festos imperatos, Sabbata, Esum Agni Paschalis, aliósque ritus, constat ex Euangelio, testatúrque Palam se non legem soluere sed adimplere, *Matth.* 5. hortatur vt quæ dicta fuerint à Scribis & Pharisæis supra Cathedram Moysi sedentibus obseruent, quod non fecisset si Pontificum & scribarum potestas extincta esset. Et lex abrogata. *Matth.* 23. Vbi leprosos mandauit, misit eos ad Sacerdotes. *Luc.5. &* 17. quia ipsorum erat de Lepra iudicium ferre. Deinde Paul. *ad Heb.* 9. disertè ait nondum esse propalatam Sanctorum viam, stante priore Tabernaculo, ergo inquit Suar. *cap.12.n.5.lib.9.de legib.* stetit prius Tabernaculum quamdiu non fuit propalata Sanctorum via, illa verò propalata non fuit ante Christi mortem, in qua velum templi scissum est, atqui priore Tabernaculo statum habentes, Sacerdotium quoque, sacrificia, & cæremoniæ durarunt, vsque ad tempus correctionis impositæ, inquit Paul. Denique vetus testamentum sublatum non fuit, nisi vbi secundum validum fuit, vt ait idem Paul. *cap.*8. dicendo nouum, inquit, *veterauit prius, & cap.* 10. *Aufert primum, vt secundum statuat*, atqui nouum non fuit confirmatum nisi in morte Christi, quia ex eod. Paul. *cap.*9. *vbi testamentum est, mors necesse est intercidat testatoris.* Obiiciebat Scotus instituto Baptismo Circumcisionem non obligasse nec fuisse sub præcepto. Cur enim teneor aliquid minus vsurpare, si vtilius & perfectius habere possum, mihi saltem liberum esse debet quod libuerit ex illis eligere, ergo neutrum erit sub præcepto, si vtrumque liberum est.

Resp. Imprimis, præceptum Baptismi non fuit impositum ante Christi mortem, sed à Christo latum ascendente in Cœlum, Secundo fuerit datum de illo suscipiendo consilium, sed illud non abrogabat præceptum Circumcisionis, quia simul seruari poterant, vti seruanda esse volebant Iudaïzantes, quos Apostoli in suo Concilio damnarunt. Nam & Iudæus iam Circumcisus poterat Baptizari antè Christi mortem, atque etiam filium suum Circumcidere & Baptizare, quod enim amabo repugnat simul implere præceptum de aliqua re, & sequi Consilium quando inter se non pugnant, vti aliquando pugnant verbi gratia, Consilium Castitatis, & matrimonij præceptum: si enim Castitatis mihi consulitur, mihique liberum est consilium eiusmodi sequi, non possum teneri præcepto matrimonij. In his similibus consilium supponit, contrarium non esse præceptum, aut eiusmodi præceptum sublatum fuisse.

Dices necessitatem Circumcisionis cessasse instituto Baptismo; atque ita præceptum Circumcisionis desijsse per se ipsum defectu materiæ. 25

Resp. Necessitatem Circumcisionis duplicem fuisse, vnam vt quis in populo Dei censeretur, & profiteretur eius Sacra & Leges, illaque necessitas durauit vsque ad legis veteris abrogationem & vnum Dei populum ex omnibus gentibus, & non solis Iudæis institutum, altera necessitas vel causa institutæ Circumcisionis, vt alibi dicetur, erat remedium peccati originalis, quæ causa cum primaria non esset, eius defectus non excusabat à suscipienda Circumcisione. Nam Ioannes Baptista Sanctificatus in materno vtero Circumcisus tamen est, & infans qui ante octauum diem propter periculum per remedium naturæ Sanctificatus fuerat, tenebatur deinde octauo die Circumcidi ex præcepto, alioquin neque in templo præsentari, neque alios legis ritus, obseruare licuisset in Circumciso.

Denique cæremoniæ legis quæ significabant futura mysteria quæ iam completa erant, etiam antè Christi mortem non vsurpantur vt signa talium mysteriorum cum habitudine ad tempus futurum, sed secundum se & secundum alias rationes significatiuas, quæ reuera non deerant. 26

Dicendum secundò est legem Christi non fuisse in ipso momento mortis Christi Mathematicè, vel etiam Physicè loquendo abrogatam, quod tanquam certissimum principium tenendum esse affirmat Sotus, loco nuper laudato; Docet verò S.Thom. *in 4. d. 3. art.5.q.3.* Ratio verò videtur aperta, quia prioris legis obligatio non cessauit, aut abrogata est nisi per inductionem nouæ, quod sæpius significat Paul. *in Epist. ad Hebraos.* Nam *cap.*7. reprobationi præcedentis mandati, quam factam ait propter eius infirmitatem, immediatè subiungit introductionem melioris spei, per quam approximamus ad Deum, quod confirmat *cap.* 8. ex Ieremia quem sic refert *Confirmabo*, inquit, *super domum Israel & super Domum Iuda testamentum nouum*, & mox. *Quia hoc est testamentum quod disponam Domui Israel, post dies illos dicit Dominus dabo leges meas in mentibus eorum, & in cordibus eorum superscribam eas.* Alia leges ibid. apud Paul. ex quibus certo colliges veteris legis obligationem non desiisse, nisi vbi incepit, quæ veterem exclusit: In ipso autem momento mortis Christi noua lex non incepit, neque inducta aut promulgata est, vt ait S.Thom. *in 4.l.c.* præceptum non obligat antequam sit diuulgatum. Deinde in morte Christi non fuit facta formalis & expressa abrogatio legis veteris, vnde enim id habetur, neque per quandam repugnantiam, & incompatibilitatem mortis Christi & veteris legis. Illa siquidem neque apparet, neque probari potest, neque dici etiam potest mortem Christi fuisse positam, tanquam terminum durationis legis Mosaïcæ, quæ idcircò per se ipsam, & absque vlla reuocatione, vel abrogatione desierit, vti nuper explicabamus. Nulla igitur ratio est assignandi hoc Christi mortis momentum pro omnimoda cessatione legis Mosaïcæ, nondum noua sufficienter inducta & promulgata: poterántque iure merito Iudæi laborare ignorantia

probabili, & non peccaminosa, an obligatio legis antiquæ cessasset, quandoquidem ipsi Apostoli illud ignorarunt, & inter primarios Discipulos fuit agitata quæstio, neque nisi post decretum Apostolicum tandem definita.

Quod autem dicunt aduersarij legem veterem fuisse omninò impletam in morte Christi, ac proinde seipsa desiisse, falsum est, siue de illa loquamur in ratione figuræ, & Prophetiæ siue in ratione legis, plurima enim figurata per eam impleta non sunt, nisi per Resurrectionem & aliquo tempore post illam. Impletio verò in ratione legis non potuerit fieri, nisi vel per expressam reuocationem, vel nouæ legis inductionem: Neutrum autem in morte Christi factum fuisse iam ostendimus. Quare & translatio Sacerdotij & alia eiusmodi non sunt statim executioni mandata per veterum omnium rituum & legalium omnimodam abdicationem, vel abrogationem: donec omnia sufficienter promulgata sunt, ex quibus respondebis ad varia loca Pauli, quibus de veteri & nouo testamento disputat, quod diligenter præstitit Suar. *lib. 7. de legib. cap. 13. à n. 7.* maximè circa *cap. 7. ad Roman.* vbi non mortificatos esse legi dicit, & solutos viri instar coniugis, qui alterius morte soluitur lege connubiali, de quo loco nos superius disputauimus.

27 Dicendum est tertiò legem Mosaïcam non fuisse abrogatam in puncto Resurrectionis contra Sor. quia in eo puncto non magis noua lex obligauit, quàm in puncto mortis, cum neque tunc promulgata fuerit, neque vetus formaliter & expressè, vel per quandam repugnantiam cum noua fuerit abrogata, formalis enim abrogatio nullibi tunc facta esse dicetur, repugnantia verò cum noua lege fingi non poterat, si illa non inducta erat, & nondum obligabat.

28 Dicendum est quartò. Legem Mosaïcam à die Penteceostes cœpisse desinere, sed sensim prout noua sufficienter variis in locis & in toto tandem orbe promulgata fuit. Ita passim Theologi quia neque ante diem Penteeostes noua lex fuit promulgata, neque illo die potuit sufficienter innotescere omnibus & pro omnibus promulgari. Quare cum sensim promulgata fuerit orbi, sensim eius veteris obligatio cessauit, & noua liguit.

29 Vltima quæstio est. An lex vetus non modo mortua sit, sed etiam mortifera existat. Huc est. An non modo eius obseruatio non obliget & inutilis sit, sed etiam prohibeatur, neque sine culpa fieri possit, & quandonam ita mortifera esse cœperit, & non modo priuatiuè sed etiam contrariè, vt ita loquar reuocata prohibitis operibus & cæremoniis, quas ipsa imperabat. Estque sola quæstio de cæremonialibus præceptis. Nam moralia semper obligarunt, obligantque hodie vti diximus, cum ferè sint tantum dictata legis naturæ quod superiori libro disputantes, de iure naturæ docuimus, vel etiam denuò mandata sunt à Christo *Matth. 5.* Iudicialia verò cum ex sese non sint significatiua, & ad Reipublicæ gubernationem pertineant, retineri quoque possunt vti *q. 2.* probauimus, quamvis quatenus sunt Mosaïca minimè obligent, neque sub illo titulo possint aut debeant obseruari, ne legem antiquatam propria authoritate contra Ecclesiæ decreta videamur denuò sancire.

Difficultas igitur est de cæremonialibus, quæ licet non obligent, & mortua atque inutilia sint, non apparet tamen, vnde mortifera fiant, modo non exerceantur eodem spiritu, eadem fide, & cogitatione quâ à Iudæis, qui dicitur vsus legalium formalis, vel etiam formalissimus, sed materialiter tantum fiant, hoc est non tanquam ex credulitate & spiritu legis, tanquam adhuc durantis, aut ratione cultus ab ea lege imperati seruandi, sed ob aliquem alium finem per se non malum, vt propter aliquam v. g. sanitatem in abstinentia ciborum, Baptismatibus variis, Circumcisione & aliis similibus, vel ad simulandam & occultandam fidem, non tamen ad profitendum Iudaismum, vel etiam si externoniæ illæ, tanquam Religiosæ vsurparentur, non tamen ex spiritu legis ex qua primum inductæ sunt, aut tanquam efficaciam vel fundamentum in illa habentes, sed ex proprio arbitrio, consuetudine, aut etiam præcepto Ecclesiæ, qui vsus, est quidem materialis quoad legem veterem, & tamen cum per illum intendatur aliquis cultus sacer, Religiosus, quamvis non vi institutionis Mosaïcæ, quodammodo formalis dici potest, & non purè materialis, vnde aliqui nominant medium inter formalem & materialem. Alij verò malunt primum vsum à nobis allatum, formalissimum dicere secundum materialem, tertium istum quem medium dicimus formalem appellant. Verùm de vocibus non est multum hoc loco laborandum, modo rem ipsam teneamus: De hac igitur legalium cæremoniarum obseruatione difficultas est. An sit mortifera: id enim habere non potest, nisi ex aliquo diuino, aut Ecclesiastico præcepto positiuo, talem vsum grauiter prohibente. Nam ex se & intrinsecè talis vsus malus non est, vt appatet & cum Euangelio consistere posset, mutata dumtaxat significatione rei futuræ, atqui nullum eiusmodi præceptum prohibens afferri potest: non diuinum quidem quod nullibi extat, ipsique Apostoli aliquando legalia ista obseruarunt, vt videmus in ipsomet Paulo, qui præceptum diuinum non violasset, neque in ea re dispensasse significat. Ex iisque etiam apparet, nullum fuisse humanum eiusmodi præceptum à quo enim latum fuit, qua occasione & quando? Deinde si humanum est reuocari poterit illud Ecclesia, atque non modo in illo dispensare, sed etiam omninò abrogare, & legalia non modo permittere sed etiam imperare. Quare Caietan. 3. *p. q. 37. art. 1.* negat peccare illum qui Circumcisionem, non tamen ex spiritu legis veteris, vsurpabat, sed ex intentione imitandi Christum, alij verò idem concedunt ad mortificationem aliumvè pium vsum.

His omnibus accedit, quod si vnum excipias Hieronymum de cuius mente quæremus inferius, nihil afferri potest ex veteribus, ex quo constet omnem vsum legalium esse prorsus mortiferum, & nullo casu, nulloue ex honesto fine licitè vsurpari posset, excluso semper animo, vt ita dicam legali, hoc est vti statim ex Augustino explicabimus, non constituendo in illis iustitiam & spem salutis. Nam quod affertur ex Innoc. III. ad Arelatensem Episcopum *in cap. Maiores 3. de Baptismo absit,* inquit, *vt in illam damnatam* Hæresim incidamus, quæ perperam affirmabat legem cum Euangelio, & Circumcisionem cum Baptismo seruandum non probante: quod hoc loco quæritur. Nam illi hæretici, quos & nos superius confutauimus, docebant necessitate præcepti Circumcisionem atque legem seruandam omninò esse cum Euangelio & Baptismo, at verò hoc loco quærimus dumtaxat an quamvis lex Circumcisionis & cæterarum cærimoniarum legalium non obliget, possint tamen ex aliquo honesto fine vsurpari sine peccato, quod non dicit Innoc. esse damnatam hæresim, si eius dumtaxat verba attendamus, reijcit quosdam Hæreticos qui contendebant inutiliter Infantibus Baptisma conferri: Contrarium verò contendit Pontifex & æquè impertiendum esse Baptisma Infantibus, atque quondam Circumcisio illis ipsis conferebatur; quandoquidem Circumcisioni Baptisma successit, quibus quidem

quidem verbis affirmat ſublatam eſſe Circumciſionem, non tamen illius vſum nolla ratione, nullóve ex fine licitum eſſe poſſe aſſentiuntur, & nonnulla alia Patrum loca, quibus etiam nos oſtendimus legem veterem mortuam & redditam inutilem eſſe, quod non quæritur hoc loco, ſunt & alia quibus docent cum Paul. *ad Galat.* 5. Euacuatos eſſe a Chriſto, qui in lege iuſtificantur, & Chriſtum nihil prodeſſe illis qui circumciderentur. Verum vti reſpondet Auguſt. *Epiſt.* 19. *inter Hieronym.* 81. inferius alleganda ſunt & intelligenda de iis qui putabant vetera Sacramenta, non ex conſuetudine ſolemnitatis, ſed ex neceſſitate ſalutis, eſſe celebranda, id oſtendit Auguſtin. ipſomet exemplo Pauli, qui ea Sacramenta quandoque celebrauit. *Nam vtique Iudæus erat Paulus, Chriſtianus autem factus, non Iudæorum Sacramenta reliquerat, quæ conuenienter ille populus, & legitimo tempore, quo oportebat, acceperat, ſed ideo ſuſceperat ea celebranda, cum iam Chriſti eſſet Apoſtolus, vt doceret non eſſe pernicioſa iis qui ea vellent, ſicut à parentibus per legem acceperant, cuſtodire, etiam cum Chriſto credidiſſent: non tamen in eis iam conſtituerent ſpem ſalutis, quoniam per Dominum Ieſum ſalus ipſa, quæ ipſis Sacramentis ſignificabatur, aduenerat.* Et inferius concludit Paulum damnaſſe tantum eos, qui vti iam retuli, putabant vetera Sacramenta, *non ex conſuetudine ſolemnitatis, ſed ex neceſſitate ſalutis celebranda, eo quod prædicatores gratiæ Chriſtianos Iudæi, tanquam hoſtes legis perſequebantur. Non verò obſeruationes legis ſi more patrio celebrarentur, ſicut & ab ipſo celebrata ſunt ſine vlla ſalutis neceſſitate, non ſicut Iudæi celebrandas putabant.*

31 Hæc eadem diſtinctius explicat, idem Auguſtin. *Ep.* 97. *inter Hieron. Epiſt.* docétque quomodo licitè ea legalia Paulus verè aliquando exercuerit, quovè legitimo fine, & non tantum fictè, & per honeſtam & diſpenſatoriam ſimulationem vti loquebatur, & contendebat Hieronymus. Abfuit verò ab omni ſimulatione Paulus, cum vel Timothæum circumcidit, vel Cenchreis votum perſoluit, vel Hieroſolymis à Iacobo admonitus, cum eis qui vouerunt legitima illa celebranda ſuſcepit, ſed non id ad hoc egit, vt putari videretur, per ea Sacramenta, etiam Chriſtianam ſalutem dari, ſed ne illa quæ prioribus vt cōgruebant temporibus, in vmbris rerum futurarum Deus fieri iuſſerat, tanquam Idololatriam gentilium damnare crederetur. Pergit deinde oſtendere eam fuiſſe mentem Pauli ex verbis Iacobi, quibus *Act.* 21. ſuadet Paulo vt ſe ſanctificaret cum quatuor viris qui votum habebant ſe, vt omnes ſcirent falſa eſſe quæ de illo iactabantur; nimirùm ipſum docere diſceſſionem à Moyſe, ſed potius ambulare cuſtodiendo legem: vnde Auguſt. *Non vt opinor obſcurum eſt & Iacobum hoc ideò monuiſſe, vt ſcirent falſa eſſe quæ de illo audierant, ij qui cùm in Chriſtum ex Iudæis credidiſſent, tamen æmulatores erant legis, ne per doctrinam Chriſti, velut ſacrilega, nec Deo mandante conſcripta damnari putarentur, quæ per Moyſem Patribus fuerant miniſtrata. Hoc enim de Paulo iactauerant, non illi qui intelligebant quo animo à Iudæis fidelibus obſeruari tunc iſta deberent, propter commendandam ſcilicet authoritatem diuinam, & Sacramentorum illorum Propheticam ſanctitatem, non propter adipiſcendam ſalutem quæ iam in Chriſto reuelabatur, & per Baptiſmi Sacramentum miniſtrabatur, ſed illi hoc de Paulo ſparſerant, qui ſic ea volebant obſeruari, tanquam ſine his in Euangelio ſalus eſſe non poſſet: ipſum enim ſenſerant vehementiſſimum gratiæ prædicatorem, & intentioni eorum maximè aduerſum, docentem non per illa hominem iuſtificari, ſed per gratiam IESV-CHRISTI, cuius prænuntiandæ cauſa, illa vmbra in lege mandata ſunt, & illi inuidiam & perſecutionem volentes, concitare, tanquam inimicum Legis, mandatorúmque diuinorum criminabantur: cuius falſæ criminationis inuidiam congruentius deuitare non poſſet, quàm vt ea ipſa celebraret, quæ damnare tanquam ſacrilega putabatur, atque ita oſtenderet, nec Iudæos ab iis tanquam nefariis prohibendos, nec gentiles ad ea tanquam neceſſaria compellendos: Nam ſi reuera ſic ea reprobaret, quemadmodum de illo auditum erat, & ideò celebranda ſuſciperet, vt actione ſimulata ſuam poſſet occultare ſententiam: non ſi diceret Iacobus. Et ſcient omnes: ſed diceret & putabunt omnes, quoniam quæ de te audierunt; falſa ſunt: præſertim quia in ipſis Hieroſolymis Apoſtoli iam decreuerant, ne quiſquam gentes cogeret Iudaizare: non autem decreuerant, ne quiſquam tunc Iudæos Iudaizare prohiberet, quamvis etiam ipſos iam doctrina Chriſtiana non cogeret.*

32 Hæc aliáque ſimilia Auguſtin. Ex quibus & ſolemni diſtinctione de obſeruatione legalium ex neceſſitate, & ex conſuetudine ſolemnitatis, alióve quopiam honeſto fine, non modo quæ in contrarium pugnat Hieron. *Ep.* 89. Sed quæcumque congeruntur ex Patribus, quibus nos etiam ipſi ſuperius mortuam eſſe legem docuimus, atque adeò non modo nos obligare, ſed etiam inutilem prorſus ad ſalutem, & Iuſtitiam acquirendam eſſe, facilè explicantur, cùm non de neceſſaria aut etiam vtili obſeruatione, ſed de licito eius quopiam alio vſu diſputemus; quem Auguſtin. & à Paulo vſurpatum eſſe ſine culpa contendit.

33 Et quidem primo Hieronym. *Ep.* 89. ita interpretatur Auguſtin. vt aſſereret Gentiles, qui in Chriſtum credidiſſent legis onere liberos; eos autem qui ex Iudæis crederent legi ſubiectos eſſe. Verùm quàm id fuerit ab Auguſtini mente alienum, leges in eius *Epiſt. citata.* Vbi ait magnam videri quæſtionem, quid ſit eſſe ſub lege, hoc quemadmodum Apoſtolus culpæ, & vbi plura diſputauit, ait. Hos ergo damnabiliter dicit eſſe ſub lege, quos reos facit lex non implentes legem, dum non intelligendo gratiæ Dei beneficium ad facienda Dei præcepta, quaſi de ſuis viribus ſuperba elatione præſumunt. Vno verbo qui non tenentur ſeruare legem, non poſſunt dici ſub lege, quamvis legem volentes & ſpontè ſeruent.

Obijcit deinde Hieronym. Cherinthi & Heblonis, atque etiam Nazaræorum Hæreſim, qui dum volunt & Iudæi eſſe & Chriſtiani, nec Iudæi ſunt, nec Chriſtiani. Reſp. Auguſtin. & retorquet argumentum, *Sic Credo Apoſtolum Paulum cuncta illa geſſiſſe veraciter, nec tamen nunc quemquam factum ex Iudæo Chriſtianum, vel cogo, vel ſino talia veraciter celebrare e ſic nec tu cui videtur Paulus ea ſimulaſſe, cogis iſtum, vel ſinis talia ſimulare*: Deinde licebit æquè ex ſententia Hieronymi Iudæis ſacrificia offerre, quæ obtulit Paulus, filios circumcidere, Sabbatum obſeruare, vt Paulus in Timoth. & obſeruauère Iudæi: dummodo hæc ſimularè ac fallaciter agant, atque ita in nouam Hæreſim delabimur, quæ eo pernicioſior erit quo non errore, ſed propoſito eſt, ac voluntate fallaci, quod ſi Reſpondeas tunc Apoſtolos iſta laudabiliter ſimulaſſe, ne Scandaliſarentur infirmi qui ex Iudæis crediderant, & ea reſpuenda nondum intelligebant. Cur non licebit etiam dicere Apoſtolom Paulum, & alios rectæ fidei Chriſtianos, tunc illa vetera Sacramenta Paululum obſeruando veraciter commendare debuiſſe, ne putarentur illæ Propheticæ ſignificationis obſeruationes, à piiſſimis Patribus cuſtoditæ, tanquam Sacrilegia diabolica à poſteris deteſtandæ.

34 Secundò Impugnat Hieronym. diſtinctionem Auguſtin. Solemnem ſine ſalutis neceſſitate aut cum

illa, quam distinctionem se non satis intelligete dicit: si enim salutem non afferunt, cur obseruantur si autem obseruanda sunt, vtique salutem afferunt, non enim obseruarentur, nisi afferrent salutem.

Resp. Augustin. Paulum suo exemplo ostendisse illa Sacramenta, nec tanquam necessaria debere appeti, nec tanquam sacrilega debere damnari.

35 Viget Hieronym. non sicut Phylosophi quædam facta hominum media dicunt inter rectè factum, & peccatum, quæ neque in rectè factis, neque in peccatis numerentur. Sic obseruare legis cærimonias posse esse indifferens, sed bonum, aut malum, si bonum dixerimus, eas quoque nos obseruare cogemur, si malum non verè, sed simulatè ab Apostolis obseruatas esse credamus.

Resp. Augustin. se non tam Apostolis exemplum Philosophorum timere, quando & illi in sua disputatione verè aliquid dicunt, quam forensium, Aduocatorum, quando in alienarum causarum actione mentiuntur. Hoc enim exemplo fuerat vsus Hieronym. in suo commentar in Epistolæ ad Galat. vt explicaret, qua ratione Paulus Petrum per dissimulationem coram, & in facie de legalium obseruatione arguisset. Quare ait: Augustin. quorum (Aduocatorum) similitudo si in ipsa expositione Epistolæ ad Galatas; ad confirmandam simulationem Petri & Pauli putata est decenter induci: quid ego apud te timeam nomen Philosophorum, qui non propterea vani sunt, quia omnia falsa dicunt, sed quia & falsi plerumque confidunt, & vbi vera inueniuntur, dicere, à Christi gratia, qui est ipsa veritas, alieni sunt, deinde docet præcepta illa veterum Sacramentorum nec bona esse quia non eis homines iustificantur; vmbræ enim sunt prænuntiantes gratiam; nec tamen mala, quia diuinitus præcepta sunt, temporibus personisque congruentia Confirmat primò ex eo quod dicatur, Deus apud Ezechiëlem dedisse populo suo præcepta non bona, fortè enim propterea non dixit mala, sed tantùm non bona, id est, non talia vt illis homines boni fiant, aut sine illis boni non fiant. Confirmat secundo ex eo quod si Sanctus orientalis Romam veniens ieiunet Sabbato excepto die Paschalis vigiliæ non possimus dicere id esse malum, ne Romanam Ecclesiam & vicinos atque etiam remotiores damnemus: si verò malum dixerimus non ieiunare Sabbato Ecclesias orientis, & multò maiorem orbis Christiani partem criminabimur. Quare ieiunare aut non ieiunare Sabbato medium quoddam esse dicamus.

36 Hæc omnia Paulò fusius ex ipsis tantorum Patrum inter se pugnantium scriptis, vltrò, citroque Missis referre placuit, vt controuersiæ quam agitamus, status melius intelligatur, & quibus adducti rationibus in contrariam quisque sententiam traheretur: Controuersiam verò triplicem constituo hoc loco, prima est an legalia statim à promulgato Euangelio perniciosa, & mortifera fuerint, ita vt nullo bono fine eorum vsus honestati potuerit, si ex animo verè & serio vsurparentur, quod affirmat Hieronym. Negat Augustin.

Secunda est, quanam igitur ratione eiusmodi legalia fuerint aliquando, tum à Petro, tum à Paulo, & cæteris Apostolis, an simulatè tantum, & perhonestam siue dispensatoriam simulationem, vt vult Hieronym. An verò seriò ex verè alio tamen fine quam obseruarentur à Iudæis, vel Iuda, sontibus quod existimat Augustin.

Tertia Denique controuersia quæ ex duabus prioribus desimienda est, quo iure Paulus reprehenderit Petrum, tanquam non rectè incedentem, ideòque verè reprehensibilem. Cum ipse illud ipsum quod in Petro damnabat, non semel præstitisset, quod erat Porphyrij conuitium, & denique quænam in hac Principum Apostolorum contentione culpa fuerit, & an vterque peccarit, aut vnus dumtaxat, an neuter.

Dicendum est primò legalia nobis hodie mortifera & perniciosa esse, taliáque fuisse promulgato sufficienter Euangelio, quod eum non statim sed successiuè dumtaxat innotuerit, & obligarit, eadem successione, & non repente, vnóque veluti momento reddita sunt, legalia, vniuersis & singulis, atque vbique locorum perniciosa, ita Augustin. *Ep. 97. apud Hieronymianos*, neque dissentit Hieronym. quoad perniciosum hodie legalium vsum, qui voluit talem esse, ipso statim initio Euangelij, vt retulimus duo verò ad astruẽdam suam sententiam, demonstrat Augustin. Primum est ea legalia non fuisse necessariò seruanda à Iudæis in Christum credentibus, neque gentibus conuersis imponenda, non tamen statim damnanda & detestanda, alterum est feruente sensim prædicatione Christi, & fide crescente omninò tanquam sepulta & cadauerosa reijcienda. Sed tantum Doctorem audiamus, nihil nim eius verbis addi, aut detrahi posse videtur, cùm totam controuersiam subtiliter & distinctè explicem. *Dico ergo*, inquit, *Circumcisionem præputij & cætera huiusmodi priori populo per testamentum quod vetus dicitur, diuinitus data, ad significationem futurorum, quæ per Christum oportebat impleri: quibus aduenientibus remansisse illa Christianis, legenda tantum ad intelligentiam præmissa Prophetiæ; non autem necessariò facienda; quasi adhuc expectandum esset, vt veniret fidei reuelatio, quæ his significabatur esse ventura: sed quamuis gentibus imponenda non essent, non tamen sic debuisse auferri à consuetudine Iudæorum tanquam detestanda, atque damnanda: sensim proinde, atque paulatim, feruente sanè prædicatione gratiæ Christi, qua sola nossent credentes se iustificari, saluósque fieri, non illis vmbris rerum antea futurarum tunc iam venientium atque præsentium, vt in illorum Iudæorum vocatione, quos præsentia carnis Domini & Apostolica tempora sic inuenerant, omnis illa actio consumeretur vmbrarum; hoc eos fecisse ad commendationem, vt non tanquam detestanda & similis Idololatriæ videretur, vltra verò non haberet progressum, ne putaretur necessaria tanquam ab illa salus esset, vel sine illa esse non posset, quod putauerunt hæretici, qui dum voluerunt Iudæi esse, & Christiani, nec Iudæi nec Christiani esse potuerunt*, & inferius id ipsum eleganti similitudine explicat. *Iam enim cum venisset fides, quæ prius illis obseruationibus prænuntiata, post mortem & Resurrectionem Domini reuelata est, amiserant tanquam vitam officij sui. Veruntamen sicut defuncta corpora necessariorum officiis deducenda erant quodammodo ad sepulturam, nec simulatè nec Religiosè, non autem deserenda continuo, vel inimicorum oblectationibus, tanquam Canum morsibus proijcienda, proinde nunc quisquis Christianorum, quamuis sit ex Iudæis, similiter ea celebrare voluerit, tanquam sopitos cineres eruens; non erit pius deductor vel baiulus corporis, sed impius sepulturæ violator.* Et mox explicans quod in priori Epistola dixerat, Paulum voluisse docere suo exemplo vetera Sacramenta non esse perniciosa iis, qui ea vellent, sicut à parentibus per legem acceperant, custodire fatetur se minus posuisse, illo dumtaxat tẽpore quo primũ fidei gratia reuelata est. Tunc enim hoc non erat perniciosũ, progressu verò tẽporis erat perniciosum, nisi illæ obseruationes ab omnibus Christianis desererẽtur: ne si tunc fierẽt non discerneretur, quod Deus populo suo per Moysem præcepit ab eo quod in tẽplis dæmoniorum spiritus immundus instituit, & aliquot interiectis *coram Deo* loquens crede ait nunquam mihi visum fuisse etiam nunc Christianos ex Iudæis factos, sacramenta illa vetera quolibet affectu celebrare, & quovis 37

animo

animo debere ab eis vllo modo coli. Sicut non videbatur Hieronymo cuiquam sua ætate simulanda esse illa ipsa quæ Apostolos simulasse credebat, quare Augustin. iisdem ferè verbis quibus fuerat vsus Hieronym. ait, quicumque eas cærimonias obseruauerit, siue ex Iudæis, siue ex gentibus non solum veraciter sed etiam simulatè, eum in Barathrum diaboli deuolutum, quid quæris amplius? sed sicut tu simulationem Apostolorum ab huius temporis ratione secernis: Ita ego Pauli Apostoli veracem tunc in iis omnibus conuersationem ab huius temporis, quamvis minimè simulata cærimoniarum Iudaicarum obseruatione secerno, quamvis tunc fuit approbanda, nunc detestanda.

38 Vt verò doctrinam Augustini cogas in pauca... Imprimis agit de solis Iudæis, nam cum gentibus conuersis legalia non fuerint imposita, iisque Apostolico decreto soluti fuerint, non agebatur an ea illi obseruare licitè possent.

Secundò ait Iudæos potuisse ad vsque perfectam fidei prædicationem, & donec vmbræ omnes futurorum consumerentur, potuisse legalia ad commendationem eorum, & ne putarentur detestanda tanquam Idololatriæ similia, non verò tanquam expectandum adhuc esset, vt veniret reuelatio fidei.

Tertiò vbi venit & prædicata est fides, illa obseruatio non debuit habere progressum, ne putaretur necessaria, tanquam ab illa salus esset, vel sine vlla, salus esse non posset.

Quartò itaque dixit illo dumtaxat tempore, quo primum gratia fidei reuelata est, non fuisse perniciosum legalia custodire ad commendationem, & ne viderentur detestanda, progressu verò temporis perniciosum fuisse, si illæ obseruationes ab omnibus Christianis seruarentur & si quolibet affectu, & animo vetera sacramenta colerent, periculum esset ne dum Iudæi & Christiani simul esse volunt, neque Iudæi neque Christiani fierent, & in alios grauiores errores inciderent. Ex quibus habes probatam nostram assertionem de illicito & prohibito legalium vsu, neque est quod quæras à quo facta fuerit eiusmodi prohibitio. Respondeo enim authoritate Apostolica, quam ex vsu Ecclesiæ perpetuo colligo, propter periculum Iudaizandi quod in eiusmodi obseruatione, illustrata iam fide manifestum est; quare illam sapienter prohibuit Ecclesia, vis ratione Augustin. probant, quamvis nondum sufficienter explicata fide, qua innotesceret vmbras & figuras accedente veritate impleras esse per Christum, per solam fidei gratiam iustificari. & salutem à solo Christo & non à lege, & Moyse expectandam esse non prohiberetur, eiusmodi obseruatio, & toleraretur vt iterùm moneo.

39 His omnibus accedit valida ratio, quia nunc nulla probabilis causa esse potest, legales Ritus obseruandi, & vti aiebat Augustin. quolibet affectu & animo colendi nam vt de circumcisione ostendemus alibi, illa non potest assumi ad quendam religiosum cultum, nisi quatenus à Deo erat institutus, vel ad Christi imitationem in illo dolore & passione non primum, quia ille cultus Iudaïcus iam abolitus est, neque secundum, quia temeritas & superstitio est, quem sibi aut partem corporis abscindere aut perforare, siue per se siue per alium ad Christum imitandum, alioquin liceret se configere cruci, aut illam sibi ab alio inferri procurare, quod si ea amputatio ad membri illius vel alterius curationem necessaria foret, tunc non vsurparetur vt religiosa aliqua obseruantia, sed vt remedium aliquod naturale, quod licitè assumi nemo negat: quare rectè concludit Suar. *lib. 9. de legib. cap. 14. num. 11.* neminem priuatum, neque communitatem vllam posse propria authoritate legalem eiusmodi veteres cultus, & ritus religiosus assumere, cum periculum sit superstitionis; & contra traditionem ac vsum Ecclesiæ, atque periculum peccandi in fidem, vti referebamus ex Augustino alioquin possent induci omnes eiusmodi veteres cultus religiosi, neque enim potior erit ratio de vno, quam de alio, addo cum eod. Suare neque Ecclesiam posse eas cærimonias & sacramenta quasi substantialia, & fundamenta veteris & Mosaïcæ Ecclesiæ denuò stabilire; quia vt dicebat Augustin. hoc esset quasi sopitos legis cineres eruere, & impiè sepulturam violare; deinde quia vel diuino iure, vel saltem Apostolico prohibiti sunt illi cultus, & mortiferi ac perniciosi redditi.

Dicendum Secundò est aliquando ritus Iudaïcos ab Apostolis propter grauissimas causas vsurpatos fuisse verè & seriò, & non tantum fictè, & per simulatoriam dispensationem. Prior pars certa est: Ex actibus enim Apostolorum constat Paulum & Petrum id factitasse; neque ad id præstandum grauissimis causis adductos esse, nemo vnus dubitat. Tota difficultas est circa modum quo ista gesserunt. Nam Hieronym. *in cap. 2. Ep. ad Galat.* id factum ait simulatè & fictè non veraciter & serio, vti contendit Augustin. *ep. citata*, ne mendacium officiosum inducamus in sacram scripturam, atque de fide illius dubitare liceat & plurima dispensatiuè & simulatè dicta interpretari, quod quam futurum sit absurdum pluribus ostendit, inde illa grauis inter sapientissimos istos Doctores controuersia Augustino, tamen communis Theologorum sententia inhæsit, cum in illa nihil habeamus incommodi quod in simulatione grauissimum est, præterquam quod illa simulatio inutilis est ad soluendam quæstionem de perniciosa obseruatione legalium; illa enim licita erit, modo sit simulata, atque etiam fas fuerit simulare Iudæum ad vitandam offensionem quæ & pleraque alia prosequitur Augustin. quare fallaci simulatione non medemur incommodis, & cogitur Hieronym. fateri non fuisse mortiferam legalium obseruationem eo tempore, modo illi adiungeretur fallacia, simulatio, & hypocrisis vt ipsemet loquitur in *ep. ad Galat.* Ex quibus sequitur legalia statim atque sunt, mortua & inutilia ad iustitiam, & salutem non fuisse reddita mortifera, & perniciosa, quandoquidem ea grauibus ex causis ipsimet Apostoli seruarunt siue serio simulatè, quare in licita ea obseruatione consentiunt Augustin. & Hieronym. & in solo modo siue affectu & animo obseruandi dissentiunt. 40

Dicendum est Tertiò, Paulum non peccasse arguendo Petrum subducentem se à gentibus, & cum Iudæis Iudaizantem, neque etiam Petrum legalia tunc obseruantem, vtriusque Apostoli culpam in hac publica contentione excusat, ex Origenis, Eusebij Emisseni, Apollinaris, & aliorum veterum sententia Hieron. *in comment. ad Ep. ad Galat.* quod tota ista disceptatio ex composita simulatione facta fuerit per honestam dispensationem & hypocrisim, vtilem verò esse simulationem & assumendam in tempore, probat Hieronym. pluribus exemplis. Et quod Paulus ait se restitisse Petro in faciem explicat in speciem, fuisséque illum reprehensibilem non tam à Paulo, quam ab iis fratribus cum quibus ante edens se ab eis postea separabat, atque ita simulata contentio, pax credentium facta est, & Ecclesiæ fides sancto inter nos iurgio concordauit. Verùm totam hanc simulationem impugnat Augustin. & mendacium officiosum esse iure contendit ab omnibus sacris scriptoribus reiiciendum. Alij Cepham cui Paulus in faciem se restitisse dicit, non Petrum Apostolum, sed alium quempiam nomine Cepham ex 70. Discipulis vnum faciunt. Nam ex eo nomine 41

fuisse quoque Martialem Lemouicensium Episcopum, hanc sententiam reiicit Hieronym. & communiter hodie Theologi cum eam ipse contextus Pauli per se confutet. Itaque Augustin. Paulum omni culpa liberat in hac contentione, quod Petrus suo exemplo cogeret Iudaïzare, id est induceret gentes ad Iudaïzandum, & ea de causa non rectè incederet, tota ratio Augustini petitur ex Pauli assertione, qui perspicuè dicit Petrum fuisse reprehensibilem, & non rectè incessisse, & gentes sua illa secessione, ad Iudaïzandum quodammodo cogeret: Tota itaque difficultas est, vt ab omni culpa Petrum eximamus, qui si in hac sua secessione peccauit, grauiter omninò peccauit in materia religionis, & ratione scandali atque offensionis quam præbuit, neque excusari potuit, ignorantia aliqua probabili, atqui constans opinio est, Apostolos in gratia confirmatos fuisse, neque ab illa per graue peccatum deinceps excidisse, aut excidere potuisse, quomodocumque illa confirmatio explicatur, salua eorum libertate de hac controuersia pluribus Suar. Vasq. & passim Theologi, mihi videtur, imprimis omninò liberandum esse Petrum à culpa in hac causa, quia vti iam monui non potuisset non esse grauis & mortalis: Modus verò excusandi ipsum non videtur ita operosus, Nam non peccauit ratione operis, quod tunc permissum erat, & ab ipso Paulo sæpius variis ex causis factitatum, qui tamen cum gentium Apostolus esset, videbatur maiori cum cautione legalia seruare debuisse, non peccauit igitur Petrus, si quid peccauit, nisi quia minus opportuno loco & tempore id præstitit. Vnde factum vt moriretur occasio offensionis, eo quod ipse Barnabas collega Pauli, atque gentiles ad idem faciendum eo exemplo cogerentur, Atqui nullo loco & tempore opportuniori ista præstare potuit Petrus, & ne scandalum crearet Iudæis, ita se gessit, quamuis gentiles ex benefacto per imprudentiam scandalum passi sint, sibique falsò persuaserint, sibi id necessariò faciendum esse, quod tantum Apostolum facere viderent, timuit Petrus offendere Iudæos Hierosolymis venientes. *φοβούμενος τοὺς ἐκ περιτομῆς* timens eos qui ex circumcisione erant. Videndum igitur an illius timoris causa legitima fuerit, cum in Concilio Hierosolymitano de obseruatione legalium necessaria, fuisset dumtaxat actum de Gentilibus, definitumque eos non esse cogendos ad Iudaïcam obseruationem, contra quam Iudæi quidam contendebant, de Iudæis verò nihil statutum fuisset: si itaque aduertissent non modo Gentiles legalium onere exemptos fuisse, sed ipsos etiam Apostolos, atque eorum Principem Petrum, abiectis legalibus gentiliter viuere, turbas sine dubio mouissent, quod & alias fecerant aduersus Paulum. Vt igitur eiusmodi motus sine dubio exorituros comprimeret Petrus, sese aliquandiu à Gentilibus subducit, & cum Iudæis qui ab Hierosolymis & à Iacobo venerant Iudaïcè viuere cœpit, quod consilium itaprudens visum fuit ipsis etiam Gentilibus, atque adeò Barnabæ, cui vna cum Paulo Gentilium procuratio demandata erat, vt illud non modo probarent, sed etiam imitarentur. Quare si verè loquamur non fuit scandalum actiuum, vt loquuntur datum à Petro quibusdam Gentilibus, qui eo exemplo malè vsi sunt, & quod Petrus ex compassionis affectu, & quadam honesta dispensatione, vt loquitur Hieronymus fecerat, id sibi ipsis ex necessitate faciendum malè existimarunt, quæ sanè non potuit esse Petri mens, qui in Concilio Hierosolymitano fuerat Author, non imponendi iugum legalium Gentilibus: Cum itaque Paulus aduertisset illud Petri factum contra eius animum, & aliter quam oportuisset à Gentilibus accipi, Petrum publicè reprehendit, vt & Gentiles in officio retineret, & Iudæos Petri exemplo commoneret, an verò Petrum reprehensibilem esse occasione aliorum, & non ex sua culpa, neque propter factum ipsum, sed consequentiam facti & fanè si cum Paulus postea diuersa occasione legalia seruauit, vt Iudæos lucrifaceret, aliáve de causa legitima Gentiles aliqui Christiani eo exemplo incitati, idem sibi faciendum esse existimassent, potuisset Paulus videri & dici reprehensibilis, & cogere Gétiles Iudaïzare, & denique qui illud factú æmularentur, non rectè ambulare secundum veritatem Euangelij, quomodo de Petro & cæteris ipsum imitantibus dixit Paulus. Quare neque Petrum neque Paulum in tota hac disputatione peccasse, neque mendacium officiosum in Petro, aut Paulo procacitatem in arguendo Petro & damnando, quod ipsemet sæpius vsurpatat agnoscere, cogimur contra calumniam & conuitia Porphyrij apud Hieronym. *Ep.* 89. Iulian. Apostat. apud Cyrill. *lib.* 9. *Thesaur. sub fin.* Marcion. & Valent. apud Tertull. *lib.* 4. *aduers. Marc. cap.* 3. *& lib. de præscript. cap.* 23. neque ipsemet Tertullian. *lib.* 5. *adu. eund. Marc. cap.* 3. eidem Petro pepercit, sed leuitatis & inconstantiæ accusauit, quod pro personarum varietate viuendi rationem mutaret, & denique August. citatis epist. non liberat à culpa, quandoquidem à Paulo qui non mentitur reprehensibilis asseratur, & *lib.* 2. *de Baptismo contra Donatist. cap.* 1. *& lib. de agone Christiano cap.* 3. Fatetur Petrum circa Circumcisionis vsum peccasse, eiusque exemplo Cyprian. circa Bapt. Hæretic. errantem excusat. Cum tamen Petrus si quid errauerit, errauerit tantùm in facto non in doctrina, quam in Concilio Hierosolymitano stabilierat, & ipsius exemplo Pauli constaret legalia nondum esse mortifera, sed mortua, neque con[illegible] quidquam docuit Petrus. Cyprianus verò falsò contra traditionem Ecclesiæ affirmarit Baptismum Hæreticorum nullum esse. Ita Baron. ait ne Chiel. 51. Vasq. 12. *disp.* 181. *cap.* 7. Suar. *lib.* 9. *de legib. cap.* 20. qui aliique ab omni culpa rum Petrum tum Paul. in hac controuersia excusant.



CAPVT V.

De iure diuino legis Euangelicæ.

QVÆST. I. *An sit aliqua diuina lex Euangelica à Christo lata.*

QVÆST. II. *De materia & præceptis legis Euangelicæ.*

QVÆST. III. *De effectibus legis Euangelicæ.*

DVPLEX ius diuinum positiuum distinguebamus nuper; vnum per legem veterem siue Mosaïcam constitutum; alterum per legem Euangelicam: prius illud abrogata, pec quam sancitum fuerat lege, desiit obligare. Eius tamen cognitio necessaria tradenda fuit ad intelligentiam legis, nouæ, quæ eius perfectio, & impletio quædam, est vt comparandam, & adæquatam iuris diuini notitiam haberemus: Ius verò diuinæ legis Euangelicæ, cùm Christianos omnes obstringat, explicandum omninò est, alioquin Christianæ politiæ scientiam quam molimur, non haberemus. Nam & cæteræ sacræ leges Christianæ vel ab illo iure Euangelico deriuantur, vel illi conformes esse debent. Est enim fons totius iuris Christiani. De eo tamen hoc loco non agemus nisi in vniuersum ipsius naturam, causas, & effectus & perfectionem explicantes, quæ enim toto reliquo opere tradituri

traditeri ſumus, eius veluti partes, aut conſectaria quædam ſunt.

QVÆSTIO I.

An ſit diuina aliqua lex Euangelica à Christo lata.

Varia legis ſignificata, n.1.
Dari legem Euangelicam negant hæretici, numer.2.
Aſſertio Catholica, n.3.
Probatur 1. ex ſcripturis, n.4.
Leges à Chriſto & Apoſtolis traditæ, numer.5.
Probatur 2. Ex Patribus, n.6.
Probatur 3. Ex praxi Eccleſiæ, n.7.
Probatur 4. Ratione, n.8. & 9.
Diluuntur obiecta, n.10.
Primo ex Ioan.1. Lex per Moyſem data eſt, gratia autem per Chriſtum, n. 11.
Alia obiectio ex libertate Euangelica diluitur. n.12.13.& 14.
Tertia obiectio ex voce teſtamenti & Euangelij, n.15.& 16.
De voce teſtamenti, n.17.18.19. & 20.
De voce Euangelij, n.21. & 22.
Concluditur dari nouam legem Euangelicam, num.23.

1 Legem propriè vſurpamus hoc loco pro iuſſu & præcepto communi, quod & ius conſtituit, & obligationem imponit illud exequendi, non verò pro regula dumtaxat, & norma aut exemplari actionum, à quo tamen impunè liceat diſſentire, eiuſmodi enim regulam, legis aliquando nomine deſignari certum eſt. Hic Clem. Alex. *lib.1. Stromat.* nominat Chriſtum legem & rationem, quia eius exempla ſunt nobis norma & leges quibus dirigamur, & Chryſ. *in Pſal.1.* dici legem putat quia fert paterna conſilia, verbum autem & rationem, quia à Patre inſeparabilis eſt. Victor Carthagin. *lib. de pænit.cap.4.* quia ſuo exemplo fieri docuit, quod in ſcripto, id eſt Euangelio mandauit; Elias verò *in primum Oratij Nazianz.* quia per illum tanquam per vitæ normam iudicandi ſumus: quo eodem ſenſu viros, Principes, generales & exemplares, animatas & rationales leges vocauit Philoſ. *lib. de Abrah. initio.* quia demonſtrant præcepta legis à natura non diſcrepare, neque difficile eſſe vitam ad legum regulas exigere, quandoquidem illi nondum ſcripto, vel prædicto legum iure ita vixerunt, itavt ſcriptæ legem nihil aliud ſint quàm commentariæ vitæ illorum principum, & ſanctorum virorum. Id quod fuſius proſequitur *in lib. de vita Moſis*, & quomodo Princeps praua ſe geſſerit animata ſit lex in vtramque partem, quæ repetit eodem opere *lib.* 2. Quam legis ſignificationem impropriam eſſe vides, de qua nobis quæſtio non eſt hoc loco, cum nullus dubitare poſſit Chriſtum, eiúſque actiones ac dicta, quæ narrantur in Euangelio nobis normam & regulam vitæ eſſe debere.

2 Sed quærimus, an in Euangelio contineantur veræ & propriæ leges, eæque nouæ, quæ Eccleſiam omnéſque Chriſtianos obligent ad ſui obſeruationem, quod ni faciant peccent, & punitioni ſubiaceant. Id enim negant nouatores hæretici apud Alphon. à Caſtro *v. Peccatum hæreſi 1.* Nam libertatem Chriſtianam conſtituunt in exolutione à debito legis implendæ, ideóque volunt fideli Chriſtiano omnia opera eſſe Adiaphora, neque vel præcepta vel prohibita, quod expreſſiſſimè dixit Luther. *Sermon. de Moſe, & in argum. Epiſtola ad Galat. & in capit.2. eiuſd. Epiſt. & lib. de libert. Chriſtiana*, vbi hæc habet, *nullo opere, nulla lege, homini Chriſtiano opus eſt, cum per fidem ſit liber ab omni lege.* ſimilia tradit Calu. *lib.3. inſtit.cap.19. §.2.4.& 7.* & *in cap.4. Epiſt. ad Galat.* vocat miſerabilem inſcitiam, & pernicioſum errorem prædicantium Chriſtum, tanquam nouum legiſlatorem, qui veterem legem Iudæorum abrogauerit & nouum Chriſtianis impoſuerit, cum eius officium non fuerit Legem inſtituere, ſed eius iugum à ceruicibus auferre, nouitios verò Theologos diuino aduerſantes conſilio, pro liberatore legiſlatorem, qui nos in duriſſimam tradat ſeruitutem, induxiſſe. Ex his colligunt nulla opera bona neceſſaria eſſe ad ſalutem, nulla quoque opera mala credentibus obeſſe, quandoquidem omnia Adiaphora ſunt ipſis, nihil ipſis prohibitum, vel imperatum præter fidem in Chriſtum, nullaque alia lege quàm fidei tenentur, cum nulla alia poſt Moſaïcam abrogatam ſancita fuerit à Chriſto. quam eſſe illorum doctrinam, neque per calumniam ipſis affingi, pluribus demonſtrat Bellarminus *lib.4. de Iuſtificat. cap.1.* Ex eodem quoque principio negante Chriſtum eſſe legiſlatorem, infert Brent. apud Lenſæum *lib.9. de libertate Chriſtiana cap.9.* Inanes eſſe omnes leges Eccleſiaſticas, cum neque à Chriſto, neque ab Apoſtolis originem ſuam arceſſere poſſint, Chriſtus enim neque fuit legiſlator, neque ad hoc miſſus à Deo, ſed ad redimendum & docendum: Apoſtoli verò miſſi ſunt à Chriſto, ſicut Chriſtus à Patre, ad prædicandum ſcilicet, vti patet ex illis verbis. *Ite prædicate Euangelium: quare* tandem concludit Brent. Romanum Pontificem, quanto magis gloriatur ſe ſucceſſorem Apoſtolorum & Chriſti vicarium eſſe, tanto minorem authoritatem condendarum legum habere, atque ita ineptiſſimus homo leges omnes Eccleſiaſticas ſimul expungit. Probant verò ſuam illam inſanam doctrinam ex libertate qua Chriſtus nos donauit, quod non præſtitiſſet, ſi veteribus legibus reſciſſis, nouas & aliquando grauiores ſanxiſſet, deinde ipſa nomina Euangelij, & noui teſtamenti quæ doctrinam Chriſti continent, aliud longè ſonant, quam legem ſanctionem, nimirum bonum malum, Chriſti aduentum & nouum pactum ac fœdus, quod Deus cum Eccleſia Chriſti morte ſanciuit.

Catholica tamen aſſertio eſt, à Concilio Tridentino definita *ſeſſ.6. can.21. Si quis dixerit Chriſtum Ieſum à Deo hominibus datum fuiſſe cui fidant, non etiam vt Legiſlatorem cui obediant Anathema ſit*, quam ſacri Concilij definitionem ſacris Scripturis, Patrum doctrinæ, & rationi conſentaneum eſſe demonſtrant fuſius, qui aduerſus nouatores ſcribunt, à Caſtro *v. præceptum.* Bellarm. *lib.4. de iuſtiſ. cap.5.* à Rua *controu.6. ſcholaſtica conc.1.& 2.* Suar. *lib.10. de legib. cap.15.* atque alij paſſim ex quibus nos pauca libamus. 3

Et quidem ſcripturæ loca in hanc rem congerit Ioſeph à Coſta *de Chriſto reuelato lib.4.cap.2.* atque imprimis Iſai. *cap.33. 21. Dominus iudex noſter Dominus legifer noſter, Dominus Rex noſter*, quæ verba de Chriſto & de Hieroſolyma terreſtri, nimirum Eccleſia Chriſtiana, Hieron. & Cyrill. ſapienter interpretantur, neque verba eiuſmodi per Tropos eludere licebit, quia æquè Chriſti iudiciariam poteſtatem, & Regiam dignitatem figuratè & tropicè liceret interpretari. Deinde hanc legiſlatoris dignitatem perſpicuè tradit Paul. 4

Paul. *Ep. ad Hebraos*, cum Christum confert cum Mose tanquam Legislatore: Nam *cap.* 2. ait sermonem factum per Angelos, nempè in manu Moysi ita firmum fuisse, vt omnis inobedientia dignam vindictæ retributionem acceperit, indeque colligit nos non posse effugere vindictam, si sermonem Christi neglexerimus, & *cap.* 3. ait Mosem fuisse fidelem quidem famulum in domo Domini, Christum verò tanquam famulum in domo sua. Ipsemet Moyses *Deut.* 18. 15. promittit Deum suscitaturum ex Iudæis Prophetam sibi ipsi similem quem audituri essent, illi videlicet obedientiam præstituri, quem Prophetam esse ipsum Christum interpretatur Petrus Actor. *cap.* 3. 22. additque *v.* 23. *Omnis anima qua non audierit Prophetam illum extermiaabitur de plebe.* Eodem quoque Mosis vaticinio Christum designari tradit Stephan. *Acto. cap.* 2. *v.* 87. atqui non debetur obedientia nisi imperanti, neque punitur nisi mandata violans, quo etiam referas illud ad Hebr. *c.* 5. Christum factum esse causam salutis omnibus obedientibus. Et *cap.* 12. hortatur ne recusemus loquentem, alioquin non effugiemus eam nempè diuinam, deinde legem Euangelicam prædicit Isaias *cap.* 2. 3. *de Sion exhibit lex & verbam Domini de Hierusalem,* quæ eadem repetit Micheas *cap.* 4. 2. Quænam amaboest illa lex data in Ierusalem, quæ inde in omnem orbem se diffudit, neque si quis augustiis se continent, nisi Euangelica vti Hieron. Basil. Chrys. Procopius commentantur, & Irenæ *lib* 4 *cap.* 67. atque Origen. *lib.* 5. *contra Cels.* disputant. Nam Mosaïca lex lata fuit in monte Sinai extra terram promissionis neque ad alias gentes exiuit, à quonam verò alio Legislatore quàm à Christo condita illa fuit, sed vt ad Mosis Legislatoris cum Christo comparationem redeamus Consule Euseb. *lib.* 3. *de demonstrat. cap.* 21. *& lib.* 9. *c.* 7. & ex eo Lorin. *in cap.* 18. *Deut. v.* 15. neque alium Prophetam quam ipsummet Christum, promissum fuisse à Deo per Mosem qui eius Typum gerebat, probat Augustin. *lib.* 16. *contra Faust. cap.* 15.

5 Verùm in his congerendis immorandum non est, cum ipsas leges à Christo & Apostolis latas habeamus in Euangelio. Nam Baptismum recipi mandat *Ioan.* 3. & carnem filij hominis manducari *Ioan.* 6. sub interminatione perdendæ salutis Libellum repudij dari prohibet, nisi fornicationis causa, & tunc munere iniustos, deinde coniuges illos restatuit, Paul. 1 *ad Cor.* 7. Legem moralem Mosis explicat vti iterùm dicemus, & cum ea seruari mandat Matth. *cap.* 5. 6. *&* 7. *&* 19. & *cap.* 10. *Marc. & Luc.* 18. in eiusque obseruatione viam ad vitam æternam constituit, mandatum dilectionis fert *Matth.* 22. *Ioan* 13. *&* 15. quod etiam mandatum ferunt Paul. *ad Rom. cap.* 13. Iacob. *cap.* 2. Petrus *Ep.* 1. *cap.* 1. *&* 4. *Ioan. Ep.* 1. *tota.* Denique Christus *Marc. vltimo* mittens Apostolos docere omnes gentes vult, illos baptizare, & docere seruare omnia quæ ipsis mandauit. Et Ioan. 14. *Qui habet mandata mea & seruat ea, ille est qui diligit me. Et cap.* 13. *si mandata mea seruaueritis manebitis in dilectione mea*, quæ aliaque similia demonstrant Christum reipsa plurimas nouas leges condidisse, adeóque verum Legislatorem non modo Doctorem & Redemptorem fuisse, contra quam ineptiant hæretici.

6 Quod ipsum confirmant passim SS. Patres. Nam Iustin. *in Decalogo cum Triphone* vocat legem postremam, & testamentum nunquam delebile, & rescindendum, quod nulla alia lex nullum mandatum. aut præceptum sequetur, plurimaque in eam rem adducit ex Isaia, ex Ieremia, inuehiturque in Iudeos, quod præsentem Legislatorem neque audiant neque videant Cyprian. *Serm. de spiritu sancto*, multa de prioribus tabulis, à Mose propter populi proteruiam confractis, & posterioribus deinde restitutis: Photius Mosem cum nouo Legislatore Christo componit, Codex obuius est, sed quem adeas velim, & obserues prioribus tabulis confractis, posteriores perdurasse, quia lex Christi indelebiliter permanebit, quam perennitatem in Christi legibus agnoscit etiam Hilar. *in Psal.* 131. *ad illa verba, adorabimus in loco vbi steterunt pedes eius.* Ambr. *Serm.* 5. *in Psalm.* 118. *v.* 1. vocat Christum magnum præceptum & præceptum præceptorum, *non vsurpatoriè, inquit, sed verè sicut sunt Sancta Sanctorum ob illud magnum praceptum, de quo legisti: dictum est antiquis non occides, ego autem dico vobis hoc est super omne praceptum dico.* Vocat igitur Ambros. Christum magnum præceptum, & præceptum præceptorum, causaliter quia magna præcepta, quæ alia omnia vincant, tulit, qua ratione vocarat illam legem vltimam, & non rescindendendam, quia leges perennes & nunquam rescindendas prioribus inductis tulerat. Augustin. *lib.* 17. *de ciuit. cap.* 17. *Psalm.* 109. de Christo explicans verba illa. *Virgam virtutis tua emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum*, ita clara esse dicit, vt ne quidem à suis inimicis negentur. Ipsi quippe fatentur ex Sion missam fuisse legem Christi, quod Euangelium nos vocamus, & eum virgam virtutis eius agnoscimus.

Præterea cæteros Patres qui licet Christianos Mosaïcis legibus immunes dicant, Christianis tamen teneri monent, quas vel Christus, vel Apostoli, & Ecclesia deinceps, consequentibos ætatibus tulit. Inutiles 7.
enim essent tot Canones & sanctiones Ecclesiæ, si conscientias fidelium non obstringerent. Et ad pœnam etiam quandam externi fori & politiæ obligarent, vti alibi demonstrabimus. Impræsentiarum dumtaxat hoc vnum vrgeo, potestatem legum latiuam Apostolorum non aliunde originem trahere potuisse; quam ex Christi ipsius potestate, qui illos non tantum ad docendum & prædicandum miserit, sed ad regendam quoque & instituendam Ecclesiam, quam idcircò suis legibus temperarunt, quod nemo sapiens negabit, vt enim de eorum Canonibus qui circumferuntur & constitutionibus à Clemente Romano scripto traditis, modo non disputem, de quibus commodius alibi dicturi sumus. An non in Concilio Hierosolymitano *Acto.* 15. de non seruandis legalibus à gentibus ad fidem conuersis, de vitanda fornicatione, non manducandis Idolothytis, & abstinendo à sanguine leges tulerunt. An non Paul. 1 *ad Cor. cap.* 5. prohibet communicare cum quibusdam qui se indignos Christiana professione præstabant, & in *ead. Ep.* 4. *vers. vlt.* minatur se in virga venturum ad noxios nempè puniendam, quæ potestas coactiua, supponit omnino Legislatiuam imperandi. Et *cap.* 11. Eadem potestate emendat eosdem Corinthios, quod præter institutionem Domini committebãt pro Cœna dominica ὁμοθοινίας, id est, Cœnas populares in Ecclesia facientes, vti Cyrill. in Pentabillo contra Nestorium interpretatur. Eique prohibitioni subiungit Paul. *Catera, cum venero, disponam:* cætera nimirum Ecclesiastica: neque enim de dispositionibus popularibus aut ciuilibus agebat, illæ vero διατάξεις dispositiones, quas Corinthiorum Ecclesiæ promittit, quæ erant constitutiones siue leges quas imposterum seruari ab Ecclesia volebat. Qualis est illa quam habet *cap.* 14. *v.* 34. vbi prohibet mulieres in Ecclesia loqui, non modo docendi causa, sed ne quidem discendi, *si quid enim discere velint, domi viros interrogent.* Denique cum Paul. velit omnia fieri secundum ordinem in Ecclesia, cum doceat Timotheum quomodo in Ecclesia & in domo Dei conuersari debeat, quibus ordinem illum seruandum præscripsit, an violari debuit, aut potuit ille ordo, an non fuit lege aliqua constitutus, an

licuit

licuit cuique illum sibi fingere. Quis verò illam legem constituit nisi vel Christus, vel authoritate ab ipso communicata Apostolis nisi velimus Ecclesiam sine legibus, & iure certo in nouam Rempublicam conualuisse.

8 Atque hæc est validissima ratio abutendi tum potestatem legislatiuam Christi, tum existentiam nouæ & Christianæ legis ab ipso latæ. Cum enim Ecclesia Christiana sit Respublica quædam optimè constituta, sine certo iure, certisque legibus consistere nequit, quæ omnia & Sapientum omnium sensus & diuersæ Rerumpublicarum omnium formæ, & omnium retrò ætatum experientiâ demonstrant, suas igitur leges habeat Ecclesia, necesse est, non habet verò Mosaïcas, quæ iam abrogatæ sont, nouus igitur accipere debuit, neque ab alio quam à Christo qui antiquas rescidit, & qua ratione seruandæ vel non seruandæ essent docuit, & Apostoli qui Christi mentem sunt assequuti, & ab eo Rectores Ecclesiæ constituti sunt, quomodo enim Ecclesiam sine legibus regerent, com nequidem Nauarossus nauim sine legibus & statutis gubernare possit, nullaque sit hominum societas quæ suis certis statutis non instituatur.

9 Adde regiam potestatem atque iudiciariam quam Christo non negabunt (opinor aduersarij legislatiuam necessariò postulare.) Princeps enim subditis imperare, & leges ferre potest, neque pati potest illos ex leges esse, neque illos damnare & Reos facere potest si nihil peccarunt, neque legem vllam violarunt, & quotquot hactenus de politia scripserunt, potestatem ferendi leges ciuibus in illa agnouerunt, penes quemcumque tandem resideret imperium, siue penes Regem in Monarchia, vel optimates in Aristocratia, vel denique penes populum in Democratia. Quare in Ecclesiæ politia, quæcumque tandem illa existat, eandem potestatem esse fateri cogimur, potiorique iure in ipsius conditore & institutore Christo, qui quod in illa gubernationis genus seruari vellet, & leges quibus administraretur, sanciuit, iisque quibus eius gubernationem tanquam suis vicariis credidit potestatem leges pro tempore necessarias condendi contulit; absque ea siquidem facultate non possent hanc sacram Rempublicam gubernare, cuius totius administrationis ordinem ipsis præscripsisse, dum per quadraginta dies cum Apostolis iam rediuiuus loqueretur de Regno Dei *Acto. cap.* 1. 3. consentiunt interpretes nempè de Regno Dei) quod est Ecclesia, constituendo, regendóve de vniuersa Hierarchia, de sacra Religione, diuino cultu, sacramentis, sacrificio, doctrina Euangelica, sacris ministris, & aliis eiusmodi, quæ cum in Ecclesia nata & seruata perpetuò fuerint, non alionde suam originẽ, quam à Christo repetere possunt. Quare Christum summum Legislatorem à Deo constitutum, sicut & Regem supra Sionis montem Cyrill. Alex. *lib. 5. de Trin.* aliisque Græci & Latini Patres dixerunt, ex *Psal. 9. 21. Constitue Domine Legislatorem super eos, vt sciant gentes quoniam* homines sunt. Hic enim Psalmus ex omnium antiquiorum interpretum mente de Christo loquitur, quod & ipse titulus *in finem pro occultis filij* indicat, vti Bellarm. & Lorinus fusius ostendunt: Illa verò occulta filij Dei sunt eius arcana, mysteria, incarnatio, passio, Bella, & victoriæ, vbi igitur Christi pugnas & victorias descripsit Dauid, precatur vt eundem Dominum & Legislatorem omnes agnoscant, alij reddunt voces Hebraïcas. Pone terrorem eis, timorem dominum, iugum, Rectorem, Doctorem, legem, neque in illis magnum dissidium est. Nam potestas legislatiua iugum imponit & terrorem subditis, illos regit & docet, atque ita efficit vt subditi suæ conditionis vilitatem & infirmitatem agnoscant, meminerintque se homines esse, atque adeò subditos & imbelles, sed magis ad argumentum Psalmi de Christo apposité, Eusebius intelligit de cognitione dignitatis, ad quam humana natura fuit euecta per Incarnationem, sciant & cognoscant gentes Deum factum hominem, & se Legislatorem habere, eadem quoque natura præditum, sed cui diuinam coniunxerit, affertque illud Isaiæ *cap. 42. 4. in nomen ipsius gentes sperabunt.* vbi nos Legimus. *Legem eius insula expectabunt*, obseruatque vocem Hebraïcam (*pro in nomen eius gentes sperabunt*) ferre *in legem eius sperabunt*. Theodoretus verò in commentariis interrogat Iudæos, quemnam Legislatorem Dauid dari postulet, nam Moses iam diu obierat, neque alius deinde successit, qui simul Iudæis & gentibus Datus fuerit, præter Christum, qui palam sic edicit. *Dictum est antiquis. Ego autem dico vobis, &c.* cuius legis promulgationem gentibus dari precatur, vt ferina vita derelicta, cognoscant se homines esse. Homo enim cum in honore esset non intellexit & comparatus iumentis insipientibus & similis illis factus est. Quare ait Dauid. *Cognoscant gentes quoniam homines sunt.* Eleganter omnino Ambros. *in Psal. 118. serm. 13. ad illa verba. à iudiciis tuis non declinaui, quia tu legem posuisti mihi.* Dauidis versum quem versamus, explicat eius verba quamvis prolixiora placet referre, ait igitur verbis ex *Psalm. 118.* quæ interpretatur explicari, quid sit à via maligna prohibere pedem, quod proximo versu dixerat Dauid. Vtique à iudiciis non declinare diuinis, & firmum atque immobile perseuerantis Innocentiæ tenere vestigium, non deflectere gradum, nec de curriculo auertere disciplinæ, sed semitis non solùm veteris in syna, sed etiam nouæ legis insistere secundùm Euangelij claritatem. Est etiam Euangelij lex, de qua dixit in superioribus hic Propheta. *Constitue Domine Legislatorem super eos, sciant gentes quoniam homines sunt, aduentum vtique Domini intelligimus, prophetam, vocationem gentium, quæ ante in lutum quoddam corporis huius videbantur infixa, voluptati corruptionis suæ tanquam fæci & libidini inhærentes, quia Dominum nescierunt, & ideo iratus. Aduertantur, inquit, peccatores in infernum, &c. sed de illis dicit gentibus quæ obliuiscuntur Dominum: scierunt ergo & obliti sunt: tamen prophetica benignitate orat, vt exurgat Dominus, & non præualeat homo, vt cogitationes terrenæ, & motus omnes ferventes huius corporis conquiescant: Iudicentur gentes, quoniam tunc cognoscitur Dominus, cum timentium conuertit affectus grauis terrore iudicij, & discant gentes quoniam homines sunt, luti corruptione solubiles, & limo durescente formati. Quod ante qui legem non acceperant; nesciebant vnde & Propheta quasi & ipse perturbatus terrenæ fragilitatis contemplatione, ait vt quid Domine recessisti longè? benè timet qui hominem se esse cognoscit, sed quia plus timet nobis, qui sumus ex gentibus peccatores, precatur ne longe fias à suis gentibus, vt qui longè eramus, incipiamus esse propiores, & sciamus quia homines sumus ad imaginem scilicet, & similitudinem Dei facti, quibus per Virginis vterum etiam Christus nostri conformis est factus, rectè ergo & ab infirmitatem accipitur, & ad gratiam: sciant gentes quoniam homines sunt: alterò per commune quoddam, atque carnale consortium bestiarum, alterò per imaginem Dei, & carnis dominicæ sacramentum, dignitas esse cœpit, quæ ignobilitas videbatur merito, ergo non declinauit à iudiciis Dei populus nationum, qui potest dicere. Sic legem posuisti mihi, non per Moysem non per prophetas, sed ipse per te IESV legem posuisti mihi, hoc est Euangelium, ideo non declinaui quia te aspexi, & itinera tua cognoui, & te secutus, veram cognoui viam*, habemus itaque ex Ambrosio Christum & Legislatorem esse, & Euangelium legem quod hactenus demonstrare voluimus.

Quæ nobis obiiciunt aduersarij, futilia prorsus sunt. 10
Nam

Nam illud Ioan. 17. *Lex per Moysem data est, gratia autem & veritas per Iesum Christum facta est*, non negat Christum Legislatorem esse, sed potius ostendit nouæ cuiusdam Legis authorem esse, vti ex ipsa contextus Acolothia videre est. Dixit Ioan. verbum, qui Deus est, carnem factum fuisse habitasseque in nobis, neque tamen existimarent eius maiestatem, carnis tenebris obscuratam fuisse, addit ita illustribus indiciis se se prodidisse, vt ipsis penè oculis spectari posset, *Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à patre ἐθεασάμεθα* spectauimus palam, quod etiam dixit *Ep. 1. cap. 1.* hoc spectaculum aliqui referunt ad Transfigurationem, cuius ipse quoque Ioannes spectator fuerit & gloriæ quam intuendam dedit, quamque Petrus eiusdem quoque spectator descripsit *Epist. 1. cap. 1. 17. & 18.* Alij verò cùm Chrysost. & Euthymo domini signa quibus suam diuinitatem probauit, qualia fuerunt opera supra vim omnem naturæ præstita, Prophetia, cognitio, cogitationum cordis, morborum curatio, & mortuorum suscitatio, quæ videntibus τὸν ἐνοικήσαντα λόγον in nobis habitare repræsentarent. Quare Alcuinus. dixit aspexisse homines humanitatem miraculis fulgentem: vnde & intellexisse diuinitatem latentem, videbant quippe præsentiæ splendorem, & vt loquuntur Græci αὐγὴν τῆς παρουσίας, αὐγὴν τῆς δόξης. Quare quærens quomodo verbum habitet in nobis σκηνώσας ἐν ἡμῖν λόγος, respondet Fulgent. sic in vna persona dum in terris ageret, vtriusque naturæ permanentis indicia demonstrasse Dei filium, vt verus Deus plenusque veris, diuinisque virtutibus in homine clareret assumpto, & veritatis infirmitatis humanæ verum plerumque hominem monstraret in Deo, quare addit Ioan. gloriam illam & maiestatem quam spectauit, fuisse tanquam vnigeniti, hoc est qualem decebat verbum & Patris vnigenitum vox Græca δόξα vertitur à vulgato gloria, vt hoc loco & alias claritas, vt *Luc. 2. 9.* δόξα κυρίου περιέλαμψεν αὐτοὺς Claritas Domini circumfulsit illis, alias Maiestas, vt in *Ep. Iudæ v. maiestatem autem blasphemant* δόξας δὲ βλασφημοῦσιν, Exod. *vlt.* 35. nube operiente omnia, & maiestate Dei coruscante. Non poterit Moyses ingredi tabernaculum fœderis, Græcè habetur δόξα. ait ergo Ioan. ex Chrysost. *hom.* 11. vidisse se maiestatem & potentiam diuinitatis verbi, quæ per carnem, quasi per quoddam velum illuxerit variis & stupendis miraculis, quæ in vita, morte, & Resurrectione edidit, quo verbo vti obseruat Chrysost. omnem gloriæ sublimitatem & ornatum comprehendit, sicut Regis incedentis pompa, & maiestas vnico verbo describitur, dum dicitur ornatus quasi Rex. Quare Cyrill. sic commentatur, vidimus gloriam Christi adeò subliniorem gloria creaturarum, vt quisque mentis compos, nulli alij quam vnigenito filio Dei illam conuenire fateretur, atque hæc diuinæ gloriæ ipsiusque diuinitatis demonstratio causa fuit Incarnationis, quæ non alio fine facta est, quam vt eius gloriam quam per se intueri non poteramus, adumbratam quodammodo humanitate perspicere possemus, quod eleganter explicat Augustin. *tract. 2. in Ioan.* fuit ea gloria *quasi vnigeniti à patre*, non vt Mosis ex diuino colloquio radiantis, vel Eliæ curru igneo rapti, illorum siquidem gloria participata erat, vt ait Cyrill. hæc autem vnigeniti naturalis, qui miracula pro authoritate & arbitrio ac solo imperio præstabat, quod de Mose & Elia dici nequit vox præterea *quasi vnigeniti* ex Basili. *hom. de fide*, significat tantam fuisse gloriam filij quanta erat gloria Patris, cum enim pater habet plures filios, non vni totam suam substantiam, opes & gloriam confert, sed inter plures partitur, quod si vnicam prolem susceperit, illi omnia sua reseruat. Quare Christus dixit Ioan. *cap.* 16. 15. *Omnia, quæ habet pater, mea sunt*, in illo quoque nomine vnigeniti, quædam alia quidam obseruant, maxime quod Patri dilectissimus sit, cùm proinde sua omnia contulerit. Nam vocem Hebræam יחיד quæ significat vnigenam, reddunt ἀγαπητὸν Græci Genes. 22. 2. 12. 16. *Iudic.* 11. 34. Ierem. 6. 26. Amos 8. 10. Zacha. 12. 10. vel aliquando ἀγαπώμενον Prouerb. 4. 3. πολυτὸν Iudic. 11. 34. Eodemque loquendi modo vsum homerum Plutarchus obseruauit Ὅμηρος ἀγαπητὸν τὸν ὀνομάζει μόνον τηλυγετὸν τόκεῦσι μὴ ἔλθοντ᾽ ἕτερον γονεῦσι μηδ᾽ ἕξειν γεγεννημένον, & in Odyssea secunda legimus μοῦνος ἐὼν ἀγαπητὸς David. 1. *Paralip. cap.* 29. 1. vocat Salomonem filium suum vnum, siue vnicum, quia nempè dilectissimus illi erat, ipseque Salom. Prouerb. 4. 3. ait se fuisse vnigenitum coram matre sua, cum tamen constet Dauidi plures fuisse liberos, gloria igitur verbi habitantis in nobis, quam spectauit Ioann. & cæteri, fuit gloria filij vnigeniti, & dilectissimi cuius Deitatem commonstraret; Addit Ioannes de verbo in nobis habitante. *Plenum gratia & veritatis* gratiæ nomine dona omnia, & spiritus sancti Charismata intelliguntur, quæ in Christo tanquam in Capite & fonte, vnde in omnes alios deriuantur, resident vti statim subiiciet; *non enim ad mensuram dedit Deus spiritum* filio Ioan. 3. 34. Nobis verò donat secundùm mensuram donationis Christi ad Ephes. 4. 7. Christo igitur gratia natiua fuit, aliis per participationem, solemusque plenum appellare, tum quod quidpiam in alium deriuat, tum quod illud accipit, si quantum capere potest accipiat, quæ plenitudines tamen diuersæ sunt & inæquales. Sic lumine plenum solem dicimus, & mare plenum aqua, cum & sydera & flumina plena quoque dicantur, sed suo modo, & secundum diuersam mensuram, quæ eadem differentia reperitur inter plenitudinem, qua Christus, & eam, qua quidam alij pleni dicuntur gratia in scripturis. Neque gratiæ solùm, sed & veritatis dicitur Christus, quia per ipsum implentur omnia, quæ veteris testamenti figuris adumbrabantur & promittebantur, ipse siquidem veritatem, siue res solidas & corpus ipsum exhibuit. Quare Paul. ad Rom. *cap.* 15. 8. *Dico enim Iesum Christum ministrum fuisse Circumcisionis ad confirmandas promissiones Patrum.* Hoc est Christum prædicasse genti Iudæorum, vt impleretur quod Deus promiserat, missurum se illis filium suum. vide & 2. *ad Corinth. cap.* 1. 18. 19. & 20. Tota difficultas hoc loco est, quod Græci Codices legant plenus gratiæ, & veritatis πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας. Vnde aliqui referunt ad Ioannem Baptistam, cuius de Christo testimonium subiicitur, quasi testem commendare prius voluerit Euangelista, priusquam illum adduceret. Verùm cum Euangelista agat de plenitudine qua nos omnes accepisse statim dicit, & Christum opponat Mosi, de Baptista intelligi non potest vt patet. Quare vel πλήρης referri debet ad verbum quod habitauit in nobis λόγος vel πλήρης, est etiam fœminini generis, & refertur ad gloriam δόξαν, quæ plena fuerit gratiæ & veritatis, quod mihi minus probatur, licet Cyrillo, placuerit & Theophylacto, vel πλήρη legendum in quarto casu. Vidimus nempè verbum plenum gratiæ & veritatis, vti accepit Origen. *hom.* 2. *in Matth.* & Cyrill. *lib.* 2. *in Ioan. cap.* 17. vel denique quia Græci solent rectum cum obliquis construere, sic dixit idem Ioan. Apoc. 1. 5. ἀπὸ Ἰησοῦ Χριστοῦ ὁ μάρτυς ὁ πιστός, & superiori versu 4. dixerat ἀπὸ τοῦ ὁ ὤν, & apud Paul. ad *Ephes.* 4. 17. post ὑμῶν, sequitur nominatiuus eundem loquendi modum, exterius quoque solitum fuisse docet Grotius in annotation. *ad Marc. cap.* 6. 40. Ex Iosepho Euripide, Herodoto, Homero, & Proclo. Sic igitur Ioan. cap. 1. 15. ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν αὐτοῦ δόξαν ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρός πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας solito more loquutus est, neque

neque vlla opus est interiecta parenthesi includere illa verba *ἐθεασάμεθα τὴν δόξαν* & vsque ad *πλήρης* vt cum præcedenti *λόγος* coniungamus: Explicata verbi incarnati gloria & gratiæ ipsius plenitudine, præ Mose & aliis subiicit Ioannis Baptistæ testimonium de Christo, quem sibi aliisque præfert tum ad plenitudinem gratiæ de qua dixerat *πλήρης*, eamque talem esse ait, vt ab ea cæteri omnes hauserint, *de plenitudine eius nos omnes accepimus.* quæ Euangelistæ esse, non verò Ioannis Baptistæ communior sententia docet, *& gratiam pro gratia.* Quæ verba postrema torquent interpretes propter coniunctionem *&* quam omnes Codices habent, quæ significat ex plenitudine gratiæ & veritatis Christi omnes quidem accepisse, & præterea gratiam pro gratia: Quare aliqui volunt hoc loco esse particulam ἐξηγητικὴν explicatiuam, siguare scilicet nos de plenitudine Christi accepisse gratiam, pro gratia, id est gratis, & sine vllo nostro merito. Ita Grotius *in annotat.* qui monet eleganter sacros scriptores solere eandem vocem contiguo loco ponere alio sensu, quod in hac ipsa voce *χάριτος* licet obseruare ad Roman. 6.15. *& cap* 12.6. atque alibi quæ loca modo non vacat expendere. Sapienter enim monet Maldonatus hoc loco subtilem videri hanc interpretationem, sed minus solidam, & veteribus incognitam, quæ in his verbis exponendis inutiliter desudassent, cùm facillimè ex vi Græci sermonis fuissent interpretati. Quare alij volunt particulam *&* hoc loco esse emphaticam, significare nempe nos non solum doctrinam & Legem Euangelicam à Christo, accepisse sicut quondam Iudæi legem à Mose acceperant, sed etiam gratiam ad eam seruandam Alij denique faciunt particulam aduersatiuam hoc sensu, omnes quidem accepimus ex Christi plenitudine, sed gratiam pro gratia. Nam particula *ἀντὶ & pro.* Significat vnum altero sublato constitui: quæ duæ expositiones ostendunt Christum esse Legislatorem Mose præstantiorem. Quia pro gratia veteris legis nobis aliam Euangelicam dedit, quæ vti dicimus inferius, lex gratiæ, aut etiam gratia absolutè dicitur; quod verò obiicit Maldonat. Legem apud Paul. opponi gratiæ, neque videri, simile verò Ioann. voluisse illam nomine gratiæ commendare, quam præ Christi gratia deprimere volebat hoc loco: Reiicitur à Ribera, quia tum fuerit eximius Dei fauor exhibitus Iudæis, cum illos in peculiarem sibi populum asciuit, & Lege sua gubernauit, vti explicat Dauid *Psalm.* 145. Lex vetus gratia dici potuit aliquo modo, licèt minus propriè quam noua. Quare vbi subinde vtramque Legem confert Euangelista, Legem non vocat gratiam, sed illi potius opponit. Atque hæc expositio Chrysostomo, Cyrillo, Leontio, Theophilacto, & Euthymio Rupertoque probata fuit in eandémque particula aduersatiua *καὶ & ἀντὶ pro*, quadrat quam optimè, alioqoin non apparet, quænam gratia pro alia sibi opposita, aut contraria aut saltem cessante data fuerit à Christo; quod enim Zacharias Chrysopolitan. ait accepisse nos gratiam non immensam, sed ad mensuram placere nequit, cum nemo dixerit flumen accipere à mari aquam pro aqua, quia non accipit suo alueo totam immensitatem aquarum maris. Leontius ait Christum meliorem gratiam & flatum inspirasse in Apostolis, quam insufflasset in Adamum, vbi primum illum ex luto formasset. Quod quis à Ioanne hoc loco significari dicat, qua eadem ratione reiicitur quod Augustin. Bernard. & Beda gratiam pro gratia interpretantur, gratiam dari pro gloria, quæ ex gratia proficiscitur. Quare ex omnibus expositionibus nulla videtur, neque commodior, neque communior illa quam adduximus de Lege Euangelica, data à Christo loco veteris quam Moses tulerat, quæ Euangelica sola, nomine gratiæ statim propter suam præstantiam donatur, voluns alij *gratiam pro gratia.* Significare omnem gratiam siue cumulatam siue vnam gratiam super aliam, quo sensu loqui Hebræos obseruat Maldonat. qui tandem aié particulam *καὶ* accipi pro *καίτοι* & Latinum pro quamuis, atque hoc loco significare omnes de plenitudine Christi gratiam accepisse, non tamen omnes eandem, sed vnum, vnam, alium aliam, vti explicat 1. *ad Cor, cap.* 12.4. *& seq. & ad Ephes.* 4. Paulus quam explicationem non reiicit, ex illa tamen non sequitur nullam Legem latam fuisse à Christo, quod tamen contendunt Aduersarij propter verba immediatè subsequentia *v.* 17. *Quia lex per Moysem data est, gratia & veritas per Iesum Christum facta est*, quæ aduersari videri possunt & solum Mosem Legislatorem dicere, non verò Christum. Verum ex prioribus verbis de plenitudine eius nos omnes accepimus & gratiam pro gratia, Legem nempè nouam pro veteri, & quia lex per Moysem data est, veritas, & gratia per Iesum Christum facta est, nouam & multò excellentiam gratiam fecit Christus, qui & gratiam qua seruaretur dedit, & veritatem rerum quarum figuris continebat, dumtaxat lex exhibuit, atque longè præstantior Mose Christus fuit, quod si cum Maldonato intelligas gratiam omnem in omnes, & singulos diuisam, ita vt vnus vnam, alius aliam ex plenitudine donationis Christi acceperit, occurrit Ioannes sequentibus verbis obiectioni quæ fieri poterat. Quæri enim poterat, an ante Christum gratia fuisset, ac proinde quo iure diceret nos omnes de plenitudine Christi, & gratiam pro gratia accepisse respondet Ioan. Legem quidem datam olim per Mosem fuisse, non tamen gratiam, quam Christus qui eius fons & origo est, dedit & veritatem fecit, eius quippe dumtaxat figuras exhibuerat lex, Ioannes itaque remouet homines à lege, in qua vnà confidebant Iudæi, & ad Christum traducit. Quare in illis Euangelistæ verbis, Christum Mosi gratiam & veritatem legi opponi & præferri fatentur omnes, nam 1. Lex quid bonum malúmve esset demonstrabat, quídve fugiendum quid amplectendum, sed neque vim neque gratiam ad hoc suppeditabat, *vti cap. superiori* fusius diximus. Itaque lex fuit veluti corpus emortuum, litera enim occidit sed gratia spiritus est qui viuificat: lex pondus molestum erat, quod onerabat non roborabat, iubebat non iuuabat, vti loco citato ex Paulo, Augustino & aliis ostendimus, quibus adde Cyrill. *lib.* 2. *de Adorat.* qui vult id expressum in rubo fuisse cuius ignis lucebat, sed neque ardebat, neque comburebat, neque calefaciebat. & *lib.* 3. *de Adorat.* idem significatum vult in eo quod Moses Israëlem per desertum diutius non sine magno labore circumduxerit, neque tamen in terram promissam induxerit, quod Iosüe Christi typus præstitit: Lex enim fatigat sed sola non soluit. Cyrillum æmulatus est Damas. *orat. de Transfigurat.* eadem sentit Augustin. *quæst.* 53. *in numer.* dum de morte Mosis, & Aaronis extra terram promissam, & in eius aditu obita philosophatur, Sacerdotium siquidem in Aarone institutum, & lex à Mose data non inducunt populum in terram hæreditatis æternæ: sed Iesus, id est gratia perficit, vide locum idipsum in seruo misso cum baculo ad suscitandum puerum, qui tamen solo Elisæo accedente, & illi incubante reuixit, agnoscit etiam Augustin. *l.* 16.4. *contra duas Epist. fundamenti cap.* 5.

Secundò veritas quam exhibuit Christus cærimoniis & figuris Mosaïcis omninò præstat: quare Christus non soluit Legem sed impleuit, vti Iudæis ipsemet respondet, qua in re multi sunt patres. 3. dixit Ioannes Mosem dedisse legem, non autem fuisse

Legislatorem, sed ministrum, vti superiori capite exposuimus, acceptam ab alio Legem, tradidit iis quibus iubebatur. At verò Christus veritatem & gratiam fecit sua nimirum authoritate. Itaque Christum Mosi sicut Dominum seruo præponit Ioannes. Vnde August. *tract.3. in Ioan.* Sic commentatur. *per seruum lex data est Reo, per Imperatorem indulgentia data est. Reos liberauit, Lex per Moysem data est, non sibi aliquid amplius seruus assignet, quam quod per illum factum est. Electus ad magnum ministerium tanquam fidelis in domo, sed tamen seruus agere secundum Legem potest, soluere à reatu Legis non potest Lex ergo per Mosem data est, gratia & Veritas per Iesum Christum facta est.* Vbi vides August. gratiam nō solum pro gratia & spiritu qui viuificat legem occidentem, sed etiam pro Venia & indulgentia, quæ contra legem peccātibus conceditur accipere. Ex his porrò omnibus paulò diligentius explicatis nihil ex Ioannis Verbis, & comparatione quam instituit inter Christum & Mosem nihil omninò colligi, vnde potestas legislatiua, ipsaque Legislatio denegetur Christo, quasi Mosea legem quidem tulerit, quam Christus abrogauit exhibita gratia & veritate, nullam verò ipse nouam sanciuerit, & nouam à se institutam politiam, nullo iure nullisque legibus alligauerit, sed Ex-legem omnino dimiserit.

12 Venio ad alterum Aduersariorum argumentum, petitum ex libertate Christiana, quæ Legum vincula non ferat: non enim perfecta sed valdè imminuta libertas illa est, quæ vinculis obstricta tenetur, cum tamen perfectam libertatem nobis Christum attulisse fateantur omnes cum Paul. qui sæpius maximè *in Epist. ad Galat.* nos in libertatem esse vocatos testatur.

Resp. Triplicem esse libertatem à Christo collatam, quæ tamen non facit nos Ex-leges, neque eximit à quacumque, & cuiuscumque Legis obligatione, & cum nobili seruitute non pugnat.

Prima est libertas à peccato, de qua agit Ioan. *cap.8.* vbi etiam dicit seruum esse peccati qui illud committit, & hæc libertas à peccato cum seruitute, qua Deo subiicimur tanquam summo Domino conuenit Paul. ad Roman. *cap.6.10.* Cum serui *essetis peccati, liberi fuistis iustitia. Quem ergo fructum habuistis tunc in quibus nunc erubescitis. Nam finis illorum mors est, nunc verò liberati a peccato, serui autem facti Deo habetis fructum vestrum in sanctificationem: finem verò vitam æternam*, vide & *cap.7.* Eiusdem Epist. quod proximo capite fuit expositum. Manifestum igitur est perfectam à peccato libertatem quam Christus nobis contulit, acquiri non posse nisi per veram & gratam Dei seruitutem, ac subiectionem.

13 Altera libertas est ab oneribus legis veteris, quam seruare non tenemur, nisi quatenus à Christo confirmata, & exposita est, & quidem à Lege cærimoniali & Iudiciali Liberos esse, cum ea fuerit abrogata docet Paul. ad Galat. *cap.2. cap.4. & cap.5.* & ad Hebr. *cap.7.* Quæ omnia expendimus nuper, dum de abrogatione legis veteris disputaremus. Vbi quoque quæsiuimus an lex moralis adhuc perseueret, quandoquidem illa naturalis est, & adhuc obligat, licet non quatenus à Mose lata fuit.

14 Tertia libertas est à dominio legis, nempe lex nobis posita, non tamen nobis dominatur tanquam seruis, sed imperat quasi filiis, qui volentes & solo amore ducti, non terrore & intentato flagello obsequuntur, alioquin non obedituri. Hæc itaquè libertas non adimit legi vim obligandi, sed addit charitatem & amorem illam voluntariè implendi vnde 1. *ad Timot. cap.1.* dicitur iusto non esse Legem impositam, sed iniustis & non subditis ad Rom. *cap.6.7.* nos non esse sub Lege sed sub gratia & *2. ad Cor. cap.2.* ibi libertatem esse, vbi spiritus Domini est, & ad *Galat.5.* qui spiritu Domini ducuntur, non esse sub Lege. Esse verò aut non esse sub Lege, sed sub gratia sic explicat August. *lib. de continentia cap.3. non sumus sub Lege, bonum quidem iubente, sed non dante, sed sumus sub gratia, quæ illud quod iubet faciens nos amare, potest liberus imperare, & lib. de natura & gratia capit.57. Si spiritu ducimini, non estis sub Lege, vtique Lege quæ timorem incutit, non tribuit Charitatem*, qua simili ratione *lib. de spiritu & litera cap.10.* Illud iusto non est lex posita de Lege terrente & minante, qua iniusti, non verò iusti indigent exponit. Obserua itaque ex eod. August. *in Psalm.1.* aliud in Lege, esse aliud sub Lege. Qui est in Lege secundum Legem agit: qui est sub Lege secundùm Legem agitur, ille ergo liber est, iste seruus, hanc igitur libertatem, per quam non sumus sub Lege dat Christus per gratiam, quæ tamen non facit vt non simus in Lege, quam absque culpa violare non possumus: alioquin si Christiana libertas legis omnimodam exolutionem afferret, nequidem diuinis mandatis Decalogi tenerentur, & multò minus aliis mandatis sacris & politicia, quod cum hæretici concedere non audeant, dicunt omnes Legum transgressiones, vel vacare culpa coram Deo, vel ab illo non imputari Christianis, quamvis à foro externo propter rationes politicas puniantur, vbi deprehendantur quod est laxare habenas omni iniquitati, & abuti libertate, quod vitare nos monet Paul. ad Galat. *cap.5. 13. Vos enim in libertatem vocati estis fratres tantum ne libertatem in occasionem detis carnis, sed per charitatem seruite inuicem.* De quo loco vide fusius Hieron. Eodem pertinet illud Petri *1. Ep. cap.2. quasi liberi & non quasi velamen habentes malitia libertatem*, de vera porrò libertate quam optare debemus vt à libero liberemur & liberando seruos nos faciat vti loquitur August. vt de inepta illa gnosticorum consequentia, qui inde insipientissimè colligebant, quidquid liberet licere, vide Aug. *tract.41. in Ioan. & alibi sæpius.*

Argumentantur denique nouatores ex vocibus noui testamenti & Euangelij, quarum; prima fœdus nouum, secunda faustum nuncium, neutra præceptum aut iussum vel Legem significat, inde enim inferunt in nouo testamento, & Euangelio nullam nouam ferri Legem, neque proinde Christum Legislatorem fuisse, si quam enim Legem tulit, eam in Euangelio & nouo testamento traditam haberemus. 15

Resp. imprimis in Euangelio nouóque testamento contineri plurimas Leges, quas tum Christus, tum Apostoli potestate ab ipso deriuata tulerunt, vti ostendimus superius & iterum dicemus *q. proxima.* 16

Resp. 2. Voces istæ testamenti, & Euangelij quamvis in primaria significatione non dicant legem aut præceptum, non tamen excludere, sed potius per quandam necessariam consequentiam inuoluere.

Et quidem quod ad vocem testamenti, quam sacris libris communis vsus, & Patrum consensus tribuit, quare vetus & nouum testamentum passim dicimus Paulum sequuti, qui ad *Galat.4.24.* duo testamenta agnoscit & nominat, quæ significata dicit per duos Abrahæ filios, quorum vnus de ancilla, alter de libera susceptus est. Eundum loquendi modum patribus placuisse docet pluribus Serar. in Prologom. Bill. *cap.25. q.10. & 11.* Iam vero voce testamenti designari quoque Legem, eruditè ostendit Grotius *initio annotat. in Euangelia.* Cùm enim tribus modis obligentur homines lege, sponsione, & testamento illa inter se ita distincta sunt, vt communitate iuris cohæreant nam Legem Aristoteles *libr. 3. Politicor. capit. 6.* Definit ex Lycophronte Sophista *συνθήκην* quasi sit *ἐγγυητὴς ἀλλήλοις τῶν δικαίων* sponsor quidam inter ciues iuris vnicuique sui obtinendi & Papin. *leg. 1.* 17

D. de

D. de legib. communem Reipublicæ sponsionem dixit sicut & Marcian. *l. 2. d. eod.* reddens illa verba Demosthen. *Orat. 1. aduersus Aristogitonem* πολεως δ' συνθήκη κοινὴ καθ' ἣν ἅπασι προσήκει ζῆν τοῖς ἐν τῇ πόλει, communis sponsio ciuitatis ad cuius præscriptum, omnes qui in Republica sunt vitam instituere debent: est enim συνθήκη idem quod ὁμολογία, σύμβασις & συμβόλαιον pactum, conuentum, fœdus, consensus, inde κατὰ συνθήκην ex compacto & veluti in commune conditione lata quare Arist. *lib. 5. Ethicor. cap. 5.* οἷον δ' ὑπάλλαγμα τῆς χρείας τὸ νόμισμα γέγονε κατὰ συνθήκην, quod veluti succidaneum est & veluti pro indigentia ex hominum instituto & ciuili consensu, succedit iure recepto quia igitur lex apud Roman. & Athenienses communi consensu populi & Comitiorum constituebantur quondam, dicitur συνθήκη & legem à legendo dici quod legi soleat, vt omnibus innotescat volunt Cic. *lib. 1. de legib.* Et Varro *lib. 5. de L. L.* siue legeretur dum ferretur siue legenda proponeretur vt mauult Isidor. *lib. 5. cap. 10.* & *lib. 5. cap. 3.* Et Salmeron. *lib. 1. Prolegom. 55.* contractuum quoque sponsiones, conditiones & pacta Leges vocantur cum igitur & pacti vox legem non excludat, neque testamenti nomen, quod ipsimet aduersarij fœdus interpretantur excluder neque dici potest ea voce designari dumtaxat pacta quibus extrema & numquam mutanda voluntas de bonis alicui transcribendis indicatur, nam licet hæc testamenti notio vulgatior sit, nihilominus testatio voluntatis in quibuscumque pactis, conuentis & fœderibus eadem voce exprimitur vti ea scripturis & Patribus docet Serar. *l. c. lib. 1. prolegom.* Bolic. *cap. 25. q. 10. & 51.* quamvis enim daremus testamentum vocem esse compositum à mentis contestatione, quod voluit seruius Sulpitius Iurisconsultus ætatis suæ doctissimus & deinde Iustinian. *inst. de testam. ordin.* quod pluribus confutat Aulus Gellius *lib. 6. cap. 15.* ea voce *paludamentum, calceamentum, pauimentum, vestimentum* & similibus, quæ ea mente composita non sunt, aliáque addit in hanc rem Valla. *lib. 6. elegant. cap. 36.* quare Alciat. & Hotiuanos fatentur eam non esse veram Etymologiam, sed festiuam allusionem. Verùm quidquid illa sit, eiusmodi mentis contestatio æquè in omnibus pactis & contractibus reperiretur, atque in illo quo suprema volũtate relinquitur alicui hæreditas, aut aliquid ex illa delibatum: itaque vox testamenti, atque vox fœderis cum Lege conueniet. Nam testatoris voluntas, lex dicitur: vnde verbum legare testamentis proprium est: Illud enim à lege deriuat Vlpian. in fragmentis. *Legatum* est, inquit *quod legis modo hoc est imperatiuè testamento relinquitur*, & sanè verba Legati imperatiua sunt sicuti & Legum quod docet solemnis formula. Titius hæres esto cuius dodrantem capite, sextius Trientem habeto, quæ Vlpiani Etymologia verior est qam quæ à legendo ea aliquorum mente ducitur, ex eo quod legator dicatur deliberatio hæreditatis *l. 116. D. de legat. 1. Legatum est* inquit Florentian. *deliberatio hæreditatis qua testator ex eo quod vniuersum hæredis foret, alicui quid collatum velit*: quæ autem delibantur & decerpuntur, ea leguntur sed verius vt dixi Vlpiani deriuatio à Lege quod quasi Lege quadam in testamento statuatur ac decernatur, vnde *in l. xii. tabulis. Paterfamilias vti Leg. super pecunia, tutelaue sua rei ita ius esto*, conuenit etiam Legibus & sponsionibus sanctio: fœdera enim publica solebant olim sanciri pecude cæsa & Seruius *in xii. Æneid.* Obseruat sanciendi vocem à sanguine deriuari, fœdus quoque dictum Latinis à feriendo, indeque dicunt Latini fœdus percutere: fœdus igitur quod cum Israëlitico populo percussit Deus, & Christus cum Ecclesia Christiana testamentum iure dicitur, passim in scripturis, vt iam monuit, & loca diligenter annotauit Serar. *l. c.* nam &

R. P. Ioseph. Gibalinus Scient. Can.

Dei voluntatem ac mentem testantur, & varia Dei fœdera cum hominibus, de terrenis cœlestibusque bonis, de præceptorum obseruatione, de pœnis & præmiis continent, & hæreditatem hominibus Legatam tanquam filiis promittunt. Vnde *Matth. 55. possidete paratum vobis Regnum* κληρονομήσατε, hæreditatem adite. Neque his fœderibus publicis abest sanctio, in veteri quidem per figuram cæsæ pecudis, in nouo ipse Christus victima est. Quare Ambros. *lib. 1. de Cain. cap. 7. Testamentum dicitur, quoniam sanguine dedicatum est, vetus in typo, nouum in veritate.* Non igitur testamentum pugnat cum lege; cum & conditionem ac leges fœderis contineat & sanciatur, sicut lex in qua Sanctio dicitur ea parte quæ sanguinem delinquentis legi consecrat, & denique testamentum hoc cum lege habet commune, quod neutrum conuentione priori indiget, saltem expressa. Nam hæres eo ipso quod hæres est, præstare debet factum defuncti & subiectus alterius imperio eo ipso, quod subiectus eiusdem legibus parere debet, & in omni conuentione ac fœdere & in testamento initium contrahendi, atque hæreditatis adeundæ, solet esse liberum, non verò initium aliquando subiectionis, quæ sæpè ex sola origine descendit, sed tum in legibus tum in fœderibus & testamentis parendi necessitas est, vbi latæ Leges sunt & pacta conuenta, fœdera percussa, & testamenta confirmata, atque hæreditas adita, quare non iure testamenti neque fœderis facient se Ex-leges, & omni obligatione liberos se præstabunt, vti contendunt nouatores, venio ad vocem Græcam.

Διαθήκη à voce διατίθεσθαι quam de legibus vsur- 18
pat, Plato de sponsione Aristophanes, & de testamentis Isocrates. Quare & διαθήκη simili modo accipitur pro legibus. Nam Pythagoristæ suæ sectæ præscriptas leges διαθήκας nominabant testamentum, tabellas, hæreditatem, quæ testamento relinquitur tum apud externos vt Isocrat. & Plutarch. in Romulo κτήματα τῷ δήμῳ κατὰ διαθήκας ἰδίας fortunas populo & testamento reliquit, & passim διαθήκην νέαν nouum testamentum dicimus; denique fœdus & sponsiones significat κιβωτὸς διαθήκης κυρίου Arca fœderis Domini, & *lib. 1. Reg. cap. 11.* Iabesitæ dicunt ad Naas Ammonitem, *habeto nos fœderatos & seruiemus tibi*, διάθου ἡμῖν διαθήκην & δουλεύσομέν σοι. Et Dauid in nouissimo illo Cantico, quo Dei in se beneficia celebrat *lib. 2. Reg. cap. 23.* ὅτι διαθήκην αἰώνιον ἔθετό μοι. pactum & fœdus æternum mecum init. Quare Hieron. aduertit verbum διαθήκην redditum ab Aquila συνθήκην à Symmacho pactum, & voluntatem siue viuentium, siue extremum defunctorum, & vocem Hebræam potius significare pactum quam testamentum, sanè cum διατίθεσθαι. Variam dispositionem importet, idem quoque significabit διαθήκη: Nulla vero insignior est dispositio quàm quæ in pactis & fœderibus maximè publicis cernitur. Quare apud Aristophanem διατίθεσθαι est in genere stipulatione paciscí, vti Budæus notas ipsumque emptionis ac venditionis contractum quandoque διαθήκην Græci nominant ex Harpocrationis & Suidæ obseruationes, denique solemnis & cæteris immobilior est dispositio, quæ testamento, & vltima voluntate fit. Quare & ipsa διαθήκη iure vocatur.

Quòd verò attinet ad vocem Hebræam Berith ברית 19
illa & pactum & fœdus, ac testamentum significat, neque id negat allatus Hieronym. sed tantum monet quomodo ab aliis interpretibus vertatur, nequis ambiguo testamenti significatu ludatur: inquit Serar. Nam varium est vocis Berith Etymon, cum alij à Barah, id est, succedere deriuent. Sicut Latini fœdus à feriendo alij a Barar id est, purum esse, aut mũdare deducant, quia in omnibus pactis & fœderibus debet esse voluntatum animorũmque puritas & sinceritas, omnisque dolus

abesse. Verùm quidquid sit de eiusmodi Ethimologia Berithesse *διαθήκην*, τῶ *συνθήκην* fatetur ipse Ioseph. Scaliger *in Elencho parci pag*.44. cuius verba refert Serari. *quæst*.11.*cap*.25.*cit*. pactum est Berith. *συνθήκη*, siue *διαθήκη*, quæ inter Deum & Abrahamum conuenta est, ea nihil aliud est quam *ἐπαγγελία*, id est, promissio Psal. 105.8.9.10.11., Galat. 3.16.18.19. cuius *ἐπικυρώματα*, seu confirmationem vult esse iusiurandum. Genes. 22.16.17. & 18. & *διχοτομήματα*, seu *τέμια ὥρμια*, id est cæsas, porrectasque hostias, *Gen*.15. *v*.18. 19.20. & 21. Quare vides pacta & fœdera (Generatim etiam sumpta) dici testamenta, leue portò & inutile est, quod Nouator Beza monet *in cap*.26. *Matt*. cum de Deo cum homine paciscente agitur, vsurpandum potius nomen fœderis quam pactionis quod generis est, fœdus autem propriè sit inter eos, qui prius inter se dissidebant: id inquam leue est, nam etiam fœdus inter amicos & fratres inter vicinas & remotas gentes, qui nihil vnquam habuere dissidij, percutitur. Maneat igitur testamenti vocem & pro vltima voluntate & pro viuentium pactis, ac fœderibus vsurpari ex iure, & testamentum vocari scripturæ sacræ Codices: quod ita vulgatum est, vt ipsi Rabini etiam ipsam Latinam testamenti vocem retineant, quod de Rabi Godolio affirmat Serari, *q*.11.*cit*. eiusque verba refert.

Iam verò vox Hebræa Berith à 70. senioribus *διαθήκη*, & non *συνθήκη* perpetuò redditur, eáque versio ita probata vulgò vt ipsi Syrij ipsam *διαθήκην* vocem tanquam natiuam & propriam retinere voluerint, quod ostendit Serari. *q.cit*. idémque a Rabinis seruatum demonstrat ibidem. Quare iure quærit Grotius *in Annotat. in Euang*. Quare potius vocem Hebræam Berith. passim omnes reddant per *διαθήκην* cum 70. quam per *συνθήκην* cum aquila, Respondétque. Primò quia vox Hebræa Berith latius patet quam *συνθήκη*, aliáve illi similis, quia *συνθῆκαι* non obligant nisi ex consensu duarum voluntatum contrahentium, quod autem Moses vocat Berith, plerumque eiusmodi est, vt nullum alterius partis consensum requirat. Quia vis obligandi illi competit ex solo superioris Dei v. g. iussu & imperio, ipse tamen Deus sponte sua sese aliquando obligat, quod idem præstant Legislatores, quoties præmia suis legibus adiiciunt, & licet vox Berith ad mutuas conuentiones referatur vt 1. *Reg.cap*.5.12. atque alibi illam tamen vocabulo generali *διαθήκην* reddunt LXX. quia fortassis vocem Berith à Barah deriuant, quia cum Barah creare significet, ita & ordinare, disponere & *διατίθεσθαι* significat, atque etiam *κλῆρον* denique voces *διατίθεσθαι* & *διαθήκας* latius patere quam *συνθήκας* ostendit grotius ex Luc. 22.29. & Ecclesiast. 38.37. Ex his porrò vides neque vocem Latinam testamenti vel fœderis neque Græcas *συνθήκας*, & *διαθήκας*, neque Hebræam Berith excludere Leges, aut cum illis pugnare, cum in conuentionibus & in sponsionibus, fœderibus, & pactis maximè publicis, & in testamentis ferantur Leges, siue ex mutuis voluntatibus, siue ex superioris alicuius, qui conditiones ferat & obliget, siue ex illius arbitrio, qui de sua de re disponit qua libuerit conditione, & imperatiuè, vt in testamentis fieri monebat superius allatus Vlpian.

20 Sed quærit prætetea Grotius, cur veteres Christiani maluerint Codices Euangeliorum, & cætera quæ cum illo illigari solent *καινὴν διαθήκην*, quam *καινὸν νόμον* nouum testamentum, quam nouam legem appellare, cum tamen Hebræi Pentateuchum & omnes libros ad sacrum Codicem spectantes vocem Thora תורה siue *νόμον* nominent & causam esse quia Christus suam doctrinam, quæ Legis nomen sibi viodicat ad *Galat*.6.2. & Iacobi *cap*.1.8. sanciturus, se sua morte eam noui Berith nomine donarat, quam vocem sacri scriprores *διαθήκην*, 70. seniores æmulati reddiderunt: Christus verò tunc præcipuè fœderis rationem spectauit, quod addita sanguinis mentio demonstrat Matth. 26.28.14.24. Luc. 22.20. quod explicat Paul. ad Hebræos, ideóque Apostoli dici se voluerunt *διακόνους καινῆς διαθήκης* 2. *ad Cor*.3.6. quia vox fœderis melius demonstrat summam Dei bonitatem qui misso Christo, non egit summo iure nobiscum, vti solent Legislatores, neque imperio & minaciter, vti Leges, sed comiter & blandè, vti solent qui bona fide inter se contrahunt. Quare sæpiùs sacri Scriptores Christi doctrinam opponunt *νόμῳ*, & Legi, aut si quando Legem vocent, quædam adhibent quæ nominis illius rigorem temperent, & molliant, sic dicitur lex fidei, non operum ad Roman. 3.27. & lex libertatis *Iacob*.1.25. vt eam itaque doctrinam commendarent Christiani titulum potius *διαθήκης*, quam *νόμου* præfigere maluerunt: quia verò *διαθήκη*, passim etiam testamentum redditur Latini eo quoque vocabulo vsi sunt. Nam & testamentum, maximè cum hæres aliquis sub conditione instituitur, & eius fidei quidpiam committitur ad fœderum & pactionum naturam, accedit, & testator Legem dicit hæredi cum autem plures sint *διαθῆκαι θεοῦ*, vt ex Rom. 9.4. Ephes. 2.12. & ipsa Circumcisio ita appelletur Actor. 7.8. & promissiones de Christo quondam factæ, simili nomine donentur Luc. 17. 1. *Acto*. 7.2. ad Galat. 3.15.17. noua tamen *διαθήκη* maximè propriè opponitur illi solemni fœderi, quod in exitu ex Ægypto inchoatum, & in monte Sinai perfectum, per pecudum Cæsarum sanguine sancitum fuit vt constat ex Ierem. 31.v.32. suntque hæ *δύο διαθῆκαι* quas *ἀντιδιαιρέσεις* nobis exhibet Paul. ad *Galat*.4.24. & vnam vocat *παλαιὰν διαθήκην* 2. *ad Cor*.3.14. alteram *καινὴν ibid.v*.6. & *ad Hebraos*, vnam *πρώτην*, alteram *καινὴν εἶναι κρείττονα* & *αἰώνιον*. In vtraque verò est fœdus, & pactum sub aliqua lege & conditione, quam Deus ipse & Christus dicit, neque reiicere licet si fœdere, & pacto comprehendi volumus, & quia in vtroque illo fœdere & pacto sponsio est & promissio de hæreditate adipiscenda, seruata fœderum lege, lex ipsa sancita eo ipso fœdere, & sanguine tum fœdus tum testamentum, & *διαθήκη* iure nominatur sed de voce testamenti & Berith, plura vide apud Leonem de Castro *in Isai.cap*.55. certè vocem illam magis vsitatam esse quam instrumenti, monet Tertullian. *lib*.4.*adit Marc.cap*.1. & tamen nostri nouatores perpetuò instrumentum pro testamento vsurpant, neque contenti sunt nouatione doctrinæ, nisi & vocum Ipsarum vsum æquè innouent.

Superest alterà vox Euangelij: Sic enim appella- 21
mus narrationem rerum à Christo gestarum, eiusque doctrinæ sacri sciprotes, quos idcircò Euangelistas quoque nominamus: siue ipsimet eam inscriptionem suæ narrationi apposuerint, siue deinde Ecclesia & consuetudo id præstiterit vt existimat Maldonat. ex Tertulli. *lib*.4. *adit Marcio*. quod non fuerit consuetudo sacrorum scriptorum, titulos suis libris apponere, & vel illos omittant, vel prima verba titulum faciant, & qui deinceps commoditatis causa, sunt adiecti tituli, vt Genesis, Exodus, Leuiticus, & similes ab Ecclesia adiecti sunt, vti omnes fatentur, à porro quocumque huic sacræ narrationi, & historiæ nomen Euangelij & sciptoribus Euangelistarum tributum sit, certissimum est, eiusmodi titulum & antiquissimum esse & ab ipsis temporibus Apostolicis vsurparum, quod apertè Iustinus in Apologia testatur, *οἱ γὰρ ἀπόστολοι ἐν τοῖς γενομένοις ὑπ' αὐτῶν ἀπομνημονεύμασιν ἃ καλεῖται εὐαγγέλια οὕτως παραδεδώκασι*, & omnes deinceps Ecclesiæ linguarum omnium, omnesque interpretes hunc titulum retinuerunt. Ita vt Tertullian. *lib*.4.*contra*

tra

tra aduerſ. Martio. dicat poſſe illius Euangelium, quod ex Luca interpretauerat & ſine authoris titulo vulgauerat, eo ipſo reiicere, quod ſolito titulo careret. *Poſſem* inquit, *hic gradum figere non agnoſcendum, contendens opus quod non erigat frontem, quod nullam conſtantiam præferat, nullam fidem repromittat, de plenitudine tituli & profeſſione debita Auctoris*, denique ſacros de Chriſti rebus commentarios quos Iuſtinus ἀπομνημονεύματα vocabat, æmulatus Zenophontem qui liberos, quos de præcipuis factis & dictis ſcripſerat, ſic inſcripſerat teſte Laertio, omnes prorſus omnium gentium interpretes, Euangelia nominarunt, Euangelij porrò vox Græca εὐαγγέλιον fauſtum nuncium ſignificat, & Euangeliſtæ qui fauſta nunciant, vox quoque Hebræa Baſar, idem omnino ſonat, vt pluribus oſtendit Barrad. *tom. 1. lib. 1. cap. 17.* quæ etiam ſicut & Euangelium aliquando mercedem pro nuncio datam ſignificat, tum apud ſacros *lib. 2. Reg. c. 4.* tum apud profanos vt Tull. *lib. 2. ad Attic. Ep. 15.* quã fœlix verò fuerit ille nuncius, quem nobis Chriſtus & deinde Apoſtoli attulerunt, & quem Deus iam olim promiſerat in ſcripturis ſanctis, ex Paulo *ad Rom. c. 1.* docet fusè Chryſ. *hom. 1. in Matth.* Euſeb. *lib. 1. de præparat. cap. 1.* & Origen. *præfat. in Ioann.* Hoc vnum obſeruo hoc à Chriſto & ab Apoſtolis traditum nuncium, quod aliud non eſt quam doctrina ab ipſis nunciata, vocari εὐαγγέλιον τῆς βασιλείας τοῦ θεοῦ Matth. *iv. 23. & cap. ix. 35. cap. xxiv. 14. Marci. 54.* alias εὐαγγέλιον τῆς εἰρήνης, ad Epheſ. *11. 17. & cap. vi. 15. Actor. cap. xx. 36.* primam verò annontiationem & præconium, & κήρυγμα de Regno Dei tum ſpirituali in nobis per remiſſionem peccatorum, tum de Regno cœleſti factam eſſe, & à Chriſto deinde per ſe ſe & per Apoſtolos perfectam conſtat. Nam Ioannis Baptiſtæ prima veluti vox fuit Matth. *cap. 111. 2. Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum Cælorum*, & Lucæ 111. 3. Similia prædicat, Chriſtúmque venturum nunciat, quare iure eidem Baptiſtæ tribuitur τὸ εὐαγγελίζεσθαι, Luc. 111. 18. vbi de illo εὐαγγελίζετο τὸν λαόν: Chriſtus verò ſuam deinde prædicationem à ſimili annunciatione incepit. Matth. iv. 17. *Exinde cœpit Ieſus prædicare, & dicere, pœnitentiam agite, appropinquauit enim Regnum cælorum.* Marc. 1. 1. ſimilia habentur. *Venit Ieſus in Galilæam prædicare Euangelium Regni*, quod olim prædixerat Iſai. c. l. t. 1. 6. 7. *Propter hoc ſciet populus meus nomen meum in die illa: quia ego qui loquebar ecce adſum. Quàm pulchri ſunt ſuper montes pedes annuntiantis, & prædicantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis ſalutem, dicentis Syon regnabit Deus tuus:* quibus verbis agi de Chriſti tempore, quo mittentur nuncij, qui aduentus ipſius nuncium & præconia latè in omnem terram diffundant, & annontient pacem ſalutem, & quidquid verè bonum eſt, ac denique Regnum Dei, qui ſublatis iniquiſſimis, & importuniſſimis Dominis vnus in Syone regnaturus eſt, & ipſe Paul. ad Roman. x. 15. *Quomodo prædicabunt niſi mittantur ſicut ſcriptum eſt quam ſpecioſi pedes Euangelizantium; Euangelizantium bona.* Quare Hieron. in illum Iſaiæ locum per annuntiantem pacem intelligit Chriſtum, per montes Apoſtolos, quibus primum Euangelium annuntiauit, vt illud in omnem terram diffunderent, eamque in rem affert illud Pſalmi 75. illuminans tu mirabiliter à montibus æternis, alij quia Chriſtus vtitur voce plurali tum Chriſtum tum Apoſtolos accipiunt quam verò lætus fuerit hic nuncius, & iucundum Euangelium, explicat eo loco Cyrill. *Qualis nuncius qui poſt turbida & anguſta tempora pacem annuntiat, & qualis in montibus pulchritudo veris, qui enim hyeme horridi erant, affulgente Vere, noua ſpecie veſtiuntur.* Sequutus nimirum eſt Cyrill. LXX. qui reddunt *quaſi pulchritudo montium pedes Euangelizantis pacem.* ὡς ὥρα ἐπὶ τῶν ὀρέων. Tota igitur Chriſti doctrina tradita Apoſtolis & ipſis deinde præconibus diſſeminata, Euangelium dicitur & fauſtiſſimus pacis ac bonorum omnium nuncius indeque factum vt contraria doctrina dicatur à Paulo ἕτερον εὐαγγέλιον 11. Cor. xi. 4. *Galat. 1. 6.* Omnes quoque eius prædicationis circunſtantiæ, ipſaque tota Chriſti hiſtoria nomine Euangelij donata fuit.

11 Verùm hæc doctrina & annuntiatio fauſta pacis, Regni Dei & omnis verè boni plurima præcepta & nouas leges complectitur, ſeruandas ab iis qui tantis bonis gaudere voluerint: quod euidenter teſtatur Auguſtin. *lib. de fide & operibus, cap. 19. hoc eſt*, inquit, *Euangelizare Chriſtum dicere non tantum quæ ſunt credenda de Chriſto, ſed etiam quæ obſeruanda ei qui accedit ad compagem Corporis Chriſti*, & *lib. de vera Relig. cap. 17.* ait in lege veteri iuniora in Euangelio maiora eſſe præcepta, Rationem affert *lib. 1. de ſermone Domini in monte non mirum* inquit, *quod dantur præcepta maiora propter Regnum cælorum, & minora data ſunt propter terrenum, atque* maiora illa præcepta ſignificata fuiſſe cenſet altitudine montis in quo Chriſtus ſermonem illum habuit: ipſe quoque Chriſtus vti ſuperius monuimus, Apoſtolos Euangelizandum mittens monet, vt baptizatos doceant ſeruare omnia quæcumque illis mandauit.

12 Quis igitur legem aliquam Euangelicam à Chriſto latam eſſe neget, quam & nouam eſſe, cum vetus abrogata aut per hanc poſteriorem emendata fuerit, & ſimul diuinam cum immediatè à Deo lata fuerit, oportet neque in his duabus conſequentiis vlla fingi poteſt difficultas. Ex quibus etiam infertur eandem legem eſſe primam originem, & fontem iuris Canonici ſiue Eccleſiaſtici, cuius explicationem molimur: Chriſtus enim Euangelij ſui prædicatores conſtituit Apoſtolos & Magiſtros, atque Doctores orbis in iis quæ ad Regnum Dei conſequendum, ſanctificationem fidelium; verum & perfectum Dei cultum, ac ſalutem denique pertinebant, ideóque miſit ſpiritum ſanctum, qui eos in omnem veritatem inducerer, ita eoſdem voluit legum ſuarum eſſe non modo præcones, ſed & interpretes, atque etiam in iis quæ Chriſtianæ Religionis cultus, & obſeruantia poſtulat, Legiſlatores quam Legiſlatiuam poteſtatem Apoſtoli ſuis quoque ſucceſſoribus reliquerunt. Vnde nati ſunt Canones & omnes Leges Eccleſiaſticæ, ex quibus Ius canonicum conſtat, quæ omnia fuſius lib. proximo demonſtrabuntur, impræſentiarum enim ſatis fuerit digito veluti indicaſſe.

QVÆSTIO II.

De materia & præceptis diuinæ legis Euangelicæ.

Diſcrimen præcepti & conſilij, n. 1.
Quot ſint genera præceptorum & an Chriſtus iudicialia tulerit, n. 2.
An cærimonialia, n. 3. & 4.
An moralia, n. 5.
De ſermone Domini, in monte, ibid.
An ea præcepta ſint poſitiua, an iuris naturalis, num. 6.
Vera ſententia, n. 7. 8. & 9.
Orditur ſermonem à beatitudinibus & cæt, numero 10. & 11.

1 MAteria Legis Euangelicę de qua disputamus, complectitur tum præcepta tum consilia, quamquam quia ista non obligant ad sui obseruationem, & sine culpa atque reatu pœnæ possunt omitti, non comprehenduntur propriè nomine Legis, quare neque de illis agemur hoc loco: sufficiunt enim quæ diximus 20. *libro cap. 2. quæst. 4. 2. propositio & Consectaria 4.* quibus locis ostendimus, nos minimè cogi diuinæ voluntati, consulenti dumtaxat obsequi, immò & illi quandoque repugnare fas esse. Estque illud perpetuum inter præceptum & consilium discrimen, quod prius illud obliget ad parendum; istud verò liberam relinquit rei quam consulit obligationem. Omnia porrò Consilia Euangelica ad tria genera reuocantur, nimirùm Castitatis perpetuæ *Matthæi. ixx. & ad Cor. vii.* Voluntariæ paupertatis ixx. obedientiæ perpetuæ, Lucæ ix. & Mathæ. xvi. quæ in veteri lege proposita non sunt; Cum ea nihil ad perfectum adduceret vti noua lex de his consiliis agemus *tom.* 3. nostræ scientiæ vbi de statu perfectionis disputabimus. Quare restat nobis sola materia propria nouæ & Euangelicæ Legis explicanda, quæ sola vera & propria præcepta continet, de quibus hæc pauca in communi quærenda sunt.

Atque imprimis, quot sint eorum genera: cum enim veteri legi tribuamus præcepta moralia, cærimonialia, & iudicialia disputant DD. an ea singula genera præceptorum reperiantur in noua lege, an pauciora tantùm.

2 Et quidem iudicialia nulla à Christo fuisse constituta fatentur omnes: iudicialia siquidem præcepta *cap. superiori* nominabamus ea quæ ad Reipublicæ & politiæ siue sacræ, siue profanæ administrationem externam pertinent. Ab his verò ferendis abstinere voluit Christus. Primò quidem à ciuilibus quia nullam ciuilem iurisdictionem voluit exercere, quo sensu dixit Regnum suum non esse de hoc mundo Ioan. xviii. & cum Luc. xii. rogatus de diuisione hæreditatis, negauit se aut Iudicem aut diuisorem esse constitutum, quibus non affirmat Christus se carere iurisdictione ciuili, sed ostendit se nolle eam exercere, nam regiam & ciuilem Iurisdictionem in Christo fateor, licet eius omni exercitio voluerit abstinere grauissimas ob causas, de qua quæstione suo loco pluribus disputaturi sumus. Interim adi Theophilum Raynaudum in *opere de Christi titulis sect. 4. cap. 1. num. 365.* Quare mirum videri non debet, si nulla iudicialia præcepta circa ciuilem administrationem tulerit, illa siquidem omnes Respublicas & regna, gentésque vniuersas obstringeret, quæ cum moribus adeò diuersæ sint, difficillimè in easdem Leges Politicas cogeremur. indeque magis auerterentur à fide, quæ eas omnes ad eadem instituta, & Leges cogere vellet, præterquam quod Leges Politicæ sunt à fide, & Religione ad quam instituendam docendámque venerat Christus, independenter, ideoque suauius fuit pati, vt singulæ gentes suas sibi Leges, & constituerent, & seruarent, modo neque fidem neque veram Dei Religionem violarent. Quod verò pertinet ad Leges disciplinæ & Politiæ Ecclesiasticæ, illæ quidem non vtiles modo, sed & necessariæ sunt ad bonam administrationem Religionis & Ecclesiæ, cuius sacra politia non magis consistere potest sine propriis legibus, quàm profana politia sine suis peculiaribus institutis: Commodius tamen fore iudicauit Christus eiusmodi Legum sanctionem Apostolis, eorumque successoribus præsulibus Ecclesiasticis pro rerum opportunitate, & temporum necessitate permittere, quam si ipsemet eas sanxisset propter varios status, quos passura erat Ecclesia, belli, pacis, persequutionum hæreticorum, & schismaticorum, quarum causa, aut refigendæ, mutandæ, explicandæ, ampliandæ, restringendæ, nouæ ferendæ essent, vti ab Ecclesia sapientissimè factum variis ætatibus videmus, ex potestate quam illis Christus reliquit, vt inferius explicabimus.

Quod attinet ad præcepta cærimonialia certissimum est, ea data fuisse à Christo, cum & noua sacramenta & nouum, illúdque vnicum sacrificium instituerit vti fusius ostendemus *tom.* 1. huius operis vbi & de obligatione ea vsurpandi, qualis, & quanta ea sit disputabimus, ex ea verò obligatione constat, hæc omnia non modo esse instituta à Christo, sed etiam præcepta de illis lata esse, eaque esse positiua & non iuris naturalis dumtaxat: Nam licet ius naturale ad diuinum cultum obliget, non determinat tamen actiones, & modum quo exerceatur eiusmodi cultus. Quare institutio sacramentorum & vnici Sacrificij, quibus voluit Christus obligationem illam naturalem diuini cultus impleri, fuit illi prorsus voluntaria, poterat enim si libuisset aliam quampiam huius cultus rationem instituere. Neque satis fuit ea institutio ad imponendam nobis naturalem obligationem eas actiones, & cærimonias ita institutas vsurpandi, nisi eiusmodi institutioni præceptum Christus adiecisset, quia sola ratio naturalis, etiam fide illustrata, non imponeret neque exigeret talem obligationem præcisè ex institutione profectam, sed solum eam institutionem bonam esse, & licitè ac pie posse vsurpari doceret, non tamen necessario vsurpandam esse, si nullum illi præceptum accedat, neque omnia benè instituta, necessario exercenda sunt, quod in hac ipsa materia sacramentorum apparet. Nam Baptismus non fuit sub præcepto statim atque fuit institutus, & antè Christi mortem, quin etiam hodie plurimi dubitant de necessitate sacramenti confirmationis, & Extremæ-vnctionis. 3

Dices posita institutione vnici sacrificij, sequi naturalem obligationem illud vsurpandi, & offerendi. Quia obligatio colendi Deum per sacrificium est naturalis, cùm aliter non possit coli tanquam supremus omnium Dominus, vbi erit igitur institutum vnicum sacrificium, atque ita naturalis obligatio ad vnum determinata, naturalis erit obligatio (supposita illa determinatione & institutione illud vnum offerendi) ergo vel non erit opus nouo

præ

præcepto, vel si illud feratur, non erit positiuum, sed naturale, vel illius declaratio.

Resp. In institutione vnici sacrificij & determinatione naturalis obligationis, colendi Deum per Sacrificium, contineri præceptum negatiuum, & prohibens quodcumque aliud Sacrificium, cùm Deus nullo alio coli modo velit, Itaque in illa institutione sacrificij, facta à Christo, omnia alia prohibita sunt, & hoc vnum imperatum; prohibitio siquidem vtendi aliis sacrificiis, æquiualet præcepto istud vnum offerendi, quod præceptum, vt vides positiuum est, illudque etiam in quibusdam Sacramentis repetire est, quæ vt vnica media ad salutem instituta sunt v. g. Baptismus & Pœnitentia. Verùm de his *tom.* 2. adde dumtaxat posita Sacramentorum institutione & attenta hominis infirmitate, atque indigentia mediorum & auxiliorum eiusmodi: sapienter omninò & consentaneè naturali rationi fuisse imperatum cultum illum, atque ita cærimonialia præcepta positiua fuisse lata à Christo.

4 Quia verò in veteri lege, quatuor erant genera præceptorum cærimonialium, vti aliàs obseruauimus cum S. Thom. 1. 2. *q.* 101. *art.* 4. sacrificia nempè Sacramenta, Sacra, & res diuinis vsibus consecratæ, & obseruantiæ quæ cæteris in rebus Religiosè obseruabuntur, vt delectus ciborum Nazaræorum vota & similia, quibus omnibus diuersis cærimoniis & ritibus, quidam alij in Ecclesia proportione aliqua respondent, & de his habentur præcepta. Christus tamen non instituit, neque præcepit nisi sacrificium, & Sacramenta: Alia verò quæ pertinent ad Sacros ritus, & obseruantias instituta sunt & imperata ab Ecclesia ex potestate sibi à Christo tradita, vt pro arbitrio, & rerū exigentia illa vel instituerer, vel præciperet, & prohiberet. Quia cum sacrificium pertineat quodammodo ad substantiam diuini cultus, præsertim publici, & Sacramenta ad sanctificationem fidelium ordinentur, æquum omninò fuit de illa præcepta diuina atque adeò firma & immobilia ferri, vt eadem semper diuini cultus substantia immutabilis permaneret, perque illa signa, Ecclesia à cæteris omnibus Sectis perpetuò distingueretur, quia vt inquit Augustin. *lib.* 19. *contra Faust. cap.* 11. In nullum nomen Religionis coagulari homines possunt, nisi aliquo signorum, vel Sacramentorum consortio colligentur. Hæc porrò signa mutabilia esse non decet, ne ea ipsorum mutatione Religionis, quoque ipsius mutatio inferatur. Quæ verò ad ornatum dumtaxat sacrificij & Sacrementorum pertinent, atque ad cultum accidentalem, mutari quandoque nihil incommodi est, immò & interdum expedit variis ea causis iisque legitimis, ipsorúmque varietas, splendori & magnificentiæ inseruit; hinc sponsa Christi circumdatur varietate in fimbriis aureis de quibus *tom.* 2.

5 Restant præcepta moralia, quæ plurima Christum dedisse constat ea toto illo sermone, quem in monte siue Thaboris, vt voluit Hierony m. siue quopiam alio in Galilæa superiore, vbi tunc erat, Christus habuit & refertur *Matthæi cap.* 5. 6. & 7. & *Lucæ* 17. siue vtrobique fuerit eadem concio, quod existimat Origenes, Hieronym. Chrysost. aliique quos sequitur Maldonat. siue diuersa quod voluit Augustin. cum in vtraque concione eadem dixisse referatur paucis detractis, vel additis concionem apud Mathæum habitam, pluribus exponit August. in libris de sermone Domini in monte, qui *lib.* 1. *initio & lib.* 2. *cap.* 40. ait hunc sermonem (omnibus præceptis quibus Christiana vita informatur,) fuisse perfectum, quod colligit ex ipsa sermonis clausula Matthæi 7. 24. *Omnis ergo qui audit verba mea hæc, & facit &c. assimilabitur viro sapienti, qui ædificauit domum suam suprà petram, &c.* Huius verò sermonis, & omnium præceptorum in eo contentorum summam colligit S. Thom. 1. 2. *q.* 108. *art.* 3. atque & eo Valent. *tom.* 2. *disp.* 7. *q.* 8. *punct.* 2. Bellarm. *lib.* 4. *de Iustificat. cap.* 3. primò igitur Christus proponit finem Christianæ vitæ, beatitudinem, atque præcipuas virtutes & insigniora opera, quibus illam assequimur, quæque eius assequendæ; impedimenta remouent; ideóque octo Beatitudines proponit; quia enim finis vltimus est primum principium, atque fundamentum doctrinæ moralis. Primo loco statui debuit; & eius acquirendi præcipua media; accedit deindè ad tradenda ipsa præcepta quæ seruari in lege sua noua vult, instituit primo loco Doctores, qui legem illam docere debent cæteros, admonetque eos mundi salem, & orbis lucem esse oportere, atque adeò sapientia & charitate ita præditos, vt orbem ipsum sua sapientia, luce, & Charitatis igne, repleant, eiusque putores vt loquitur Augustin. sauent & detergant: Deinceps ipsamet præcepta diuina explicat, tum quoad eorum substantiam, tum quoad finem, quoad vtramque enim Pharisæi & alij Legis mali interpretes ea corruperant quoad substantiam, quidem quinque modis. Primò quia docebant grauissimis etiam quibusque præceptis de homicidio & adulterio, prohiberi dumtaxat actus externos, non verò interiores animi motus, quamdiu prauo aliquo opere non se proderent, vti tradidit Ioseph. *lib.* 12. *antiq. cap.* 13. ideóque R. Dauid. Kimsi illud Psal. 66. 17. *Iniquitatem si aspexi in corde meo, non audiet Dominus*, ineptissimè exponit, non imputabit, Christus verò homicidij & adulterij reum dicit, qui iram & linguam non cohibet à fratre, & qui videt mulierem ad concupiscendam eam.

Secundò Leges permissiuas, quæ non puniebant quod permittebant, proponebant tanquam absolutas v. g. legem de repudio, quæ propter duritiam cordis Iudæorum, illud impunitum tolerabat, tanquam obligantes faciebant, Christus verò libellum repudij penitus abrogat, dimitti quidem vxorem permittit, sed ex sola causa violati thori coniugalis, ita tamen vt inire alias nuptias non permittat, & qui ita dimissam duxerit, Mœchiæ reum faciat.

Tertiò plurimis Legis Decalogi præceptis, per falsas interpretationes vim suam detrahebant, addendo vel minuendo. Quare iuramentum ita prohiberi censebant, vt non esse quidem peierándum dicerent, iuramenta tamen quæcumque ex causa etiam leuissima, sine culpa passim licita esse putabant. At Christus è contrario minimè iurandum esse, neque per cœlum, neque per terram, neque per quidquam aliud edicit, nisi nempè grauis adsit necessitas, illam enim exceptionem ipse Sanctorum Apostolorum & Ecclesiæ vsus docet: iurauit enim Paul. ad Rom. 19. & 2. *Cor.* 1. 23. *ad Philipp.* 1. 8. & 1. *ad Thessal.* 1. 1. 5. & 10. Iurauit quoque Angelus Apocal. 10. 6. negabantur enim illi Pelagiani, qui vt suum errorem de omni iuramento, & nunquam licito tuerentur, negabant Paulum iurasse, quia non dixit *per Deum*, sed *coram Deo. Testis est mihi Deus.* Hoc enim est neque notionem iuramenti, neque eius naturam callere. Deinde Legem talionis quæ dentem pro dente, & oculum pro oculo excuti & reddi volebat. Ita interpretabantur, vt cuique liceret vindictam appetere & persequi, atque etiam simili iniuria acceptam compensare, cum tamen illa lex solis iudicibus & magistratibus ferretur, ne pœnæ modum excederent, aut non attingerent. Quare hæc illis mensura, & regula sapienter præscribebatur. Denique corrumpebant primarium præceptum dilectionis, cum volebant æquè inimicorum

 odium,

odium, atque amicorum amorem licitum esse, eò quod Deus permisisset bello persequi hostes. Christus etiam inimicorum dilectionem præcipit.

Quartò Modum quoque seruandi Euangelia adijcit, caueamus inanem gloriam in præstandis bonis operibus, neque hominum laudem in illis quæramus, vt quisque curet intrare per angustam portam, curet ne à falsis Prophetis seducatur, commendat Eleemosynam, Ieiunium & Orationem, quibus Deo, nobis ipsis, & proximo satisfaciamus, & mentem corpus ac bona externa sacrificemus. Denique remouet præcipua impedimenta salutis, nimirùm nimiam diuitiarum acquirendarum sollicitudinem, thesaurum in cœlis quærendum & collocandum esse monet, immò & nimiam & anxiam in rebus etiam necessariis procurandis prouidentiam, & de crastino atque futuro sollicitudinem, temerarium denique iudicium de alterius factis. In quibus certum est omnibus plurima & præcipi & prohiberi à Christo pro authoritate sua, quam significat illis verbis sæpiùs repetitis. *Dictum est antiquis. Ego autem dico vobis*, quibus ostendit se legem antiquam Decalogi adimplere, hoc est perficere illam confirmando, explicando, ampliando, restringendo, determinando, interpretando, abrogando, vti totum illum sermonem per singula expendenti, quod præstitit Augustin. duobus libris, facillimè constabit.

His etiam omnibus addidit noua præcepta fidei, in Deum trinum, in Christum, spei per merita & Passionem Christi; dilectionis mutuæ & charitatis, quod & suum & nouum appellat; prædicandi Euangelium & docendi Gentes, atque plurima quæ mandasse se significat, cum ait Apostolis *docentes seruare omnia quæcumque mandaui vobis*

6 Grauis portò difficultas est, an hæc præcepta moralia quæ Christum tulisse constat, sint positiua, an iuris naturalis dumtaxat, qualia dicimus esse præcepta Decalogi, si illud de Sabbatho sanctificando excipias, quod non impediet quamvis verè à Christo lata sint, sicut Decalogus quondam à Deo latus est, immò & primarium caput Legis antiquæ diuinæ continet.

Est verò plurium sententia Christum nulla alia positiua præcepta dedisse quàm fidei, & Sacramentorum: Cætera enim omnia quæ confirmauit & explicuit, sunt iuris naturalis, non modo secundum substantiam, sed etiam secundum additiones, detractiones, determinationes, & expositiones ab ipso adhibitas, vniuersim siquidem pronunciauit S. Thomas *quod lib. 4. art. 13.* Legem nouam esse contentam præceptis moralibus naturalis legis, & articulis fidei & Sacramentis gratiæ, idemque omninò colligi videtur & 1.2.q.108.*art.2. Lex noua nulla alia exteriora opera determinare debuit præcipiendo vel prohibendo, nisi Sacramenta & moralia præcepta, quæ de se pertinent ad rationem virtutis, puta. Non esse occidendum, non esse furandum, & alia huiusmodi*, quibus vltimis verbis, significat præcipi tantum à noua lege, quæ pertinent ad rationem virtutis, id est, quæ sunt necessaria ad virtutem, illa verò sunt iuris naturalis, vt patet. Quare dum præcipiuntur aut prohibentur nihil iuri naturali de nouo additur, sed illud tantùm declaratur. Probat quia cum lex vetus nullas alias determinationes adderet præceptis moralibus, quàm quæ necessariæ forent ad rationem virtutis præceptæ, neque lex noua addere alias debuit, tanquam positiua præcepta, alioquin non esset lex libertatis, quæ multò pluribus præceptis nos alligeret S. Thomam sequuti sunt Couarr. *in 4. decretal. cap.6. §.10.n.1.* Soto *in 4.d.40.art.4.* ait præcepta moralia, quæ in Euangelio sola perseuerant esse de iure naturæ, præter præcepta supernaturalia fidei & Sacramentorum, quæ Christus in Euangelio adiecit alij tamen in his præceptis moralibus volunt quædam esse propriè positiua, quamvis iuri naturali valdè consentanea, cuiusmodi continentur plurima præcepta in legibus humanis, vt declarant aut determinant tantum ius naturale, & tamen verè positiua dicuntur, alioquin cum omnes leges debeant esse consentaneæ rationi naturali, omnes dicerentur esse iuris naturalis, quod dumtaxat declararent, neque nouum ius ponerent, atque adeò non dicerentur ferre positiua præcepta: verum aliud est ratio naturalis, aliud ius naturale, quia ratio naturalis si recta est, vti esse oportet, alioquin ratio non est, monstrat quidem quid rectè aut prauè fieri possit, sed non exigit vt quidquid rectum esse iudicat, fiat, siue non obligat ad illud faciendum, sed solum ne quid contra ipsam fiat, quare quando quidpiam quod ipsa rectum iudicat omittitur, non peccatur, immò illi consentanea est eiusmodi omissio, recta siquidem ratio tunc iudicat, rem illam quæ alioquin bona est, omitti posse, liberumque opus quod censet esse bonum: & poni vel omitti pro arbitrio tunc posse. Ius verò naturale non modo iudicat aliquid esse naturæ consentaneum, sed præterea iniicit obligationem illud faciendi. Quare si omittatur, violatur ius naturale, quamvis igitur fateantur omnes præcepta moralia quæ Christus tulit, esse admodum rationi & iuri naturali conformia, etiam secundum omnem determinationem & declarationem, quas præceptis naturalibus Decalogi adhibuit, quasque seruari imperauit, negant tamen eas omnes determinationes, & expositiones esse iuris naturalis, vsque eius obligate, secluso omni alio præcepto Christi, ac proinde totam illam obligationem necessariò aliundè oriri necesse est, ea præcepto nimirum positiuo Christi.

Quod totum euidentius apparet in præceptis moralibus supernaturalibus fidei, spei, & charitatis. Quare 7
vt hoc dissidium componant, alij censent illud ferè totum esse de vocibus & modo loquendi. Ius enim naturale quod ipsa natura rationalis imponit, & de quo fusius disputauimus *cap. 3. lib. 1.* duobus modis considerandum est, primò vt proficiscitur ab ipsa natura rationali, pura, & in sese absolutè considerata, secundò vt est in natura iam eleuata ad statum supernaturalem gratiæ. Nam natura in vtroque illo statu aliquid diuersum exigit, & pro suo iure imperat, aut prohibet, quod iuris naturalis esse meritò dicitur, siue à natura renata proficiscatur, siue à natura pura, & cum lex noua, sit lex gratiæ quæ naturæ ad illum sublimiorem statum euectæ fertur, debuit vel solùm, vt ait S.Thom. *q. 108. citata* vel saltem principaliter præcipere aut prohibere ea per quæ in gratiam introducatur ad gratiam, vel quæ necessaria omninò sunt ad vsum gratiæ: illa verò omnia pertinent ad ius naturale (supposita eleuatione naturæ ad gratiam) itaque eiusmodi omnia præcepta moralia, naturalia dicuntur, & non positiua, prout vocem illam modo vsurpamus & distinguimus à præcepto naturali, quod non requirit vllam aliam legem externam naturali superadditam. Si igitur naturam simpliciter consideremus, & absolutè plurima præcepta moralia naturalibus addidit Christus, siue per modum determinationis, siue per modum ampliationis & extensionis, vt naturalia facilius seruarentur. Ex suppositione eleuationis naturæ ad gratiam tradidit plurima, quorum aliqua sunt connaturalia illi statui, & ab illo postulantur, alia verò quæ non necessariò & præcisè exiguntur, sed eius perfectiorem maiorem ad quam lex noua obligat, cum lex vetus multò minori contenta esset, & cum

cum lex Christiana sit lex gratiæ, æquum fuit, vt plura opera quibus gratiam & conseruaremus, & augeremus, imperaret, sicut plura Sacramenta gratiam caussantia instituit, quibus & illam amissam recuperaremus, vel acceptam augeremus: neque ea noua præcepta pugnant cum suauitate & libertate legis gratiæ, quæ in eo consistit ex ipso S.Thom. *art. 1. cit. ad 2.* quia facit nos implere liberè prohibitiones & præcepta; in quantum ea ex interiori instinctu gratiæ implemus. Quo autem ibid. S. D. aliam caussam huius suauitatis & libertatis ait esse, quia arctat nos ad facienda vel vitanda aliqua, nisi quæ de se sunt, vel necessaria vel repugnantia saluti, quæ cadunt sub præceptum, vel prohibitionem legis, quamvis istis ne quid dissimulemus, videantur dici à S.D. ex opinione negante noua positiua moralia præcepta, præter fidei & Sacramentorum lata fuisse à Christo, sed patiuntur manifestissimam instantiam in præceptis fidei, & aliarum virtutum supernaturalium, quæ & noua sunt & non sunt necessaria saluti, sicut neque præcepta Sacramentorum, nisi ratione præcepti noui; sed etiam alia præcepta moralia erunt necessaria saluti, etiam de se posita prohibitione & imperio, reliquis verò innumeris præceptis nos liberauit lex noua, quæ idcircò lex libertatis dicitur, si cum lege veteri, cuius iugum S.Petrus *Act. 15.* impossibile fuisse dicebat, comparetur.

Alij denique distingunt inter præcepta prohibentia, & præcipientia, & negant Christum vllum præceptum prohibens positiuum addidisse moralibus, de præcipientibus aliter sentiunt rationem discriminis afferunt, quia vel actus nouis præceptis positiuis prohibiti sunt ex sua natura mali, vel non sunt. Si primum dicas, fuerunt igitur etiam olim prohibiti, quamvis non ita expresse & explicitè, atque à Christo, qui tamen sua illa declaratione non tulit vllum nouum præceptum positiuum vt vides. At verò si non fuerunt natura sua mali, Christus suo præcepto non fecit illos, sed solùm malos quia prohibitos, ac proinde mutatur status quæstionis, videlicet an Christus in obiectis malis aliquam fecerit additionem. Quod verò attinet ad præcepta præcipientia moralia, nonnulla à Christo lata fatentur: cum enim bona opera ad quæ eiusmodi positiua præcepta obligant, licet sint & à natura sua bona, non tamen ex naturali obligatione facienda sunt neque omnia, neque continuò, neque semper, & pro semper, nihil incommodi est, quod Christus ad plura & certa quædam opera præstanda nos obligarit, ad quæ naturalis ratio non obligaret, neque id pugnat cum libertate & suauitate suæ Legis, atque ita omninò factum esse censent isti DD.

9 Singulæ istæ sententiæ verum aliquid continent, neque fortassis multùm inter se dissident, quod vt manifestum fiat, singula præcepta quæ Christus propter determinationes, & expositiones veteribus additas videri potest tulisse, singillatim, sed paucis expendendæ sunt. Nam & istæ leges continent primarium ius Ecclesiasticum, cuius explicationem in hoc opere molimur.

10 Suum igitur Sermonem quo legem veterem confirmaturus & interpretaturus, nouamque perfectiorem multò traditurus erat præsentibus suis discipulis, non modo Apostolis, sed & aliis qui doctrinam eius sequebantur. Sic enim vocem *μαθητῶν* passim vsurpari videmus *Math. 12. 49. Luc. 6. 13. Act. 11. 26.* quibuscũ in montem secesserat, orditur vti nuper monebam à fine vltimo vtriusque legis nimirùm beatitudine, & explicat præcipua media, quæ ad eam comparandam conferre, & impedimenta quæ ab ipsa solent auocare tollunt, neque enim alia de caussa beatitudines octo & *μακαρισμοὺς* proponit, quæ omnes si rectè aduertas in præceptorum deinde traditione explicantur. Quare hoc initio *γνωμικῶς*, inferius *παραινετικῶς* traduntur. Deinde hæ beatitudines communes sunt omnibus, vt patet, & non solis Apostolis aut discipulis propriè, vt singulas expendenti constabit.

Commendat imprimis paupertatem, quia voce non solùm animi demissionem significat sed facultatum tenuitatem, cum *Lucas 6. 20.* simpliciter scribat pauperes, & diuitibus opponat, non addita voce spiritus & vox *πτωχοί*, qua vterque Euangelista vtitur, vix vnquam pro illa animi demissione vsurpari reperiatur. Illud autem spiritu *τῷ πνεύματι* ostendit hanc beatitudinem pertinere ad eos qui suam beatitudinem non habent, ostentant, neque sunt *μεμψίμοιροι*, quique animo placido, in re sua modica acquiescunt, neque diuitias appetunt, & non fortunæ tantùm sed animo pauperes sunt, *πνεύματι* id enim significat sicut *Isai. 66. 2. Matth. 26. 41. Ioan. 21. 33. & 23. 21. Rom. 1. 9. 1. Cor. 11. 13. & 7. 34. Ephes. 4. 3.* Horum porrò pauperum dicitur esse Regnum cœlorum, ideóque beatos existere, quia paupertate illa diuitiæ cœlestes acquiruntur, cognitio veritatis, remissio peccatorum, dona Spiritus sancti, & alia omnia quæ Regni cœlestis nomine vocari solent, ac demum ipsummet cœlorum Regnum, & cœlestis beatitudo supernaturalis. Ratio est quia plerumque res optima & secundæ sunt, fomenta vitiorum. Vnde dixit ipse Christus vix euenire, vt diues perueniat ad Regnum cœleste. *Matth. 19. 2 a.* Et non diuites, sed pauperes electos fuisse à Domino monet Paul. *1. Cor. 1. 26.* & *Iacobus 1. 1. 5.* ipsique profani sapientes dicebant cum Diogene paupertatem esse subsidium ad sapientiam, *αὐτοδίδακτον*, caussam affert *τίνας*, Philosophus quia & facilius laborem sustinet, & aliis curis minus distrahitur. Qua etiam de causa Lactantius diuites plurimis impedimentis implicatos difficilius credere, quam pauperes & humiles, qui cœteris rebus sunt expediti.

Beatos deinde dicit Christus lugentes *πενθοῦντες*, qui mala sua siue à Deo siue ab hominibus inflicta patienter ferunt, & in quibus vt loquitur Paul. *ad Rom. 5. 3.* tribulatio patientiam operatur, & patientia spem, spes autem non confundit: Quare sic lugentes tandem consolantur tum hac ex parte, tum plenè in posterum *1. Cor. 1. 4. Ioan. 16. 20. Iacobi. 1. 12. Apoc. 7. 17.* 2

Beati & mites, *πραεῖς*, qui alios placidè & blandè instituunt item *πραεῖς* siue *πρᾶοι*. opponitur apud *Arist. lib. 1. magno morali. cap. 23.* *τοῖς ὀργίλοις* iracundis. Si verò possidebunt terram, cœlestem nimirum, quis videmus sæpius mites de sua possessione deturbari, alludit fortassis Christus ad terram Chanaam quondam promissam, lactè & melle fluentem, quod si de hac terrena vt ita dicam terra loqui velimus, Christum, quod parùm credibile est, quia & terram despiciendam potius docebat, & in cæteris beatitudinibus spiritualia, non terrena promittit; non displiceret quod aliqui terram. Hoc loco interpretantur firmas atque constantes amicitias, quæ in terris longè optima possessio est, & quæ mititate ac mansuetudine acquiruntur iracundia dissoluuntur. 3

Quarto loco dicit Beatos qui sitiunt & esuriunt iustitiam, hoc est qui tam vehementi desiderio in illam feruntur, vt eius causa famem, sitimque & alis incommoda libenter perferant. Iustitiam autem *δικαιοσύνην* interpretari licet obedientiam, quam à nobis Deus exigit, quam *ὁδὸν δικαιοσύνης* vocat Christus *Matth. 21. 32.* 4

Isti porrò sitientes & esurientes saturabuntur *χορτασθήσονται* cibi & potus nomine describi solent

omnia

omnia Dei beneficia, & maximè doctrina cœlestis *Isa.*65.13.*Luc.*2.53.præcipuè verò doctrina cœlestis Hebræi legem cibum animæ Christus Euangelium aquæ & panis nomine vocat.,

5 Dicontur Beati misericotdes qui misericordiam consequeuiur, diuinam, nempè neque sola misericordiæ opera præcipit Christus. Nam & affectum commendat, quo aliis compatimur, sic *Paul.*1.*ad Cor.*12. 26.τὰ μέλη συμπάσχει.

6 Dicit Beatos corde mundos, quia Deum visuri sunt. Hos aliqui interpretantur εἰλικρινεῖς, sinceros, qui ab omni fuco & fallaciis absunt; quia τὸ καθαρὸν coniungitur τῷ ἀνυποκρίτῳ 1.*ad Timot.*1.5. Vbi Latinus habet cor purum, & conscientiam non fictam & 1.Petri 1.22. ἀνυπόκριτον ἐκ καθαρᾶς καρδίας alij malunt eum esse καθαρὸν, qui est sceleris purus & vitæ integer, quem Latini sanctum & castum vocant, καθαροὶ τὰς χεῖρας qui manus abstinent ab homicidio, & fœminam καθαρεύειν. quæ à concubitu, illi autem aoimo Innocentes. Dcum visuri sont.

7 Pacifici beati sunt, quia filij Dei vocantur, & sunt εἰρηνοποιοὶ dicuntur, qui aliis dissidentibus medios se interponunt, illosque inter se conciliant, & qui in omnibus pacis studiosos se exhibent, vocantur autem eiusmodi filij Dei, qui & ipse Deus pacis vocatur, *Rom.*6.20.1. *Cor.*14. 33. 11. *Cor.*13.2. *Philipp.*4.9.1. *Thessalo.*5.23.11.*Thessalo.*3.16.*Heb.*13.20. Qui igitur paci student, erunt Deo simillimi atque adeò dilectissimi. Vocari verò hoc loco, vt & alibi sæpius significat esse, & præterea vti obseruat Maldouat. ita aliquid esse, vt omnibus id appareat, & omnium ore celebretur. Isti igitur pacifici ita erunt filij Dei, & mundus id agnoscat & fateri cogatur. Addit Theophilac & quem de more sublegit Chrisostomus filios Dei dici pacificos, quia Christum filium D i naturalem, qui homines Deo conciliauit, & pacem orbi attulit, imitantur.

8 Denique bearos haberi vult, qui vexantur propter iustitiam & persequutionem quamque patiuntur, δεδιωγμένοι, enim significat vexari, exagitari quoquomodo, διώκειν est accusare, expellere vt διώκειν ἐκ τῆς γῆς, διώκειν τῆς οἰκίας. Iustitia verò cuius causa isti exagitantur est virtus qua Deo obediunt & legi: Ipsis verò qui ita pro iustitia aborant, & pugnant ipsum regnum cœlorum in præmiom promittitur. Clementis ætate, diuerso modo locus iste legebatur, vti ipsemet refert nisi dicas fuisse diuersa glossemata quibus explicatur quid esset ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν alij igitur legunt ὅτι αὐτοὶ ἔσονται τέλειοι, alij ὅτι ἕξουσι τόπον ὅπου οὐ διωχθήσονται. Explicat deinde Christus qualis futura sit illa vexatio & persecutio, nimirùm per conuitia, mendacia, calumnias, & alia eiusmodi quibus Prophetas olim persequuti sunt.

Ex his vides in hoc exordio, siue priori concionis parte, nullom contineri præceptum positiuûm, additum naturalibus, immò neque si verè loquamur, hæc pars præceptina est, quamquam vt iam monui, quædam ex istis inferius præcipiuntur.

9 Vbi Christus hoc sermonis ingressu Apostolos, cæterosque discipulos, ad summam vitæ perfectionem hortatus est, reddit rationem quare ad eam perfectionem aspirare debeant, talesque se exhibere; quia nimirùm sal terræ, & mundi soles ac lumina destinati sunt, hoc est non vnius aut paucorum hominum, sed totius orbis magistri futuri: Ita sermonem connectit Augustio, *lib.*1.*de sermo. Domini.* Si verò sal euanuerit μωρανθῇ infatuatum fuerit, saposem nimirùm, & acrimoniam amiserit, qood fit cum Doctores aut malè docent, aut malè ædificant, in quo salietur ipsum nimirùm Sal ἐν τίνι ἁλισθήσεται quod Marcus dixit ἐν τίνι αὐτὸ ἀρτύσετε, & si amissa excoquendi vi computruerit, non est quo corrigatur, neque vlli vsui esse potest, com tamen res cæteræ vbi naturalem vsum amiserint, alicui adhuc rei possint aliquantulum vtiles esse, sed sal ne in sterquilium quidem valeat, vt notat *Luc. cap.*14.35. Sed omninò proijciendum sit, & ab omnibus conculcandum. Mali igitur Doctores & degeneres, quales sunt Hæretici, ad nihil valent, nisi vt pœnas luant & conculcentur, similes dicit Cimicibus, Augustin. viui mordent, mortui fœtent.. Hoc idem monitum aliis similitudinib. lucis & ciuitatis monti impositæ declarat Christus. Nam & mundum illuminare sua luce debent, & operibus suis, patris cœlestis gloriam procurate: Ciuitatis verò, quæ si vertici montis imponatur latere non potest, ita quidquid ipsi præstabunt, latere, non poterit, ideóque ita viuere debent, vt nihil faciant, quod homines iure merito possit offendere, non abstinendo qoidem ab hominum commercio, sed versando cum hominibus, nolli labori parcendo, propterea enim se eos Lucernæ, instar accendisse, & tanquam ciuitatem sopra montem constituisse, vt luceant, doceant, laborent, & non vt lateant, inde enim & hominum salutem & patris cœlestis gloriam pendere. Quod si placeat hæc Christi verba, ad omoes qui eius doctrinam sequerentur extendere, & non ad solos Apostolos, aliósque discipulos qui ili concioni intererant restringere, ij quoque dicuntur, & filij lucis sunt, eorumque integritatem oon minus conspicuam omnibus esse vult Christus, quam solent esse vrbes. quæ in montis vertice sunt collocatæ: qualis erat Hierosolyma Ecclesiæ figura; eaque bonorum operum, & doctrinæ luce fulgere oportet, vt homines visi eorum bonis operibus glorificent patrem cœlestem, & sanè omoes Christiani ad *Philipp.* 21. 15. dicuntur lucere sicut luminaria in mundo ὡς φωστῆρες ἐν κόσμῳ, sunt & ipsi sal terræ, id est mondi, tum eo sensu quo Liuius Græciam nominauit sal gentium, nimirùm propter sapientiam, qua reliquum orbem veluti construebant, & eius præceptis aliorum sordes expurgabant, quod potiori iure conuenit Christianis, ab iisque exigitur, vt enim sal putredinem impedit, exsiccato nimio humore. Ideóque dixit varro Suillo peccori animam pro sale datam ne putresceret & Cleanthes Philos. τὰς ὗς ἀνθ' ἁλῶν ἔχειν τὴν ψυχὴν ἵνα μὴ σαπῇ τὰ κρέα: Ita Christiani dati sunt mundo, tanquam anima, ne & ipse computrescat, estque Vulgatum illud Iustini ὅπερ ἐν σώματι ψυχὴ, τοῦτ' εἰσὶν ἐν κόσμῳ χριστιανοί, & sicut sal ex aqua ardore salis & flante vento concrescit in aliam naturam; sic Christiani, authore remigio ex aqua Baptismi dilectionis ardore Spiritu sancto perflante generantur, aquæ pessimæ statim immisso sale ab Elizæo in aquas optimas mutatæ sunt. Et Christus Christianos in aquas mundi pessimas immisit, vt illatum sanaret putredinem, & conseruaret & vt loquitur Hilari. in Matth. in æternitatem saliret.

Vt porrò tom discipuli tum Christiani omnes scirent, qua ratione & sal terræ fierent, & mundi lux euaderent, atque suis operibus Dei Patris gloriam procurarent. Monet id præstituros perfecta obseruatione Legis, quam Pharisæi & Scribæ falsis suis interpretationibus corruperant, neque existimarent sibi fas esse illam violare, eo quod eius essent discipuli, cum ipsemet non eo fine venerit, vt illam solueret, vti calumniabantur aduersatij, sed vt adimpleret: *Nolite putare quoniam veni soluere legem, aut Prophetas non veni soluere sed adimplere.* Soluere legem λύειν νόμον, significat & legem factis oppugnare, & contrarium ei quod imperatur, facere, vt *Ioan.* 10. 35. 7. 23. *quod Paul. ad Roman.*3.31. dixit καταργεῖν τὸν νόμον. Secundò 12

signifi

significat apud Demosthen. legem abrogare; neutro verò modo legem soluit Christus, non primo, quia legem, quamdiu viguit exactissimè seruauit. Secundò quia legem impleuit, stabiliuit & perfecit. Quare Paul. *l. c.* νόμον οὖν καταργοῦμεν διὰ τῆς πίστεως ἀλλὰ νόμον ἱστῶμεν *legem destruimus per fidem, sed legem statuimus.* Quod Christus fecit variis modis primò conferendo gratiam & spiritum, quo lex seruari possit, vti diximus aliàs secundò. Exhibendo reipsa, quæ in veteris legis typis & promissis adumbrata fuerant, ideóque Paul. *Rom.* 8.14. vocat Christum τέλος τοῦ νόμου. & *ad Galat.* 3.25. νόμον παιδαγωγὸν εἰς Χριστὸν, quia adducebat ad Christum tertiò docendo scopum legis qui erat homines quam optimos efficere. & media ad illum attingendum, tradendo nimirùm Dei reuerentiam, & mutuam hominum charitatem inter se, suntque illa maxima legis præcepta *Matth.* 22.37.38.39. & 40 ex quibus ait inde pendere vniuersam legem, & Prophetas Paul. autem *Rom.* 13.8. & *Galat.* 5.14. dilectione legem impleri. Et Iacob legem regiam τελειοῦν perfici dilectione κατὰ τὴν γραφὴν secundum scripturam, quæ tamen apud Israëliticum populum vix reperiebatur, quare Christus nouo etiam præcepto, eam innouauit, & stabiliuit vti dicemus statim; Denique impleuit legem Christus & perfecit, eam siquidem Hebræi Doctores falsis suis interpretationibus corruperant, quas ipse hoc sermone emendauit, vti videbimus.

13 Dices Legem veterem abrogatam fuisse, non ab alio sanè quàm à Christo nouæ legis inductione, vti *cap. superiori* demonstrauimus, non igitur illam impleuit quàm abrogauit.

Resp. In lege veteri quædam fuisse quæ naturalis legis nominat Irenæ. *c.* 17. *lib.* 4. alia quæ ad pietatem, & religionis cultum pertinebant, alia ad ciuilem administrationem, & vt ait quædam φύσει καλὰ, καὶ ὁσιακά, καὶ δίκαια. Quare faciunt aliqui triplicem veluti legem naturalem, ritualem, siue cærimonialem, & ciuilem siue iudicialem, quod etiam monuimus *cap. superiori.* Naturalem legem, ea qua ius naturale, quod est rectæ rationis præscriptum, quodque decem verbis siue Decalogo continetur, non abrogauit Christus, sed perfecit, explicans ea clarius quàm antea fuissent explicata, immò & falsas interpretationes damnans, & aliis quibusdam præceptis muniens, animosque ad eorum obseruationem excitans promissorum magnitudine, & certitudine; ac denique sui spiritus obsignatione.

Legem ritualem impleuit, & consummauit Christus, exhibendo id ipsum propter quod fuerant hi ritus instituti, quodque ipsi adumbrabant, quare ipsos deleuit, ipsos implendo & consummando, non tollendo legis vinculum, sed causam subtrahendo, propter quam nata erat, & qua sublata, cessare & ipsa debebat, ex ipsa sui institutione cùm data fuisset, quovsque veniret semen Abrahæ promissum *Galat.* 3. 6. quod & ipsi Prophetæ significarant, dum nouum fœdus, nouaque sacrificia nulli adstricta loco prænuntiarent, quare nihil opus fuit antiquari legem quæ ad tempus constituta, quæque accedente præscripto tempore desiit. Hoc verò ius rituale ἐπληρώθη, quia & ei paruit, & parere cæteros voluit, quamdiu iuris auctor illud valere voluit, ad id quod obtinendum, significandúmque institutum fuerat exhibuit, quare illi ritus ex occasione dumtaxat fuerant instituti, quod Rabi Maimonides demonstrat ex *Ierem.* 7. 22.23. atque vt ista πλήρωσις conspicua fieret omnibus, voluit Deus omnes ferè circumstantias Iudaïcorum rituum consentire Christi rebus, quod Iustin. aduersus Tryphonem docet, aitque πάντα τὰ ὑπὸ Μωσέως διαταχθέντα esse τύπους καὶ σύμβολα καὶ καταγγελίας τῶν τῷ Χριστῷ γίνεσθαι μελλόντων, καὶ τῶν εἰς αὐτὸν πιστεύειν προεγνωσμένων καὶ τῶν ὑπ' αὐτοῦ τοῦ Χριστοῦ ὁμοίως γίνεσθαι μελλόντων. Quare & aliqui volunt hanc legem ritualem vocatam à Christo, tum spiritualem propter illum scopum, in quem dirigebatur, & carnalem simul propter ritus in se spectatos, qui hominem non perficiebant *ex 7. & 9. ad Hebræ.*

Denique lex iudicialis siue ciuilis immutata non est à Christo, cuius causam attulimus superius, quia pro variis gentium moribus & occasionibus varia debent esse instituta, quæ & aliquando mutari & ferri expedit. Quare id totum Legislatorum prudentiæ relinquendum fuit, modo nihil contra virtutem & honestatem contineant, sed saltem sint ad illam ἀδιάφορα. Itaque nihil de eiusmodi legibus statuit Christus, quam illis vbi iniquæ non sunt, parendum esse, quod & à Christianis factitatum testatur scriptor ad Diognetum, πείθονται τοῖς ὡρισμένοις νόμοις καὶ τοῖς ἰδίοις βίοις νικῶσι τοὺς νόμους.

Vides igitur sapienter Theophilactum. Hanc veteris Legis abrogationem, per eius perfectionem factam, à Christo expressisse pictoris exemplo, qui dum inchoatæ & rudibus lineamentis adumbratæ imagini, extremam manum & colores adhibet, illam quodammodo inducit, dum absoluit & perficit.

Ita porrò hanc legis obseruationem commendat, 14
vt potius ruiturum cœlum, & terram perituram dicat, quàm vel vnum apicem & literulam legis omitti patiatur. Quare qui vel minimum aliquod eius mandatum violarit, atque ita faciendum esse docuerit, nimirùm parui facienda esse eiusmodi mandata, quæ minima videbantur opinione Pharisæorum, immò & nulla cum enim ipsi toti penderent ab oculis hominum, ea censebant tantum esse peccata, quæ prodibant exterius, non verò interna damnabant, v.g. homicidium non autem homicidij voluntatem, quamdiu latebat animo, qui igitur hæc peccata minima esse existimarit, atque ita habenda esse docuerit, ille inquit Christus, minimus vocabitur, id est, minimi immò & nullius erit pretij in regno cœlorum, ibi non est intelligenda Ecclesia, quàm Regni cœlorum nomine aliquando designari certum est, sed potius tempus quo Iudicis sententia fiet bonorum, malorúmve discretio, & regnum cœlorum bonis & probis Legis obseruatoribus decernetur. Nam in illa Christi locutione ἐλάχιστος κληθήσεται ἐν τῇ βασιλείᾳ οὐρανῶν particula ἐν tempus designat, vt & alibi *Luc.* 14.14. ἐν τῇ ἀναστάσει τῶν δικαίων & 22. 16. ἐν τῇ βασιλείᾳ τοῦ Θεοῦ quod exponit *v.* 18. ἕως ὅτου ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ ἔλθῃ. Cum igitur regni cœlestis consummatio aduenerit, qui minima mandata existimarit, violarit & contemnenda docuerit, minimus & ipse habebitur, damnabitúrque tanquam Legis violator. Neque ista regni cœlorum acceptio insolens, fuitque cognita Iustino Martyri, vel si quis alius est author responsion. ad Orthodoxos quæ Iustino tribuuntur βασιλείαν, inquit, δεῖν νοεῖν ἡ θεία γραφὴ λέγουσα οὐ τὴν ἀνάστασιν ἁπλῶς, ἀλλὰ τὴν ἀνάστασιν ἀποκατάστασιν, ἐν ᾗ γίνεται κολαζομένων τε καὶ δοξαζομένων ἡ διαίρεσις, qui verò mandata ista etiam quæ minima habentur, fecerit, & docuerit seruanda esse, ille magnus habebitur in Regno cœlorum, quod ipse in illa seruandorum puniendorumque discretione, vt loquebatur Iustinus, adiudicabitur.

Quare Christus grauiter monet excludendos esse 15
à Regno cœlorum, eos omnes quorum iustitia non superauerit Pharisæorum & scribarum iustitiam; nomine verò iustitiæ Legis obseruationem & obedientiam intelligit, quam longè aliam non modo à

suis

suis discipulis, sed à Christianis omnibus Christus exigit, vbi primum promissum fuisse regnum cœlorum, cum in veteri Lege terrena tantùm promissa continerentur plurimi notant, sed de ea controuersia quidpiam diximus capite superiori. Adi etiam Hugon. Grotium; hoc loco attendendum potius est quænam foret iustitia Pharisaïca, qua non debent esse contenti Christiani, si regnum cœlorum assequi velint. Resp. fuisse vti iam iudicauit Christus iustitiam quandam externam, & Innocentiam factorum, quæ proderat quidem apud homines, atque ad vitandas pœnas à Lege impositas, non autem spiritualem iustitiam conferebat, cui soli spiritali innocentiæ regnum cœlorum destinatum est. Quare Lex etiam ritualis non poterat, κατὰ συνείδησιν τελειῶσαι secundum conscientiam perficere vt ait Paul. *ad Hebr.* 9.9. sanctificat quidem, vt idem addit *v.* 13. ad emundationem carnis ἁγιάζει πρὸς τὴν τῆς σαρκὸς καθαρότητα eiusmodi tamen corporali munditiæ, & δικαιοσύνῃ apud homines contenti erant Pharisæi & Scribæ, qui habebantur Iudæorum eruditissimi, & peculiaris sanctimoniæ fama nobiles, Pharisæorumque Secta inter Iudaicas dicitur *Act.* 26.5. ἀκριβεστάτη αἵρεσις. Ex hoc igitur errore, quo sibi aliisque persuadebant sola facta externa esse peccata, vel virtutem, plurimi alij sequebantur cum neque expurgandis animis, neque extirpandis vitiis, quæ apud homines dissimulari solent, vacarent, neque de procuranda apud Deum peccatorum venia, & vera Innocentia forent solliciti, atque vt sæpius queritur Paulus, Dei iustitiæ, quæ spiritalis est se non subiicerent, sed suam & humanam iustitiam stabilire conarentur diuinis mandatis humanas constitutiones æquarent, vel etiam præferrent, & aliquando ne quidem exteriorem illam Innocentiam præstarent, intenti frigidis quibusdam cæremoniis, quibus grauia quæque delicta crederent expiari, sed de his aliàs. Christus modò docet falsò sperari per hanc externam Iustitiam regni cœlestis acquisitionem, & longè aliam obedientiam, atque Legis diuinæ obseruationem à Deo requiri, si ad gloriam cœlestem aspirent, sapienter enim dixit Clem. Alexandrin. τῷ τελείῳ ἐν τε συμβολαίοις πολιτικοῖς οὐδὲ ἀπαγορευομένοις νόμοις, ἀλλ' ἐξ ἰδιοπραγίας, καὶ τῆς πρὸς θεὸν ἀγάπης ἡ δικαιοσύνη. Vt igitur falsam hanc & Pharisaïcam doctrinam quam vitiosa Legis interpretatione confirmare videbantur; atque veram intelligentiam plurium præceptorum & etiam eorum quæ Pharisæi non destruerent, & quam multò perfectior foret deinceps Lex Euangelica, quàm quæ mediatore Mose rudi populo quondam data fuerat doceat, præcipua Decalogi & Legis moralis capita percurrit, ostenditque quænam sit vera ipsorum sententia, quæve ipsorum obseruatio. Explicat autem Legem non instar Doctoris dumtaxat, qui rogatus de iure respondet, sed tanquam Legislator iubens & imperans, quod significauit illa verba. *Ego autem dico vobis*, vbi cum sua dicta opponat dictis à Mose, sed malè deinceps intellectis, vel non seruatis. Satis significat se pro potestate dicta antiqua interpretari, & præcepti necessitatem imponere, quod enim aliqui illud antiquis τοῖς ἀρχαίοις aliqui ad Paulò anteriora Christi tempora, referunt falluntur. Tum quia illa vox Ἀρχαῖος longæuam vetustatem apud Græcos significat, eodemque sensu in nouo fertè vsurpatur, atque ad Prophetarum & Mosis ætatem, aut etiam vlterius refertur, *vt Luc.* 9. 8. 19. *act.* 15. 7. 21. 1. *Cor.* 5. 17. 2. 1. *Petri.* 11. 5. *Apoc.* 12. 9. 20. 2. Ineptit itaque Beza, dum ait hoc loco Christum non agere Legislatorem, vt qui non legis sed Euangelij sit minister, sed peruersas Scribarum interpretationes diluendo patefacere, quis sit legis rigor, vt salutem à se vno petendam ostendat, id ipsum docuerant iam olim Pelagiani apud Hieron. *lib.* 1. *aduersus illos*, contra communem omnium patrum sensum, qui & Legislatorem Christum esse fatentur quod superiori quæstione retulimus, & legem veterem vel emendasse vel potius perfectiorem reddidisse, addendo plurima quæ in ea desiderabantur, quamvis enim ea pro eo statu perfecta foret, minus tamen perfectam fuisse Euangelio nemo negabit. Et deinde quamvis certum sit peruersas Pharisæorum interpretationes, reiectas, & castigatas fuisse à Christo. Certum tamen æquè est plurima hoc loco corrigi, vel exponi à Christo, quæ constat non fuisse primum introducta à Pharisæis, sed in lege expressa haberi, vti patebit in iis quæ Christus adijcit recensendis, & quare nouam doctrinam affert, nouamque legem condit. Itaque non id vnum agit Christus vt Pharisæorum traditionem & interpretationes reprehendat, sed maximè vt additis nouis partim præceptis, partim consiliis Euangelicis legem perficiat & impleat vt ipsemet loquitur.

Orditur ab homicidio quod quinto mandato prohibetur. Non occides *Exod.* 20. 13. *Deut.* 5. 17. qui autem occiderat reus erat iudicio, vt ait Christus, non quod ea ipsa verba lex contineret, sed quia lex præcipiebat homicidam deduci ad iudices, & ab iis damnatum capitali iudicio puniri *Leuit.* 24. 21. *num.* 35. 16. 17. 3. Christus verò hanc homicidij legem explicat, & perficit duobus modis primò enim sic edicit. *Qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo Racha, reus erit Concilio. Qui autem dixerit fatuè, reus erit gehennæ ignis.* Quibus verbis docet, non externam solùm hominis occisionem crimen esse, sed internam animo conceptam occidendi voluntatem, & iracundiam, quam etiam verba contumeliosa declarant, quæ verba quoque damnat Christus, pro eorum diuersa grauitate, diuersisque pœnis obnoxia esse pronuntiat. De quibus peccati diuersis gradibus, atque variis tribunalibus quibus sistendus foret eiusmodi Reus, & distinctione iudiciorum apud Iudæos vsitata, nobis modo disputandum non est, ne longius digrediamur, vide Baron. 1. *tom. Annal.* & *interpretes maximè Grotium in annotat. in Matth.* de Synedrio Iudæorum disputantes: Ego circa hoc Christi præceptum obseruo imprimis cum Chrys. *hom.* 16. *in Matth.* hoc fuisse veteris legis perfectionem siue absolutionem, & supplementum quoddam, quo faciliùs lex prohibens homicidium seruetur. Repressa enim aut euulsâ radice homicidij, nimirùm iracundia, facilè cauebitur homicidium. Non damnat porrò Christus omnem iram cum aliqua sit laudabilis, cum viri Sancti fuerint interdum irati vt Paul. *Act.* 23. 3. Petrus *Act.* 8. 20. ipséque Christus *Matth.* 15. 7. 22. 18. & 23. 1. atque alibi. Quare eam dumtaxat iram, quæ temerè sine causa & modo concipitur. Quod indicat illa particula εἰκῆ ὀργιζόμενος: quam Syrus retinere maluit, quàm vertere & legerunt Iustin. *Epist. ad Serenum & Zenam*, Irenæus *lib.* 2. *cap.* 56. & *lib.* 4. *c.* 31. Chrysost. *homil.* 7. aliique, atque ipse etiam August. *lib.* 1. *de Serm. Dom.* Irascitur igitur aliquis εἰκῆ, cùm aut sine honesta causa, aut sine modo irascitur posse enim iræ causam honestam dari, nemo negat non modo cum de læso numine, agitur, qualis fuit Christi ira. *Marc.* 3. 5. sed etiam in humanis cum virtutis ipsius, aut aliorum hominum res agitur, potius quàm nostra qua in te peccant, οἱ θεοὶ, μικρῶν ἁμαρτημάτων ἀνυπερβλήτως ὀργιζόμενοι, qui vt aiebat Appollon. Philosophus non permittunt delinquentibus scire quando plus, minusve deliquerint, sed præter honestam irascendi causam, requiritur etiam modus ne plus æquo irascamur, neque æquo diutius, qua in te peccant

què

qui gerūt iras immortales, vt ait, Paul. *ad Hebr.* 12.15. quædam radix amaritudinis sursùm germinans ῥίζα πικρίας ἄνω φύουσα perpetuo nempè suppullulant. Quare monet idem Paul. *ad Ephes.* 4.26. ne sol occidat super iracundiam nostram, quæ omnia licet vera sint, non tamen verbis Christi cohærent, licet addatur particula εἰκῆ, quam etiam Hieronym. expunxit, & vulgatus interpres Agebat Christus de homicidio, & lege illud prohibente, cuius veram sententiam explicat, non solum eum qui reipsa, sed eum qui sola voluntate occidit, reum esse iudicij, sicut deinde addit eum qui sola voluntate commisit adulterium adulterum esse. Iram igitur appellat hoc loco Christus non quancumque sanguinis efferuescentiam aut etiam appetitionē vindictæ, sed eam quæ tendit ad homicidium estque præceps occidendi voluntas, quæq; in priuata persona, siue cum causa siue sine causa sit, non potest sine grauissima culpa existere, cui voluntati & iracundiæ addatur maledictio & ex cædis appetitione, atque voluntate grauem inferendi iniuriam, verba contumeliosa proferantur, continuò mortis æternæ reum faciunt: quare de contumeliis & verbis quibus aliquis fratrem Racha, Leuem, vacuum mentis, & stultum appellat, loquitur Christus tanquam de quibusdam gradibus initiis homicidij, de significatione vocum Racha & fatui, deque nomine Gehennæ ignis, & cur ea voce infernus designetur vide Barrad. *tom. 2. concord. lib. 7. cap.* 17. Grotium & alios.

17 Porrò Christus non modo iram, quæ est voluntas quædam inchoata homicidij comprimendam esse docet, vt Lex cædē prohibens seruetur, & supplicia violantibus illam destinata vitentur, sed gratiam cum aduersariis statim esse conciliandam monet omnibus prætermissis, ita vt ipsum munus offerendum altari dimittatur, vt cum summà celeritate fratri læso faciamus satis, si videlicet illi iustam causam querelæ dederimus, vnde quidpiā aduersum nos offensæ susceperit vti interpretatur August. Iniuriæ fraternæ prius oportet satisfacere, deinde sacrificiū offerre & non nisi placato fratre Deum placare, vbi Chris. diuinā benignitatē miratur qui honorem suum despicit, vbi Charitatem in proximū requirit, quasi dicat interrumpatur ministeriū meum vt tua Charitas integretur, sacrificium mihi est fratrum reconciliatio. Cætera lege apud Chrys. docet igitur Christus, quamquam vera in Deum Religio cæteris omnibus præstet, eam tamen sine Charitate non prodesse, nec quidem placere Deo Sacra quamvis sumptuosa, & operosa quæ offeruntur animo, ira, & odio æstuante, quod videmus in Caïno, Pharisæi verò & Scribæ sacrificia, & dona templo oblata valere putabant, ad expiandas culpas omnes, quas iudices non puniunt etiam citra animi emendationem.

18 Alia deinde similitudine, vrget hanc festinationem reconciliationis, si enim læsisti fratrem, qui iustam aduersum te querelam habent, ducit te ad Iudicem, vel ducere parat, quamdiu cum illo es in via qua te trahit ad Iudicem, cito redi cum eo in gratiam, redde quod debet & iustè ille exigit. Nam si id non facias, aduersarius tradet te Iudici, ille verò ministris in carcerem coniiciendum dabit, vnde non exibis nisi persoluto omni debito ad minimum vsque nummū & quadrantem; quæ omnia incommoda sustilisset festina reconciliatio, satiusque fuerit in via soluere, priusquàm traharis ad Iudicem, quam ab illo damnatus soluere ex carcere, atque hæc est vera huius loci sententia quam attulit Euthymios, neque moror mysticos hoc loco sensus, & aduersarij interpretationes illi hic aduersarius est quem calumniosis verbis læsimus, qui aduersum nos querelam habet, dicitur ἀντίδικος, litigator, actor, accusator apud Iudicem cui debes esse εὐνοῶν beneuolus, ne iudicio cum illo contendas tuo periculo.

R. P. Ioseph. Gibalinus de Scient. Can.

Explicato quinto legis præcepto, Christus transit 19
ad sextum de Adulterio μοιχεύσεις. non mæchaberis, inquit Lex vbi μοιχεία ad adulterium restringitur, *vti Deut.* 22.22. & à πορνεία distinguitur ex communi sententia. Quamquam & ad omnem venerē etiam non coniugalem extendi vox illa valeat, & non semel illæ voces cōfundantur, & πορνεία significat μοιχείαν *Matth.* 5.32. & 19.9. Cur etiam μοιχεία non æquè pro πορνεία vsurpabitur. Luciano dicitur Danaæ virgo μοιχεῦσαι, & Ouidius vocat Medeam adulteram virginem. Vtraque verò libido apud Iudæos damnabatur, nam puellæ non licebat meretricem agere, & qui virginem stuprauerat, illam ducere cogebatur, vel si parentes id nollent eam dotare, quæ polluto corpore nupserat, aut quæ cum sponsa esset vnius, alteri se substrauerat. lapidationi obnoxia erat. *Deut.* 22. & quamvis μοιχείαν ἀπὸ τῆς πορνείας passim distinguant sacri Codices *Matth.* 15. 19. *Gal.* 5.19. *Hebra.* 13.4. & *Osea* 14.14. atque de adulterio & propria μοιχεία agat Christus, quod tamen ad intelligentiam huius præcepti addit, de interna mœchia, ad omnem libidinem, qua vel sola vel nupta mulier concupiscitur, extendendum omninò est. Sic enim legem aliqui de meretricatu interpretabantur, vt id quidem vitæ genus puellis Hebræis vetaretur, non tamen Peregrinis inter illos habitantibus, immò & primum cum captiua concubitum impunè permittebant ex Abenesia.

Cum Lex igitur solius adulterij meminisset, atque etiam externi dumtaxat, Christus adulterium internum. & mente conceptum æque damnandum edicit, *si quis*, inquit *viderit mulierem ad concupiscendam eam iam mœchatus est eam in corde suo* Petulcos igitur impudicorum hominum intuitus notat Christus, vt ait Saluian. Nam ille aspectus ad concupiscendum est adulterij & mœchiæ inchoatio quædam: voluntas enim sequitur aspectum, vnde *Iob.* 31.7. Si animus oculos est insecutus, & Plato ἄρχει τοῦ ἐρῶντος ὁρᾶν, & nescio quis alius ἡ ἐπιθυμία διὰ τῶν ὀφθαλμῶν ἔρχεται, quod illustrat Plutarch. in symposia oculos adulterij plenos dixit Petrus *Epist.* 2. c. 2.14. Ὀφθαλμοὺς μεστοὺς μοιχαλίδος Tertullian. lib. de Velandis Virginibus. Christianus saluis oculis fœminam videt, animo aduersus libidinem cœcus est.

Quia igitur hoc internum adulterium & mœchia 20
incipit ab aspectu à quo concupiscentia, omnisque ἐπιθυμία concitatur, non modo prauam eam & turpem voluntatem damnat mœchiæ Christus, sed etiam docet eruendum esse nobis oculum etiam dextrum, si nos in eiusmodi scelus præcipitet, & scandaliset, hoc est, ad delinquendum incitet, & exitij alicuius causam præbet, sic enim vsurpatur ea vox in sacris *Psal.* 139.6. vbi de insidiis sibi ad aduersariis, vt imprudens in illas incideret, positis queritur ἐχόμενα τρίβου σκάνδαλα ἔθεντό μοι, quod vulgatus reddit iuxta iter scandalum posuerunt, mihi, Hilarius verò ad verbum continuata semitis scandala posuerunt mihi. Sunt enim ἐχόμενα τρίβου quæ viæ tritæ coniuncta sunt, siue quæ continuè atque contigue se habent ad illam. Sic *Marc.* 1.38. dixit ἐχομένας κωμοπόλεις & Nicephor. ἐγγύτατα τῆς ὁδοῦ proxima viæ. *Paul. ad Roman.* 14.13. scandalum & offendiculum pro eodem vsurpat μὴ τιθέναι πρόσκομμα τῷ ἀδελφῷ ἢ σκάνδαλον, ne scandalum aut offendiculum ponatur fratri, & Petrus *Epist.* 1. c. 2. 7. de Christo loquens qui factus est λίθος προσκόμματος, καὶ πέτρα σκανδάλου, in quam nimirùm impingunt rebelles Euangelio. Pollux idem ait esse σκάνδαλον & σκανδάληθρον. Istud autem interpretatur paxillum qui in muscipulis erigitur, vt obicem sustineat Aristophanis interpretes σκανδάληθρα, ligna incurua laqueorum, quibus feræ incidentes detinentur, quod alij explicant ligna terna, sic inter se commissa, vt 4.

io hanc notam repræsentent. His imponitur tendicula & muscipula quam animal offendens in seipsum euertit subita ruina, simul atque lignū præsertim medium transuersumque commouit σκάνδαλον; igitur est obstaculum, offendiculum obex, & quidquid prolapsionis & ruinæ causa est. Dicitur quoque & σκῶλον quod obseruat Hieron. *lib. 2. adit Pelagian. Scolon.* inquit *& scandalum apud Græcos, ex offensione, ruina nomen* acceperunt, nimirùm à σκάζω τὸ χωλαίνω clandico, hinc factum σκανδαλίζω offensionis causam affero, concito offensioni sum, Paul. 1. *ad Cor.* 8. 13. *εἰ βρῶμα σκανδαλίζει τὸν ἀδελφόν μου, οὐ μὴ φάγω κρέα εἰς τὸν αἰῶνα, ἵνα μὴ τὸν ἀδελφόν μου σκανδαλίσω.* Hoc est si cibus est offensioni fratri meo, illique occasionem errandi & peccandi præbeat, se nunquam manducaturum carnem, ne fratri det offensionis & ruinæ causam. Monet igitur Christus, vt si oculus, vel manus, vel pes scandaliset nos, & occasionem adulterandi, aut alterius illegitimam veneris causam præbeat, atque ita in peccati ruinam impelleret, oculum eruamus, manum & pedem abscindamus ne peccemus.

Respondet nimirùm Christus tacitæ cuidam obiectioni, dicere enim quis poterat vix vitari posse illud adulterium quod damnabat, & cum concupiscentia ipso statim aspectu concitaretur, maximè si oculus in formosiores incideret. Sunt enim vt de Persicis dicebatur ἀλγηδόνες ὀφθαλμῶν & difficilè sit non amare, quod pulchrum est. Respondet Christus castigandum esse aspectum, etiam cum dispendio rerum charissimarum, & prauarum cupiditatum alimenta vitanda; quamuis id nonnunquam molestissimū nobis videatur cum ex duobus malis & periculis maius vitandum sit, maius verò malum est peccatum, cuique pœna æterna infligenda quam luminis dextri effosio, aut manus dextræ & pedis amputatio, vti statim subdit Christus vbi sapienter obseruat Euthymius; non modo dixisse eruendum esse oculum, sed etiam proijciendum, ne proximus remanens fiat iterùm familiaris, qua ratione Deus *Exod* 12. noluit septem illis diebus quibus Hebræi vesci debebant azymis, fermentū domi remanere, & Lotum Angeli non modo è Sodoma eduxerunt, sed & prohibuerunt in omni circa Regione consistere. Quia vt ait Ambros. *lib. 2. de virginib. causa peccandi etiam iustos decepit.*

Ad sextum præceptū de Mœchia, & adulterio pertinet quæ de libello repudij tradebantur in Lege, & recitantur *Deut. c.* 24. quare de illo statim egit Christus, dixitque nullam aliam esse legitimam viri dimittenda vxoris causam quam fornicationem, non tamen dimissæ, aut dimittenti fas esse, alterum coniugiū inire, alioquin ab illis adulterium committi quod disertius etiam asserit *Marc.* 10. *& Luca* 16. & testatur Paul. 1. *ad Cor.* 7. atque ex hia Trident. *sess.* 24. *can.* 7. Verum de repudiis diximus nonnulla in opere nostro de vsuris *lib.* 4. *c.* 5. *art.* 22 1. *à n.* 7. vbi de restitut. dotis & vsuris dotalibus soluto matrimonio, siue morte siue diuortio & repudio, & fusius dicturi sumus *tom.* 2. vbi de insolubilitate matrimonij, & caput illud 24. *Deut.* & quæ circa illud quæri possunt, explicabimus. Impræsentiarū verò quid veteri illi Legi ad eius perfectionem, adiecerit Christus attulisse contenti sumus, nempè prohibuisse vanas frequentius repudij causas, & ad vnā fornicationem restrinxisse, & prohibuisse vtrique coniugi nouum coniugium; quod nullitatis & adulterij damnat, cum tamen Lege veteri secundum matrimonium in eo casu permitteretur: Itaque Ecclesia Christiana libellum repudij non nouit, quem Iudæis ob duritiem cordia concesserat; an verò sola fornicatio quam nominat Christus, possit esse causa vxorem dimittendi; an verò eo nomine contineantur, & aliæ quædā æquè graues causæ, disputabimus loco citato de matrimonio disputantes, sicut & cur Christus solius fornicationis meminerit, & alia quædam eiusmodi dubia dissoluemus: hoc tantum loco videndum restat, quidnā Christus addiderit legi plurima enumerat *Maldon.* 1. quod veteri lege vxor adultera non dimittebatur, sed vel comburebatur veteri exemplo *Genes.* 38. 24. vel ex lege lapidabatur *Leuit.* 20. 10. *Ioan.* 8. 5. Christus autem & duriorem eam legem abrogauit, & adulterā dimitti permisit 2. Noluit etiam adulterij causa dari libellum repudij & matrimonium dissoluere, quærendo nouas nuptias, vt sic morosiores essent viri in dimittendis vxoribus 3. Innumerabiles causas dimissionis & diuortij abscidit, & vt iam monui ad solam fornicationem arctauit. 4. permisit vxori dimissæ viro suo reconciliari vt aiebat Paul. cum tamen in lege vir semel dimissam reuocare non posset 5. Denique parem fecit vxoris & viri causam in hac parte, quod testatur Paul. 1. *ad Cor.* 8. Cum in lege viro liceret dimittere vxorem, non tamen vxori virum.

A sextò Legis præcepto, Christus transit ad secundū 22
quo periuria vetantur *c.* 22. *Exod. & Leuit.* 19. & quod iuramēto promissū fuerat, reddi omninò iubetur *n.* 30. Christus autem iubet non omninò iurare, quibus verbis non vult iuramentum nullo casu esse licitū Christianis, cum aliū esse Ecclesiæ seorsum, & Apostolorū, aliorumq; deinceps sanctorū vsum fuisse monuerimus nuper, prohibuitque dumtaxat passim & sine necessitate iurare, neque solùm periurium cauendum esse, sed etiam ipsummet iuramentum non necessarium de iuramentis porrò fusius dicemus *tom.* 2. huius operis.

Legem prætereà talionis latam iudicibus, vt pœnas 23
iniuriis compensarent *Exod.* 21. *& Deut.* 24. vel tollit vel perficit Christus cum iussit nos non appetere vindictam, sed libenter iniurias tolerare, percutienti vnam maxillam, alteram obuertere, volenti tunicam tollere, pallium relinquere, non resistere malo, siue malum inferenti. Quare non modò ramos vitiorum, sed etiam radicem excindit, nimirum vindictæ cupiditatem. Hæc tamen omnia vel non sunt quod obseruat Maldon. vti verba sonant intelligenda, vel non sunt præcepta, sed consilia, vt vindictam non quæramus, alteram potius iniuriam accipiamus, quam acceptam vlciscamur, denique parati simus ad remittendum de iure nostro, maximè quando vel Charitas, vel diuina gloria id exigent, aut nostra ipsa mortificatio postulabit. Tria verò iniuriarum genera recenset eo loco Christus. Primum quod in corpus committitur percussione maxillæ, & colaphi impactione, alterum quod contra ius dominij, dum tollitur res nostra etiam necessaria vt vestis. Tertiùm contra libertatem cum quis cogitur & angariatur ad conficiendum iter inuitus. Angaria nomen Persicum est de quo diximus in opere de vniuersa negotiatione *lib.* 2. *c.* 2. *art.* 19. *n.* 16. In his omnibus iniuriis ferendis patientiam ita commendat Christus, vt potius parati simus nouam iniuriam pati, quam illatam vlcisci hanc Christi nouam doctrinam pluribus explicat Tert. *lib.* 4. *aduer. Marc. c.* 16. ostenditque imprimis eā non dissentire à doctrina Dei Creatoris, tradita in veteri testamento, vti Marcion obiiciebat. Nam Deus sæpius vltionem iniuriarū prohibet neque illam lata Lege talionis idcircò permittit, sed per illam iniuriam acceptam à iudicibus non à priuatis puniri mādat, & huiusmodi punitionis per talionē metu, ab iniuria inferenda, coërcet, aut priuatis talionē permittat, vt eius quoque secundæ iniuriæ licentia, quisque abstineret à prima inferenda: idipsum dixerat idē Tert. *lib.* 2. *cont. eūd. Marc. c.* 18. de eadē Lege Talionis *non enim iniuria mutuò exercenda licentiam sapit sed in totum cohibenda violentia prospicit, vt quia durissimo & infideli in Deū populo longum vel etiam incredibile videretur, à Deo expectare defensam* &c. *Interim commissio in-*

iuria

iuria metu vicis statim occursura repastinaretur, & licentia retributionis, prohibitio esset prouocationis, vt sic improbitas astuata cessaret, dum secunda permissa prima terretur, & prima deterrita, nec secunda committitur quâ & aliàs facilior timor talionis per eundem saporem passionis nihil amarius quàm id ipsum pati, quod feceris aliis. Quod autem ait Tertullian. commissionem iniuriæ metu vicis statim occursuræ repastinandam, Metaphoricè significat eam defodiendam, obruendam, sepeliendam, vti Rhenan. interpretatur, repastinantur enim vineæ veteres dum defodiuntur: sed redeamus ad eundem Tertullian. priore loco allegato. Vbi ostendit quid amplius circa patientiam exigat Christus, qui proinde veterem Legem neque abolet, neque emendat, sed perficit, neque prohibet Iudicibus punire reos talione, vbi postulabit æquitas, non verò vult eum qui iniuriam accepit similem inferenti reddat, & effodienti oculum, ac dentem excutienti, & ipse quoque effodiat oculum ac dentem excutiat, sed ipsa grauissimi scriptoris verba, quamvis prolixiora non pigebit adducere. *Nouam planè patientiam docet Christus, etiam vicem iniuria cohibens permissam, à Creatore oculum exigente pro oculo, & dentem pro dente; contra ipse alteram amplius maxillam offerri iubens, & super tunicam pallio quoque cedi.* Hæc est obiectio Marcionis, cui sic respondet Tertullian. *Planè hac Christus adiecerit, vti supplementa consentanea disciplina creatoris. Atque adeò hoc statim renuntiandum est, an disciplina patientia prædicatur penes creatorem. Sic per Zachariam præcepit. Ne vnusquisque malitia fratris sui meminerit, sed nec proximi. Nam & rursus: malitiam proximi sui vnusquisque ne recogitet, multò magis indixit iniuria, qui indixit obliuionem sed & cùm dicit: mihi vindictam. & Ego vindicabo: proinde patientiam docet vindicta expectatricem. In quantum ergo non capit vt idem videatur, & dentem pro dente, & oculum pro oculo in vicem iniuria exigere, qui non modo vicē, sed etiam vltionem etiam recordationem, & recogitationem iniuria prohibet: in tantum aperitur nobis, quomodo oculum pro oculo, & dentem pro dente censuerit, non ad secundam iniuriam talionis permittendum, quam prohibuerat interdicta vltione, sed ad primam coërcendam, quam prohibuerat talione opposito, vt vnusquisque respiciens licentiam secunda iniuria, a prima se ipsum contineret, facilius enim vim cōprimi scit repræsentatione talionis, quàm promissione vltionis. Vtrumque autem constituendum fuit pro natura & fide hominum: vt qui Deo crederet, vltionem à Deo expectaret qui minis fideret Leges talionis timeret. Hanc Legis voluntatem de intellectu laborantem Dominus & Sabbati & Legis, & omnium paternarum dispositionum Christus reuelauit, & compotem fecit, mandans alterius quoque maxilla oblationem, vt tanto magis vicem iniuria extingueret, quam & Lex per talionem voluerat impedisse certè, quam Prophetia manifestè coërcuerat, & memoriam iniuria prohibens, & vltionem ad Deum redigens. Ita si quid Christus intulit non aduersario, sed adiutore præcepto, non destruxit disciplinas creatoris; denique si in ipsam rationem patientia præcipienda, & quidem tam plenè, & perfectè consideretur, non consistet, si non est Creatoris qui vindictam repromittit, qui Iudicem præstat: alioquin si tantum patientia pondus non modo non repercutiendi, sed & aliam maxillam præbendi, & non modo non remaledicendi, sed & benedicendi, & non retinendi tunicam, sed amplius & pallium concedendi, is mihi imponit qui non sit me defensurus, in vanum patientiam præcepit, non exhibens mihi mercedem præcepti, patientia dico fructum, quod est vltio quam mihi permisisse debuerat, si ipse non præstat: aut si mihi non permittebat, ipse præstaret, quoniam & disciplina interest iniuriam vindicari; metu enim vltionis cuius iniquitas refrænatur. Cæterum passim omissa libertate dominabitur, vtrumque oculum effossura. & omnem dentem excussura præ impunitatis securitate:* hunc porrò fuisse veterum Christianorum morem, & acceptas Iniurias, & patienter ferrent & accepisse dissimularent, videbis apud Iustin. in Apologetico. & Athenagoram. Sensus igitur verborū Christi est, si quis nos malè afficiat, ei vicissim malum rependere, aut eius odium induere nolimus; quin potius ferienti maxillam vnam, alteram obuertamus, potius quàm nos vlciscamur, atque ne quis obijciat illud tritum. Veterem ferendo iniuriam inuitas nouam quo prætextu sibi plurimi blandiuntur, respondet Christus potius esse, vt altera iniuria accipiatur, quam vt sumatur vltio. Verùm de referenda iniuria alibi, & obserua maxillam obuertere cædenti prouerbium fuisse apud Hebræos vsurpatum pro eo quod est patienter ferre, vt vides *Threno* 3.30.

Addit Christus non resistere malo *μὴ ἀντιστῆναι τῷ πονηρῷ id 70 reddunt Exod. 12. 13. τῷ ἀδικοῦντι* ei nimirùm qui iniuriam facit id ipsum ita expressit Paul. *ad Rom. 12. 17. nulli malum pro malo reddentes μηδενὶ κακὸν ἀντὶ κακοῦ ἀποδιδόντες*, quod ad vltionem iniuriæ non reddendam significat. Quare addit *Paul. V. sequenti μὴ ἑαυτοὺς ἐκδικοῦντες* vulgatus reddit, *non vos ipsos defendentes*, quod de defensione per vltionem intelligendum est, *ἐκδικεῖν* enim & defendere & vlcisci significat, quod obseruat quoq; Agelli. *lib. 1. c. 1.* & interpretatur *ἀμυνᾶν ποιῆσαι*, quod est offēdere, defēdere verò ait esse *ἐμποδὼν ἰέναι*. Quare illa Pauli defensio quā prohibet *l. c.* Paul. de defensione per vltionem intelligenda est qui tantum se defendit, non reddit malū pro malo, sed qui se vlciscitur. Tertull. *lib. 2. cōtra Marc. c. 18.* illud *Deut.* 32. 35. mea est vltio, & ego retribuam reddit mihi defensam, & ego defendā Addit Paul. *Date locum iræ scriptum est enim mihi vindicta & ego retribuā.* Dandus est igitur locus iræ diuinæ, expectandumque donec Deus qui se vlturū nostras iniurias recipit, vindicet nobis verò intereà abstinendum est à referenda iniuria illi qui illam intulit, nec aliud voluit Christus hoc loco, eiusque interpres. Paulus, ex quibus video falli quosdam insultos sapientes, qui cum Arist. & Cicerone vltionem ad ius naturale referebant, & in parte virtutis collocabant. Quare sapientiùs dixit Lactant. Ciceronem cum definiuit primum munus iustitiæ esse, vt nemini quis noceat nisi lacessitus iniuria, simplicem veramque sententiam duorum verborum adiectione corrupisse Nocendum enim nemini, ne quidem ei qui prior nocuerit.

Eodem pertinet quod addit Christus, ei qui vult tecum iudicio contendere & tunicam tuam tollere, dimitte & pallium quibus verbis Saluian. ait Iuberi, vt ea ipsa de quibus lis est, relinquamus, dum litibus exuamur. Verùm verbi Græci *κριθῆναι* duplex est significatio. Prima est rixari & *μάχεσθαι*. *Sic* 15. 10. *quod* 70. reddunt, *ἄνδρα δικαζόμενον καὶ διακρινόμενον*, vulgatus habet virum rixæ & discordiæ; atque ita vi rixari, & contendere contra aduersarium tollentem tunicam prohibet Christus, sed potius cedendum pallium. Cū in illa rixa facilè sit iniuriam potius inferre, quàm dumtaxat repellere. Sensus itaque est. Si quis copiat à te tunicam auferre eam potius illi permitte quàm illū noceas, aut odium eius animo concipias apud *Luc.* 6. 29. *μὴ κωλύσῃς* noli prohibere t vbi *κωλύειν* est raptorē non verbis tantùm commonefacere, aut, quod suum est retinere, sed nocendo absterrere, aut repellere.

Altera significatio vocis *κριθῆναι* & *κρίνεσθαι*, est iudicio contendere vt *Iob.* 9. 3. *Ecclesiastici* 4. 10. *Ioel.* 3. 2. *Osee* 1. 1. 2. vnde malè aliqui collegerunt nunquam licitum esse Christiano litigare & iudicio experiri. Quod falsum est, neque omnis prouocatio ad Iudicem aut arbitrum prohibetur, & Paul. 1. *ad Cor.* 6. 4. non damnat Corinthios quod litigarent, sed quod in

R. P. Ioseph Gibalinus de Scient. Can.

profanis auditoriis lites instituerent. Erat enim apud Iudæos communis illa sententia. Qui adducit negotia Israëlitica ad extraneos, polluit nomen Domini: prohibet igitur Christus de rebus leuioribus & quæ faciles recuperari possunt, vt tunica, & pallium contendi iudicio, & quamvis optimo iure nitamur, omitti mavult iuris persecutionem, negabat Appollonius apud *Philostrat.* 1. 1. 15. Philosophus *περὶ χρημάτων διαλέγεσθαι*, de pecunia contendere. Deinde in persequenda lite iudiciali, tam multa contingunt quæ nullus æquus probarit, exulceratus animus, vafræ artes, infinita ampliatio, impẽdia, auocatio à negotiis melioribus, odia, aliáque eiusmodi, vt vir bonus & prudens libentius si possit, sit iturus ad arbitrum, aut etiam quavis tolerabili, pactione tot molestias redempturus, quam litigaturus. *Non improbat prætor* inquit Vlpian. *l. Item 4. D. de alienatione iudicij mutandi causa facta, factum eius qui tanti habuit re carere ne propter eam sæpius litigaret. Hæc enim verecunda cogitatio eius, qui lites execratur, non est vituperanda.* Quare Clem. *lib. 1. Constitut. cap. 45.* si Christianus litem habeat *σπουδαζέτω διαλυθῆναι κἂν δέῃ ζημιωθῆναι*, det operam vt transigat, etiamsi quid damni accipiendum sit, & Athenagoras de veteribus Christianis passim ait, *οὐ δικαζόντας τοῖς ἁρπάζουσι.* Quamvis igitur excelsi cuiusdam animi sit suum potius amittere, quàm iudicio persequi, nullum tamen vniuersale de ea re præceptum Christus tulit, qui dũtaxat voluit & vltionem & odium, quod solent lites creare prohibere. Cum & ipse rogatus vt litem quandã dirimeret, & inter fratres contendentes hæreditatem diuideret, ad alium arbitrum dimisit, idque facere recusauit grauibus de causis, non tamen prohibuit ne litigarent. *Quis me constituit Iudicem & diuisorem inter vos δικαστὴν, ἢ μεριστήν.* qualis est qui familiæ Hercisc. undæ, aut communi diuidendo aut finibus regundis arbiter sumitur. Neque idcircò munus Iudicis & arbitri damnauit Christus, cum illud deinceps ipsi Episcopi susceperint, diuque exercuerint, vt de August. Ambros. Gregor. Neocesariensi aliísque constat, & variæ Constantini, Theodosij Arcadij, Cæterorúmque Christianorum imperatorum constitutiones testantur, ipseque Paul. 1. *Cor. 6.* constitui vult Iudices in Ecclesia ne sæcularia iudicia cogantur adire Christiani. Si quis igitur suo iuri confisus, ob rem alicuius momenti ad iudicium prouocet, nullo interim odio flagrans, sed æquo animo laturus quidquid iudicatum fuerit, neque contra Christi præceptum hoc loco recensitum, neque in Charitatẽ peccabit. An verò liceat Christiano vim vi repellere, & se cum moderamine inculpatæ tutelæ defendere, vt loquuntur, siue verum sit aduersus iniuriam inferentem inculpata quædam tutela & defensio sit, & num ea Christi dictis aduersetur, prolixior est controuersia alibi agitanda, de qua nos aliqua diximus in nostro opere de vniuersa rerum humanarum negotiatione *lib. 6. cap. 5. art. 1. n. 17.*

26 His explicatis de ferendis patienter iniuriis transit Christus ad beneficia conferenda proximis, quod aduertit quoque Tertull. aitque *Qui petit à te, da ei, & volenti mutuare à te ne auertaris*, Lucæ verò 6. 30. *omni petenti te tribue*, Quibus verbis non iubemur nullum inter petentes habere discrimen, & in omnes quacũque ratione petierint nostra effundere, nullam facultatum nostrarum rationem ducere, amicos inimicis, cognatos alienis pares facere. Nam charitas suum habet ordinẽ quem Christus perficere, non euertere voluit, prohibetur igitur sola *προσωποληψία* personarum, quæ iustitiæ non Charitati contraria est. Quare non personarum sed indigentiæ siue paupertatis, & Charitatis habenda ratio est. Habetur porrò personarum ratio in benefaciendo & danda eleẽmosyna, quando in petente consideratur aliqua qualitas, quæ aut eleemosynæ cõtraria est, vt quia diues est, & potes mihi reddere, aut certè non propria, vt quia natione Græcus, vel Latinus est: non enim datur nationi sed paupertati eleemosyna. Charitatis etiam seruandus ordo, nam Patre & ignoto æqualiter egentibus, si non habeam quod vtrique largiar dabo Patri, præterito ignoto: dabo pauperi qui petit, vt viuat non diuiti, qui petit, vt ludat. Quare *Paul. 2. Cor. 8. 13.* Ita Corinthios ad beneficientiam in Macedonas excitat, vt dicat. *Non enim vt aliis sit Remissio; vobis autem tribulatio sed ex æqualitate in præsenti tempore, vestra abundantia, illorum inopiam suppleat, vt & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum: vt fiat æqualitas.* Habes igitur ipsum Paulũ Christi præcepti interpretem, dicere ita dandam esse eleemosynam petenti cuicumque, vt id non temerariò, sed seruata Charitate, & eius ordine, aliisque circumstantiis fiat. Denique illud. *Omni petenti te tribue.* Tertullian. *lib. 4. contra Marc. cap. 16.* ita exponit vt non solùm in fratres id est, Iudæos exerceri misericordiam velit, sed in omnes homines etiam extraneos, contra quam à creatore mandatum dicebat. Rationem huius ordinis reddit *l. c.* Tertullian. *quamdiu* inquit, *intra Israelem erat Sacramentum merito in solos fratres misericordiam, commendabat, at vbi Christo dedit gentes hæreditatem & terminos terræ, &c. Exinde Christus in omnes legem paternæ benignitatis extendit, neminem excipiens in miseratione, sicut & in vocatione.* Quia verò beneficiorum de quo Christus agit eo loco, maximè consistit in subleuandis Egenis vti diximus. Illi verò sunt duorum generum, vel enim sunt *πτωχοὶ*, qui nullam spem faciunt reddendi quod accipiunt, alij qui rem qua indigent reddendam accipiunt mutuò, & sunt *ἐρανισταί*. Quare de his subdit Christus, volenti mutuari à te, ne auertaris *μὴ ἀποστραφῇς* ne aliò abeas, & ab illo auertas faciem & manum, sed quod petit porrige, de mutuò fusissimè disputauimus *opere nostro de vsuris lib. 1.*

Tandem quomodo gerere se deberent Christiani 27
aduersus inimicos & hostes docet Christus, eaque etiam in parte lege veterem perficit. *Audistis*, inquit, *quia dictum est. Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis diligite inimicos vestros.* Deinde demonstrat in quo consistat ista dilectio, & demum addit rationes & motiua, quibus ad eiusmodi dilectionem exhibendam incitemur. Difficultas non leuis est in Christi verbis. Non & si in lege veteri imperetur dilectio proximi *Leuit.* 120. nullibi tamen odium inimici mandatur, immò cum beneficientia aduersus inimicum præcipiatur *Exodi.* 23. 4. *Si occurreris bouis inimici tui, aut asino erranti reduc ad eum. Si videris asinum odientis te iacere sub onere, non pertransibis, sed subleuabis cum eo.* similia repetuntur *Deut.* 22. 1. Vbi etiam agitur de cæteris omnibus rebus perditis quas quis reperierit, custodire iubetur, & reddere domino, quisquis ille fuerit etiam externos. Addit Ioseph *lib. 4. antiq. cap. 8.* Hunc inuentorem oportere Deum testari se nolle aliena vsurpare, *μαρτυράμενον τὸν θεὸν μὴ σφετερίζεσθαι ἀλλότρια*, similisque fuit Platon. lex. *Dial. 11 de legib.* alij tamen volebant non tollendam rem inuentã, sed de his alias, modo dumtaxat obseruo commendata in externos & inimicos charitate, potiori ratione prohiberi aduersus illos odium, quod etiã disertè habemus. Prou. 24. 17. *Cum ceciderit Inimicus tuus ne gaudeas, & in ruina eius ne exultet cor tuum, ne forte videat Dominus & displiceat ei, & auferat ab eo iram suam.* Loquitur sapiens de casu & ruina inimici in Calamitates & infortunia, de quibus sibi, licitum esse gaudere aliqui existimare poterant exemplo Mosis, qui demerso Pharaone epinicium cecinit, & Dauidis qui sæpius precatur vltionem, inimico-

rum

rum suorum de eaque triumphat. Nam hi aliique sancti de impiorum ruina gauisi sunt dumtaxat, quatenus impiorum punitionem diuina gloria & piorum liberatio consequebantur. Non verò quatenus eorum ruina ipsis noxia erat, aut quatenus ipsos oderant. Quare hunc odij affectum prohibet sapiens, cum ait. *Ne gaudeas cum ceciderit inimicus tuus*, non ait verò cum ceciderit impius vel inimicus Dei. *Et ne exaltet cor tuum in ruina eius.* Quia non prohibet gaudere in bono, quod quinam eius consequitur; sed in ipsa ruina, hoc est in quavis eius pernicie & aduersitate, subdit rationem, nempè ne Deo qui hanc lætitiam videt, illa displiceat, & ea de causa desinat punire inimicum tuum cum duplici tuo malo: confusione scilicet tua, quia cessante ira Dei in inimicum tuum confunderis de lætitia tua, & ipse reparatis viribus & diuina punitione cessante, denuò grauius in te insurget. Ita Cajetan. qui ait hanc iræ diuinæ reuocationem proponi imperfectis, non quatenus est bona inimico, sed quatenus est mala gaudenti de bono inimici. Iansenius verò explicat, *ne auferat iram suam ab eo in te*, vel redire faciat ab eo in te iuxta illud *Psal. 136. Memento Domine filiorum Edom in die Ierusalem.* Eandem beneficentiam in inimicum denuò commendat idem sapiens *cap. sequenti* 25. 25. Vultque egenti cibum & potum ministrari, sic enim prunas congeret super caput eius, quod malè aliqui interpretantur apud Bedam de prunis incendij infernalis, hoc sensit, vt illum obstinate in inimicitia persistentem faciat obnoxium apud Deum graui supplicio ipsóque Inferno, sed quis dicat benefaciendum esse inimico, vt maioris perditionis materia illi subministretur. Sensus igitur est, ea beneficientia veluti igne consumpta, omni inimicitia & maleuolentia inimicum accendendum esse ardore in suum benefactorem. Quamvis alias inimicum ex his aliisque locis, in quibus beneficientia in inimicum iubetur, satis constat eius odium non probari, nec permitti: vides quoque in illo loco Deuteronomij, quem existimamus nomen fratris, latissimè vsurpari pro quolibet homine, etiam externo, ac inimico, siue sit eiusdem gentis & religionis, siue non sit. Nam & *Exod.* 23. 4. Vbi eadem sententia habetur, nomen ipsum inimici exprimitur: & cum ex animalibus ipsis errantibus non liceat cognoscere, an eorum dominus sit amicus, aut hostis, aut Iudæus, aut Allophylus; tota illa legis obligatio incerta omninò foret: Hinc denique vides in illo *Leuit. cap. 19. Diliges amicum tuum sicut te ipsum.* & vt Græca habet *τὸν πλησίον σου* proximum tuum, significari quemlibet natura communi proximum, & vt ait S. Thom. 2. 2. *q.* 44. *art.* 7. secundum naturalem Dei imaginem, & secundum capacitatem gloriæ. Et obseruat S. D. in ea tangi rationem diligendi ex eo quod proximus nominatur secundum illam, nimirùm duplicem rationem allatam, quæ omni homini conuenit. Quare manet semper impedita difficultas, quomodo dicatur in lege diligendum proximum, & odio habendum inimicum, cum nullibi id inueniatur, immò vti ostendi contrarium legitur. August. *lib. 1. de Serm. Domini cap.* 41. ait quidem in Lege id scriptum, sed esse tantum permissionem propter infirmitatem populi, non verò imperium: *lib. verò* 19. *contra Faust. cap.* 24. docet hæc duo præcepta. Oderis inimicum tuum, & diligite inimicos vestros, minimè esse contraria, quia quisque iniquus homo, in quantum iniquus, est odio habendus; in quantum autem homo diligendus, & mox *Audito & non intellecto quod antiquis dictum erat. Oderis inimicum tuum: ferebantur homines in hominis odium, cum deberent non odisse nisi vitium: hoc corrigit Dominus Dicendo. Diligite inimicos vestros, vt qui iam dixerat. Non veni Legem soluere, sed adimplere, ideoque de odio inimici quod scriptum est in Lege non soluerat, præcipiendo vtique, vt diligamus inimicos cogeret nos intelligere, quonam modo possemus, vnum eundemque hominem & odisse propter culpam, & diligere propter naturam.* & *Serm.* 59. *de tempore*, per inimicum odio habendum, idem August. intellexit Diabolum quæ omnes expositiones Augustini supponunt in Lege vel præceptum, vel saltem permissum fuisse inimicorum odium. Quod etiam fatetur Hilar. *in cap.* 5. *Matthæi*, locum tamen Legis & veteris scripturæ neque assignant, neque assignare possunt. Et cum inimicus etiam proximus sit, quod constat *Lucæ* 10. ex parabola Samaritani, quem Christus dicit fuisse proximum illi qui inciderat in Latrones, ostendit quamvis Samaritani essent, Iudæorum inimici neque illis contetentur *Ioan.* 4. ipse quò Augustin. *Serm.* 26. *de diuersis* proximum interpretatur omnem hominem, illud Leuit. 19. 18. *Diliges amicum tuum*, & vt alij legunt *proximum tuum* de omni homine atque adeò etiam de inimico possumus interpretari, prætetquam quod cum odium etiam inimicorum prohibeatur Lege naturali, quod ostendit Abul. *in cap.* 5. *Mat.* 19. 347. Imperari à Deo aut permitti, & non puniri non potuit.

Quare Glossa ordinario, quam deinceps alij magno numero sequuti sunt, fatetur nullibi odium inimicorum in lege permitti, fuisse tamen ineptum glossemia Pharisæorum aliorúmve interpretum, qui ex illo Leuitici 19. *Diliges amicum tuum* ineptissimè inferebant, licitum immò & imperatum fuisse inimicorum odium, ideóque non dixisse Christum *Matth.* 5. *Audistis quia dictum est antiquis*, vti dixerat in cæteris præceptis, quæ superius explicauit & perfecit, sed simpliciter, Audistis. Quia dictum est nimirùm à prauis interpretibus, vel ex vulgari, & prauo communi sensu. Verùm hunc Glossæ siue Strabi illius authoris intellectum, ex eo reijcit Maldonar. *in cap.* 5. *Matth.* 21. quod veteres omnes interpretes, & Patres incredibili consensu perpetuò docuerint, Christum non solùm Scribarum & Pharisæorum interpretationes, traditionésque corrigere hoc sermone, sed ipsammet Legem perficere, plurimis additis ad eius perfectionem, & si enim illa perfecta foret in suo genere, minus tamen perfecta erat quàm Euangelium, qua de re vide etiam Salmeron. *tom.* 5. *tract.* 42. Quamvis enim non negemus explicata vera legis intelligentia à Christo, & quæ illi deerat addita perfectione, simul damnarit falsas interpretationes, & traditiones & corruptiones, siue Pharisæorum siue quorumlibet aliorum, vt nuper monuimus idque constat, cum ait, *Dictum est antiquis*, quod de Pharisæis Paulo antea exortis dici nequit, & cum alias quoties Pharisæos & Scribas non imò ipsorum nomini parcat, in hac Legis expositione, additione & perfectione ipsorum nusquam meminere, & plurima quæ corrigit & emendat perficiendo, constet à Pharisæis non fuisse inducta, sed in ipsa Lege expressa, quale est illud de libello repudij, in quo nihil Pharisæos corrupisse scimus, atque in aliis quibusdam, quamvis eruditi viri plures eiusmodi deprauationes illis tribuant, ex quorũ etiam cõmuni sensu, nos locuti sumus, sed sanè licet plures eorum errores, quos & Christus interdum arguit, non negemus, deprauationes tamen expressas Legis, non habemus, vnde colligamus quamvis fortassis aliquando suos illos errores ex ipsa Lege tueri conarentur, vti & faciunt Hæretici ex scripturis, v. g. circa secundum præceptum, de quo superius. Non peiurabis, cum tot idem verbis non reperiatur scriptum, in Lege dicunt aliqui esse Pharisaicam interpretationem, cum tamen Christus sensum Legis non verba retulerit vt in *Leuit* 19. 12. *Exodi* 20. 7. *Deut.* 5. 11. *Non iurabis in vanum, non assumes nomen Dei in vanum*,

quod ipsum est peierare: Christus antè prohibet omninò iurare, nempe sine magna necessitate, neque solum peruersam interpretationem damnat hoc loco,& quamvis alibi *Matthai* 23.16.reprehendat Pharisæos, qui permitterent iurare per templum, non autem per aurum templi,& iurare per altare,non verò per dona imposita altari, itavt primum iuramentum obligaret, non verò secundum : reprehendit verò Pharisaïcam auaritiam Christus, qui absoluebant omni obligatione per templum iurantes & non per aurum, quare magis auro,quàm Dei honore mouerentur. Nam licet eum qui per templum vel altare, & qui per dona & aurum missum in Corbonam & Gazophilacium iuraret, existimarent per Deum iurare, quia tamen impellente auaritia, aurum & dona haberent, quam sanctissima, etiam supra templum, & altare, quasi Deus illis præcipuè gauderet, qua iuramenta per templum & altare minoribus iuramentis accensebant. Quare illorum gratiam facilè faciebant, si quis se inconsulto calore iurasse diceret, iuramenti per Corbam & donum non relaxabant. Quod iure merito reprehendit Christus, sed illud nihil facit ad prohibitionem iuramenti, quam tulit Christus, siue per cœlum siue per terram, siue per quid aliud iuretur, & in hac vniuersali prohibitione iuramenti Legem perficit, sed non confutat Pharisaïcas interpretationes,quæ nullæ erant circa Legem. *Non peierabis.* Quod idem dicendum est circa alias Leges quas Christus explicat, vti Maldonat. demonstrat loco citato, simili ratione negamus Pharisæos addidisse Legi de diligendo amico & proximo, inimicum odio habendum, háncque Pharisaïcam deprauationem Christus damnasse.

28 Quare vt explicetur,quænam fuerit mens Christi, obseruandum esse Deum quondam prohibuisse Hebræis affinitatem & fœdus cum certis quibusdam populis,quos ex terra promissa depelli volebat,*Exod.*34. 2.*&* *Deut.*7.1. Eos enim exitio deuouerat nisi tamen oblatis pacis conditionibus exitium seruiture redimerent,vt colligitur ex *Deut.*20.10.Si verò pacem repudiarent internecione prorsus deleri iubebantur, his populis ascribi quoque possunt Amalecitæ. Nam Hebræi iubentur gerere πόλεμον ἀσπόνδον,& eorum funditus delere memoriam *Exod.* 17. 16. *Deut.* 25. 19. Idem & de Ammonitis,& Moabitis *Deut.*23.6.quamvis in illorum ditiones, vt aliorum septem populorum quorum sedes occupare iubebantur, nullum ius Deus concessisset Hebræis. Hi tamen in seruitutem tanquam dediti suscipi poterant,quod præstitit Salomon. 1.*Reg.*19.20. & Iephtes non intulit bellum Ammonitis, nisi post tentatas pacis æquas vias *Iudic.* 11. 16. & Dauid pacem coluit cum iisdem Ammonitis, quamdiu ab ipsis violatus non est, turpiter illusis legatis quos ad ipsarum Regem pacis tuendæ causa destinarat 1. 1. *Reg. cap.*10. fœdera itaque dumtaxat & συμμαχίας,cum prohibebat Deus, cum aliis vero bellum internecinum, nisi se dederent imperabat, in pœnam nimirum insignium scelerum, quæ Deus, Hebræorum opera vlcisci volebat, consule *caput* 18.*Leuit.& Sapientiæ caput* 12. *&* 13. Hoc tamen hostile odium aduersus has gentes non nisi ad illius ætatis homines pertinebat, & in alias gentes quamvis alterius religionis & cultus deriuari non debuit, quod tamen fecerunt Hebræi, qui alienigenis & Religione dissidentibus, ne communia quidem humanitatis officia præstabant, qualia vel ignoto tribuenda monebat Cicero, v. g. viam comites præstare, non prohibere aquam profluentem, pati ab igne ignem capere, & alia eiusmodi, quæ neque hostibus neganda esse suadet communis ortus, & lex ipsa naturæ, quæ omnem hominem omni homini facit esse non alienum, sed necessitudine quadam cohærentem, ac propterea neminem esse, cui non data occasione benefacere debeamus, quem tamen inhumanum errorem Iudæis tribuit Iuuenal.*Satyra.*14.*v.*104.

Iudaicum ediscunt,& seruant ac metuunt ius,
Tradidit arcano quodcumque volumine Moyses
Non monstrare vias,eadem nisi Sacra colenti
Quæsitum ad fontem, solos deducere verpos.

Nugatur porrò Iuuenalis, cum ait hanc inhumanitatem authore Mose traditam & vsurpatam, aut ipsi Iudæi sui Legislatoris authoritatem falsò suæ inhumanitati prætendebant,quasi iusti essent, cæteros omnes pro hostibus habere,& tractare, eumque morem ipsis exprobrat *Tacit.lib.*5.Historia. *Apud ipsos*, inquit,*fides obstinata, Misericordia in promptu, aduersus omnes alios hostiles odium.* Fatemur quidem illis externarum gentium, ne corruptissimis earum moribus inficerentur, familiarem consuetudinem prohibitam à Deo fuisse. Quare non solebant alienigenis συγκρᾶσθαι, συνδιάγειν, κολλᾶσθαι, προσέρχεσθαι, & Appollonius Malo.M.Tullij id ipsum illis obijciebat, ὅτι μὴ παραδέχοιντο τοὺς ἄλλαις προκατειλημμένους δόξαις περὶ θεοῦ μηδὲ κοινωνεῖν ἐθέλοιν τοῖς καθ' ἑτέραν συνήθειαν βίον ζῆν προαιρουμένοις, quod Iosephus defendere conatur exemplo Laconicæ ξενηλασίας, & passim ferentur obiici suis Iudæis τὸ ἄμικτον, τὸ ἀσύμφυλον, τὴν δίαιτας ἀμιξίαν. Quare vides Iudæos extra legis præscripta, & sententiam iuisse, quæ solam familiarem consuetudinem cum paucis, & certis quibusdam gentibus vicinis id temporis prohibebat,immò & illos excindi in pœnam scelerum volebat, quod neque ad ipsarum posteros,neque ad cæteras gentes, vti iam monui ampliari debuit, neque ad omnia humanitatis officia neganda aut perpetuas omnis generis inimicitias gerendas.

Erant porrò tria alienigenarum aut ἀλλοφύλων genera, alij enim cum circumcisione Iudaismum recipiebant, dicebanturque Proselyti προσήλυτος inquit Iustin. ὁ περιτεμνόμενος εἰ τῷ λαῷ προσκείμενος ὥσπερ ὡς αὐτόχθων. Quare pari cum Hebræis iure erat, qui tamen ex Ammonitis & Moabitis fiebant proselyti, non admittebantur ad honores secundò. Alij quidam Allophyti eiecto numinum falsorum cultu,inter Hebræos viuebant quamvis liberi essent à peculiaribus Hebræorum institutis, quod colligimus *ex Deuter.* 14.21.vbi de morticinio à Iudæis non comedendo ne tamen ipsis omninò inutile esset, permittitur dari aut vendi peregrino intra ipsorum vrbes habitatori. *Peregrino*, inquit, *qui intra tuas portas est, da vt comedat, aut vende &* Græcè qui in ciuitatibus est ἐν ταῖς πόλεσι 68.quæ similis locutio vsurpatur eodem *capite v.* 27. *&* 29. atque alibi frequenter pro portis ponuntur πόλεις. *In cap.*16.5.11.14.18.*cap.*17.2. 18.6.19.14. 26.12.28.52.55. Hi igitur peregrini vrbes Israëliticas inhabitabant, de eiusmodi peregrino & aduena qui ritu Iudaïco non viueret habetur etiam *Exod.*20. 10.& *Deutero.*5.14.*in Exod.* dicitur aduena vtrobique Græcè ὁ προσήλυτος ὁ παροικῶν ἐν σοί. aduena seu peregrinus, siue proselytus habitans in te. Hebraïcè *in Deut.*14. & alibi nochri qui Græcè exprimitur ἀλλόφυλος alienus alienigena, Chaldaïcè bar Khauenum filius populorum. Isti igitur aduenæ & peregrini non seruabant Iudaica instituta, quandoquidem morticiniis vescebantur,quod Hebræis non licebat & tamen in mediis ipsorum vrbibus, suo ritu & more viuebant, neque ipsos Iudæi abhorrebant quos intra portas suas patiebantur,atque adeò ea cum illis habebant, commercia, quæ communis necessitas postulabat & id saltem voluerit Deus *Deut.*10.18,19. dum iussit amorem impendi peregrino, eique victum & vestimentum

mentum dari, neque id Hebræorum Magistri rectè ad solos propriè proselytos restringunt. Quando ratio diuini imperij peregrinos & aduenas omnes æquè complectitur, nimirùm quod ipsos Hebræos meminisse oporteret, se olim in Ægypto peregrinos fuisse, quam eandem rationem sæpius affert Deus ad commendandam beneficientiam aduersus aduenas & peregrinos *Exodi*. 22. 21. *Leuit*. 19. 33. 34. quo loco iubet Deus aduenam morantem inter Iudæos, haberi, quasi indigenam, addítque *& diliges eum quasi vosmetipsos, fuistis enim & vos Aduenæ in terra Ægypti*. Quare iubet abstineri ab omni exprobatione & iniuria. Similia habentur *Exod*. 16. 2. 22. 21. vbi communis sententia est contra Abulens. sermonem esse vniuersalem, neque ad solos proselytos qui ex Ethnicismo ad Iudaïsmum conuertebantur, restringendum excepto tamen consortio cum Chananæis vti sæpiùs monui & cauetur *Exodi* 23. 32. 33. 34. 12. *num*. 33. 55. *Deuter*. 7. 1. 20. 13. *Iudic*. 1. 1. 2. reprehenduntur, quod cum ipsis pepigissent fœdus illud quod refertur *Iosuæ* 16. 10. 17. 18. Et iam monui vbi in Deuteronomij permittitur dari, aut vendi morticinium aduenæ & peregrino, non posse designari nomine aduenæ propriè dictum proselytum, nam cum ille ritibus & Legibus Iudaïcis teneretur, non magis illi licebat vesci morticinio quàm ipsis Iudæis, quibus id eo loco prohibetur. Hoc igitur loco non προσήλυτος sed πάροικος, καὶ ἀλλότριος necessariò intelligendus est, neque placet subtilius distinguere inter Incolas, Accolas, Inquilinos Aduentitios ἐνοίκους ἐποίκους παροίκους μετοίκους, ab indigenis & ciuibus, satis est hoc Leuitici & similibus locis agi de aduena, & peregrino morante & habitante in Ciuitatibus Iudaicis, atque vt manifestius appareat, Proselytos non appellari perpetuò eos qui alienæ Religioni aggregantur, & qui abiurato Ethnicismo Iudaïsmum sunt amplexi in citato loco Leuitici, vbi habetur *fuistis & vos aduenæ in terra Ægypti* LXX. reddont ὅτι προσήλυτοι ἐν γῇ Αἰγύπτῳ.

29 Tertium genus Allophylorum erat eorum qui & Gente & Religione omnino dissidebant ab Hebræis, cum quibus commercium vllum habere sibi nefas esse decebant Iudæis, & quod de Chananæis prohibitum ipsis erat, illud ad Cæteros omnes gente & Religione dissidentes protendebant, de quibus dixit Petrus Act. x. 28. *Vos scitis quomodo abominatum sit viro Iudæo coniungi, aut accedere ad alienigenam*. ἀλλοφύλῳ. Qua voce Palestinos tantum intelligi voluit S. Hieron. *in c*. 1. *Amos*. Eam tamen vniuersalius vsurpat hoc loco Petrus, cum loquatur de Cornelio Romano quem adit, licet communis & immundus ex Iudæorum sensu haberetur, atque adeò abominatum esse viro Iudæo ad illum accedere ἀθέμιτον, quod est idem quod ἀθέμιτον, vtrumque enim deriuatur à θέμις lex, institutum, ius fas & θέμις Dea fingitur honestatis ἀθέμιτον, igitur vel ἀθέμιτον est nefas & scelus, istos igitur omnes extraneos & alienigenos nullo discrimine pro hostibus habebant Iudæi, & in illos capitale exercebant odium, cuius rationem Iosephus Albo in disputatione contra Christianos reddit, quod qui sine. Lege viuit, is communis omnium hostis haberi merito debeatur, ideóque in illum sit illicitum solosque proximos existimabant Iudæi, qui vel suæ Religionis essent, vel inter ipsos abiecto falsorum numinum cultu morabantur & sine impietatis sordibus morabantur.

30 Ex his omnibus, colligimus duo fuisse inimicorum & hostium velut genera inter Iudæos, alij enim erant ipsimet Iudæi, qui inter se aliquando gerebant inimicitias, quas licet appellare priuatas, alij verò erant publici hostes, & communes toti genti ac populo, de prioribus & priuatis inimicitiis cautum iam olim fuerat *Leuit*. *xix*. 17. *&* 18. vbi & odium in fratrem peccantem, & iniuriarum memoria, earumque vltio prohibetur, atque dilectio proximi & fratris commendatur, ne oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publicè argue eum, ne habeas super illo peccatum quibus verbis vides prohiberi odium siue rancorem aduersus fratrem etiam peccantem & offendentem, quod si aliquis existimet se habere iustam causam offensionis petat sibi satisfieri, sic enim non habebit super illo peccatum, quia neque ipse fouebit odium animæ, neque in aliud fortasse maius peccatum prorumpet, & frater certior factus de propria culpa & Iniuria, quam vel nesciebat vel nihili faciebat, ita correptus emendabitur & satisfacere curabit, alioquin defectus emendationis tribui poterit non corripienti, quod ipsum monuit *Eccles*. *xix*. 12. 13. 14. 15. 17. quod autem dicitur publicè argue eum, alij legunt correptione corripies arguendo corripies arguesvè LXX. ἐλεγμῷ ἐλέγξεις publice & expressa voce intelligendum tamē est seruato ordine, quem postolat charitas quam omnino violat, qui omittendo correctionem causa est, vt frater pœnas tuat, qui enim publicè arguitur sibi cauet & læso tollitur occasio ne retento interno odio, deinde se se ipse vlciscatur, & nouum crimen admittat, sapienter enim Arist. *lib*. 4. *Ethic*. *capit*. 5. vbi dixit τὴν πραότητα esse mediocritatem περὶ ὀργὰς, illique opponi ὀργιλότητα, iracundiam, καὶ ἀοργησίαν nimiam leuitatem, & varios iracundiæ gradus distinguit, aitque alios esse ὀργίλους qui cito irascuntur, & placantur, alios ἀκροχόλους, qui supra modum omnibus ex causis, & celeriter irascuntur, alios πικροὺς amaros qui diu seruant iram, ac pœnæ implacabiles sunt, alios χαλεποὺς asperos difficiles, sæuos, qui cum non deberent, grauius & diutius irascuntur, neque placantur nisi iniuriam vlti sint, qui maximè improbandi & hominum consuetudini incommodi sunt, hoc facilè vitium cauetur modesta & publica correptione & in Ecclesiast.

Altero monito Resp. *sequenti & 18. Non quæras vltionem nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum*. Vltio verò procedit ex odio, ita vt sæpè qui iniuriam agit non tam zelo iustitiæ agat quam vindictæ. Qua de re alias. Quare Deus memoriam iniuriæ ex qua prodit vltio vetat, vt verò id fiat facilius, hortatur ad mutuam dilectionem. *Diliges amicum tuum*, & vt habent LXX. τὸν πλησίον σου *proximum tuum sicut te ipsum*, quæ verba nuper explicauimus, atque hactenus de inimicitiis priuatis inter Israëlitas, edicit lex: De publicis verò nihil statuit, præterquam de iis quæ erant aduersus Chananæas gentes exscindendas, ex quo legis silentio falsò inferebant Iudæi sibi fas esse hostili odio prosequi gentes omnes, quæ sui ritus non essent.

Quare Christus noua sua lege constituit dilectionem aduersus omnes prorsus exercendam, & omne odium aduersus quoscumque, omnesque inimicitias siue priuatas siue publicas tollendas penitus esse, *Diligite inimicos vestros*, & maximè vti referebamus ex Turtulliano, *vbi accepit à patre gentes hæreditatem & possessionem terminos terræ in omnes Legem paternæ benignitatis extendit, neminem excludens in miseratione, sicut in vocatione*, iubétque imprimis diligi inimicum, deinde benefacere iis qui nos oderunt, & denique etiam precari & orare Deum pro iis qui nos persequuntur, calumniantur, atque quomodo vexant, ne hæc dilectio solo affectu & animo concipiatur, sed in opus externum se prodat. Non vacat autem de istis omnibus dilectionis exhibendæ modis sigillatim differre. 31

Denique Christus potentissima motiua, quibus ad

eiusmodi dilectionem incitemur affert, imitatione m imprimis Dei per quam eius filij euadimus. Ille enim plurima beneficia, etiam impiis largitur, quos & lucis radiis, & pluuiis æquè ac bonos recreat. Tertiò quia nulla laude aut præmio digna est amicorum, & nobis beneficiorum dilectio, cum eam & Ethnici & ipsi Publicani ac scelerati quique, impensè colant. Denique hanc non aliter perfectionem quàm à nobis poscit Deus assequemur, *Estote perfecti sicut pater vester cælestis perfectus est.* In ea verò perfectionis imitatione consistit sanctitas, sanè ἅγιος & τέλειος, & τελειοῦν & ἁγιάζειν, vel idem sonant vel admodum affinia sunt.

Atque hæ sunt præcipuæ leges, quas Christus ipsemet tulit Matth. v. quibus veterem Legem & explicauit & perfecit, ex quibus maxima ex parte constat ius Euangelicum; illis præterea addidit plurima alia documenta, & consilia quæ referuntur *cap. vi. Matth.* & ad perfectam legis obseruationem plurimum conferont: quæ indicare vel numerare duntaxat licet, ne interpretem potius agamus quam Hieropoliticum & longius à nostro instituto parùm vtiliter digrediamur.

Primum documentum est cauendum esse inanem gloriam & auram popularem minimè captandam in pietatis operibus, atque imprimis in eroganda eleemosyna, & beneficientia in pauperes. Deinde in oratione publica, & coram hominibus facta, & longius producta instar hypocritarum & Ethnicorum, cui monitioni subiungit modum orandi, & integram orationem, quam Dominicam ideò nominamus, & omnia quæ à Deo petenda sunt cumpendio complectitur. Denique monet eandem inanem gloriam circa ieiunium vitandam, contra quam facerent hypocritæ, qui sua ieiunia faciei exterminatione aliisque modis ostendebant.

32 Alterum documentom est contra auaritiam, & illiberalem diuitiarum cupiditatem, non esse fodiendum in terra Thesaurum, sed in cœlo, tuto loco, furibus imperuio, & ærugini minus obnoxio & com thesaurum sequatur cor, illud in terra vna cum thesauro effodietur, distrahetur animus in varia obsequia dominorum inuicem pugnantium, cuiusmodi sunt Deus & Mammona, nimia quoque & importuna sollicitudine quærendarum diuitiarum opprimetur, quæ diuinæ prouidentiæ, & curæ, quandam differentiam importat, pergitque pluribus ostendere sollicitudinis eiusmodi inanitatem: deinde *capit. 7.*

33 Monet Christus multis vitandum esse temerarium, & facilè iudicium de factis alienis, & variis rationibus idipsum demonstrat. Quartò monet, non esse passim propalanda fidei Christianæ mysteria, neque sanctum dandom esse canibus, & Margaritas proiiciendas pedibus porcorum conculcandas.

Quintum, commendat orationis studium maximè ex fiducia obtinendi petitionem nostram.

Sextò, omnia quæ nobis fieri, facienda à nobis aliis esse, quod est maximè nostris animis inditum principium.

Septimò, qualis sit via quæ ducit ad vitam, & ianua per quam ad illam intratur docet, ideoque.

Octauò, videndum esse quales duces huius viæ sequamur, & à falsis Prophetis qui sanctitatem simulant seriò cauendum, traditque notas & discrimina, quibus inuicem discerni queant, nimirùm diuersa opera, sicut fructibus dignoscuntur arbores, multos in extremo iudicio qui sibi de sua iustitia blandiebantur, à Regno cœlorum miserè excludendos esse.

Denique concludit Christus totum hunc longiorem sermonem exhortatione ad doctrinæ traditæ eximiam obseruationem, quam qui tenuerit, comparat prudenti viro qui supra solidum saxeumque fundamentum domum suam ædificauit, nullis procellis & aquarum impetu labefactandam, contra quam accidat domui supra arenam inædificatæ. De istis verò singulis & documentis & præceptis, agemus variis & commodis locis, vbi se se dabit occasio satisfuerit impræsentiarum, ea indicasse & in vniuersum considerasse vt inde.

Quæstioni initio propositæ respondeamus; an 34
Christus præcepta aliqua moralia positiua tulerit. Resp. enim ex illorum superiori enumeratione constare, quoad substantiam nulla de nouo posuisse quæ vel Lege naturæ vel Lege veteri eiusque Decalogo non continerentur substantialiter, vt ita dicam, quod enim aliqui dicunt actus internos non fuisse quondam imperatos, sed à Christo præceptos, falsum est, cum vti ostenderimus & odium & concopiscentiam Lege veteri & naturali fuerint prohibiti vel imperati, vti monuimus superius, & passim docent patres quos dabit Lorin. *in cap.* 19. Leuitici *vers.* 17. Salmeron. *tom.* 5. *tract.* 38. & alij, docetque ipsa ratio, quia in actibus internis consistit maximè rectitudo apud Deum, & interna iustitia quam fuisse in viris probis in Lege veteri & naturali certum est. Hos tamen internos actus à Christo duplici ratione præceptos fuisse sapienter dixit Suar. *lib.* 10. *de legib. capit.* 2. *num.* 18. Primò quidem per se & directè, itavt in ipso actu interno consummentur, materia præcepti, quomodo præcipiuntur actus virtutum Theologalium & contrarij prohibentur: In his etiam numerari possunt, aliquarom virtutum muralium actus, vt pœnitentiæ, quæ est dispositio ad iustitiam internam, & actus orationis quæ mente consummari potest, & quandoque verbis exprimi nequit, & tamen adhibenda quoque necessariò est. Secundò præcipit Christus internos propter externos qui primò & per se præcipiuntur, vt videmus in præceptis sacramentorum, quæ licet consistant in actibus externis, cum tamen illi debeant esse morales & humani, tales non possunt esse sine internis, qui idcircò necessariò præcipiuntur, præceptis, actibus externis, qua etiam ratione, prohibitis quibusdam actibus externis necessariò prohibentur interni. Nam prohibita mæchia, prohibetur & concupiscentia, & prohibito quocumque prauo opere, eius prauum desiderium consequenter prohibetur, idem dico de modo operandi in recta intentione, quamvis opus externum præceptum poni possit cum praua intentione, nequit tamen perfectè & integrè seruari tota lex Christi in aliquo opere, nisi illud honesto modo fiat, quod æquè verùm est in Lege naturali, & vetere diuina, atque adeo ea ex parte Christus non tulit noua præcepta moralia positiua.

Vtrique tamen illi legi plurima addidit, tum in- 35
terpretando illas tum perficiendo, vti fuit explicatum in superioribus, atque ea ratione verum Legislatorem egit. Nam & eæ interpretationes, & additæ perfectiones ad sui obseruationem obligant, neque aliam intelligentiam aut sensum legi dare possumus, sed à Christo datum sequi omnino tenemur.

Denique quamvis fateamur Christum non addidisse nouum aliquod præceptum positiuum in materia morali quoad rem, quæ non fuerat, præcepta iure naturæ, vel addendo specialem aliquam determinationem loci, temporis, finis, aliarúmve circunstantiarum, quibus generalem & indeterminatam obligationem definiret, addidit tamen nouum præceptum

diuinum

diuinum in eadem materia,ac proinde naturalem, & priorem obligationem auxit. Quare peccatum Christiani maius est, quod idem dicu de iis quæ in Lege veteri constituta erant, & quæ Christus vel denuo constituit, vel perfecit. Itaque crescit hæc obligatio tum extensiuè per noua præcepta, aut distinctius expressa,tum intensiuè non modo propter maius lumen & gratiam, sed etiam propter Christi summi Legislatoris authoritatem, de nouo id ipsum præcipientis, atque hæc est summa perfectio Legis Euangelicæ,vt omnia quæ ad integram perfectamque iustitiam internam, & apud Deum necessaria sunt, præcipiat, quandoquidem non solum iubet, sed etiam gratiam omnem necessariam ad exequenda,imperata sufficiat. Quare tota illa quæstio de nouis præceptis moralibus positiuis additis Legi naturali, videtur mihi esse de nomine; nihil enim imperauit quod ipsa Lege naturæ non esset imperatum. Illud autem nouo præcepto sanciuit, nouamque obligationem diuinam imposuit cum autem solum naturalis esset, vti videmus fieri in multis quæ Lege politica imperantur,etsi Lege naturali constituta iam essent : quamquam ferè semper per noua illa præcepta ius naturale & determinetur, & explicetur, & circa quasdam circunstantias quodammodo amplietur.

36 Restant præcepta supernaturalia fidei,spei,dilectionis, & aliarum virtutum supernaturalium, quæ cum naturalia non sint & lata tamen fuerint, non possunt non esse positiua & addita iuri naturali, siquidem præceptum credendi explicite Trinitatem, non fuit ante Christum,quod idem dicendum est de omnibus Christi mysteriis præceptum de speranda remissione peccatorum & gratia per Christum. obtinendaque beatitudine statim à morte, nisi aliquod impedimentum obstet, quod idem dico de dilectione Dei vnius & trini, quæ & alia præcepta sunt à Christo, & neque ex naturali iure, neque ex veteri Lege necessariò consequũtur,& quod attinet ad dilectionem proximi, quamvis illa quondam obligaret,ipsi tamen quidpiam addidit, qui dicit suum esse mandatum, illudque nouum Ioan. xiii. circa alias quoque virtutes quædam constituit,vt de beneficientia inimicorum Matth.v.de modo orandi & formula orationis tenenda Matthæi vi.de freqoentia quoque eiusdem, de modo petendi per ipsum Ioan.xiv. & xvi. quæ omnia & noua sunt & vt vides positiua, hoc est præceptis naturalibus addita.

Respondet tamen Suar.*lib.* 10.*de legib.cap.*2.*num.*6. considerandam esse naturam vt eleuatam ad gratiam, quod enim eius inclinationi vt sic consideratæ, conuenit,ab eaque exigitur, dicitur pertinere ad ius naturale in tali statu. Quare præceptum fidei, siue obligatio credendi ea quæ reuelata sunt, & sufficienter proposita est connaturalis interiori diuinæ gratiæ, & diuinæ reuelationi. Quare ipsa reuelatio & prædicatio rerum credendarum pendet quidem ex voluntaria Dei dispositione,ex ea tamen sequitur intrinsecè, & ex natura rei obligatio credendi, quæ reuelata & proposita sunt : In omni verò diuina. Lege fuit semper necessaria ad salutem reuelatio cum sufficienti propositione & obligatio credendi proposita, quæ obligatio fuit maior aut minor, pro clariori & expressiori reuelatione, in Lege autem noua cùm Christus voluerit esse expressiorem reuelationem, vt plurium obiectorum,quæ quondam reuelata non fuerint, est quoque maior tum intensiuè, tum extensiuè obligatio credendi, quæ vt vides est omninò connaturalis in eo statu, siue gratiæ in eo statu collatæ naturæ. Quare si præceptum fidei sumatur adæquatè, provt diuinam reuelationem mysterij alicuius, v.g. Trinitatis continet, & simul obligationem credendi. Tale obiectum, v. g. Trinitatis dici potest aliqua ex parte positiuum provt nempè complectitur reuelationem, quæ simpliciter & ex vi naturæ necessaria non est, simpliciter tamen ratione obiecti ex obligatione credendi naturale est, vt dixi. Quare Suar.tandem concludit præceptum fidei esse præsuppositiuè positiuum, absolutè tamen & absolutè esse naturale, supposito illo statu naturæ eleuatæ ad supernaturalem beatitudinem consequendam suis actibus supernaturalibus,& ex gratia factis. Quin immò mihi videtur esse absolutè naturale & non positiuum, etiam præsuppositiuè modo explicato ratione voluntariæ reuelationis diuinæ, & propositionis sufficientis, quia licet fateamur diuinam reuelationem esse voluntariam Deo, posita tamen eleuatione naturæ rationalis ad finem illum supernaturalem suis actibus consequendum, exigebat connaturaliter aliquam diuinam reuelationem, vt suos deinde actus supernaturalès eliceret, illisque ad finem suum supernaturalem tenderet; Itaque eleuatio naturæ creatæ ad sublimiorem illum statum, fuit quidem Deo voluntaria, facta tamen illa eleuatione tenebatur,quæ ad illam connaturaliter necessaria erant,præstare naturæ in tali statu, in quibus reuelatio credendorum non potuit omitti. Cum igitur voluerit nouam Ecclesiam instituere, & ad sublimem adeò perfectionem euehere,debuit illi maiorem quandam lucem & cognitionem præbere, vt ex ea perfectius operaretur. Ecclesiæ igitur Christianæ & fulgens quædam reuelatio, & obligatio credendi reuelatis connaturales sunt, supposita illius per Christum institutione. Id ipsum dico de præcepto prædicandi fidem & audiendi.Nam prius illud est iuris naturalis in Christianis Doctoribus. Illis enim sui officij incumbit fidei res docere, eamque prædicationem & & institutionem nemo reiicere potest,ex naturali Lege suæ salutis procurandæ,& tandem omnia quæ per eam instructionem sufficienter proponuntur fide diuina credibilia, debet eadem fide credere, vt Trinitatem,verbi Incarnationem & alia eiusmodi.Quare vides præceptum fidai supposita institutione Ecclesiæ,& reuelatione, naturale dici posse, quamvis aliquid positiuum, & iuri naturali superadditum præsupponat.

37 Id ipsum de præcepto spei dicendum est, quod totum in hoc statu naturale est, eo modo quo de fide ostendimus : quamvis enim in Lege noua spetanda sit gloria per alia media, quam in Lege veteri. Illa tamen noua obligatio necessariò sequitur ex fide in Christum, & media ab ipso instituta.

38 Vnde quoque sequitur connaturale esse, huic statui præceptum de diligendo Deo magis explicitè in tribus personis,atque ipso Christo,quia oritur ex natura ipsa Charitatis,supposita tali Dei cognitione. Dilectio verò proximi eodem modo connaturalis est, atque etiam in Lege veteri imperata,vti ostendimus,neque obstat quod dicatur nouum & à Christo datum Ioann. xiii. Nam vel ita appellatur ratione mutuæ inter fideles Christianos dilectionis, vt annotat Tolet. *annot.* 30. vel vniuersalis ad omnes etiam infideles. Si primum orietur ex ipso Intrinseco, & naturali ordine charitatis, quæ postulat vt magis coniunctos magis diligamus cæteris paribus:Fideles verò omnes præcipua quadam cognatione inter se magis coniuncti sunt, cum sint membra Christi, atque adeò idem corpus compingant,& vt loquitur Paulus sint inuicem membra : Si verò præceptum istud de dilectione etiam ad omnes infideles interpretemur,quod videtur Christus voluisse,quandoquidem perfecta dilectio, & integra,

charitas

charitas omnes complectitur, neminẽ excludit quávis extraneum, neq; Christus qui perfectissimam dilectionem cõmendabat, & veterẽ de illo Legem perficiebat, de aliqua diminuta dilectione, & ad vnum aliquod dumtaxat hominum genus restricta, loquutus est, & parabola quam subiicit Luc. x. ad explicandam dilectionem proximi, id ipsum indicat. Nam Samaritanus qui sauciatum & tantum non interemptum hominem subleuauit, dicitur fuisse proximi illi in quem eam misericordiam exhibuit, non verò Sacerdos, & Leuita qui miserum nulla præstita ope præteriterant. Deinde Christus se ipsum in exemplum dilectionis præbet, vultque nos diligamus inuicem, sicut ipse dilexit nos, dilexit verò ille omnes prorsus etiam infideles, idololatras & sceleratissimos quosque, quos & redemit, & ad salutem adduxit, ad fidem prouocauit, atque etiam nunc per suos discipulos prouocat. Quare Christiana dilectio & omnes eiusdem Religionis & sectæ tanquam cognationis vinculo coniunctos complectitur, & ad omnes etiam alios porrigitur, quibus eam cum Christo atque Ecclesia coniunctionem impense desiderat, hancque amplissimam & vniuersalissimam dilectionem Christus suo præceptu commendat, quod ordini & inclinationi naturali Charitatis consentaneum est, atque etiam aliquo casu necessarium, & ad positiuam, & non solum negatiuam sui obseruationem obligat, vt dicemus *tom. 2. huius operis*: non dicitur itaque hoc præceptum nouum à Christo, quod sit positiuũ naturali superadditum, sed quia fuit ab illo renouatum cum praua consuetudine, ferè antiquatum esset ex Clem. *lib. 6. constituto cap. 23.* deinde nouo modo illud tulit, cum nouam in eius obiecti rationem explicuerit, suo Aduentu, & sua ipsius aduersus homines dilectione. Ex Chrys. *homil. 71.* in Ioan. & denique quia eiusmodi dilectin cum eo perfectionis gradu, quem Christus commendabat, mundum renouatura erat, vti exponit Augustin. *tract. 65. in Ioan.* Nouum igitur & hoc præceptum ratione effectus quem præstiturum erat.

39 Quæ porrò diximus de præceptis virtutum Theologicarum, idem omnino de virtutum aliarum supernaturalium præceptis, si quæ sint dicendum est, nimirum ea omnia statui Euangelicæ Ecclesiæ esse connaturalia, quamvis tota institutio Euangelicæ Ecclesiæ positiua sit, & ex mero Dei arbitrio ac dispositione pendens.

QVÆSTIO III.

De effectibus diuinæ legis Euangelicæ.

Quinam in genere & quo loco explicandi, numer. 1.

Maximè proprium est quod vires ad exequenda imperata præstet, num. 2.

Quomodo id faciat. n. 3. 4. 5. & 6.

1 PAucis hæc quæstio nobis explicanda est. Singulares enim huius legis effectus qui oriuntur ex illa, & pertinere dicuntur ad ius diuinum, suis locis hoc opere singillatim explicandi sunt, vt qui immediatè fluunt ex sacramentis, vt gratia sacramentalis & in quibusdam character, potestas ordinis, potestas quoque iurisdictionis, quoad forum internum, & ad absolutionem peccatorum, atque ea omnia quæ ad spirituale regimen & statum hierarchicum Ecclesiæ, & & alia similia quæ Lege stabili instituta sunt à Christo ad hanc sine dubio Legem pertinent, vt & alia quædam quæ ad ius diuinum nouum, siue primò & immediatè, siue secundariò & mediatè reducuntur, ad hanc quoque Legem pertinere dicuntur, tanquam eius quidam effectus, siue proximi siue secundarij: In his quoque numerantur eximiæ promissiones fidelibus factæ, sicut & in veteri Lege suæ erant promissiones, sed longè inferiores & abiectiores. Denique extraordinariæ quædam gratiæ, vocationes, miracula, & eximia quibusdam concessa priuilegia, inter effectus huiusce legis à quibusdam recensentur, sed admodum impropriè, quæ enim extra ordinem solitum fiunt ab Authore alicuius legis in regimine Reipublicæ, quam ipse condidit, & continuò summo imperio regit, neque legibus quas tulit & politiæ quam instituit, ita subditus, est vt aliquid insolitum agere non possit, non possunt dici effectus huius legis; aut status & politiæ, sed Authoris & conditoris legis, Rectoris, & institutoris eiusmodi politiæ. Quare quæ in Ecclesia & in statu Euangelico fiunt, à Christo ex fauore quodam insolito, & præter constitutum ordinem siue ex Legem ordinariam, vti loquimur, non sunt proprij legis Euangelicæ effectus, sed Christi Legislatoris, de quibus vbi contingunt, iudicandum est ex principiis vniuersalibus, & communibus regulis ad naturam eiusmodi effectuum dignoscendam & illarum Authorem inquirendum.

Vnus est communis & certus Legis Euangelicæ effectus ratione cuius maximè distinguitur à veteri Lege, nempe quod non solum iubeat sed etiam gratiam & auxilium id agendi suppeditet, atque adeò iustificet, quod lex vetus non præstabat, vti fusius *cap. superiori* demonstrauimus *quæst. 4.* Legem verò nouam iustificare, constans est omnium assertio cum S. Thoma 1. 2. *quæst. 106. art. 2.* quem omnes Theologi deinceps sequuntur, omnesque passim interpretes *in Epist. ad Rom.* & Galatas, ex quibus vide Salmeronem *in caput 3. ad Rom. disp. 19. & in cap. 7. disp. 6.* consentiunt omnes controuersiarum cum hæreticis tractatores, vnum appello Bellarm. *lib. 4. de iustificat. sex primis cap. p.* Stapluton. *in Antidoto* Valent. *lib. de different. veteris & nouæ legis c. 1.* Adde Barrad. *tom. 1. lib. 1. cap. 3.* & alios, manifestæ sunt scripturæ hac in parte. Nam Paul. sæpius ait Euangelium conferre spiritum gratiæ & fidei, & quidem 2. Cor. 3. noui testamenti promulgationem vocat, ministrationem spiritus & ministrationem fidei, & ad Galat. 3. *Hoc solum a vobis volo discere, ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei? Quis tribuit vobis spiritum, & operatur virtutes in vobis, ex operibus legis? an ex auditu fidei?* similia loca expendunt distinctius DD. 2

Tota difficultas est vti sapienter vidit Suar. in modo explicandi hunc nouæ legis effectum, quanam videlicet ratione, lex quæ nihil aliud est quam præceptum, producat gratiam & iustitiam. Lex enim dumtaxat ostendit quid faciendum aut omittendum sit, ad idque obligat, neque ad obsequendum vires suppeditat, neque si quid ex re imperata sequatur, dicitur illud præstare, alioquin Lex quoque vetus diceretur iustificare, quia ex quibusdam operibus ab ipsa imperatis iustitia, saltem secunda obtinebatur, aut etiam prima, non ex opere quidem operato, sed operantis vt in Circumcisione, quæ omnia significauimus *cap. superiori.* quomodo igitur lex Euangelica iustificat vt lex est. Resp. & S. Thom. 1. 2. *quæst. 106. art. 2.* Duo contineri in Lege Euangelica, vnum quidem principale, quod est gratia spiritus sancti; aliud est secundarium, nimirum documenta fidei & præcepta ordinantia humanum affectum & humanos actus, secundum illud principale Lex iustificat, non verò 3

secundum

secundum illud alterum minus principale, quia ex 2. *Cor. 3. Littera occidit, spiritus autem viuificat*, quod ita interpretatur Augustin. *lib. 3. de spiritu & Littera cap. 14. & 17.* vt littera sit qualibet externa scriptura etiam moralium praeceptorum, quare & ipsa littera Euangelij occideret, nisi adesset interna gratia fidei sanans. Haec tamen responsio non placet, quia veteri legi aptari quoque potest, cuius littera occidebat, sed gratia quae ad illam implendam dabatur, & per opera ab illo imperata, quae meritoria erant, acquirebatur, iustificabat. Quare omnibus praeceptis commune est, vt quatenus praecepta sunt, non iustificent, id tamen faciant per gratiam illis annexam, quae nunquam deest maximè quando praecipiunt actus supernaturales, & in ordine ad finem supernaturalem.

4 Respondent secundò alij Legem veterem non contulisse per se gratiam nisi respectiuè ad nouam, quae per se & veluti ex propriis principiis eam confert, vnde sola dicitur Lex gratiae, non vlla alia, quia licet in illis fuerit gratia, non tamen ex illis fuit sed per respectum ad Legem nouam, cum omnis semper gratia data fuerit per Christum quod ex Patribus & scripturis à nobis demonstratum esse 3. *p.* S. Thomae supponimus. Quare cum noua Lex eo tempore lata fuerit, quo gratiae, totius Author aduenit, & redemptionem hominum consummauit, omnibus gratiam meruit, immò idem ipse est, & legis huius & gratiae simul Author; ideóque & praecepit, & gratiam ac vires ad implendum praeceptum, ex vi talis status conf. rt, merito spiritus gratiae dicitur esse proprius huius legis & non veteris, quae secundum illum statum in ordinem rerum praecipere quidem poterat, non tamen gratiam dare, sed illa impetranda erat fide in Christum legis gratiae Authorem. Quare auxilium gratiae quod dabatur in Lege veteri, neque vi illius Legis dabatur, sed Christi Legis nouae Authoris, neque nisi valdè exiguum dabatur, quod multò abundantius in hac Lege datur, eóque pertinet illud Ioan. vii. 39. *Spiritus nondum erat datus, quia IESVS nondum erat glorificatus.*

Verum licet negari non possit hoc veteris & nouae Legis discrimen, ex eo tamen non sequitur Legem nouam quatenus, Lex est, & secundum collectionem praeceptorum iustificare, sed ratione duntaxat alicuius adiuncti, nempe gratiae, quae in hoc statu per Christum iam exhibitum datur, cum in veteri Lege duretur per eundem Christum futurum, sed in vtraque datur gratia per vnum, eundemque Christum & fidem in ipsum futurum, vel praesentem. Quare vtraque dicetur iustificare, sed diuerso modo, accidentali duntaxat, & neutra iustificabat formaliter, vt Lex est & secundum praeceptorum quae imponit collectionem, sed gratia Christi quem vel futurum promittit, vel iam existentem exhibet, quamuam & facilius & abundantius iustitia in secunda Lege confertur.

5 Obseruandum igitur est in Lege noua & veteri reperiri duo genera praeceptorum, alia enim sunt propriè & immediatè praecipientia aliquos actus: alia verò continent institutionem quandam talis status & politiae, cuius idcircò dicuntur fundamenta, siue Leges fundamentales, quibus violatis ruit quodammodo, totus eiusmodi status & politia. Quare ex natura talis institutionis sequitur naturalis obligatio illam seruandi, si politiam ipsam saluam, & integram esse velimus, & porrò institutio atque ea omnia quae continet dicuntur Leges propter obligationem eas seruandi.

Obseruo secundò, nomine legis contineri non tantum imperium, sed etiam promissiones & poenas. Nam poena Lege statuta, aequè inter effectus Legis numeratur, atque poenae comminatio, qua etiam ratione promissio, & praemium promissum effectus Legis dici potest, cum tum comminatio & poena, tum promissio & praemium accedant legi per se, & ab illa causentur immediatè, vel mediatè, neque enim necessarium est vt quidpiam dicatur effectus legis & ab illa fiat, formaliter, vt contingit in obligatore, vel effectiuè tanquam à causa proxima & per se saltem morali, qua ratione sit immediatè per Legem irritatio actus, inhabilitas, & quaedam poenae merè priuatiuae, sed sufficit vt talia effectus consequatur ex vi Legis institutionis, vel promissionis, obseruando vel transgrediendo eiusmodi Legem qua ratione irritatio actus & poena, est verus effectus legis, non solùm quando immediatè ponuntur per ipsam Legem, sed etiam quando fiunt per Iudicem operantem secundum Legem, ex eiusque mente & praescripto.

6 Hoc igitur modo Lex noua, etiam vt Lex est propriè iustificat, quia cooperatur in suo genere ad iustificationem, licet non excludat aliam causam tum formalem, tum efficientem proximam & propriam iustificationis. Nam haec Lex instituit sacramenta, quae ratione talis institutionis habent vim iustificandi, cum igitur eiusmodi iustificatio pendeat ex institutione, & institutio sit ex Lege, Lex necessariò est causa moralis à qua pendet talis effectus: Et sanè Lex illa obligat Deum iustificare hominem ad tale sacramentum accedentem, atque adeò est causa in suo genere, iustificationis eiusmodi, sicut Lex vetus iustificabat secundum iustificationes carnis, vt loquitur *Paul. ad Hebr. 9.* quia instituerat sacramenta, quae immunditias legales tollerent, sic lex noua quae instituit sacramenta, quae habent vim iustificandi spiritualiter, iure merito dicitur iustificare spiritualiter, quibus omnibus accedunt promissiones iustitiae spiritualis & internae, sub conditione alicuius operis; quare iustificatio quae tale opus consequitur, legi illam sub eo opere promittenti iure merito tribuitur.



CAPVT VI.

De obligatione Legis Euangelicae.

QVAESTIO I. *Qualis sit Obligatio Legis Euangelicae.*

QVAESTIO II. *De perfectione Legis Euangelicae.*

HAec duo consideranda restant in Lege Euangelica, quam explicamus hoc loco, nequaquam agimus interpretem Euangeliorum, sed in vniuersum duntaxat quae illi essentialia sunt consideramus, sit ergo.

QVAESTIO I.

De obligatione Legis diuinae Euangelicae.

Quosnam obliget Lex Euangelica. n. 1.
Quandonam caeperit obligare, num. 2. 3. & 4.

An

An in ea possit dispensare, n.5.
Quandiu durabit, n.6.7.8.& 9.

CErtum omninò est, Legem Euangelicam à Christo latam obligare, cum primarius & formalis effectus legis sit obligatio, & hanc Legem veram & propriam esse Legem, & Christum verum esse Legislatorem demonstrauerimus, *cap.4 art.1.* contra heterodoxos, supersunt tamen tres difficultates explicandæ, nimirum quosnam obliget, quando nam cœperit obligare; & denique quanta sit ea obligatio, tum quoad firmitatem, & immutabilitatem, tum quoad durationem.

1 Et primò quidem certum est, hanc Legem vniuersalem esse, atque vniuersis hominibus post Christi Aduentum latam fuisse. Quia Christus sicut est omnium redemptor, ita & Legislator. Omnes siquidem à se redemptos, ad eam quam ipsis meruit salutem, suis legibus peruenire vult. Quare *Matth. vlt.* suos Apostolos ad omnes prorsus gentes mittit, vt eas baptisent & doceant seruare omnia quæcumque illis mandauit, Marci quoque vltimo. Iubet ipsis prædicare Euangelium omni creaturæ, neminem igitur excepit, cum in omnes habeat potestatem. Huc pertinent quæ Isaiæ 5.5. & alibi sæpius in scripturis habentur, de vocatione gentium, & quæ aduersus quosdam Iudæos qui contendebant non esse prædicandum Euangelium gentibus, quibus non erant factæ promissiones, sed Abrahæ dumtaxat. disputant acriter *Petrus act. 15.* & *Paul. in epist. ad Romanos.* Atque ea de causa Legem Euangelicam præferunt Mosaicæ, quæ vni tantùm populo data fuit PP. Audi vnum Cyrill. *lib.3. in Ioan. cap.3.* vbi obseruat Mosem fuisse linguæ impeditioris & tardioris, atque vt reddunt 70. Exod.4.10. *ἰσχνόφωνος ἰσχνόφωνος καὶ βραδύγλωσσος.* Quare in solo populo Israëlitico audita est, cum potentissima diuini verbi vox & tanquam aquarum multarum *Apoc.1.* omnes nationes penetrauit, & abluit & Apostolorum lingua, velut tuba totum orbem personuit. *In monte Sina* inquit Cyrill. *tuba sonitus paulatim crescebat in maius, vt intelligas prolatam quidem Legem diuinitus esse, voce ab initio submissa, & propter hominum imbecillitatem tenui, nec totum tubicinis flatum capiente, ideo tardus lingua Moyses fuit; progredientibus autem sæculis à literali vmbra in spiritualem cultum hominibus à Christo reductis, multò vehementior diuina tuba sanctus effectus Euangelicam prædicationem per totum orbem* expandit: adde quod ipsamet Mosis Lex, se vnius prouinciæ, non admodum amplæ finibus coarctabat, cum & sacrificia & præcipuas alias cærimonias, & ritus in vno templo Hierosolymitano fieri vellet, vt ex præcepto de oblationibus, de festis Paschatis, Pentecostes, tabernaculorum, & aliis apparet. Vnde eius Legis angustias, & Euangelicæ amplitudinem colligit Eusebius *de demonstr. Euang. initio. quod est cap.3.*

2 Quod attinet ad tempus quo primum cœpit obligatio Legis Euangelicæ, diuersum assignatur à Doctoribus, quorum aliqui volunt ante Christi mortem incœpisse, saltem quoad ea quæ iam à Christo fuerant instituta. Alij vero in ipsa morte Christi in qua nouum testamentum consummatum & confirmatum fuit, ex *Paul. ad Hebr.* 17. Et Lex vetus cum fuit abrogata ac proinde noua introducta, ne Ecclesia Christiana esset sine Lege, alij malunt ipsum Resurrectionis Christi momentum exigua tridui dilatione, alij denique nouæ Legis promulgationem, quam necessariò supponit, eius obligatio assignant diei Pentecostes, neque tamen eo ipso die tum Iudæos, tum gentiles obligauit, cum vniuersis non fuerit eo die promulgata, sed successiue & obligatio nequeat præcedere promulgationem, quæ postrema opinio probabilior cæteris est, eamque *cap. superiori* vbi de abrogatione Legis Mosaicæ sequuti sumus.

Distinguenda porrò est Doctrina Christi ab eius Lege, deinde in illa ipsa Lege consideranda seorsim est eius institutio, vtilitas, & obligatio: Doctrina enim fidei & Christi, vbi ab illo sufficienter proposita fuit, & credibilis per miracula, aliaque signa euidentia credibilitatis reddita, admitti debuit, fuitque naturalis obligatio illam credendi. Eiusmodi siquidem naturalis obligatio consequitur ex propositione sufficienti reuelationis, vti 2.2. docuimus *& in 2. tomo huius operis* vbi de fide & eius præceptis dicemus. Quare & obligabantur Iudæi credere Christum esse Messiam, & si quid eo titulo præciperet illud obseruare, & Petrus cui fuerat facta diuina reuelatio de Christi diuinitate, illam quoque credere tenebatur, cum ad obligationem credendi, non exigatur alia promulgatio, quàm propositio sufficiens rei diuinitus credibilis, siue eiusmodi propositio publica sit, siue priuata, vt dicemus citato tractatu de fide, quamvis sit quæstio de nomine, an cum propositio est tantum priuata, fides illi adhibita dici debeat Catholica. 3

Quaia verò Lex à doctrina distinguitur, aliaque est obligatio credendi, alia verò seruandi Legem, certumque est, ad eiusmodi obligationem parendi præcepto, necessariam esse eius promulgationem, sicut ad obligationem credendi sufficientem propositionem Doctrinæ, non fuit obligatio Legis seruandæ, nisi vbi primum fuit Lex promulgata, cum promulgatio sit quoddam veluti complementum Legis in ratione Legis præcipientis, & obstringentis subditos, qui obligari nequeunt præcepto, quod inculpabiliter ignorant, vti dicemus inferius vbi de promulgatione fusius agemus. Constat, verò ne vnum quidem præceptum Legis Euangelicæ fuisse promulgatum publicè antè Christi mortem, aut in ipsa morte, quamvis fuerit fortassis latum aliquod præceptum priuatum, factum priuatis personis, vti aliqui existimant de Baptismo, quem Apostoli sibi inuicem conferre iussi fuerint; post Christi verò mortem ad Ascensionem vsque Apostolos promulgasse Legem aliquam quis dicat? post Ascensionem verò iussi sunt manere in ciuitate donec induerentur virtute ex alto, quod factum est Aduentu spiritus sancti in die Pentecostes. Exinde enim cœperunt baptizare & docere omnes gentes omnia, quæ Christus illis mandarat: Incœpit verò ex die Legis nouæ promulgatio, & obligatio, quæ sensim facta est, & simul ac pari passu progressi sunt. Quare quamvis Lex vniuersalis esset, obligauit primum Iudæos, quibus priori loco promulgata fuit, tardius verò gentiles quibus non erat explicata, neque indicta nisi post reuelationem Petro factam, *Act.10.* quæ omnia pluribus prosequitur Suar. *lib.10. de legib. cap.5.* atque ex illo alij nos in illis non immoramur, cum ex principiis communibus toto hoc priori tomo tradendis perspicua & certa maneant, & plesæque sententiæ de prima inchoatione obligationis Euangelicæ solis coniecturis ducantur, quibus alias obiicere non foret difficile, vti explicat Arriaga 12. *tract. de legib. disp.12. section.5.* Nos alia plura dicemus, vbi de sacramenti baptismatis necessitate, & remedio paruulorum, atque etiam vbi de necessitate fidei. 4

Venio ad immotabilitatem huius Legis eiusque obligationis, & primo quæritur an dari possit dispensatio in Lege Euangelica, & à quo. In ea verò Lege quædam pertinent ad ius, & Legem naturalem, de iis egimus superius, vbi de iure naturali. Alia verò sunt iuris dumtaxat diuini v.g. institutio & vsurpatio sacramentorum, & cætera eiusmodi quæ omnes faten- 5

tur

tur esse à Christo immediatè constituta, quippè quæ ad sacramentorum & aliarum rerum essentias & non ad ipsorum dumtaxat ritus, cærimonias, & circunstantias quàs Ecclesia præscripsit & aliquando variauit, pertinent, de hac dispensatione disputabimus inferius, vbi de dispensatione totius Iuris Ecclesiastici, & singularum eius partium, quarum præcipua est Ius Euangelicum, differemus, atque etiam de Legis Euangelicæ interpretatione & Epiichia, cum enim in toto hoc opere methodo scientifica progrediamur, quæ postulat, vt vniuersalia imprimis principia constituamus, ex quibus deinde quæstiones particulares & singulares materias explicemus, non debemus illas loco & tractatione separare, ne coniuncta distrahamus & plura repetere cogamur, non sine lectoris & nostro tœdio. quare.

6 Venio ad durationem & cessationem huiusce Legis, an aliquando abrogaoda sit, sicut lex Mosaïca abrogata fuit S.Thom. 1.2 *quæst.*106. *art.*4. quem cæteri omnes sequuntur, immò & plurea ad fidem pertinere putant, nunquam abrogandam, neque vel diminutione, vel augmento corrumpendam esse Legem Euangelicam, quandio perstabit Ecclesia militans, quod existimant, probántque imprimis ex omnibus illis locis in quibus Euangelium, & testamentum æternum dicitur, vt ad *Heb.* 13. *Apoc.* 14. Christi quoque Sacerdotium dicitur æternum *Psal.* 109. Neque dicas in scripturis æternitatem non semper significare perpetuitatem, sed longissimum tempus, qua ratione dicitur Deus olim cum Iudæis fœdus & pactum æternum pepigisse.

Respondeo enim ex variis circunstantiis vocis illius significationem restringendam, vel ampliandam esse. Cum igitur ipse etiam Moyses Iudæis alium longè præstantiorem Propheram Legislatorem & Doctorem suo loco suscitandum esse prædicat, lex eius simpliciter æterna dici nequit, neque etiam vetus Sacerdotium & Regnum æterna, absolutè cum aliud & Sacerdotium & Regnum simul futura promitterentur, atque Synagoga reiicienda, eique Ecclesia substituenda. At verò cum Christi testamentum æternum dicitur. Nulla alia Lex, nullusque alius aut Doctor, aut Legislator, aut Sacerdos, aut Sionis Rex promittitur. Quare cum eius Lex æterna, fœdus & pactum, Sacerdotium & regnum variis locis æterna dicuntur, de æternitate propriè & absolutè accepta, sunt accipienda, adde & Pauli argumentum, testamentum morte testatoris confirmari reddique immutabile, Christumque sua ipsius morte testamentum & Legem, ac pactum suum confirmasse, reddisseque immutabile, quæ est etiam ratiocinatio Innoceotij III. statim adducendi.

7 Dices hoc testamentum, dici æternum sanguine Christi dedicatum, quia vetus illud in hircorum & vitulorum sanguine promittebat dumtaxat temporalia: Christi verò testamentum æterna promittit. Quare Christus in cœna ait. *Hic est enim sanguis meus noui & æterni testamenti*, id est, nouæ, & æternæ promissionis confirmator, sicut Dominus repromisit. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem habet vitam æternam.* Ita Innocent. 3. *cap. cum Martha. 5. de celebrat. Missa.* Rescribens Archiepiscopo Lugdunensi qui quæsierat cur in verbis consecrationis Eucharistiæ plurima fuissent addita, quæ Christus non protulerat, v.g. *mysterium fidei*. & illud *noui & æterni testamenti*, quorum neque Matth. *cap.* 26. neque alij Euangelistæ meminerunt. Verum de eiusmodi additionibus *tomo* 2. vbi de *sacrament.* hæc dumtaxat tetuli vt videas Legem Euangelicam, & nouum testamentum nominari posse æterna, quamvis non perseuerarent immutata vsque ad sæculi consummationem.

Quare ista immutabilitas non videtur mihi efficacius ex scripturis colligi posse, quam ex *Matth.* 24 14. vbi Christus, *prædicabitur hoc Euangelium vniuersò orbi, & tunc veniet consummatio.* Durabit igitur Euangelium vsque ad consummationem & finem sæculi, quod enim Chrys. Theophilactus & alij quidam quibus & pauci recentiores adhæserunt, de consummatione & exidio Hierosolymitano interpretantur, iure merito ab Hieronymo, Beda, & communi recentiorum sensu reiiciuntur. Cum enim Apostoli ingentem templi molem & grandes lapides ac saxa quibus tota ea structura innitebatur Christo ostentarent, illeque totius eiusmodi ædificij destructionem & ruinam disiectis, dispersisque singulis illis prægrandibus lapidibus, prædictis ea responsio Discipulorum curiositatem accendit, quare Magistrum in Oliueti monte sedentem adeunt, & denuò ac secretò tria quædam interrogant, nimirum quo tempore Hierusalem destruenda sit, quo Christus venturus, quo consummatio sæculi futura sit: Ad quæ tria responder Christus, tunc futuram sæculi consummationem cum vniuerso orbi fuerit prædicatum Euangelium, quod de orbe tantum Romano intelligendum non est, alioquin iampridem contigisset sæculi consommatio. Neque enim particula, tunc, significat dumtaxat prioritatem temporis, sed immediatam quandam & promptam ac proximam rerum & euentuum consequutionem, alioquin licuisset æquè dicere crucifigetur Christus, & tunc veniet consummatio sæculi, deinde prædicabitur Euangelium in testimonium gentibus, hoc est ad gentes dedocendas, & si in suo errore persistant conuincendas, quod fieri iure non posset si in vniuerso tantum orbe Romano prædicandum foret Euangelium, omnibus igitur gentibus prædicandum erit, & tunc veniet consummatio sæculi, ad quam vsque proinde Lex Euangelica eiusque prædicatio perdurabit.

His omnibus accedit validissima ratio; nam vel Lex Euangelica prorsus aliquando præstante adhuc Ecclesia abrogabitur, vel additione aut imminutione mutabitur. Si primum vel illi alia quæpiam succedet, vel nulla postremum, istud dici nequit. Sic enim Ecclesia Christiana sine Lege & iure sibi proprio perstaret, quod nemo fatebitur, iam enim huiusce libri initio demonstrauimus, cuius politiæ finem & vinculum esse ius, quod ex Lege deriuari capite primò prioris libri ostendimus, quod si dicas sufficiendam substituendamque esse nouam Legem Euangelicæ. Quærendum restat à qoo illa ferenda sit, quandonam, & quænam ipsa futura. Denique vndenam habeant hanc hodiernæ Legis Euangelicæ futuram abrogationem, & alterius successionem. Ad quæ interrogata solis coniecturis & diuinationibus, quæ mera somnia sint, respondere poterunt. Quod si mauis Legem quidem Euangelicam retinere, sed additione vel diminotione immutatam eadem rursus interrogabo, nimirum à quo, quaodo, & quarum rerum facienda sit eiusmodi vel additio vel imminutio. Deinde vel eiusmodi mutatio Legem Euangelicam perfectiorem redder aut imperfectiorem hoc nemo fatebitur. Nam ea mutatio & Christo & Ecclesiæ nociua & iniuriosa esset, quod si perficienda est Lex Christiana per aliquam immutationem, imperfecta igitur est modo, & Christus Legislatorum perfectissimus, & cui nullus similis sit in Legislatoribus, vt ait Iob. *cap.* 36. quod de Christo dictum interpretatur Gregor. *lib.* 27. *moral. cap.* 1. quod falsum omninò erit, cum Leges tulerit emendandas detractione vel additione, rerum præceptarum, illique obiici possit.

possit quod de Lege Mosaica quæritur. Paulus nihil ad perfectum adducit Lex, temeratiò igitur quis affirmabit Legem Euangelicam vel totam abrogandam, vel partem aliquam immutandam antè sæculi consummationem, nisi vel aliam instituendam Ecclesiam vel alium à Christo Legislatorem, eiusdem immò & amplioris potestatis, quod ipse statuit, refigat pro suo imperio somniet, & ad Anticyras amandari velit.

QVÆSTIO II.

De perfectione diuinæ Legis Euangelicæ.

Absoluta huius legis perfectio, n. 1.
Eius sanctitas, n. 2.
Vis & efficacia, n. 3.
Suauitas, n 4.
Perfectio comparatiua, n. 4. 5. & 6.

HÆc Legis diuinæ Euangelicæ perfectio duobus modis considerari potest, primò absolutè, deinde comparatiuè ad alias Leges, maximè Mosaïcam quæ & ipsa diuina fuit Deo authore lata, Moyse dumtaxat ministro, & veluti præcone, quod superiori capite docuimus.

1 Absolutam Legis perfectionem constituo in eius sanctitate, vi & efficacia persuadendi hominibus sui obseruationem propter æquitatem qua constat, cui ratio dissentire non potest, suauitate & humanitate, quamvis nonnunquam aliqua difficilia iubeat.

2 Sanctitatem diuinæ Legis abundè demonstrat, quod propodia turpitudinum sustulerit ex orbe, & temperantiam ac Castitatem regnare fecerit quod apud Photium *Codice* 237. Methodius *lib. de castitate* docet ex parabola Rhamni Iudic. 9. 15. qui Regnum sibi delatum à cæteris arboribus non recusauit, Rhamno virginitatem comparat *l.c.* Methodius, quia Rhamnus arbor casta est. & fortasse ex simili quadã cum virgine natura ῥάμνος ϗ ἁγνὸς appellatur, Rhamnus quidem propter robur & fortitudinem; contra voluptates, ἁγνὸς verò quod omni ex parte casta & pura sit, vnde inquit, ferunt Eliam à facie Iezabelis mulieris fugientem ad Rhamnum primum venisse, atque exauditum fuisse, cibumque accepisse, quia fugientibus stimulum carnis, & fœminam, & voluptatem perfugium & tegumentum castitatis lignum germinauit, quod ab aduentu Principis virginum Christi regnum in homines obtinuit: hoc enim vnicum cuius ipsos nunquam pœniteret, post Christi Aduentum arripuerunt homines, cum singulorum aliorum à quibus datæ fuerant Leges ante Christi Aduentum, regnorum habenas à seipsis celeriter excussissent, & contrario falsèque parere & se subiicere maluissent, hanc prætereà Legis Christianæ sanctitatem, quæ etiam carnis & libidinum irritamenta extinguit, explicat Origen. *hom. 7. in Hieron.* 12. 12. *Super omnes vias Domini venerunt vastatores, quia gladius Domini deuorabit ab extremo terra vsque ad extremum eius, & non est pax vniuersa carni;* imprimis hæc verba. *Propter nos exterminata est omnis terra*, Christo tribuit Origen. tum subdit. *Considero eam qua in se est, quomodo exterminata sit terra, & hinc videbis post Aduentum Iesu Christi, impleta esse quæ dicta sunt mortificatis membris nostris super terram: cum iam non operetur terra opera sua. non fiant apud iustum ea quibus antea caro fouebatur, non fornicatio, non immunditia, non adulterij luxuria, non idolorum seruitus, non veneficia. Dominus loquitur. Quid putatis quia veni pacem mittere super terram? non veni pacem mittere sed gladium verè antequam descenderet, erat gladius super terram, neque caro concupiscebat aduersus spiritum, neque spiritus aduersus carnem. Quando autem venit, & edocti sumus, qua carnis quaeve sint spiritus, & doctrina eius quasi gladius immissus diuisit carnem, id est terram à spiritu; & exterminauit eam, quia mortificationem Iesu Christi circumferimus in corpore nostro, & non viuimus vltra iuxta carnem, viuit autem spiritus, & seminamus non in carne, sed in spiritu, vt non metamus corruptionem de carne sed de spiritu vitam æternam.* Neque modo pudicitiæ nitorem Lex Euangelica restituit orbi, sed omnia quoque vitia expunxit & Idololatriam eiecit, & Dæmones malorum omnium incentores deuicit, quam in rem plura Chrysostom. *homil. in Eutropium sub finem, & in illud Psalmi* 44. *Astitit Regina*. Atque hæc diuinæ Legis sanctitas à nobis allata, negatiua tantum est ex vitiorum exclusione, præterquam alia est positiua in omnium insignium virtutum cultu, quem Lex diuina docet & promouet, atque ad hanc rem immensam gratiam & vires suppeditat, quod statim dicemus.

Altera perfectio absoluta Legis Euangelicæ est vis & efficacia persuadendi, quæ iubet pellaci quadam virtute, qua trahit omnium quibus promulgatur animos, quamvis rudes & barbaros, quod pluribus prosequitur Theodoret. *lib. 9. aduersus Græcos*, vbi docet piscatores & Publicanos, sutorésque cunctis nationibus Legem Euangelicam detulisse, & non solum Romanos, sed nationes exteras & remotas omneque hominum genus Leges crucifixi docuisse, absque armis & violentia. Addit pro earumdem Legum, quas docti fuerant innumeros homines vitam profudisse, ne illas minimum violarent, quæ omnia Martyrum infinitis exemplis demonstrat, cum ne vnus quidem proferri queat, qui pro Lycurgi, Solonis, Zaleuci Minois, aut Platonis legibus seruandis mortem oppetere voluerit. 3

Tertiò, perfectio absoluta legis est suauitas & humanitas, quam & lex diuina docuit, immanitate quæ toto seuiebat orbe emendatas quod fusè prosequitur Origen. *lib. 1. contra Cels.* sub Medium & Euseb. *orat. de laudibus Constantini*, sub med. quos adiisse non pœnitebit. 4

Perfectio comparatiua siue relatiua petenda est ex collatione cum legibus à cæteris Legislatoribus, qui & celeberrimi & sapientissimi habiti sunt, latis, quod si de prophanis agamus manifestum, compertumque est, quod de turpitudine Lycurgi legum quibus nefarius puerorum abusus probabatur, & alieni thori fœdatio libera & arbitraria erat, demonstrat Theodoret. *lib. 9. contra Græcos*, vbi & spurcitiam Legum platonicarum qui nudationem mulierum imperabat promiscuum vsum mulieris & viri cuiusque siue communitatem vxorum, pœderastiam & alias fœditates probabat, prosequitur, de quibus etiam agit Saluin. *l. de prouidentia*, vbi huius doctrinæ Authorem facit Socratem; *Ecce quæ sunt Romana & Attica sapientia exempla: Omnes penitus maritos, quantum in ipsis fuit Lenones vxorum suarum esse fecerunt*, & mox de Socrate. *Lupanar fecit è mundo, &c. Omnes domos scortari voluit, &c. In cunctis habitaculis lupanaria ædificare conatus est, & prostare voluit omnes virgines.* Plurima alia narrat Theodoret. *lib. 9. citat.* de spurcitiis & crudelitate legum Platonicarum, ipsius etiam Philosophi verbis adductis easque cum sanctissimis Christi legibus componit, piget 5

get verò eiuſmodi Leges inſulſiſſimas cum diuinis & Chriſtianis conferre.

Placet etiam cum Moſaïcis quæ & ipſæ diuinæ, vti diximus erant, compsrate. nam Euangelicæ Moſaïcas tanto ſuperant, quantò Chriſtus excedit Moyſem; qui illius typus dumtaxat iſque rudis fuit, quod plurihus oſtendit Bernard. *homil.1. in Acta paſcha*, quare & typicas tantum Leges tulit Moyſes, vmbram habentes futurorum bonorum ad nihil perfectum adducentes, atque in ſolis iuſtitiis carnis poſitas, quas idcircò nudam maceriam Deum inter, & Idola nominat Nazianzen. *orat.* 40. Idcircò Moyſes faciem illuſtratam, manum autem in Syrium miſſam leproſam fuiſſe obſeruat Origen. *homil.12. in Exod. ſub medium. In vultu eius*, inquit, *ſermo Legis, in manu opera deſignantur. Quia ergo ex operibus legis nullus erat iuſtificandus, nec aliquem ad perfectum adducere poterat lex, idcircò manus Moyſi leproſa fit, & in ſinum reconditur, tanquam nihil perfecti operis habitura, facies verò eius eſt glorificata, ſed velamine tegitur, quia ſermo eius habet ſcientiæ gloriam, ſed occultam, &c.* In Lege ergo Moyſes ſolam faciem habet glorificatam, neque manus eius habent gloriam, imò potius & contumeliam. Idcircò etiam Iuſtin. *Dialogo cum Triphone* ait non Moyſem, ſed Ieſum induxiſſe populam in terram promiſſam, cœleſtis regni imaginem.

Denique reprobatio facta eſt præcedentis mandati propter eius infirmitatem & inutilitatem, *ad Hebr.* 7. quod ex duarum legum comparatione luculenter explicat Philippus Abbas *lib.1. in cant. capit.7.* quod & præſtitit Salnisn. *lib.2. ad Eccleſ.* Iſidor. Peluſiota *lib. 3. Epiſtol.* 55. Iuſtin. *Dialogo cum Triphone* vbi Elogia quæ Legi tribuit Dauid. Pſalm.18. non Moſaicæ Legis, ſed Chriſtianæ encomium eſſe contendit. Quare & prior illa ceſſauit, hac accedente, Auriculam ſeruo Sacerdotis Moſaici abſcidit Petrus, quia fides Chriſtiana (cuius caput eſt Petrus) fidem Moſaïcam erat abrogatura inquit, Origen. *tractat.33. Matth.* Et vt ait Iſidor. Peluſ. *lib.1.*
8 *epiſt.* 257. Zacharias vſum vocis amittit, vbi nouæ atque admirandæ ſalutationis lætum nuncium accepit. Idem ſignificaſſe hoc Zachariæ ſilentium canit Sidoni *carmine* 16. Eucharistico ad Fauſtum.

7 Alias Legis Euangelicæ præ Moſaïca excellentias fuſius recenſent Barradus *tomo 1. lib. 1. per plura capita* Suar. *lib.1 n. de legibus cap.* 8. *toto.* quem Legene in re trita diutius immuremur.



CAPVT VII.

De iure humano omnibus gentibus communi.

QVÆSTIO I. *An ſit aliquod ius humanum & omnibus gentibus commune.*

QVÆSTIO II. *De materia & præceptis iuris humani & gentium.*

QVÆSTIO III. *De obligatione iuris humani & gentium.*



EXPLICATO iure naturali & diuino poſitiuo, venio ad humanum quod duplex eſt, vnum omnibus gentibus commune: alterum peculiaribus gentibus proprium, vt enim dixit ſapienter Caius *l.96. Digeſt. de iuſtit. & iure.* & Imperator *§. ius autem ciuile inſtit. de iure naturali, &c.* Omnes populi qui legibus & moribus reguntur, partim ſuo, partim communi omnium hominum vtuntur. Prius illud ciuile, poſterius ius gentium ſiue commune. Nam Ariſtot. *lib. 1. Rhetor. cap.11. & 12.* dixit *... νόμον* & quia toti humanæ naturæ commune eſt, dicitur ſimpliciter ab eodem Ariſtot. *lib.5. Ethicor. capit.10. ἀνθρώπινον* humanum, & à Senec. *lib. 3. de benef. cap.* 8. & à Liuio *lib.5. qui illud violant nominantur humani iuris* violatores, ab Hebræis verò ius vniuerſale & ius Noachidarum ſiue præcepta Noëmi poſteriorum ad Legem vſque datam. De hoc igitur iure vniuerſali & communi priori loco diſputandum eſt, antequam de iure ciuili ſingulis politiis proprio diſſeramus, vt deinceps diſtinctius de iure ſacræ politiæ, de quo nobis eſt præcipua tractatio toto hoc opere diſceptemus, vſurpamus verò ius in hac diſputatione, non pro facultate aliquid faciendi, ſed pro Lege qua aliquid facere obligamur, vel permittimur, ſiue pro iuſſu Legis vti *cap.1.* prioris libri fuit explicatum.

QVÆSTIO I.

An ſit aliquod ius gentium à iure naturali diſtinctum & à quo conſtitutum.

Prima diſtinctio iuris naturalis & gentium, num.1.

Secunda Explicatio, n.2.3.4.5.6.7.& 8.

Reijcitur, n.9.

Tertia explicatio, n. 11.

Reiicitur, n. 12.

Quarta explicatio, n.13.

Reiicitur, n.14.

Quinta explicatio, n.15.

Reijcitur, n.16.

Vltima & vera explicatio, numero 17. 18. & 19.

Soluuntur difficultates, n.19.& 20.

DAri ius aliquod gentibus commune ſatis perſuadent, quæ de eo paſſim diſputantur à veteribus & recentioribus Philoſophis, & Iuriſconſultis aut politicorum ſcriptoribus. Tota difficultas eſt, quod ſit iſtud ius commune, ſiue gentium, & quomodo à iure naturali diuerſum conſtituatur.

Reſpondent aliqui, primò hoc ius eſſe quidem commune toti naturæ humanæ, illi tamen proprium, ius verò naturale eſſe, tum homini, tum cæteris animantibus commune, atque ita iure meritò ius de quo modo diſputamus humsnum dici, aliud verò naturale quod vniuerſali, tum hominum, tum animantium naturæ commune exiſtat.

Verùm ius illud quod homini & animantibus commune faciunt Iuriſconſulti, tum Orientalis, tum Occidentalis imperij Baſilic. *lib. 2.* & Hermenop. *lib.1. tit. 1.* & *inſt. de iure naturali*, & ius non eſt niſi admodum impropriè & abuſiuè, vt priori libro oſtendimus. Nam primò eſt quidem vis quædam inſita à natura motus certos in omnibus animantibus ciens, quod eleganter deſcribit Cicero *lib. ſecundò de natura Deorum* in liberorum procreatione; ſed cum eiuſmodi motus iuris nomine appellant Philoſophi,

losophi, iuris nomine tota ea disputatione abutuntur, licut & cum eandem vim Legem appellant, cum naturæ ordinem & descriptionem dicere debuissent. Cum enim ius sit æquitas, quæ inter feras nulla esse potest, sequitur vt ius, proprium generis humani sit. Deinde ex Arist. *lib. 5. Ethic.* & Cic. *lib. 1. de legib.* Ius ibi demum est, vbi communio est, qua de causa idem Cicero *lib. 1. de nat. Deorum* disputat nihil nobis esse iuris posse cum diis, quia nulla nobis cum iis communio sit & *lib. 5. de finib. Quomodo homines iuris esse vincula putant, sic homini nihil esse iuris cum bestiis.* Et sanè si ea quæ nobis cum brutis communia sunt iuris nomine complectamur; ius esset cibum capere, bibere, dormire, currere, quiescere, & quæ sunt in eodem genere quæ potiò à propensione & inclinatione tantum fiunt à bestiis non à iure, quod circa licitum aut illicitum propriè versatur profluunt, quia tamen illa referunt quandam prudentiæ similitudinem, aut vt ait Aristot. *lib. 9. de hist. animal. cap. 7.* μιμήματα τῆς ἀνθρωπίνης ζωῆς vitæ humanæ imitamenta, & vt Cic. *lib. 2. de finib.* virtutum simulacra, quæ duce natura fiunt, iure quodam naturali ficti dicuntur per abusum, & iuris huius peritia censeri ipsa animalia, vt habet Iurisconsultus, vel potius quia ex istis quæ vi insita fiunt à brutis, normam aliquam viuendi & ad virtutum actiones incitamenta capiunt homines, tanquam iure quodam naturali in ipsis animantibus residente docti, vt mox dicam, ius naturale per abusum tribuitur brutis.

2 Secundò vt aliquanatura veri & proprij iuris capax sit, debet quoque esse capax libertatis, obligationis, permissionis & pœnæ. Nam si libertate careat, nihil ipsi aut imperari aut prohiberi, aut permitti poterit, neque si imperata prætermittat aut prohibita faciat puniri. Horum verò omnium bruta capacia non sunt vt patet. Libertas quidem definitur *l. 5. D. de statu homin.* & *§. libertas inst. de iure personæ.* Naturalis facultas eius quod cuique facere licet, vel vt vertit Theophil. φυσικὴ ἐνέργεια συγχωροῦσα πράττειν ἃ βούλεται. Naturalis facultas cuique promittens facere, quæ velit & vt in Basilicis τὸ ποιεῖν ὅπερ τὶς βούλεται eius faciendi quod cuique facere lubet dio Chrysost. *orat. 14.* τὸ ἐλεύθερον τὸ μηδενὸς ἐπίκουν ἀλλὰ πράττειν ἁπλῶς τὸ δοκοῦν ἑαυτῷ, liberum est nemini obtemperare, sed simpliciter facere, quæcumque sibi placent. Et denique Cicero *lib. 1. de offic.* libertati proprium est sic viuere vt velis, quæ sanè conuenire non possunt propensioni & appetitui, quo bruta propelluntur, & necessariò aguntur maximè cum vulgatæ libertatis definitioni, qua dicitur facultas faciendi quod libet, nisi si quid vi aut iure prohibetur, qua vt prohibitione iuris non obstringi bruta facile vides, non enim sua facta ad regulam & certam normam exigere possunt, & ad Legem quæ est ex Chrysost. *orat. 75.* ἡ τῶν πραγμάτων καλῶν δίκη διαιτὸς rerum gerendarum iusta Regula.

Deinde ex iure nascitur obligatio, quæ est iuris vinculum quo necessitate adstringimur *l. 3. Dig. de obligat.* & *inst. de obligat.* Ex obligatione quoque si violetur sequitur obnoxietas pœnæ. Quare Græcia ἔνοχὴ, & ἔνοχος obligatio & obligatus significat etiam pœnæ obnoxium, siue illa pœna inferenda sit à numine, siue ab homine, siue sancita ab externa aliqua Lege, siue à conscientia vindice & pœnis à Deo impios vlciscendi, quod ipsi scriptores tradunt dum de Adrastea Nemesi, Eumenidibus tartaeo & aliis eiusmodi agunt, planéque omnes Iurisconsulti dum obligationem in naturalem & Ciuilem distingunt, borum omnium capaces non sunt bestiæ. Nam licet aliquando etiam diuino iussu plectatur bestia, cum qua peccatum est, aut quæ læsit, id fit in ignominiam cum ipsa peccantis, aut in damnum & pœnam domini, aut vt peccandi tollatur occasio, non verò quod puniatur culpa bestiæ, quæ eius admittendæ capax non est, ac proinde violati iuris alicuius damnari nequit vide interpretes in cap. *Leuit. 19.* consule quoque Seldén. *lib. 1. de iure naturali cap. 4.* Augustin. *quæst. 74. in Leuit.* S. Thom. *1. 2. quæst. 105 articul. 2. ad 2.* vide & Exod. 21. de lapidando boue eorum peta, & ibi interpretes pœna siquidem in ampliori significatione, est quodcumque damnum, & incommodum brutis vel hominibus contingens vnde illud Biantis de vxore apud Agelli. *lib. 5. not. atticacapi. 2.* Si pulchram acciptas κοινὴν siue communem habebis, si deformem, ποινὴν pœnam, eadem vox tribuitur aliquando inanimatis. Sic Lucan. Pharsa *lib. 4. de Sicar.* qui sua inundatione Cæsari obstiterat.

Spargitur in sulcos, & scisso gurgite riuis.
Dat pœnas maioris aquæ.

De hoc denique nominis pœnæ abusu adi Grotium *lib. 2. de iure belli cap. 21. §. 2.* & in defensione Catholitæ *cap. 1.* vbi de hirco apoponipœo. Pœna verò propriè dicta est noxæ vindicta, & punitio ἁμαρτημάτων & ἀδικήματος culpæ vindicta Eccl. *Basilic. lib. 2. c. 131.* atque vt obseruat Eustath. *ad Iliad p.* ἀντάλλαγμα, ἀντιποίνιον, ἀμοιβὴ permutatio, retributio, compensatio. Hieraz inde iustitiam definiebat τιμωρίας ἀπαίτησιν παρὰ τῶν προαδικησάντων pœnæ exactionem ab iis qui prius læsere, & Hierocles vocat ἰατρείαν πονηρίας malitiæ medicatricem, cum itaque bruta, neque culpæ, neque iuris violati damnari possint, neque etiam propria pœna puniri.

Quod ipsum tamen aliqui probare se putant, Primò quia ipsamet scriptura sacra prohibet homicidium bestiis, & si illud admittant, pœnam comminatur. Genes. 1. 5. *Sanguinem animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum* ἐκ χειρὸς πάντων τῶν θηρίων. *Et de manu hominis de manu viri & fratris eius requiram animam hominis.* Quæ verba sic glossat Delrio. Sanguinem etiam à brutis quæ hominem necaeint, requiram, quanto magis eum à vobis eum sum requisiturus. Cum igitur Deus simili modo damnet cædem hominis, in bestia occidente atque in homine, videtur in vtroque culpam agnoscere, quam simili & eadem pœna vindicet, idque etiam iam olim persuasum fuisse Philosophis coniicies ex Platone *lib. 9. de legib.* vbi de bruto, quod extra publica certamina quempiam occiderit, sic statuit ἐπεξίτωσαν οἱ προσήκοντες τῷ φόνῳ τὸ κτεῖναν, cædis illud reum peragant cognati, & ab Agyronomis damnatum è terminis regni, & è regis finibus eiiciatur. De suppliciis à belluis sumptis diximus alias in opere de vniuersa rerum humanarum negotiatione *lib. 6. capit. 2. articul. 5. numer. 18.* & *capit. 9. articul. 3.* Vide etiam Guidon. Papum *decis. 238.* Rebuff. *ad constitut. regias glossa quintò § quadragesimosextò,* Abulens. *Ad Leuit. capit. vigesimo quæst. decimaquarta.* Verùm non ob culpam à bruto commissam imponi supplicium istud monuimus superius, & citatis quoque locis explicuimus. Illa verò diuina 3

diuina comminatio brutis facta facilè explicatur à Rabbinis quorum verba refert Selden. *lib.* 1. *citat. cap.* 5. nimirum Deum vindicaturum cædem humanam à bruto ex hominis instigatu factam, obseruatque Salomon. Iarchius solitos homines ante diluuium feras nocentissimas nutrire, quas in alios immitterent, atque ita se cædis humanæ innoxios existimabant: alij volunt Deum minari se cœdem humanam ita vlturum, vt si desit qui homicidam puniat, ipsas bestias in illum scelestum immittat, alij legunt *à manu cuncti viuentis*, quod vulgò legitur *à manu cuncti animalis*. Viuens verò sumitur sæpius in scriptura pro homine, sic Heua dicitur mater cunctorum viuentium, verum licet vulgatam lectionem retineamus, nihil ea fauebit Aduersariis, ea si quidem pœna animalis erit tantum in detestationem sceleris, à quo vult deterrere homines Deus, vti iam monui, qua etiam de causa ipsas res inanimas homicidij instrumenta deducebant in iudicium Athenienses in Prytanæo vide Demosthen. *orat. contra Aristocratem* & Pausan. *in Eliacis*. Quidam in nicone, & sanè Theagenis statuat ex sententia Thasiorum proiecta est in mare quod Cod. cædem fecisset, non opinor in pœnam, sed in homicidij odium, quo modo Genes. 3. 17. maledicta est terra propter Adami peccatum *maledicta terra in opere tuo* Hebr. propter peccatum tuum, aut vt Aquila & Chald. propter te Theodot. in transgressione tua 70. in operibus tuis. Quæ opera Hieron. exponit peccata quæ in vna illa trangressione plurima fuerunt, Quis autem dicat terræ propriam pœnam, peccante Adamo inflictam fuisse.

4 Secundò obiiciunt Patres vera vitia & virtutes, atque Leges ipsis, etiam animantibus tribuisse, quæ proinde iuris, non alterius sane quam naturalis esset capacia existimarunt. Nam Ambros. asinorum & equarum coitus adulterina contagia, vera naturæ adulteria, adulterium iumentale vocat *lib.* 5. *Hex. & sent. cap.* 3. *& cap.* 16. Hospitalia auium iura memorat, easque non scripta sed nata Lege Stringi. vide eund. *eod. lib. cap.* 17. *&* 18. *& lib.* 6. *cap.* 4. de Ciconiis, hirundinibus, cornicibus, turturibus, apibus, aliisque animalibus. Ex quibus ipsorum hominum mores reformari vult, quod & præstat Hieron. *in cap.* 3. *ad Ephesi.* circa voluptatum abstinentiam, quod bestiis ipso naturæ iure præscriptum sit, vt prægnantes vsque ad partum non coëant; incestos verò matrum concubitus, animalia pleraque auersari proditum est, id enim de Camelis testatur Aristotel. *lib.* 9. *de animal. cap.* 47. & Auicenna de Leone *ibid. Arist.* de Equis Aëlian. *lib.* 4. *de animal. cap.* 8. Varro de re rustica *lib.* 2. *cap.* 7. Plin. *lib.* 8. *cap.* 42. ita vt aliqoi Preorig. qui inuitos ad flagitium adegerat, occiderat, alij quasi horrore sceleris admissi, sese præcipites egerunt. Quare Theseus apud Senec. *in Hyppolyt. Act.* 3. *v.* 910. O tritum genus.

Nullaque victum Lege melioris soli
Fera quoque ipsa veneris euitans nefas.

Denique eodem ferarum exemplo masculam libidinem damnant Græci in Antholog. *lib.* 1. *Epigram. cap.* 78. Atque vt paucis concludam omnia genera animalium iustitiam exercere, & iura sua defendere, pluribus demonstrat Goiliermi. Parisiens. 1. *part. de vniu. part.* 3. *capit.* 8. in qoibus notat etiam quanta iustitia masculi & fœminæ labores suos inuicem partiuntur, fœminæ remanent in nido, vel spelunca, masculus ad perqnirendum cibum atque reportandum fœminæ & fœtulis suis egreditur, & regreditur narrat & sua ætate Ciconiam de adulterio conuictam, per obfactum masculi sui, congregata Ciconiarum multitudine, masculo eius crimen detegente à tota multitudine deplumatam, atque dilaceratam fuisse, tanquam omnium calculis adulterij iudicatam.

Resp. hæc omnia, aliaque nuper à nobis relata, quorum exemplo, sacri & profani scriptores deprauatos hominum mores, & fœdas turpitudines damnant, non esse nisi vti eo loco monebant cum Aristotele, quædam virtutum simulachra ex instinctu & propensione naturali quæ naturæ propensiones, quia constantes plerumque sunt Leges & iura dicuntur, vti de auibus dicebat Ambros. & Aristoph. πολλοὺς εἶναι ὀρνίθων νόμους Ciconiarum quoque κύρβεις, velut legum quasdam tabulas, eadem abusione similes voces de rebus inanimis vsurqantur, & Sen. *lib.* 3. *qq. natural. cap.* 29. dixit Legem barbæ & canorum nondum natus infans habet, neque in omnibus istis aut verum ius, aut vera culpa aut sceleris commissi propria pœna fingitur, neque ex factis quibusdam singularibus & insolitis quidquam quod aduersariis faueat colligi posse, sicut neque ex insolitis euentibus in omni alio genere rerum, quod enim referebatur ex Arist. de Camelat. morsibus perempto à Camelo irritato, quod matrem opertam salire coëgisset falso vulgaris interpretatur Theodori Gazei vertit Camelum id fecisse, memorem commissi sceleris, eiusmodi enim verba nun habet textus Græcus, sed dumtaxat μικρὸν δὲ ὕστερον δακὼν τὸν καμηλίτην ἀπέκτεινε, paulò post morsu Camelorum morsu peremit, sicut in historia quam eodem loco subiongit Aristot. de Equo Regis Scytharum quem ait vbi faciem matris quam salire agnouit, fugisse atque se præcipitem interemisse ἐκφυγεῖν, καὶ ῥίψαι ἑαυτὸν κατὰ τῶν κρημνῶν: nihil de causa huius fugæ & præcipitationis in pœnam sui sceleris habet Philosophus & potuit illa fuga, atque interitus quapiam alia ex causa contingere.

Ad extremum obseruat Pythagoreorum & Empedoclis opiniunem de quadam iustitia homini brutisque communi, ortam esse ex inepta persuasione, de metemphycosi, ex qua sequeretur homines & & bruta distare dumtaxat figura corporea, & non solùm animas habere similes, sed etiam inuicem commutare, vide Porphy. *lib.* 3. *&* 4. *de abstinentia hominum &* sextum Empyric., *aduers. Mathemat. lib.* 8. 5
Ex his reiicias distinctionem iuris in interius positum, & exterius pronunciatum, quorum primum commune faciunt brutis, & hominibus, alterum solis hominibus proprium, quod sumunt ex Galeno in protestico vbi agit de λόγῳ προφορικῷ, & ἐνδιαθέτῳ de ratione quæ verbis enunciatur, & ea quæ animo concepta interius retinetur, ex qua etiam aliqua principia geometrica in apibus esse collegit Pappus Alexandrin. Mathematicar. collection. *lib.* 5. *in præfat.* sed quam insulsè viderint alij, nam etiam in rebus inanimis eandem figuram Geometricam seruantibus id ipsum affirmaretur: Denique ipse etiam Vlpian. alijque veteres Iurisconsulti qoi ius naturale commune faciebant brutis, negant iniuriam à brutis fieri, aut in illa cadere, eo qood non fiat siue iure, quod in illa non cadit, quare in ampliori & minus propria significatione iuris nomen vsurparunt, cum illud brutis tribuerunt, vti & hoc loco & alibi monuimus.

Cùm igitur Ius non æstimetur nisi ratione, cuius animantia capacia non sunt, ius naturale ipsis com- 6

mune eſſe non poteſt. ſed ſoli homini ſiue naturæ humanæ, ideoque illud ius humanum nuncupabamus, quænam verò, qualiſque ſit ea ratio humana & quomodo turpitudinem & honeſtatem in rebus conſtituat, imperet & prohibeat, ac proinde veram Legis naturalis naturam ſortiatur, ab eaque ius naturale, quod eſt à Lege iuſſum & conſtitutum deriuetur, fuſius *lib. ſuperiori cap. 3.* docuimus. Neque enim, quod denuo monendum eſt loco, quælibet ratio naturalis ſufficit ad conſtituendum ius naturale, niſi ad id quod bonum indicat, faciendum obliget, perpetuo enim de iure obligatiuo diſputamus, cum illud dicamus eſſe iuſſum Legis naturalis; neque quælibet ratio naturalis, Lex dici poteſt, alioquin ſæpiſſimè Lex naturalis ſecum ipſa pugnaret, cum ſæpius ſint rationes naturales circa quæpiam oppoſitæ, v. g. omnia pacta quæ neque contra bonos mores, neque contra Leges conuenta ſunt ſeruanda eſſe poſtulat & fides humana, & naturalis æqoitas quod dicit Vlpian. *l. 1. D. de pactis & l. 1. D. de conſtu. pecun.* Et tamen placuit pupillum ſine tutoris authoritate paciſcentem quoquomodo nullo iure etiam naturali obligari etiam accipiendo mutuam pecuniam *l. quod pupillus 41. D. de condit. indeb. l. pupillus 59. D. de obligat. & actio.* Ratio igitur naturalis quæ vult ſeruari pacta non inducit ius naturale, quod eſt immutabile, quandoquidem mutatur in pupillo contrahente propria authoritate, illumque ipſum ius naturale, & ratio naturalis ſiue æquitas naturalis eximit eiuſmodi obligatione. Nam illa ipſa ratio naturalis æquiſſimam eſſe iudicat, vt pupillus qui ea ætate firmo iudicio caret, non obligetur efficaciter, obiicies pupillum ea mutuatitia pecunia obligari naturaliter, ideoque fideiuſſorem vtiliter dare poſſe *l. ſi pupillus 35. D. de receptis qui arbitrium recepit l. vlt. D. de iureiurando l. ſi pupillus 21. D. ad l. falc. d. l. cum illud 25. hæres meus D. Quando dies leg. ced. l. 1. D. de nonation. l. in numerationib. 44. l. 5. ſtichum aut pamphil. 95. §. naturalis D. de ſolutionib.* Reſpondet Anton. Faber *in Iuriſp. Papinian. titulo 2. princip. 2.* aliud eſſe obligari naturaliter, aliud obligari iure naturali ſiue natura, cum tota obligatio naturalis non æſtimetur ex iure naturali, ſed ex facto ſolo, quod aliquam naturalem inducat æquitatem, quæ ſemper omne ius præcedit id ipſum oſtendit *l. nec ſeruus 41. D. de pecul. Nec ſeruus quidquam debere poteſt, nec ſeruo poteſt deberi ſed cum eo verbo abutimur, factum magis demonſtramus quam ad ius referimus obligationem.* Ex quibus vides factum opponi iuri ſimpliciter quod enim in vulgata lectione additur ius ciuile, dictionem *ciuilis* expunxit faber, cum vt iam monui factum opponitur iuri ſimpliciter, vti colligit *ex l. Aurel. 28. §. Seicho. 7. d. de libert. legat.* eadem ratione naturaliter fieri dicitur, quod reipſa fit licet nullo iure fiat. Sic dicimus tabulas teſtamenti naturaliter aperiri *l. 3 §. aperire 19. D. ad 5. Axillan.* & naturaliter poſſidere qui non habent ius poſſidendi, nec tenent iura Domini v. g. fur commodatarius, depoſitarius & alij ſimiles *l. communi 7. §. neque colonis D. communi diuidenda l. 3. §. vlt. l. 4. D. ad exhibend. iuncta l. 6. §. 25. qui rogauit D. de precar.* quamvis igitur pupillis ſine tutoris authoritate obligatur quidem naturaliter, non tamen iure naturali, quia verum quidem eſt eum ſtipulanti promiſiſſe & mutuò pecuniam accepiſſe, ſed ea omnia ſunt facti non iuris *l. conſilio. 7. §. vlt. D. de curat. furioſ. is quidem natura debet iure gentium dare oportet, at cuius fidem ſecuti ſumus* inquit Paul. *l. 84. §. is qui d. de Regul. iuris*, ac verò nec pupillus de iure gentium, quia nullus niſi ſtultè ſequi poteſt fidem eius in ea ætate conſtituti, quæ ignorat illa etiam quæ videt *l. 1. c. de falſ. mon. & qua prorſus iudicio caret.* Quod autem caius ſcribat *in l. contra 28. de pact.* pactum pupilli ſine tutoris authoritate nullum eſſe, quia eſt contra regulas iuris ciuilis, qui id prohibet, niſi inde locupletior factus fuerit vti reſcribit Diuus Pius *l. 3. §. pupillus D. de negot. geſt.* inde non ſequitur ipſum obligari iure naturali, immò ius ciuile ſequitur ius naturale, atque vt occurrat infirmitati pupilli qui valide contrahere non poſſet in ea ætate, conſtituit illi dandum eſſe tutorem. Diuus verò reſcripſit vt ſi pupillus ex geſtis ſine tutore locupletior euaneſcit, vtiliter conueniri poſſit, quatenus factus fuerit locupletior; quia naturalis æquitas poſtulat neminem cum alterius damno & iniuria locupletem fieri. Quare ſi ſoluerit tutore authore, repetere non poterit ſed de his alibi diximus *in opere de vniuerſa rerum humanarum negotiatione lib. 3. cap. 1. art. 3. conſect. 3. & cap. 4. art. 3. & in opere de vſur lib. 1. cap. 15. art. 2. conſ. 3.* quibus tamen omnibus locis ſuppono pupillum obligari naturaliter, quod intelligendum eſt eo modo quo nunc explicamus, vt illa obligatio ſit ex facto quodam non ex iure naturali, cui alioquin ius ciuile non poſſet derogare, quamquam quidquid de hac obligatione ſentias, præſenti noſtro inſtituto ſufficiat eiuſmodi obligationem naturalem imminutam vel ſublatam fuiſſe iure ciuili, ex æquitate quoque & ratione naturali, vt doceamus non omnem rationem naturalem conſtituere ius naturale, cum dari poſſit circa idem alia ratio contraria, quæ ius quoque naturale contrarium diceretur conſtituere; quod alio quoque vulgari exemplo demonſtrat idem Anton. Faber in factione teſtamenti, quæ rationi naturali & æquitati maximè conſentanea eſt: quare nulla fuit vnquam tam barbara gens cui teſtamenti factio libera non fuerit, pugnat tamen alia non minus æqua ratio naturalis quæ non patitur, vt quis diſponat de re aliena, quod facit teſtator. quia confert effectum ſuæ diſpoſitionis in tempus in quo non erit Dominus rerum, de quibus diſponit immò neque amplius: *Eſt enim teſtamentum voluntatis noſtræ iuxta ſententiam de eo quod quis poſt mortem ſuam fieri vult l. 1. D. qui teſtam. fac. poſſ.* Omnis autem diſpoſitio cenſetur eo tempore facta in quod effectus eius transfertur *l. ſtichus 39. D. de manum. teſtament. l. quod ſponſa 2. D. de donat. ante nupt.* inde dicunt paſſim factionem teſtamenti non eſſe iuris naturalis aut gentium, ſed ciuilis, quod ſine Lege, quis teſtari non poterat. Ratio quoque naturalis, & æquitas ac tacita quædam Lex addicit liberis parentum hæreditatem, eoſque ad debitam ſucceſſionem vocet *l. vlt. D. de bon. damn. tit.* Quis tamen dicat eiuſmodi hæreditatem deberi iure naturali, cum ipſa hæreditatis vox ſit commentum iuris ciuilis *l. hæreditas 50. D. de petit. hæred.* Quare debetur hæreditas liberis ratione naturali non iure naturali, ſed de hæreditate & legitimè debito vide DD. & nos aliquid diximus *tractat. de rerum, humanarum negotiat. lib. 5. cap. 6. art. 1.* Ex his porrò omnibus vides non omnem rationem naturalem facere ius naturale, quamvis omne ius naturale æſtimetur ratione naturali, ſed ea dumtaxat quæ iubet vel prohibet, & ad quidpiam faciendum vel omittendum obligat, eſt quæ vera Lex vti fusè tradidimus *libro 3. capit. 3. de Lege naturali.*

Hinc verò maximè augetur poſita difficultas de diſtinctione iuris naturalis à iure gentium, quod æquè à ratione naturali deſumitur, definitur enim quod naturalis ratio inter omnes homines conſtituit, & apud omnes peræque cuſtoditur, diciturque ius gentium quia eo omnes gentes vtuntur: non differunt igitur ius gentium & naturale, quare. 7

Reſp. 12.

Resp. 15. Antonin. Faber in *Iurisprud. Papinian. tit. 2. princip. 4.* differre quidem ista duo iura circa res quæ homini & cæteris animantibus sunt communes, quod quæ animantes solo instinctu naturæ faciunt, id homines cum ratione præstent, quo sensu, nullus dixit matrimonium esse iuris gentium, sed iuris naturalis. Si verò ius consideretur circa tea quæ hominum propriæ sunt, vt pacta, obligationes, cæteraque eiusmodi, fatetur ius gentium coincidere cum iure naturali, cum vtrumque eadem ratione naturali definiatur, ideóque quæ sunt iuris naturalis, dicuntur aliquando esse iuris gentium vt Religio, obseruantia parentum, & alia similia: quare & ista quandoque nomina confunduntur apud DD. quia tamen naturalis ratio dupliciter consideratur, aliquando enim spectatur in ordine ad ipsam totam naturam humanam in sese, & secundum quod illi vt rationalis est per se se conuenit, aliàs verò consideratur secundum quod politica est, & quandam communitatem omnium gentium inter se constat, sic enim naturalis ratio quidpiam postulet, quod non postularet, natura etiam rationalis per se solùm simpliciter, & vndè consideratur. Primum illud ius quod ratio naturalis constituit circa ipsam naturam per sese sumptam, est ius naturale; quare Religio, sui tutela, liberorum erga parentes obseruantia, similiaque dicuntur esse iuris naturalis: At verò natura vti reipsa existit in variis diuersisque gentibus, ex quibus humana vniuersitas coalescit tanquam quoddam totum ex suis partibus, postulat aliqua ad sui ipsius vtilitatem, conseruationem & auctionem necessaria, eaque naturalis ratio probat, immò & quandoque præscribit, cum sine illis tota illa hominum vniuersitas subsistere non potest, vt societates, communitates, dominiorum partitio belli, seruitutes, commercia, quæ cæteráque cum magna ratione naturali introducta sunt, & pertinent ad ius gentium, quamvis enim in illis omnibus plurima interdum peccentur contra rationem naturalem, id oritur à prauitate ipsa gentium, non ab illis operibus, quæ ex æquissimo iure & ratione naturali ad omnium gentium & vtilitatem, & humani generis tuitionem inducta fuere; ideóque magno gentium omnium consensu vsurpata sunt ad omnium quippe ipsarum vtilitatem comparata.

8 Hinc sequitur non pertinere ad ius gentium quidquid à pluribus aut etiam omnibus gentibus, si fieri possit, receptum est nisi illud ex ratione naturali ita postulante, & ad communem ipsarum vtilitatem atque politiam, quæ vix aliter seruari possit, receptum fuerit, neque etiam desinet quidpiam esse iuris gentium, si quidpiam quod ratio naturalis dictat necessarium esse ad communem hominum inter se, interque varios populus societatem, atque vniuersalem vtilitatem ab aliqua gente, aut etiam pluribus receptum non fuit, stat enim nihilominus ius gentium circa eiusmodi res, quamvis illud non seruetur ab aliquibus, qui vel in illud peccant, vel aliqua ratione etiam naturali contraria, eam iuris communis partam non recipiant, neque tamen damnant eos qui recipiunt, posse enim dari rationes naturales oppositas, circa idem ostendimus superius; & sanè nemo dubitat seruitutes esse de iure gentium, eas tamen Religio Christiana tanquam à sua sanctitate plurimum alienas non recipit: è contrario verò plurima quæ sunt merè iuris ciuilis, & non iuris gentium, apud omnes tamen gentes magno consensu vsurpantur, neque inde fit vt dicantur esse iuris gentium, sed manent iuris ciuilis quod Anton. Faber *titulo 2. citato principio 4. illat. 1.* ostendit in testamentis, stipulationibus, & acceptationibus quæ reuerà sunt iuris ciuilis, & tamen omnibus populis communes existunt. Quidquid igitur ex communi omnium necessitate & vtilitate, dictante ratione naturali inductum est, pertinet ad ius gentium quod idcircò definiri potest, quod naturalis ratio inter omnes homines constituit ad seruandam inter ipsos communitatem, societatem & politiam, ideóque à plerisque seruatur: ius verò naturale est quod ratio naturalis constituit, nullo habito ordine ac respectu ad humanam societatem, sed ad ipsam dumtaxat naturam humanam in sese simpliciter spectatam atque hæc sententia videtur esse communis Thomistar. *in 1. 2. q. 95. art. 4. & 2. 2. q. 57. art. 3.* Illi enim ea quæ conueniunt humanæ naturæ secundum se consideratæ, volunt esse iuris naturalis simpliciter. Quæ verò eidem humanæ naturæ conueniunt consideratæ cum aliquibus circunstantiis, vt in societate, constitutæ dicunt esse iuris gentium.

9 Hæc tamen iuris naturalis & gentiũ distinctio, licet subtilis videatur, non placet primò quia ius gentium & ciuile non differrent, quia vtrumque dictauit ratio naturalis ad necessitatem & vtilitatem, societatem hominum & politiam instituendam, vel seruandam neque differrent, nisi quod vnum sit vniuersalius & respiciat omnium gentium societatem inter alterum verò solam ciuium societatem, deinde quia prior illa gentium cum quibusdam aliis societas, cùm ex mero arbitrio pendeat, regitur potius iure ciuili, quod sibi singulæ gentes seruandum præscribunt, aut ex iure merè naturali, quod æquitatem inter homines seruari iubet, quamque ipsamet natura rationalis, quæ eiusmodi societatem amat, exigit: Denique singulæ ferè gentes hac in parte suas Leges sibi proprias hac in re habent: quare inde non ostenditur dari quoddam ius gentium, medium, inter naturale & ciuile.

Quin immò, ex eo quod naturâ sociales & com- 10
municabiles sumus, & societas sine iustitia esse non potest, ius quoque natura esse colligunt Alexand. Aphrodisæus *lib. 2. de anima cap. 42.* illud autem natura esse, quia apud omnes est, neque lege sancitur, sed retinetur tanquam statutum confirmatum ab ipsa natura, ideóque ex principiis naturalibus.

Sequitur iustitiam in contractibus, bellis, agrorum diuisione seruandam esse, quæ tamen passim ad ius gentium referunt, nisi ius gentium cum naturali confundamus, quod faciunt aliquādo DD. & hæc nomina sine magno discrimine sumunt, & ius naturale per ius gentium, aut vice versa explicant, idemque volunt esse ἐθνικὸν & φυσικὸν. Quare veteres glossæ Basilicorum *ἐν συγγραφαῖς νομίμοις ἐθνικοῖς ἤτοι φυσικοῖς* & Aristot. *lib. 1. Rhetoric. cap. 13. & 15.* distinguit ius in ἴδιον, & κοινόν, hoc postremum esse κατὰ φύσιν, deinde sic explicat, *ἔστι γάρ ὃ μαντεύονταί τι πάντες, φύσει κοινὸν δίκαιον καὶ ἄδικον κἂν μηδεμία κοινωνία πρὸς ἀλλήλους ᾖ μηδὲ συνθήκη*, Est enim aliquid quod opinantur vniuersi, naturæ commune ius & iniuria, tametsi nullam habeant inuicem communionem, nulláque inter eos pactio intercedat πάντες, vniuersi Anonymus Græcus interpretatur *οἱ Κελτοὶ Ἕλληνες Σκύθαι.* Vbi autem iniuria est debet esse aliqua cum aliis communio, vnde si iniuria sit iuris naturalis, ius quod per illam violatur, est quoque naturale, & tamen ex mente Fabri pertineret ad ius gentium, quod respicit naturam humanam vt sociabilem, & ad societatem sine cuiusquam iniuria, & ex æquitate conseruandam: Adde ius gentium ex ipsis aduersariis omnibus gentibus & populis commune esse, hoc autem esse non potest, nisi naturali ratione iudicatur omnibus est conueniens, ergo ad ius naturale pertinet. Deinde quod dicitur de gentium moribus, vel de omnibus accipiendum esse, vel de aliquibus dumtaxat, non primùm cum sint aliquæ gentes ac Barbaræ, quæ ferino ritu viuant, atque vt ait Arist.

lib. 7. de morib. ad Nicomachum cap. 6. ἔνια γένη τῶν πόῤῥω βαρβάρων ἐκ φύσεως ἀλογιστὰ καὶ μόνον τῇ αἰσθήσει ζῶντες θηριώδεις εἰσί, nationes dissitorum Barbarorum qui ex natura rationis vsu, & sensu carentes & viuentes, erant Ferarum instar, atque vt Andronicus Rhodius *in paraphrasi cap. 9.* θηριώδη ἀφροσύνην ἄφρονες ἦσαν Ferina laborabant amentia; & de pluribus Antropophagis habet idem Arist. *lib. 8. politic. cap. 4.* de aliis peruersis etiam aliorum moribus, vide Euseb. *lib. 1. de præparat. Euangel. cap. 4. & lib. 4. cap. 15. 16. & 17.* Franciscpic. *in examine doctrinæ veritatis gentium lib. 1. c. 19.* Cardin. Bessarian. *in calumniat.* Platon. *lib. 4. cap. 3.* Ab his verò non potest sumi ius, neque quid sit licitum vel illicitum æstimari, vnde Michaël Psell. *in synopsi legum*, negat ius gentium esse Barbar. νόμιμον ἐθνικὸν ἔχειν ἀλλὰ τὸ βαρβαρικὸν gentis enim nomen complectitur nationes quæ legibus subsunt.

> Τὸ γὰρ τῶ ἔθνους ὄνομα νομικῶς εἰρημένον
> Γένος συμπεπλεγμένον ἐπὶ νόμοις ὑποκειμένων.

Aliæ verò nationes quæ politiores habitæ sunt, non eam rationem habuere in condendo suo iure, aut in moribus honesti & turpis, liciti & illiciti, quàm vtilis, & plura contraria inuicem sectatæ sunt, circa ea in quibus ius naturale siue commune versari solet, indéque maximè Carneades vllum ius naturale esse negabat, quod solius vtilitatis rationem in sanciendo iure habuissent, vti alias ex Lactantio *lib. 5. cap. 17.* referebamus, & alij quidam eam tantum iustitiam afferebant, quæ potentioribus prodesset, vti videbis apud Chalcidium *ad Platonis timæum*, indéque videas quam merito reijciamus Fabri sententiam de natura iuris gentium, illud esse quod ratio naturalis ad humanæ societatis vtilitatem induxit, cum neque ius ex vtilitate, sed ex honestate metiendum sit, neque eædem censeantur vbique virtutes, & quod vni vtile videtur, perniciosum alteri sit, deinde mores isti diuersi & inconstantes sunt, quod rationi naturali iuris commune constituenti non conuenit, sed de consuetudine & iure per illam inducto dicemus alibi, adi Arist. *lib. 1. Rhetoric. cap. 11.* & alios relatos à Seldens. de iure naturali *lib. 1. cap. 6.*

Denique cum ad constituendum ius opus sit authoritate & imperio quod afferat obligationem, vnde gens vna habet illam authoritatem sibi non subditam, vt eam obliget ad seruandos mores, quos illa vsurpat licet honesti sint, sine ea porrò obligatione nullum esse ius sæpius monuimus, vides itaque distinctionem iuris naturalis & iuris gentium non commodè inde desumi, quod in priori ratio naturalis ordinetur ad naturam humanam in sese spectatam, in posteriori vt sociabilem, eiusque humanæ societatis solam vtilitatem attendat.

11 Itaque distingunt alij hæc iura, quod naturale contineat quasdam communes & vniuersales notitias atque anticipatas, quæ & constantes & immutabiles sunt, atque à nemine qui ratione vtatur negari possunt, indeque sequuntur æquè certa quædam principia practica, & æquè facilia, cognitu. Ideóque Arist. *lib. 5. Ethicor. cap. 10.* definit ius naturale, quod vbique vim obtinet non quia ita videtur vel non videtur πανταχοῦ τὴν αὐτὴν ἔχει δύναμιν καὶ οὐ τῷ δοκεῖν, ἢ μὴ quod explicat Andronic. Rhodi. in paraphrasi παρ' ἀνθρώποις τοῖς τε ὀρθῶς καὶ ὑγιῶς ἔχουσι οὐδὲ τοῖς νοσοῦσι τὰς φρένας καὶ διεστραμμένοις apud homines qui rectè vt oportet sapiunt, non apud eos quibus laborat mens aut peruersa est, similia habet ibid. Michaël Ephesius. Ius verò gentium erit, quod sibi gentes ex vniuersalibus illis principiis & notionibus anticipatis, siue ex iure naturali vniuersali seruandum sibi esse, vno veluti consensu constituerunt, aut quod suis moribus in vsum, & legem induxerunt.

Hæc iurium de quibus agimus, distinctio coincidit 12
in superiorem easdemque patitur difficultates: cum enim vt disserit Albertus Bolognetus *tractatu de lege iure & æquitate cap. 18. §. 6.* ea quæ nobis prouida natura ad vitam iustè piè & honestè instituendam suggerit, bipartito diuidantur, quædam enim neque natura prohibentur, neque imperantur, sed libero permittuntur hominum arbitrio, qui quæ pro variis & locis & temporibus conuenientiora iudicauerint, seligent, quædam verò ita vel imperantur vel prohibentur à natura, vt illa immutandi nulla relinquatur facultas: in prioribus illis vna maximè spectatur vtilitas, in aliis verò sola honestas & iustitia, & hæc præcipuo iure tribuuntur naturæ, quæ variis exemplis illustrat, atqui circa illa prima vniuersalissimaque principia turpis & honesti, liciti & illiciti, tam variæ discrepantesque fuerunt, etiam eorum qui maximè sapientes habebantur, sententiæ, vti ex variis Philosophorum Sectis apud Aug. *lib. 19. de ciuit. c. 1.* Clem. *lib. 6. Strom. Epiph. in compendio de fide*, & Laërt. colliges & vt ait Boeti. *de consolat. lib. 1. pros. 3.* Philos. vestem Phisoph. disciderunt, abreptisque ab ea panniculis totam sibi cessisse credentes abiere, itavt aliqua plurima ex iure naturali probata & permissa, quæ turpia tamen sunt, audeant afferre, vt merito queratur Socrates apud Platonem in phædro argenti & ferri nomine, idem ab omnibus intelligi; iusti & boni nomine omnes dissentire τί, δ' ὅταν δικαίου ἢ ἀγαθοῦ, οὐκ ἄλλος ἄλλῃ φέρεται καὶ ἀμφισβητοῦμεν ἀλλήλοις τε καὶ ἡμῖν αὐτοῖς, qui verò boni aut iusti nomen vsurpauerit, nomine alius alio fertur, & tum inter se ipsi, & à nobis ipsis dissentimus: inclamant quidem passim omnes ὁ νόμος ἐστὶν λόγος ὁ ὀρθὸς lex est recta ratio, sed quænam sit illa recta ratio passim dissident, sicut dari mensuram pedis, vlnæ, cubiti consentiunt, sed quænam sit illarum mensurarum definita quantitas disputant, & tamen iuris naturalis vniuersalissima principia siue permissiua, siue obligatiua sint constantissima, & vniuersis per sese nota esse debeant.

Ignoratis verò principiis iuris naturalis vniuersalissimis, quomodo ex illis, ius commune gentibus omnibus vel plerisque licebit colligere, aut constituere. Et qua authoritate cum inter se pares & æquales sint, vti iam monuimus: Maximè cum admodum difficile sit notiones omnibus communes, & anticipationes vniuersales singularibus adaptare, inde enim merito malorum omnium fontes arcessebat, apud Arian. Epictetus *lib. 3. cap. 26.* τοῦτο γὰρ ἐστι τὸ αἴτιον τοῖς ἀνθρώποις πάντων τῶν κακῶν τὸ τὰς προλήψεις τὰς κοινὰς μὴ δύνασθαι ἐφαρμόζειν ταῖς ἐπὶ μέρους, quomodo verò id præstabunt vbi illæ anticipationes tam obscuræ erunt, vt circa illas exoriantur perpetuæ dissensiones. Quare in hac ex principiis naturalibus vniuersalibus collectione, communi gentium consensu facta ius gentium constituere non licet nisi aliter explicetur.

Quare Ioan. Partisius *opusc. de iure naturali, &c. c. 2.* 13
ius gentium aliquando confundi cum iure naturali fatetur, quia vtrumque naturalis ratio dictat, variis modis tamen inter se distingui, Primò quia quandoque ratio aliqoid constituit contra ius naturale, omninò ex antica linea; reperit siquidem casum in quo potest omninò recedere, & veluti excipere à iure naturali, vt in seruitutibus, cum quoad ius naturale attinet, omnes æquales sint *l. 32. d. de diuers. regul. iur.* & libertas naturali iure contineatur *l. 64. d. de condict. indebiti*, Secundò non planè recedit à iure naturali, sed illud modificat & determinat, vt in matrimonio, quod

quod ratio dirigit non impetus naturæ, vt belluinam comminatione tertiò, ius naturale vnum est, at verò ius gentium multiplex est, quia ratio aliud lumine naturali, aliud ratiocinando; aliud generaliter aliud quibusdam positis dictat, ex qua varietate sequitur iuris gentium multiplicitas. Ita tamen vt ius gentium quod ratio solo lumine naturali dictat, & vniuersaliter omnique casu, dicatur potiori ratione ius naturale, quam aliud gentium, quod ratio tantum quibusdam casibus & ob rerum necessitatem dictaret, ad quos ius refert iniuriæ propulsationem *l. 3. D. de Iust. & iur.* ex August. *lib. 83. qq. q. 31.* deinde manumissiones & seruitutes. Hoc porrò ius non est ab initio, & primo inuentum lumine naturali, sed vsu exigente & necessitatibus humanis constitutum. Sicut nouis exortis in ciuitate necessitatibus noua gentiũ hominumq; iura instituuntur, has necessitates ex quibus orta sunt hæc iura vniuersalia, ibidem fusius enumerat Artesi. Et demum respondet quod ratio dictat omnibus hominibus id iuris gentium esse, licet aliqui eo non vtantur, occurrit deinde obiectioni videri ius naturæ immutari per ius gentium, respondetque naturalia dirigi per rationem. Deinde ius gentium non immutare ius naturæ in totum, sed ex parte velut excipiendo, eóque trahit Arist. *lib. 5. de morib. cap.* 10. pergit deinde Artesius, aitque *q.* 2. ius gentium partim esse constitutum partim non constitutum. Nam in his quæ vsu exigente ratio constituit, est ius constitutum, ideoque apud Boëtium *lib.* 1. *de definitione* ius naturale definitur, æquitas naturalis; ius verò gentium & ciuile, æquitas constituta; in his verò quæ ratio naturalis solo lumine naturali, intellectus dictat, non est necesse constitui ius istud.

14 In hac tota explicatione Artesij non apparet distinctio, quam intendit inter naturale ius & gentium, cum vtrumque dicter ratio naturalis, pro vario rerum vsu & exigentia, quod autem ait ius naturale dictari à ratione a solo lumine naturali intellectu, ius gentium à ratiocinatione pro exigentia, non affert distinctionem; nam lumen naturale non dictat quidpiam nisi per ratiocinationem, quæ sine dubio rei de qua agitur circunstantias expendere debet, & pro earum momento iudicare. Dicere voluit fortassis Artesius ius naturale suppeditare principia vniuersalissima, quæ statim sine operoso discursu innotescunt, ius verò gentium plurima ratiocinatione illa vniuersalissima principia pro casuum variorum exigentia, deinde applicare, sed neque inde iurium distinctio sequitur, neque aliud affertur quam diuersus modus iudicandi de rebus lumine naturali, déque ipsarum æquitate vt patet, ad hanc verò iuris naturalis & gentium distinctionem, refertur omninò doctrina Soto *lib.* 1. *de Iustit. q. 5. art.* 4. Nam vult Ius naturale esse dumtaxat principiorum moralium, quæ per se sine vlla ratiocinatione nota sunt, ius autem gentium illud quod ex illis principiis tanquam conclusio colligitur, quod confutat Vasq. 1. 2. *disp.* 157. *cap.* 2. quia hinc sequeretur ipsa Decalogi præcepta fore iuris gentium non naturalis; non sunt enim prima principia moralia, sed conclusiones deductæ, immo & præceptum de colendo Deo erit iuris gentium: Non enim fertur nisi suppositio, quod Deus sit, quæ non est propositio per se nota, qua de rè diximus 1. *par.* & tamen religio conueniat homini in quocumque statu, & iuris naturalis esse nemo negabit. Suar. *lib.* 2. *de legib. cap.* 17. *n.* 8. iterùm Sot. impugnat, quia tum prima principia moralia, tum conclusiones ex illis necessariò deductæ iure naturali comprehenduntur, vti docuerat *cap.* 7. Nam totum Ius naturale scriptum est in cordibus hominum, vt Paul. indicat *ad Rom.* 2. Quæ verò ex illo necessariò deducuntur, æquè in cordis tabulis exarata sunt; vnde etiam fit non pertinere ad ius gentium: eius enim præcepta per hominum arbitrium, siue per consensum inducta sunt, vel in totam hominum communitatem vel in maiorem eius partem, neque proinde ab Authore naturæ menti humanæ insculpta, ad vulgarem autem illam considerationem naturæ humanæ, vel in se spectatæ conclusiones, quæ sequuntur necessariò ex principiis naturæ in se spectatæ pertinere ad ius naturæ, quæ verò sequuntur ex principiis naturæ, supposita eius societate, & variis illius circunstantiis pertinere ad ius gentium vrget Suar. *citato cap. n.* 9. Nam plurima quæ passim omnes fatentur esse de iure naturæ, non habent tamen locum nisi facta aliqua suppositione, & non natura tantum in se nudè spectata, nam præceptum non furandi, obediendi, seruandi contractus, supponunt diuisionem dominiorum, seruitutes, commercia & contractus humanos. Ratio à priori est quia lex quæ ex intrinseca sua natura non variatur ex mutatione status & suppositionis, sed variat tantùm materiam & modum.

Vide Vasq. 1. 2. *disp.* 175. *cap.* 3. Supposita vul- 15
gari illa duplici naturæ humanæ consideratione, vel in se absolutè & simpliciter absque vlla ciuili societate, vel cum illa obseruat cum Couarru. *lib. 1. comment. iuris cap.* 6. duplex esse ius, vnum iustitiæ, & alterum vtilitatis, primum illud ita quidpiam iubet, vt oppositum, iniustum & iniquum sit, quare ius istud est regula iusti & iniusti, recti & non recti, liciti & illiciti, virtutis & vitij; est denique ipsamet natura rationalis, prout est regula virtutis & peccati, & est æternæ veritatis, nullaque ratione mutari potest. Ius verò vtilitatis concedit quidem facultatem vtendi aliqua re tanquam vtili, aut etiam tanquam honestâ, ita tamen vt illa non vti, vel vti contraria, non sit inhonestum, quare non est regula iusti & iniusti virtutis aut vitij, neque quidpiam ita iubet vt oppositum sit peccatum, sed solum illud exequendi liberam facit facultatem, vt ius ducendi vxorem, diuidendi agros, & possessiones. Hanc iuris duplicis distinctionem tribuit Vasq. Couarruu. *in Regulam peccatum 2. par. §. 11. n.* 5. dumtaxat aliud esse ius positiuum quod positiuè quidpiam præcipit, aut prohibet, aliud negatiuum, quod nec prohibet, nec præcipit, sed permittit in eo tamen dissentit Vasq. à Couarruu. quod hîc velit vtrumque illud ius tum positiuũm, tum negatiuũm esse naturale, Vasq. verò id dumtaxat tribuit iuri iustitiæ: ius autem vtilitatis conueniens naturæ, in ciuili communitate consideratæ dicit esse ius gentium, éstque dumtaxat permissio, & licentia eius quod conuenit naturæ non solitariè sed secundum statum ciuitatis vt agrorum diuisio, bella, vltio iniuriarum, aliáque sine quibus ciuitates stare vix possent: non negat tamen Vasq. esse aliquod etiam ius naturale per modum permissionis, quod conueniat naturæ per se consideratæ, quod & primarium dicit v.g. ducendi vxorem: quia tamen non est inductum, tanquam necessarium hominibus in communitate degentibus, non appellatur nisi naturale, quia gentes non sunt denominatæ nisi à communi societate & ciuitate; ideò ius quod illis, vt sic, conuenit eaque de causa inductum fuit, ius gentium appellatur vt ab alio illo primario, quod naturale dicimus, eo quod soli naturæ in se absolutè consideratæ, conueniat, distinguatur, aliudque prætereà discrimen assignat inter ista duo iura quod ius gentium nunquam sit regula peccati, & virtutis, nihilque vnquam præcipiat vt necessarium, neque prohibeat vt malum, sed permittat dumtaxat tanquam vtile aut etiam honestum: ius autem naturale vtrumque faciat, aliquando imperet nimirùm & permittat, quod variis exem-

plis

plis ostendit, in quibus in hæc duo iura ita coniunguntur, vt vnum nascatur ex alio posito, v. g. non licet inimicum durantibus induciis lædere, quod pertinet ad ius naturale primarium; illius enim est præceptum, *Non occides*, quod in omni statu & tempore, siue ante siue post inuenta bella obligat, vetatque homicidium priuata authoritate, & sine rationabili causa factum, inducias autem concedere, neque prohibitum neque iussum est iure naturali, sed est iure gentium vtiliter inuentum. Idem dicendum est de Legatorum immunitate, connubiis non contrahendis cum externis, atque ita de aliis, eoque trahit S. Thom. 1. 2. *q.* 95. *art.* 4. & 2. 2. *q.* 57. *art.* 3.

16 Hanc Vasquis sententiam cui plurimi adhæserunt, ius gentium esse tantùm permissiuum, & nunquam præceptiuum pluribus coofutat Suar. *lib.* 2. *de legib. cap.* 18. *toto*. Nam primo ius illud dumtaxat concessum non erit, neque vera lex quæ est regula honestatis, neque proinde verum ius, de quo vt sæpius monuimus disputamus toto isto tractatu. Deinde cum plura concedantur tanquam licita à iure naturali, quæ non iubentur aut prohibentur, vti fatetur ipsemet Vasq. cur non distinguemus ius naturale io permissiuum & præceptiuum vti faciebat Couarruu. Nam ratio naturalis non solum dictat, quid sit necessarium, sed etiam quid liceat, cur igitur illa facultas non tribuetur iori naturali, & ad illam inuenietur ius distinctum quod gentium dicunt, cum enim illa licentia, & facultas sit honesta, vel talis est ex iure naturali, vel aliqua aut constitutione aut saltem consensione hominum. Si primum est ius naturale, si secundum non erit nisi ius ciuile & non aliquod medium inter naturale & ciuile.

Quia verò perpetuò recurrunt ad suam illam solemnem distinctionem de natura humana per sese considerata; aut in societate existente illa facilè vt inutilis ad constituenda diuersa iura reijcitur, sed solum ad constituendam materiam talis iuris, cuius regula prior erat & naturalis. Nam etiam ius præceptiuum naturale, nullum enim tale esse gentium fatentur aduersarij, supponit aliquando talem soppositionem societatis humanæ, vti fatebatur Vasq. & quare non erit, etiam aliquod ius naturale concessiuum vti volebat Couarruu.

Denique nullum est ius coocessiuûm, quod non sit necessariò coniunctum cum præcipiente. Ergo nullum est ius gentium merè concessiuum, aut idem ius quod erit simul concessiuum, & præcipiens, erit quoque simul ius gentium & naturale, quod sapienter ostendit Suar. in illis exemplis quæ tanquam iuris gentium afferunt aduersarij. Estque ratio manifesta, Nam nihil alicui iure concedi & permitti potest, quin eadem concessione prohibeatur, aliis impedire vsum rei concessæ, & si aliter faciant peccant contra illum quem impediant, & contra authoritatem eius qui concessit, cuiusque authoritatem violant, v. g. ius gentium quod permittit sedium occupationem, prohibet, ne quis illam occupationem impediat, neque potest quis impediri ne in suo solo ædificet, aut domum suam muniat, si habet ios aliunde ædificandi, aut muniendi. Idem dices de bello, siue aggressiuo; sine defensiuo, si enim licitum est vni, est simul alteri prohibitum: idem denique in captiuitatibus, seruitutibus, post liminio, pacis fœderibus, quæ sunt vulgaria exempla iuris gentium, reperire est nam io illis omnibus idem est ius concessiuum respectu vnius & præceptiuum respectu alterius, quod vtrumque in istis casibus est de iure naturali. Cum enim libera sedium occupatio, ædificatio, munitióque cum primum concessa est, fuerit de iure naturali, prohibitio ne quis impediretur fuit quoque de iore naturali, atque ita in aliis. Esto harum facultatum vsus, non fuerit obseruatus nisi inducta communitate hominum, non potuit etiam ante societatem induci, si singuli homines cum suis familiis seorsim habitare & sedes occupare voluissent, vti & initio fecisse videntur, quod verò sensim in ciuitates coaluerint, id etiam maxime naturale fuit & ante ius gentium natum.

VI. Suar. *lib.* 2. *de legib. cap.* 19. Ius naturale & ius 17
gentium conuenire dicit primò, quia vtrumque commune est omnibus hominibus atque gentibus, aliquo saltem modo, secundò, vtriusque iuris materia ad solos homines spectat; indeque fit vt eadem res modo iuri naturali, modo iuri gentiom tribuatur tertiò. Denique quia vtrumque ius & præceptiuûm & permissiuum est, siue continet vera præcepta & permissiones. Differunt verò quia præcepta iuris naturalis afferunt necessitatem ex sola rei natura per euidentem illationem ex principiis naturalibus, siue de præceptis affirmatiuis, siue de negatiuis loquamur. Hoc siquidem ius præcepit aliquid quia per se, & ex natura sua necessarium est, & prohibet quia per se malum est, non facit suo præcepto oecessarium, aut sua prohibitione malum, sed quia per se necessarium est præcipit, & quia malum est probibet: com contrarium reperiatur in iure gentium. quod præcipit, quæ non sunt per se, & vt ita dicam essentialiter necessaria, siue ex sola rei natura per euideotem illationem ex principiis naturalibus, sed suo præcepto facit & inducit eam necessitatem, quæ sublato illo præcepto nulla foret, & reuera illud præceptum posset non poni. Idem ius præcisè sumptum nihil prohibet, quod per se malum est, sed prohibendo facit esse malum, quare non est solùm offensiuum malitiæ, sed illius constitutiuum, ex quibus sequitur hoc ius non esse neque immutabile, neque æquè commune, quidquid dicatur atque ius naturale: Cum enim immutabilitas iuris oriatur ex necessitate, & iuris naturalis oecessitas sit omnimoda, atque quodammodo essentialis, eadem erit eius immutabilitas. Necessitas verò iuris gentium, vt iam dixi, omnimoda non est, cum ex natura rei non sit, sed oriatur vi iuris dumtaxat & præcepti, quod poterat non poni, cùm non sequatur necessariò per euidentem illationem, ex principiis naturalibus. Vnde quoque efficitur vt non sit tam vniuersale, & commune omnibus hominibus; atque ius naturale, quod vbique, & ab omnibus seruandum est, licet alicubi ex errore & quadam feritate naturæ non seruetur. Ius autem gentium potest non seruari ab aliqua gente. Ex quibus tandem efficitur ius gentium, esse ius humanum positiuum & constitutum ab hominibus. Vti etiam monuimus initio. Neque enim humanum dicimus, eo quod habeat pro materia res humanas; de quibus constituit, aut pro subiecto homines quos regit, sed quia ponitur & constituitur ab hominibus, licet deriuetur à iure naturali, quod de iure gentium & ciuili dicit S. Thom. 1. 2. *q.* 95. *art.* 4. vbi etiam legem humanam deriuari à Lege naturæ, indéque diuidi ius positiuum in ius gentium & ciuile, pro vario modo deriuationis à lege naturæ. Vnde vides S. Thomam fateri ius gentium esse positiuum æquè ac ius ciuile, est vtrumque humanum, non naturale, quamvis à naturali deriuatum, duplicem modum deriuationis constituit *ibid. art.* 2. nempè conclusionis, & determinationis, siue vt ipse ait sicut conclusiones ex principiis, vel sicut determinationes aliquorum communium, primum modum comparat conclusionibus ex principiis scientificis deductis. Modum autem determinationis iis quæ formam communem determinant ad materiam specialem vt formam domus ad hanc vel

illam

illam figuram; ex lege igitur naturæ quædam deriuantur per modum conclusionum, quia ex principiis communibus illius Legis colliguntur, sic, non est occidendum, deducitur ex communi principio nulli faciendũ est malum, per modum autẽ determinationis, Lex statuit certam pœnã certis criminibus, Lex enim naturę vult quidem plecti peccantẽ, non determinando quali & quanta pœna puniendus ille sit, quod constituit lex positiua, quæ proinde legem naturæ determinat, hoc tameo discrimen inter illos duos modos deriuationis à lege naturæ constituit S.D. *art. 2. citato.* Quod quæ deducuntur per modum conclusionis, ita continentur in Lege humana, vt non sint tantum posita à Lege & habeant etiam aliquid vigoris ex Lege naturali, quæ vero per modum determinationis sequuntur, ea sola humana Lege suum vigorem habent, quia nempè quæ sunt tantùm conclusiones iuris naturalis, & vim ab illo habent, sunt potius declaratiua iuris quam noui constitutiua: Lex verò quæ fertur per modum determinationis, iuris, aut Legis naturalis, constituit omninò nouum ius, & non tantum antiquum, aut aliunde præexistens declarat; quare simpliciter dicitur Lex positiua & ius positiuum. Inde tamen videtur nasci difficultas contra differentiam iuris naturalis & iuris gentium à nobis assignatam: cum ius gentium dicimus humanum & positiuum quod fatetur & agnoscit S.Thom. dum ius positiuũm diuidit in ius gentium, & ciuile vtrumque à Lege naturali *art. 4. cit.* ait tamen ius gentium deriuari per modum conclusionis, & proinde habere suam vim à iure naturali, à quo ius ciuile deriuatur per modum determinationis, & proinde totam suam vim accipit à Lege positiua non à naturali Resp. Suar. *cap. 19. cit. n. 3.* ius gentium constituit per modum conclusionis ex Lege naturali & non determinationis, quia vt istius iuris Lex naturalis non accipit plenam & integram determinationem, sed in communi per modum illationis, neque simpliciter necessariam, ita tamen humanæ naturæ conuenientem, vt veluti instigante natura inferatur, ius verò ciuile determinat in singulari secundum varios casus Legem naturalem. Vnde Bellarm. *lib. 1. de Clericis* ait ius gentium esse quodammodo naturale & quodammodo positiuum, atque adeò medium inter ius naturale & ciuile, ius enim naturale si purum est, nullomodo pendet ab humana constitutione, ius ciuile è contrario pendet ex sola humana constitutione, & ideò simpliciter & absolutè positiuum dici potest, ius gentium medium est & partim naturale, cum sit conclusio euidens iuris naturalis, & non pendeat ab alicuius principis, vel Magistratus authoritate, pendet tamen ab humana aliqua constitutione, moribus videlicet & consensu populorum, qui tamen mores alij esse poterant, & alius vsus Soto *lib. 3. de Iust. q. 1. art. 3.* Ius gentium positiuum dicit, & à naturali idcireò distinguit. Vide Couarru. *in regulam peccatum 4. p. §. 11. n. 4.* Hanc eandem distinctionem iuris naturalis gentium, & ciuilis pluribus exemplis illustrat Suar. *cap. 19. citato*, obseruat verò *n. 8.* Ius gentium duobus modis appellari primò, pro iure quod omnes populi & variæ gentes inuicem seruant inter sese secundò, pro iure quod singulæ ciuitates & gentes intra se seruant, cum singulæ politiæ similia quam plurima io sua gubernatione obseruant. Primum ius est propriissimè ius gentium, secundum verò non nisi per similitudinem & conuenientiam quandam quam variæ gentes inter se habent, cum vna ius, gubernationem & politiam alterius imitatur: ex illa enim plurium politiarum & iurium conuenientia quodammodo conflatur, vnum ius vniuersale vnitate similitudinis, quod dicitur ius gentium, sed minus propriè, cum seipsa sint plura iura ciuilia inter se similia, quæ singula habent sua præcepta, suosque ritus, & mores ac gubernationis modos qui apti sunt suæ propriæ politiæ, quam vnam tantum intendunt, quia tamen vel iidem vel similes ab aliis vsurpantur, & aliquam inter se conuenientiam vel genericam, vel specificam habent, conflant vnum quodammodo ius gentium, quod in Religione & diuino cultu illustrat Suar. *n. 10.* quia tamen hi omnes mores, ritus, & Leges non referuntur directè ad vniuersos homines, neque habent pro fine proximo conuenientem societatem & communicationem hominum & nationum inter se, non faciunt propriè dictum ius gentium, de quo disputamus hoc loco, quodquè omninò admittendum esse communis sapientum consensus, Ipsaque ratio persuadet: Cum enim omnes populi & nationes quamvis inter se diuisæ & dissidentes, habeant aliquam inter se societatem veluti politiam & moralem, quam nominamus humanum genus vel hominum vniuersitatem, in varios populos, sicut corpus in varia membra distinctum, quod apparet ea naturali io homines omnes etiam extraneos pietate & misericordia, & ea mutuis quoque auxiliis, quibus indigent omnes gentes, vt aliquarum inopia cæterarum copiis iuuetur; vnde quadam necessitate vrgente commercia sunt inducta, Coloniæ, & inter diuersos populos fœdera, auxilia mutuæque defensiones, quamvis enim singulæ sua sibi omnia distincta & secreta ab aliis habere videantur, non sunt tamen ita sibi sufficientes, vt nulla aliarum societatis communicatione auxiliis, & tuitione ac commerciis indigeant, siue ad melius esse, siue etiam ad sui conseruationem, atque adeò sint veluti immensi cuiusdam corporis, quod humanum genus dicimus, vasta quædam membra, indigent omninò communi quodam iure quo dirigantur, & ordinentur inter se in ea societate & communicatione vniuersali, quod duplex est, vnum merè naturale quod dictat quid in ea communicatione seruandum esse velit, ratio naturalis quod cum vniuersalius & generalius sit neque satis ad particularia dilabatur, non est sufficiens & satis immediatum ad omnia, opus fuit aliquo alio iure magis speciali & immediato, quo gentes omnes inter se regantur. Illudque ius gentium proprio nomine vocamus, quodque sensim moribus inductum est, non scripto, aut peculiari Lege, aut alicuius qui vniuerso humano iuri imperet, authoritate, qua ratione constituitur ius ciuile.

Hanc iuris naturalis, & gentium distinctionem, 18 sic Paulo fusius explicatam nos maximè probamus, & quia ius est effectus Legis, ex iis quæ hoc loco & *cap. 3. lib. sup.* de Lege & iure naturali diximus, facilè vtrumque hoc ius explicamus. Soluimusque geminam difficultatem sæpius obiectam, nimirùm cum ius naturale æstimetur ratione naturali, quæ bona & mala ostendit licita & illicita, quomodo ratio illa sit lex & quidpiam præscribat, cùm imperium supponat superiorem imperantem, & sua prohibitione faciat, rem prohibitam esse malam & imperatã bonam: vnde quidam cum Carneade negarunt vllum esse ius naturale, hanc intricatissimam difficultatem fusissimè explicuimus *cap. 2. q. 3. cap. 3. 4. & 5.* ac deinceps, diximus *q. 3. cit.* & alibi Legem naturalem, ex qua sequitur ius naturale esse transcriptionem Legis æternæ, siue potius illius promulgationem, quod eo loco demonstrauimus, ideóque habere veram & propriam rationem Legis, eamque fuisse veterum scriptorum sacrorum, profanorumve sensum monuimus, & iterùm hoc loco confirmamus. Volunt enim omnes Deum vt naturæ Authorem rectorémve hæc omnia mentibus humanis inseruisse, dictasse, imperasse, quod

quomodo

quomodo factum fuerit, quotidiéque fiat citatis locis explicuimus. Nunc verò sapientum testimoniis tradimus. Atque vt omittam Ciceron. *lib. 2. de legib. & lib. 3. de Repub.* apud Lactant. *lib. 6. cap.* 8. & alios apud *Clement. Stromat. sub fin.* Hesiod. *lib.* 1. ait Iouem hominibus Legem constituisse τ͂ ϒ͂ ἀνθρώποισι νόμον διέταξε Κρονίων, quare viuere secundum Deum, secundum naturam, secundum rationem, tanquam synonima vsurpant Cicero, Seneca, Plutarch. & alij. Hierocles in commentario ad Carmina Pythagoræ λογικὰ δὲ ὀρθῷ παιδιᾶς καὶ θεῷ ἕπεσθαι ἐστί: rationem reddit, quia natura rationis particeps illuminationem sibi sortita ea amplectitur, quæ præfinit lex diuina, nec discrepat à Dei sententia, animus qui secundum se habet, sed diuinitati atque fulgori à quo illuminatur, intentus ea facit quæ facit; quare vult Deum imperando rationi esse velut mensuram ἁπάντων μονος τῶν καλῶν στάθμης. Quare & iura naturalia τοὺς θείους νόμους dicunt, ideóque Leges illas suscipiens ratio sibi ipsi Iudex vigilantissimus efficitur ὁ ὑποδεξάμενος αὐτὰς λογισμὸς, δικαστὴς, ἄγρυπνος ἑαυτῷ γίνεται. Homer. *Iliad. à & 1.* & Odyss. θέμιστας, & iura quibus humanum genus regitur, Ioui tribuit, & sceptrum Minois Plato in Minoë ait esse disciplinam & Doctrinam Iouis παιδείαν τοῦ Διὸς, Demosth *orat. 1. aduers. Aristogionem* ius naturale nominat εὕρημα καὶ δῶρον θεοῦ. Platonis apud Proclum *lib. 5. Theolog. Plato cap. 9.* Lex siue ius est mentis (hoc est Dei) distributio τοῦ νοῦ ὁ νόμος διανομή. Inde verò iuris naturalis immutabilitatem repetit Arist. *lib. 5. ad Nichom. cap.* 10. quod quamquam placita eius apud deprauatas gentes alia, atque alia videri possint, non ita se habeat apud Deos, sed esse aliquid αὐτοδίκαιον per se iustum, & ex Deorum præscripto semper manens. Hæc igitur primordialis & matrix omnium Legum vt ait Tertullian. *cap. 2. aduers. Iudæos.* Ante Legem scriptam in tabulis lapideis Lex fuit. Idem omninò sensus est Patrum dum de Lege naturali disputant, eam à Deo sancitam dixit Origen. *lib. 5. contra, Celsum*, & ad illud Isaïæ *cap. 24. 5. Quia transgressi sunt Legem habet*, quid dixit etiam Hieronym. *lib. 8. in Isai.* vide eundem *Epist. 151. ad Algasian. q. 8.* Chrysostom. *orat. 12. ad populum.* Deum initio formando hominem ipsi naturalem Legem indidit ἐξ ἀρχῆς πλάττων ὁ θεὸς τ͂ ἄνθρωπον, νόμον αὐτῷ φυσικὸν ἐνετίθει. vbi etiam obseruat Deum in Decalogo capita iuris naturalis recensuisse dumtaxat nullo addito, quia notissima erant, at verò præcepto de Sabattho, rationem addidit, quia illud non erat ex prioribus illis simpliciter naturalibus. Hanc eandem Legem impressam mentibus atque infixam ait Ambros. *in Psalm.* 104. aitque sapientem non esse sub Lege, quia ipse sibi Lex est opus Legis in corde suo continens naturali sibi stylo, & quadam inscriptione formatum.

19 Volunt Rabini librum quemdam quo continerentur iuris naturalis capita traditum fuisse Adamo ab Angelo Raziele; alij tum ab ipsomet Deo rerum initio, tum in instauratione humani generis post diluuium à Deo ipso sensibili voce, sicut deinde genti Hebrææ in vertice Sinaitico sancita fuisse: Vnde vt præcepta Noachidarum nominant, fabulæ sunt quibus, non egemus. Sapienter enim Philo *lib. 5. Quod omnis probus liber.* dixit lex naturalis ὑπ' ἀθανάτου φύσεως ἐν ἀθανάτῳ διανοίᾳ τυπωθεῖσα, ab immortali natura in mente immortali impressa figurata: hanc verò naturam immortalem dicunt esse intellectum agentem, quem dicunt vel ipsummet numen, vel separatarum intelligentiarum postremam, quæ vi atque authoritate ab ipso numine deriuata mentem humanam in actu intelligendi illuminat. Qua de re plura ex Rabinis & Arabibus dabit Selden. *de iure naturali lib. 1. cap. 9.* Hæc eo adduxi omnia, vt constaret quam perpetuo persuasum fuerit omnibus, Legem naturalem authore numine latam ac proinde nihil illi defuisse ad veram rationem Legis, cum à suprema potestate lata fuerit.

Quod ipsum in iure gentium, si positiuum & humanum sit vti nos contendimus, non facilè reperiri objiciebatur, cum vna gens non habeat authoritatem in aliam, neque detur aliqua quæ cæteris imperet, & vniuersale ius omnibus constituat, quod tamen necesse foret ad veram rationem Legis & iuris. 20

Respondeo tamen hoc ius tam propinquum tamque conueniens esse naturæ, nationibus, & hominum societati, vt ipso vsu, & moribus sensim propagatum fuerit, quare neque opus fuit communi aliquo hominũ consensu ad illud constituendũ, neque communi Legislatore & Principe ad illud sanciendum, neque præcone ad illud promulgandum, neque tabulis quibus incideretur, sed vsu & traditione conualuisse. Eo planè modo quo in iure ciuili plurimæ Leges ipso vsu inualescunt, ipsaque consuetudine feruntur, quod facilius contingit in iure gentium cuius præcepta magis generalia sunt, in quibus consideratur vtilitas totius naturæ, & conformitas quædam ad principia vniuersalia naturæ, qua de causa dicebat etiam superius determinare ius naturæ per modum conclusionis, siue esse conclusiones ex illis principiis elicitas, quia nempè vi naturalis discursus statim apparet conuenientia, & vtilitas moralis talium præceptorum, quæ vtilitas & conuenientia homines induxit ad eiusmodi mores inducendos, ex quibus formata sunt illa generalia præcepta necessitate potius quam voluntate exigente.

QVÆSTIO II.

De materia iuris gentium.

Materia iuris gentium in vniuersum, n. 1.
Dominiorum distinctio, n. 2. & 3.
Furtum quo iure prohibitum, n. 4.
Publica crimina quo iure prohibita, n. 5.
Commercia cuius iuris sint, n. 6.

NOn est animus materiam de qua ius gentium quidpiam statuit, explicare hoc loco, digrederemur enim longius & occuparemus disputationes alibi commodius tractandas, aut etiam in nostris aliis operibus tractatas, denuò importunè aggereremus agendum enim esset de commerciis, de quibus volumen integrum dedimus, de bellis, de dominiis & eorum acquirendi modis, de munitionibus locorum, de seruitutibus, de legatorum immunitatibus, de nummi introductionibus, de fœderibus, de induciarum sanctitate, de captiuitate, de postliminio, & aliis eiusmodi, quæ passim iuri gentium Dei tribuont, quia communi vsu sensim ex naturali æquitate introducta sunt: ius enim illud sapienter omninò Chrysostomus εὕρημα ἐστὶ τοῦ χρόνου repertum temporis & vsus vocat. Vides itaque non esse nostri instituti de his omnibus singillatim disputare. Quare in vniuersum dumtaxat pronontio hæc omnia, quæ iuri naturali non repugnant, & vbique ferè vsurpantur tanquam commoda humanæ societati, & ex æquitate conuenientia, quamquam primæ ipsorum originis & institutionis nullos author aut certa nota designetur, eo quod perpetuò seruata esse omnium consensu & vsu perpetuo reperiantur, 1

reperiantur, iuris gentium materiam censeri & legitime obseruari.

Hinc igitur Dominiorum distinctio sine qua societas humana constare non poterat, absque maxima rerum omnium perturbatione & confusione. Quare magna omnium gentium etiam barbararum consensione illa rerum distinctio inducta est, per quam aliquid fit vnius quod non est alterius.

2 Ex eaque simili ratione fit vt quod antea nullius fuit, acquiratur iure gentium primo occupanti, *l.* 1. *& 3. de acqui. RR. domin.* id quod Caius ibidem scribit naturali ratione fieri, vti & Iustin. *§. fera autem l. de rerũ diuis.* Quis enim prohibere potest vt meum fiat, quod non est alienum, e contrario verò nemo ignorat quidquid suum non est ad alium pertinere *l. vlt. C. vnde vi.* nisi talis sit res quæ in nullius bonis esse possit *§. nullius inst. de rer. diuis.* & sanè necessè omninò est, vt quidquid in nullius bonis est, vel fiat occupantis, vel nullius vnquam fiat. Vnde quoque sequitur, vt si quæ res pro derelicto habeatur, Domini statim esse desinat iure gentium, eodémque iure statim fiat occupantis, quia res iisdem modis desinunt esse nostræ, quibus acquiruntur *l. 1. D. pro derelict.* passim enim reijcitur Proculi sententia, qui existimabat rem pro derelicto habitam, non prius desinere esse prioris Domini, quam ab alio possessa esset & occupata. Rectè enim argumentatur Anton. Fab. *in Iurisp. Papinian. tit. 2. princ. 4. illat. 4.* non posse fieri occupantis quod in ipso occupationis momento est in alicuius dominio, alioquin duo Domini eiusdem rei, eodem instanti & insolidum esse possent, quod negat *l. si incerto 5. § si duobus vehiculum D. commodi.* Eaque est sententia *l. 2. D. pro derelict.*

3 Et quod Fab. *l. c. illat. 5.* ait pugnare cum iure gentium quod distinctionem dominiorum in hoc autem casu esset confusio dominiorum, eadem ratione non possunt duo esse possessores vnius & eiusdem rei & eodem tempore insolidum. *l. 1. §. vlt. D. commodati.* Cum enim possessio à positione pedum: & à sedibus dicta sit *l. 1. D. de acqu. possess.* quia naturaliter, & facto ipso tenetur ab eo qui ei insistit, non magis fieri potest vt duo sint insolidum possessores, quam vt vbi ego sto vel sedeo, tu etiam stare videaris, & sedere *l. 23. §. ex contrario. D. eod.* Sic enim fieret substantiarum & dimensionum penetratio, atque adeò rerum corporearum commixtio, & confusio, sicut & Dominiorum confusio induceretur, si quid ita meum esset in solidum, vt tum etiam esset insolidum: posita itaque Dominiorum distinctione, ex iure gentium eodem iure sequitur illa non posse in pluribus eiusdem rei simul, eodémque instanti reperiri, ne redeamus in Dominiorum confusionem quam ius illud reijcit, sicut verò natura non patitur dimensionum penetrationem & substantiarum commixtionem, ita neque ius naturale patitur esse duos eiusdem rei eodem instanti possessores insolidum.

Dices, potest eadem pecuniæ quantitas, eadémque nummorum corpora pluribus insolidum credi *l. si non singuli 5. C. si cert. petat.* atqui creditor fit Dominus pecuniæ sibi creditæ.

Resp. In hoc casu eum solum cui numeratur & traditur pecunia, eius Dominum fieri, vtrumque tamen cui pecunia creditur obligari credito, primum patet, quia pecuniæ dominium non acquiritur nisi per numerationem, neque alteri quam cui numeratur, numeratio verò & traditio non potest duobus insolidum fieri, sine dimensionum penetratione, quam impossibilem esse fatemur. At verò vnius eiusdemque debiti soluendi obligatio potest insolidum in pluribus personis reperiri; Ita vt vna sit tantum obligatio, quæ tamen tota & insolidum, in vtroque consistat quod videmus in pluribus Correis debendi siue credendi *l. 3. §. 1. l. eandem 9. §. vlt. & toto titul. D. de duobus reis.* Quia cum obligatio sit iuris vinculum tota etiam ex iure æstimatur, & ex facto ac voluntate eius qui obligatur, ex illa enim ius obligationis nascitur, ius verò non prohibet quin plures in solidum eiusdem rei nomine obligentur vnaque sit obligatio, sicut & vna solutio, per quam tota & insolidum obligatio tollatur, quod inde etiam confirmatur quod idem & vnus duas obligationes sustineat & duorum vicem agat *l. non est nouum 10. D. de Action. empt. l. si reus 13. D. de duobus reis. l. 15. & l. 21. d. de fideiuss. l. si paterfamilias 15. §. 1. D. de Adoption.* Hæc doctrina eruditissimi Fabri in eo mihi non satis probatur quod velit ex iure gentium oriri, quod plures non possint simul eiusdem rei Domini fieri insolidum: ex iure verò naturæ duos non posse esse possessores eiusdem rei simul insolidum, quia distinctio Dominiorum ex iure gentium inducta est, quæ tolleretur si duo essent simul insolidum eiusdem Domini. Distinctio verò possessionum fit à iure naturæ, quia natura non patitur duos eidem parti insistere, eandémque tenere positionem eodem instanti, ne detur naturalis penetratio dimensionum, hæc inquam ratio non placet, de re enim ipsa modo non disputo, & an duo possint esse Domini insolidum simul eiusdem rei, de ea enim quæstione agemus alibi; commodius contendo dumtaxat si id fieri nequeat, vti affirmat Faber id non oriri ex iure gentium vti ille ipse contendit, quia licet vltrò fateamur distinctionem Dominiorum inductam esse iure gentium. Ea tamen posita semel distinctione, ex eius deinde natura ac proinde iure naturali, sequitur duos non posse simul eiusdem rei Dominos in solidum fieri: Iam enim huius operis initio docuimus ea etiam quæ ex hominum institutione & inuentione pendent suas habere essentias & proprietates: quare iis semel positis, quamplurima necessario & ex iure naturali in iis quæ sunt capacia iuris, subsequi, necesse est, vt ex pluribus quæ primo iure gentium inducta sunt, statim patebit; quare posita iure gentium Dominiorum distinctione tanquam admodum conuenienti & ferè necessaria societati humanæ conseruandæ, dico iure naturali non posse duos esse Dominos in solidum eiusdem rei eodem instanti, vel si possint esse, id etiam posse iure gentium: primum patet quia natura dominij huic soliditati simultaneæ repugnat. Dominium si quidem est: libera facultas vtendi quocumque modo suâ re absque alterius cuiusque etiam inuiti iniuria, quam liberam facultatem non habes, si alter eiusdem rei æquè insolidum sit Dominus, atque tu es, si enim ea contra eius voluntatem vteris, facis illi iniuriam, & iniustè tua ipsa re vteris, vt potè contra voluntatem Domini eius insolidum. Addo deinde in hac simultanea soliditate Dominorum eiusdem rei, si dari possit, non peccari contra ius gentium, tum quia per illum non ponitur confusio dominiorum, quam sustulit ius gentiũ, quia in illa confusione nullus erat Dominus, & qui rem aliquã occupabat, nulli faciebat iniuriã, eam siquidem non tenebat contra voluntatẽ Domini, vnde neque vllus poterat ab occupante tollere, quia nullum habebat ius sibi illá vindicandi, & alios ab ea prohibẽdi, cũ non esset eius Dominus, atqui quando duo sunt eiusdem rei eodemq; instanti Domini insolidum, sont verè Domini, & ipsis inuitis nullus alius eam rem sibi vindicare potest, faciet enim iniuriam veris Dominis. Denique si simultas Dominiorũ iure tantum gentiũ

prohibeatur, poterit tamen absolutè induci, cum id quod solo iure gentium constitutum est, non sit ex sua natura malum, aut impossibile & aliquando mutari queat, vt dicemus *q. sequenti.* Denique quod Faber addit iure naturali duos non posse esse eiusdem rei simul insolidum possessores, quia non patitur penetrationem diuisionum, quæ necessaria esset vt duo simul eidem parti insisterent, & in ea pedem ponerent, non placet, quia imprimis quod possessio apprehendatur positione pedum non est à iure gentium, & multò minus à iure naturali sed à iure ciuili, eóque multiplici, deinde necesse non est poni pedem nisi in aliqua parte rei, vt constat, cur duo qui in diuersis partibus v.g. extremis fundi pedem ponent simul, non etiam simul possessionem illius fundi caperent, denique cum agamus de possessione ciuili, quæ sæpius à naturali siue reali separatur, quod erit contra ius naturæ si duo simul eiusdem rei possessionem capiant, quandoquidem non est contra ius naturæ, ex eodem Fabro vt duo sint simul domini insolidum, sed solum contra ius gentium, quod addit de numeratione, & traditione per quam solum dominium pecuniæ acquiritur, & ab eo solo cui numeratur & traditur, id totum videtur esse à iure ciuili, neque enim est de iure naturæ, vt per solam traditionem rei acquiratur dominium, deinde quando rei traditæ multa sunt corpora, necesse non est vt singula contentur ab eo cui traduntur, sed simul & in cumulum tradentur: cur igitur duobus præsentibus tradi non poterunt nummi, qui quantitatem aliquam pecuniæ conficiunt eáque traditione numeratæ pecuniæ, singuli qui illam simul vno possidendi animo acceprant, atque etiam posita in cumulum manu capiunt, fieri totius illius summæ domini in solidum, si nihil aliud obstent quàm numeratio & traditio simultanea, quam duobus fieri non posse. Negat immeritò Faber. Hæc omnia confirmari mihi videntur, ex iis quæ sapienter Faber de vna eiusdem debiti in solidum obligatione in duobus debendi correis subsistente fatetur: Cum enim iuris illud vinculum quod obligationem esse constat, duos insolidum adstringere possit, cur etiam ius dominij duos non æquè in solidum afficiet, si solum ius gentium consulamus. Quare si duo domini in solidum simul & eodem instanti eiusdem rei esse non possint, id non orietur ex solo iure gentium, vti voluit Faber sed ex ipso iure naturali, supposita distinctione dominiorum iure gentium introducta, aut si ex eo iure non repugnet ista dominiorum soliditas simultanea, illam aliquando reperiri nihil prohibebit.

4 Simili ratione idem Anton. Faber *eod. princip.* 4. *illat.* 16. furtum iure gentium prohiberi dixit, quia ius illud dominia distinxit, in quam distinctionem peccatur furto, quod rem alterius ipso, inuito contractat, quæ sententia pugnat cum cæteris Iurisconsultis, qui inter ea quæ natura turpia sunt furtum verum & vt, loquuntur formale & proprium numerant, ipseque Iurisconsultus furta prohibita esse iure naturali dixit *l.* 1. *in fin. D. de furtis* & Iustin. §. 1. *Inst. de obligat.* Quæ *ex delicto & l. probrum* 42. *D. de verb. signif.* Respondet Faber ita loqui Iurisconsultos, quia post introductam dominiorum distinctionem iure gentium, & summa ratione naturali non potest committi furtum, quin peccentur contra antiquissimam omnium Legem naturalem, & cum ipsis hominibus natam, ne alteri facias quod tibi fieri nolis; verum inde probant sapienter cæteri quamvis aliqua rectè instituta fuerint, vel iure gentium, vel etiam ciuili, posita tamen illa institutione oriri & obligationem. Et ius naturale seruandum, eiusque violationem esse peccatum naturali lege prohibitum. Institutio Magistratuum est à iure ciuili, ipsi tamen legitimè instituto iure naturali parendum est. Quare malè supponit Faber quidquid iure gentium inductum est, non obligare vnquam nisi eodem iure: Non verò iure naturali, quod innumeris exemplis falsum esse licet ostendere, sed in re peruulgata hærendum non est. Nam & quod ipse addit idcircò dici à Iurisconsultis furta prohiberi Lege naturali, quia inducta per ius gentium dominiorum distinctione, furtum peccat contra Legem naturalem prohibentem, facere alteri quod tibi fieri non vis. Iam accedit communi sententiæ Faber, non quidquid iure gentium inductum, est obligare dumtaxat ex eodem iure. Deinde etiam antè inductam eam dominiorum distinctionem iure gentium, locum fuisse huic legi naturali in rerum communium & nullius domini occupatione: si enim illam ab occupante sustulisses, æque in Legem naturalem peccasses: nam auferendo nullo iure rem quam ille occuparet faceres aduersus illum, quod aduersum te committi nolles, atque adeò illi iniuriam inferres, tollendo rem quæ eius æque est atque tua, & quam ille sibi tolli non vult eodem & æquali iure quo tu illam tibi vindicare vis, & quam nolles si prius occupasses à te inuito per vim rapi, quæ esset quædam species furti, quod merito tum sapientes iuris, tum alij prohiberi iure naturali, non solo iure gentium dixerunt, neque hoc ius naturale impugnatur ex eo quod Lacedæmonij, Ægyptij aliique furta permitterent, modo furta fierent ἐπ' αὐτοφώρῳ, & fures non deprehenderentur, quia plures gentes corruptis moribus nonnulla probarunt, & factitarunt, quæ naturæ legibus repugnare nemo negarit: atque hoc in casu voluerunt ipsi populi potius non punire furta, quàm illa probare, vt impunitatis præmio ciues suos & cautiores & ingeniosiores redderent, vti obseruat ipse Faber, quasi non tam furtum approbarint, quàm audaciam cum astu & dexteritate iunctam, cùm fures deprehensos seuerius ipso etiam capite punirent, cùm alij omnes pœna tantum pecuniaria plecterent.

5 Non etiam placet quod idem Faber *illat.* 7. *ex eodem princ.* 4. vult publica crimina iure gentium puniri, eo quod ratio naturalis humanam societatem, quæ iure gentium inducta est eiusmodi punitionem aliquam postulet, licet pœnæ modus ad ius ciuile pertineat: Peccat hæc Fabri ratiocinatio eo modo quo prior, instituta iure gentium humana societate, ius naturale postulat publica crimina puniri, & non solum ius gentium; quod confirmatur ex eo quod addit ibid. Fab. nulla vnquam ciuili Lege factum fuisse, neque fieri potuisse vt delicta essent impunita, quod pluribus locis & textibus adductis ostendit, quia ius naturale tolli nequit, atqui ius gentium mutabile esse ostendimus q. proxima,

6 Ex hac præterea distinctione dominiorum iure gentium introducta, colligit Faber *illat.* 2. *ex citato principio.* commercia omnia, omnesque contractus siue re, siue solo consensu perficiantur, iuris gentium esse; quæ enim verbis & literis perficiuntur, iure ciuili introducta esse constat: probat quia distinctio dominiorum ad societatem humanam tuendam inducta iure gentium stare non posset sine commerciis, & contractibus per quos fiat vt rei cuiusque Dominium à Domino in non Dominum transeat: ij verò contractus in quibus non transfertur Dominium, vt locatio, pignus, depositum, alijque, ex eodem quoque iure gentium, & ex

distinctione

distinctione dominiorū inducti sunt, quia rerum dominia non sola proprietate, sed ipsa quoque possessione, & vsu discreta sunt, atque adeò ex distinctione dominiorum, æquè inducendi fuerunt isti contractus in quibus sola possessio, vel vsus acquiritur, atque illi quibus rei ipsius proprietas & verum dominium transfertur in non dominium: quare qui vtitur re deposita inscio deponente furtum facere dicitur, qui te commodata in alios vsus, quam in quos commodata est, vtitur, fur quoque sicut & creditor qui vtitur pignore. Denique omnes isti contractus rationem naturalem habent omnibus gentibus communem. Verùm hæc ratio vel nihil probat, vel omnes contractus facit esse iuris naturales. Nam cum omnes contractus naturalem habere debeant rationem & æquitatem, ne scilicet vnus fiat locupletior cum alterius iactura *l. nam hoc natura 14. D. de condict. indeb. l. iure natura 206. D. de regul. iur.* omnes contractus etiam ciuiles qui eandem æquitatem omninò naturalem habere debent, erunt iuris gentium, quod ea ratione naturali dicitur ad tuendam humanam societatem; vel potius erunt omnes de iure naturali, supposita tamen aliqua introductione per ius gentium. Cur igitur dicimus conditionem indebiti esse naturalem *l. indebiti. 15. D. de condit. indeb.* Et non iuris gentium. Quare perpetua erit vocum istarum confusio, si aliquid dicatur esse iuris gentium, quia habet æquitatem & rationem naturalem communem omnibus gentibus, ex quibus omnibus coalescit humana societas. Cum omne omninò ius, omnisque Lex æquitatem & iustitiam seruare debeat, illaque æquitas cum ratione naturali negatur, immò ex illa constituatur, naturalis quoque est neque à mero hominum instituto pendet, quamvis supponat, aliquando quampiam hominum institutionem, vt in aliquo singulari casu, & facto deinde reperiatur, quod tum in iure ciuili, tum in iure gentium de quo nunc agimus, manifestum fit, quamdiu enim eiusmodi iura obligant, & immutata manent, ratio & æquitas naturalis illa seruanda esse præscribit, sitque etiam contra ius naturale, eiusmodi Leges violare, quia tamen illæ Leges poterant non ferri, & modo refigi possunt, tota illa obligatio & æquitas dicitur à Lege aut iure humano proficisci, v. g. immunitas Legatorum, absolutè spectata non est de necessitate iuris naturalis: poterat enim quæque ciuitas aut gens non accipere aut habere apud se alterius Legatum, neque cum illo velle genus vllum habere commercij; iure tamen gentium congruenter humanæ societati retinendæ inductum est illos admittere, illósque reijcere quod signum foret inimicitiæ, & iuris gentium violatio, tamen si admittantur Legati, contra ius naturale erit, non seruare ipsis immunitatem, quam ius concessit, quia peccabitur contra iustitiam & debitam fidelitatem. Vbi vides suppositionem quidem illam admissionis Legatorum, & pactum præstandi illos securos, & immunes esse quidem introductum iure gentium, seruandum tamen esse ex æquitate naturali quæ eadem in quocumque contractu distingui possunt cum Suar. *lib. 2. de Legib. cap. 20. n. 7.* qui sapientet in contractibus, & commerciis tria considerat, primum est libertas contrahendi commercia cum aliis hominibus, quæ est de iure gentium dumtaxat, cum ad eiusmodi commercia ius naturæ per se non obliget, possitque vna vel natio vel ciuitas & respublica nihil velle habere commercij nullamque societatem, aut communionem cum alia, quamvis non inimica, sed secum ipsa viuere quam diu Sinenses seruasse certum est, qui se intra suos fines muro ingenti immenso mari circumscriptos nulla cum externis consuetudine continuerunt, idem & aliæ gentes atque ciuitates singulæ velle possent, iure tamen gentium inducta sunt communia commercia, eáque libera, quasi absque causa rationabili prohibeantur, violabitur ius gentium. alterum considerandum est modus contrahendi & exercendi commercia, qui modus ferè est à iure ciuili, atque adeò varius est diuersis in locis. Et quando nihil circa illum modum præscribitur, pendet à contrahentium arbitrio, modo aliunde non prohibeatur aliquo iure, tertium considerandum est contractus iam perfecti & consummati obseruatio, illa verò pertinet ad ius naturale, quod ipsa violatur, violatione contractus legitimè initi & consummati, similia spectanda sunt in cæteris quæ vulgò censentur esse de iure gentium, vt iure quod habet, suprema Respublica aut Monarchia ad bellum inferendum aliis, & ad vindicandam, vel reparandam iniuriam quam accepit. Nam licet ius naturale postulet reparari iniurias, & crimina puniri, non postulat tamen vt ea potestas sit in Republica offensa, poterat enim alius excogitari modus vindictæ & punitionis, vt si eam potestatem alicui Principi cum vi coactiua tradidisset, quia tamen modus ille bello vindicandi graues iniurias commodior, & societati humanæ magis consentaneus est, atque adeò iustus, ipsa quoque bella ex eo iure gesta, iusta sunt, idem dico de fœdetibus & aliis eodem gentium iure ex communi consensu inductis, de quibus singulis suis locis agetur.

QVÆSTIO III.

De obligatione iuris gentium.

Est aliqua obligatio, n. 1.

An mutabilis & dispensabilis ea sit, num. 2. & 3.

Vs omne cum aliquod iustum aut constitutum à lege existat, quampiam obligationem inijcere nemo negabit, inutilis enim erit lex si eius iussa non obstringant, quare cum hactenus ostenderimus esse aliquod ius gentium, illudque distinctum à naturali, distinctam obligationē afferre fateamur oportet, isque est communis omnium sensus, qui non maius scelus obiicere solent, quam iuris gentium violationē; quam omnibus modis fas esse vlcisci existimant. Huius verò criminis grauitatem petunt, tum ex illius iuris omnibus communis sanctitate, tum deinde ex re in qua violatur, & modo quo violatur. 1

Tota verò difficultas hoc loco est, an eiusmodi ius gentium mutabile sit, & an in eo dispensari possit, & quidem si agamus de iure illo negatiuo, aus vt aliqui malunt & permissiuo & concessiuo, certum est etiam priuata authoritate posse quemlibet ipso non vti, siue illi cedere & omittere, quod ex eius concessione facere sibi licitum esset, v. g. non inferre bellum quamvis eius iustæ causæ forent; non agere apud iudicem de reparanda iniuria illata, sed hæc mutatio, vel dispensatio impropria admodum est: non enim mutatur aut desinit ius, quia ipso non vtimur, sed illi volentes cedimus, alioquin mutaretur ipsummet ius naturale, dum id quod nobis ex illo licet, volentes reiiceremus, nam Religiosus, qui voto castitatis priuat se iure ducendā vxorem, & professione Religiosā mancipat se in seruitā alteri, priuat se iure naturali libertatis & matrimonij contrahendi, neque ea de causa dicimus ius naturale esse mutabile, qua simili ratione licet iure gentium sint distincta dominia, qui tamen voto solemni paupertatis 2

tatis non modo dominio omni se abdicat, sed eius etiam in capacem se præstat. Ioti gentium cedit ea in parte, neque tamen inde sequitur ius gentium esse mutabile, quæstio igitur accipienda est de vera mutatione iuris, quæ circa præcepta, & prohibitiones eius contingit, cum illa vel mutantur, vel resignuntur, vel emendantur vel eorum obligatione persitante, in illis dispensatur.

3 Resp. igitur hæc omnia præcepta, quatenus præcisè communi gentium consensu sunt constituta, esse mutabilia, quamvis variis ex circumstantiis, vix sine aliqua culpa hæc mutatio fieri possit. Ita Suar. *lib.* 2. *de legib. cap.* 10. *n.* 6. Vasq. 1. 2. *disp.* 157. *cap.* 4. *n.* 25. & alij. Ratio à priori est euidens, iisdem enim causis dissolui potest res omnis quibus liberè constituitur, quod maximè verum est in moralibus, in quibus sæpius quidpiam liquid ita constituitur vt potuerit non constitui. Nam sicut liberum initio fuit illud non constituere, ita liberum modo est idem vel retinere vel dissoluere, nisi aliquæ graues causæ vrgeant ad illud retinendum. Verùm omnes illæ causæ erunt extrinsecæ. Nos autem præcisè loquimur de re liberè constituta in se se considerata, nam sicut æquæ rationes persuaserunt illam rem constituere, ita aliæ possunt docere eius dissolutionem vtilem, & æquitati consentaneam fore, quod passim contingit in Legibus humanis, cùm verò ius gentium humanum sit communi consensu sapienter conditum, poterit vel eodem communi consensu, vel priuata cuiuspiam gentis authoritate quæ partem aliquam iuris illius sibi minimè congruentem esse iudicabit, tolli, vel mutari aliqua in parte, cum enim solo vsu & moribus quidpiam probarit, quod aliarum quoque gentium moribus vsurpari videbat, cur vbi eodem vsu deprehenderit, id sibi parùm commodum esset, non poterit illud non amplius vsurpare, immò & contrarios mores, probos tamen inducere. Secundò quæ iure gentium prohibentur, aut præcipiuntur, non sunt ex se se & intrinsecè mala aut bona, cum ex principiis primis naturalibus non deducantur per euidentem & necessariam illationem. Sunt igitur mutabilia, quæ consequentia certa & euidens est, quidquid siquidem non est natura necessarium, contingens omninò est, & mutabile.



CAPVT VIII.

De iure proprio & locali siue ciuili.

QVÆSTIO I.

Diuisio iuris varia & multiplex.

SVpponimus hactenus toto hoc libro cum Iurisconsultis trimembrem iuris diuisionem, in naturale, gentium, & ciuile sic enim ius priuatum partitus est Iustinian. §. *huius study inst. de iust. & iur.* & vt Theophil. ait *ἀτριμερος* tripartite, collectum, nimirùm ex naturalibus præceptis, aut gentium aut ciuilibus, ibi enim imperator diuidit ius primò in publicum, & priuatum: Prius illud ad statum rei Romanæ, adde & cuiuscumque Reipublicæ respicit: Alterum verò singulorum vtilitatem spectat vt enim dicitur *l.* 1. §. *huius studij D. de iust.* Sunt quædam publicè vtilia, quædam priuatim. Neque quidquam medium, aut separatum fingi potest. Quare summa totius iuris sine quo humana societas stare non potest, diuisio alia tradi nequit, quam vt aliud sit publicum, priuatum aliud. Aduerte nihilominus sæpius ius publicum dici, quod commune est omnibus ciuibus, vnde etiam commune dicitur ac perpetuum: ius verò priuatum dici, quod ex priuatorum conuentionibus non nisi priuatim acquiritur, & in id vsque tempus, quo conuentio illa suum effectum sortita sit, aut sortita sit, aut sortiri desierit, quo sensu Papinian. *in l. vlt. D. de suis & Legit.* dixit priuatorum conuentiones Legum authoritate non censeri, & passim Leges dicuntur iuris publici, & quod ex Legibus fit ex iure publico fieri, sic factionem testamenti esse iuris publici *l.* 3. *D. qui testam. fac.* posse publicum, priuatorum pactis mutari non posse *l. ius publicum* 38. *D. de pact. l. Neratius* 20. *D. de Relig.* iure publico retentionem falcidiæ competere *l. quod bonis* 15. §. 1. *D. ad l. falcid.* in quibus aliisvè locis ius publicum est, idem quod commune priuatis & Ciuibus omnibus, qui legibus obligantur, quæ ideircò generales dicuntur: Io ea igitur significatione passim obuia, ius publicum idem est quod ius commune, quo etiam nomine appellatur. Sic Papinian. scribit *l. inter eos* 51. §. *pen. D. de fid. & iuss.* non videri deceptum eum qui iure communi vsus est, & Zeno imperator *l. vlt. C. de in integ. restitut.* rescribit non intelligi circumscriptum minorem, qui sit vsus iure communi: estque solemnis regula iuris non capi eum qui ius publicum sequitur. *Nihil consensui* 116. §. 1. *D. de regul. iur.* eodem denique sensu communem vtilitatem pro publica dixit Iulian. *in l. ita vulneratus* 51. §. *vlt. D. ad l. Aquili.* Denique illud idem ius commune & publicum, perpetuum quoque dicitur *l. si duorum* 42. *D. de Actio. Empti an non facit dolo, qui iure perpetuo vtitur* inquit Paulus. Non eo vero sensu publicum ius vsurpant Vlpian. & Iustinian. dum ius in vniuersum partiuntur in publicum & priuatum. Nam publicum vocant quod primo & principaliter statum & vtilitatem Reipublicæ respicit, priuatorum verò nonnisi in consequentiam quatenus, & ipsi Rempublicam componunt, eiusque partes sunt in quas etiam totius vniuersitatis vtilitas suo modo redundat, at verò ius priuatum primariò respicit priuatorum vtilitatem, quorum gratia primò & per se Lex aliqua fertur, neque interest Reipublicæ nisi secundariò, & per quasdam (vt iam monui superius) consequentias, quatenus ex priuatorum vtilitatibus, publica quoque vtilitas æstimanda est: & sanè aliud

est

eſt quidpiam eſſe vniuerſitatis,aliud ſingolorum. Quare quod vniuerſitati debetur, non debetur ſingulis ex vniuerſitate, neque etiam ſinguli debent, quod vniuerſitas debet *l. ſicut 7. §. ſi quid D. quod cuiuſque vniuerſitatis nomine vel contra eum agatur.* Denique etiam in generali rerum diuiſione aliud eſt eſſe commune,aliud publicum : Aër communis eſt non publicus. Campus Martius publicus, non communis : addit Vlpian,ius publicum in ſacris ſacerdotils & magiſtratibus conſiſtere, quia nimirûm iſta ad totius populi ſtatum & ſummam Reipublicæ pertioent ; priuatum ad cuiuſvis rem familiarem.

2 Non diſputo verò impræſentiarum,an hæc bimembris diuiſio iuris ſatis commoda exiſtat, an verò illa Fabri *lib 2. Iuriſprudent. Papinian. cap.* 4. In ius ſacrum, publicũ & priuatum quæ eſt etiam Auſonij *Idyll.* 15. Dici enim poteſt iuris publici nomine, ius etiam de ſacris non incommodè comprehendi : eo enim ſignificatur quod ad Religiones pertioet, vt Pontificium, Augurale : publico vero quoad populi poteſtatem ſpectat, quam Romulos triplicem ſtatuit in bello & pace decernenda, iu magiſtraribus creandis, & in Legibus iubendis aut abrogandis,& denique iudicia publica,quæ per populum exercebantur maiori comitiatu, vt io perduellionis cauſis & aliis perpaucis. Priuatum ius ad perſonas,res & actiones pertinere. Habet & aliam iuris humani diuiſionem non incommodam Cicero *in partitione ſub fin.* cuius verba referre placet. *Iuris*,inquit, *eſt omnis ratio nobis explicanda, quod diuiditur in duas partes primas, naturam atque Legem & vtriuſque generis vis,in diuinum & humanum ius eſt diſtributa ; quorum equitatis eſt vnum,alterum Religionis,aquitatis autem vis eſt duplex : cuius altera directi & veri & iuſti & vt dicitur aqui & boni ratione defenditur : altera ad viciſſitudinem referenda gratia pertinet, quod in beneficio gratia,in iniuria vltio nominatur. Atque hac omnia ſunt natura, atque Legis : ſed propria Legis, & ea qua ſcripta ſunt, & ea qua ſine Literis aut gentium more, aut maiorum more retinentur : ſcriptorum autem priuatum aliud eſt,publicum aliud, publicum,lex ſenatus conſultum, fœdus : priuatum tabula, pactum conuentum ſtipulatio : Qua autem ſcripta non ſunt,ea aut conſuetudine,aut conuentis hominum & quaſi conſenſu obtinentur : atque hoc etiam inprimis vt noſtros mores Legeſque tueamur quodammodo naturali iure præſcriptum eſt.* Hæc paulò fuſior Iuris diuiſio, à Cicerone tradita quamuis ad Vlpiani relatam diuiſionem accommodari facilè poſſit, & propius ab illa diſtet. Nam Iuriſconſolti ſæpiùs diuiſiones coëreant,& ſæpius partem ſubdiuiſionis in ipſa diuiſione collocant vt *l. 5. D. de pact. & §. x. 1. inſt. de interdic.* tu quam voloeris partitionem elige, quæ verò noſtro inſtitoto commodior futura ſit, ſtatim indicabimus: Impræſentiarum dumtaxat.

Quæro circa vulgatam Vlpiani & Iuſtiniani diuiſionem,cur ius priuatum à publico in eo diſtinguant, quod priuatum tripertitum ſit & collectum ex naturalibus præceptis aut gentium aut ciuilibus ; quorum verborũ ſenſus non eſt ; prioatũ ius aliud eſſe naturale,aliud gentium,aliud ciuile. Fatentur ſiquidẽ omnes, nullum eſſe priuatum ius naturale aut gentium, ſed quod ius quo priuati vtuntur io ciuitate, tribus quaſi ex fontibus in rempublicam fluxerit naturæ, gentium inſtitutis,& ciuium Romanorum (de iis enim agebatur) Inuentis, v. g. vt liberi parentum inteſtatorum,hæredes ſint, à natura primum inſtitutom eſt, quo liberos ali iubet ; deiode à gentibus omnibus comprobatum, vt autem id valeat in liberis qui in parentum poteſtate,cum morerentur, fuerunt, non aotem in emancipatis Romuli inſtiturum eſt. Hi verò tres iuris priuati fontes,nimirùm naturæ, gentium inſtituta, & ciuium propria inuenta etiam in iure publico reperiuntur,æquè ac in iure priuato,cui tameo peculiari ratione tribuit Vlpian. in eoque diſtioguere videtur à publico,quod tum ipſe,tum Iuſtinian. Sic dictum putant, quod ad ſtatom & Reipublicæ ſummam pertineat. Et Craſſus apud Ciceron. *lib. 1. de orat.* poblica,iura interpretator,quæ ſunt propria ciuitatis & imperij,quæ Vlpian. voluit in ſacris,Sacerdotibus & Magiſtratibus cooſiſtere. Hoc autem ius ex oaturalibus præceptis,aut gentium aut ciuilibus conflatum eſt æquè ac priuatum. Nam ad ius naturale pertinet Religio & diuinus cultus, communiquè conſenſu geotes inſtituerunt vt aliquis eſſet, diuinus cultus publicus. In qoonam verò ille conſiſtere deberet, quænam res ſacræ cenſendæ eſſent, quænam perſonæ ſacrorum curam haberent, qoinam & qua authotitate conſtituendi eſſent ſacerdotes, ſingulæ Reipubl. peculiaribus inſtitutis ſanciuerunt : itaque Sacerdotia tum ex iure naturali, tum ex iure gentium & ciuili fluxerunt. Idem dico de Magiſtratibus : poſita eoim humana ſocietate natura poſtular,vt ab aliquo regatur, primumque regimen fuit paternum, deinde œcooomicum & domeſticum, ex familiis deinde inſtitutæ ſunt ciuitates & nationes integræ,vt ſe ſe mutuo iuuarent,& vnius inopia diuitiis alterius ſuppleretur ; atque ex eodem iure fluxit, vt aliqua in ſingulis ciuitatibus, aut etiam gentibus quæ ex pluribus ciuitatibus coaleſcerent, eſſet politia & aliqui Magiſtratus. Quales verò,quo numero,& qua poteſtate, ſingulæ ſibi ciuitates & gentes peculiaribus inſtitutis ſtatuerunt : Noo aliud igitur diſcrimen conſtitui debet inter ius publicum & priuatum, quàm quod vnum attendat primò & principaliter ciuitatis & imperij ſtatum; ac ſummam. Priuatum verò ſingulorum vtilitatem, cùm alia ſiot publicè, alia priuatim vtilia ; hoc eſt alia priuatos & ſingulos ciues, non Rempublicam vniuerſam reſpiciunt,vtrumque tamen ius ex naturalibus gentium, & ciuilibus præceptis, atque inſtitutis collectum ſit ; quare ius omne diuidi debet in ſacrum & noo ſacrum, atque iterùm, vtrumque in publicum & priuatum. Nam & ſacra quædam publica ſunt & priuata, hoc eſt actiones religioſæ, & ab ipſa communitate,ac Public. exercentur & à ſingulis ciuibus vt fusè docebimus *tomo 2. huius operis*, & de illis ſanciti, ſunt Canones ac Leges Eccleſiaſticæ, atqoe etiam ciuiles, ac proinde cum ius iſtud ſacrum, tum naturale, tum ius gentium ac ciuile, vel implicet vel ſupponat de triplici illo iure naturali, gentium & ciuili, in voiuerſum diſputare debuimus ad ius ſacrum & Eccleſiaſticum explicandum, vti tertij libri initio præfati ſumus & cum hactenùs de iure naturali ac gentium diſputauerimus ; de iure quoque cioili agendom nobis eſt, vt deinde de iure Eccleſiaſtico tractemus.

QVÆSTIO II.

Quid ſit ius proprium & ciuile.

Quid ſit ius ciuile, n. 1. 2. & 3.
Vnde ortum, n. 4. 5. 6. & 7.
Conſectaria, n. 7. & 8.
Quid tandem illud ſit, n. 9. & 10.
Alia definitiones, n. 10.

1 IVs istud cum non sit vnum & idem omnibus gentibus commune, sed alicui ciuitati, quæ illud sibi constituit singulare, appellamus tum proprium, tum ciuile, quasi ius ciuitatis. Theophil. *tit.* 2. locale etiam dixit & *κρατοῦν* ex vsu nempè & necessitate rerum latum, quod & loco circumscribitur, iis quibus, cuique loco opus est subuenit, eaque quæ illi loco perniciosa sunt prohibet, quod illustri Atheniensium exemplo demonstrat Theophil. ciuitas Atheniensium, inquit aduecto frumento vtebatur vtpote quæ sterilis esset, nec vlla alia res eos magis premebat quam annonæ caritas; huic malo qui finem quæreret, quid aliud Lege lata constituisset, quam hoc vt negotiatores omnes frumentarij immunitatem vectigalium haberent. Id enim qua fama per omnes gentes diffudisset, multi erant in Atticam nauigaturi, duo hæc studentes vt & propter frumenti inopiam statim venderent, & nullum insuper huius negotiationis nomine vectigal venderent. Cum autem multi illuc nauigassent, dubium non est quin magna aducta fuerit frumenti copia. Ius igitur hoc solis vtile erat Atheniensibus, apud Alexandrinos verò & alios qui frumento abundant, non solum superuacaneum, sed etiam ridiculum fit tale aliquid constituere. Affert & aliud exemplum Lacedæmoniorum qui ex Lycurgi. Lege peregrinos repellebant, ne mores ciuium corrumperent. Hanc verò *ξενηλασίαν* damnabant Athenienses, qui magna humanitate peregrinos omnes excipiebant.

2 Ius itaque quod sibi quæque ciuitas proprium constituit, ciuile nominatur *l. omnes 9. D. de iust. & iure* Cicero in Topic. definit æquitatem constitutam in iis qui eiusdem ciuitatis sunt, ad res suas obtinendas Arist. verò *lib. 5. Ethic. cap. 10. τὸ δίκαιον πολιτικὸν* inquit, *τοῦτο δ' ἐστὶν ἐπὶ κοινωνῶν βίου πρὸς τὸ εἶναι αὐτάρκειαν ἐλευθέρων & ἴσων ἢ κατ' ἀναλογίαν, ἢ κατ' ἀριθμόν.* Ius politicum est ad communionem vitæ, vt inter liberos homines vel æquales vel proportione, vel numerò copiosè omnia suppetant. Hoc igitur ius & commune est ciuibus siue ciuitati, & illi proprium, non cum aliis ciuitatibus commune, alioqin nisi quæque ciuitas suo proprio iure vteretur, pars quædam alterius esse videretur, quia vt dixit Cicero *lib. 1. de legib.* inter quos est communio Legis, inter eos communio iuris est: quibus autem hæc sunt inter eos communia, ciuitatis eiusdem habendi sunt *& orat. pro Balbo! O iura præclara atque diuinitus iam inde à principio Romani nominis à maioribus nostris comparata, ne quis nostrum plusquam vnius ciuitatis ciuis esse possit! Dissimilitudo enim ciuitatum, varietatem iuris habeat necesse est,* & *lib. 3. de offic. Maiores aliud ius gentium, aliud ius ciuile esse voluerunt: quod enim ciuile, non idem continuò gentium; quod autem gentium, idem ciuile esse debet, quia nimirùm ciuitates & iure gentium & sibi proprio vti debent.*

3 Quare ius ciuile duobus modis dicitur: Est enim aliud merum aliud mixtum, merum est quod neque à naturali neque à gentium iure sumptum est, sed ciuium ingeniis excogitatum veluti, lex illa 12. tabul. vt filij familias patris intestati hæredes sint, emancipati non sint. Item lex Voconia, quæ mulieres hæredes institui vetabat; lex falcidia; quæ testatores iubet quadrantem hæredibus relinquere, & aliæ eiusmodi quæ non sunt à natura sumptæ, sed Romæ natæ & quasi vernaculæ. Mixtum autem est quod vel à naturali, vel gentium iure partem obtinet, vt Prætoris edictum, quod liberi etiam emancipati Patris intestati hæreditatem adeant, ne liberi sine parentum consensu nubant. Ne Pupilli sine Tutorum authoritate negotia gerant, & similia vtrumque, hoc ius rectè ciuile dicitur, quia ius ciuile est quo Ciuitas vtitur, & vt referebamus ex Cicerone, Æquitas constituta in iis qui sunt eiusdem Ciuitatis, qua ratione ius naturale & gentium quatenus eo Ciuitas vtitur, dici quoque ciuile poterit, neque id absurdum videri debet, nam & ius Romanum quod partim ex Atheniensium & Lacedæmoniorum iure collectum est, tripartitum dici potest, non tamen idcircò iuris Romani ciuilis tres constitui species debent, Atheniense, Lacedæmonium, & ciuile Romanum; quia cum ius ciuile ponimus in genere, ius omne quo Ciuitas vtitur intelligimus, cum autem in specie ius illud merum ac simplex Romanæ gentis, vel alterius proprium & vernaculum, quod propriè ius ciuile Romanum dicitur.

Huius porrò proprij iuris quo quælibet politia & Ciuitas singulariter regatur, necessitatem & simul originem placet altius arcessere, iustitia & ius *δικαιοσύνη* & *δίκαιον* sapienter à Proclo scopus & finis omnis politiæ *σκοπιμώτατον*; ex mente sine dubio Platonis, qui idcircò suos libros *πολιτειῶν* de iure siue iusto *περὶ δικαίου* inscripsit, vt ostendat suum consilium esse vniuersam Rempublicam, totamque illam *συναρμολογεῖν* vnius iuris & iustitiæ regula, ac norma dirigi oportere; ex eius enim formula omnia aguntur *ἀναλόγως* & decorè, atque *δικαιοσύνην* esse *πολιτείας ἐντελέχειαν*, ac veluti animam, quæ vniuersum Reipublicæ corpus, & singula eius membra contineat, moderetur, ac temperet. Recta siquidem *πολιτείας* ratio consistit in *ἁρμονίᾳ* & *εὐταξίᾳ* tum virtutum, tum officiorum, & personarum *ἀρχόντων* & *ἀρχομένων*, quam *εὐταξίαν* Arist. quoque *lib. 5. polotic. cap. 12.* vocat *τὸ δίκαιον τὸ πολιτικὸν ἀγαθὸν*: illud autem videri omnibus quoddam æquale *ἴσον τι*, in quo autem sit illud, vndeque varietur iustitia facit, quæ idcircò *lib. 4. cap. 4.* dicitur totius politiæ & Ciuitatis *ἀρετή, κάλλος* & *σωτηρία* cùm è contrario iniustitia sit Ciuitatis *κακία αἶσχος* vobis iustitiæ: porrò nomen vsurpat Plato pro virtute quadam vniuersali, quæ reliquarum omnium Comitatum comprehendit, vel potius eas omnes inuicem colligit & quodam maritali nexu vincit, vt ad vnitatem redigantur. Quare *δίκαιον* vult esse illud *τὸ ὀρθὸν* & *εὐπρεπές*, quod demum res omnes consequuntur, cum sibi congruum aptumque modum obtinent: illud autem congruum & consentaneum cuique est, quod ad sempiternam iuris iustitiæque regulam exigitur, quæ cuique suum ius, siue modum debitum & consentaneum constituit & procurat. Idcircò Dialogo. Primò *πολιτειῶν* dum iusti & *δικαίου* definitionem inquirit, reiicit hanc Symonidis definitionem *τὸ τὰ ὀφειλόμενα δίκαιον ἀποδιδόναι*, reddere vnicuique quod ei debetur: Nam furioso arma reddenda non sunt, itaque illud *ὀφειλόμενον* debet, esse vnicuique *τὸ προσῆκον*, quod cuique debitum & consentaneum est, ideoque iustitiam vtilem esse vult erga personas omnes, amicos videlicet & hostes spectata vtrorumque natura illis iuuandis, his violandis & pro quolibet tempore pacis ac belli: pluribusque reiicit Trasymachum qui volebat ilud *δίκαιον* & *προσῆκον* esse *τὸ τοῦ κρείττονος συμφέρον* ad potentiores vtilitatem, quasi illud demum iustum sit, quod facit ad commodum & vtilitatem Magistratus; è contrario verò iniustum quod ab illius vtilitate abhorreat: Inde enim sequeretur quoddam omnino *ἄτοπον*. Cum enim nemo dicat Principes & Magistratus esse *ἀναμαρτήτους*, & quandoque in imperando peccent, si sibi inutilia imperarent, illis tunc iniustum quid imperantibus obtemperandum non esset, & tamen Principi imperanti, obtemperandum esse voluit Trasymachus, qui non rectè reponebat Magistratum, vt Magistratum non peccare, eiusque

que ſemper obtimam eſſe voluntatem, vtpotè qui non priuatam vtilitatem, ſed ſubiectorum commodum & emolumentum ſpectet. Nam ſæpius Domini exiſtimant ſubiectos ſua cauſa eſſe natos, minimèque illorum conſulunt vtilitati, quibus vt paſtor ouibus & bobus vtuntur, quos ſaginant ad priuatam dominorum vtilitatem, cum tamen ciuilis adminiſtrationis finis eſſe debeat ſubditorum ſalus, vtilitas & dignitas, quæ eſt ampliſſima boni magiſtratus merces. Eſt igitur iuſtitia ſempiterna & diuinum quoddam ex quo homines æquas & vtiles Leges ſibi deſcribunt, non ipſius quidem illius iuſti authores ſe interpretes. Quare vt dixit Ariſt. δικὴ ſcriptarum legum ius & poteſtas eſt πολιτικῆς κοινωνίας τάξις, & ipſius illius ſempiterni τοῦ δικαίου κρίσις, quod in Minoë docuit Plato. Nam cum ciuitatis origo ſit χρεία vſus, & neceſſitas vitæ, quæ plures homines nequaquam per ſe & ſingillatim αὐτάρκεις futuros, in vnam ξυνοικίαν conciitit, vt alij alios iuuatent mutua κοινωνίᾳ, quæ in dando & accipiendo maximè verſatur, non debere eſſe ἀταξία ſed apta & conſtans τάξις, quam iuſtitiæ nomine deſignat Plato, vt iniuſtitiæ ἀταξίαν, illius autem ordinis vis latius funditur in ſingulorum moribus componendis, & in conſtituenda Republica: nam ordo & iuſtitia poſtulat vt quandoquidem in Republica pluribus rebus opus eſt, ad earum quoque παρασκευάς, atque affectionem conueniant complures: quare πλήρωμα Reipublicæ, conſtat ex diuerſis muneribus quæ tamen in vnam quandam ἁρμονίαν omnia conſpirant, & ad vnam vnius Reipublicæ vtilitatem, itaque diſtincta atque definita eſſe

4 oportet ἀρχόντων & ἀρχομένων diſcrimina, & vnicuique ciuium attributum eſſe certum aliquod opus in quo verſetur, cauendumque eſt à πολυπραγμοσύνῃ, ab ἀλλοτριοπραγμοσύνῃ. Ex illa ſiquidem officiorum perturbatione in Republica, & ſingularibus hominibus oritur ἀταξία & iniuſtitia Ciuitatis, nam εὐταξία poſtulat, ne quid ſiat promiſcuè, nec alij in aliorum fines inuadant, ſed ſibi præſcriptum ordinem ſeruent, & proprium officium exequantur.

5 Hanc verò mirabilem officiorum & perſonarum in Republica conſenſionem quam iuſtitia præſtat, cum vnicuique quod vtile & conſentaneum eſt tribuit, explicat Plato *Dialog. 4. polit.* illuſtri animi noſtri exemplo, in quo diſtinguntur tres partes λογιστικὸν θυμοτικὸν & ἐπιθυμητικὸν, quæ vocantur εἴδη ἕτερα ἀλλήλων: quia in animo eſt ἄλλο καὶ ἄλλο, vti explicatur in Timæo videlicet τὸ ἀθάνατον, & τὸ θνητὸν, non ideo tamen permiſcetur, aut diſcerpitur animi οὐσία, quia ſunt omnes ὁμοειδεῖς vnius videlicet animi partes, & quia vera animi ἐντελέχεια eſt illud τὸ ἀθάνατον, & ὁ ξύνθετος videlicet νοῦς, ſiuè λόγος, vti legitur & explicatur in Phædone θυμὸς & ἐπιθυμία ſunt facultates corporeæ, & ſenſibus nimirum corporis aptæ, ac proinde ὀργανικαί. Quare trium iſtarum animi partiũ inter ſe ἰδιοπεριορίσεων diſcrimen apertum eſt. Cum vnicuique ſit ſuum proprium & definitum obiectum, eaque inuicem contraria, quæ diuerſis quoque motibus in diueſſa feruntur, vt patet in fame & ſiti. Quare diuerſas illarum partium ἐνεργείας eſſe oportet, quæ ſuis & verè diſtinctis differentiis conſtet & ſint αὐτὰ ἀλλήλων ἕτερα vti iam monui. Iſti porrò animi τρόποι licet per ſe ἄλογοι. dum tamen pareant imperio τοῦ λόγου aptè inter ſe conſentiunt, & ſuauem inter ſe omnium conſenſum ac συμφωνίαν faciunt; quare fortitudinem maximè ciuilem definit Plato *Dial. 4. cit.* σωτηρίαν δόξης ὀρθῆς τε καὶ νομίμου δεινῶν πέρι καὶ θαρραλέων conſtantiam, & quaſi tenacitatem propoſiti, certumque, & immotum animi ſtatum in cupiditatibus domandis, vt quod Lex præſcripſerit firmiter retineamus, & nec vel rerum terribilium metu, vel iucundarum ſenſu, & titillatione ſinamus nos abduci à propoſito, ſed fortiter coërceamus exultantes cupiditates, & omnes moleſtias excelſo animi perferamus. Sic temperantiam, quam ornatum & voluptatum abſtinentiam definit Κόσμος, inquit, πού τις ἡ σωφροσύνη ἐστὶ καὶ ἡδονῶν τινων καὶ ἐπιθυμιῶν ἐγκράτεια, aït eum ornatum κόσμον accedere ad ξυμφωνίαν ſiue ἁρμονίαν, eamque maximè quæ eſt διὰ πασῶν deterioris nimirùm & melioris mutuum concentum naturæ quadam conſpiratione & communitate, Nam in animo noſtro eſt τὸ κρεῖττον & τὸ ἧττον. Tunc verò exiſtit temperantia cùm τὸ κρεῖττον dominatur & τὸ ἧττον obtemperat, vnde natus ille loquendi modus quo temperans ſignificatur ἑαυτοῦ κρείττων intemperans verò ἑαυτοῦ ἥττων Κρείττονος verò appellatione rationem intelligit Plato ἥττονος autem ἀλόγους ὁρμὰς appetitus, qui per ſe ratione carent & hominem huc illúcque rapiunt: cum verò rationi obtemperant, producant illam κόσμον & decorum, cum autem non ſatis à ratione continentur, non animi modo, ſed etiam corporis perturbationes, non ſine indecora ſpecie concitant, non abſimili igitur ratione qua diuerſi in animo motus cupiditatum à ratione in quandam, Symphoniam componuntur: ita & in Republica varia hominum genera in vnam quandam ſymmetriam vnumque ordinem conformantur, & rediguntur, iuſtitiæ vi & efficacia, ſummaque eſt inter Rempublicam & priuatos homines ἀναλογία, eademque iuſtitiæ ratio peræquè quadrat vtriſque: Nam eadem in Ciuitate & animo cuiuſque ſunt genera, & numero paria. Deinde quod de Republica dicitur, idem quoque de ſingulis hominibus συνωνύμως dicitur, cum æquè Rempublicam dicamus ſapienter, temperantem & fortem, atque priuatum: quamuis in animo noſtro, variæ exiſtant cupiditates, cum tamen illis ratio imperat, exurgit decora συμφωνία omnium animi partium, & ſapientiæ, fortitudinis, temperantiæ, cæterarumque virtutum συναρμολογία, quæ eſt ipſa ſi propriè loqui placeat, iuſtitia. Ita cum in illa varietate hominum & perſonarum, ex quibus reſpublica componitur, vnuſquiſque τὸ ἑαυτοῦ πράττει ſuum opus facit, exiſtit illud πρέπον, & iuſta eſt Reſpublica, atque adeò ſicut in ſingulis hominibus iuſtitia eſt Symphonia, & Symmetria virtutum, cum omnes affectiones & cupiditates rationi obtemperant, atque adeò vnuſquiſque ſecum præclarè conſentiens, rebus alienis quæ nihil ad ſe pertinent prætermiſſis, res ſuas optimè diſponit, ſibi ipſi imperat, in rebus ſuis vt decet verſatur, totus denique in virtutis actionibus incumbit, & omnia demùm vitæ officia ſapienter, grauiter & conſtanter obit. Ita in Republica iuſtitia eſt ipſa εὐταξία moderati imperij, hoc eſt ἡ κατὰ φύσιν τῶν ἀρχόντων καὶ ἀρχομένων κατάστασις, cùm ſuas partes vnuſquiſque & nouit & facit; hanc porrò vim iuſtitiæ, quæ in omnes omnium ordinum homines ſe diffundit, explicat Plato eodem *Dialogo 4.* illuſtri muſices imagine, quam in omnes harmoniarum ſpecies diſtribuit πάντη videlicet ὑπάτη & μέσης, tantam enim exiſtimauit eſſe muſicæ & Reipublicæ concentus communionem, vt dixerit cum Damone mutatis muſicorum cantibus, mutari ſimul ciuitatum ſtatum, quod ſenſit quoque Cicero *lib. 2. & 3. de legib.*

Iniuſtitia igitur conſtituit officiorum, perſonarum, 6
& partium diuerſarum in Republica conſenſionem, idque facit dum curat vt vnuſquiſque totus verſetur in re, ad quam à natura factus eſt vel à Lege & Republica deſtinatus, & ſic ſinguli πρέπον obtinent, exurgitque εὐταξία quam iuſtitiam dicebat Plato ſicut & ἀταξίαν iniuſtitiam; hoc eſt omnium officiorum per-

surbationem in priuatis personis & totius publici ordinis confusionem, prior est τὸ ἑαυτοῦ πράττειν in vna re versari, posterior est alienis se immiscere.

7 Ex quibus omnibus Plato *Dialog.* 5. πολιτειῶν colligit in omnibus Reipublicæ ciuibus, veluti in eiusdem corporis membris vnam animam & vnam συμπαθείαν communemque omnium bonorum & malorum societatem reperiri debere. Vnde tamē ineptam & infamem rerum omnium, atque adeo vxorum & liberorum communitatem ridiculè concludit, & omnia belli & pacis mulieribus æquè ac viris officia communia.

Colligit secundò Iustitiam in singulis hominibus esse ἐναρμονίαν quandam virtutis, quæ in animo & corpore appareat, illud nimirùm quod decet & consentaneum est, quodque in omni honestate versatur, & ad singulas eius partes pertinet, atque in omnem vitam latè manat: in politia quoque vna sit oportet, & consentiens omnium voluntas, & quod cuique consentaneum est ex iure legitimo seruetur.

Colligit, tertiò hoc ius quod ciuitatis εὐταξίαν facit non posse vel constitui vel cognosci, nisi quod cuique hominum generi, & Ciuitati conueniat, & τὸ πρέπον ac consentaneum perquiratur, quidve diuersas politiæ formas deceat, vt cognoscamus, quænam rectæ, quænam prauæ politiæ existant, & quænam ex bonis sint optimæ, atque ex prauis pessimæ, quave ratione emendari vel perfici possint.

Colligit quartò hoc ius & τὸ πρέπον cuique ciuitati & singulis præscribendum esse à Legibus; quare illæ de magistratibus, de subiectis, de variis muneribus, actionibus sacris & profanis ferantur oportet, quod & Plato in Dialogis πολιτείαν ἢ περὶ δικαίου, & in Dialogis τὸν νόμον ἢ περὶ νομοθεσίας accuratè præstitit.

8 Habemus itaque iuris legitimi & politici originem, necessitatem & naturam. Inducta siquidem humana societate & in varios cœtus communione, necessarius fuit aliquis ordo, ne in eiusmodi cœtibus omnia perturbata forent, adhibendaque fuit & perquirenda εὐταξία, quæ varia officia & personas ad eam Societatem necessaria contineret, quam efficit iustitia præscribendo cuique quod consentaneum & æquum est sancitis Legibus, quæ Leges & iura politica dicuntur, & quod illæ imperant eodem quoque nomine donantur, quamvis & iussa dici deberent, & ordo quem constituunt, ius quoque dicitur siue ex Platone εὐταξία Ciuitatis, quam iustitiam dicit, quia & illam iustitia constituit, & illa in æquitate inter ciues constituta vt loquebatur Cicero, consistit.

Est igitur ius politicum quod æquitatem inter ciues omnes constituit, & politiam instituit præscribendo sancitis Legibus, quod tum Ciuitati & politiæ tum singulis consentaneum & æquum est. Illud verò pro varia politiæ forma diuersum omnino esse oportet, vt dicemus *cap. seq.* & multiplicatur pro multitudine Ciuitatum, & politiarum.

9 Neque ab hac iuris politici definitione, dissident aliæ quæ vulgò solent afferri: quam enim tradidit Vlpian. *in l. ciuile 6. D. de iust. & iure* ius ciuile, id esse quod neque in totom à naturali, vel gentium recedit, nec per omnia ei seruit. *Itaque cum aliquid addimus, vel detrahimus iuri communi ius proprium id est, ciuile efficimus.* Hanc definitionem veram non esse, sed potius quandam partium enumerationem dixit Ant. Faber, vel potius dic explicare Vlpian. quomodo Ius ciuile non pugnet cum iure naturali, aut iure gentium, etiamsi illis quidpiam addat, aut aliquid etiam aliquando detrahat io ciuitatis suum moderatur commodum: quare non tollit priora illa iura, sed fusè aliquem eorum effectum dumtaxat, v.g. cum solos filiosfamilias, aut agnatos vocat ad hæreditatem, non facit vt emancipati non sint filij, aut vt cognati non sint cognati, quod esse tollere ius sanguinis, sed facit, vt non magis possint succedere, quam si essent extranei, & nullum ius haberent succedendi, aut sanguinis. Ius verò succedendi quodlibet siue ex testamento, siue ex intestato est, ex iure ciuili *L. Lege obuenire 130. D. de verb. significat. l. 3. d. qui testam. fac. possess.* Siquidem neque testati, neque ab intestato hæredem habere quis posset, nisi Lex se interponeret. Ita Faber. Itaque descriptio illa iuris ciuilis ab Vlpian. tradita naturam eius non satis explicat.

Vtilis tamen illa est vti aduertit Artesi. *tract. de iure cap. 3.* ad ostendendam æquitatem iuris ciuilis. 10
Cum enim ducatur aliqua ratione ciuili, quæ dictat quidpiam ad commodum Ciuitatis extra ius commune, siue naturale siue gentium faciendum esse, accedit ad ius commune, vel ab eo recedit, prout ea ratio ciuilis magis aut minus accedit ad rationem naturalem iuris communis; inde quoque ius ciuile magis aut minus accedit ad ius illud commune etiam naturale & immortale, qua de causa Philo ius Iudæorum commendabat quod eorum Lex firma & immobilis vtpotè obsignata natura signaculis σφραγῖσι φύσεως δοθεῖσι σεσημασμένα. & sanè nunquam ratio ciuilis prorsus aduersatur rationi naturali, si ciuilis recta sit, quamvis diuersa persuadeant, & si propriè loquamur vna sit alterius exceptio & interpretatio, vt dicemus suo loco, vbi de mutatione abrogatione & emendatione Legis, quæ vt Lex sit recta & iusta esse debet.

Ius igitur ciuile est cuiusque ciuitatis proprium; & quare Cicero *lib. 1. de legib. iura ciuilia sunt iussa & iura populorum, & Leges quibus ciuitates regi debeant*, & Paul. *l. pen. D. de iust. & iur.* quod omnibus aut pluribus in vna quoque Ciuitate vtile est Harmenopol. *lib. 1.* quo vna ciuitas vtitur, quod sibi commodum sit, quasi fortè quis alibi vti velit, iacturam, damnumque conciliabit. Quare vocauimus cum ipsismet iurisconsultis ius proprium & Theophilus dixit τοπικόν vt monebamus; nominatur itaque ciuile à Ciuitate cui proprium est, & quam regit, quamquam aliqui deriuent ab humanitate, quod qui sunt humaniores, ciuiles dicantur Tacit. *Inuenit. ciuile ingenium* & Annal. *lib. 2. displicuere regnantibus ciuilia filiorum ingenia.* Ius igitur ciuile vocatur quod facilè & benignè se ciuibus accommodet, & populare sit Dionys. Hallcarn. vocat Leges Ciuiles, quæ eiusmodi ius constituunt φιλανθρώπους καὶ δημώδεις humanas & populares.

Denique Anton. Fab. *in iurisp. Papinian. tit. 1. princ.* 4. ius ciuile dicit quod ducitur ratione ciuili, sicut ius naturale, & gentium æstimatur ratione naturali. Omne siquidem ius æstimandum est ratione vt constat. Rationem autem ciuilem vocat, quæ ad publicam ciuium vtilitatem eo pertinet, quæ ratio naturalis non pertingeret, nisi Societate humana in Ciuitates varias coëunte eius vtilitate moueretur. Ex quibus tandem omnibus habemus ius ciuile esse, quod cuique ciuitati aut Reipublicæ, siue politiæ proprium est, & æquitatem in eiusmodi ciuitate constituit, quod non fit nisi per Leges, quæ idcircò vocantur ciuiles & politicæ. Quare de Lege politica, cuius ius politicum affectus quidam est; nobis hoc loco agendum est. Non placet siquidem immorari in hoc aditu, in enomerandis illis quæ sunt meri iuris ciuilis, & non naturalis aut gentium: aliqus dabit Anton. Fab. *in princ. cit.* res forei longioris operis, & in singulis materiis idipsum explicabitur.

QVÆ

QVAESTIO III.

Quid sit lex humana & quotuplex.

Definitur Lex, n. 1.
An sit actus intellectus, n. 2. & 3.
Fertur communitati, n. 4.
Ad bonum communitatis, n. 5.
Debet esse iusta & honesta, n. 6.
Facit subditos bonos, n. 7.
Fertur à solo supremo, n. 8.
Diuisio Legis, n. 9.

1 OMissis pluribus Legis definitionibus, quas collegit Pesant. *tract. de legib. disp.* 1. quia aut descriptiones tantum sunt, aut solas Leges ciuiles comprehenduot, aut quodlibet praeceptum vel consilium contioent, placet ea quam tradit S. Thom. 1. 2. *q.* 90. *art.* 4. Lex est quaedam rationis ordinatio ad bonum commune, ab eo qui curam communitatis habet, promulgata huius definitionis bonitas, explicatis singulis illios particulis facilè constabit.

2 Et quidem circa primam particulam quâ dicitur ordinatio rationis, multa lis est, in quonam naturae rationalis actu Lex, quam non in subdito sed in Legislatore consideramus, constituenda sit. Nam vulgò omnes Thomistae actum intellectus, & rationis ad mentem vt videtur sui magistri assignant, quod pluribus confirmant vulgares enim Legum definitiones, quas ex Arist. Platon. ipsóque iure congerunt perpetuò Legem, rationem, opinionem virorum prudentium consultum, veritatis operationem appellant, demum ad intellectum pertinet illuminare, dirigere, regulare, & eiusmodi alia quae Legi tribuuntur, alij referunt ad voluntatem, nisi enim velit Legislator obligare subditos ad ea seruanda, quae bono communi conferre aliquid iudicat, nulla erit, Lex, vt patet, éstque solius voluntatis mouere impellere, ad actionem obligare, esse mensuram, dirigere, & illuminare non pertinet ad Legem nisi quodammodo obiectiuè, atque ita voluntati conuenit, vt constat de diuina voluntate, quae omnium actionum nostrarum prima mensura & Regula est, & eadem concepta à subdito, seu illi per ratioonem propriam applicata eundem dirigit & illumioat, sed instar obiecti. Denique cum ferre Legem pertineat ad iurisdictionem & iustitiam legalem, erit actus eiusdem facultatis, ad quam pertioet tum iustitia legalis, tum iurisdictio quas in voluntate residere nemo ambigit, scitè igitur dixit Vlpianus. *l.* 1. *ff. de constit. Principum. Quod Principi placuit Legis habet vigorem.* In hac sententia plures esse dicuntur, quos tamen aliud velle & dumtaxat voluntatis io se ipsam aliasque potentias imperium adstruere contendit Sal. *t.* 2. *de legib. d.* 5. *s.* 5. mihi expendere non vacat: vnus Castro. *lib.* 1. *de lege paenal. c.* 1. saltem ita sentit, accedit Suar. *lib.* 1. *de Legib. c.* 5. *n.* 24. ait enim si rem ipsam spectemus, Legem esse rectam & iustam voluntatem Legislatoris volentis subditos obligare, nomen tamen ipsum impositum fuisse ad significandum externum imperium & signum offensiuum voluntatis superioris; atque ea de causa dici quoque posse actum intellectus in Principe, qui dictat Legem externam, aut qui ad illam exterius exhibendam aptus est, quo actu Lex est veluti scripta in Principe, quem actum dixit *lib.* 2. *c.* 3. *num.* 6. esse notitiam quam habet Princeps de suo decreto & voluntate obligandi subditos; accedit ad Sua. Sal. *disp.* 1. *citata num.* 36. Cum Legem definit, voluntatem obligandi exterius expressam, siue mediatè siue immediatè, siue verbo, siue scripto siue, quo alio modo exprimatur: alij ad vtramque rationalem facultatem pertinere dicunt, asseruntque vulgò Gregor. *in* 1. *d. vlt. q.* 1. de cuius tamen mente Lis est. Sanè Becan. ita sentit 1. 2. *tract.* 3. *c.* 1. *quaest.* 1. *num.* 11. quamquam Legem io seipsa consideratam dicat esse obiectum complexum intellectus practici, v. g. furtum esse fugiendum, quod dirigit, & illuminet aliaque quae vulgò Legi tribuuntur obiectiuè praestet, esséque fundamentaliter in rebus, obiectiuè in intellectu. In furto enim est & ratio furti, & ratio fugiendi atque earum rationum connexio, ex qua sequitur illud complexum, furtum est fugiendum, quod apprehendit intellectus, & tanquam regulam ad quam suam actionem dirigat, proponit voluntati, quae si eadem teneri subditos velit, ex vtroque illo actu intellectus indicantis, quid bonum quidve malum sit, & voluntatis volentis seruari à subditis exurgit Lex, accedat tamen tertius actus, necesse est quo videlicet imperet subditis qui est explicatio secundi, & intimatio voluntatis prius susceptae. Pesant. *tract. de legib. d.* 2. distinguit in Lege vim directiuam, & obligatiuam, prior pertinet ad intellectum cuios sit iudicare quid prosequendum quidve fugiendum sit, posterior ad voluntatem ab eoque est veluti complementum Legis, quia tamen ea primario consistit in vi directiua pertinente ad intellectum, rectè definita est à S. Thom. ordinatio rationis, & simpliciter actus intellectus dici potest.

Tota haec controuersia magnam partem est de nomine vt vides & à nobis de Lege diuina aeterna disputantibus fere definita manet, distinguimus itaque in hoc negotio triplicem actum, primus est iudicij prudentialis, quo adhibito examine & diligenti consultatione. Legislator tandem iudicat quid Reip. positis omnibus circunstantiis magis conseutaneum sit. Secundò actus est voluntas obligandi subditos ad ea quae optima indicata sunt seruanda, seu voluntas ea praecipiendi, neque enim distinguo has voluntates. Impossibile enim est velle praecipere, & non velle obligare, vt omnes communiter docent contra Medin. 1. 2. *q.* 90. *art.* 1. quod autem ibi affert de iuramento quo quis potest se obstringere. Etsi non habeat animum se obligandi, simile non est quia in iuramento duplex fingi potest obligatio, quarum vna oriatur ex praecepto naturali, quo quilibet tenetur id facere, verum ad cuius veritatem Deum in testem adduxit, ne Deum qui summa veritas est, falsitate veluti aspergere velle videatur, altera est obligatio standi promissis, quae ex voluntate promittentis nascitur: Cum itaque hae obligationes diuersas habeant causas, diuersae seiungi poterunt. At verò obligatio quae oritur in subdito, ex sola voluntate praecipientis emanat. Quare velle praecipere verè & non fictè, & velle obligare idem omninò sunt, neque seiungi possunt, quod idem assero de voluntate contra eundem Medin. Qui enim vult verè & non fictè vouere, vult etiam se obstringere, éstque ougatorium & nullum votum quo quis vult vouere & tamen non vult voto se obligare. Tertiò actus est intimatio voluntatis approbantis prius illud iudicium, & seruari volentis à Republ. qui actus praeceptum seu imperium dicitur, éstque actus intellectus electionem voluntatis subsequens, quem olim diximus de imperio monastico disputantes, non esse actum distinctum à cognitione, sed ipsummet iudicium practicum post electionem perseuerans, & à voluntate applicatum, quo prior voluntas veluti intimatur & proponitur hoc est dirigit potentias externas, 3

illis

illis enim non alio modo fit intimatio voluntatis, quare concedimus Suar. *lib.1.de legib. cap.4.n.11. & c.5.n.6.* atque *alius locis* potentias eaternas hæc imperia non percipere, & fictum esse omnem impulsum voluntatis ab intellectu, qui videtur tamen hoc imperio designari. Nam aliud nihil nos volumus quam iudicium practicum, quod prout electionem subsequitur, seu post eam perseuerat, imperium dicitur atque in Deo sine vlla imperfectione (quod acriter opponebat sua, admittitur. Ex huius imperij quod monasticum appellant Analogia de imperio in alios in quo rationem Legis consistere omnes æque fatentur, philosophandum est, dicendumque esse actum intellectus; iudicium practicum de re facienda & voluntatis illam præcipiendi, seu ad eius executionem obligandi Rempublicam subsequens, qui actus est ipsummet iudicium practicum post eam obligandi voluntatem susceptam perseuerans, eamque connotans: Illud enim est intimatio voluntatis superioris, & regula actionum consequentium, ad eius tamen complementum requiritur externa quædam intimatio qua subditis innotescat, ita sentit Vasq. *d.150. cap.3.* Val. 5 a. *d.7. quæst.1. p.2.* vbi vocat Legem rectum rationis practicæ decretum, quia habet adiunctum antecedentem actum voluntatis, & Azor, *lib.5. tom.1. cap.2. q.1.* probatur ex eo quod imperium alius actus intellectus esse nequeat præter assignatum, neque in iudicio practico præcedenti, omnem voluntatis actum ratio Legis constitui nequeat, cùm ex eo nulla prorsus nascatur in subditis obligatio, neque etiam in voluntate iudicium illud approbante, & à subditis seruare volente, nisi enim intimetur ea voluntas; neque obligat subditum cui nota non est, neque eum dirigit aut actionum eius mensura est; quæ sunt tamen duo munera præcipua Legis; non negarim tamen quod nuper asserebant Suar. & Sal. Legem vulgò accipi pro re exterius præcepta siue scripto, siue sola voce, nam ad rationem Legis non esse necessariam litteris exarari aut scriptam præstare, nisi ad memoriam si alia ratione promulgari & innotescere queat: ostendit Azor. *illo cap.a. a.4.* Suar. *lib.1. c.11. n.8. & lib.3. c.35. & lib.4. c.14.* Sal. *d.1. num.64.*

4 Altera particula definitionis erat ordinatio rationis ad bonum commune, quarum vocum duplex est, eaque legitima & probanda interpretatio, Prima affertur à Vasq. *d.151. cap.3.* Legem ferri pro communi non priuato bono, quia est commune quoddam plures & non vnum aliquem dumtaxat comprehendens, quod tamen non satis efficaciter vt videtur mihi elicitur ex S.Thom. *art.2. q.90.* suadent tamen apertè lota *l. iura ff. de Legibus iura non in singulas personas, sed generaliter constituuntur*, suadet etiam omnium Legum indultio. Nam lex æterna & naturalis omnem creaturam rationalem comprehendit vt patet; Leges quoque humanæ pro communitate aliqua perpetuò latæ sunt vt in ciuilibus & Ecclesiasticis videri potest, diuinæ quoque tum veteris Mosaicæ tum nouæ Euangelicæ idem conuenit; & sanè cùm lex sit mensura operationum, quia constituit medium virtutis, ostendit enim quod medium seruandum sit in sua materia ad honestè operandum, hæc autem mensura, seu medij constitutio vniuersalis est, & ad omnes ex sua natura pertinens, ac proinde toti communitati ex sua natura imponitur, & quamvis videantur aliqua statuta quæ singulares aliquas personas recipiunt & habent rationem Legis, illæ tamen .... aliquid præcipiunt, diriguntur ad totam communitatem, vel non sunt pro vna aliqua persona, sed pro posteris, totaque aliqua familia quæ licet non sit communitas imperfecta erat; tamen aliqua pars illustrior totius communitatis; Legis quoque priuatæ meminere aliquando iura, vt *cap. licet de Regularib. & c. duæ sunt 19. 22.* alio tamen longè sensu quam hoc loco Lex priuata vsurpatur pro ea quæ instinctu spiritus sancti in corde scribitur: vt cum quis à sæculari vita ad monasterium transit. Vnde *cap. illo. Duæ sunt.* Negat eum qui Lege priuata ducitur. Lege publica constringendum esse, quia dignior est Lex priuata quam publica, denique hanc conditionem in Lege exigunt. Sua. *lib.1. c.6.* Sal. *d.1. s.7.* & alij vulgò. Aduertendum autem est Legem imponi communitati tum distributiuè, vt à singulis ea communitate comprehensis cum distributione ac commodo seruetur, vel etiam collectiuè toti communitati, prout vna quædam persona ficta est, secundum actiones tamen quæ fiunt aliquando à tota communitate (vt vna est) licet enim non sit aliqua vnitas per accidens; atque vt iam diai exurgat vna quædam persona ficta; est tamen communitas simpliciter, & reipsa, & singuli intra communitatem contenti obligantur, ne quid contra eam Legem communitati, etiam si acceptæ, impositam operentur: duplex verò distingui solet à S. Tho. *art.3. ad 3. q.90. & art.2.* atque ex Arist. *1. polit.* Communitas perfecta & imperfecta. Perfecta, quæ sufficiens est sibi ipsi atque politicæ gubernationis capax: cuiusmodi est ciuitas. Regnum siue à locis, siue personis: quamvis non iisdem locis contentis definiatur hæc communitas. Imperfecta communitas est priuata aliqua domus, quia sibi non sufficit ad humanam fœlicitatem comparandam, & naturaliter ad perfectam communitatem, seu Ciuitatem ordinatur, vt pars ad totum, neque personæ intra eam communitatem contentæ ordinantur, vt principalia quædam membra ad vnum aliquod corpus politicum constandum, sed in vtilitatem tantum domini, cuius imperio subsunt coëunt, Lex imposita communitati perfectæ, Lex vera est quia præceptum illi impositum simpliciter commune est, quia verò imperfecta communitas, non est simpliciter communitas, & cum non sit corpus politicum, non regitur potestate iurisdictionis sed dominatiua, quæ diuersa est pro singulis personis. Nam alia est mariti in vxorem, alia Patris in liberos, alia domini in seruos sit, vt præceptum illi communitati impositum, neque simpliciter commune sit, neque à potestate iurisdictionis, ac proinde à ratione Legis, ex hac parte deficiat, quæ clarescent ex dicend. *q. seq.* de potestate Legum latiua: Non est tamen ex natura vt lex feratur pro tota communitate totaliter, sed pro aliqua tantum eius parte, quia in ea potest aliquando sufficiens ratio reperiri quæ ad regimen politicum spectet, vt si villanis vnum aliquod munus indicatur.

Alter sensus verborum definitionis quam eaponimus, videlicet ad bonum commune & maximè intentus à S.Thom. *art.2. q.90.* Est vt Lex non tantùm imponatur toti communitati, sed bonum etiam totius communitatis maximè spectet: cum enim Lex sit mensura actionum omnium, primum principium, quod est vltimus finis, & fœlicitas respicere debet, omnium autem bonum singulare ad commune ordinari debet, vt pars ad totum. Et sanè cum iam docuerimus Legem imponi toti communitati, si in ea tantum bonum priuatum alicuius spectaretur. 5

Hinc fit, Primò vt Lex sit iusta & honesta. Iusta quia debet non modo sine cuiusquam iniuria ferri, sed quia vt interpretatur Vasq. *d.155. c.1.* debet omnes subditos complecti, & inter eos iustitiam atque æqualitatem seruare, neque vllum sine causa excipiat rationabili; quod sequitur vt vides ex eo quod communi saluti prospiciat: & quia ea salus consistit in remotione 6

malorum,

malorum & consecutione bonorum, fiet quoque vt honesta, debeat esse Lex sine iusta ratione materiæ; vti colligit S. Thom. *quæst.* 95. *art.* 3. qoam eandem iustititiam seu honestatem colligit *ibid.* ex eo quod sit regula actionum, ac proinde rectæ rationi congruere debeat. Denique *quæst.* 96. *art.* 4. triplicem iustitiam in Lege exigit, prima est ex fine vt ordinatur ad bonum commune, secunda ex autore ne excedat potestatem ferentis, tertia ex forma vt secundum æqualitatem proportionis imponantur onera subditis, vti iam dixi: Iniustæ autem sunt Leges quæ ex his conditionibus carent, tum etiam quæ contrariæ sunt bono diuino, vt si quæ ad Idololatriam induceret, atque hæ postremæ Leges sunt inhonestæ. Et in conscientia non obligant, vt ait ibid. D. Thom. Ratio est quia cum actus honestus præcipiatur & turpis prohibeatur altiori quadam Lege nempè æterna, Lex inferior quæ illi superiori contraria est, nulla est; vbi tamen dubitatur de Iustitia Legia standum est pro superiore & Lege cui possessio fauet vti aliàs dictum est,

7 Secundò hinc quoque sequitur, Legem facere subditos bonos, quia vt argumentatur S. Thom. *quæst.* 92. *art.* 1. cum intentio Legis tendat in bonum commune, quod si verum est, est regulatum secundum iustitiam diuinam, seu ipsa fælicitas, vt alibi dicitur, & quæ sine honestis moribus consistere nequit, necesse est, vt Leges ad bonum morale per se tendant, & cum toti non benè sit nisi ex partibus suis benè proportionaris, fieri nequit, vt bonum commune ciuitatis benè se habeat, nisi ciues boni sint; saltem illi quibus conuenit principari, alij autem in tantum quod principum mandatis obediant. Quod S.Thom. *ibid.* vocat esse bonum secundum quid, qoia bonitas qua obediunt Legi iustè præcipienti, alioqui, Lex non esset, non constituit hominem bonum simpliciter omni genere virtutum, & bonitatis moralis sed in ordine tantum ad honestatem rei præceptæ. Cum tamen in Principe bonitas simpliciter exigatur secundum omnium virtutum collectionem, quia in omnibus præcipere debet. Hinc clarescit vulgaris distinctio Arist. *cap.* 3. *lib.* 3. *polit.* de bonitate boni viri, & boni ciuis; quia bonitas boni ciuius præcisè, sumpta, est tantum bonitas *secundum quid*, seu in certo genere, quæ non sufficit ad constituendum bonum; quamquam qui paret est Ciuitatis, non sit bonus simpliciter, nisi sit & bonus ciuis & bonus vir; quia bonum ex integra causa, poterit tamen esse bonus ciuia & non bonus vir, quia esse bonum Ciuem est esse bonum, *secundum quid*. Deniqoe quod S.D. addit Leges etiam Latronem facere bonum, *Secundum quid*, secundum illud regimen, quia etiam Latrones habent bonitatem quæ relucet in ea obedientia, quæ tamen mala est, loquitur de Lege in ampliori quadam significatione. Iam enim constat Legem inioſtam non esse veram Legem, ac proinde bonum, *secundum quid*, vsurpat pro quocumque bono etiam non morali cuiusmodi dicitur, bonus pictor, bonus scriptor, nam obsequendo præceptis artis, aut etiam Legibus iniquis, neque bonitas moralis neqoe honestas acquiritur: quamvis autem posset impleri Lex per actum malum, non aoertitur quod diximus de bonitate intenta, & reuera procurata per Legē, sed solum eam non reddere, ita hominem bonum, vt ipse in eius etiam obseruatione non possit malitiam aliquam miscere, quia Lex præcipit quidem actum bonum, & intendit vt benè fiat, non tamen semper hoc vltimum imperat, sed solam actus substantiam, cum finis Legis non cadat sub Legem.

Ad has autem conditiones iustitiæ & honestatis reducit eas omnes quas Legi assignauit Isid. S.Thom. *quæst.* 95. *articul.* 5. de quibus vide Suar. *lib.* 1. *capu.* 9.

Tertia particula desioitionis erat, vt Lex ab habente curam communitatis promulgetur, per habentem curam communitatis intelligitur is qoi habeat publicam potestatem: In hoc enim differt consilium qood est etiam rationis ordinatio, & in bonum commune dari potest, si toti communitati vel Principi detur à præcepto, quod consilium nunquam emanet à superiori, vt superior est; præceptum aotem semper potestatem in præcipiente supponat: Lex autem præceptum est, vt constat toti communitati impositum: exigit igitur in imponente potestatem, eamque publicam. Quænam verò sit ea potestas dicetur 4. *seq.* Ex hac potestate necessariò & immediatè emanat obligatio in subditis, quæ licet sit proximus, & quoddammodo formatus effectus, atque adæquatus Legis, visque haec inducendi sit essentialis Legi, satis in ea particula allatæ definitionis continetur; fuitque superfluum illam addere, vti expressius fecit in longiore sua definitione Val. *quæst.* 1. *p.* 2. *d.* 7. sed de obligatione fusè *q.* 4. inferius. 8

Postremo exigitur rationis Legis promulgatio, qoam aliqui ipsius Legis causam formalem assignant sed de ea alibi.

Diuisio Legis.

Diuiditur Lex vniuersim in diuinam & humanam, diuina in Mosaicam & Euangelicam. Humanam partiiur. S.Th. *q.* 95. *a.* 4. primò prout à naturali deriuatur in ius gentium & ciuile: ios enim gentium manat à naturali per modum conclusionum particularium, cuiusmodi sont iustæ emptiones & venditiones. Ius ciuile ab eodem naturali per modum cuiusdam particularis determinationis deriuatur, quatenus sibi quædam magis accommoda quælibet ciuitas eligit, & iuri naturali adijcit, de qua diuisione dictum est Secundò prout Lex ordinatur ad bonum commune, diuiditur ratione eorum qui eidem bono immediatius vacant in legem sacerdotum militum &c. Tertiò qoia Lex fertur à gubernante communitatem secari potest in legem diuersarum politiarum Democratiæ Monarchiæ Aristocratiæ, quibus exponitur, *Oligarchia tyrannis* 4. ratione subiectæ materiæ actuū, videlicet quos prohibet aut imperat diuersa Lex, quæ sæpius à suo authore nominatur, vti Lex Iulia, Cornelia, de quibus & alijs vide Suar. *lib.* 5. *cap.* 1. qoi *cap.* 2. Addit alteram diuisionem in odiosam fauorabilem; odiosa est quæ pœnam, vel aliud grauamen infert, Fauorabilis qoæ fauorem seu beneficium concedit, quod ita intelligendum est, vt ex parte materiæ Legis sit purus fauor, aot grauamen. Potest autem eadem Lex esse fauorabilis & odiosa diuerso respectu, nam vel istæ duæ rationes ita connexæ sunt, vt vna augeri nequeat sine alia; quia nempè fauor vnius crescere nequit sine damno alterius: Aliquando verò non est tanta ea connexio, & grauamen alicuius crescit sine aliorum fauore, vel è contra fauor vnius augebitur allorom iniuriæ aut damno immunitatis. Et tunc potest Lex eadem ampliari secundùm fauorem quem alicui præstat, & restringi prout odiosa est, neque quoties duæ istæ rationes connexæ sunt inter se, vna est alteri præferenda ad libitum, sed pensatis omnibus circunstantijs & motiuis, videndum est. Quid iustitia & honestas rectaque ratio postulet: quamuis simpliciter loquendo & vbi omnia sunt paria, aut se habent vt excedens, & excessum, fauor sit præferendus, quia Lex ex sua natura fauorem & bonum 9

booum commune spectat, odium autem tantùm velut accideoti. Odiosæ leges istæ numerantur pœnales, tributum imponens, factum irritans, & Legi communi derogans, aot eam abrogans. Denique diuiditur Lex in scriptam, & non scriptam, atque magis vsitata partitione in Canonicam seu Ecclesiasticam, & Ciuilem, quæ diuisio sumitur tum ab authoribus, tum à vario regimine, & politijs, tum à finis tum à subditorum diuersitate; quia Canonicæ totom orbem obligant, Ciuiles autem peculiaria solùm Regna, aut Ditiones Principum, à quibus feruntur, quæ omnia ex reliqua disputatione lucem accipiens.

QVÆSTIO IV.

De potestate condendi leges ciuiles.

Duplex potestas œconomica & ciuilis, n. 1.
Potestas Legum latiua naturæ conformis, n. 2.
Principalis origo, n. 3.
Diuersæ communitates existunt, n. 4.
Causæ Ciuiles communitatis, n. 5.
Politica potestas naturalis, n. 6.
In quo resideat ea potestas, n. 7.
Quomodo principatus sit à Deo, n. 8. & 9.
Potestas Legum latiua non pugnat cum libertate Euangelica, n. 10. 11. & 12.
Supremus Princeps & legislator, n. 13.
Iurisdictio non pendet à moribus, n. 14.

1 DVplicem potestatem volgò distingunt Iuristæ, æconomicam videlicet, & politicam, prior quam etiam aliqui dominatiuam appellant, est solum circa priuatas personas & respicit commonitatem tantùm imperfectam, eaque triplex statuitur, Patris in filium, viri in vxorem, domini in seruum, è quibus duæ priores immediatè oriuntur ex iure naturali. Tertia ex iure gentium vel ciuili: Nam ex naturali origine quam filius accipit à Patre, illi quoque subiicitur, vt & viro Vxor, posito tamen contractu humano matrimonij initi, qui contractus etiam de iure naturali est; propagatio enim hominum & commixtio Maris ac fœminæ maximè naturalis est, promiscua autem libido ipso etiam iure naturali vetitor, 8. matrimonium quo certa vxor eligitur est quoque de iure naturæ, quamuis motuum partium consensum exigat. Potestas verò Domini in seruum, vel oascitor ex iure gentium, vt in seruum iusto bello captum, qui in pœnam sua libertate priuatur, vel ex iure ciuili per contractum homanum, dum quis se ipsum vendit alieri, & sua se libertate sponte priuat. Potestas verò politica respicit perfectam communitatem, quæ scilicet vt vnũ corpus politicum ex varijs voione quadam in ordine ad gubernationem & regimen coäluit. Vnde vocatur potestas iurisdictioois à qua nempè publicæ potestates formaliter habent, vt sint publicæ potestates, vt ait Molin. *tract.* 5. *d.* 2. *Definitur*, autem iorisdictio à Victo. *Relect. de potestate* Molin. *d.* 21. *tract.* 2. *& d.* 2. *tract.* 5. Facultas alicuius authoritatem & eminentiam babentis super alios ad eorum regimen & gubernationem: & sanè Arist. *lib.* 3. *Polit. cap.* 4 *aliàs* 6. Definit politiam, ordinationem Ciuitatis imperiorum & eius maximè quod omoibus præest, πόλεως τάξις τῶν τε ἄλλων ἀρχῶν ϗ μάλιστα τῆς κυρίας πάντων. Et Plato in Polit. ἀνθρωπονομικὴν, Artem pascendorum hominum, alij rectius vt mihi videtur, rerum & vitæ sub vna suprema potestate ad benè beatéque videndum societas, ex qoibus videa duas has potestates æconomicam scilicet seu domioatiuam, ac politicam plurimom differre. Nam æconomica tendit in bonum proprium ipsius imperantis; nam quæ fiunt in aliqua familia & à personis eius in commodum patris familias, potius quàm singularum personarum saltem immediatè cadunt, vt in ministerijs Domino exhibitis à seruo videre est. Potestas verò politica quæ maximè directiua est, bonum ipsius subditi qui regitur primariò respicit, neque instituta est alium ob finem, vt in definitione politiæ modò dicebamus, & fusè ostendit Arist. *cap.* 6. *lib.* 3. *polit.* Deinde potestas dominatiua non habet æqualem vim ad cogendum seu coërcendum: Vnde Domino non licet sæuire in seruum, atque politica quia ad tuendam communitatem, & omnes eius partes in officio continendas maior coërcitio quàm io priuata domo necessaria est. Denique ex his potestatibus sola politica seu Iurisdictionis Legem condere potest: id enim passim omnes soli Regi aut simili supremæ potestati tribuunt, & sanè cum conditio Legum maximè spectet ad bonum communitatis, & eius gubernationem, statim apparet eum statum pertinere ad potestatem gubernatiuam, seu politicam aut Iurisdictionis, quæ ex sua natura publica est, & totam communitatem respicit, cum dominatiua sit solùm priuata, & circa priuatas personas, quæ solum præcipere potest virtute sibi debitæ obedientiæ à seruo, aut Iustitiæ ab vxore, aot pietatis à filio, exigendo videlicet vsum rei suæ, aut sibi promissæ. Filius eoim est aliquid Patris, vxor viri; & seruus Domini: Lex autem præcipit constituendo actum & medium virtutis in aliqua materia, aliunde non debita, saltem aliquando, atque necessitatem in illa materia imponendo, quæ proindè ad longè aliam potestatem à priuata pertinet. Quare Molin. definit. *tract.* 5. Hanc iurisdictionis potestatem facultatem faciendi, circa ea quæ sibi taoquam superiori subduntur, ea omnia ad quæ munus superioris se extendit, inter quæ nullus dubitarit imprimis esse Legum conditionem. De hac igitur potestate Legum latiua modo disputamus.

Dicendum est dari Legitimam potestatem condendi Leges Ciuiles, quæ in quolibet supremo principe residet.

Hac assertione geminum errorem conuello, pri- 2
mus est omnem potestatem politicam tyrannicam esse, & libertatis quam à natura babemus inimicam. Alter libertati saltem Christianæ omnes Leges tum ciuiles, tum Ecclesiasticas repugnare.

§. 1.

Potestas Legum latiua naturæ consentanea est.

Priorem illum errorem pauci omninò docuerunt. immò vix certus illius author proditur, quod enim de Iuda galilæo traditur *act. c.* 5. Et à Ioseph. *cap.* 1. *lib.* 18. Omnem principatum respuente, intelligendum est de solo Iudaïco populo quem dolebat. Romanis subijci; cum vnum Deum principem agnosceret. Potuit tamen suaderi hic error tum ex dominio quod homini in reliqua aoimantia dedit Deus, non in hominem. Vnde ait Aug. *lib.* 9. *de ciuit. c.* 15. Primos iustos pastores magis pecorum quàm Reges hominom fuisse constituros, tum ex ipsa origine principatuum, qui videntur per vim inducti. Cain feros Homo primus ciuitatem ædificauit, & Nembrod robustus,

bustus, venator primus homines sibi subiecit, & si maximorum regnorum repetantor origines, tyrannide occupata fuisse constabit.

3 Non potest efficacius refelli hic error, quem communis omnium gentium sensus, constans ac perpetuus vsus satis aliunde confutat, quam si principatus veram originem & Authorem prodamus, quod præstituit Arist. 3. *polit. c. 4. aliàs* 6. Et ex illo S. Thom. *Opus de Regim. lib.* 1. *cap.* 1. & *lib.* 4. *cap.* 2. Si eius tamen opus est & non Ægidij Romani: Homo enim natura sua, animal societatis amans est, & in communitate viuere appetit, quam ad communitatem inclinationem, prodit indigentia mutua, nullus enim est sufficienter ad bene viuendum instinctus.

Secundò ignorantia eorum quæ ad tuendam vitam necessaria sunt, belluæ enim habent instinctus quosdam, quibus sibi noxia & salutaria per vim æstimatiuam discernunt, quacumque tandem ratione id fiat, omnes Cerui dictamnum quærunt suo vulneri, omnes Oues Lupum fugiunt: homini verò nulla rerum indita est à natura cognitio, quamvis exhibita sit capacissima potentia intellectiua, quæ perficitur longo tantùm vsu, & experientia: & quamvis aliqua principia tum speculatiua tum practica nota esse naturaliter dixerimus, quia vti eorum termini capiuntur, statim connexio eorum innotescit, illa tamen vniuersalia duntaxat & communia sunt, ex quibus ad praxim deducendæ sunt singulares conclusiones, quod ab vno solo præstari vix potest, maximè si obtusi sit ingenij, & licet sit acriore mente, id tamen nisi ab aliquo iuuetur, non nisi post multam cogitationem sæpè præstabit, immò ipsi etiam termini quibus ea principia vniuersalia constant, non intelliguntur, nisi aut ab alio explicentur, aut ipso vsu, & inductione in singularibus percipiantur, & veluti sensu ipso tractentur.

Tertiò loquutio & sermocinatio quæ soli homini concessa est, vt sua intima sensa prodat, satis ostendit hanc ad communem societatem naturæ rationalis propensionem.

4 Prima communitas est, inquit Aristotel. 1. *polit. cap.* 2. Maris est fœminæ ob generationem & speciei conseruationem, eaque maximè naturalis est, vt patet in animantibus & plantis: Secunda est Domini & serui ad salutem & conseruationem rerum; differunt tamen quod fœmina sit ad generationem non ad seruitutem, licèt hac in parte Barbari errent, & fœminis vti ancillis vtantur, cum natura non faciat vti Fabri Delphici, qui vnum eumdemque gladium ad plura conflant, sed vnum ad vnum *ἀλλ' ἓν πρὸς ἕν*, cum perfectissimum instrumentum vni tantùm vsui deseruiat. Ex his duabus societatibus quas vides esse maximè naturales domus exurgit, ait enim Hesiod. *οἶκον μὲν πρώτιστα γυναῖκά τε βοῦν τ' ἀροτῆρα.* Esto domus primum, & mulier tibi, & bos arator, bos enim est pauperibus pro seruo. Itaque domus est *εἰς πᾶσαν ἡμέραν συνεστηκυῖα κοινωνία κατὰ φύσιν*, naturalis seu secundum naturam societas in omnes dies, hoc est ad omnia quæ fiunt quotidie; quare domesticus vocat Charondas *ὁμοσιπύους* conuictores, Epimenides cretensis *ὁμοκάπυους* communi foro vtentes. Ex hac autem prima societate alia consequitur quæ ex pluribus domibus fit. Estque pagus non iam quotidianæ vtilitatis gratiæ, vtilitatis tamen causa, estque veluti domus alicuius propter propagationis coloniam, vnde in eodem vico degentes vocant *ὁμογάλακτας παῖδάς τε καὶ παίδων παῖδας.* Quare & hæc societas maximè secundum naturam est, ex pluribus autem pagis tertia societas conflatur, quæ est ciuitas habens totius sufficientiæ finem *ἔχουσα πέρας τῆς αὐταρκείας*; Ciuitatem autem non differre à domo, aut pago sola multitudine notarat Aristoteles *cap.* 5. *libro* 1. *polit.* quasi nihil intersit inter *μεγάλην οἰκίαν καὶ μικρὰν πόλιν.* Nam qui vt Hermotimus Rex Parthorum 600. liberos & 300. vxores haberet, & eum Crassu 500. mancipia non faceret nisi vnam familiam, aut vicum non Ciuitatem. Itaque potest esse ciuitas minor multitudine familiæ, & domos superiore numero ciuitatem, differunt igitur. Primo fine, quia domus ordinatur ad Ciuitatem quæ instituta est ad benè viuendum, seu ad sufficientiam benè viuendi. Secundò differunt in modo regiminis: Ciuitas enim est plurium familiarum sub eodem supremo Imperio administratio; & sanè cum in Ciuitate sit illa adunatio plurium familiarum quæ in pago non repetitur, debet aliquod esse vinculum morale inter ista diuersum. Hoc autem non est sola propinquitas aut vicinitas, quia repetitur in pago, & aliquando maior quàm in Ciuitate, neque coniunctio in eodem generis authore & parente, quia hæc non est in Ciuitate. Est igitur vnio politica, hoc est necessitudo ad se se mutuo iuuandum, & subordinatio aliqua singularum familiarum ad vnum regimen & administrationem vt dixi. 22.

Ex his autem duo collige; Primum cum Arist. *eod. cap.* 2. 1. *polit.* communitatem Ciuitatis esse maximè naturalem. Primo quia partes ipsius compositi videlicet societas domestica, & pagi sunt maximè secundum naturam, vti ostensum est 9. & totum seu Ciuitas ex his resultans imò prius est natura totum, quam partes, quia illud primò intendit natura ad quod reliqua dirigit, & quo sublato cætera perire necesse est, veluti corrupto corpore, pereunt etiam manus & pedes.

Secundò quia finis Ciuitatis est optimum nempè sufficientia, vt omnibus videlicet ad benè viuendum abundent singuli, qui solitariè sumpti indigentissimi sunt. Quare solitarius, aut Deus aut fera est, qui aut nullis indigeat, aut sua non curet *ὡς τὸ ἢ θηρίον ἢ θεός*: quam indigentiam hominis ad vitam tuendam & fœliciter instituendam latè hoc loco persequuntur Victo. *Relect. de potestate ciuili numero* 3. Molin. *tract.* 2. *disp.* 21. Bellarm. *lib. de laid. cap.* 5. Et alij passim. Tertiò addit Arist. hominem sine virtute, immanissimum esse animal. Iustitiam autem quæ vna omnis virtus maximè continetur, aliquid politicum & ciuile esse, cum *δίκη* sit *πολιτικῆς κοινωνίας τάξις*. Ordinatio ciuitatis *ἡ δὲ δίκη τοῦ δικαίου κρίσις*. 5

Huc refero quæ habet Plato in Prologo, Epimetheum arma, Robur vestitum, & eiusmodi alia animantibus quæ finxerat concessisse, Prometheum autem vulcani & mineruæ artificiosam sapientiam, seu artium disciplinam subripuisse, hominibusque largitum esse, vt sibi victum vestitumque pararent, cum vagi & palantes errarent bestijs obnoxij, quare, vrbes tandem ædificarunt verùm mutuis sese lacessere pergebant facultate ciuili carentes, sed eorum vices miseratus Iupiter Mercurium qui pudorem omnibus conferre, & iustitiam misisse; ac propterea Athenienses in consilium omnes vocare: in polit. verò dixit mundum à Deo conditum, plures fuisse passum mutationes, auream fuisse ætatem Saturno regnante, quam *ἀρχὴν καὶ βασιλείαν* vocat, dum Deus ipse regeret hunc orbem, qui ea beatitate, excidit, Deo dimittente gubernacula, quæ tandem resumpsit & hominibus subsidiis aduersus ingruentia vndique mala indigentibus, præter artium ad-

minicula politici ordinis *ἰσάζειν* contulit. Hæc tamen ratio petita ab indigentia hominis, qui ea de causa cogitur in commuoitate perfecta & politica viuere non videtur mihi adæquara vti exposita est, quia in statu naturæ integræ fuisset, vti fatentur passim omnes Molin. *d.21. tract.2.* Suar. *lib.4. de legib. capit.1. & lib.5. Exhameron.c.7.* aliqua politia non coërciua, sed directiua, quia coactio supponit aliquam deordinationem, ac proinde peccatum, nulla tamen tunc fuisset indigentia alieni auxilij, siue vt ad victum necessaria sibi singuli pararent, siue vt à feris se tuerentur, siue vt à mutuis iniuriis forent indemnes, cum & terra nullo vomere sollicitata omnia abundè supeditaret, & feræ hominis imperium paterentur, & Iustitia originia omnes prauos motus atque iniuriam cohiberet, sumenda igitur est hæc indigentia amplissimè, prout complectitur omnia quæ ad fœlicitatem naturalem quoquomodo necessaria videri possunt. Cum igitur Societas politica sit aliquid per se appetibile & iucundum non ratione peccati, ad honestam communicationem cuius natura rationalis appetentissima est, vt patet in Angelis & beatis, ea ad beatitudinem naturalem & suauissimum statum necessaria fuisset. Deinde naturam pluribus etiam aliis indiguisse, non ad corporum defensionem & vitæ tuitionem, sed ad scientias & alia animi ornamenta acquirenda, neque enim omnes fuissent æquali scientia, prudentia & virtute præditi, præterea in eo statu natura gratiæ fuerat ornata aliqua regula æterna fidei, aliquo cultu Religioso indiguissent, quo non solum priuatim, sed etiam publicè & communiter Deum obseruarent, ad quæ omnia tum communi Societate, tum principatu aliquo directiuo opus esset, immò si in eo statu peccauissent homines, etiam vis coërciua fuisset necessaria: atque hanc naturalem necessitatem communitatis perfectæ, seu Ciuitatis vides. Arist. nam *3. polit. c.9.* fusè ostendit Ciuitatem non esse tantum viuendi causa, sic enim seruorum & animalium Ciuitas esse posset, neque ad coniugia ineunda, iungerenda commercia, fœdera ineunda, propulsandos hostes, & alia eiusmodi, sed ad benè viuendum seu honestarum actionum causa, *τοῦ γὰρ εὐδαιμόνως καὶ καλῶς & τῶν καλῶν πράξεων, χάριν*, quod *lib.5. c.5.* dixit esse bonum principalissimum *κυριωτάτου πάντων*, sicut hæc Societas inter omnes est præstantissima, *πασῶν κυριωτάτη κοινωνία*. Hoc autem bonum indicat esse fœlicitatem *lib.7. c.1.* Cum negat tradi posse scientiam de politia & Ciuitate, nisi prius quæratur, quæ sit optima vita & beatitudo, *τίς αἱρετώτατος βίος*. In quo autem sit fœlicitas, inquirit *eo lib.7. & 5. c.1.* statuit fœlicitatem in aggregatione bonorum corporis & animi. Cum hæc omnia sint bona hominis, vt ibi interpretatur S. Thom. nam bonum hominis est esse perfectum hominis, & fœlicitas bonum perfectissimum ipsius hominis, hæc omnia bona debet continere, alioqui si quod deficeret non esset bonum perfectum g. neque fœlicitas. Secundò, contra veteres fœlicitatem collocat principalius in bonis animi, in aliis autem vt instrumentis tantum & ornamentis, itavt debeat esse maior excessus in virtute, & actione studiosa ac intellectuali, mediocria verò possessio bonorum externorum, primò quia bona fortunæ conseruantur & acquiruntur per virtutes, & non è contrario. Illud autem est principalius quod aliud dirigit, hinc *2. Eth. dixit* sine virtute difficile sustineri bonum fortunæ. *& 2. Rhet.* Diuites elatos aliquid à diuitiis pati, secundò quia animi bona nullum finem, aut terminum habent, vti externa quæ si nimis crescant noceant, sunt enim instrumenta, omne autem vtile tale est, vt omnis excessus vel noceat habenti vel certè nihil prosit, tertiò fœlicitas est dispositio, & proprietas animæ g. debet consistere in aliquo bono ipsius, & anima pretiosior, esse corpore, quartò omnia bona externa quæruntur ab omnibus rectè sentientibus, animi gratia, & quatenus vtilia sunt ad actionem & opus, quintò Deus seipso & non per aliquid externum beatus est, *ὃς εὐδαίμων μὲν & καὶ μακάριος δι' οὐδὲν δὲ τῶν ἐξωτερικῶν ἀγαθῶν ἀλλὰ δι' αὑτὸν αὐτὸς καὶ τῷ ποιός τις εἶναι τὴν φύσιν.* Sextò Bona fortuna differt à fœlicitate, bona autem fortuna causat bona externa, & virtutes à sola recta ratione & consuetudine sunt, vnde tandem colligit optimam vitam seu fœlicitatem esse actionem optimam seu cum virtute, deinde vti disputauit an vita contemplatiua sit præferenda vitæ actiuæ, in vtramque partem definit vitam speculatiuam, priuatam meliorem esse vita practica priuata, quia illa circa diuina entia, hæc circa agibilia versatur, illa sapientiæ innititur, hac prudentia melior tamen esse speculatiua practica melior sane est vtraque priuata. vnde *c.13.* colligit fœlicitatem politiæ esse operationem & vsum virtutis perfectum, ac proinde eam esse optimam politiam in qua homines studiosi fiunt, seu quæ omnia habent necessaria ad illum finem quem non obtinebit, nam si sit bellica aut latè imperet, sed si habeat bonorum externorum sufficientiam, & in ea vigeant studiosa opera. Eo enim viri politici cura spectare debet; Ex quibus omnibus sic argumentur, cum vitæ huius naturalis fœlicitas in præcipuis animi donis ac virtutibus, cum bonorum externorum aliqua sufficientia consistat, eaque non possit obtineri nisi in perfecta societate, cuiusmodi est politica siue Ciuitatis, vt ratio & ipsa experientia satis docet, atque ipsa natura quam modo putam spectamus, pronitas ad vitia ea certè propensio quæ hominem ad naturalem fœlicitatem, seu beatam vitam instigat, eadem etiam ad perfectam communitatem impellit: Ciuitatum igitur & politicarum communitatum institutio siue nudam naturam, siue etiam integram, & gratia eleuatam ad finem supernaturalem consideres, maximè naturalis est licet hominum conuentionem voluntariam, & in vim eiusmodi corpus politicum coitionem præsupponat aut inferat.

Ex his vlterius, secundo colligo politiam vti vocat Arist. siue alicuius supremæ potestatis administrationem, esse quoque maximè naturæ consentaneam, quia vt iam sæpius insinuaui, in eo differt ciuitatis communitas à reliquis, quod in ea sit vinculum in ordine ad vnum aliquod regimen, & Arist. politiam vocet ordinationem Ciuitatis sub aliquo supremo imperio, & cum Ciuitas vt paulò superius monebam, instituta sit ad benè viuendum, idque assequi non possit, nisi fiat omnium partium communis concentus & harmonia, cui propterea politiam comparat Au. *lib.3. de Ciuit.* & fusè explicat Author. *lib.4. de Regiq. c.25.* indicatque ipsum Societatis nomen: Ea autem harmonia non fiet nisi partes singulæ in vno aliquo vniantur, Magistratu nempè & potestate directiua, quod in omni alia Societate apparet, nam vxori dominatur vir, & seruo Dominus. & pater filiis, quia hi mente præstant, & pagis ex eadem familia per Coloniam veluti proseminatis, Authores generis imperant apud Homer. vt refert Aristot. *s. polit. cap.2.* qui *cap.5.* addit imperare & parere necessariorum & vtilium esse *τῶν ἀναγκαίων καὶ τῶν συμφερόντων*, statim enim atque aliqua supposita per generationem distincta sunt, alia parent, alia imperant in non viuentibus, reperitur quoque aliquid instar harmoniæ

niæ imperans, in animantibus item atque in homine benè dispoſito, anima ſecundum naturam, hoc eſt conſentaneè naturæ corpori præſidet deſpoticè, mens quoque ciuiliter imperat appetitui tum iraſcenti, tum concupiſcenti: Et denique nullum eſt totum ea pluribus ſiue continuis, ſiue diſcretis conſtans in quo non ſit aliquid primum reliqua continens atque illis veluti imperans. Rationem reddit citatus author. de Regim. quia in eiuſmodi compoſitis debet dari aliquid cui bonum commune curæ ſit, cum partes ſingulę quia heterogeneæ ſunt ad diuerſiſſima ſæpè bona ferantur, quod maximè in animantibus videre eſt: priuata enim membra priuata quoque commoda quærunt, quæ contraria etiam aliquando ſunt bono communi, aut etiam ſi conſona ſint, non quæruntur niſi quatenus propria ſunt bona, non commune quidpiam. Quare eius cura alicui demandata eſſe debet, ne in loca fuerit hac in parte natura. Idipſum videmus in ampliſſima mundi ciuitate quam Euſeb. *lib.* 13. definit ſyſtema ſeu compages ex cælo, aère, terra, aqua, & quæ ſunt in hiſce naturis Σύνημα, in ea videmus cauſas ſuperiores quæ inferiores regant, & totius vniverſitatis bono inuigilent, quod in multitudine vnum corpus politicum conſtante efficacius omninò eſt: Rectè itaque dixit Victo. *Relect. de poteſt. ciuil.* Ciuitates & Reſpublicas non eſſe hominum inuentum, aut inter artificiata numerandum, ſed à natura perfectum quæ ad mortalium tutelam, conſeruationem adde & fœlicitet acquirendam, ſeu ad benè, beatéque viuendum hanc rationem communitatis ſuggeſſit, ſicut & ſocietatem viri & vxoris Patris & Filij. Vnde quoque colligit eundem eſſe finem & neceſſitatem publicarum poteſtatum. Quare *&* *n.* 1. dixerat neque totius orbis conſenſu omnem publicam poteſtatem abrogari poſſe: Quæ paucis complectitur Proclus *in Alcibiad.* 1. Vbi oſtendit bonum ab omnibus quidem participari, ſed aliter atque aliter & nidme quodam, quatenus ſingula apta ſunt, diuiniora enim: quemadmodum indiuiduam habent eſſentiam, ſic & bonum indiuiſum poſſident & vnitum, quæ verò à principiis longius diſceſſerunt, in diſtantia quadam & diuiſione iam poſita, bonum proprium comparant, qua propter talia cœtu quodam ad idem contendente mutuaque conſpiratione indigent, vt quandoquidem vnum quoque non habet ſufficientiam quod eſt elementum boni, ſaltem per communionem mutuam ſuppleat naturæ deffectum, atque ita debilitatem ſuam diuiſione factam, conſpiratione corroboret, hac ratione homines ſinguli ſeorſum debiles, in commune conſilium congregantur, ſic diuiſam mentem copulantes & quaſi è ſcintillis multis lumen vnum accendere conantes, ipſa autem multitudo nunquam per ſe ipſam ſibi communiter conſereus compararet, niſi circa vnum aliquid in ea præualens ſimul ordinaretur: hoc enim circa idem rerum ordinem conteſtari licet ſimilis eſt ratiocinatio Arriani *in cap.* 1. Epictet. multitudinem ſcilicet vbique vni coagmentatam eſſe, atque per cognatum vnum reuocandam ad vnitatem ipſam penitus abſolutam, atque hanc veri imperij neceſſitatem luculenter nobis veteres ſapientes explicarunt, dum imperium definiunt, vinculum quo Reſpublica cohæret, vitalem ſpiritum, quem tot millia trahunt, nihil ipſa per ſe futura niſi onus & præda, ſi mens illa imperij ſubſtrahatur. Virgam Circes quâ tactæ feræ homineſque miteſcunt; oculum & lumen quo amiſſo ille hoc & illuc impingat, & moles immenſa populi fœde ruat. Perſæ Rege mortuo quinque dies ἀνομίαν & ἀναρχίαν eſſe Leges & imperium iacere patiebantur, vt ex ſceleſtum quæ eo tempore patrabantur colluuione mala proſtrati imperij cognoſcerent,

R. P. Ioſeph. Gibalini de Scient. Can.

qua de cauſa Æthiopes non patiebantur Regem amplius duobus diebus publico carere, ne rerum aliqua perturbatio ſuboriretur. Ab Adamo ad Noëmum Barbariſmum fuiſſe ait Epiphan. quod nullum Regem haberent, ſed quilibet ſibi ipſi lex eſſet, ἀλλὰ πᾶς ἑαυτῷ νόμος τις κατὰ τὴν προαίρεσιν τοῦ ἰδίου βουλήματος.

Reſtat verò inquirendum vlterius in quavis Ciuitatis parte hæc publica poteſtas ex natura rei reſideat, diceodúmque cum Suar. *lib.* 3. *de leg. c.* 2. *& lib.* 3. *deffenſio c.* 1. *&* 2. in nullo homine ſingulari exiſtere ſed in ſola multitudine aut collectione hominum, qui in vnum corpus politicum ſpontè conueniunt, vt mutuò ſe iuuent ad finem politicum, qui eſt beatè viuere vt nuper exponebam, ſtatim enim ex natura rei exurgit poteſtas politica: & quia nulla vnquam fuit vna hominum omniũ collectio, vt ſaltem breuiſſimo tempore, nunquam fuit etiam vna poteſtas, qua omnes homines ita regerentur, immò neque fortaſſis eſſe poteſt; cùm moraliter ſit impoſſibile nationes adeò diuerſas in vnam multitudinem politicam conuenire. Non eſſe autem in aliqua determinata perſona, ex natura rei hanc poteſtatem facile liquet: quia non eſt maior ratio cur ſit vna potiùs quam alia, cum omnes natura liberos genuerit, & quamvis qui natura ſunt præſtantiores dominari debeant: vt ſæpius ait Ariſt. *in politicis.* Hinc tantùm ſequitur eos aptiores eſſe ad dominationem, non tamen ex natura rei habere in alios Iuriſdictionem, quæ tamen exigitur ad ferendas Leges vti initio dictum eſt: Et ſanè ſi cui perſonæ natura hanc poteſtatem tribueret (maximè gentis alicuius) ex eadem familiæ diſſeminatæ parenti eiuſque ſucceſſoribus. Verùm vi generationis habent tantum progenitores poteſtatem æconomicam in vxorem, liberos, famulos, totamque familiam non autem politicam, quæ plures familias inuicem adunatas in ordine ad idem regimen habet ſibi ſubditus; nam filij vti emancipati ſunt, & iam ipſi ducta vxore aliam familiam habeot, eadem poteſtate præditi ſunt in ſuas familias, atque primus generis parens in primam familiam, aut liberos neque illi ampliùs ſubduntur, quare negat Suar. *lib.* 5. Exameroo *cap.* 7. *num.* 14. Adamum (ſi in ſtatu Innocentæ perſeueraſſet,) futurum hominum Regem, aut quamdiu vixit ea vſum poteſtate ſolo progenitoris omnium titulo, contra Soto. *lib.* 4. *de Iuſt. quæſt.* 3. *art.* 1. 7

§. II.

Quomodo Principatus ſit à Deo

Ex his ſolues vulgatam q. An Principatus ſit à Deo immediatè, dicendum enim eſt poteſtatem publicam ſeu iuriſdictionem, & quæ illam neceſſariò ac intrinſecè conſequuntur, in quibus primum ferè locum habet, facultas legumlatiua eſſe immediatè à Deo, vt authore naturæ conceſſam communitati politicæ, per modum cuiuſdam proprietatis naturalis neceſſario reſultantis, eo enim ipſo quod vniatur multitudo aliqua in vnum corpus politicum, ſine vllo alio conſenſu aut inſtitutione, neceſſariò reſultat in tota communitate ea poteſtas, itave nulla voluntate, aut poteſtate impediri poſſit, ſicut eo ipſo quod creatur homo & habet vſum rationis, habet quoque dominium in ſuas actiones internas, ita eo ipſo quod ponitur corpus politicum, habet ſui ipſius regimen & in ſua membra dominium, & quamvis hæc coïtio plurium familiarum in corpus politicum, ſeu communitatem perfectam ad beatè, viuendum, 8

minicula politici ordinis ἐνέργειαν contulit. Hæc tamen ratio petita ab indigentia hominis, qui ea de causa cogitur in communitate perfecta & politica viuere non videtur mihi adæquata vti exposita est, quia in statu naturæ integræ fuisset, vti fatentur passim omnes Molin. *d.21. tract.2.* Suar. *lib.4. de legib. capit.1. & lib.5. Exhameren.c.7.* aliqua politia non coërciua, sed directiua, quia coactio supponit aliquam deordinationem, ac proinde peccatum, nulla tamen tunc fuisset indigentia alieni auxilij, siue vt ad victum necessaria sibi singuli pararent, siue vt à feris se tuerentur, siue vt à mutuis iniuriis forent indemnes, cum & terra nullo vomere sollicitata omnia abundè suppeditaret, & feræ hominis imperium paterentur, & iustitia originis omnes prauos motus atque iniuriam cohiberet, summoda igitur est hæc indigentia amplissimè, prout complectitur omnia quæ ad fœlicitatem naturalem quoquomodo necessaria videri possunt. Cum igitur Societas politica sit aliquid per se appetibile & tuendum non ratione peccati, ad honestam communicationem cuius natura rationalis appetentissima est, vt patet in Angelis & beatis, ea ad beatitudinem naturalem & suauissimum statum necessaria fuisset. Deinde naturam pluribus etiam aliis indiguisse, non ad corporum defensionem & vitæ tuitionem, sed ad scientias & alia animi ornamenta acquirenda, neque enim omnes fuissent æquali scientia, prudentia & virtute præditi, prætetea in eo statu natura gratiæ fuerat ornata aliqua regula externa fidei, aliquo cultu Religioso indiguissent, quo non solum priuatim, sed etiam publicè & communiter Deum obseruarent, ad quæ omnia tum communi Societate, tum principatu aliquo directiuo opus esset, immò si in eo statu peccauissent homines, etiam vis coërciua fuisset necessaria: atque hanc naturalem necessitatem communitatis perfectæ, seu Ciuitatis vides. Arist. nam *3. polit. c.9.* fusè ostendit Ciuitatem non esse tantum viuendi causa, sic enim seruorum & animalium Ciuitas esse posset, neque ad coniugia ineunda, iungerenda commercia, fœdera ineunda, propulsandos hostes, & alia eiusmodi, sed ad benè viuendum seu honestarum actionum causa, *τῦ γὰρ εὐδαιμόνως καὶ καλῶς* & *τῶν καλῶν πράξεων, χάριν*, quod *lib.1. c.1.* dixit esse bonum principalissimum *κυριωτάτην πάντων*, sicut hæc Societas inter omnes est præstantissima, *πασῶν κυριωτάτη κοινωνία*. Hoc autem bonum indicat esse fœlicitatem *lib.7. c.1.* Cum negat tradi posse scientiam de politia & Ciuitate, nisi prius quæratur, quæ sit optima vita & beatitudo, *τίς αἱρετώτατος βίος*. In quo autem sit fœlicitas, inquirit eo *lib.7. & 1. c.1.* statuit fœlicitatem in aggregatione bonorum corporis & animi. Cum hæc omnia sint bona hominis, vt ibi interpretatur S. Thom. nam bonum hominis est esse perfectum hominis, & fœlicitas bonum perfectissimum ipsius hominis, hæc omnia bona debet continere, alioqui si quod deficeret non esset bonum perfectum g. neque fœlicitas. Secundò, contra veteres fœlicitatem collocat principalius in bonis animi, in aliis autem vt instrumentis tantum & ornamentis, itavt debeat esse maior excessus in virtute, & actione studiosa ac intellectuali, mediocris verò possessio bonorum externorum, primò quia bona fortunæ conseruantur & acquiruntur per virtutes, & non è contrario. Illud autem est principalius quod aliud dirigit, hinc 2. *Eth.* dixit sine virtute difficile sustineri bonum fortunæ. *& 2. Rhet.* Diuites elatos aliquid à diuitiis pati, secundò quia animi bona nullum finem, aut terminum habent, vti externa quæ si nimis crescant noceant, sunt enim instrumenta, omne autem vtile tale est, vt omnis excessus vel noceat habenti vel certè nihil prosit, tertiò fœlicitas est dispositio, & proprietas animæ g. debet consistere in aliquo bono ipsius, & anima pretiosior, esse corpore, quartò omnia bona externa quæruntur ab omnibus rectè sentientibus, animi gratia, & quatenus vtilia sunt ad actionem & opus, quintò Deus seipso & non per aliquid externum beatus est, *ὃς εὐδαίμων μὲν* & *καὶ μακάριος δι' οὐδὲν δὲ τῶν ἐξωτερικῶν ἀγαθῶν ἀλλὰ δι' αὐτὸν αὐτὸς καὶ τῷ ποῖός τις εἶναι τὴν φύσιν.* Sextò Bona fortuna differt à fœlicitate, bona autem fortuna causat bona externa, & virtutes à sola recta ratione & consuetudine sunt, vnde tandem colligit optimam vitam seu fœlicitatem esse actionem optimam seu eum virtute, deinde vti disputauit an vita contemplatiua sit præferenda vitæ actiuæ, in vtramque partem definit vitam speculatiuam, priuatam meliorem esse vita practica priuata, quia illa circa diuina entia, hæc circa agibilia versatur, illa sapientiæ innititur, hæc prudentia melior tamen esse speculatiua practica melior sane est vtraque priuata. vnde *c.13.* colligit fœlicitatem politiæ esse operationem & vsum virtutis perfectum, ac proinde eam esse optimam politiam in qua homines studiosi fiunt, seu quæ omnia habent necessaria ad illum finem quem non obtinebit, nam si sit bellica aut latè imperet, sed si habeat bonorum externorum sufficientiam, & in ea vigeant studiosa opera. Eo enim viri politici cura spectare debet; Ex quibus omnibus sic argumentor, cum vitæ huius naturalis fœlicitas in præcipuis animi donis ac virtutibus, cum bonorum externorum aliqua sufficientia consistat, eaque non possit obtineri nisi in perfecta societate, cuiusmodi est politica siue Ciuitatis, vt ratio & ipsa experientia satis docet, atque ipsa natura quam modo puram spectamus, pronitas ad vitia ea certè propensio quæ hominem ad naturalem fœlicitatem, seu beatam vitam instigat, eadem etiam ad perfectam communitatem impellit: Ciuitatum igitur & politicarum communitatum institutio siue nudam naturam, siue etiam integram, & gratia eleuatam ad finem supernaturalem consideres, maximè naturalis est licet hominum conuentionem voluntariam, & in vim eiusmodi corpus politicum coitionem præsupponat aut inferat.

Ex his vlterius, secundo colligo politiam vti vocat Arist. siue alicuius supremæ potestatis administrationem, esse quoque maximè naturæ consentaneam, quia vt iam sæpius insinuaui, in eo differt ciuitatis communitas à relliquis, quod in ea sit vinculum in ordine ad vnum aliquod regimen, & Arist. politiam vocet ordinationem Ciuitatis sub aliquo supremo imperio, & cum Ciuitas vt paulò superius monebam, instituta sit ad benè viuendum, idque assequi non possit, nisi fiat omnium partium communis concentus & harmonia, cui propterea politiam comparat Ao *lib.3. de Ciuit.* & fusè explicat Author. *lib.4. de Regiz. c.25.* indicatque ipsum Societatis nomen: Ea autem harmonia non fiet nisi partes singulæ in vno aliquo vniantur, Magistratu nempè & potestate directiua, quod in omni alia Societate apparet, nam vxori dominatur vir, & seruo Dominus, & pater filiis, quia hi mente præstant, & pagis ex eadem familia per Coloniam veluti proseminatis, Authores generis imperant apud Homer. vt refert Aristot. 1. *polit. cap.2.* qui *cap.5.* addit imperare & parere necessariorum & vtilium esse *τῶν ἀναγκαίων καὶ τῶν συμφερόντων*, statim enim atque aliqua supposita per generationem distincta sunt, alia parent, alia imperant in non viuentibus, reperitur quoque aliquid instar harmo-

nia

tiæ Imperans, in animantibus item atque in homine benè disposito. anima secundum naturam, hoc est consentanee naturæ corpori præsidet despoticè, mens quoque ciuiliter imperat appetitui tum irascenti, tum concupiscenti: Et denique nullum est totum ex pluribus siue continuis, siue discretis constans in quo non sit aliquid primum reliqua continens atque illis veluti imperans. Rationem reddit citatus author. de Regim. quia in eiusmodi compositis debet dari aliquid cui bonum commune curæ sit, cum partes singulę quia heterogeneæ sunt ad diuersissima sæpè bona ferantur, quod maximè in animantibus videre est: priuata enim membra priuata quoque commoda quærunt, quæ contraria etiam aliquando sunt bono communi, aut etiam si consona sint, non quæruntur nisi quatenus propria sunt bona, non commune quidpiam. Quare eius cura alicui demandata esse debet, ne manca fuerit hac in parte natura. Idipsum videmus in amplissima mundi ciuitate quam Euseb. *lib.* 13. definit systema seu compages ex cælo, aëre, terra, aqua, & quæ sunt in hisce naturis Σύςημα, in ea videmus causas superiores quæ inferiores regant, & totius vniuersitatis bono inuigilent, quod in multitudine vnum corpus politicum conflante efficacius omniò est: Recte itaque dixit Victo. *Relect. de potest. ciuit.* Ciuitates & Respublicas non esse hominum inuentum, aut inter artificiata numerandum, sed à natura perfectum quæ ad mortalium tutelam, conseruationem adde & fœlicitet acquirendam, seu ad benè, beatéque viuendum hanc rationem communitatis suggessit, sicut & societatem viri & vxoris Patris & Filij. Vnde quoque colligit eundem esse finem & necessitatem publicarum potestatum. Quare *&* *n.* 1. dixerat neque totius orbis consensu omnem publicam potestatem abrogari posse: Quæ paucis complectitur Proclus *in Alcibiad.* 1. Vbi ostendit bonum ab omnibus quidem participari, sed aliter atque aliter & ordine quodam, quatenus singula apta sunt, diuiniora enim: quemadmodum indiuiduam habent essentiam, sic & bonum indiuisum possident & vnitum, quæ verò à principiis longius discesserunt, in distantia quadam & diuisione iam posita, bonum proprium comparant, qua propter talia cætu quodam ad idem contendente mutuaque conspiratione indigent, vt quandoquidem vnum quoque non habet sufficientiam quod est elementum boni, saltem per communionem mutuam suppleat naturæ deffectum, atque ita debilitatem suam diuisione factam, conspiratione corroboret, hac ratione homines singuli seorsum debiles, in commune consilium congregantur, sic diuisam mentem copulantes & quasi è scintillis multis lumen vnum accendere conantes, ipsa autem multitudo nunquam per se ipsam sibi communiter conferens compararet, nisi circa vnum aliquid in ea prævalens simul ordinaretur: hoc enim circa idem rerum ordinem contestari licet similis est ratiocinatio Arriani *in cap.* 1. Epictet. multitudinem scilicet vbique vni coagmentatam esse, atque per cognatum vnum reuocandam ad vnitatem ipsam penitus absolutam, atque hanc veri imperij necessitatem luculenter nobis veteres sapientes explicarunt, dum imperium definiunt, vinculum quo Respublica cohæret, vitalem spiritum, quem tot millia trahunt, nihil ipsa per se futura nisi onus & præda, si mens illa imperij substrahatur. Virgam Circes quâ feræ hominesque mitescunt; oculum & lumen quo amisso ille huc & illuc impingat, & moles immensa populi fœde ruat. Persæ Rege mortuo quinque dies ἀνομίαν & ἀναρχίαν esse Leges & imperium iacere patiebantur, vt ex scelerum quæ eo tempore patrabantur colluuione mala prostrati imperij cognoscerent, qua de causa Æthiopes non patiebantur Regem amplius duobus diebus publico carere, ne rerum aliqua perturbatio suboriretur. Ab Adamo ad Noëmum Barbarismum fuisse ait Epiphan. quod nullum Regem haberent, sed quilibet sibi ipsi lex esset, ἀλλὰ πᾶς ἑαυτῷ νόμος ὢν κατὰ τὴν προαίρεσιν τῆς ἰδίας βουλήσεως.

Restat verò loquendum vlterius in quavis Ciuitatis parte hæc publica potestas ex natura rei resideat, dicendúmque cum Suar. *lib.* 3. *de leg. c.* 2. *& lib.* 3. *deffensio c.* 1. *&* 2. in nullo homine singulari existere sed in sola multitudine aut collectione hominum, qui in vnum corpus politicum sponte conueniunt, vt mutuò se iuuent ad finem politicum, qui est beatè viuere vt nuper exponebam, statim enim ex natura rei exurgit potestas politica: & quia nulla vnquam fuit vna hominum omniũ collectio, aut saltem breuissimo tempore, nunquam fuit etiam vna potestas, qua omnes homines ita regerentur, immò neque fortassis esse potest; cùm moraliter sit impossibile nationes adeò diuersas in vnam multitudinem politicam conuenire. Non esse autem in aliqua determinata persona, ex natura rei hanc potestatem facile liquet: quia non est maior ratio cur sit vna potiùs quam alia, cum omnes natura liberos genuerit, & quamvis qui natura sunt præstantiores dominari debeant: vt sæpius ait Arist. *in politicis.* Hinc tantùm sequitur eos aptiores esse ad dominationem, non tamen ex natura rei habere in alios Iurisdictionem, quæ tamen exigitur ad ferendas Leges vti initio dictum est: Et sanè si cui personæ natura hanc potestatem tribueret (maximè gentis alicuius) ex eadem familiæ disseminatæ parenti eiusque successoribus. Verùm vi generationis habent tantum progenitores potestatem œconomicam in vxorem, liberos, famulos, totamque familiam non autem politicam, quæ plures familias inuicem adunatas in ordine ad idem regimen habet sibi subditas; nam filij vti emancipati sunt, & iam ipsi ducta vxore aliam familiam habent, eadem potestate præditi sunt in suas familias, atque primus generis parens in primam familiam, aut liberos neque illi amplius subduntur, quare negat Suar. *lib.* 5. Exameron *cap.* 7. *num.* 14. Adamum (si in statu Innocentæ perseuerasset,) futurum hominum Regem, aut quamdiu vixit ea vsum potestate solo progenitoris omnium titulo, contra Soto. *lib.* 4. *de Iust. quæst.* 3. *art.* 1. 7

§. II.

Quomodo Principatus sit à Deo

8 Ex his solues vulgatam q. An Principatus sit à Deo immediatè, dicendum enim est potestatem publicam seu iurisdictionem, & quæ illam necessariò ac intrinsecè consequuntur, in quibus primum ferè locum habet, facultas legumlatiua esse immediatè à Deo, vt authore naturæ concessam communitati politicæ, per modum cuiusdam proprietatis naturalis necessario resultantis, eo enim ipso quod vniatur multitudo aliqua in vnum corpus politicum, sine vllo alio consensu aut institutione, necessariò resultat in tota communitate ea potestas, ita vt nulla voluntate, aut potestate impediri possit, sicut eo ipso quod creatur homo & habet vsum rationis, habet quoque dominium in suas actiones internas, ita eo ipso quod ponitur corpus politicum, habet sui ipsius regimen & in sua membra dominium, & quamvis hæc coïtio plurium familiarum in corpus politicum, seu communitatem perfectam ad beatè, viuendum,

supponat consensum ita coëuntium, non propterea dicitur potestas, ex ea adunatione ea natura rei resultans esse ex hominum institutione, sicut neque dominium viri in vxorem, aut Patris in filium dicitur ex iure gentium, & si supponatur consensus contrahentium matrimonium; est igitur de iure diuino & naturali potestas politica, atque hoc vnum probant, quæ offert Vict. *Relect. de potest. ciuil.* Vt probet Regiam potestatem esse à Deo immediatè, nam solum ostendunt supremam potestatem in Repub. esse à Deo & vt iam ostendi, addidi autem esse concessam toti communitati, quod sequitur ea ijs quæ nuper docui, in nulla determinata communitatis parte aut personam hanc potestatem ex natura rei residere, sed in tota collectione, in qua tamen non est immutabiliter: Ea enim priuari potest, sed communi consensu in alium transferendo, vel etiam eam iusto aliquo titulo amittendo, vt fit in bello iusto; sicut licet homo sit natura liber, potest tamen, vel dare vel vendere se in seruum alteri, vel etiam libertate priuari; Vt contingit iusto bello captis: quia quamvis hæc potestas sit proprietas ex natura rei communitatem politicam consequens, est tamen proprietas tantum moralis, quæ eam immutabilitatem non seruat, quam naturalis quæ tamen vti à disputationibus certis pendent, mutabiles quoque sunt. Vnde autem fit vt ex, arbitrio humano pendeat modus huius potestatis, & alibi sit Aristocratia, alibi Monarchia Successione alicubi, alibi electione ineatur, provt videlicet communitas suam potestatem vni aut pluribus commisit, neque alia fuit mens Molin. *d.* 26. Bellarm. *lib.* 3. *de lai. cap.* 6. Suar. *lib.* 3. *de legib. c.* 3. *&* 4. *& lib.* 3. *defens. cap.* 2. *&* 3. dum negant regiam dignitatem esse immediatè à Deo: Volunt enim dumtaxat Deum non instituisse hoc Regimen, nisi mediante hominum voluntate, quamquam sicut iure naturali multitudo politica habet potestatem in seipsam, eodem iure naturali debeat transferre illam in vnum, aut plures, cum ipsa per se ipsam exercere non possit; atque ita principatum esse quoque de genere naturæ neque vllo hominum consensu posse tolli omnes Principes & Rectores. Quod verò attinet ad particulares species politiæ, illæ sunt de iure gentium, quare non sunt à Deo, nisi mediante hominum electione, aut Consilio, vnde enim constat Deum vel Regiam dignitatem, vel aliam quampiam ordinariam Legem, aut instituisse, aut alicui familiæ assignasse, aut eam ea natura rei necessariò esse vsurpandam, quod enim dicitur de Saüle & Dauide à Deo institutis Regibus, specialem institutionem & positiuam innuit non naturalem, illa enim fuisset communis toti orbi, essétque immutabilis, & sanè diuersitas politiarum quæ hactenus vsurpata est, satis ostendit nullam ex natura rei necessario in communitate resultare, sed arbitrariam fuisse, quamvis aliqua necessaria sit: ex quibus omnium optimam Monarchiam esse fatemur, & in qua magis consulatur libertati. Vt notauit *Victor. Relect. cit. num.* 11. quia cum eadem sit potestas suprema, siue in vno solum, siue in pluribus resideat, melius tamen est, & libertati magis consonum vni Domino quàm pluribus subijci: Hæc omnia illustrantur duplici exemplo, primo dominiorum quæ partim iure gentium partem iure ciuili inducta sunt, quia licet omnium dominium homini dederit Deus, non tamen vlli particulari aliquod particulare contulit, ordinarie saltem, nam quod Chananeam Hebæis dederit, id fuit extraordinarium: sunt tamen omnia dominia à Deo, sed mediatè, vt prioria donationis quæ omnia contulit homini, & quando deinde per homines facta est ea diuisio, ipse prouidentia singulari concurrit, atque factam sic diuisionem seruat imperat, qua etiam simili ratione Regnat, largitur, mutat imperia, & vt ait Philo atque etiam Plaut. sceptra vt pilas habet, quod tamen non fit nisi immediatè per causas secundas, bella videlicet, Victorias, successiones, & eiusmodi alia quæ ipsa tamen peculiari ratione temperat, & vt lubet vrnam versat. 2. Alterum exemplum petitur à seruitute: si quis enim se in seruum alteri vendat, tota illa seruitus & potestas quam Dominus acquisiuit in seruum, est à iure humano, quamvis radix illius potestatis sit aliquid naturale, nempè libertas à qua habuit seruus, vt possit se in seruum vendere, & alteri potestatem in se conferre, ita potestas quam Rex in temp. acquisiuit, est quidem immediatè à iure gentium, sed radicaliter à iure naturali; hinc fit vt in ipsa Regia dignitate sit in varijs nationibus ingens diuersitas, quod mihi videtur indicasse S. Chrys. *hom.* 23. *ad Rom.* Vbi expendens illa verba Pauli, *non est potestas nisi à Deo*; Notat non dixisse Paul non est princeps nisi à Deo, nempè quia etsi potestas ipsa à Deo sit immediatè vti ostensum est, modus tamen principatus, ipseque princeps non sunt à Deo immediatè, quamvis non sine eius prouidentia. Acquiritur verò hæc potestas ab vno aliquo in Remp. primo designatione diuina immediate vt factum legimus in Saule & Dauide, secundo per successionem hæreditariam, in qua tamen primus cui Reliqui succedunt, debuit eam potestatem habuisse à communitate suum ius in illum transferente. Tertiò bello iusto, aut si fuit iniustum progressu temporis, debuit populus iugo sibi imposito consentire, qua fere ratione omnia Regna inchoâta videntur. In quibus tamen omnibus, vides remotè saltem & radicaliter à communitate deriuatam esse hanc potestatem in aliquo. Neque propterea sequitur Regem subijci regno, & ab eo ad libitum exauthorari posse, vt plures obijciunt quod magnum foret incommodum, non sequitur inquam, quia iam Rex ea natura rei, & iure diuino naturali superior regno est, neque populus abdicatam à se semel potestatem recipere potest, sed iugum pati debet, sicut seruus qui venditione libertate sua se priuauit, eam resumere nequit, sed iure naturali tenetur Domino; qui verum ius in illum acquisiuit seruire, quod etiam exemplo peculiaris dominij (facta rerum diuisione) illustratur, & si enim ea diuisio sit tantùm ex iure gentium, ea tamen posita nulli licet alium rei suæ dominio spoliare. Vnde etiam sequitur neque posse populum facultatem olim veteribus Regibus concessam, aut consuetudine aliove iusto titulo vsurpatam modo restringere, quod si dubium oriatur de limitibus huius potestatis, possessio fauebit Regi vt in materia de conscientia dubia exposuimus, idque vnũ fortasse contendunt, qui regiam dignitatem à Deo immediatè esse dicunt; iure enim naturali & diuino illi parendum est, quod sufficit etiam vt Mininistri Dei & per Deum regnare dicantur in scripturis, addita maximè præcipua cura, quam Deus circa illos humanarum dignitatum hominumque vertices habet.

Dices si hæc suprema potestas data est immediatè 9
primum, & ex natura rei toti communitati, sequitur Democratiam esse politiam maximè naturalem, immò & immutabilem. Nego sequi quia hinc haberetur politiam esse administrandam semper à tota communitate, quod tamen impossibile est, & necessariò vt dixit Bellarmin. *l. c.* 6. debet in vnum vel plures trãsferri, atque ne digrediar in ea quæ de Democratia fusè disputat Arist. *libro tertio & 6. polit. illa.* Non ita dicitur quod omnes regant, sed quia ex omnibus ordinibus aliquot magistratus, omnesque & singuli

eorum

eorum capaces sunt, & licet eiusmodi electio ex omnium suffragiis pendeat, ipsum deinde potestatis exercitium poenes magistratus manet, debet imperio, igitur communitas à se abdicare ad tempus in quosdã magistratus; donec alios eligat, ipsa autem in perpetuum in vnum aliquem reijcere potest. Dum igitur dicimus supremam potestatem concessam fuisse communitati. Ex natura rei. volumus tantum nullam esse singularitatem personam, cui ea facultas in alias competat ex natura rei, sed communitatis esse eiusmodi à quibus regatur; eo quo libuerit modo designare, atque ita omninò debere, neque posse apud se eam potestatem retinere, cum eam exercere nequeat. Non placet autem quod Suar. *lib. 3. dist. c. a. n.* 8. discrimen statuit inter Democratiam & alias politias, quod aliæ sint de iure tantum gentium, at verò Democratia sit de iure naturali, non positiuo seu præcipiente, sed negatiuo seu concedente, omnes enim sunt eadem ratione de iure naturali aut gentium, immò Monarchia maius fundamentum habet in iure naturali, cum nobilior sit & libertati magis faueat, magisque naturæ sit consentanea, vt omnium naturarum quæ ad vnum aliquod primum reducuntur inductione facta constat.

10 Ad extremum; quod de libertate naturali cui noceat politia & legum subiectio obijciebatur futile est, quia licet homo non sit natus subiectus, est tamen subijcibilis, vt patet in vxore quæ naturaliter subdita verò est, in Angelis & statu etiam naturæ integræ in quo etiam politia futura erat sine naturæ libertatis iniuria, quamquam subiectio seruitutis & coactiua potestas ex de ordinatione peccati inducta non negetur.

§. III.

Potestas Legum latiua non repugnat Euangelicæ libertati.

11 Alter error potestatem condendi leges exscindens fuit Trinitariorum & Anabaptistarum in Transsyluania, qui Christianos iure subdi Principibus sæcularibus negabant, vt refert Bellarm. *lib. 3. de Lac. c. 2.* Sequuti ni fallor Iudam Galilæum qui idem de Iudæis dicebat, simili insania leges omnes Ecclesiasticas iam olim sustulerunt Vvalden. *vers.* Vicles & Ioan. Hus vt patet & Conc. constant. quibus nouatores succenturiati subscribunt Luther. *lib. de capti. Babylon. cap. de Baptismo* & *lib. de libert. Christiana & An.* 27. è damnatis & an. 1510. Totum Corpus Iuris Canonici publicè comburi curauit, teste Cochlæo in eius vita Philipp. & 28. Confession. Aug. Caluin. *lib. 4. instit. cap.* 10. 11. *&* 12. Qui omnes negant in Ecclesia esse vllam vim condendi Leges veras quæ obligent, quamvis possit ea statuta quædam ad politiam externam præscribere, quæ tamen vbi deerit scandalum, sit integrum cuique seruare aut violare, posse etiam transgressores Legis diuinæ puniri tanquam à iudicibus, ab Ecclesia eijci quoque à fidelium cœtu per excommunicationem incorrigibiles, sed consentiente tota Ecclesia etiam laïca. Vnam libertatem Christianam huic suo furori omnes isti prætendunt, quos non est. Opus ectius castigare, id enim accuratè præstiterunt Driedo *lib.* 1. *de lib.* Bellarm. *lib. 4. de pont. c.* 15. *& lib. 5. de laic.* Suar. *lib. 3. de Legib. c. 15. & lib. 5. c. 18. 19. & lib. 4. cap. 1. lib. 3. deffens. c. 4. &c.* Molina *tract. 5. d.* 73. Et alij passim.

12 Sanè quoad potestatem ciuilem, cum ea sit maximè naturæ consentanea, vti ostensum est, non est cur fuerit à Christo sublata, vti August. 19. *de ciuit. cap.* 17. Fusè docet. Accedit tum Christi qui tributum pendi Cæsari pro se & Petro iussit, tum Christianorum à primis Ecclesiæ temporibus, qui ciuiles magistratus præcipuo animi obsequio coluerunt, ex monito Pauli *ad Rom.* 13. Omnis anima potestatibus sublimiorum subdita sit *ad tit. 3. &* 1. *ad Ephe. c.* 2. Et cum in eam suspicionem venissent gentiles, Christiani vt crimen illud auerterent allaborarunt Iustin. *Apol.* 2. Tertullian. Nazian. *orat.* 17. Et alij Denique SS. Reges tum in veteri, tum in noua & Euangelica Lege floruerunt, quos tyrannos fuisse nullus nisi insanus dixerit.

Neque potestas Ecclesiastica minus aperta est: Eam enim Christus contulit Petro, cum pascendas oues credidit Ioan. 20. & facultatem ligandi atque soluendi, neque intelligi potest regimen istud spirituale sine eiusmodi facultate, quam etiam constans vsus Ecclesiæ testatissimam facit: nam *act.* 15. Præcipiunt Apostoli vt abstineant fideles ab Idolothytis & sanguine, Paul. 1. *ad Timoth.* 5. iubet ne aduersus Presbyterum accusationem recipiat, nisi sub duobus testibus & 1. *ad Tim. 3. & ad Titum.* Bigamum ordinari vetat, & in omnibus Concilijs, tum æcumenicis, tum prouincialibus præscriptæ sunt plurimæ Leges, & Sanciti Canones, neque vllus vnquam sox libertati à Christo partæ iniuriam fieri excepit, aut intercessit præter paucos illos nouatores, qui suo more per effrænam licentiam viuere tentarunt.

Libertas porrò Christi sanguine nobis empta multiplex est, prima à velamine & cæcitate cordis, quia plurimi impediuntur, ne quæ pertinent ad Euangelicam Legem percipiant, cuius meminit Paul. 2. *ad Cor.* 3. Secunda est libertas à iugo præceptorum & cæremoniarum Legis, de qua Paul. *ad Galath. c. 4. &* 5. Tertia libertas à statu peccati per iustificationem, de qua Paul. *ad Rom. 6. ad Galat.* 3. Et alibi sæpè, libertatem autem ab omni imperio homano nunquam reperient in scripturis, nisi vti iussa humana diuinis repugnant, atque in hunc sensum sunt accipienda, quæ ex Scripturis & PP. ad suum errorem congerunt,

§. IV.

Supremus Princeps Legislator.

Secuoda assertionis parte, vtriusque huius potestatis subiectum assignaui & Laïcæ quidem quemlibet supremum Principem, quod cum distributione accommoda accipiendum est, vt quilibet qui summo iure imperat alicui tractui, ille solus subditis suis Leges figere possit, cum summam Iurisdictionem, tum coactiuam, tum directiuam Legum latio exigat, vt statim appatet, atque ita duas falsissimas sententias reijcio, prima est Bartholi & aliorum quorumdam, qui Dominum orbis faciunt imperando, ita vt omnes eius Legibus parere debeant, cui repugnat supremum ius, quo pleriqe alij Principes gaudent in suis Regnis, vt de Christianissimo Francorum Rege traditur *cap. per venerabilem extra, qui filij sint legitimi.* Vbi nullum superiorem in temporalibus agnoscere fatetur Pontif. Vide Tiraquell. *de iure primogen. qu. 7. n.* 20. *&* 25. Altera sententia æquè falsa & æquè reijcienda Aug. triumphi. *de potest. Eccl. q.* 1. *art.* 3. Et sparsim toto illo opere, Aluar. Pelagij *lib.* 1. *de planctu Ecclesiæ.* Et aliorum eiusmodi, Papam esse totius orbis Dominum. Neque vllas Regum Leges vim habere nisi ab ipso confirmentur, quam sententiam vt Regibus iniuriam ipsisque etiam Pontifici pluribus refellunt Bellarmin. *lib. 5. de pont. cap.* 3. Suar. *lib. 3. Deffend. cap 5. & libro tertio de Legib. cap.* 6. Sal. *s. 4. d.* 7. Molin. *disputatione 29. tractatu* 2. Atque 13

alij passim. Primò quia Christum eam contulisse potestatem D. Petro eiusque successoribus non constat, cum spiritualem dumtaxat dederit; Neque ea vnquam fuit Ecclesiæ mens, fuisserque magnum impedimentum propagandæ fidei, si Principes suscepto Euangelio erant suo imperio spoliandi, neque ad Ecclesiæ vnitatem aut regimen fuit ea potestas necessaria: Cum enim finis Ecclesiasticæ politiæ sit supernaturalis, ad id satis erat amplissima spiritualis iurisdictio, quam collatam Petro constat; Neque vnquam hanc potestatem in omnes Principes sibi vsurpauit Ecclesia, immò Reges nullis subesse in temporalibus fatentur sæpius summi Pontifices Leo Ep. 38. & 43. ad Martian. & Gelas. *Ep. ad Anastas.* & refertur *cap. duo sunt d. 96.* Et *ibidem c. si Imperator.* Alexand. III. *cap. si duobus extra de Appellat. cap. a. Causam extra qui filij sunt legitimi & ibid. cap. per venerabilem Innocent. III.* atque idem Pontif. *c. solita de maioritate & obedientia* Gregor. *lib.* a. *Ep.* 61. Nicol. *Ep. ad Michaelem*, vbi Pontificiæ Regiæque dignitatis concentum egregiè docet.

Hinc fit solos principes supremos vti dicebam, siue Reges sint siue Imperator, siue Resp. quæpiam Leges condere posse; inferiores verò vti Duces, Marchiones, si sint tantum fiduciarij domini id non posse, nisi ex concessione domini supremi, nisi id aut vsu & consuetudine, aut præscriptione, aut alio titulo priuilegij instar obtinuerint: Regina verò Regni hæres, vbi militi nupsit *& illi quoad œconomiam iurisdictionem* subsit, non tamen quoad Regni administrationem, ipsa enim sola retinet iurisdictionem, quam in maritum transferre non potuit. Quare & solæ Leges condere potest, vti pluribus ostendunt Suar. *lib.* 3. *c.* 9. Vasq. 1. 2. *d.* 153. *cap.* 3. Psal. *d.* 7. *sect.* 11.

§. V.

Iurisdictio non pendet à moribus.

14 Vltima parte conclusionis neutram potestatem seu ciuilem seu Ecclesiasticam pendere à moribus Principum asserui contra Richardum Armacan. Vvichleff cuius *art. 9. in sess. 8. Can. const.* id habet *& A.* 15. Ioan. autem Hus idem asserit ibid. *sess.* 15. *Ar.* 12. 13. 20. 22. quem errorem damnauit Synod. Constant. & facilè de potestate laicá probatur à Suar. *lib. 3. de legib. c.* 10. *& lib. 4. c.* 7. Vualden. *lib.* 2. *doctrina à c.* 81. Castro *à potestas.* Benzonius *disp.* 2. *de iurisdict. q.* 6. Salas. 12. *tract.* 14. *d.* 7. *s.* 15. Bellarm. *lib. de laicis c.* 8. Nam scriptura Reges etiam infideles verè Reges fuisse prodit, & impiorum regendi modum improbat quidem, non negat tamen esse Reges *cap.* 6. *A Domino data est potestas vobis, & cum essetis ministri Regni illius, non rectè iudicastis.* Isa. 45. *Hæc dicit Dominus Christo meo Cyro.* Hierem. 27. *Ego dedi omnes terras istas in manu Nabuchodonosor Regis Babylonis.* Dan. 2. *Tu es Rex Regum, & Deus cæli dedit Regnum tibi.* Aug. *lib.* 5. *de ciuit. c.* 21. Regna tum piis, tum impiis impertiri docet: & sanè cum laica potestas sit omnino naturalis, non apparet cur à fide aliisque donis supernaturalibus pendeat, & quis vnquam Danidem Salomonem, aliosque Iudæorum Principes, vbi peccarunt etiam grauissimè, Regno excidisse, potuit ex scripturis colligere. Et cum gratia sit occultissima res, locus esset crebris seditionibus, si vbi quis crimen aliquod admissum à Principe vidit gubernationes detrectaret: Et quamvis scripturæ prodant Deum Principum peccatis prouocatum, imperia exteris aliquando gentibus donasse, hinc non infertur Reges etiam impios quandiu Regno exacti non sunt, fuisse tantum æquiuoce Reges, vt illi baiulationes ougabantur. Regi igitur impiissimo licet, vt vero Principi obtemperandum est, ex Apostolorum & patrum monitis, qui dominis discolis & imperatoribus Idolorum cultui addictissimis, vbi tamen nihil diuinæ Legi contrarium iubebant obsequi, vti ipsi Christo volebant, & ipsam infidelitatem non impedire, dominium etiam in Christianos latè docet Vict. Relect. 1. *de Indiis D.* 1. Conrad. *tract.* 1. *de contractib. q.* 2. ait peccatorem amittere dominium quoddam gratificum vti appellat, quo iusti peculiari quodam iure & titulo omnia creata saltem homine inferiora possident, quatenus illa in suum vsum secundum Leges Charitatis assumere possunt, & diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, atque in Christo omnis donata nobis dicuntur, num iustorum sunt, cum & ipsi sint Christi ac Dei, quæ sententia quantum absit ab errore Vvielheffi quem ipse ineptè impingit, Ban. nemo non videt.

QVÆSTIO V.

De materia Legis humanæ & ciuilis.

Est Lex affirmans & negans, n. 1.
Solus actus honestus potest præcipi, n. 2.
Non tamen omnis, n. 3.
Permissio mali actus n. 4.
Materia legitima Legis, n. 5.
Actus internus, an, & quomodo præcipiatur, n. 6. & 7.
Indirectè præcipitur, n. 8. & 9.
Quomodo id fiat, n. 10. & 11.
An Imperetur modus implendi præceptum, n. 12.
Materia ciuilis & politica diuersa, numer. 13.

DVplex præceptum seu lex vniuersim statuitur; vna enim præcipit quæ affirmatiua appellatur, altera quæ negatiua dicitur, prohibet, prior omissione violatur, posterior commissione, quæ duo peccata maximè differunt, præsertim in materia iustitiæ aut restitutionis. Nam si v.g. beneficiarios omissione peccet recitando officium sine attentione, tenetur aut illud repetere, aut fructus pro rata restituere & communi sensu, sin autem peccato cōmissionis & irreuerentiæ, neque repetitionis officij, neque ad fructuum restitutionem cogitur. Deinde Lex affirmation supponit honestatem in actu præcepti, & illam non constituit, vt patet in præcepto Religionis, temperantiæ, sed imponit necessitatem; atque ita medium virtutis constituit: cum enim quidquid honestum est, non sit statim necessarium vbi adiicitur lex, seu præceptum de aliquo actu honesto, ille iam necessarius est ad honestatem talis virtutis. Lex verò negatiua si sit purè humana, hæc est non sit sola declaratio Legis naturalis, aut diuinæ positiuæ, non supponit malitiam, sed illam constituit in actu prohibito qui malus non est vt sic, nisi quia prohibitus, tunc enim difformis est actus suæ Regulæ, & malitia eiusdem actus pertinet ad vitium contrarium virtuti, propter cuius honestatem aut motiuum prohibebatur,

tur,

tur, v.g. percussio Clerici quatenus Lege canonica vetatur, non pertinet ad iniustitiam, sed ad irreligionem, aut sacrilegium, quia cultui debito personæ sacræ, vt sic opponitur: In assignanda igitur Legis humanæ materia, distinctionis huiusce ratio habenda erit.

§. I.

Solus Actus honestus, sed non omnis præcipi potest.

2 Dicendum est materiam Legis humanæ esse omnium virtutum & vitiorum actus sed non omnes, externos quidem directè & per se, internos autem non nisi indirectè.

Quod dixi primò actus omnium virtutum & vitiorum materiam esse Legis humanæ, cum distributione accommoda intelligendum est, ita vt soli actus honesti præcipi possint, prohiberi autem vitiosi, & quandoque etiam honesti, qua in re discrimen est inter Legem præcipientem & prohibentem, quia enim actus malus intrinsecè & per se malus est, nunquam imperari potest, eo enim extrinseco præcepto non bonificatur, aut saltem fit non bonus per malitiæ separationem, vel enim actus malus est ex suo obiecto, ac proinde essentialem & intrinsecam sibi malitiam habet, vel ex fine aliáve circunstantia, qua stante perseuerat malitia, remota verò ea circunstantia sufficiente, perit quidem tota turpitudo, sed ea circunstantia non tollitur præcisè per solum præceptum, vel enim erat tantùm malus actus quia prohibitus, vel erat ex suo obiecto bonus vel indifferens, si primum seclusa prohibitione manet bonus, atque dum postea præcipitur materia illius præcepti, non est actus malus sed bonus, quod idem contingit quando actus manebat indifferens: quia etiam tunc non præcipitur actus malus, sed indifferens, aut potius honestus, quia quamvis actus aliquis possit dici indifferens secundum se, & ratione sui obiecti consideratus, sic enim neque consonantiam neque dissonantiam cum recta ratione includit, v.g. gestare gladium, quia tamen nunquam Lege præcipitur, nisi quatenus conducit ad bonum aliquod commune, & fini honesto cui assequendo medium illud idoneum videatur, fit vt ratione illius finis & motiui quamvis extrinseci, honestetur, atque ita nunquam præcipiatur nisi actus honestus, confirmatur quia si ille actus ex obiecto indifferens, fieret etiam non præceptus sub eodem tamen motiuo, & fine sub quo præcipitur, esset reuera honestus in indiuiduo seu in exercitio, licet secundum rationem specificam quæ ex obiecto desumitur maneret indifferens, vt etiam manet post Legem præcipientem, quæ tamen illam tunc indifferentiam non spectat, neque ratione illius actum imperat, sed quatenus fini intento honesto vtilis est: quare si haberet indifferentiam omnimodam hoc est tum ratione obiecti in ordine ad honestatem, tum ratione medij & vtilis in ordine ad finem & motiuum, quod sibi præfixit legislator ac princeps qui Rep. moderatur, neque quidquam ad id commodaret, nunquam imperaretur. Ex quibus vides solum actum honestum Lege humana præcipi, quod multò verius est de Lege diuina & naturali, immò addendum est solum illum præcipi posse, vt quosdam politicos reijciamus, qui adumbratam dumtaxat honestatem spectari volunt à Legislatore, qui omnia quæ ad publicæ rei tuitionem, & dignitatis splendorem commodare videbuntur, siue honesta siue turpia sint, imperare debeat: Verum vt modo hanc impiissimi hominis Machiauelli insaniam non prosequare, quod pridem accuratè præstiterunt Bossius *lib. de imperio* Ribad. *lib. de Princip.* Bellarm. *lib. 4. de notis Eccl. c. 17. & 18.* vbi latè docent virtute & Religione seruari regna, quæ vitiis & impietate excinduntur: moneo dumtaxat eiusmodi Leges iniquas non esse Leges; cum enim Lex æterna & naturalis prohibeat quidquid turpe est, illud idem à Lege humana quæ est ab inferiori potestate præcipi nequeat, cum inferior superioris mandato derogare non possit, vt colligitur *ex l. 2. c. de officio præf. præto. orientis*, vti Alexander formam à præfecto prætoriæ datam, & si generalis sit, minimè Legibus vel constitutionibus contrariam, *si nihil postea ex authoritate innocitum est, seruari æquum est.*

Potest tamen Lege humana vitium aliquod permitti: vnde dixi non omnes vitiorum actus prohiberi eadem Lege. Hoc est non puniri latis pœnis, quia vt ait S.Thom. 1. 2. *q. 96. art. 2.* Lex ponitur multitudini in qua maior pars imperfecta est, & vix à grauioribus culpis abstinere potest, quare cum Lex possibilis esse debeat, aliáque viris, aliáque pueris, alia virtuosis, alia vitiosis poni debeat, sufficit si ea grauiora crimina à quibus maior multitudinis pars & si imperfecta cauere potest, cohibeantur, & maximè quæ ad nocumentum commune vergunt, atque ita exponendæ sunt Leges aliquæ quæ iniqua imperare videntur, permittunt enim dumtaxat, vt simplicem fornicationem, periuria priuata, occisionem vxoris à marito in flagranti delicto deprehensæ, atque ita intelligendum, quod vulgò dicitur ius ciuile non procedere in foro animæ, tum quia etiamsi aliquid permittat, non admittendo actionem, v.g. contra præscriptionem malæ fidei, aut non irritando actum aliquem, aut contractum aut quidpiam alia ratione cohibendo, non tamen similia admittentem culpæ immunem præstat in animæ foro, tum quia cum bonum commune Reip. maximè spectet, & grauiora mala timeantur ex quorumdam leuiorum punitione ea tolerantur; atque cum ea mala sint, videntur non habere rationem fori animæ. Nam lex naturalis & æterna cui incumbit illius fori prima cura, omne vitium etiam leuissimum prohibet & castigat; singillatim autem Leges ciuiles quæ in corpus redactæ sunt & iniquæ videntur examinare, alterius fuerit instituti maneat, hoc vnum quod propositum fuerat ostendere, nempè solum actum honestum esse materiam Legis etiam humanæ præcipientis. 3

Addidi autem non esse ad vnum aliquod virtutis genus virtutis arctandam hanc materiam reiicio. Primò eos qui dicunt id solum præcipi Lege humana siue ciuili, siue Ecclesiastica, quod iam Lege naturali aut diuina præceptum fuit, ac proinde Legem humanam esse tantum explicationem seu declarationem naturalis, & diuinæ, quod est, omninò potestatem Legumlatiuam, quam pluribus superius confirmauimus, tollere, & apertæ experientiæ repugnare: multa enim Lege humana tenemur exequi, quæ liberum est Lege diuina omittere, v.g. Ieiunium Quadragesimæ. Hic error tribui vulgò solet Gersoni, sed eximium & Religiosum Doctorem immunem hac in parte præstat Vasq. *d. 154. c. 2.* Secundò eos qui solam materiam iustitiæ assignant legibus ciuilibus reiicio; quia cum finis Legis sit bonum commune, & facere subditos bonos, ad idque aliarum etiam virtutum quam iustitiæ actus conferant eos præcipere potest, vt ait S.Thom. *q. 96. art. 3.* quatenùs videlicet mediatè vel immediatè, directè aut indirectè fœlicitati naturali ciuitatis qui est finis omnis politiæ, quidpiam afferunt, ita puniunt vitia contra naturam, ac proinde temperantiam imperant moderatum etiam vsum in 4

vestibus, in domibus, & actus aliquos fortitudinis, dum aggredi quædam ardua iubent; in Lege quoque naturæ curam Religionis, sacrificiorum habuere, & denique quidquid, vti iam monui bono communi vtile est, & communitati hominum, atque ordinatiæ facultati accommodatum, materia esse potest Legis humanæ etiam ciuilis; quod idem de Canonica respectu sui finis asserendum est, in eaque comprehendi aliarum virtutum, quàm iustitiæ aut Religionis præcisè dictæ materiam dubitari nequit.

Restringi tamen generalem hanc assertionem cum S.Thom. 1. 2. *q.96. cit. art.* 3. non posse semper præcipi omnium virtutum omnes actus, quia lex omnis possibilis & humanæ infirmitati attemperata esse debet, maximè cum toti communitati & multitudini imponatur, ac proinde non nisi quæ ordinariè seruari possint iubere debet, alioquin esset in destructionem non ædificationem: sunt verò aliqui actus ita difficiles & ardui, vt non nisi paucorum omninò sit eos exequi, atque ita percipi nequit paupertas Euangelica, virginitas, ingressus in Religionem, vt ostendit sigillatim Salas *d. 1. s.* 3. quod intelligendum est absolutè loquendo. Nam ex priori contractu aut pacto voluntario id potest, v. g. ex voluntate libera suscipiendi ordines sacros, imperat Ecclesia Castimoniam, addit *ibid.* Sal. *dub.* 4. Confessionem Sacramentalem publicam ab Ecclesia præcipi non posse, quod etiam docuit Sua. *in* 3. *p. tom.* 4. *d.*21 *sect.* 1. *n.*6. quia res illa difficillima est, non necessaria neque vtilis per se, immò coniuncta cum aliqua infamia sua scelera publicè pronunciantis. De actibus præteritis lis aliqua est, sed constat Legis quæ propriè Lex præcipuè est, non esse idoneam materiam, esse tamen Legis impropriè seu declaratiuæ *c.*14. *lib.*3. Suar.

5 Hinc colliges materiam Legis negatiuæ: possunt enim esse omnium vitiorum actus, sed non omnes: quod eadem ratione probatur; & quia si omnia mala impedire vellet humana Lex, multa etiam bona tolleret, atque ita, bonum ipsum commune exscinderet, vt ait S.Thom. *q.*91. *art.*4. ex Ang. *lib.* 1. *de lib. art.* 1. *c.* 6. atque ita posse prohiberi actus honestus, cùm tamen malus præcipi nequeat, quod exponendum superest, quia cum bonum ex integritate omnium ad actus seu cuiuslibet alterius rei constitutionem pertinentium, qua vel & malum ex quolibet defectu fieri potest, vt actus ex obiecto bonus aliqua circunstantia vitietur, & in exercitio fit malus, vti supra ostendimus dum electionem bonam vitiari à mala intentione, atque & contrariam bonam intentionem à mala electione infici diximus: actus igitur bonus malè fier si contra Legem prohibentem fiat, potest enim esse iusta causa illum prohibendi pro aliquo tempore & circunstantia, vt sacrificium Missæ prohibitum est die Parasceues, vt & ieiunium, die Dominica, vti habet *Can.* 63. *Apostol.* & *Clemens lib.*7. *const. Apostolicarum c.*14. in quem locum vide Turrian. Actus malus nunquam vt malus præcipitur. Nam vel retinet suam malitiam, & ita iniqua est Lex præcipiens ac proinde nulla, vel fit bonus, atque ita non præcipitur vt malus, sed vt bonus, immò prius desinit esse malus qui præcipiatur, quia prius tollitur circunstantia, v.g. prohibitio à qua fiebat malus quam imperetur.

§. II.

Actus internus est materia indirecta Legis humanæ.

6 Altera parte assertionis distinxit inter actus morales internos & externos, hos enim dixi directè præcipi aut prohiberi posse, Reliquos verò non nisi indirectè propter aliquam connexionem cum externis; quare potius cum præcipiuntur, quàm præcipiuntur, ita asserunt Vasq. 1. 2. *d.*160. *c.*3. Val. *d.*7. *q.*5. *p.*7. Azor. *tom.* 1. *lib.* 5. *c.*10. Sua. *lib.* 3. *de Legib. c.* 12. & *lib.* 4. *c.* 12. & 13. Sal. *d.* 9. *s.* 1. Becan. *tract.* 3. *c.*6. *quæ. l.* 5. Cum D. Thom. *ibid. q.* 91. *art.*4. & *q.*100 *art.*9. quod ita intelligendum est, vt ille actus in sola mente sistat, nam si aliquo signo iam prodiit exterius, etiamsi nondum sit perfectus aut consummatus, iudicari & puniri Lege humana poterit, quia reuera externus est, licet nondum consummatus. Ratio assertionis optima redditur à S.Thom. *D. c. c.* quia non potest humana potestas Leges ferre circa ea circa quæ non habet vim coactiuam, & de quibus iudicare nequit, quia debet posse punire præcepti infractores, atqui humana potestas nequit punire neque iudicare merè interna; iudicium enim omne sicut & punitio supponit cognitionem, quam de internis nequeunt habere homines vt constat. Neque aliud ius sibi arrogare Ecclesiam fatetur Innoc. III. *cap. Tua nos. De simonia nobis datum est, de manifestis tantummodò iudicare*, ex quibus non sequitur ne quidem actum externum occultum, esse materiam Legis humanæ, cum de iis iudicare nequeat, illud tamen erit magnum incommodum: licebit enim absque culpa Legem violare modo occultè id fiat; verùm id vt dixi non sequitur, quia actus externi sunt tantum occulti per accidens; non autem ex natura sua. Quare quilibet actus externus Lege humana & punibilis est, ab homine cognoscibilis ac proinde eadem Lege præcipi, aut prohiberi directè potest, & sanè ille ipse actus qui modò occultus est, si successu temporis innotescat, punietur. Actus autem merè internus natura sua insensibilis est & occultus humanæ cognitioni.

Dices Ecclesiam habere potestatem circa interna, 7
vt constat in absolutione peccatorum internorum, dispensatione, commutatione & irritatione voti, remissione pœnarum per Indulgentias, denique prælatus potest imperare Religioso orationem mentalem.

Resp. In Ecclesia duplicem esse potestatē gubernatiuam, vnam quæ est vt loquuntur fori externi, respicitque totam communitatem cuius bonum intendit, & ad eam pertinet conditio legum vt ex prima constat. Altera potestas est fori interni in quo agitur causa hominis immediatè cum Deo, ad eamque pertinet iurisdictio voluntaria, quæ exercetur in commodum subditi ad consensum vel petitionem eius: prior potestas quæ sola legumlatiua est, vt dixi, respicit dumtaxat actus externos, quibus mediantibus internum & supernaturale animarum bonum curat Ecclesia; posterior potestas versatur etiam circa actus internos, quia per eos primo ordinamur ad Deum, & salutem cui vni seruit hæc potestas, & singuli sibi illam comparant, ad hanc autem iurisdictionem pertinet absolutio sacramentalis, quare præceptum de confessione annua est, diuinum & non Ecclesiasticum, nisi quoad temporis determinationem; neque si nullum fuisset latum à Christo mandatum de subijciendis peccatis Petri clauibus, potuisset illud præcipere Petrus aut Ecclesia, vt docet Soto. *in* 4. *d.*18 *q.*1. *art.*1. eiusdem iurisdictionis est dispensatio & commutatio voti, quod tamen exterius ordinariè aperiri debet, quamquam Vasq. *d.*1 2. 160. *n.*17. existimet etiam votum non cognitum posse dispensari, aut commutari ab Ecclesia hoc modo, si tale votum emisisti dispenso tecum aut commuto, ita etiam pater filij impuberis vota irritare, si quidpiam vouisti votum irrito, si sint aliqua vota quæ pendent ab alterius voluntate, quia illi vouens, ipse

ipse propter defectum ætatis, per naturalem subiectionem, aut quampiam aliam rationem subiicitur, concessio indulgentiarum, ad hanc etiam fori interni iurisdictionem pertinet, quod attinet ad actus internos imperatos à superiore, cui ob votum obedientiæ parere aliquis teneatur. Respondet Salas. *d.9 num.*51. Superiorem vt superior est, actus internos non posse præcipere etiam subdito, qui vouit ipsi obedientiam, nisi quis vouisset se facturum quidquid etiam internum iniungeret superior, quod tamen non esset proprium obedientiæ votum, implendum tamen iure diuino & ex iustitia, qua quilibet tenetur promissis stare, & obligationi voluntariæ contractæ; inferiùs tamen addit eum Suar. *lib.*4. *de legib.cap.*12.*num.*15. Quem pro more nondum typis vulgatum exeribit posse dari votum obedientiæ de internis: si enim interna possunt absolutè voueri, vt omnes fatentur, g. & sub conditione si Prælatus ea imperauit, an verò ea fuerit intentio Religiosorum vouentium, petendum esse à singularum Religionum statutis, ho. verò admisso totum illud imperium de actu interno, supponit voluntatem vouentis, quod non facit lex quam superior imponit, non rogato subditorum consensu.

Iam verò actum internum indirectè præcipi perspicuum est, cum enim præcipiatur actus externus moralis, eius quoque voluntas qua liberè fiat imperatur, & præterea internos qui in externo tanquam in effectu manifestatur, simul cum externo præcipitur aut prohibetur, sed videndum restat quæ connexio necessaria sit, vt actus internus indirectè cum externo cadat in Legem humanam. Coniungitur externo actui internus, primo vt aliquid eius, seu vt causa eius. Secundò vt circunstantia & solum, quod accidentale ad primum reuocatur voluntas faciendi aut omittendi opus præceptum, quæ vel est efficax vel inefficax & solius complacentiæ: Actus autem coniunctus externo per accidens, & per modum alicuius extrinsecæ circunstantiæ, vel ita se habet respectu entitatis physicæ solius, vel etiam respectu esse moralis, quod habet actus externus, vel per illum manifestatur, vel non, de quibus omnibus sic statuendum est.

8 Primò quoties actus internus est causa interni, cum eo secundariò saltem prohibetur, aut præcipitur, cum enim prohibitione, v.g. actus externus fiat malus, & sit obiectum actus interni, & non solum effectus tota malitia actus externi obiectiua effundetur in volitionem internam. *vt ex cap.*5. constat. Quare qui proponeret non audire sacrum die Dominica, peccaret eo interno proposito, non poterit tamen illud internum propositum: vt optimè notat Vasq. *d.*160. *num.*14. Lege humana puniri, quia neque iudicari neque cognosci potest, quamdiu internum manet, quia tamen Lex humana reddit obiectum illius prauum, & rectæ rationi dissentaneum, consequenter actum ipsum prohibet: vnde etiam fit vt malum sit desiderium inefficax eiusmodi actus externi prohibiti si inuoluat prohibitionem, ita vt quis etiam cognita prohibitione, & ea non remota saltem: per conditionalem aut velit exequi, aut de ea delectetur, aut solius timore pœnæ aut notorietatis ab actu externo retineatur, quia illius delectationis & desiderij quamvis inefficacis obiectum prauum est. Si autem sit, quod sæpiùs contigit conditionata ea voluntas, v.g. si non esset opus illud prohibitum exequeretur, si sit malum dumtaxat, quia prohibitum non erit mala volitio, quia per illam conditionalem remouetur tota causa malitiæ, & voluntas non fertur absolutè in opus prohibitum, sed tantum quatenus non est prohibitum.

9 Secundò quando actus internus coniungitur externo per accidens secundum esse physicum, licet non secundum esse morale, quia videlicet, etsi tota entitas physica actus externi possit poni in rerum natura sine actu interno: quamvis non secundum esse morale quod postulat, quatenus præceptum aut prohibitum est, tunc indirectè cum præcipitur actus internus ita coniunctus externo, etiamsi in illo non manifestetur contra Vasq. *d.*160. *c.*3. Sal. *d.*9. *num.*8. sequimur tamen Suar. *l.*4. *de legib.c.*13.*n.*6. quia quidam externi actus, quatenus sunt entia quædam veluti artificialia & actus morales, postulant certos quosdam actus internos, qui simul necessariò cum externis illis præcipiuntur, id patet in sacramentis, sacrificio, contractu, oratione; etsi enim absolutionis verba secundum esse physicum proferri possint, idem actus externus sacrificij vsurpari, eadem oratio recitari, externus contractus iniri absque intentione contrahendi, orandi, sacrificandi, absoluendi, & sacramenta ministrandi, tamen quatenus sunt sacramenta, sacrificium, & oratio intentionem internam exigunt, ac proinde ea ab Ecclesia saltem compræcipitur. Neque dicas hæc omnia præcipi præcepto quodam mixto, quod partim est diuinum, partim Ecclesiasticum. Diuina enim Lex est, vt si oretur attentetur, si vsurpetur confessio, integrè & debito modo fiat: illud igitur etiam imperat Ecclesia Resp. posita diuina institutione sacramenti & sacrificij Ecclesiam verè imperare sacrificium & sacramentum, ac proinde quidquid essentialiter ad eiusmodi actus pertinet, cuiusmodi sunt aliqua interna. Itaque qui integrè non confitetur in Paschate, violat præceptum Ecclesiasticum de annua confessione; atque inflictas censuras incurrit, qui etiam sine intentione recitat horas canonicas, v.g. vt refricet sibi memoriam eorum quæ legit aut sine attentione, & si alicui operi prohibito non vacet, vt malè aliqui limitant, peccare contra Legem Ecclesiasticam, quod etiam visum Azor. *tom.*1. *lib.*5. *c.*10. contra Vasq. *qui eiusmodi* vult violare tantum Legem humanam & non teneri ad restitutionem fructuum, si beneficiarius sit, nisi iure diuino quo qui viuit de altari, seruire altari debet, quod Ecclesia ad horas canonicas recitandas determinauit. Verum nullum ius diuinum de hac oratione facienda pro populo, quo beneficiarius peculiariter obligetur titulo beneficij & iustitiæ naturalis proferri potest, si quod enim sumitur aut ex Paulo aut ex veteri Lege Sacerdotes omnes æquè complectitur: Ita igitur interpretor cap. illud.... de celeb. Missa. in quo Innocent. III. in Conc. Lateran. interminata suspensione præcipit diuinum officium deuotè & attentè recitari.

Tertiò quoties actus internus omninò per accidens coniungitur externo, & secundum esse morale, & secundum esse physicum non cadit sub Legem humanam, nisi fortè illo externo actu manifestetur, quia tunc est merè internus actus & humanæ cognitioni subductus, neque vlla subest ratio prohibendi propter connexionem quam habet cum externo. Ita omnes supra citati, quod autem dixi manifestari debere actionem internam externo actui opus est vt ea sit propria manifestatio qui enim inquit Vasq. interius hæreticæ propositioni assentiretur, & exterius; deinde diceret omnino ibi est, aut palpitum pulsaret, si aliud signum non ederet, non incurreret censuras, quia hæc externa signa, neque ex sua natura, neque ex adiunctis sunt potius manifestatiua assensus hæretici quam alterius, qui autem diceret se consensum eiusmodi habuisse, non esset etiam excommunicatus, sed qui se consentire assereret, quia potuit eum peccati prioris pœnituisse. 10

Quartò hinc sequitur Ecclesiam neque punire neque prohibere actum externum ex obiecto bo- 11

num

num propter malitiam quam accipit ab actu interno omninò per accidens coniuncto, cuiusmodi est intentio & finis operantis, cuius tamen opus illud externum non est noxa, aut ordinaria aut naturalis v. g. audire sacrum propter vanam gloriam quia ea prohibitio esset de actu merè interno. Quare quod habetur *Clement. de haeret.* Inquisitores qui omiserint procedere contra haereticos ex odio lucri, & commodi spe, aut alio prauo affectu excommunicationi subiacere. Et *Clem.* etiam *de statu Monacho.* vbi Monachus sine licentia Praelati ad curiam eam animo eundem Praelatum accusandi si accedens, excommunicatur, haec inquam ita exponenda sunt, vt vel haec externa opera effectus essent internorum affectuum, aut saltem signa, ac proinde vna cum opere externo prohibeantur in terminatis censuris.

11 Quintò Quando actus aliquis malus est ex se, potest illum Ecclesia prohibere cum dependentia à certa quadam intentione & affectu interno: Cum enim eam actionem externam possit Ecclesia, tum punire, tum vetare, poterit idem sub conditione praestare, quia ea ratione Ecclesiae potestas non extenditur ad actum internum, sed potius restringitur circa externum, v. g. Externus haereticus non incurrit excommunicationē, nisi animo haeretico illud opus externum faciat, non autem si fingat, duntaxat, irregularis est, qui rebaptizat aliquem baptizatum, si ficte tamen id faciat non incurrit eam poenam, quae tamen poterat ob solam externam, etiam fictam rebaptizationem vt potè scandalosam, infligi. Huc facit *Caput commissa de Election.* in 6. vbi recipiens beneficium parrochiale sine intentione recipiendi ordines intra annum, tenetur fructus restituere, & si non sit etiam promotus cadit beneficio, de quo casu multa Sal. *d.* 9. *s.* 1. Sua. *lib.* 4. 13. *à n.* 23. & alij verùm vt dixit Azor *c.* 10. *lib.* 5. *tom.* 1. Lex est conuentionalis, non vult enim conferre beneficium Ecclesia, nisi sub ea conditione quamvis enim occulta sit, satis est si ei qui illam petere debet, & beneficium accipit innotescat, & sanè cum liberè Ecclesia eiusmodi beneficia conferat, quid prohibet eam conditionem quam libuerit apponere; ita Episcopus dat ordines sub conditione quam habet eos recipiendi cui conferuntur, ita & Sua. *l. c.* quod magis probatur quam quod ait Vasq. *d.* 160. Hanc fructuum restitutionem esse à iure diuino naturali, quia parrochiali beneficio illo iure est annexum sacerdotium. Itaque cum datur beneficium propter officium, qui officium sua culpa exercere non potest, non facit fructus suos, Ecclesia autem determinauit, declarauitque ius diuinum & annuas inducias dedit, & tunc alit beneficiatium spe futuri ministerij. Verùm seclusò hoc iure Canonico nullus talem beneficiarium obligasset ad restitutionem, maximè si per alium ministerium suum exerceret, immò si modo intra annum recipiat ordines, & si non habeat intentionem ministrandi in sua Ecclesia, nisi post aliquos annos, modo suam absentiam vicaria alterius ope suppleat, non obligabitur ad restitutionem.

12 Hinc elicias qua ratione modus actus & implendi praeceptum Lege humana impetretur. Nam primò quae requiruntur ad actus imperati moralitatem, vt videlicet fiat à volente, sciente libero, requiruntur, atque ita qui dormiens recitat psalmum non implet praeceptum horarum Canonicarum, quia reuerà non orat qui audit Missam, nesciens esse ratione festi praeceptum, satisfacit praecepto, quia reuera attentè & voluntariè audit, cum etiam qui voluntariè dormit tota die, ieiunij ne molestiam ieiunandi sentiat existimarim seruare praeceptum, quia voluntariè ieiunat, & solum somnum ad leuandam molestiam adhibet, ille enim non tenetur difficultatem aliquam in eo opere sentire, si autem nihil cogitans de ieiunio tota die ieiunat, non violat praeceptum, quia eo quidem prohibetur comestio sed non somnus, & deinde quia sicut non habuit animum seruandi praeceptum, non habuit etiam animum non seruandi aut violandi.

Secundò quod attinet ad intentionem, aliásque circumstantias necessarias, vt actus praescriptus fiat simpliciter bonus, modo ipsa substantia ponatur, impletur lex Ita S.Thom. 1.2. q. 100. art. 9. & alij passim cum Sua. *lib.* 3. *de legib. c.* 29. quia finis Legis non cadit sub Legem, eiusque materia est solum actus moralis, qui reuerà ponitur, quamvis vitiatus, atque ita qui seruat ieiunium in peccato mortali, atque vt ex ea externa diuini cultus obseruatione gloriam aucupetur, ipse tamen praecepto satisfecit, & cum intentio operantis atque aliae circumstantiae ferè internae sint, de iis non potest esse lex humana, quae etiam non debet, immò neque fortasse potest iubere omnem bonitatem, sed tantum suo fini congruentem.

Moneo ad extremum etsi hactenus dicta communia sint omni Legi humanae nempe ciuili & Canonicae, diuersam tamen esse vtriusque materiam, quia Canonica habet spiritualem, ciuilis temporalem: Actus enim supernaturalis fidei ad Ecclesiasticas Leges spectant, & consequenter ea omnia quae ad fidem spectant. Secundò sacramenta & quae ad illa pertinent vt contractus quatenus sunt materia matrimonij, tertiò quae ad Religionem & diuinum cultum aliquo modo pertinent, vt loca sacra, personae sacrae &c. quartò Canonica materia est vniuersalior, quia temporalis ad spiritualem ordinati debet licet non nisi remotè. Vnde fit vt Leges Pontificiae emendent alias in iis in quibus videntur esse iniquae contra naturalem rationem aut vetitarem reuelatam, exemplo dabit Azor. *tom.* 1. *lib.* 1. *c.* 10. *q.* 12. circa ea quae metu fiunt, quae Legistae peccata esse negant, aliaque sunt etiam materiae mixti fori, Denique licet ciuilia iura de quibusdam materiis spiritualibus disponere videantur, vt apparet in C. & D. ea tamen lata sunt, tantùm, vt Principes iuuarent legum Pontificiarum obseruationem. 13

QVAESTIO VI.

De obligatione Legis humanae.

PRoprius Legis effectus, immò & adaequatus hoc est omni Legi conueniens est obligatio. In eo enim differt praeceptum à consilio; quod quandam necessitatem operandi aut non operandi afferat, cùm consilium plenam libertatem selinquat, vnde Ambros. *lib. de vidu. circa fin. praeceptum in subditos fertur, consilium amicis datur: vbi praeceptum est, ibi lex est, vbi consilium ibi gratia*; Denique idcircò lex omnis vim coactiuam cum directiua iunctam habet, quia etsi non semper ponat poenam, necessitatem tamen faciendi, aut omittendi inuehit circa obligationem Legis quattuor quaeri possunt primò quomodo obliget, an in conscientia aut cum graui etiam incommodo immò & 1

& vitæ dispendio, secundò quos obliget, tertiò quando obligare incipiat, qoartò, quando desinat obligare, dno priora exequar hæc quasi duo posteriora seq.

Dicendum est omnem Legem bumanam obligare in conscientia, & quandoque sub peccato mortali, & nonnunquam immineote graui vitæ periculo. Hæc porrò obligatio cadit in solos subditos quandiu subditi manent, & in partes communitatis cui lex imposita est.

§. I.

Lex humana obstringit conscientiam.

1 Quoad conscientiæ obligationem per Legem purè humanam boc est quæ noo imperet, aut prohibeat ea dumtaxat; quæ Lege æterna & naturali aut etism diuina positiua iussa, aut vetita sunt, siue Ciuilis siue Canonica sit, totam coetrouersiam dirimunt vertices Apostolorum Petrus & Paul. Ille enim *Ep. 1. c. 2. subiecti estote omni Creatura propter Deum siue Regi quasi præcellenti, siue duabus tanquam ab eo missis ad vindictam Malefactorum; laudem vero bonorum quia sic est voluntas Dei.* Paul. verò *ad Rom. 13. Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit, non enim est potestas nisi à Deo, quæ autem sunt à Deo ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt ipsi sibi damnationem acquirunt*, quam damnationem de æterno interitu passim exponunt PP. Græci & Latini, & infra eadem cap. *Dei minister est tibi in bonum, si autem malum feceris time: Non enim sine causa gladium portat, Dei enim minister vindex in iram ei qui malum egit; ideò necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam, ideò autem tributa præstatis, Ministri enim Dei sunt, in hoc ipsum seruientes & ad Titum 3. admone illos principibus & potestatibus subditos esse, dicto obedire.* Adde omnia quibus q... ostendimus Ecclesiam & Principibus sæcnlaribus communicatam esse à Deo potestatem mediatè vel immediatè condendi Leges, hæc enim potestas qnæ necessaria omninò est ad gubetnationem, vti eo loco fusè declaratum est, omninò in efficax immò & inutilis esset, nisi vim coactiuam haberet, quæ coactio sine obligstione est moraliter impossibilis; omnis enim coactio & pœna per eam illata supponit culpsm, alioquin iniusta est, quis enim dicat aliquem iustè capite minui, si violando Legem, nullnm admisit peccatum; deinde vbi poterit vitari pœna, licebit passim Leges fraogere, ae proinde inutiles ferè erunt, neque vllam necessitatem operandi aut non operandi inuehent: vbi deerit scandalum, aut metus pœnæ, atque ita non fuerit sufficienter prouisum rectæ gubenationi per potestatem Legumlatiuam, quæ proinde aut neganda penitus est, aut admittenda vis obligatiua in foro conscientiæ, seo foro poli vt appellat Aug. *serm. 2. de vita Clerico*; & refertur *cap. vlt. 17. quæst. 4.* quare eadem certitudine, duplicem hanc potestatem contra bæreticos tenendam docent Mol. *tract. 5. d. 73.* Bellarm. *lib. 3. de lai. c. 11. & lib. 4. de Pont. cap. 16.* Victoria *Relect. de pot. ciuili. con. 3. n. 15.* atqoe alij passim, malè igitur dubitasse visus est Soto *lib. 1. de Iust. q. 6. art. 4.* An eadem certitudine principem sæcularem obligare posse conscientias subditorum tenendum sit, qua de Pontificij id constat. Aperta enim est mens Paul. qui *ad Rom. 13.* perspicuè de potestatibus sæcularibus loquitur, illis tamen propter conscientiam & ne damnationem nobis acquiramus docet esse obtemperandum. His omnibus accedit optima ratio quam indicat S. Thom. *1. 2. q. 96. art. 4.* atque ipse Paul. cum ait principes esse Dei ministros. Cum enim Principes condant Leges potestate sibi à Deo immediatè vel mediatè collata, fit vt iure diuino & naturali teneamur illis obedire, atque eas violando, ius quoqoe diuinum & naturale violemus, quod siue culpa fieri posse nullus planè dixerit, qoi enim Legem à Prorege latam à Legato infringit, Regis quoque & Pontificis qnorum authoritate Legem tulerat, voluntati relnctetur necesse est, & sicut mulier parere marito, seruus Domino, & filius parenti, iure naturali & diuino tenentur, quia quamvis hæ Leges supponant actionem aliquam humanam, eámque liberam, contractum videlicet coniugij, emptionem, deditionem, aut captionem aliúmve modum quo seruitus initur; quia tamen iis positis, exurgit vera ac legitima potestas in marito & domino ac Patre, fit vt ipsius imperiis obedire teneantur, qui verè & legitimè subditi sunt: Denique tum Deus, tum ipsa natura dictat obtemperandum esse cuicumque superiori iustè & legitimè imperanti; harum enim omnium potestatum vna tandem est origo, cum omnes sint participationes quædam diuini dominij, atqne humana ista mandata æternæ Legis promulgationes: vt alibi quoque monebamus, per Legem enim æternam Deus cuncta in suos fines dirigit, per media singularum naturis congrua, inter quæ media respectu rationalis naturæ, sunt Leges ad quas condendas contulit potestatem, ac proinde in earum violatione Legem quoque diuinam lædi necesse est; id totum confirmat Bellarmin. *c. 11. lib. 3. de Laic.* ex collatione Legis humanæ cum diuina positiua, hæc enim, Deo conscientiam obstringit, quia actum imperatum constituit in genere & medio virtutis: Cum antea non esset, v.g. Comestio etiam moderata Suillæ, erat contra temperantiam Iudæo, non nisi ratione Legis dioinæ eam prohibentis, nam ex sua natura caro illa non erat, si cum debitis circunstantiis comederetur materia intemperantiæ, atqui nuper vidimus Legem quoque humanam constituere medium virtutis; sen materiam ex sua natura iodifferentem ad aliquam virtutis speciem redncere; vt constat in abstinentia carnis in quadragesima & aliis: cum enim sit humana quoque Lex Regula morum ab habente potestatem posita, seruari debet in materia circa quam posita est quidquid igitur ab ipsa deflectit per excessum, aut etiam defectum, obliquum erit, & ex consonantia actionum, cum ea, ratio virtutis quæ in medio consistit, sumenda erit.

Hæc ratio ostendit primò malè Alm. *tract. de potest. Eccl. c. 15.* dixisse Pontificem posse obstringere conscienrias sub mortali, qoia immediatè potestatem Legumlatiuam accipit à Christo, non autem principem laïcum, qui immediatè à communitate iurisdictionem habet. Nam hæc obligatio sequitur ex ipsa natura rei, vbi posita est Lex à legitimo Priocipe, à qoocumque & quomodocumqoe ille potestatem habnerit: etsi eoim per impossibile, inquit Bellarm. Independenter à Deo legitimus princeps esset, eius præcepta obligarent ad culpam. Adde nullum aliud extare vestigium collatæ Pontificis, potestatis obligandi in conscientia Christianos, nisi quia illi præcipiendi facultas data est, & potestas soluendi atque ligandi. Quare Vvald. & alij suprà relati eadem ratione de vtraque potestate negarunt.

Ostendit secundò quo sensu exponi possit Gerson, cum *tractat. de vita spirituali lect. 4. init. & coroll. 4.* atque alibi sæpius negat vllam Legem naturalem aut humanam qoatenus naturalis aut humana est, posse sub mortali reatu quidquam imperare, aut prohibere, sed tantum quatenus diuinam Legem participat; si enim velit tantum eam omnem necessitatem, qua obstringi

obstringimur in conscieotia parere humanis legibus seu politicis seu Ecclesiasticis, tandem reduci ad ius diuinom, quod superioribus legitimè iubentibus obediendum esse dictat, & quia Lex omnis humana est diuinæ æternæque participatio quædam, omnísque potestas à Deo est vti aiebat Paul. veram radicem attigit huiusce obligationis vt ex allatis ratione constat, atque ita eximium piumque Doctorem exponit Vasq. *d.* 158. *c.* 2. r. 2. si autem vt verba sonant accipiatur Lutheranis atque hæreticis fauetet dubio procul, quare saltem modum loquendi improbat Sua. *lib.* 3. *de legib. c.* 21. *n.* 9.

§. II.

Omnis humana Lex conscientiam subditi obstringit.

3 Tertiò hæc eadem ratio ostendit vniuersim omnem Legem humanam hanc obligationem in conscientiæ foro inuehere: cùm enim ex natura rei sequatur ea obligatio, posita Lege & præcepro superioris, non est vnde impediatur, neque ipsa intentio Legislaroris quidquam faciet saltē quoad obligationem hanc in communi, etsi fortassis quoad modum aliquid conferat, possitque eam aut augere, aut minuere; velle enim ferre Legem & velle eam oon obligare, est velle contradictoria, nempè velle esse Legem, & non esse Legem, si enim Lex est, tenemur iure naturali & diuino ipsi parere, quod ius tolli non posse sola Legislatoris voluntate, satis apparet. Quare Bellarm. *c.* 11. *cit.* ait hánc obligationem esse aut essentiam Legis aut passionis inseparabilis, qoia regulæ est essentiale dirigere, & sicut in naturalibus discedere à regola est peccatum naturale, ita dissooantia à regula morum est necessariò peccatum motale, neque Lex pendet ab homine, immò neque à Deo nisi quoad existentiam; vt ponatur videlicet aut non ponatur, abrogetur aut perseueret, non autem quoad essentiam, quæ est vt sit regola, medium virtutis constituat, ac proinde ad sui obseruationem obliget; idem sentit, Victor. *Relect. de pot. ciuili n.* 20. Sua. *lib.* 3. *de legib. c.* 22. *n.* 9. Neque Vasq. Val. Sal. & alij qoi dissidere videntur, reipsa enim dissideot, vt statim apparebit percurrendo Leges, quæ hanc obligatiooem non inferre existimantur.

4 Primò igitur regulæ quarumdam Religionum, vt D. Dominici & societatis Iesv non obligant in conscientia, vt perspiouè fateotur tum ipsi conditores eiosmodi Regularum, tum ipsæ Religiones penes quas est facultas Leges, & statuta tum interpretandi tum condendi: Verùm eiusmodi statota non sunt propriè Leges, sed directiones quædā quæ possunt non seruari sine peccato, si ordinatio præcisè spectetur & per se, quia cùm superior declarauerit non esse peccatum in illa suæ regulæ infractione, possunt illi rutò coescientiæ suæ iudicium intentioni sui superioris conformare, Moraliter tameo difficillimum est quin per accidens committatur aliqua culpa, vix cum fieri potest, vt quis ex motiuo honesto & cum aliis omnibus circunstantiis reqoisitis honestè & laudabiliter faciat id quod est contra regulam.

Secundò Leges pœnales non obligare in conscientia saltem ad mortale: existimauit Nauar. *c.* 23. *Enchi. n.* 55. quia ad vtramque pœnam æternam & temporariam, non videtur velle Legislator obligare, vt patet in Principibus Ethnicis, qui nihil de culpa cogitarunt in ferendis eiusmodi legibos, ipsaque consuetudo optima Legum ioterpres, ita hactenus Leges pœnales intellexit, quod de sæcularibus Legibus capieodum vult Nauarrus. Verùm reiicitur hæc sententia à Vasq. 12. *d.* 15. *cap.* 2. Azor. *lib.* 5. *cap.* 6. *quæst.* 4. vbi tamen sententiam Nauarri non putat improbabilem; Soto *lib.* 1. *de iustitia q.* 6. *art.* 5. ait omnem Legem pœnalem obligare quoque ad culpam, & contrariam sententiam esse vulgi errorē, quia pœna non infligitur iustè nisi propter culpam; eadem habet Pesant. *tract. de legib. d.* 6. *con.* 2. Azor. *l. c.* media quædam sententia est Vasq. *l. c.* Sal. *d.* 10. *n.* 25. Valent *d.* 7. *q.* 5. *p.* 6. §. 3. Leges quasdam quas appellant purè pœnales ad culpam non obstringere, easque exprimi aliis verbis quàm præceptiuis, v. g. si quis hoc fecerit hac pœna plectetur. Si quis merces extraneas asportauerit, si quis arma gestarit summâ pecuniariâ mulctabitur. Cum enim in eiusmodi statutis nullum sit præceptum, ex quo solo nascitur obligatio ad culpam, non est vnde eam colligat Sotus: qood tamen ita intelligendum est, vt id quod pœnali ordinatione cauetur, oon aliqua alia Lege naturali vel diuina aut etiam humana, cuius transgressio peccaminosa sit, inhibeatur, tunc enim appositio pœnæ per nouam ordinatiooem non tollit veterem obligationem ad culpam, vt constat. Vnde colligit Vasq. *n.* 15. *d. c.* Non soluentes consueta vectigalia & portoria, si iustè imposita sint, etiamsi Lex illa indecens videatur tantum pœnalis, peccare in conscientia contra Nauarr. quia ea Lex licet pœnam statuat non solueotibus, simul ponit debitum illud in materia iustitiæ, vti etiam facit Lex quæ pretia rerum taxat: quare violatio earum Legum pertinet ad iniustitiam. Addunt hi Aothores Leges quasdam non purè pœnales inferre etiam conscientiæ obligationem, quod pluribus ostendit Sua. *lib.* 5. *de legib. c.* 3. quando videlicet per illas Legislator verè quidpiam præcipit, ex præcepio enim sequitur statim ex natura rei obligatio seruaodi illud, neque pœna addita, eam obligationem ex diuino & naturali iure ortam tollit, neque vt sæpiùs monuimus potest Legislator velle præcipere & propriam Legem ferre, & nolle obligare subditorum conscientias; vt patet in Lege recitandi horas Canonicas, quæ & obligat in conscientia beneficiarium, & ad fructuum etiam restitutionem. Vnde tandem Vasq. *n.* 14. *in resp. ad* 3. concedit has Leges quas purè pœnales vocant, non esse proprias Leges, cùm non ferātur per modum præcepti sed simplicis ordinationis. Apud Azor verò & Pesant. dicuntur Leges conuentionales quod est additum mi ouens, datur enim quædam veluti optio, vt quod libuerit eligat subditus, exteras merces apportet vel non, eo tamen veluti pacto & conuentione, vt si apportet summam pecuniariam, luat, addit ibid. Vasq. Val. & Sal. *locis cit.* dici etiam Leges, quia licet non obligent subditum, vt abstineat à re prohibita metu peccati, sed solius pœnæ, obstringunt tamen eundem etiam in conscientia pœnam inflictam: deinde saltem per iudicem ad mentem Legislatæ luat, & summam, v. g. assigoatæ pecuniæ numeret; iudices qooque ipsos vt eam pœnam delinquenti imponant: ex quibus omnibus rectè collegit Sua. *lib.* 3. *de Legib. c.* 117. Omnem Legem homanam tandem in aliqoam conscientiæ obligationem resolui sine ratione alicuius quod includit. Licet enim non prohibeatur simpliciter actus, prohibetur tamen sub tali conditione, & sub obeunda tali pœna si fiat; saltem vbi per Iodicem fuerit imposita, v. g. qui vouet daturum se nummum aureum si ludat taxillis, non vouet simpliciter se non lusurum, sed sub ea conditione, neque vi voti tenetur simpliciter non ludere, si tamen ludat tenetur vi voti nummū aureum elargiriū, qui etiam fecit contractum, quem lex irritauit, tenetur in conscientia rem eo contractu partam non retinere, & non vti effectus quos

alioquin

alioqui habiturus erat ille contractus, si ratione Legis non fuisset ipso facto irritus. Ratione igitur totius coniuncti Lex omnis pœnalis obligat in conscientia, atque ita valet nostra assertio & dissidentes sententiæ conciliantur, quod autem ait Sot. non statui pœnam nisi propter culpam, sufficit enim si subsit causa propter bonum commune, vt pœna quidpiam admittentibus statuatur, quamvis onus illud tunc non habeat rationem pœnæ, prout rigidè vocabulum illud sumi solet, sed tunc quæstio erit de nomine.

Tertiò, dici vulgò solet Legem fundatam in falsa præsumptione non obligare in conscientia, quæ nititur soli veritati non falsitati. Sed longæ hic sunt ambages de vocibus. Distinguendum enim est inter Legem fundatam in falsa præsumptione, quam sine peccato seruare nefas est, & alteram quam absque culpa licet seruare; licet præsumptio cui innititur falsa sit. Prior illa Lex non obligat in conscientia, obligaret enim ad peccatum, v.g. præsumit Ecclesia eos qui in facie Ecclesiæ contraxerunt, nullo apparente impedimento irritante esse veros coniuges, & ad cohabitandum cogit; si tamen reuerà nullus fuit consensus aut ratione impedimenti occulti irritantis nullum fuisse suum matrimonium, coniuges eiusmodi non tenentur obedire præcepto Ecclesiastico, sed hoc non officit assertioni nostræ, quia tunc ea Lex non est Lex. Vnde Innoc. III. *c. Tua nos de sponsalibus* matrimonium per dolum alterius coniugis, quamvis publicè initum, nullum fuisse, ait quamvis bonum publicè præsumatur: Quando verò Lex quæ fundatur in præsumptione falsa, potest sine culpa seruari distinguendum iterum est, nam vel ea est tantum facti vel periculi moralis, prior Lex non obligat quoties præsumptio deffinitiua seu facti vera non est, v.g. in casu illo de matrimonio publicè celebrato, quod præsumitur esse verum, & copulam inter eiusmodi coniuges præsumptos ex affectu maritali fuisse initam, si tamen constat non esse, non obligat; si quis etiam iubeatur obedire sententiæ, quæ præsumitur esse vera, si tamen falsam esse sciat certò non tenetur parere, certò inquam aut probabiliter saltem. Nam si dubitet tantum, possessio fauet sententiæ & Legi, vti qui adit hæreditatem non descripta eius recensione, iubetur Lege ciuili nomina etiam maiora quàm fidat hæreditas, exsoluere, quia præsumit ius illum sibi aliquid ex ea hæreditate in fraudem Creditorum decerpsisse, non tenetur tamen ex communi sententia ea nomina quæ hæreditates excedunt præstare; quia in omnibus his casibus cessat tota causa Legis; ac proinde Lex ipsa, eiúsque obligatio desinat necesse est: Quando verò Lex fundatur in præsumptione moralis periculi, quamvis in euentu aliquo particulari falsa sit, quia reuerà ibi nullum periculum est, aut fuit, viget tamen & obligat ea Lex, v.g. Lex quæ irritat possessionem factam ante xvi. an. quia tunc tamen Ecclesia ne ex infirmitate votum illud oriatur, quamvis ob acrimoniam ingenij periculum nullum fuerit, obligat tamen, & votum illud irritat, Lex quæ probibet arma noctu defferri, aliquem plura officia possidere simul, quia periculum iurgiorum, aut minus benè ea omnia munera exequēdi magno Reip. incommodo, obligat etiam cessante in aliquo indiuiduo periculo, quia cessante in aliquo particulari fine Legis, Lex non cessat, quæ si humana est respicit ea tantùm quæ frequentius accidunt, quare causa condenda Legis, videlicet morale illud periculum manet, etiamsi in aliquo singulari non reperiatur: Atque ita vides omnem Legem humanam etiam in conscientia obligare, quod probabat nostra ratio vniuersim.

§. III.

Quando Lex humana obliget sub mortali.

Sequitur quartò ex dictis, hanc obligationem in 5
conscientia aliquando inferre culpam mortalem, alias venialem pro materiæ grauitate, vti contingit in Lege diuina & naturali, cum eodem diuino & naturali iure Legibus quoque humanis parere teneamur, difficultas tamen est quando, nam in violanda Lege purè humana culpa lethalis admittitur aut venialis, & quid in hanc rem conferat intentio Legislatoris, ad quam Vulgò omnem hanc obligationem reuocare solent.

Statuendum autem imprimis est, materiam Leuem incapacem esse obligationis sub mortali, quamvis illam intendat Legislator, ita Azor. *tom. 1. l. 5. c. 6. q. 5.* Vasq. 1. 2. *d.* 158. *c.* 4. Sal. *d.* 10. *n.* 3. Suar. *lib.* 3. *de legib. c.* 25. Vat. *d. 7. q. 5. p. 6. §. 3.* Pesant. *d. 6. de legib.* & alij passim quia eiusmodi Lex iniqua & stulta foret, ac proinde neque Lex: Quis enim ferat Draconem qui vel minima scelera sanguine & capite plectebat, Esset que iugum humanæ Legis intolerandum & in animarum destructionem, quas videlicet pro rebus minimis grauissimis, æternisque suppliciis addicere, & cum neque votum, neque iuramentum, neque diuina, neque naturalis Lex in materia Leui obligent sub mortali, cur id tribuemus Legi humanæ, quæ inferioris est potestatis, & quæ materiæ capacitatem eiusmodi obligationis, qua caret, conferre non potest. Addit tamen Suar. *l. c. n. 6.* Legem quæ in materia Leui statueret grauem obligationem, cuius ea materia non est capax, non propterea esse penitus nullam; sed obligare quantum potest, videlicet sub veniali. Cum enim præceptum illud sit iustum, quamvis iniquè gradus & modus obligationis fuerit appositus, non idcircò annullatur præceptum, alioquin iustum & legitimum: & qui vult obligare supra quam possit, vult etiam obligare quantum potest.

Secundò, Materia grauis, est capax inducendæ obligationis sub mortali, & reuerà eam inducit, quoties eam Legislator imperat verè & propriè, atque vt superior, non solùm proponendo per modum directionis & consilij, neque debet addere se sub mortali obstringere, sed sufficit quod simpliciter & absolutè imperet, modo nihil addat quod obligationem minuere videatur; videlicet non exprimat se nolle obligare conscientias; tunc enim vt dixi non præcipit propriè sed proponit & dirigit, aut se velle tantùm sub Leui culpa obligare, aut solam imponere pœnam; in quibus omnibus quomodo reperiatur natura Legis nuper expositum est: probatur autem quia cum materia præcepta ex natura sua inducat obligationem conscientiæ, eamque grauem si ipsa quoque materia momenti magni sit. Vnde Victo. *Relect. cit. numero* 19. totam obligationem mortalem petit ex materia quæ totam suam obligationem inducet, & effectum connaturalem habebit, si sibi relinquatur & aliunde non impediatur: cùm autem absolutè præcipitur in Lege, non est vnde colligamus eam grauem obligationem minui, vti quando Legislator declarat se aut nolle alligare conscientiam, aut solam pœnam ferre transgressori, tunc enim fit mutatio in materia Legis, quia aut propriè non præcipitur aut diuisim, & sub conditione, quia tota mutatio est in potestate Legislatoris. Ita Vasq. *c. 4. cit.* & Suar. *c.* 27.

Tertiò Materia grauis quæ ſola Lege humana præcipitur, poteſt grauem, aut leuem obligationem inducere pro arbitrio & intentione Legiſlatoris. Ita Suar. *c.27.cit.* & probabiliter Sal. *d.*10. *ſ.* 7. & alij qui rationem obligationis petunt ex voluntate Legiſlatoris vt Val. *p.6.cit.* §. 3. contra Vaſq. *d.*158. *c.*4. & Becan. *tract.*3. *c.*6. *q.*3. probatur quia vel lex ſub veniali ſolum in tali materia graui obligans poſſibilis eſt, vel impoſſibilis; ſi primùm dicatur reuerà tunc ita obligabit: Cùm ponatur ea Lex quæ & poſſibilis & conſequenter iuſta eſt, ſi autem ſit impoſſibilis eiuſmodi Lex, tunc neque ad mortale neque ad veniale obligabit, quia Lex impoſſibilis, nulla eſt; & deinde quia fertur ſolùm ſub conditione: cum enim expreſsè nolit Legiſlator obligare tunc ad mortale, ſi alio modo non poteſt obligare. Certè eò ipſo illam obligare non vult, ac proinde nullam Legem, quàm à vi obligandi ſeparari non poſſe diximus, condit: & ſanè cum tota obligatio Legum humanarum naſcatur ex iure naturali dictante obediendum eſſe ſuperiori (iuſtè & legitimè præcipienti,) & ſuperior nolit in eo caſu præcipere ſub mortali, non fiet contra illius præceptum, quod vel nullum eſt, cum conditionem repugnantem inuoluat, vel non eſt ſub mortali, & quamvis materiæ leui non poſſit apponere grauem obligationem, non ſequitur vti vrget Vaſq. non poſſe quoque annectere leuem obligationem graui materiæ: quia in priori caſu debet aliquid in materia incapaci obligationis efficere, vt illam capacem reddat, quod per ſolam voluntatem extrinſecam, immutata prorſus materia, fieri nequit, at verò in noſtro caſu debet ſolùm minuere obligationem, hoc eſt non imponere totam obligationem, quam poſſet, ſeu non obligare, quod omnino poteſt; ſi enim nullam obligationem ponere poteſt, ita & leuem, poteſt enim elicere tantum actum inadæquatum ſuæ poteſtatis, ſeu ferre Legem tantum & præceptum *ſecundum quid*, non autem *ſimpliciter*, quæ enim in ea Lege reperietur, aut intrinſeca indecentia, aut iniuſtitia quæ Legem irritet, vnde nam & habent aduerſarij ſuperiorem teneri, ſemper præcipere quantum poteſt, neque deerit rationabilis cauſa, ità diminutè vt ita dicam præcipiendi, cum illa ipſa materia per modum conſilij, aut Legis purè pœnalis proponi poſſit, vt dixi, nullam etiam facit iniuriam ſubdito, quem parte oneris leuat, neque quantum poſſet, premit, quod in priori caſu de graui obligatione materiæ leui annexa non contingebat; ſubdito enim iniuriam inferebat quem ſupra rei naturam & capacitatem onerabat. Denique vnde habet Vaſquez non potuiſſe Eccleſiam ieiunium Quadrageſimæ aut Miſſæ diebus feſtis auditionem ſub veniali tantùm præcipere, ſaltem pro certo dictum numero. Quæ verò habet Vaſq. obligationem non pendere ex ſola voluntate Legiſlatoris, ſed poſita Lege oriri ex natura rei: ſicut peccatum veniale ac mortale, non vrgent, quia fatentur hanc quidem obligationem remotè ſeu radicaliter naſci ex natura rei, ſed mediante humana voluntate, eſt enim obligatio, effectus quidam moralis qui ſine conſenſu naſci non poteſt, hîc autem eſt tantum conditionatus: vult enim tantum Princeps obligare ſub veniali, & non ſub mortali, ac proinde non intendit obligationem, niſi cum ea hypotheſi, quæ ſi impoſſibilis eſt, non vult obligare; & denique manet vulgata maxima poſita Lege ſtatim germinare obligationem proportionatam materiæ, quando Lex eſt adæquata materiæ, aut eius potius capacitati, quod non fit hoc loco, neque enim neceſſariò Lex adæquatur toti materiæ capacitati, etiam contra voluntatem imperantis, cum aliud oſtenderim, atque ita peccatum veniale & mortale, quando res eſt ſolùm mala quia prohibita, pendet immediatè ex voluntate præcipientis, conſtituentis videlicet materiam ex ſe indifferentem & vtriuſque malitiæ capacem intra limites, vt ita dicam, materiæ mortalis aut venialis, cùm aliundè id non habeat, ſed tantum aptitudinem remotam; quando igitur adæquatè præcipitur aut prohibetur, iam habet capacitatem veluti proximam grauis & Lethalis malitiæ, poſitáque ea prohibitione naturaliter malitia exurget, neque vlla voluntate extrinſeca ipſius Legiſlatoris impediri poterit, niſi ipſa prohibitio tollatur.

An verò obligare quis ſe poſſit voto tantùm ſub veniali etiam in materia graui, vt putat Sal. *d.* 10. *n.*55. an non, alibi quærendum eſt. Si hoc poſtremum dicatur reddenda erit differentia Legis humanæ & voti, in quo obligatio eſt merè diuina, quamvis mediante humana voluntate, verùm & id totum mihi videtur reperiri in humana Lege, quà poſita obligatio parendi, eſt etiam iuris naturalis diuini, quare præferenda eſt ſententia Salas.

Quartò Materia grauis, atque intentio Legiſlatoris ſimpliciter & abſolutè ſecundùm capacitatem eius obligandi colligitur, primò ex ipſamet materia tum abſolutè & ſecundum ſe, tum ſecundum diuerſas circumſtantias conſiderata, quæ aliquo & iſtis modis ſpectata multùm commodat, aut incommodat bono communi, quod vnum primario Leges intendunt, ea debet cenſeri grauis, vnde fit vt materia quæ leuis alioqui videtur quibuſdam in Religionibus ratione inſtituti. Exempli & aliarum eiuſmodi circumſtantiarum ac prudentum arbitrium, quod eſt vnica hac in parte regula, grauis admodum cenſeatur ſecundò. Ex verbis Legis quæ ſi indignationem omnipotentis interminentur aut aliis eiuſmodi locutionibus exprimantur, oſtendunt materiam prohibitam grauem eſſe iudicatam à Legiſlatore, cui in dubiis etiam perpetuò fauendum eſt, quoad verba autem incomplexa, nullum mihi videtur eſſe quod ſeorſim ſumptum hanc obligationem ſub mortali certò indicet, ſed ex adiunctis res tota diiudicanda eſt, vt fusè Vaſq. *c.* 4. *cit.* Peſant. *d.*6. Suar. *c.*26. *lib.*3.

Tertiò ex pœna addita qua de re graues lites, ſi ſpecialis ſit ea pœna, eſt aliqua cenſura è quibus excommunicatio minor vulgò dicitur, non eſſe iudicium obligationis ſub mortali, maior autem ſeu lata ſeu ferenda id ſufficienter iudicare putat Vaſq. *d.*158. *cap.*5. vbi idem ait de ſuſpenſione, interdicto, & irregularitate ex delicto, quia hæ pœnæ cenſentur graues; quæ proinde grauem culpam ſupponunt, de omni pœna graui quæ ſine culpa Infligi nequit, idem pronuntiat vniuerſim Peſant. *d.* 6. ſed nihil ſingillatius diſtinguit. Vide Sal. *d.* 10. *num.*54. Suar. *d.*53. *tom.*5. *in* 3. *p.* qui omnem culpam mortalem ad has cenſuras contrahendas exiguat Reſp. contra hanc obligationem in conſcientia maximè quoad culpam lethalem, Principem ſaltem ſæcularem neque pœnam æternam irrogare, neque in foro poli iudicare poſſe, ac proinde neque obligare, Reſp. hinc tantum haberi quod alibi conceſſum eſt, non poſſe internos actus præcipi directè Lege humana, non verò peccatum non committi violando Legem politicam imperantem aut prohibentem externos ipſos actus, quia deuiare à regula motum ſcelus eſt.

§. IV

§. IV.

Lex humana obligat cum vitæ dispendio nonnunquam.

6 Ex his quæ diximus de obligatione ad mortale in materia graui adæquatè & sine additu diminuente præcepta intulit Caietan. *in art.* 4. *q.*96.12. Omnem eiusmodi Legem etiam cum vitæ periculo seruandam esse, quia præeligenda est mors corporis quàm animæ, quæ peccato mortali infertur: Vnde etiam colligit sententiam negantem erroneam esse; cum coincidat cum ea quæ negat Lege humana induci obligationẽ ad culpam mortiferam. Verùm non quærimus an manente obligatione Legis humanæ sub mortali possit ea violari, imminente graui incommodo, perspicuum enim est non posse idque probat ratio Caiet. sed controuersia est; an eo casu cesset obligatio Legis humanæ & positiuæ per se. Nam per accidens ratione scandali, & contemptus seu Legis ipsius, seu Religionis propter quem vrgetur aliquis violare Legem, & seclusis his similibusque casibus, qui ad bonum commune pertinent, nunquam cum tanto incommodo obligare Legem humanam putat Val. *q* 5. *p.* 6. §.4. *d.* 7. Soto *lib.* 1. *de iust.q.*6. *art.*4. Almani. *c.*3. *tract.*1. *moral.propos.*4. vbi absolutè loquitur, nulla facta distinctione obligationis per se & per accidens; hi tamen non videntur mihi à communi sententia discedere; videlicet omnem Legem humanam cum tanto periculo non obligare, aliquam tamen ita obstringere Vasq. *d.*161. *cap.*2. Suar. *lib.*3. *c.*30. Sal. *d.*11. *s.*1. Azor. *tom.*1. *lib.*1. *c.*11. *q.*1. Sanch. *lib.*7. *de mat. d.*5. *n.*3. *&* 4. Prima pars huius opinionis facilè ostendit tum ratione, esset enim ferè impossibilis eiusmodi Lex, & exponeret multorum peccatorum periculo subditos: pauci enim sunt qui velint bonum animæ commodo vitæ præponere, & parum rationabiliter, ita ordinariè Princeps imperaret cum inductione, vbi enim quis nequit seruare ieiunium, non tenetur, & si nulli alij cibi competant in Quadragesima præter carnes, illis vesci liceret. Sicut & potuit Iudæus in simili casu suillam edere, secluso scandalo & aliis extrinsecis, die Sabbathi hostem inuadentem repellere, vti factum à Machabæis traditur, posse tamen aliquando ad subeundum eiusmodi discrimen Legem obligare, probat ratio allata à Caiet. *l. c.* quia quilibet homo non solùm secundum id quod habet, bona nempè externa, sed etiam secundum id quod est, substantiam & vitam est aliquid multitudinis, sicut pars est aliquid totius. Debet igitur bono communi & totius etiam cum suo damno deseruire, ad idque ipsum Princeps qui bono communi prouidet, obstringere etiam in conscientia potest, ita cum graue imminet vrbi excidium, ad eam defendendum tenetur miles iussus è statione non discedere, discriminique etiam præsentissimo caput obiicere, Parochus tempore pestis Parochianis adesse si Vicarium substitui nolit Episcopus, vt rationabiliter nolle potest: vt verè cognoscatur quandònam, cum eiusmodi discrimine Lex obliget, & per se, hanc regulam tradit Suar. Quoties videlicet periculum per se & ex natura sua est annexum actui, tunc si Lex iusta sit, vt præsumi debet nisi contrarium euideos sit, adeundum est illud periculum, quia, cum sit veluti de substantia actus moraliter considerati, vnà cũ actu præcipitur, neque præter intentionem Legislatoris occurrit: voluit enim ad eiusmodi discrimen obligare, quando imperauit actum per se, & ex natura veluti sua periculosum, vt in casibus allatis vides. Quando verò periculum est tantum connexum per accidens actui præcepto, siue oriatur ab intrinseco, vt cum quis deficientibus naturalibus viribus fame extinguitur, eoquòd nulli cibi præter vetitos suppetãt, aut quia tyranno incutitur mors nisi Lex violatur, non est obligatio adeundi illius periculi nisi per accidens.

Hinc colliges. Quid faciendum sit in exemplis allatis à Caiet. primò enim posset quis metu mortis, sine vestibus sacris celebrare Missam, modo id non imperaretur in contemptum Religionis Christianæ, aut Legis Canonicæ; secundò. Eodem vrgente metu contrahere externis matrimonium cum consanguinea in gradu probibito, non tamen copulam inire, tertiò cum excommunicatis in alio quam peccato aut excommunicationis causa, communicare secluso vti dixi scandalo, aliisque circunstantiis; quod autem *in cap. sacris, de his quæ vi, & metus causa fiunt*. Innoc. III. dicat metum attenuare quidem culpam ex eiusmodi communicatione contractam, non tamen penitus delere, de metu leui cum Vasq. *d. ibid. c.*4. exponendum est.

Quartò, an Carthusiani possint vesci carnibus in extremo vitæ periculo, vel imminet hoc discrimen, quia medicus existimat omnes alios cibos leuando ægro esse inutiles, vel quia nulli alij cibi suppetunt, ita vt vel periendum sit fame vel comedendæ carnes. In priori casu non modo laudabiliter abstinet à carnibus Carthusian. Quod concedit Victo. *Relect. de Recuperant. n.*8. sed etiam teneri ait Vasq. *d.*162. *c.*4. Suar. *lib.*2. *de variet. Religion. c.*4. *n.* 5. qui tamen non expressè addit teneri, & solam victoriæ opinionem sequi videtur, *dat verò* contra Sal. *d.*11. *n.*23. Gerson, *tractatu de eare*, & Victo. *cit.* qui licèt dicat posse laudabiliter in eo periculo Carthosianum abstinere, posse tamen si velit comedere, sine peccato asserit. Verùm optimè intulit Vasq. ex eo quod eiusmodi abstinentia licita sit, ad eam teneri Carthusianum vi regulæ aut saltem consuetudinis, totiusque Religionis ita Legem interpretantis. Opus enim laudabile & virtutis imperari potest, & seruari debet ab eo maximè, qui peculiari obedientiæ voto tenetur, posse verò licitè obseruari eam abstinentiam fatetur Victor. Et optimè probat quia nullus omni modo & medio etiam licito, seruare suam vitam tenetur, eamque periculo obiicere potest, vt se occidentem non repellere; vxor marito Lue laboranti adesse, ad bellum iustum quamvis periculi plenum, nemo propelli tenetur insalubrè cœlũ mutare & Patriam deserere; coniugem non ducere, etsi suadeant necessariúmque medici putent, sed amore castitatis vitam cœlibem ducere. Poterit igitur Religiosus amore abstinentiæ & obseruationis disciplinæ regularis hoc medio non tueri vitam, vt etiam fatetur Azor. *lib.*5. *c.*6. *q.*7. ac quod inde consequi ostendebamus, omninò ad id tenetur. Vbi verò nulli prorsus alij cibi suppetunt, tenetur carnibus vesci ne pereat fame, quia alioqui ea Lex esset irrationabilis. Neque ex ea abstinentia vllum commune bonum sequi potest, maximè secluso scandalo, quod tamen nullum esse potest si necessitas manifesta sit, & quo animo illi esu carnium occurratur, & non in Legis contemptum doceatur, ita Vasq. Suar. Azor. Gerson. Vict. & alij omnes. Dubitat tamen *Aug. Ep.*154. an qui in mediis Syluis fame confectus Idolum reperiret, posset ex eo cibo Idolis consecratus absque culpa sibi prouidere, & ait melius Christiana virtute abstinendum.

§. V.

An subditi vbique Legib. Principis obligentur.

Hactenùs de natura obligationis inductæ per Legem humanam disputatum est. Restat alterum caput hac sectione propositum de personis quæ eam obligationem incurrunt. 7

Reiiciendus est imprimis error Lutheranorum & Beguadotum. Illi enim Christianos nulla Lege teneri saltem iustos dicere, isti tantum eximiè de sanctis id docuerunt, quæ omnia ex his quæ de potestate legitima condendi leges stabilita sunt facile confutantur. Consule Bellarmin. *lib. 4. de Roma. pon. & lib. 3. de laic.* Suar. *lib. 1. de Legib. ac* 10. Vasq. *d.* 166. *& alios.*

Secundò, Dico subditos quandiu sunt partes communitatis in quam Lex fertur, Lege teneri; cùm enim vis obligatiua Legis fundetur in potestate iurisdictionis, supponit subiectionem in eo in quem infertur, sicut & potestatem in ferente; hæc enim duo correlatiua sunt, & quamdiu Lex communitati imponitur vti subditum est, debet illius communitatis pars esse vt quis ea obligetur, vbi enim desinet esse intra communitatem illam cui si lata Lex est, etiamsi alia ratione maneat subditus principis, illis tamen communitatis Legibus non tenebitur, vt patet, verbi gratia statutis quæ pertinent ad mercatores aut milites, non obstringetur vbi merces, aut militiam deseruerit,

Tertiò, nemo obligatur Legibus sui Territorij in conscientia, quando extra illud alio in loco, vbi illæ Leges non obligant, versatur ita Sua. *tom. 1. de Relig. tract. 2. lib. 2. cap. 13. & cap. 14. num. 25. & lib. 3. de Legib. c. 32. Less. lib. 4. de iust. cap. 2. d. 8. n. 54.* Sanch. *lib. 3. de mat. d. 18. n. 18. & lib. 1. in Decalo. c. 12. n. 26.* Sala. *d. 14. de legib. n. 63.* quia potestas & Iurisdictio ciuitatis, aut principis non extenditur vltra suum territorium, cui veluti affixa est, vnde non sequitur personam, quamvis enim semper & vbique subdita sit, radicaliter, & in habitu, non tamen secundum actualem veluti vsum in ordine ad Leges territorij, extra cuius limites constituitur, pro eo tempore, siue breue siue prolixum sit, intra eundem v.g. diem sit rediturus, atque apertè definitur hæc sententia *cap. vt animarum de constitutionibus in 6.* statoto Episcopi, quo in omnes qui furtum commiserint excommunicationis sententia promulgatur, subditi eius furtum extra eius diœcesim committentes, minimè ligari noscuntur, cum extra territorium diuerti non pareat. Impunè. Suar *lib. 3. de legib. c. cit.* ita limitat; vt possit Princeps punire subditum delinquentem extra territorium, quando pœna est tantum imponenda, cui limitationi non obest constitutio Bonifac. VIII. modo allata, tum quia loquitur de censura, ipso iure imposita, tum quia non dicitur ius extra territorium in hoc casu, Iudices enim imponunt tantum pœnam in suo territorio, est autem latum discrimen inter pœnam, *ipso facto* incurrendam, & eam quæ Iudicis sententiam debet expectare, Lex enim quæ priorem statuit, vt subditum extra territorium obliget, debet tum quoad pœnæ obligationem, tum quoad eius executionem efficaciam suam porrigere, quod fieri nequit vt diximus, cum neque ad actum obligare, neque eum prohibere extra eos limites queat, ac proinde neque pœnam illi debitam infligere. Lex autem quæ pœnam tantum per iudicem imponendam statuit, obligat primò Iudicem ad eam indicendam, & delinquentem ad eam sustinendam post Iudicis sententiam, quæ non fertur nisi quando delinquens ad proprium territorium redit, debet autem delictum quod ea pœna expiatur, esse per se malum & non tantum, quia peculiari iure illius Ciuitatis prohibitum, alioqui cum eum actum in alieno territorio prohibere nequeat Princeps, neque pœnam illi vllo modo infligere; si denique intra territorium actus prohibitus fiat, etiamsi delinquens extra sit, subiacet tamen Legi illius verbi gratia. Quis sagitta occidat hominem intra limites sui territorij, quia ibi consummatur actio, reus erit ille homicidij & patriis Legibus, deinde punietur, iusserit Episcopus omnes parochos in suis Ecclesiis residere, indicta mulcta pecuniaria, qui extra diœcesim manserit, illius culpæ fuerit & pœnæ reus, quia omissio residentiæ intra illius Episcopi diœcesim consummatur. Ex hac conclusione sic limitata deducit Sanch. & alij *ll. citatis*, hæc corollaria primò die Sabbathi in Castella, vbi licebit animalium intestinis vesci peregrinis, etsi in eorum solo nefas sit, atque ita Mediolani, primis Quadragesimæ diebus non ieiunare, secundò à proprio domicilio ad aliud in quo festum non agitur, licebit ad seruilia opera transire. Adduque Sanch. non teneri antè refectionem audire Sacrum, si ante meridiem peruenturus est ad locum in quo festum non obseruatur, quia poterat in proprio oppido ad id vsque tempus sacrum differre. Iam autem cum in alio loco sit, præcepto amplius non obligatur contra Sua. *lib. 1. de festis c. 15. n. pen.* tertiò proficiscens ea oppido in quo non ieiunatur, potest manè antequàm accingat se itineri vesci carnibus, etsi nondum violauit ieiunium, vbi peruenit ad suum domicilium in quo Ieiunium est, tenetur ieiunare, si autem violauit ieiunium non tenetur illud seruare, non potest tamen vesci carnibus, quintò qui ex loco in quo ieiunium seruatur, si certus sit se ea die peruenturum ad locum ieiunio immunem, potest manè cibum sumere, sed non vesci carnibus sextò. Qui clandestinè matrimonium contraheret in loco vbi Tridentini decretum non viget, etiamsi in illius patria vigeat, validè contraheret septimò. Hæc omnia licita esse putat Sanch. *ll. cc.* etiam vbi quis alio proficiscitur animo non seruandi præceptum quod in suo domicilio obligat v.g. vt non ieiunet, sacro non intersit similia exerceat, clandestinè contrahat, quia vt ait Suar. *lib. 2. de fest. c. 13. n. pen.* nulla interuenit fraus, sed fuga præcepti quod non obligat vbique, neque qui vtitur iure suo fraudem dicitur admittere, atque hinc vlterius colligit Sanch. *d. 18. lib. 3. de mat. n. 35.* matrimoniorum captiuorum inter fideles contractum absque Parocho & testibus, & si eo deducti fuerint post decreti Tridentini promulgationem in sua parochia, esse validum quod idem dic de Mercatoribus Christianis, inter infideles commorantibus, quia ibi decretum Tridentinum non obligat.

Quartò Aduenæ non obligantur Legibus territorij in quo sunt per modum transitus, secluso scandalo. Ita Sanch. *lib. 1. in Decalo. c. 12. n. 37. & lib. 3. de mat. c. 18. n. 6.* vbi plures alios refert contra Sua. *lib. 2. de fest. c. 14. n. 9. & lib. 3. de legib. c. 33.* Less. *lib. 4. de inst. c. 2. d. 7. n. 50.* Sa *v. Ieiunium*, Sal. *d. 14. n. 40.* qui tamen omnes nostram sententiam probabilem dicunt: quia nullam habet iurisdictionem in Peregrinum & aduenam Princeps aut Resp. neque breuis aliqua mora eam confert. Vnde fit vt ex communi sententia Episcopus non possit eum qui alienæ diœcesis est, aut ab aliqua irregularitate absoluere, aut cum eo in aliquo casu dispensare, aut matrimonio iungere, aut aliquod aliud illi sacramentum conferre præter communionem & confessionem, & confessionem quidem solùm ex tacita sui Episcopi licentia. Vnde colligitur eum qui absoluendi facultatem non habet, neque etiam ligandi habere. Limitanda tamen est hæc sententia, primò quoad contractum solemnem; quia cum ratione contractus quilibet acquirat forum in loco contractus, loci illius etiam ritus & omnes cerimonias seruare debet. Excipitur tamen contractus dotis qui ineundus est secundum statuta loci, in quo vir habet domicilium, non autem vbi initur ipse contractus *l. exigere ff. de Iudiciis.*

Iudiciis, secundò. Si Legum transgressio cedat in damnum & iniuriam loci in quo peregrinantur: vt si iubeatur aduenas in certum locum confluere, aut certis tantùm diebus manere, aut arma ponere, aut merces non apportare, illis enim omnibus tenentur Aduenæ, tertiò vagi tenentur loci in quo sunt Legibus, quia cum nullum habeant certum domicilium, nullis obligarentur Legibus, & ex communi sententia, illi acquirunt domicilium quoad omnia, vbicumque sunt, quartò quando Leges in loco transitus obligant ex iure communi, etsi in domicilio proprio fuerint consuetudine abrogatæ, obligant Aduenas, v. g. Castella, in transitu tenetur in Francia abstinere animalium intestinis diebus Sabbathi extra Castell. & vbi ius commune Christianitatis illibatum manet, quia cum ad inducendam obligationem exigatur iurisdictio, quam peculiaris Legislator non acquirit in transeuntes, breui illa mora eos obligare non potest; at verò ius commune obligat vniuersos, nisi sit causa excusans, quæ non est, cum consuetudo abrogans non sit in hoc loco: deinde hæc consuetudo est odiosa, quare extendi non habet vt sit instar priuilegij cuiusdam, vt quis autem oppidi Legibus teneatur, sufficit habere animum ibi maiori anni parte habitandi, vbi autem cum eo animo accesserit statim incipit obligari.

Quartò, amentes siue perpetui, siue aliquando sui compotes fuerint, nulla Legum transgressione peccant, siue iis teneantur siue non; hoc enim postremum aliqui concedunt, aliud enim est non obligari Lege, aliud ab eius obseruatione excusari; Ignorans enim Legem sufficienter promulgatam ea ligatur, licet à transgressione excusetur. Probatur quia Amentes incapaces sunt vinculi rationalis quale est Lex.

Quintò, pueri vbi ad rationis vsum peruenere, quod ferè contingit expleto septennio, omnibus Ecclesiæ Legibus tenentur, præter quam ieiunij & Eucharistiæ. Ita Sanch. *c.12.n.6.in Decal. lib.1.* Itaque tenentur præcepto annuæ confessionis, cum *cap. Omnis vtriusque sexus de pœnitentiis*, omnes fideles, vbi ad annos discretionis peruenerint peccata fateri semel in anno iubentur, & licet *ibid.* de Eucharistiæ sumptione ad Pascha idem addatur, dicitur, tamen vt id fiat reuerenter ad quod maior exigitur discretio, quàm ad confessionem: deinde constans Ecclesiæ vsus eum Canonem ita intellexit, accedit ratio. Cum enim hi pueri sint capaces peccati mortalia, illud subiicere clauibus ex Christi Lege debent; qui tamen violarent hanc Legem non sunt plectendi pœnis, quæ in *eo c. Omnes vtriusque sexus* indicuntur, arceantur, nempè Ecclesiæ ingressu, & sepultura Ecclesiastica si mori contigerit, quia grauibus eiusmodi pœnis aliisque censuris subiici nollet pueros Ecclesia, donec ad plenissimum, vt ita dicam rationis vsum pertigerint. Vnde Alexand. V. *cap. Resferente extra. de delictis puerorum*, puerum qui alium sagitta percusserat, occideratque vetuit, si antè ann. 14. id egerat, eo loco ordinaria c. Solidorum mulcta puniri. Ait tamen Sanch. *c.*8. puerum doli capacem percutientem Clericum incurrere excommunicationem, & occidentem alium fieri irregularem, atque in Interdicto à Sacris comprehendi vt habet Glossa *in c. pueris extra de sent. excommunicationis.*

Hinc colligit idem Sanch. *l. c.* primò pueris ante rationis vsum posse porrigi Carnes & Lacticinia quibuslibet diebus. Idem asserit de Amentibus *numero decimo sexto*, quia pueri non tenentur præcepto, amentes autem siue adsit spes recuperandæ mentis, siue non indigent solidiori illo cibo, secundò. Pueri & Amentes possunt assistere diuinis in loco interdicto, quia prohibetur tantùm assistentia humana & rationalis, quam neque pueri, neque Amentes exhibere possunt, sed instar bruti aderunt, non possunt tamen sepulturæ in loco interdicto mandari, quia nullum corpus, locus interdictus admittere potest, tertiò, Amentes & pueri antè rationis vsum non tenentur audire Missam die Festo, neque alij qui eorum curam gerunt eos deducere, quia non possunt audire eam humano & rationali modo. Quare idem quoque de Ebriis docet Sanch. *num.*17. si autem delirarent in certa tantum materia quæ factum non tangeret, tenentur quartò. In dubio de rationis vsu, si septemnium sit expletum tenentur diuinis & humanis Legibus, quia tunc præsumitur rationis vsus, secus si nondum sint Septennes, in periculo tamen mortis tenentur confiteri ratione illius dubij, quintò Infidelibus; quia nullis tenentur legibus Ecclesiæ, licet cibos vetitos diebus ieiunij ministrare, sicut & Catechumenis, nam antè susceptum Baptismum non obligantur, quæ ratio non valet in hæreticis; an verò alia de causa ab hospite eiusmodi cibi possint porrigi, alibi disputandum est. Hactenus de subditis, nunc de ipso Principe agendum, an suis Legibus teneatur.

§. VI.

An Princeps Legibus teneatur.

Hac de re Theologi 1.2. *quæst.96. articul.* 5. & ibi Vasq. *disput.*167. Sal. *lib.* 5. *cap.*11. *quæst.* 1. & alij Iuristæ variis locis maximè *in l. Princeps, ff. de Legibus & Senatusconsultis*, res tota sic componenda videtur.

Obseruo igitur, alias esse Leges naturales, alias diuinas, alias denique humanas, atque hæ vel sunt ius gentium, vel particulares, quæ iterum vel sunt fundamentales vt Salica in Francia, vel non annexæ Regno, & Coronæ, atque istæ vel sunt vniuersales toti regno communes, vel municipales, vniuersales vel toto Regno certas quasdam tantum personas obligant, vel omnibus communes sunt, deinde vel sunt latæ ab ipso Principe vel ab eius prædecessoribus, inter Leges autem numero pacta & contractus: distinguendum etiam est inter Legem cogentem & dirigentem, seu vim actiuam & coactiuam, hæc enim seiungi posse constat ex statu Innocentiæ, in quo fuissent præcepta sine coactione, & sæpè Leges obligant nulla imposita pœna violantibus.

Certum est primò, omnia quæ libent non licere Principi nisi Tyrannum agat Sen. *lib.1. de Clem. c.12. Tyrannus à Rege distat factis non nomine*; Quare damnant omnes illud Iuliæ apud Lamprad. *in Carral. licet si libet.* & Lucan. *lib.8. Sceptrorum vis tota perit, si pendere iusta incipis.* Facit. 15. *ann. in summa fortuna, id æquius quod validius*, & Emphem. apud Thucid. *lib.6.* *ἀνδρὶ δὲ τυράννῳ ἢ πόλει ἀρχὴν ἐχούσῃ οὐδὲν ἄλογον ὅτι ξυμφέρον*, viro aut vrbi Principi nihil iniustum, quod fructuosum, quare apud Cassiod. *lib.* 10. Varia Theod. *Cum omnia possimus sola credimus licere nobis laudanda*, & Zenoph. *lib.7. de Cyri expedit.* *ἐγὼ δὲ οὐδὲν νομίζω ἀνδρὶ ἄλλως τε καὶ ἄρχοντι, κάλλιον εἶναι κτῆμα οὐδὲ λαμπρότερον ἀρετῆς καὶ δικαιοσύνης.* Ego verò nullas opes viro præsertim Principi pulchriores honestioresque censeo quàm virtutem, & institiam.

Certum est secundò teneri Principem diuinis & naturalibus legibus, neque ab vlla dispensari posse; cùm illæ Leges nullum superiorem præter Deum agnoscant.

Tertiò iis quoque tenetur quæ spectant ad ius gentium, cum vel illud naturale sit, vel proximè in eo fundatum, neque ab eo, neque ab eius prædecessoribus latum.

Quartò Legibus fundamentalibus regni tenetur, quia non potest dispensare in iure supremo, aut statum pessundare, ita non potuit Carolus simplex filiæ suæ quæ Anglo nupserat ius ad gallicum regnum conferre.

Quintò Contractibus à se initis tenetur, si in tertij damnum eorum irritatio cessura sit, si enim subditus eo contractu Principi obligatur & ipse vicissim princeps obligabitur, cum contractus debeat esse mutuus, secundò quia non potest ad libitum aliorum bona sibi addicere, tertiò. Non potest iuri naturali subditi derogare, nisi bonum commune id postulet: vnde in
13 Regiis etiam Codicillis additur perpetuò, *Sauf le droit d'autruy* an. 1166. Rex ad decimas suo Parocho ea suo hurto soluendas in curia teneri iudicatus est.

Sextò, quoad contractus à suis prædecessoribus initos distinguendum est, vel enim iure regni capit Principatum, vel tantum vt hæres quidam particularis, si primum non tenetur nisi sint ad euidentem vtilitatem publicam, si secundum tenetur vt alij particulares hæredes. nisi renunciet hæreditati; atque ita intelligenda sunt aliqua Arresta, quibus dicitur Regem non teneri nominibus, & ære alieno prædecessorum.

Septimò, non subditur Legibus suis aut prædecessorum quoad vim coactiuam: ita S.Thom. *q.96. art.* 5. s.1. Vasq. Sal. Sua. ll. cc. & alij omnes; quia non est à quo cogatur & nullus potest obligari à se ipso & sibi infligere pœnas, quia pœna est aliquid inuoluntarium.

Octauò, non obligatur directè etiam quoad vim directiuam, ita Azor. & Sal. *l.c.* primò quia id expressè habetur *L. Princeps ff. de Legibus. Princeps Legibus solutus est, Augusta autem licet Legibus soluta non est, Principes tamen eadem illi priuilegia tribuunt quæ ipsi habent.* quod dicitur de Augusta vide Sal. *d.* 14. *s.* 3. *dub.* 8. Ambros. *in Apolo. Dauid. Rex vbique erat nullis ipse Legibus tenebatur; quia liberæ sunt Leges à vinculis delictorum, neque enim vllis ad pœnam vocantur legibus tuti imperij maiestate*, vt Epistola, ad Tridentinum cum nulla inueniatur persona mundialis, quæ mundi Legibus non subiaceat, subiacendo coërceatur, soli Regi vtpotè constituti supra Legem, sed nunc examini reseruati sæculi Legibus non cohibentur. Neque satisfacit Vasq. dum ait Principem solutum tantum esse legibus, de quibus fit mentio in eo titulo. Hæ verò sunt Iulia & Papia, quæ erant de caducis Legatis, quæ per mortem Legatarij legante superstite fiebant caduca & fisco applicabantur, quibus Legibus soluti dicuntur Principes, non satisfacit, quia vt vidit Sua. propositio est indefinita & licet definiatur *ex lib.* 13. *Vlpia. ad Leges illas*; potuit tamen hac occasione illud axioma pronuntiari; adde alia loca quibus hæc solutio vsui non erit secundò. Quia nullum assignatur, caput ex quo oriatur hæc obligatio: non quidem ea ipsa natura Legis, cum enim illa sit præceptum superioris, nullus propriè Legem suis actibus imponit, neque sibi obediens aut inobediens est; quare negat Vasq. *d.* 167. *n.* 20. posse Principem seruare Legem ex affectu obedientiæ *l. si de re sua ff. de receptis arbitris*, neque imperare sibi neque prohibere quisquam potest; deinde sicut Princeps non potest successorem directè obligare, ita neque se ipsum, neque Paterfamilias, aut Dominus tenentur præceptis familiæ, aut seruis impositis, & *l. ille à quo §. tempestiuum, ff. Ad se Trebellianum*: dicitur Consulis in Consulem, aut Prætoris in Prætorem, aut in se ipsum non habere imperium: Denique quando Princeps non vult se includere Lege; non obligatur vt omnes fatentur, cùm lex vim accipiat à Legislatoris voluntate, & alium eximere possit g. &, quando non cogitat de sui inclusione aut exclusione; & frustra erit illa obligatio, quæ tota à sola obligati voluntate pendebit, & à qua dum libuerit poterit se sicut & alium dispensare. Vnde non teneri Principem solemnitatibus, apertè traditur *l. omnium C. de testamentis & eodem C. L. Ex imperfecto* secundò Soto *lib.* 1. *de Iust. q.* 6. *art.* 7. obligationem petit ex ipsa Lege quæ vim habet constituendi suam materiam in tali specie virtutis, & medium necessarium talis virtutis, quare eo semel constituto, ab eo recedere, peccare est. Respondet Sua. primò, Legem constituere tantum medium virtutis respectu subditorum, deinde regulam rationis duplicem esse; consulentem vnam, præcipientem alteram, à prima licet recedere non à secunda. Lex autem respectu Legislatoris non habet rationem nisi regulæ consulentis & non præcipientis.

Tertiò, obligari dicitur Princeps ex pacto quod init cum ipsa communitate, sed hoc pactum primò ostendi nequit, deinde non est necessarium, quia si ex sua natura Lex obligat Principem, sine eo pacto obligaret, neque sine causa ipsa etiam communitas dispensare posset.

Quartò, rationem assignat Sua. quia Legislator est tantum Dei Minister, cui Deus condendi Leges, potestatem cum ea conditione dedit, vt obliget totam Remp. & communitatem vt constantem ex capite & membris; id enim necessarium est ad bonum commune, ratione cuius concessa est ea potestas: Verùm primò si Princeps non se includat ea Lege non obligator, vnde autem constat Deum inualidare eam Legem, qua Princeps se ipsum non comprehendit, secundò grauior esset principis quam subditorum obligatio, vtpotè quæ ex diuino præcepto oriretur, neque cum eo dispensari posset, tertiò, ratio Sua. idem de vi coactiua probaret; diceremus enim Deum concessisse facultatem condendi Leges cum ea conditione, vt tota Resp. ea cogeretur, ac proinde caput & membra illi subdi, & à communitate Principem esse cogendum ad obseruationem Legum quod esset absurdissimum.

Dices. Rex iurat se seruaturum Leges vt apud Stoboe. *serm.* 44. Spartanus; ideò lex apud Arist. *lib.* 3. *polit. c.* 6. dicitur à Lycophronte Sophista, pactio & fideiussor inuicem iustorum Socrat. in Crit. vocat conuentionem inter Ciues & Leges Papinian. *l.* 1. *ff. de legib.* communem Reip. sponsionem & ibid. *l.* 2. Marcian. ex Demosthene κοινὴν συνθήκην πόλεως. Resp. Regem iurare se seruaturum regni iura, non suas aut prædecessorum Leges in Biblioth. Rhemens. lib. qui incipit Iuliam ad Erigium regem, sic habetur formula iuramenti. *An.* 1058. Henrico regnante 32. 4. Kalend. Iunij. Ego Philippus Deo propitiante mox futurus rex Francorum, in die ordinationis meæ promitto coram Deo & sanctis eius, quod vnicuique de nobis commissis Canonicum priuilegium, & debitam Legem atque iustitiam conseruabo, & defensionem adiuuante Domino quantum potero exhibebo, sicut Rex in suo regno vnicuique Episcopo & Ecclesiæ sibi commissæ per rectum exhibere debet, populoque nobis credito me dispensationem legum

legum in suo iure consistentem nostra authoritate concessurum.

Quintò Victo. *Relect. cit. num.* 21. Causam petit, quia Leges latæ à Rege eandem vim habent, atque si à Rep. ferrentur tunc autem omnes obligarent; ipsosque seruatores per quos ferrentur. *Resp.* eo casu seruatores non esse Legislatores, sed ipsam Remp. in qua singuli quidem obligantur; non autem ipsa quæ Leges soluere poterit ad libitum.

Sextò Princeps indirectè ex quadam decentia & honestate naturali obligatur Legibus. Hoc vnum probat ratio Vasq. Sicut iure naturali subditus superiori obedire debet, ita & caput reliquis membris conformari, idque voluit iura *l. cum hæredes c. qui testamentum facere possunt.* Cum hæredes constituontur, imperatot siue Augusta ius commune cum cæteris habeant *L. Digna vox C. de legib.* Theodosius & Valentinianus Act. ad volusianum præfectum Prætoris, *digna vox maiestate Regnantis Legibus alligatum se profiteri, adeò de authoritate Iuris nostra pendet authoritas, & reuera maius imperio est, submittere Legibus Principatum & oraculo præsentis edicti, quod nobis licere non patimur aliis indicamus.* Seuerus & Anton. A A. *Instit. quibus modis testamenta infirmentur, licèt Legibus soluti simus: attamen Legibus viuimus. Lex imperfecta c. de testamentis.* Alexander ait, *licet Lex imperij solemnibus iuris Imperatores soluerit, nihil tam proprium imperij est quàm Legibus viuere.* Primò quia vti dixi, turpe est partes non consonare toti & caput membris. Secundò Leges alioqui vilescerent. Tertiò mores non debent discordare dictis. Hæc tamen obligatio secluso scandalo grauis non est. Neque aliud volunt qui sunt in contraria sententia; Quare eam noxam leuem & venialem esse ait Ferdin. à Castro, *tract.* 3. *d.* 1. *p.* 23. §. 4. 1. *num.* 5.

Septimò Leges municipales ne quidem indirectè tenetur seruare Princeps, neque excipienda est curia Regis cum sua quia si latæ ab inferiori, neque approbatæ, nisi ad certum locum nulla æquitas postulat superiorem illis teneri. Potest quoque prædecessorum abrogare & nouas condere.

Hinc colliges Primò generalem ordinis, obligari legibus quoad vim directiuam; atque posse puniri à tota Communitate; quia Communitas est vti superior, & graue scandalum oriri posset ex frequenti legum violatione ab ipso capite. Ita Sal. *d.* 14. *n.* 31. Eman. Rodriq. *tom.* 1. *Regula q.* 68. *art.* 3.

Secundò Episcopum non teneri suis statutis, v. g. Excommunicauit omnes Clericos ludentes alea, si ipse postea ludat neque excommunicatur, neque Clericus cum eo ludens, quia eo ipso censetur Episcopus cum ipso dispensare, vti Papa contrahens cum aliquo in casu humano iure simoniaco, cum illo dispensat eo ipso.

Tertiò nullus se ipsum etiam alterius mandato, aut excommunicare aut absoluere potest, mandatùmque illud nullum & illicitum esset.

Quartò Episcopus non subditur legibus Synodi diœcesanæ, quia sunt eius secus de Archiepiscopo, respectu legum Synodi prouincialis, quia inferior est Synodo prouinciali Archiepiscopus, cum ab eo ad Synodum appelletur, v. Salam. *disp.* 20. *sect.* 4. *num.* 45.

QVÆSTIO VII.

De Lege pœnali.

PLurima disputantur hoc loco, quæ ad alias ma- 1
terias spectant præcipuè ad secundam secundæ de iustitia & iure, & ad tractatum de censuris & beneficiis, à quibus omnibus abstineo, & pauca quædam generalia delibo circa obligationem subeundæ pœnæ impositæ, diximus enim q. sup. Legem etiam purè pœnalem ratione totius coniuncti obligare in conscientia ad abstinendum videlicet ab actu proposito, aut ad pœnam subeundam, & iudices ad eam imponendam: hæc autem obligatio duplex esse potest, vel enim obligatur Reus, statim vbi sui criminis sibi conscius est, pœnam Lege impositam subire; nulla iudicis expectata sententia; vel eiusmodi sententiam expectare potest, quæ sententia aut est condemnatoria criminis, vel declaratoria tantum, inter quas est latum discrimen; hæc enim posterior non damnat Reum neque pœnam infligit, sed totam condemnationem prius per ipsam Legem factum esse ostendit. Vnde fit vt ea sententia quoad suum effectum retrahatur ad momentum quo crimen patratum est, si priuetur v. g. bonis, etiamsi non teneatur iijs se spoliare antè sententiam, v. g. declaratoriam, vbi tamen illa prolata fuerit, restituere tenebitur omnes bonorum fructus à die delicti, & omnes contractus circa ea bona, aut alienationes ipsorum. erunt irritandi.

Pœna quæ obligat ante sententiam dicitur latæ sen- 2
tentiæ, quæ post eam tantum dicitur ferendæ sententiæ, de qua vtraqi obligatione quæritur, primùm quando inter se dignoscuntur; deinde quam ampla sit ea obligatio seu ad quas pœnas se extendat; vel vtrum Reus eas sibi ipsi infligere aut debeat, aut cogi possit. Nam sunt aliquæ pœnæ priuatiuæ, aliæ quæ actionem quandam requirunt, priores illæ consistunt in quibusdam inhabilitatibus, quibus persona priuatur capacitate ad aliquos actus; aut ministeria vt vides in irregularitate, impedimentis, matrimonij, atque hæ possunt per ipsam legem & imponi & executioni mandari, quia non requirunt vllum effectum physicum. Posteriores pœnæ quæ positiuæ dicuntur, quia requirunt aut actionem verè positiuam vt flagellatio, solutio pecuniæ, quæ tamen actionem moralem positiuam & affectiuam inferat, vt ieiunium quod in carentia cibi consistit, incarceratio. hæ pœnæ non

possunt ab ipsa Lege mandari executioni, cùm non habeant effectum Physicum, certum est eum à Lege, quę vel est tantum actus internus Legislatoris, vel eius præceptum exterius scriptum aut prolatum prodire non posse. Hæc autem actio quibus eiusmodi pœnæ infliguntur causam habere potest, tum ipsummet Reum tum quemlibet alium ab eo & iudice distinctum, de quibus omnibus hæ regulæ tradi possunt.

3 Prima Regula. Potest Lex obligare Reum in conscientia ad pœnam tum passiuam tum actiuam subeundam ante sententiam Iudicis, atque ipso facto vt loquuntur, dummodo pœna ipsius Rei actionem exigens moderata sit, & non nimis acerba, atque iustè ab eo exerceri possit, id tamen genus obligationis frequentius in pœnis priuatiuis vsurpatur; hæc sententia impugnat. Primò Caietan. 22. *quæst.* 62. *art.* 3. Negantem pœnam actiuam imponi posse ante sententiam Iudicis exequendam, & Sotum *lib.* 1. *de Iustitia quæst.* 6. *art.* 6. *cap.* 1. Idem ad ipsas etiam pœnas passiuas extendentem, eo quod naturæ repugnet idem pati à se ipso, & liceret alioqui Reo, aut haurire venenum, aut si in sola priuatione pœna consistat, fame perire. Regula verò tradita communis est, vt videbis apud Vasq. *d.* 168. *c.* 2. & 3. Et Suar. *lib.* 3. *de legib. cap.* 5. Quia non est cur repugnet nos obligari præcepto superioris ad pœnam aliquam iustam nobis imponendam, si enim ex natura rei id inhonestum esset, neque per sententiam iudicis ad id obligari posset, cuius tamen contrarium aduersarij docent. Maximè vrgetur in sententia declaratoria quæ nullam coactionem Physicam affert, aut nouam obligationem inducit, sed ipso facto priùs contractam supponit, neque opus est crimen probari ante damnationem, cum enim hæc damnatio fiat tantum in foro interno, in illo tantùm audiri & conuinci debet, neque dicas naturam abhorrere, vt idem puniatur à se ipso saltem antequàm damnatus fuerit, quia eadem ratio valeret in pœnis passiuis, quas tamen incurrit sæpius ipso facto & ante sententiam, & omnes vno Soto excepto fatentur, & contra ipsum statim ostendetur, quia non minus graue est hominem se ipsum priuare pluribus actionibus, ad quas ius & inclinationem habebat, vt patet in excommunicato quam aliquid sibi molestum agere, cum etiam ex his priuationibus & pœnis passiuis, sequatur necessaria obligatio ad plures actiones etiam molestas, & inuoluntarias, vt quod excommunicatus teneatur oblatum beneficium non acceptare, aut inchoâtis sacris ab Ecclesia egredi. Addidi tamen duplicem limitationem. Primò ne videlicet nimis acerba sit ea pœna, quia cum lex humana debeat esse iusta, possibilis, ac communiter tolerabilis, si ea pœna eo quod ab ipso Reo infligatur crudelitatem quandam, quam natura plerumque abhorreat, inducat, videtur ea obligatio potestatem humani Legislatoris superare. Secundò, vt licitè exerceri possit à Reo: si enim in illo exercitio sit aliqua materia intrinseca vt in sui ipsius occisione, neque ante, neque post sententiam Iudicis ad eam pœnam potest obligari: qua de re in tract. de iustitia & in opere de vniuersa negotiatione vbi de homicidio ibidem etiam diximus, etiam quas actiones circa suam mortem possit Reus elicere, puta an haurire venenum cognitum, an famem extremam volens pati, an carcere aperto non effugere, an in exilium seipsum deportare, an ad supplicium ambulare, scalas conscendere vide Vasq. 12. *d.* 173. Et Suar. *lib.* 5. *de legib. cap.* 10. Vbi autem hæ circunstantiæ non repeciuntur, vt in pœnis pecuniariis videlicet soluat mulctam impositam, in aliis leuioribus pœnis corporeis, qualis est flagellatio, ieiunium & antè & post sententiam ad earum executionem potest obligari.

De pœnis autem passiuis contra Sotum probatur, vt enim Lege ciuili aut canonica potest aliquis inhabilis constitui ad contrahendum aut aliquod aliud exercendum, nulla habita ratione proprij delicti, nulla expectata sententia vt apparet, cur non poterit propter aliquod crimen etiam occultum per accidens eandem pœnam imponere ipso facto, vsusque est frequens in Ecclesia cum Censuræ sæpissimè ipso facto incurrantur, quod enim ait per excommunicationem priuari hominem bonis communibus ab Ecclesia ante sententiam, quia sæpè etiam priuat bonis proprijs, vt in pœnis inhabilitatis ad matrimonia, priuatione fructuum beneficij, quæ oritur ex Censura. Deinde Ecclesia in excommunicatione & priuatione bonorum communium per eam inducta, non agit vi dominij quod habet in ea bona, quæ ad libitum aut largiatur aut tollat nullo præuio examine & sententia, sed instar fidelis dispensatoris ac Iudicis priuantis ob aliquod crimen cuius Reus sibi ipse conscius est. 4

Secunda Regula quoties Lex vtitur tantum verbis, pœnam cominantibus, aut futuri temporis non obligat in conscientia ad pœnam ante sententiam, nisi alioqui Lex inutilis & illusoria futura sit. Aperta est Regula ex vi verborum & proprietate, qui enim dicitur, excommunicandus non est excommunicatus, aut qui fecit actum sub excommunicatione prohibitum non est excommunicatus, quia minari excommunicationem, & illam infligere diuersa sunt, vbi autem dubium est an pœna sit latæ aut ferendæ sententiæ, interpretandum est esse tantum ferendæ ex communi omnium sensu, perspicua etiam est regulæ limitatio, quia nunquam ita licèt interpretari legem vt eam illusoriam reddamus, debet enim habere aliquem effectum v.g. si prohibeatur matrimonium inter virum & fœminam ab ipso pollutam adulterio sub pœna irritandi matrimonij, ipso iure & factu ponit matrimonium irritum, quia non posset post ea matrimonium semel validum irritari. Idem valet in impedimentis professionis Religiosæ, in irregularitate etiam, quia illa pœna est quæ à iure & non ab homine imponitur: vnde licèt exprimatur per verbum futuri, tamen ipso facto statim incurritur, nisi fortè incurratur potiùs propter infamiam quam immediatè propter crimen, tunc enim requiritur sententia iudicis, non ratione irregularitatis per se loquendo, sed ad notorietatem criminis quod si occultum maneat non plectitur ea pœnâ. Quando autem dicitur ordinatio alicuius irritanda, quia non erit inutilis Lex & si ordinatio non fiat nulla, imò neque quoad valorem irritari non possit, intelligenda est ea irritatio de vsu ordinum & suspensionem inducere. 5

Limitant secundo hanc regulam ratione contractuum in quibus apposita pœna resilienti ipso facto semper incurritur in conscientia ante sententiam ex pluribus iuribus, quæ allegantur, negat tamen Vasq. *d.* 173. *cap.* 1. cum Nauar. *in sum. c.* 23. *num.* 68. Quia consuetudine derogatum est his iuribus, de qua tamen consuetudine sibi mere constare ait Suar. *lib.* 5. *cap.* 6. *num.* 8. Itaque id putat colligendum ex materia contractuum, intensione contrahentium & ex ipsorum verbis, quæ si contineant promissionem, planè soluenda est in conscientia antè sententiam, nisi constet de contraria consuetudine. 6

Limitant Tertiò Vasq. Suar. *l. c.* & alij communiter circa testamenta: Nam licèt testator dicat tantùm sub tali pœna non implens eius voluntatem teneatur in conscientia; est enim conditio sine qua non dat 7

suam

ſuam hæreditatem, habet enim plenum ſuæ rei dominium. Quare poteſt legare ſuas fortunas prout voluerit. Et niſi impleta conditione quæ apponit ſua bona ab hærede non detineri.

8 Tertia Regula. Quando pœna imponitur per verbum imperatiui modi aut imperium ſignificans, anceps eſt locutio & pro materiæ diuerſitate, modo ſententiam latam modo ferendam continebit, ſi enim ſit pœna, quæ immediatè à Lege ſine vlla hominis actione mandari poteſt executioni obligat. Si verò alterius quam ipſius ſolius Legis actionem requirat ſignificat tantum ferendam ſententiam, niſi aliud verba aut intentio Principis ſuadeant, quæ vltima pars ſatis perſpicua videtur, cum enim exigat Lex alienum miniſterium ad pœnam infligendam, eam ſtatim non infligit, ex quo etiam prima pars apparet. Quia nihil eſt cur pœnæ inflictionem tunc differri, & veluti ſuſpendi dicamus. Vbi tamen res dubia eſt debet potiùs de pœna futura, quam actu impoſita exponi, & quando pœna, aut verbum illam ſignificans, poteſt tum ad effectum immediatè à Lege prodentem, tum ad alium miniſterium hominis exigentem referri, de hoc vltimo erit intelligendum, atque ita ſententia iudicis expectari.

9 Quartà regula. Lex quæ pœnam fert per verbum præſentis temporis indicatiui modi continet ſententiam latam, quæ autem per participium iunctum cum verbo ſubſtantiuo futuro ferendam, quæ per verbum ſubſtantiuum ſit, aut eſt, indicat latam ſententiam, ratio eſt quia aliàs eæ locutiones falſæ eſſent, & tota Lex contineret mendacium, dicit enim Inhabilitamus, v. g. Et tamen nihil faceret. Vnde Leges, quæ indicant pœnam exigentem miniſterium hominis nunquam ita loquuntur, ſed vtuntur verbo mandamus, aut obligamus verbi gratia reſtituere, ſoluere.

10 Quinta regula quando pœna exigit miniſterium alicuius ab ipſo reo diuerſi, numquam fertur per Legem latæ ſententiæ, quæ … ſtatim obliget in conſcientia ante ſententiam ſaltem declaratiuam, quia tunc reus obligatur tantum ad ſuſtinendam pœnam, alius autem non obligatur ad inferendam niſi vt miniſter Iuſtitiæ, ad quod opus eſt mandato, aut ſententia, alioqui poſſet quilibet aut Iudex aut alius officiarius nulla iuridica cognitione cauſæ præuia, ſtatim aut in flagranti delicto reum punire; ea verò pœna alterius miniſterium exigit, non tantum quæ Phyſicè, ſed etiam quæ honeſtè à reo infligi nequit à ſe ipſo.

11 Sexta regula. Pœna quæ ſolius rei actionem exigit, nunquam obligat in conſcientia ante ſententiam ferendam, niſi id ita clarè exponatur, vt vitari non poſſit ſine magna verborum improprietate. Quæ regula extendenda etiam eſt ad pœnas, quæ proximè priuant actione humana, ex qua ſequitur grauis afflictio corporis vt eſt abſtinentia cibi, quia hæ pœnę æquiualent illis quæ in actione conſiſtunt; quare de his eodem modo ſentiendum eſt. Ratio eſt quia durum eſt reum ſe ipſum plectere: quare niſi id nominatim iubeatur, non debemus eum ad id obligare, & quia vix vllum in iure exemplum reperitur quamvis Suar. *cap. 7. num. 7.* Et Vaſq. *d.* 168. *cap.* 3. aliquas Leges Hiſpanas ad hoc refferant.

12 Regula ſeptima. Quoties Lex imponit pœnam aliquam priuatiuam priuatione rei quæ ſine actione hominis executioni mandari non poteſt, licèt aliquem effectum pœnalem per ſe faciat eo quod particulas ipſo facto, ipſo iure, eo ipſo aut aliàs æquiualentes addat, non tamen affert ſtatim abſolutam priuationem, neque ad eam quæ ex actione rei pendet exequendam ante ſententiam declaratoriam criminis obligat in conſcientia, niſi ex alijs verbis Legis, cuiuſmodi ſunt ante declarationem aliam aut alia æquiualentia, aut ex materia; quia alioquin tota Lex eſſet inutilis, aut inefficax, aut denique ex conſuetudine ea obligatio colligatur.

Dixi primò Legem imponentem eiuſmodi priuationem aliquid operari, quia verba Legis neque falſa, neque ſuperflua ſunt, hæc autem ipſo iure, ipſo facto & ſimilia vtilia, & vera eſſe non poſſunt, niſi aliquidpiam operentur ante ſententiam quam excludere videntur, aut quam non expectandam inſinuant, neque dicas ea verba ad ſolum terrorem apponi, alioquin omnium Legum pœnalium robur facilè fuerit infringere. Effectus autem harum vocum eſt, vt non ſit expectanda ſententia condemnatoria, ſed ſolùm declaratoria, & poſt eam declarationis pœna retrahatur vſque ad diem commiſſi criminis, vt dixi nuper, ac proinde poteſtatem re ſua vtendi ab ipſo ſtatim crimine commiſſo multum diminuat.

Hinc ſequitur quod ſecundo dixi eam tamen Legem non obligare in conſcientia ad dimittendam rem, qua priuat ante eam ſententiam declaratoriam. Quia cum particulæ ipſo iure ipſo facto, in quibus eſt tota vis huius obligationis habeant ſufficientem effectum, vti expoſui ſine ea actuali rei ſuæ, ſiue officium ſit ſiue beneficium, demiſſione ad eam, niſi aliquid admodum vrgeat, extendenda non eſt, alioqui ſæpè eiuſmodi Leges inhumanæ eſſent, & ipſa conſuetudo nobis plurimum fauet.

Dixi tertiò eam obligationem aliquando vel à materia vel ex conſuetudine, vel à verbis Legis Colligi; atque tunc nullam aliam eſſe ſententiam expectandam, ſed rem omninò qua priuamur eſſe dimittendam. Cum enim ea obligatio imponi poſſit à legiſlatore, vti probaui in.c. Vbi de ea conſtat, ſubeunda eſt: malè autem Vaſq. *d.* 173. *cap.* 2. Negat particulam abſque vlla alia declaratione, vel nulla alia monitione præmiſſa indicare hanc obligationem cum effectum à particula ipſo facto diſtinctum habere debeat, aliam quam non expectandam ſententiam vllam, & declarationem aſſignari non poteſt vt obſeruat Suarez, *caput octaua*, *numero vigeſimo ſecundo.*

Regula 8. Quoties Lex imponit pœnam inhabilitatis, eiuſmodique aliàs priuationes, quæ neque actione conſumatur, neque vllam prorſus actionem exigunt, ſi vtatur particulis. *Ipſo iure*, *ipſo facto*, incurrit eas, reus ante omnem ſententiam etiam declaratoriam, atque in conſcientia teneri vt inhabilem ſe gerere & priuatum, v. g. iure ſuffragij, quia alioqui eæ particulæ nullum habent effectum; neque enim poterit retrotrahi poſt ſententiam ad diem criminis admiſſi: quia ſuffragium datum v. g. aut electio vi illius facta non poterit irritari. De ea inhabilitate ad electionem in vniuerſ. Vide Suar. *cap.* 9. Et Vaſq. *d.* 168. *c. vlt.* 13

Quæri vlterius poſſet: an Iudex ita obligetur ad pœnam inferendam, vt eam vel minuere vel augere nequeat, ſed id pertinet ad tractatum de Iuſtitia, tum an ignorantia à pœna excuſet, ſed dum de ignorantia à peccato excuſante diſputabitur inferius, facilè quid ſentiendum ſit conſtabit.

CAPVT

CAPVT IX.

De vario & multiplici Iure politico.

QVÆSTIO I. *Vnde Iuris politici diuersitas oriatur.*
QVÆSTIO II. *De Iure Monarchico.*
QVÆSTIO III. *De Iure Aristocratico.*
QVÆSTIO IV. *De Iure Democratico.*
QVÆSTIO V. *Consectaria ex superiori doctrina.*



VM omnes populi partim suo proprio partim communi hominum Iure vtantur, vt dixit Caius, *L. Omnes populi 9. D. de Iustit.* Illùdque ius proprium politicum esse fateantur, omnes illud etiam varium & multiplex esse oportet, alioquin non esset proprium singulis populis, sed commune. Quare sapienter dixit Arist. *lib. 5. Ethico. cap. 10.* Iura quæ ab hominibus vtilitatis causa instituta sunt mensuratum esse similia, non enim pares sunt vbique frumenti & vini mensuræ, οὐ γὰρ πανταχοῦ ἴσα τὰ οἰνηρὰ καὶ σιτηρὰ μέτρα, &c. ὁμοίως δὲ καὶ τὰ μὴ φυσικὰ, ἀλλὰ ἀνθρώπινα δίκαια, οὐ ταὐτὰ πανταχοῦ ἐστὶν οὐδ᾽ πολιτεῖαι, ἀλλὰ μία μόνον πανταχοῦ κατὰ φύσιν ἡ ἀρίστη, quibus posttemis verbis hanc Iuris humani, & non naturalis multiplicem diuersitatem optima ratione demonstrat ex diuersitate politiæ, quæ vbique eadem non est, sed diuersa, licèt secundum naturam vna quædam omnium optima existat. Com tamen etiam aliæ quædam æque non malæ sint, diuerso eas iure regi necesse est. De hac igitur humani Iuris diuersitate pauca quædam dicenda à nobis sunt hoc loco in vniuersum, imprimis præcipuas eius species percurrendo, tum aliqua alia singularia, eaque celeberrima Iura indicando.

QVÆSTIO I.

Vnde Iuris politici diuersitas oriatur.

Finis politiæ, n. 1. & 2.
Quid sit fælicitas; & optimum ciuitatis, n. 3.
Quanam sit optima politia, ibidem.
Causa efficiens Politiæ ex Platone, n. 4.
Vera eius origo, n. 5.
Causa materialis politiæ, n. 6.
Causa formalis, n.7. & 8.
Ratio politiæ & Leges, n. 9.
Politici munus ex Arist. n. 10.
diuisio Aristotelica politiæ, n. 11.
De quarto genere politiæ, n. 12.

1 IVs politicum quod definiuimus æquitatem constitutam in ijs qui sunt eiusdem Ciuitatis, quodque ea quacumque ciuitate cognomen sumit, varium & multiplex necessariò esse iam monuimus, primò ratione materiæ de qua quidpiam sancit, secundò ratione personarum de quibus quidpiam constituit, tertiò ratione modi quo constituit scripto aut non scripto, quartò ratione authoris qui illud tulit. Nam Solonis vel Draconis Leges, ius ciuile Atheniensium nominari posse fatetur Iustinian. *Inst. de Iure naturali, &c.* Denique ex diuersa politia quam vel moderatur, vel constituit, cum ius sit veluti forma Reipublicæ & politiæ, vti pridem monuimus. Nam qui primi Leges ferunt communitati & Reipublicæ exorienti, illam constituunt suis legibus. Qui deinde Leges illas vel mutant vel abrogant, formam quoque politiæ mutant, aliamve faciunt. Ista enim iura cum humana dumtaxat sint, mutari possunt, vt monebat paulò superius adductus Aristot. Vt videmus in Republica Atheniensium quam Draco suis Legibus primùm constituit, & deinde seuerissimis illis Legibus abrogatis ? Solon. Nouam fecit vti testatur Arist. *lib. 2. politico. cap. 12.* Va hac igitur politiarum diuersitate, Iuris quoque politici diuersitatem imprimis arcessere nos oportet, eaque de causa politiæ natura, eiusque diuersæ species ac formæ nobis præsupponendæ sunt hoc loco.

Repetendum itaque est quod *cap. superiori quæst. 2.* Diximus de societate humana: & præterea dicendum est politiam esse rerum ac vitæ communem societatem sub vna suprema potestate ad benè beatéque viuendum, quæ definitio ad Aristotelicam accedit, sic enim illa habet *lib. 3. politico. c. 4. alias 6.* ἔστι δὲ πολιτεία πόλεως τάξις τῶν τε ἄλλων ἀρχῶν καὶ μάλιστα τῆς κυρίας πάντων. Est ordinatio Imperiorum Ciuitatis, tum eius maximè quod habet maximam omnium authoritatem, atque potestatem, additque vbique politiam siue administrationem Ciuitatis esse aut continere authoritatem & potestatem, κύριον μὲν γὰρ πανταχοῦ τὸ πολίτευμα τῆς πόλεως. Vides itaque nostram politiæ definitionem & consentaneam esse Aristotelicæ, & cum alijs quas afferunt Iauellus, Gregorius Tholosan, Bodinus & cæteri minimè pugnare, indéque bonam esse probatur quod communes eius causas explicet. Finis huius comunitatis est beata vita: Cum enim vt dixit ipse Arist. *lib. 1. politicor.* Omnem hominum societatem propter bonum aliquod esse institutam, quod tanquam primum totius politicæ scientiæ principium ponit Aristot. eodem *lib. 1. polit. cap. 1.* πᾶσα κοινωνία ἀγαθοῦ τινος ἕνεκεν συνέστηκε. Neque enim frustrà aut temerariò conueniunt, & consociantur inuicem homines, nisi vt sibi mutuas & reciprocas præstent operas in commune aliquod bonum, ad quod singuli soli attingere non possunt, ex veteri enim diuerbio εἷς ἀνὴρ, οὐδεὶς ἀνήρ; indéque concludit Phylosoph. societatem ciuilem, quæ omnium præstantissima est, propter bonum omnium præstantissimum esse quoque institutam: Illud verò κυριώτατον πάντων, esse fœlicitatem ait *lib. 7. cap. 1.* Cum negat posse tradi scientiam de optima Ciuitate aut politia, nisi prius quæratur quæ sit optima vita aut beatitudo, τίς αἱρετώτατος βίος, & rationem attuletar *ipse lib. 1.* quia cum omnis societas alicuius boni gratia fuerit instituta, illa quæ omnium præstantissima est, & cæteros omnes complectitur, in bonum excellentissimum ferri debet, eiusmodi verò esse beatitudinem nemo negabit, statimque apparet non esse institutam ciuilem societatem, siue politiam ad viuendum simpliciter, neque ad solam communionem pacis bellorum, legum, contractuum, commerciorum, cum hæc omnia inter diuersas, easque distinctissimas reperiantur, quod ostendit Arist. *lib. 3. cap. 5.* Scopus igitur politiæ est beata vita, quæ eadem est Platonis, & omnium sapientum mens. Sola difficultas est, in quo collocanda sit ista politiæ & Reipublicæ fælicitas, quod Arist. toto *l. 7.* disquirit &c. 2

Primò quidem *cap.* constituit vitam beatam & optimam 3

timam politiam siue Rempublicam neque debere, neque posse disiungi & separari, secundò statuit ex omnium politicorum sensu eandem esse singulorum Ciuium, & communitatis atque Ciuitatis ipsius fœlicitatem, siue eadem omninò in re collocatam, quod ostendit *cap.* 2. Vnde concludit omnium optimam existimandam esse Reipubl. formam, secundùm quam vnusquisque optimè agat & beatè viuat, & studiosi Legislatoris atque politici munus videre quodcunque conferat, sitque optimum; atque vt vno verbo dicam fœlicitatem esse scopum vnicum Principis Rempublicam administrantis, quate ipsemet Arist. Eo libro de fœlicitatis natura disputat, & primò quidem illam in quadam aggregatione bonorum externorum tum corporis & animi, quod ex *lib.* 1. Ethico. reperit quia vt ibidem S. Thomas interpretatur. Hæc omnia sunt bona hominis. Nam bonum hominis est esse perfectum hominis: Cum igitur fœlicitas sit bonum perfectissimum hominis, hæc omnia debet continere, alioquin, si quid deficeret imperfectio esset, & non bonum perfectum, quo pertinet definitio beatitudinis allata à Boëtio, & quidem quoad bona animi id probat Arist. ex communi sensu, quis enim dicat hominem iustitia, vel temperantia, vel prudentia carentem beatum esse, immò probat contra veteres quosdam fœlicitatem principalius in animi bonis, in cæteris tanquam in instrumentis, & ornamentis quibusdam collocandam esse; itavt debeat esse major excessus in actione studiosa & intellectuali, mediocris verò cæterorum bonorum possessio.

Primò, quia bona fortunæ conseruantur & acquiruntur per virtutes, & non virtutes per bona fortunæ: Illud autem est principalius quod dirigit aliud, hinc *lib.* 4. *Ethicor. ait.* sine virtute difficile sustineri posse bona fortunæ, & *lib.* 2. *Rhetor.* Diuites tumidos aliquid pati à diuitiis.

Secundò quia animi bona nullum finem aut terminum habent; Externa verò habent, & si nimium crescant nocent: sunt enim instrumenta, omne autem instrumentum, & bonum vtile ad aliquid faciendum aut obtinendum, tale est, vt eius excessus vel noceat habenti, vel certè nihil prosit.

Tertiò fœlicitas est dispositio seu proprietas ipsius animi. Ergo in aliquo eius bono consistere debet. Est autem animus pretiosior præstantiorque ϗ ἁπλῶς, ϗ ἡμῖν; Et simpliciter & secundum nos, corpore.

Quattò, omnia bona externa quæruntur ab omnibus raro sentientibus animi gratia, & quatenus vtilia sunt ad actionem & opus. Denique id ipsum Dei & summi numinis exemplo comprobat; Ille enim, se ipso & non ex aliquo bono externo beatus est, ὃς εὐδαίμων μὲν ἐστὶ ϗ μακάριος δι᾽ οὐθὲν δὲ τῶν ἐξωτερικῶν ἀγαθῶν, ἀλλὰ δι᾽ αὐτοῦ αὐτὸς ϗ τῷ ποῖος τίς εἶναι τὴν φύσιν, quia vt ait S. Thom. Deus nihil se melius habet, quo beari possit, ad extremum bona fortuna differt à fœlicitate, quia illa causat bona fortunæ, virtutes autem à sola ratione conferuntur; ac proinde & intimiores homini, & nobiliores existunt: ex quibus omnibus sapienter conficit. Aristoteles optimam vitam, siue fœlicitatem, tum cuiusque, tum Ciuitatis esse actionem optimam & cum virtute coniunctam, cum igitur constet illam esse optimam politiam, per quam omnes optimè agunt, & beatè viuunt, inquirendum monet quænam vita sit optima, & præferenda an, Phylosoph. Peregrina, & contemplatrix, an Ciuilis & actuosa, debet enim optimus vir, & optima politia ad alterutram istarum dirigere suam intentionem. Refert autem quæ vtrique parti fauere possunt, & quidem contemplatiua est propria liberi hominis, quia liber ille est qui sui dumtaxat gratia operatur, quod facit qui in sua cognitione conquiescit, neque illam alio alterius causa dirigit, qua de causa idem Aristoteles Metaphysicam, maxime liberam scientiam appellat, Ciuilis verò actio seruitutem quandam habet, cum subditorum & aliorum gratia operetur, aliunde tamen præclaras res & virtutes amplectitur. Quare cum bona actio, & εὐπραγία, idem sit cum optima & beata vita, qui ociosus est, & soli vacat contemplationi, is neque beatus est, neque vitam optimam agit. Aristoteles hanc controuersiam ita dirimit, vt in vtraque sententia quidpiam probet quidpiámve improbet. Sapienter quidem primæ sententiæ assertores, dicunt vitam liberi hominis meliorem esse seruili, falso tamen existimant omne imperium esse despoticum & seruile, cum politicum sit in Ciues & liberos: falsum item est, τὸ ἀπρακτεῖν otiari, & nihil agere melius esse. τὸ πράττειν, quandoquidem vt diximus, beatitudo in ipsa actione consistit, & honestæ actiones ingentes, & præstantes habent vsus, politici tamen qui actionem Ciuilem ita extollunt, peccant etiam in quibusdam. Cum nimirum existimant se solum agere cum externis politicis muniis vacant, quasi ad rectè agendum simpliciter externa aliqua, sensibilis & publica actio requiratur, quia ipsas etiam θεωρίας & διανοήσεις, Philosophorum actiones nominare possumus, cùm sint & perfectiores & Archictonicæ, licet manu nihil externum moliantur. Impiè tamen addit Aristot. neque Dei, neque mundi vllam esse actionem externam: Ex quibus aliisque tandem concludit Philosophus *cap.* 13. Fœlicitatem politiæ esse operationem, & vsum virtutis perfectum; ac proinde eam esse optimam politiam in qua homines studiosi fiunt, seu quæ omnia habet necessaria ad illum finem consequendum: In omni enim arte & scientia est, τὸ τέλος ϗ εἰς τὸ τέλος πράξεις; Omnes quidem appetunt beatitudinem, sed non omnes eam assequuntur. Itaque ea erit optima Ciuitatis administratio, ex qua beatitudo existet, quæ est vsus & actio virtutis simpliciter & non ex hypothesi dumtaxat. Actionem ex hypothesi perfectam vocat eam quæ cum necessariò & quasi coactè, fiat, fit tamen ob bonum publicum, & politicum, illúdque honestum. Cuiusmodi est scelerum castigatio quæ licet ex iustitia suscipiatur, optabilius tamen foret eam non fieri, si honestè omitti posset, & crimina ipsa ab inuitis non extorquerent: Itaque eiusmodi vindicatio scelerum honesta quidem est, quia tamen quodammodo coacta est, & non omninò spontanea, atque libera, non omninò perfecta censetur. Nam actio simpliciter honesta censetur, quæ absolutè ac per se se talis est, omnesque numeros honestatis implet, obque eius propriam dignitatem fit. Ea igitur politia erit optima, in qua homines habent omnia necessaria ad vitam optimam, siue ad beatitudinem quæ in virtutis actione perfecta consistit, obtinendam, quod non habebit solùm si sit aut bellica, aut dominatiua sed si habeat quidem bonorum externorum sufficientiam, in eoque vigeant studiosa opera, & perfectæ actiones, eoque tota Legislatoris & viri politici cura tendere debet, atque ea singillatius inquireremus hoc loco, qua ratione obtineri ista possint, tota enim politia hic explicanda foret, illud in vniuersum dici potest, id fore, quando omnia totius politiæ membra tum superiores tum subditi in vnum finem conspirent, sitque mirabilis illa harmonia, cui politiam comparat Augustin. *lib.* 3. *de Ciuit.* ipseque Plato, quæque ipso societatis nomine significetur, vti fusius tradit Author de Regimine Princip. *lib.* 4. *cap.* 23. Habes ex his causam finalem politiæ quam

quam in nostra definitione posueramus explicatam.

4 Venio ad alteram causam externam ipsius, quæ est causa efficiens. Illam Plato in Pratagora hac fabula describit. Cum Epimetheus Deorum iussu munera distribuisset, animalibus celeritatem, robur, vestitum, arma, aliaque omnia distributione accommodata singulorum naturæ, hominique in ea creando nihil superesset. Prometheus Vulcani & Mineruæ artificiosam sapientiam vna cum igne subripuit, qua sibi ad victum, vestitum, & cætera eiusmodi necessaria compararent: Restabant tamen variis, tum bestiarum, tum hostium iniuriis expositi, quare & deinde vrbes, variaque loca, quibus se tuerentur ædificarunt; verùm cum adhuc ciuili facultate carerent, plurima erat rerum omnium confusio. Quare tandem Iupiter Mercurium misit, qui pudorem & Iustitiam omnibus communicarent, tanquam vincula societatis humanæ constituendæ, ideòque virtutes illæ, omnibus hominibus peræque communes sunt, vt communi illo vinculo omnes continerentur, verùm in politico longè aliam, eamque illustriorem adornat fabulam, quæ politices originem & alias causas describit, quamquam compendium redigit Serranus in eius Dialogi argumento, ait igitur antiquissimam esse hanc primorum hominum doctrinam, cuius ipsi præcones extiterint, nimirùm vniuersitatis istius quam Deus condiderit maximam esse, & quasi αὐτοκράτορα in res inferiores authoritatem quibus regendis, atque gubernandis fuerit à Deo creata, quippè quas suo ambitu complectatur. Deinde duplicem esse huius vniuersi motum, vniformem vnum, & quidem ἰσορροπώτατον, alterum varium & multiplicem illum ex analogia existere quam φρόνησιν, vocat, & quidem ἐκ τοῦ συναρμόσαντος αὐτὸ κατ' ἀρχάς, id est ex peculiari Dei opificis Dono, ac proinde ea temperato illo motu, & se & cæteras res suo imperio subiectas conseruare vt ipsum constantissima quadam natura sit prædítum; & habeat ἐπισκευαστὴν ἀθανασίας παρὰ δημιουργοῦ, quod copiosius explicat in Timæo. Alterum verò & θατέρου, motum varium & multiplicem oriri ex necessitate corporeæ materiæ, & ipsum vniuersum variè rapere, & afficere, atque adeò in res inferiores importare magnas & periculosas vicissitudines, ait tamen illas vniuersi παραλλάξεις, siue περιαγωγάς, non aliunde regi, quàm à Deo & ξυμποδηγοῦντος ὑπὸ τῆς θείας αἰτίας. Hunc verò duplicem motum in animantibus maximè dominari; In illis verò tunc demùm est ἡλικία, vel ἡ καθεστηκυῖα φύσις, constans & optimus status, quamdiu in illis viget vniformis illius motus ἀναλογία: Crebræ verò mutationes contingunt cum dominantur illa cœli παραλλάξεις in rebus inferioribus. Saturno igitur imperante aurea illa ætate extitisse ait humani generis ἀκμὴν siue ἡλικίαν, Hoc est vigorem & perfectum quemdam statum: quum homines & terra crearentur, & mortui in terram conditi rursum emergerent, atque rediuiui exsuscitarentur in nouam vitam κείμενοι ἐν γῇ πάλιν ἐκεῖ ξυνίστατό τε, καὶ ἀναβιώσκοντο, tunc verò homines & nudi subdio viuebant, nec adiumentis ad vitam tuendam necessariis indigebant mutuam communitatem colebant, cum omnibus etiam animantibus colloquebantur, nec magistratibus indigebant, cum Deus ipsis esset magistratus, ipsisque peculiari quadam prouidentia inuigilaret, cæterique dij Iuniores singulis mundi membris præessent, erat denique summa quædam, & numeris omnibus cumulata fœlicitas, quæ tamdiu perdurauit, quamdiu viguit illa motus vniformis ἀναλογία in cœlo: vbi verò illa generis humani ἀκμὴ præteriit Deus summus deseruit gubernaculum mundi eo quod dissimili quodam motu sese regere vellet, nec vniformi amplius obtemperaret. Ex illa porrò ἀναρμοστία, sequutum certò fuisset mundi exitium, nisi Deus prouidisset quem ait πάλιν ἔφεδρον αὐτοῦ γιγνόμενον. Interituri igitur alioquin mundi curam denuò sumpsit Deus, eaque de causa generi humano necessariam scientiam & disciplinam donauit nempè ciuilem ἐνταξίαν, quæ aduersus inordinatos, intemperantesque motus remedia suppeditaret: huius verò ordinis custos & largitor est Magistratus, siue Rex & politicus. Vides commenta Platonica, & ipsemet vocat εἴδωλα & φαντασίας in sophista, quem ibidem definit εἰδωλοποιὸν φανταστικὸν ἀνθρώπινον οὐ θεῖον, & δοξομιμητὴν, falsarum opinionum artificem. In isto verò fabulamento veritatem, quam vel è libris Mosis, vel ex Philosophis Hebræis vti alias diximus, suis fictionibus obscurauit, facilè deprehendes: Verum quidem est Deum vniuersum condidisse, & in res singulares authoritatem habere, & illis omnibus inuigilare. Ineptum tamen est & ἀκυρόλογον, quod Dei nomen causis secundis tribuat, ipsæ quidem diuinas habent Vires, Dij tamen non sunt, δαιμόνων enim nomine causas secundas intelligit, quarum ministerio ad rerum productionem, gubernationemque vtitur, ideòque vocat δαίμονας συνάρχοντας τῷ μεγίστῳ θεῷ, & alibi verius συνεργοὺς & ὑπηρέτας. Dicitur igitur Deus τὸ πᾶν ξυμποδηγεῖν, καὶ ὅλης κυκλήσεως ἄρχειν: Dicimus autem causas secundas συνάρχειν θεῷ, & vna cum eo obtinere imperium non vt ἰσοδυνάμους, sed vt συνεργοὺς & ὑπηρέτας. Verum etiam esse; vides primum hominis statum fœlicissimum fuisse, & auream quandam ætatem breuissimam, tamen quam primi parentes in Edem deliciis duxerint, certum etiam est humanum genus excidisse ex illo fœlicissimo statu & grauissima corporis & animi ἀναρμοστία, perculsum fuisse, sed falsò fœlicitatem illam auream vniformi cœli motui tribuit Plato, & miseram illam ἀναρμοστίαν dissimili cuidam, & vario cœli eiusdem motui: Nam & fœlicitatis illius Author fuerat Deus, in miseriam verò se se homo sua culpa præcipitem egit, falsum quoque Deum eiusmodi culpis offensum mundi gubernationem, & eius omnem curam abiecisse; Neque id omninò voluit Plato, cùm addat deinde Deum ἔφεδρον πάλιν αὐτοῦ τῶν πηδαλίων γιγνόμενον, rursum mundum assedisse, alludit dubio procul ad Noëticum diluuium, quo mersus orbis fuit, & Deus clauum nauis quodammodo destituerat; Inferiores autem Dij, hoc est, vt nos interpretamur, causæ secundæ officium suum reliquerunt ἀφεῖσαι τὰ σφέτερα τοῦ κόσμου τῆς αὐτῶν ἐπιμελείας, vt igitur in hac rerum omnium perturbatione pereunti orbi succurreret Deus, vult Plato illum scientiarum ad humanæ vitæ necessariarum dona contulisse, sed maximè scientiam ciuilem homines docuisse, vt ipsorum societas per legum & imperiorum ἐνταξίαν contineretur; hancque fuisse primam politices originem.

Verùm omissis ingeniosis istis nugis, repetenda est politiæ origo cum Aristot. *lib.* 1. *politic. cap.* 2. & *lib.* 3. *cap.* 4. aliàs 6. *lib.* 4. *cap.* 8. Et aliis locis à nobis. *Superiori capite quæst.* 8. allatis, ex naturali Singulorum indigentia socialis vitæ ad quam natura inclinat, vt locutio & alia eiusmodi eo loco fusius explicata testantur. Societas verò illa stare non poterit, nisi aliqua contineretur disciplina quæ bonum multitudinis procuraret, & regeret: Cum in omnibus ordinatis assignetur aliquid quod cætera regat, & contineat, vt in corporibus cælestia, in animantibus homo, in homine ipso anima, in animæ partibus ratio, in naui gubernator, quod eleganter in naui qua tyrus describitur: Exprimit Ezechiel. 27. v. 3. 5

In

in Angelis vnus primus erat, & veluti chorag. In ipsis seditionibus, Author quoque quæritur; & denique in ipso fœlicissimo statu Innocentiæ, si perstuerasset futuram fuisse aliquam politiam, ostendit Suar. *lib. 5. Examerom. capite septimo.* non igitur alia causa & origo politiæ humanæ quærenda est, quam ipsiusmet humanæ societatis, quæ ea regitur & continetur.

6 Habemus itaque causas externas politiæ, finalem nimirùm & efficientem: restant internæ & materialis quidem à nobis in nostra definitione allata fuit, cum eam diximus rerum & vitæ communitatem. Quare materia politiæ sunt res quæ communes esse possunt, & de quibus deinde statuere debet politia, quia verò res non possunt separari a personis quibus communes esse debent, & quatenus id fiat politia præscribit: ipsæ quoque personæ partem materiæ politices faciunt; ex quibus vides quam ampla sit eiusmodi materia, cum res aliæ sint corporeæ, aliæ incorporeæ, diuinæ humanæ, Sacræ & Religiosæ profanæ, leges, iura, officia, artes, possessiones, maria flumina pagi, ciuitates, Regiones, fundi, agri, & cætera innumera, personæ sunt imperantes, subditi, sacra curantes, Magistratus, Artifices, & alij de quibus omnibus agit politia vt concinna sit illarum omnium administratio ad benè beatéque viuendum. Quare tam latè patet politia vt omnia ferè complectatur

7 Restat causa formalis, quæ est societas sub vno supremo imperio, vti disertè habet ipsa definitio: hoc enim charactere à quibuslibet aliis distinguitur, primò quidem à quacumque multitudine quæ colligata inter se non est, secundò à Latronum & improborum conuenticulis ac coitionibus, quæ coniurationes potius qoam societates dicuntur, ideóque lex de communi diuidendo inter prædones locum non habet, *l. inter prædones. D. de communi diuid.* Tertiò Differt politica a despotica & œconomica, quas malè à quibusdam distingui ex multitudine mouet Arist. *lib. 1. politic. cap. 1.* quod despoticus paucis imperet, œconomicus pluribus: Politicus verò multò etiam pluribus, atque adeò totum istud discrimen ex paucitate & multitudine petatur. Ipse verò *cap. 7.* distinguit imprimis à despotica quia *δεσποτεία* & imperium Seruil. & sua natura seruorum: deinde Dominus non fit ex scientia dominandi, sed ex vsu & possessione seruorum, neque illa seruilis scientia magnum quid continet: quare ipsi domini se ea cura liberant, dum licet *ἐπίτροπον* sibi constituunt: ipsi verò *ἢ πολιτεύονται ἢ φιλοσοφοῦσιν*, vel Philosophantur, vel ad Rempublicam se applicant.

Oëconomicum autem imperium duplex, est vnum viri in vxorem & liberos, & alterum in totam familiam, primum quidem est in personas liberas, tamen diuersomodo, quia vir imperat vxori *πολιτικῶς*, liberis autem *βασιλικῶς*, primum ostendit *cap. 12.* quod in ciuili imperio Magistratus differt à priuato *τοῖς σχήμασι λόγοις, καὶ τιμαῖς* vestita, sermone & cultu. In œconomico quoque, alius est mariti ornatus, oratio, obseruantia & honos alius fœminæ, licet alioquin sint veluti pares & Conciues. Regium autem in liberos imperium *eod. cap. 12.* demonstrat primò quia imperare *κατὰ φιλίαν καὶ κατὰ πρεσβείαν* ex amicitia & antiquitate Regni imperij species est, ideóque Homerus Iouem patrem *ἀνδρῶν τε θεῶν τε* vocat, deinde licet Rex eiusdem naturæ sit, aliqua tamen perfectione & dignitate præstat vt in apibus Rex grandior, pulchriorque est. Quare patrem sua dignitate præstat liberis, eorumque quodammodo Rex est: quoad reliquam verò familiam, aliam etiam habere curam *cap. 13.* ostendit, in eo tamen differre politiam; quod œconomicum imperium sit perpetua quædam Monarchia. At verò politia sit quidem liberorum & æqualium, & inter quos est vicissitudo quædam parendi & imperandi: quod neque in despotico, neque in œconomico contingere potest; vt enim ipse ait *cap. 13.* licet in imperante & obtemperante debeat reperiri virtus, dissimili tamen modo, quia in imperante moralis & perfecta requiritur, in obtemperante verò tanta & qualis quanta & quali opus est, cum alterius prudentia & consilio regitur: quare cum seruus natura sit hebes, neque sibi consulere possit, satis est, vt habeat virtutem obtemperandi, & qua regi se sinat, vxor quidem habet *βουλευτικὸν* consultandi principum *ἀλλ᾽ ἄκυρον*, sed imbecille, & puer etiam imperfectum, quodque nondum adoleuit, Ideóque viri virtus ad imperandum, vxor & fœmina ad parendum accommodata esse debet: At verò politia cum sit Liberorum & æqualium, qui modò parent, modò imperant, omninò à *δεσποτικῆ, οἰκονομικῆ*, differre necesse est. Verùm in toto isto discursu agit, Arist. dumtaxat de ea solum politia, quam Democratiam dicimus, & quæ apud Aristot. nomen genericum politiæ sibi retinuit. Itaque cum quæramus hoc loco formam politiæ in vniuersum, & non certæ tantùm cuiusdam speciei, illam aliunde quam ex discrimine imperij despotici & œconomici quærendam esse arbitror.

Dicendum igitur est formam politiæ esse ipsam gubernandi rationem, quæ prout diuersa est, diuersas constituit politias, & prout ea ratio mutatur etiam & politia, & ipsa quoque Ciuitas mutatur formaliter, licèt eadem vrbs & locus, ijdemque Ciues maneant materialiter, quod apertè dixit Arist. quærit enim *lib. 3. politicor. c. 3.* an dici debeant acta ciuitatis quæ ab ea facta sunt, licèt eius forma siue politia mutata sit, quandoquidem manet eadem ciuitas. Respondet verò Philosophus identitatem, vel diuersitatem ciuitatis ex politia, vel ratione administrandi æstimandam esse, non ex mœnibus, aut ex iisdem ciuibus; cum alij oriantur, alij occidant, ijdem tamen Ciues, eademque ciuitas manere censentur, quamdiu eadem politiæ forma & ratio *καὶ σύνθεσις* perseueret, sicut idem, fluuius & fons est perenni cursu aliis, atque aliis, aquis fluentibus aquis, non erunt verò ijdem Ciues, eademque Ciuitas, sed omninò diuersa, si politiæ forma immutetur, quia nomen Ciuitatis non tam pro loco quàm pro ciuium ordinatione, & administratione vsurpatur; quare quoties Ciues manent sub eadem politia, manent etiam ijdem Ciues, licet locum mutent. Hinc vlterius colligit *eodem lib. 3. cap. 4.* non eandem esse boni viri & boni Ciuis virtutem, quia boni viri vna & perfecta virtus est, *καλοκαγαθία* virtutum scilicet omnium moralium vna complexio perfecta, de qua *lib. 7. moral. eund. mor. agitur cap. vlt.* At verò boni ciuis virtus non est vna perfecta, quia cum sint diuersa politiarum genera, necesse omninò est esse quoque diuersa ciuium genera; atque adeò diuersas ipsorum virtutes: Cum alius sit bonus ciuis in Regno, alius in Aristocratia, alius in Democratia. Deinde vir bonus spectat ea quæ sunt absolutè honesta, bonus Ciuis quæ sunt Ciuitati commoda & vtilia, & cum in eadem politia ciues omnes non sint eiusdem conditionis, vt mulieres, viri, domini, serui, Senatores, milites, imperantes, subditi, diuersæ & dissimiles debent eorum esse virtutes, vti contingit in saltatione alia, si quidem virtus est *κορυφαίου* præsultoris alia *παραστάτου*, qui proximus est, imperantisque virtus præstantior est quàm subditi & priuati. Quare licet deceat bonum Ciuem esse virum bonum, & principem bonum, virum quoque bonum & prudentem vulgò existemus *τὸν ἄρχοντα τὸν σπουδαῖον, ἀγαθὸν εἶναι καὶ φρόνιμον* 8

non ideirco tamen bonus vir, neceſſariò bonus ciuis eſt, atque vt in naui duo ſunt Nautarum officia; vnum in ſalute nauis & proſpero curſu, quod vocat σωτηρίαν τῆς ναυτιλίας, alterum cuiuſque proprium, in gubernatoria Remigis aliorumque ita diuerſæ ſunt Ciuium pro cuiuſque munere & officio partes: Cum igitur politia in illa ordinatione & adminiſtratione partium omnium quibus Ciuitas componitur, conſiſtat in eo ſanè ordine & gubernatione politiæ, cuiuſque forma conſtituenda omninò eſt.

9 Ideóque rurſus quærendum videtur vlterius, in quonam ratio illa ordinationis & gubernationis collocanda ſit, aliud autem non videtur afferri poſſe, quam Ius & Leges, quibus quæque politia regitur, quæ ad finem quem intendit accommodatæ ſunt: illum porrò finem eſſe vitæ commodum & vtilitatem Vaſq. demonſtrat *lib. 3. cit. cap. 6.* vbi ex eo fine diuerſa imperia, atque etiam politias diſtinguit, quia cum omnis vitæ ſocietas, non alia de cauſa inſtituta ſit, quam ad eiuſdem vitæ vtilitatem & commoda, indéque nata ſit familiarum, vicorum & Ciuitatum origo, prout diuerſa eſt illa vtilitas, diuerſa quoque eſt Societas, & imperium quo continetur, atque adminiſtratio & ius quo regitur; illi enim fini tota adminiſtratio debet aptari. Quare ſi priuata dumtaxat adminiſtrantia, aut imperantis vtilitas primò & per ſe attendatur, eorum verò qui reguntur, non niſi per accidens eſt imperium deſpoticum, in quo Dominus omnia ad propriam vtilitatem primò & per ſe reffert, ſerui autem non niſi per accidens, neque illum curat herus, niſi ſui ipſius gratiâ non ſerui, & quatenus commodum ſerui pertinet quoque ad herum, quod ſi Imperij gubernationiſque finis ſit primò & per ſe communis vtilitas, oritur imperium paternum, vxorium, & ciuile. Nam imperium paternum & vxorium attendit vtilitatem liberorum, vxoris & familiæ, & aliorum qui parent. Ciuilis verò gubernatio attendit ſalutem communem & publicam tum Imperantium, tum ſubditorum, atque horum maximè: Cùm verò Leges & iura atque totius adminiſtratio fini illi, & ſcopo debeant accommodari, prout ille finis diuerſus: Ius quoque quod eſt præcipuum medium quo attingitur, diuerſum eſſe oportet. Quare idem Philoſophus illo *lib. 3. c. 12.* ait politiæ bonum propoſitum & finem eſſe, ius τὸ δίκαιον. Quale eſt illud quod omnibus vtile eſt, quia verò ius quædam æqualitas eſt, vti *lib. 5. Ethicor. cap. 5. & 4.* & æqualitas duplex eſt, Arithmetica, & geometrica; duo ſunt in vniuerſum conſtituta genera, iuris & iuſtitiæ, commutatiua ſcilicet & diſtributiua, vti nos ipſi fuſiùs explicuimus *cap. 1. lib. ſuperior. q. 1. & 2. in conſectariis.* Ex quibus omnibus tandem habemus iuris politici diuerſitatem, & multiplicitatem ex diuerſitate politiarum primo & per ſe petendum eſſe.

10 Ea propter, Ariſtoteles multus eſt in his diſtinguendis, & ſingulorum natura deſcribenda, inde enim conſtabit, quidnam ſit illud δίκαιον quòd ſingula ſeruant. Quare politicum vult *lib. 4. cap. 1.* noſſe quæ ſit politia omnium præſtantiſſima ἁπλῶς, qua perfectior eſſe non poteſt & quæ ex ſuppoſitione rerum præſentium perfecta ſit, quæ in cognitione plurimos errare dicit, cum vel politiam amplectuntur quæ poni nequit, vel magis communem, quam non optimam tamen faciunt, immò & perfectiorem reiiciunt.

Quare exemplo gymnaſticæ & medicinæ docet quid de politia quærere debeat politicus. Nam medicum noſſe debet Primò quis ſit omnium optimus ſanitatis gradus, quæ perfecta qualitatum ἰσονομία, quæ corporis συμμετρία, & partium cohæſio, atque ordo: Secundò quæ ſanitatis perfecta ratio & optima conditione ſubiectorum: Tertiò quomodo quamlibet ſanitatis rationem tueri, aut emendare poſſit; Quartò quæ communior ſit inter homines, vt cum opus erit circa eam operetur ex arte: ſimiliter in arte politica videndum quæ ſit ars perfecta & totalis, quæ non κατὰ μόριον de parte aliqua aut ſpecie politiæ, ſed de omnibus generibus diſſerat, & gubernationum modos omnes ad diſcrimina perſequatur accuratè, nos itaque præcipua illa genera ex eiuſdem Philoſophi mente iudicabimus.

Diuidit igitur Ariſt. *lib. 3. cap. 6.* vniuerſim politias in rectas ſimpliciter & iuſtas, & in non rectas ac vitioſas, quas vocat παρεκβάσεις τῶν ὀρθῶν πολιτειῶν digreſſiones quaſdam à rectis priores illas ait communem vtilitatem ſpectare, alias vero principum & Imperantium dumtaxat vtilitati conſulere, vti in δεσποτείᾳ. Cum enim Ciuitas ſit τῶν ἐλευθέρων κοινωνία liberorum, & non mancipiorum communitas eius imperium deſpotiuum eſſe non debet, quod vti iam monui ſolam domini vtilitatem ſpectat, ſerui autem κατὰ συμβεβηκός ex euento quatenus ſeruo pereunte perit domino bonum. 11

Hanc tamen diuiſionem Ariſtotelicam impugnant aliqui ex eo quod, ſi ex recta vel praua adminiſtratione variarentur politiæ infinitæ forent enim ex aliis etiam capitibus variari poſſent, & eius prauitatis, ac rectitudinis modi innumeri diſtingui: Cum & ipſe Ariſt. ac Plato iſta genera ſumma ſubdiuiſerint in plura reſpondere in his moralibus non requiri tam accuratam diuiſionem, maximè cum diuerſæ ſpecies non ſemper differant eſſentialiter, ſed ferè materialiter tantum, & quolibet adiuncto vel detracto variari cenſeantur; denique in omni genere entium eſſe quædam ſumma genera quæ deinceps in varias ſpecies multiplicantur.

Itaque Ariſtot. hoc loco *lib. 3. cap. 7.* colligit ſex præcipuas ſpecies ex ipſamet politia, definitione. Cùm enim πολίτευμα ἐστὶ τὸ κύριον τῆς πόλεως, & κύριον conſiſtat vel penes vnum, vel paucos, aut multos, vbi vnus aut pauci, aut multi communem vtilitatem ſpectantes communitati & Ciuitati præſunt, πρὸς τὸ κοινὸν συμφέρον ἄρχουσι, fiunt tres rectæ politiæ βασιλεία, ſiue μοναρχία Ἀριστοκρατία, optimatum imperium, & quæ commune nomen retinet πολιτεία populi Imperium, eæque ſunt rectæ politiæ Quando verò vnius dumtaxat, vel paucorum vel multitudinis vtilitas ſpectatur ſunt digreſſiones quædam παρεκβάσεις à Regno quidem & Monarchia τυραννίς, quæ vnam μοναρχοῦντος dominantis vtilitatem attendit, ab Ariſtocratia ὀλιγαρχία, quæ imperantium diuitum τῶν εὐπόρων commoda dumtaxat quærit à politia denique defluit δημοκρατία, quæ plebeiorum & egentium ἀπόρων ſolam vtilitatem conſiderat, nulla verò ex his tribus reipublicæ vtilitatem primò & per ſe curat ac promouet.

His addunt aliqui quoddam quartum genus politiæ, quæ neque ſit Democratia, neque Oligarchia ſed media, quam Socratem agnouiſſe refert Ariſt. *lib. 2.* quæ conſtaret ex τῶν ὁπλιτευόντων ex militibus, & licet eam reiiciat ibidem Ariſtot. mixtum tamen aliquod genus admittit *lib. 4. c. 7. & 8.* & politiam quam definit mixtionem ex Oligarchia & Democratia, etiamſi raro vſurpari videatur: eo quod prout ad vnam vel alteram magis inclinat eius ſibi nomen ſumat. Agnouit etiã confuſius illam Dion. Aalc. *lib. 2 pol. lib.* de militia Thom. Moral. Greg. Tholoſ. *lib. 5. de Rep. c.* Varias eiuſmodi mixtiones recẽſet. Bodin. tamen *lib. 2. de Rep. c. 1.* quartam hãc ſpeciẽ pluribus confutat 1. quia differret ſpecie omnia ſiquidem mixta à ſimplicibus differunt ſpecie, atqui ſiue pauci, ſiue multi imperent ſiue vnus 12

in

in ea mixta politia non poterit esse nisi vel Monarchia vel Democratia,vel demum Aristocratia,iisque contrariæ παρεκβάσεις.Secundò quia summum supremumque imperium, *La Souueraineté*,Indiuisibile est; quare nequit simul in Principe , optimatibus & populo reperiri , tertiò supremum ius & potestas maximè inferendis Legibus subditis exercetur. Hæc itaque potestas vel in omnibus residet,& erit populus, vel in vno qui proinde subditus non est, neque ab aliis Leges accipiet. Dices fore vt populus eligat Magistratus ærarium curet , veniam donet , Leges condat quæ belli & pacis sunt custodiat , tributa imponat , sit tamen vnus Regis iure,cui omnes sacramentum clientelare præstent , à quo nullomodo liceat prouocare , atque ita iura suprema in plures diuidentur.Verùm iste regio iure præditus,prohibebit aliis Leges ferre,bellum indicere aut gerere,fœdera sancire,tributa imponere ; & exigere, & eiusmodi alia quæ à suprema pendent authoritate.Quare sapienter Tacit.ait *lib.4. Ann.* cunctas nationes & vrbes , populus aut primores , aut singuli regunt, quartò. Denique nulla hactenus fuit politia , quæ non esset vel Monarchia,vel Aristocratia vel Democratia,vel ipsis opposita , vti fusius ostendit Bodin. *l.c.*recensione omnium etiam antiquissimarum politiarum.

13 Nobis non licet esse tam otiosis vt ista expendamos accuratius ; cum in istam disputationem ea duntaxat de causa dilapsi sumus, vt ex varia politia diuersum quoque ius politicum demonstraremus : Cum omnis administratio certum ius & Leges postulet suo fini accommodata. Quare cum diuersarum politiarum diuersus finis necessariò existat, diuersum quoque ius quo suum illum finem attingant, necessariò postulant : ex quibus tandem concludimus , cum in vniuersum tres sint politiæ Monarchia Aristocratia,& Democratia,siue vt loquitur Aristot.politia, triplex quoque in vniuersum sit ius politicum , Monarchicum ; Aristocraticum & Democraticum,de quibus singulis pauca dicenda sunt, ex iisque facile erit de singulis politiis quid boni quidve praui contineant iudicare.

QVÆSTIO II.

De iure Monarchico & Regio.

Monarchia omnium optima politia, n.1.
Monarchia hereditaria omnium optima, n.2.
Tyrannidis ortus & mores, n.3.
Regia authoritas & obsequium illi debitum, n.4.
Potest etiam capite punire,n.5.
Regia Maiestas ipsi debet obseruantia, numero 6.
Varia species Monarchia, n.7.

QVænam politia foret omnium optima disputant apud Herodotum viri sapientes Ostanes pro Polyarchia,Megabizus pro Olygarchia, Darius pro Monarchia,cui tandem omnes isti μεγάθυμοι assentiuntur, & nos vltrò cum tota sapientum turba, dicimusque ex omnibus imperij generibus ; æquissimum & suauissimum esse illud, quo vnus aliquis, quod ius Monarchicum nominamus imperat.

§. I.

Monarchia omnium politiarum optima.

Neque id pluribus adstruendum videtur cum aduersus Machiauellum *lib. 2. de Rep. cap. 2.* eiusque partiarios, Bellarmin. *lib. 1. de Pontif.cap.2.* Adamus Gontzen.*lib. 1.politic. c.21.* Gregorius *lib.8. de Rep. c.3.& 4.* Sander. *tota lib. 3. de visibili monarch.* Lipsius *lib. 2.Monit.polit.c.1.* Coccin. *tom.1.lib.7.art.2.* Maucler. *part.1.lib.4.toto de vtraque Monarchia*, Victor. *Relect. de potest. ciuili num. 8. qui num. 11.* optimè aduertit hanc Regis vnius dominationem magis naturali libertati fauere , quam Aristocraticam,& Democraticam,quia cum sit eadem suprema potestas , siue in vno siue in pluribus resideat & in Republica æquè ac regno vigeant magistratus , & Leges,quibus obtemperetur ; satius profectò est vni parere quàm multiplicato dominorum numero , augere seruiendi libertatem ; quare ineptè qui populare imperium præferunt , hanc vnam libertatem iactant,quam non nisi fucatam habent, cum importunis omnium imperiis singuli subiaceant ; cogitur enim vt monui populus aliquibus è suo numero fasces deferre ; & vt nihil dicam quàm sæpè erret in eo iudicio , variis factionum æstibus concitatum vulgus,plures Reges pro vno obtrudit, qui vel proprij commodi studio, vel in pares inuidia, in transuersum sæpius acti,nihil minus curant quàm Patriæ salutem,eamque suis immodicis cupiditatibus mactant quotidie , vnde crebræ seditiones , ac bella, tum externa tum domestica, vt discordantis patriæ non aliud plerumque remedium fuisse , quàm si ab voo regeretur,dixerit Tacitus : in extremis difficultatibus suum Romani dictatorem creabant Spartæ armostam Thessali, Archontem,Mytthlenæi Asymnetam : Cùm plures æqua potestate præditi , si sententiis vt ferè fit,discrepent non minus negotij propriis controuersiis, ac dissidiis exhibeant, quam facescant ingentes rerum curæ,prauæ etiam cupiditates,qua maximè omnia perturbantur, minus in vno Principe , quàm in pluribus est,quia vnum, quàm multos præstare facilius est ; minuta verò cupiditate maior iustitiæ locus erit, maior libertati. Quam verò ab optimorum dominatu fœlicitatem sibi spondent aliqui,eam leuiori periculo in Monarchia nanciscuntur ; Com Rex viros integerrimos præficiat , quos sola insanientis populi libido eligeret ad publicā aliquando perniciem ; quam vbi aliqui opibus,& potentia valent,in suas stirpes & Clientelas munera omnia improbè partiantur. Atque vt plurima quæ in hanc partem disputari solent paucis complectar. Finis politiæ est sufficientia & vita beata , quam vnus Princeps facilius procurat,cum & vitia liberius puniat,& virtutem actius pro moueat,& iniurias efficacius impediat : ad ea enim omnia præstanda potentia viribus opus est quæ in vno homine coniunctæ validiores sunt? maioresq; Impetus dant, quàm cum à pluribus participantur. Æqualitatē & ἰσονομίαν in Democratia iactabant apud Herodotum Ostanes ; sed fucatam,& inanem,cum moribus, ingeniis, opibus, aliisque rebus inæquales gignat natura ; neque amicitia fouetur omnimoda æqualitate,potiusq; rixæ,& seditiones excitētur,quas vnus facilius sedabit,quàm multi, vt ex voius rationis ac mentis in homine imperio fusius vrget S.Thom.*lib. 1.de Regimine cap. 2.* quod & in aliis naturæ partibus obseruare licebit ; à corde enim animantis vita, spiritusque diffunditur in omnia membra , in concentu musico cæteræ voces ad vnam referuntur

atque ex illa pendent, quasi dominetur aliis, domus, pagus, Ciuitas, nauis, exercitus ab vno regi amant, multa capita aduersantur, ipsa mundi Harmonica vis, ab vno Deo, veluti chorago ad reliquas partes deriuatur, vt eleganter explicat Tyrius *dissert.* 3. *n.* 18. atque ex ea mirabili partium vniuersi consensione, & in vnum finem conspiratione, Dei moderantis, colligantia, ordinantisque vnitatem, iam olim collegerunt Origenes *lib.* 1. *contra Cels. ante med.* auctor. de oper. Cardin. *apud Cyprian. in prolog.* Athan. *orat. contra Idola sub fin.* Euseb. *lib.* 4. *de demonst. cap.* 5. Nemes. *lib. de homin. opis.* Boët. *lib.* 3. *de consol. pros.* 12. Hug. Vict. *l.* 7. *erudit. Dida Scalic. c.* 19. S. Thom. *lib.* 1. *contra gentes*: Denique non posse à pluribus etiam numinibus concorditer mundum gubernari, sæpiùs inculcant Patres Lactan. *lib. de ira Dei cap.* 11. *& lib.* 1. *Instit. cap.* 3. Cyprian. *lib. de vanit. Idol.* Minut. *in Octauia n.* 28. & alij ad diuinum imperium, etiam de terris exemplum mutuari, vt ait Cyprian. quem ferè descripsit Minutius; ex quo hæc pauca habe, *quando vnquam Regni societas aut sine cruore cœpit, aut cum fide desiit, omitto Persas, de equorum hinnitu augurantes principatum, & Thebanorum præmortuam fabulam transeo ob Pastorum, & Casæ regnum de geminis memoria notissima est; generi & soceri bella toto orbe diffusa sunt, & tam magni imperij duos fortuna non cœpit.* Non dubitarem itaque hanc vnius administrationem naturæ magis congruere, & à primis temporibus vsurpatam; primi enim homines qui propius aberant à meliori progenie, & facilius rerum naturam intuebantur vnius imperium amplexi sunt, alias deinde principatuum formas tempus inuexit, accedit istis omnibus diuina authoritas: Deus enim dum summam Israëli fœlicitatem promittit, Principem vnum promittit Ezech. 34. *v.* 23. Osée 1. Ier. 30. *v.* 8. Prouerb. 28. *v.* 2. de quibus adi Menochium Hieropolit. *lib.* 1. *c.* 4. *n.* 7.

§. II.

Monarchia hæreditaria quæ successione obtinetur potior quàm quæ electione defertur.

2 An verò præstet vni familiæ, & stirpi addici populum, an quam libuerit optimum, ex ciuibus eligendi potestatem sibi retinere, coactis post singulorum Regum obitum comitiis restaret inquirere, nisi iam sapientum omnium ferè sententiis rem definitam viderent; & diuturna Gallici imperij fœlicitas hæreditariam successionem, vagæ electioni præferendam esse, satis superque doceret. In primis enim imperij Maiestas quæ salutis quædam tutela est maior illustriorque est in iis qui à Regibus Auis Atauisque gignuntur, cum nobilitas lucis ad instar multitudinis & procerum oculos præstringat, frænetque temeritatem, neque illis difficilè obedimus quos scimus nasci vt imperent, ipsi proceres Regem facilius patiuntur, quem sæpè in spem Regni violarent, aut contemnerent, tanquam sui ordinis vnum aliquem, nouam personam per aliquot dies velut in scena sustinentē: qui beneficio populi creari potuit, vbi placere desierit, eiusdem suffragio sæpè poterit iure an iniuria exauthorari. Melior vulgò indoles est, & ad imperandum facta natorum in purpura, quibus generosi aliquid Deus instillat, & vt aiebat Plato, in eorum fabrica aurum admiscet cui vbi accessit disciplina, & educatio fingitur animus sublimis & fortis, qui ad imperandum se erigat nulla præteritæ conditionis verecundia erubescens, nec insolenti recentis splendoris fulgure excæcatus, non negarim cū Marc. *lib.* 1. *de reg. c.* 4. ab Auorum virtutibus filios aliquando nasci degeneres, exolescente indole probitatis, non secus ac in satis & pecudibus semina cœlo terraque, tempore maximè mutantur: habent familiæ suos veluti Natales, & incrementa, ac tandem consenescunt, & intereunt, sed neque minori prauitate morum, neque minus ignaui, populis suffragiis in hoc rerum humanarum fastigium tolluntur; excutite veteres Annales, atque memoriam antiquitatis repetite, illas Romani Imperij fæces, monstraque Claudium Othonem, Vitellium, Heliogobalum, & his similes magno numero Principes suffragatione militari ad imperium euectus considerate. Qui stirpe aut potentia præcipuus est, aut diuitiis aut fœlicitate rerum omnium floret, non qui sceptro dignissimus eligitur, auro redemptis aut vi coactis suffragiis, aut simulata virtute delusis, prodit se subinde in omnium rerum licentia naturæ peruersitas, quæ priuatæ personæ vilitate tegebatur, non secus ac quassati vasis vitium, humore infusò perspicitur. Quam multi nisi imperassent capaces imperij visi; vbi sub onere fortunæ infirmitas lapsa est, faciunt licentiam de potestate, illis difficile est in potestatibus temperare, qui per ambitionem se probos simulauere; libidines summis rebus Dionysium euoluere; sæuitia Domitianum; seueritas pertinacem, vis impotens & immoderata Caligulam, auaritia Galbam, qui postremus *maior priuato visus est*, inquit Tacit. *dum priuatus fuit*. Alexander, qui orientem fortunam moderatè, & prudenter tulit, ad vltimùm magnitudinem eius non cœpit: Antonius cres[c]ente amoris in Cleopatram incendio, & vitiorum, quæ semper facultatibus, licentiaque & assentationibus aluntur, magnitudine omnia pristina decora obliterauit; Isaacius Comnenus apud Choniatem cum optimæ gubernationis cursum instituisset, non procul à meta in stadio substitit Aristocrates Rhodiorum suffragiis imperator renunciatus, cum ad res gerendas tanquam ad ignem venisset instar Adulterini, nummi alienus & ineptus deprehensus est κατὰ τὰ κίβδηλα τῶν νομισμάτων ἀλλοῖος ἐφάνη: quod rarius contingit in iis, qui in illustri fortuna nati, eius splendori ferendo assueti, & velut ad solem probati sunt, neque enim vllam ferè mutationem patiuntur, vt illi qui ex humili sorte, in adeò in sublime fastigium euehuntur, vt morbo comitiali obnoxij si in frigore versantur, & circumaguntur vertigine, & agitatione corripiuntur, quæ morbum arguat, ita fortuna stolidos, si tantillum opibus, aut honoribus extulit statim eorum latentes animi pestes demonstrant. Iam verò cura boni communis & publicæ salutis, quam vehementior in eo qui Regnum tanquam liberorum patrimonium curat, cùm ille qui meminerit suos hæredes in sortem in qua ipse natus est, recidere posse, maiori sollicitudine, & fide suæ familiæ & liberis quàm Communitati incumbat, vt vel suæ stirpi Regiam dignitatem seruet, conciliatis immodica opum profusione, eorum animis, quorum gratia & potentia Reges creat, aut exauthorat, quam immensam rerum omnium copiam in suam domum deriuabit; vt saltem sciant posteri fuisse ex ea qui regnarit, quænā longioris spei & moræ cōsilia Reipublicæ salutaria suscipiet, qui verebitur ne aut præpropera morte abrūpantur, aut ne inuisis & inimicis fortasse laborauerit, quam languida imperet, oportet manu, qui nullū ex

optimati

optimatibus lædere velit, ne si alternante sorte in solium conscendat, illatas iniurias in decessoria liberos, aut nepotes vlciscatur; quæ tempestates & motus inter regni vitantur hæreditaria successione continuato principatu, quid enim ambitio, potentia, æmulatio turbatum non excitat in comitiis? Vnde electio anceps, & periculosa plerumque redditur? natura hominum, auida imperij & potentiæ cupido insita mortalibus, cunctis affectibus flagrantior, comprimitur? si successor certus & notus est, magnis aut nouis motibus, opportuni sunt transitus rerum non sentitur amissus, qui non censetur extraneus in Thule post æstiuum tropicum Sol totos quadraginta dies inter hyberno tropico, totidem latet, id muneris datum exploratori, vt è montis vertice reditum solis obseruet, qui dies noctesque vigil, vbi tenebras attenuari, diluculum oriri animaduertit, exclamat, bono animo estote nox abit, Sol redit, celebritas illa omnium maxima, qua Sol rediuiuus orbi annunciatur, nec minor lætitia Rege nouo in locum demortui hæreditario iure suffecto, cum vix aduertatur solis occasus, perenni & non intertupta successione; sicuti cum dies moritur in noctem, & rursus cum suo cultu cum dote, cum sole eadem & integra & tota lux vniuerso orbi reuiuiscit, interficiens mortem suam, rescindens sepulturam suam tenebras, hæres sibimet existens inquit Tertullian. *lib. de Resurrect. carnis capite* 12. ita moriens Rex parens, restituitur in filio, viuitque in suo hærede, neque solium vnquam vacuum est, & Regnum morientibus Regibus, immortale est, quare Regij generis magna semper ratio habita est, & Lycurgus solis ex hercule natis spartanum Regnum adiudicauit, cuius sapientissimi Regis consilium malè temerarius Imperator Iulianus, in Encomio Constantiæ improbauit, quæ enim incommoda in hæreditaria successione, & vnius stirpis imperio occurrere possunt, maioribus commodis compensari constat, & in electione paucissima commoda plurimis maximisque incommodis obliterari. Testatur & hoc Francia cui solemne semper fuisse testatur Agathias, ex eadem familia suscipere reges & Anastas. Biliothecar. Genti Francorum moris est dominum, id est Regem secundum genus principari, docentque Annales quàm commodus fuerit ille mos Regno ad seditionum motus & externorum iniurias repellendas; vt quod Deus minabatur Iudæis *Deut.c.*28. externi nunquam Franciæ fuerint dominati. Video in contrarium afferri Pontificum dignitatem, quæ per omnes familias in firma suffragia in totum comitiorum vagantur, sed parum prudenter, cum enim sacrorum Antistites nullos suscipiant liberos ad illos suas infulas transmittere nequeunt. Maneat itaque optimam politiam esse Monarchiam, eamque successione potius, quàm electione capiendam esse.

§. III.

Tyrannidis ortus, mores, & à Regio dominatu discrimen.

3 Huic æquissimo, suauissimoque imperio tyrannis opponitur, quæ vox licet in vtramque partem quondam vsurpata fuerit, etiam apud sacros scriptores, vt docet Menoch. *l.3. hierop. c.8.num.*1. postrema tamen ætate nunquam nisi pro improbo vnius dominatu, qui per vim arripuisset imperium, aut eo impotenter abuteretur, accepta est, eamque Arist. *lib.5. polit.cap.*11. inter deprauatas politias enumerat, & Monarchiæ vti monebam obijcit, eius ortus & progressus Dio Chrysost. *orat. 1. de Regno* illustri Symbolo subiecit oculis: scribit enim Herculem adolescentem iussu Iouis, a Mercurio ductum in montem editum, fluuio in ambitum circumfluente, ex quo duo vertices, ex vna radice producti, procul spectantibus capita inter se committere viderentur, vertex alter ars regia erat, Sacellum Iouis; alter ars tyrannica Typhonia dicta, in altero virgo eleganti forma, procero corpore, candenti veste relucens sedebat, sceptrum manu gestabat non aureum, sed auro illustrius; vultus erat hylaris, & grauis, cuius aspectu boni recrearentur, mali territi procumberent, species constans, obtutus retorridus, ad pedes aurum argentum, animalia omnis generis erant, Deæ nomen Basilea, Regia Maiestas Ioue nata cui ad dextram iustitia, & Lex ad læuam pellucida Veste, ad sceptrum stabat recta ratio sine qua nullum consilium susciperet. In alterò vertice tyrannia Basileæ æmula visebatur sublimi solio, quod licet auro fulguraret, ebore electro, & variis coloribus interpungeretur mobile tamen erat & Labascena, vestes purpureæ, puniceæ, Croceæ stola Lacera, aurum nunc turpissimè condebat in Sinum, nunc abijciebat territa, sublimis, humilis læta, tristis, petulans, gemena circa eam contumelia iniquitas, seditio, adulatio, quas omnea Hercules aduersatus ad pedes Basileæ procubuit, & ei se totum addixit, quo emblemate amœnum dissertissimi oratoris ingenium, Regis tyrannique dissidentes mores expressit, & quam longè tyrannis, à regia Maiestate abesset, cuius tamen cognationem mentiretur, quam dispar exitus & fortuna vtramque maneret, quam diuersa haberent incunabula, cum vna è Ioue, altera è Typhone gygante prodiret, quam dissimilibus stipatentur comitibus, qua fœlicitate, infœlicitateque regnarent. A Ioue sanè Reges sunt, vt fabri ærarij à Vulcano, inquit Callimachus; neque illis quidquam diuininius existit; quod enim præstabilius est aut pulchrius Deorum munus, quam castus, & Sanctus, & Diis simillimus Princeps ait Plinius & Tacitus *lib.3. Annal.* de Claudio, fama, spe veneratione, omnes potius destinabantur imperio, quàm quòd futurum Principem fortuna, id est Deus in occulto tenebat: non negarim etiam tyrannum à numine, sed irato dari: Reges ex Legibus imperant, vnam amant iustitiam, contra eius præscripta nihil sibi sumunt. Theodoricus apud Cassiod. *lib.1. Epist.* 22. *Non quæras de potestate nostra, sed potius de iure victoria; quando laudabilius à parte fisci perditur, quàm iustitia non habetur, ne calumnia Innocentes graues, ne iustis petitionibus, retentores exoneres, tunc fama nostra proficit, cum se commoditas iniusta subducit*, tyranni vna animi libidine suum metiuntur imperium; Tertull. in Apologet. *vim profitemini, & iniquam exercetis dominationem, si ideò negatis licere quia vultis, non quia debuit non licere, corradunt vndique diuitias, tota Respublica præda est eorum cupiditati, quare nemo diues haberi vult ne tyranno sit infestus*, vt obseruat Agrippa *lib.52.* apud *Dionem*, *inde summa rerum suarum incuibus despicientia, & neglectus, quid enim opus liberis comparare victum, & opes, qui tyranno, maiorem facultatum suarum*, partem parat, aut filias in ædibus honestè educare, quæ dulces tyranno voluptates futuræ sunt, cum libuerit, & lachrymas allaturæ educatoribus grassantur, & ferarum instar in suos, quos Reges eximia cura, vt oues pastores seruant; illa enim suprema lex Reip. salua, quod vt subijciam oculis.

Tyrannis igitur ex corrupta prostitutaque regia 4
politia nascitur, patente timore, quo vel malè partum imperium, vel impotenter in legitimo dominatur, quidlibet

quidlibet audendi licentiam firmare se credit. Periander qui primus imperium in tyrannidem vertit, primus etiam stipatores δορυφόρους habuit, eodem quo populum prosternit, terrore tyrannis concutitur, nobile exemplum habes in Iugurtha, illi neque dies neque nox vlla quieta fuit neque loco, neque mortali cuiquam satis credere, ciues, hostesque iuxta metuere circumspicere omnia, & omni strepitu pauescere, alio atque alio loco sæpè contra decus Regium noctu quiescere, interdum somno excitus, arreptis armis tumultum facere, ita formidine quasi vecordia exagitari. Thrys. colloquia hominum, conuentus, ipsas etiam sine verbis lachrymas prohibuit; Tyrannis igitur Aretam & virtutem, corrupta, & deuirginata Basilea atque ignobilis fœtus mater effecta, ablegat in scopulos, parturit enim monstrum ex contrariis vitiis libidine auaritia, crudelitate & fraude compositum, qualia fuerunt illa fabularum tegumenta priscis temporibus inuoluta, Geryones tricorpores in Hispania, Antæus in Libia, Idra in Bœotica, Chymera in Lycia, quibus pellendis, liberandisque libera seruitute populis magnorum heroum industria virtusque sudauit, iustitiam opprimit, libertatem exscindit, optimates, vt æmulos affligit, & vt Periander, Thrasybulo suadebat summa papauera secat Argyrophilaüs, & pecuniæ amorem fouet immensis congestis opibus, & vndique per nefas omne corrasis Democratem colit, seu populi gratiam & studium, quo educatore creuit imprimis, & impulsore auctoréque, dum in optimates furit insana plebs, capessiuit imperium, tandem exscindit populum vexat ne res nouas cogitet, exemplo sunt Pyramides Ægypti, Cypselidarum statuæ, Olympij substructio, quã Pisistratidæ fecere, Tarquinij Cloacæ Polycratia opera Sami, Syracusana vectigalia, quæ ad Dionysium quolibet lustro omnem ciuium pecuniam τὴν οὐσίαν ἅπασαν deriuabant, Cùm Rex plebis commodis inuigilet, & vt pastor oues pingues, sic vrbes fœlices faciat inquit, Zenophon. quare Homerus principes vocat κοσμήτορας λαῶν ornatores populorum, ποιμένας curatores ἡγήτορας ἀγοὺς ἡγεμόνας ductores ἄνακτας, ab ἄκος, quia subditis medeantur, vel quia eos deducant ab ἀνάγω, βασιλεὺς populi fundamentum & basim a qua Rabanus apud Vvalden. *lib. 2. doctr. fidei c. 78.* Reges nominatos Basilios putat, & circa bases coronatas nonnihil Philosophatur.

5 Atque ij enim omnes qui legitimos principes per summum nefas & iniuriam è solio deturbarunt; alij verò imperium quod legitimè possident, seu successione seu electione, seu quo alio iure violenter exercent, metiunturque non vtilitate publica, sed suis cõmodis, voluptatibus, & vitiorum licentia, priores illi dicuntur vulgò tyranni vsurpatione, alij administratione, estque magnum inter eos discrimen; nam primi reipsa principes non sunt, nullamque habent legitimam potestatem, sed eam iniuriâ sibi vsurpant. Videndum tamen est an adhuc cum republica, vel Principe legitimo tyrannus iste bellum gerat, an verò oppressa libertate, populus inuitus licet iugum patiatur, & princeps viribus destitutus sua ditione inuasorem exturbare nequeat, coniuratore præterea plebe, cuius ille gratiam ambitiosè emeruit: tunc enim quamvis tyrannus legitimus Princeps non sit, pacatè tamen possidet imperium, Principes autem qui suo iure imperant, licet potestate ad libidinem abutantur, & copia voluptatum dignitatis splendore virium præsidio in transuersum acti impotentissimè in Rempublicam grassentur, tyranni non sunt nisi moribus & administratione, manentque veri & legitimi Principes: atque vt abstineamus à tyranni nomine, mali Principes meliori & leuiori voce dici poterunt; moribus enim sanctitate, aut vitiis Principum metiendam non esse eorum potestatem, & iurisdictionem monuimus nuper *cap. sup. q. 2.*

§. IV.

Regia authoritas & obsequium ipsi debitum.

Huius rerum humanarum sublimis fastigij prærogatiuam ad duo capita reuoco Authoritatem & Maiestatem, Authoritati debetur obsequium, Maiestati cultus & obseruantia. Authoritatem appello Iurisdictionem, summum ius & altissimam potestatem in Rempublicam, in cuius argumentum Reges Ægyptij leonum, draconum, taurorum sigilla, ignem, ligna aromata capitibus circumponebant ex Diodoro *lib. 2.* & ideo Proteus varias formas induere dictus; vt vniuersis se imperare significarent. In Elide Iouis caput olea cinctum horis & parcis additis victoriam tæniatam gerens, læua sceptrum, in cuius vertice aquila, vestis liliata, & pedibus subiectus Leo; Regibus validissima quæque cedere docebant; non est tamen animus regiæ potestatis, ac iurisdictionis amplitudinem per singula persequi, & vniuersa, quæ appellant Regalia *libro 2. de feudis tit.* 56. quæ fusè dabit Chassan. *in Catal.* explicare: solam authoritatem attingo, quam in ferendis legibus, imprimis elucere nemo ambigat: optimè enim Clem. Alexand. *lib. 1. Stromat.* τὸ νομοθετικὸν μέρος καὶ δικαστικόν, καὶ στρατηγικὸν ἐστὶ τὸ βασιλικόν, Regis esse ait vt leges ferat, vt iudicet, & exercitum ducat per pectora Principum sua iura sæculis dictat Deus inquiebat Constan. magnus, estque ille omnium sapientum sensus; Cum non possit suprema Rempublicam gubernandi penes Regem potestas existere, nisi 7
Legum condendarum vim habeat, vt aduertunt Bartolus *in l. vlt. C. de legibus* Bald. *in cap. 1. de constit.* Nauarrus *in cap. nouit de iudiciis nota. 2. n.* 110. Salas *diss. 7. de Legibus s. 11. n.* 51. Suarez *lib. 3. de Legibus cap. 9. n. 2.* & omnes interpretes S. Thomæ 1. 2. *q. 90. art. 3.* & rectè aduertit idem S. Doctor ad vnam, eandemque prudentiam pertinere, regere, & præcipere, quæ præcepta si vniuersam communitatem vinciant, & perpetua sint Leges sunt. Aristoteles prudentiam ferendis Legibus aptam, de qua agit *lib. 6. Ethic. c.* 8. Principis propriam esse dicit, neque aliade causa Iamblic. Epi. ad Apsaël. prudentiam gubernatricem hominum, & omnis inter ipsos constitutionis principem appellauit, & Regi vsque adeò necessariam prædicauit, Synes. Theodosium alloquens *orat. de Regno*; Nazian. *in Apolo.* & alij passim, non modo quia cum homines: nec totam seruitutem pati possint, nec totam libertatem, ad eos exactè regendos singulari animi industria & incredibili robore vtendum est, quod vt integrum in Perside ac vegetum Reges haberent Cleombroton herbam edere soliti erant, cui hæc vis, vt mentis & corporis statum integrum tueatur, sed maximè quia in ferendis Legibus sagacissima quadam, & callida prudentia est opus, quod Ægyptij significarunt, locato in sceptri vertice oculo, & Osirim πολυόφθαλμον depingentes, inde est quod Ioui, cuius nomine Regis ornantur, tres vxores nupsisse Dio Chrysost. dixit prima μῆτις consilium fuit, vnde nata Pallas sapientiæ præses, altera Themis legum parens quæ Ioui Eunomiam Legum bonitatem Dicen. iustitiam, irenem pacem peperit tertia charis gratia, & amor quæ ex iustitia, legibus &

pace nascitur in Theogonia. His accedit validissima ratio ducta ex Legum necessitate; Eas Aristoteles vocauit coronam Ciuitatis *lib.* 1. *Rhet.cap.* 4. quo Pythagoras suum illud arcanum referebat coronam ne vellices hoc est Leges ne offendas, vt notauit Cyrillus *lib.* 9. *in Iulia.* Cum enim pleraque sint Adiaphora quæ fieri aut omitti possunt absque noxa, nisi aliquid certi præscribatur, quanta rerum omnium erit confusio? quam crebra æternaque dissidia? quanta morum prauitas, & corruptela nisi scelera prohibeantur, nisi adsit monitor aliquis quem omnes audiant? Idcircò autem Leges inuentæ sunt, vt eum omnibus vna voce loquerentur. Quis verò nisi potestate emineat, Leges sanciat? quare cum totam iurisdictionem in Regem transtulerit; iam olim communitas illius erit imperare, seu Leges ponere, & bono publico prouidere, inde Regem & Legislatorem, artem regendi & condendi Leges, eandem dixit Clem. Alexand. *lib.* 1. *Stromat.* ὁ αὐτὸς ὢν ποιμήν τε νομοθέτας ἀγαθὸς, hanc artem omnem virtutem docuisse, eaque de causa barbaros suos Legislatores, quorum primum alij Zelencum locrum, alij Minoëm Iouis filium Lyncei tempore faciunt, tanquam Deos coluisse, quod vt ait Plato è cælis adhæc inferiora Vniuersitatis commoda curaturi, virtutemque docturi delapsi essent. Denique Rex est ἄρχων κατὰ νόμους, Lex Regina est, ex Pindaro vt refert Clem. & Martianus ὁ νόμος πάντων ἐστὶ βασιλεὺς θνητῶν, καὶ ἀθανάτων. Ipsi etiam Sacri codices vtramque hanc potestatem coniungunt Prouerb. 8. per *me Reges regnant, & Legum conditores, iusta decernunt* Isaiæ 33. *Dominus Rex noster Dominus Legifer noster.* Rex igitur non est, qui etiam perpetua & æterna lata Lege imperare non potest, quinam itaque huic amplissimæ authoritati fines circumscribendi sint, quodnam debeatur obsequium, diximus superiori capite *quæst.* 4.

§. V.

Potest punire etiam pœna capitis aliquando.

8 Præter hanc potestatem ferendi Leges, pollent & altera principes, qua pœnis appositis subditos coërceant, & ad sua mandata exequenda vrgeant, prior enim illa huius masculo vigore destituta, & veluti inermis parùm vtilis esset, cùm vt ait Aristot. *lib.* 10. *Ethic. c.* 10. plurimi sint, qui nullam rationem ducant honestatis, quam ne primoribus quidem labris degustarunt, authoritas seueritate aliqua fulcienda est in mammeæ nummo. Mulier sinus fluentes colligens læuam hastæ adnixam habet, dextra serpentem in spiras conuolutum, cum hac Epigraphe. *Iuno seruatrix*, seruant nimirum Rempublicam Reges, dum hastam vibrant quandoque alias terræ affigunt virga, quâ Pharaonem præstrauerat Moses, Tabulæ quibus numinis digito insculpta Lex erat, & manna aureo reconditum vasi in Adyto Hierosolymitano seruabantur, vt Leges seueritate & lenitate temperandas esse monerentur qui imperaturi erant, animal si abiectum est cibo, si generosum delinimento, si contumax plagis mansuescit, apis vt habetur in Anthologia armatur stimulo, nec sine flagello equus superbus paret, nec grex subulco, nisi strepitum pedi sonantis audierit, inde apud varias gentes, varia Reis sancita supplicia, inde ius vitæ & necis apud Principem, qui non sine causa gladium portat, vindex enim est, & passim reiiciuntur Valdenses, qui cædem omnem iniustam dixere apud Castro *v. occidere*, in quem errorem impegerat etiam Lactant. *lib.* 2. *instit. c.* 10. *& lib.* 6. *c.* 20. atque vt videtur Epictet. apud Arrianum *lib.* 10. *c.* 18. si enim licet membrum putre abscindere, quidni etiam partem iam tabo ac sanie diffluentem è Reipublicæ corpore secare, vt optimè colligit Victur. Relect. *de homic. n.* 17.

Inordinata pietas, inquit Petrus Damiani *opusc.* 57. quo Gothefredum ducem ad scelerum hortatur, *nutrit impietatem, & timida manus medici vulnus auget ægroti, non enim ad hoc præcingeris gladio, vt violatorum mala debeas palpare, vel vngere, sed vt ea studeas vibrati mucronis ictibus obtruncare*, & *cap.* 2. *per Ezechielem dicitur gladius exacutus est, & limatus, vt cadat victimas exacutus est vt splendeat, limatus est. Distat planè tribunal iudicis à cathedra Sacerdotis: ille nimirum gladium portat vt eum in vltionem iniustè viuentium exeratj iste baculo tantum contentus est innocentiæ, vt quietus & placidus teneat custodiam disciplinæ* cap. 3. *Inordinata Principis pietas quid est aliud quam confusio plebis? Nam dum ille à moderanda regiminis habena reprimitur, subiecti quique velut effrænes equi, per abrupta raptantur? agere nimirum licet omne quodlibet.* Similia persequitur reliquo opere. Pœna denique sanciri Leges in ipsis animantibus obseruat Ambros. *lib.* 5. *Hexaemeron capit.* 21. *Apes* illæ inquit *quæ non obtemperauerint Legibus Regis, pœnitenti se mulctant condemnatione vt immoriantur, aculei sui vulneri, quod Persarum populi hodieque seruare dicuntur vt commissi pretio ipsi in se propria mortis exequantur, sententiam, quod facinus non probamus.* Fateor tamen non placere nimiam Persarum seueritatem. *Nulli* inquit *Ambros. tam grauissimas in subditos habent Leges, & colligere licet* ex Zenophonte, Plutarcho, & aliis rerum Persicarum scriptoribus aurea est illa eiusdem mellifui Doctoris vox *sunt Leges naturæ non scriptæ literis, sed impressæ moribus vt leniores fiat ad puniendum qui maxima potestate potiuntur.*

——— Peragit tranquilla potestas
Quæ violenta nequit, mandataque fortius vrget
Imperiosa quies.

Malè vim suam potestas aliorum contumeliis experitur, malè terrore veneratio acquiritur longéque valentior amor, ad obtinendum, quod velis quàm timor. Nam timor abit si recedas, manet amor: Sic vt ille in odium, hic in reuerentiam vertatur ait Plinius *lib.* 8. *Epist. vlt.* Plato in politicis Regem gregis cornibus carentis Pastorem dicebat ὁ βασιλεὺς ἀλλ' κατὰ φανὴς ὅτι κολόβων τινῶν ἀγέλης ἀκεράτων νομεύς.

Cornu verò Regibus passim tribuunt sacræ & prophanæ Literæ, Virgil. *lib.* 12. *Ensemque, clypeumque & rubra cornua cristæ*, vbi nihil arcanum, nihil regium agnouit Laterda, sed cristas in cornua diuisas. Villalpando tamen *lib.* 4. *c.* 49. *tomo* 2. Galeis regiis præter coronas & Cristas addita cornua fuisse probat ex Pyrrho, quem Plutarchus agnitum scribit ab eximia crista, & à cornibus hircinis & cassidi simul impositam coronam gestasse satis indicat, cum ait Pyrrhum illam capite detractam socio tradidisse, affert, & nummum æreum, in cuius altera parte visitur caput robusti ac sæui Iuuenis, alteram occupat galea cuius apex desinit in lilium, & tota cingitur fascia seu corona, cuius extrema à posteriori parte pendent quasi infulæ, in anteriori cornu erigitur hircino. Simile, quod galli cristam posteriori parte referat, vt ornamento simul, & defensioni esset grandioribus characteribus, legitur in extrema ora, hæc inscriptio. βασιλέως τρύφωνος αὐτοκράτορος, & quia hæc omnia à vetustioribus desumpta esse constat, adductus est Villalp. vt similem galeam Dauidi imponeret: An verò existimatis idcircò cornibus armari Regem vt in Gregem inermem pro libidine sæuiat? an vt lupos impetat? quam ne- 9

ctaret illæ voces nōdum grassantis Aëtönis apud Senecam conditum imò constrictum apud me ferrum est, summa est parcimonia etiam vilissimi sanguinis nemo non cui alia desint, hominis nomine apud me gratiosus est, seueritatem abditam, clementiam in promptu habeo, denique vt concludam cum Æschylo.

ὅπου γὰρ ἰσχὺς συζυγοῦσι καὶ δίκη
ποία ξυνωρὶς τῶν δ' ἂν καρτερωτέρα

Vbi robur & iustitia coniunguntur, quæ biga validior, quæ duarum rerum coniugatio firmior? Neque in re perspicua immorari lubet; Nam qui Regis esse iubere fatetur, subditi etiam esse obsequi iubenti, non negabit, nautæ parent nauclero & magistro, ægroti medico, Athletæ, Pœdotribæ, & exercitati, alioqui ordo & concinnitas, qua sola rerum vniuersitas consistit, & cohæret, vt latè explicat Nazianz. *orat.* 26. desormi confusione perturbatur: Exigit enim vt alij præsint, subsint alij, alij pastores, alij oues sint, & diuersis ex membris corpus coalescat. Voluit Deus vt obseruat Damascen. *l.* 2. *de fide cap.* 7. Lunam mutuari lumen à Sole, à quo etiam reliqua sydera accenduntur, vt series causarum inferiorum, quæ superioribus subiiciuntur innotesceret, & nos ipsi erudiremur subesse in primis Deo, tum qui ab illo constituti sunt Principibus. *Quid amplius* ait Theodotic. apud Cassiod. *l.* 4. *Epist.* 1. *esse possit incongruum, quam nostris iussionibus expeditis supplicantium vota suspendere, & post sacra præceptionis affatum adhuc Regium suspendisse iudicium.* Multus est S. Irenæus *l.* 5. *c.* 24. vt ostendat Regna à Deo instituta fuisse & mentitum Diabolum, dum Christo pollicetur se omnia Regna mundi, quæ oculis obiecerat largiturum; male etiam Paulum iubentem omnem animam sublimioribus potestatibus subdi, de Angelicis potestatibus exponi, & demum ita concludit, *quoniam absistens à Deo homo in tantum efferauit; vt etiam consanguineum hostem sibi putaret, & in omni inquietudine & homicidio & auaritia sine timore versaretur, imposuit illi Deus humanum timorem non enim cognoscebant timorem Domini, vt potestati hominum subiecti & Lege eorum adstricti aliquid assequantur Iustitia, & moderentur ad inuicem, in manifesto positum gladium timentes.*

Huic tam locupleti testimonio attexo caput 15. *Concilij Meldensis* imperante Carolo caluo & Sergio Pontific. anno 845. celebrati. *Si quis potestati Regiæ, quæ non est iuxta Apostolum, nisi à Deo, contumaci & inflato spiritu contra authoritatem, & rationem pertinaciter contradicere præsumpserit, & eius iussis & rationabilibus imperiis secundum Deum & authoritatem Ecclesiasticam, ac ius ciuile obtemperare irrefragabiliter noluerit, anathematizetur.* desumptus est ille Canon ex Synodo, apud Lauriacum in pago Andegauensi, habitâ ano. 743. & insertus Conc. Meldensi.

§. VI.

Regia Maiestas & ipsi debita obseruantia.

10 Principum statuas radiatas astro apposito erigebant veteres, & Neronis in canis vagientis radiatum caput visum refert Suetonius. Hos radios ego interpretor fulgurantem authoritatem, & maiestatem, de qua mihi postremus hic sermo superest, hanc ab authoritate distinguit Cicero, dum ait *Maiestas erat in populo, & authoritas in Senatu*, Græci carent voce, qua eam exprimant, dicunt enim μεγαλότης seu magnitudinem, à qua non negarim, & apud Latinos deduci maiestatem, sed quæ aliud longè à magnitudine significet. Plinius enim in Panegyr. *maiestatis*, inquit, tu metum penitus *sustulisti, contentus magnitudine qua nulli magis caruerunt, quam qui sibi maiestatē vindicabant.* Cic. definit amplitudinem quandam populi, Romani in eius potestate & Polybius *cap.* 18. *de legat.* φρονεῖν καὶ δυναστείαν δήμου τῶν ῥωμαίων: non est igitur magnitudo duntaxat, sed amplitudo quædam magnitudinis, nec authoritas vel potestas, sed eius quædam augusta dignitas & micantissim. splendor, & nouissime pro dignitate acceptam, hanc vocem aduertit Trebell. in Galieno, de Dei enim magnitudine primum vsurpata estvt ait Festus, & illam tanquam numini propriam habet Paulus *L. non distinguemus* 32. §. *Sacerdotio ff. de receptis arbitris.* Est verò maiestas in Deo non illa tantum essentiæ infinitas, & vt appellat Naziauz. *orat.* 38. πέλαγος οὐσίας ἄπειρον & Dionysius ὑπέρωσις ἄπειρία, à qua Paulus vocat Deum magnum ad Titum 2. 13. absolutè ἀπεριόριστ. vt obseruat in eum locum Chrysost. neque etiam est immensitas per quam sine vlla sui diffusione incircunscripta quadam magnitudine in omnibus, & extra omnia est ἐν τοῖς πᾶσι, καὶ ἔξω τῶν ὅλων, vt loquitur Athanas. sed est summæ, infinitæ, illimitatæ atque inenarrabilis naturæ, eximia quædam sublimitas propter quam omni honore & cultu dignus est Deus. Inde illi soli honorem, gloriam, & potestatem tum cælestes mentes in Apocalypsi, tuo Paulus vbique tribuunt, quæ sublimitas oritur proximè ex infinitate essentiæ, & ex eius in omnia imperio.

His enim omnibus cuncta creata infinitè transcendit, in immensam altitudinem euectus, vt quodammodo se se deiiciat quando vel de nobis cogitat, quod acutè vidit Chrysost. *homil.* 1. *in Epist. ad Ephes.* dum expendit quod dixit Paulus, Deum nos elegisse ante mundi constitutionē πρὸ καταβολῆς κόσμου, Ea enim vox significat quandam deiectionem, quæ in demittendis & faciendis fundamentis apparet. Dixit itaque Paulus καταβολὴν ὡς ἀπὸ τινος ὕψους καταβαλλομένου μεγάλου ὄντος, tanquam à magna aliqua altitudine deiectum ipsum ostendens, illa itaque eminentia, sublimitas, & fastigium quod supra omnia immensis spatiis Deum collocat, vt sit super omnia quamvis sit in omnibus & per omnia vt loquitur Paulus *ad Ephes.* 4. Maiestatem appello; quæ quia fundamentum est & origo gloriæ seu ipsa gloria, aliquando gloria appellatur, non eo sensu quo gloria est quædam nominis celebritas, & clara cum laude publica notitia, sed quia ratio est quæ einsmodi celebritatem, & reliquum omnem cultum sibi postulat, seu est quidam veluti internus splendor & pompa personæ quam proptetea colimus, & cui nos subiicimus. Sic Iudas *v.* 8. de Gnosticis agens *dominationem spernunt, maiestatem blasphemant* vbi vulgatus interpres maiestatem reddidit δόξας glorias splendores, atque hanc maiestatem, seu gloriam de Ecclesiæ principatibus, quos ludibrio & despicatui haberent Gnostici, interpretatur œcumenius. De ipso 12 autem Deo & Christo cuius contemnerent dominationem, dum alios mundi Architectos inducerent, & maiestatem ac gloriam infami illo Dimiourgorum consortio blasphemarent Beda, Strab. Ansel. & Caiet. exponunt. Nam S Petrus *Epist.* 1. *cap.* 1. posteriores glorias Christi explicat de eius resurgentis maiestate extatque *Ep.* Arij apud Epiphan. *hæ.* 69. in qua δόξας accipit pro omni potestate filij Dei, nec arguitur ab Epiphanio ea de causa, & solemne est vulgato interpreti δόξαν seu gloriam vertere maiestatem. Quare cum Christus in Thabotino vertice visus est in gloria ἐν δόξῃ, *Luc.* 9. *v.* 30. dixit in maiestate. Et sanè decor, seu gloria indumentum Dei & Christi est, quem decorem siue splendorem magnificentiam Dei interpretatur Chaldæus Paraphrastes in *Psal.* 8. *eleuata est magnificentia super Cælos.* Atque hæc est illa vestis

qua

qua Deus præcipuo quodam honore Christum induturus erat ex mente R. Hannina. Ait enim esse vestem quandam nectaream, diuinam, qua solus Deus, nequaquam Reges terrestres vestiuntur, de qua Psal. canit *Confessionem & decorem induisti.* Hac veste Deum Messiam induisse hoc veluti paludamento gloriatur Deus dum Iobi altos animos frangit de turbine locutus, *& si habes brachium sicut Deus, & voce simili tonas, circumda tibi decorem & in sublime erigere, & esto gloriosus, & speciosis induere vestibus vbi Græcus* habet *δόξαν, καὶ τιμὴν* Chaldæus splendorem & pulchritudinem. Esther *cap.* 15. *v.* 4. deposuit vestimenta ornatus sui, & ornata est gloria sua, cum Regio fulgeret habitu: vestiuntur, ornatus quotidiani erant, ex 70. *ἱμάτια ταπεινώσεως. καὶ πένθους cap.* 14. *n.* 2. iis induebatur in diebus silentij, *cap.* 14 *v.* 16. *ἡσυχίας* quietis; gloria autem quam in die ostentationis *ὀπτασίας* assumpsit, erat cultus Regius, ex quo refulgeret nimirùm gloria & maiestas. Rex ipse Assuerus *ibid. cap.* 19. ornatus Regiis vestibus sic describitur à 70. *πᾶσαν στολὴν ἐπιφανείας αὐτοῦ ἐνδεδύκει* indutus splendoris sui totam stolam, & *v.* 10. Cum eleuasset Rex faciem, & ardentibus oculis furorem indicasset *τὸ πρόσωπον αὐτοῦ πεπυρωμένον* ignitam & flammantem gloria faciem, id est maiestate, quæ stuporem conciliaret, & horrorem incuteret. De Nicanore *l.* 2. *Machab. c.* 8. per mediterranea veste gloriæ deposita fugiente dicunt *τὴν δοξικὴν ἀποθέμενος ἐσθῆτα & 1. Machab. c.* 14. *v.* 9. Iuuenes induebant se gloria *νεανίσκοι ἐνεδύσαντο δόξας.* Vides itaque gloriam & maiestatem in scripturis eandem sæpius notionem habere. Inde dicitur à Stephano, Deus gloriæ *act.* 7. *v.* 1. & à Paulo 1. *cor. cap.* 1. *v.* 8. Dominus gloriæ. Quibus vocibus nihil aliud, opinor, indicant quàm inexplicabilem maiestatem; quæ tanta est quanta ipsa diuinitas. Vnde velut è fonte profluit eius gloria & maiestas, cuius rudes aliquas & ad captum nostrum accommodatas imagines nobis adumbrant diuinorum interpretes, dum Dei solium aut currum volantem qua valent arte ad stuporem, & admirabilitatem concipiendam describunt. Maneat itaque maiestatem in Deo aliud esse nihil quàm eius inenarrabilem gloriam, ex eminentia & sublimitate, qua reliqua omnia immensis spatiis post se relinquit, quæ idcircò ipsi subiiciantur oportet deriuatam.

13 Vnde factum reor vt dignitatibus quæ homines in fastigium quoddam rerum humanarum euehunt, tribuatur nomen maiestatis, & quia Deus aliquam eminentiæ suæ partem illis communicauit, nos iisdem vocibus compellamus. Ita quia Sacerdotium diuinum quiddam est *θεῖον χρῆμα* Isid. Pelusio *lib.* 2. *Ep.* 52. omnium quæ inter homines experuntur velut extrema meta *τῶν ἐν ἀνθρώποις ἐυκταίων ὅρον*, ex Isidoro *Epist.* 71. *ibid.* est omnium ornamentorum maximum *πάντων μεῖζον καλλώπισμα*, ex Nazian. *orat.* 3. omnium honorum apex *πάντων ἀγαθῶν ἀναβαθμός*, ex Ignatio *Ep.* Smirnenses Sacerdotibus tribuitur passim à Græcis *δόξα* gloria, seu vt Latini loquuntur, Maiestas, eos enim ait Clemens. *l.* 6. *Strom. μεγάλῃ προστάτῃ δόξῃ θεδοξμῆσθαι* magnificentissima gloria honorari, & quam coronam ac cidarim capite gestabat Pontifex Hebræus; vocant sacræ Literæ *μεγαλοσύνην.* Quia vero vbi à sacrorum procuratione discessoris nihil inter humana sublimius est Principatu iure ad Reges quoque maiestatis vox traducta est. Audi Cyrillum Alexand. præsulem *l. de recta ad Deum fide* qui refertur in Concil. Ephesino, imperatores alloquentes vos estis dignitatum omnium fontes, & omnis amplitudinis apices, humanæ fœlicitatis principium. *τῶν εἰς λῆξιν ἀξιωμάτων πηγαί, καὶ πάσης ὑπεροχῆς ἐνάκεια, καὶ τῆς ἐν ἀνθρώποις ἐυημερίας ἀρχὴ καὶ γένεσις*, vos estis maiestatis omnis fastigiũ apud homines supra omnia quæ magna sunt, incomparabiliter magni estis, *τῆς ἀνθρωπείας ἐυκλείας τὸ ἀνώτατον, καὶ ἀσυγκρίτοις διαφοραῖς τῶν ἄλλων ἁπάντων ἀνεστηκὸς, καὶ ὑπερκείμενον*; atque ab hac eminentia præ reliquis mortalibus quam Reges à diuina sublimitate participant, illos esse diuinæ celsitudinis simulachrum, veterum omnium sapientum mens fuit Themistius *orat.* 12. diuinæ naturæ deriuationem, & citimam terris prouidentiam, dixit, atque cum Ioue communes appellationes sortiri quod & fusè prosequitur Dio Chrysost. *orat.* 1. *de Regno.* vniuersa Iouis nomina in Regem referens. Mercurius Trismegist. Deum hominem immortalem, Regem verò Deum mortalem nominabat apud Stobæum *in eglog. phys. c.* 39. Deus natura Rex est inquiebat Sthenidas Pythagoreus, Rex autem einsmodi est origine & imitatione, *γενέσει, καὶ μιμήσει*, & paris ferè cum Deo honoris *ἀντιτίμος, καὶ ζηλωτὰς τῷ πρώτῳ Θεῷ.* Homo quidem aliquid optimum in terris est *ἀριστοφυέστατον*, Rex *θειότατον* quidpiam diuinum, ait Ecphantas Pythagoreus, & sicuti Deus omnia in mundo regit, ita Rex suo in imperio Deus omnia videt, omnibus præsens, Rex omnibus animo adest, licet absit corpore inquit Nicocles apud Isocrat. & quod de Constantino dixit Eusebius instar solis populos longè dissitos radiis suis illustrat. Deus magna mens est, quæ magnam molem intus agit, & toto se corpore miscet. Rex animus Regni est, & populus corporis ad instar, quod nisi interna mente cieri non potest & quæ à spiritu in corpus, eadem à Rege in Ciues commoda deriuantur, si non sustineretur hac mente, corpus concideret, vt & populus Rege destitutus ab illo enim mouetur flectitur & regitur. Ita Senec. *l.* 1. *de Clementia cap.* 3. Tirius *dissert.* 40. *num.* 240. Dio Chrysost. *orat.* 3. *de Regno* & è Patribus Iustinus *q.* 38. *ad orthodoxos*, Egessippus *l.* 5. *cap.* 46. & alij à Deo sic omnia commoda deriuantur, vt aliarum ministerio causarum vtatur, & vna cum ipsis agat. Inferiores Reipublicæ dignitates ab vno capite suam omnem vim accessunt & quæ præclarè vbique geruntur vnius Regis auspiciis prudentiæ, authoritati & fœlicitati debentur: Egregiè enim Mamert. in Panægyrico maxim. [*à vobis proficiscitur quod per alios administratur, vt omnia commoda cælo, terráque parta, licet diuersorum numinum ope nobis prouenire videantur, a summis tamen authoribus manant, Ioue rectore cæli, & Hercule pacatore terrarum, sic omnibus pulcherrimis rebus, quæ aliorum ductu geruntur* Diocles *facit, tu tribuis affectum*;] Obseruat tamen magnum discrimen Arist. *lib. de mundo cap.* 6. quod Deus absque labore omnia tegat. Rex cum labore & mentis æstu huius cum Deo similitudinis sensum habuere, & ipsi Principes quo plerumque impotenter, in temeraria abrepti consilia sibi diuinos honores per summam impietatem arrogarunt huc: referas chosroæ symulacrum Dei habitu quem solis ac lunæ syderumque effigies circumstante Angelorum turba ornarent, adiecta versatili machina quæ fulmina dum vellet mitteret Erectheus Regulus, vt Athenis diuini imperij speciem exprimeret, sicut mundum in quatuor anni tempestates duodecim menses & hos singulos in triginta dies, qui 365. conflant partimur, Athenas vrbem in quatuor tribus milites, opifices Agricolas, opitiones, curias duodecim, & earum singulas in triginta gentes diuiserat Deioces Ecbatanis Regiam septem murorum ambitu incluserat, vt Iouis Basilicam, quæ septem orbibus in cœlo continetur posset æmulari, & ne cui ad Regem pateret aditus instituit, vt numinis more in larario delitesceret, quod deinde solemne fuit Regibus, sed vt mittam eiusmodi insanarum mentium ineptias, Regiæ, diuinæque eminentiæ cognationem aliquam

quam esse perspicuè tradunt præcipua Religionis lumina, Apostoli & Patres dum Regem Dei Vicarium, & imaginem faciunt, præter Cyrill. quem superius adduxi vnum dabo Tertull. cuius ferrea & scabra indoles omnem adulationis suspicionem amolietur. *Colimus ergo*, inquit, *lib. ad Scapulam cap. 2. ad Imperatorem sic quomodo nobis licet & ipsi expedit, vt hominem à Deo secundum & quidquid est à Deo consecutum, & solo Deo minorem hoc & ipse volet, sic enim omnibus maior est, dum solo verò Deo minor est.*

Quando igitur regia dignitas diuinorum & humanorum, bonorum maximum maximè honorandum, & appetendum est τῶν θείων, καὶ τῶν ἀνθρωπίνων ἀγαθῶν μέγιστον καὶ σεμνότατον καὶ περιμαχητότατον. Vt ait Isocrat. diuinam quoque sublimitatem & maiestatem participat; ea enim nihil est quàm celsitudo & fastigium, quo suprà omnia Deus eminet, & proximè ab illo Rex cæteris mortalibus præcellit. Quare hominum primum vocat Concil. Paris. 6. *l.* 2. *c.* 1. *Deus Regem fecit se ipso vsus exemplari, quare ipsius vnus est & ipsi vni opifici notum hoc opus vt ait Ecphantas Pythago.* κατεσκεύασμαι ἐν καὶ μόνον τῷ ἀνωτάτῳ βασιλέως τῷ μὲν πεποιηκότι γνωριμόν, visum autem à subditis vt palatia in lumine videntur auro micantia; vt aquila volucrum Regina probatur ex aduerso radiorum solis posita, quem oculis non conniuentibus & humectantibus intuetur, ita Regia maiestas, quæ diuina est ob excessum splendoris ægrè cernitur nisi à legitimis fœtibus, multæ quippe coruscationes, & tenebricosæ vertigines arguunt eos qui ascendunt ad culmen à se alienum: Maiestatem igitur Regibus, qui inter ipsos supremos Principes eminent, tanquam maiorum gentium Dij; passim tribuimus & Græci cum vt initio monebam voce qua Latinam exprimant careant vulgò dicunt. καθωσίωσιν, βασιλείαν κράτος. Crimen verò læsæ & imminutæ maiestatis ἔγκλημα ἀσεβείας crimen impietatis, quod de Deo imprimis vsurpari debet; εὐσέβεια enim vt obseruat August. *lib.* 10. *de ciuit. cap.* 1. Dei cultum propriè significat, quam deinde θεοσέβειαν dixere; ipsos etiam Imperatores diuos, eorum beneficia diuina, Leges sacratas, affatus sacros, Responsa diualia; consulta cælestia nominarunt, & omnem θεοπρέπειαν ipsis tribuerunt.

15 Maiestas verò Deum imprimis omni honore dignum reddit, & in illam desinit cultus Religione & latria præstitus omnibus actionibus internis & externis, quibus nos numini subiicimus, eiusque immensam excellentiam testamur. Hoc enim esse Religionis obiectum formale vulgò docent siue dominium diuinum, siue rationem. Primi principij, & originis essentialis totius entis assignent: hæc enim attributa ideò fiunt tituli quos attingit Religio, cultu externo, aut interno, suam subiectionem & seruitutem professa, quia sunt origo immensæ excellentiæ eminentiæ & sublimitatis, quâ Deus omnibus infinitè superior est: non absimili de causa. Regia Maiestas diuina radius splendidissimus postulat eximiam obseruantiam, quâ secundùm Deum colamus Principem, vt monebat Tertull. Obseruantiæ enim fundamentum, seu obiectum est excellentia, quæ provt maior aut minor est, sacra aut politica cultum maiorem aut minorem sacrum, aut prophanum postulat. Quare non benè Ouid. 5. fast. honoris & reuerentiæ prolem dixit Maiestatem; quæ potius vtriusque parens est. Includit autem obseruantia notitiam imprimis dignitatis, excellentiæ, aut eminentiæ eius, quem colimus Vnde Henric. *Quod lib.* 10. *quæst.* 6. Dixit revereri, esse reputare magnum bonum in aliquo esse, deinde submissionem voluntatis, quia ob alterius eminentiam mens se se ipsa demittit, subiicit eius familiaritatem, aut accessum sacro quodam horrore, ac metu perculsa seu timore, vt vocant reuerentiali refugit, & in suam veluti paruitatem resilit, vt loquitur Alens. 2. *part. quæst.* 156. *m.* 2. *art.* 1. & 3. *p. q.* 66. *m.* 1. Quod eleganter explicat Guill. Paris. *lib. de virtutib. cap.* 15. *Timor Reuerentiæ*, inquit, *fuga est sed magnitudinis, aut altitudinis hoc est ab illa: finis autem eiusmodi motus, propria paruitas aut depressio est: nihil enim aliud est revereri magnum, quàm consideratione magnitudinis, aut altitudinis ipsius inter propria paruitatis, ac inferioritatis limites resilire: ex quo accidit interdum tanta coangustatio quibusdam atque depressio, vt in conspectu sapientum, vel parùm aut nihil se scire sentiant, & in conspectu eloquentium, penè elingues efficiantur; hos actus consequitur externa exhibitio honoris, aut reuerentiæ seu submissionis, qua consummatur quodammodo obseruantia & cultus. Cum enim homines animi sensa penetrare non possint, cultus naturalis, quem à supernaturali, modò distinguimus, vix illis aliter haberi potest quàm externis actionibus quibus alterius magnitudinem testamur, & nos ipsi submittendo illum quodammodo magnum facimus.* (*Submissione*, inquit Arnob. *Datur alteri plurimum, efficiturque vt videatur magnus, quem susceptio minoris extulerit, & suis anteposuerit rebus.*) Quando igitur Regia maiestas & eminentia diuinæ proxima est, neque in terris augustiorem vllam agnoscit, peculiarem omninò obseruantiam requirit, & provt participatione & veluti diuortio in magistratus inferiores deriuatur, eos quoque maiori minoriuè cultu prosequimur: neque videtur mihi improbabilis sententia S. Thomæ *in* 3. *distinct.* 9. *quæst.* 1. *articul.* 2. *Duran. ibidem quæst.* 3. *numer.* 8. Richar. *artic.* 3. *quæst.* 2. Qui ciuiles obseruantias pro diuersitate excellentiæ & eminentiæ quam attingunt specie differre volunt; vnde efficitur obseruantiam Regi debitam esse nobilissimam omnium, quæ ciuiliter exhibentur, & licèt videantur omnes eminentiæ creatæ ordinis naturalis differre solùm radicali intensione & excessu, quod fuit argumentum Vasq. 3. *parte disp.* 98. *cap.* 1. Et Ragusæ *ibid. tom.* 2. *disp.* 40. Vnicam eiusdem obseruantiam agnoscendi, cuius actus numero dumtaxat dissiderent: Cum tamen ea distinctio graduum amplissima sit in excellentiis creatis naturalibus, actus qui in illas feruntur ingenti discrimine, quod saltem intra rationem indiuidualem substantiale sit, differre debet & quidquid de entitatiua & Physica differentia harum excellentiarum statuatur, certè moralis maior esse videtur ea quæ singula eiusdem naturæ indiuidua inuicem distinguit, cuiusmodi est ea quæ fundat dominium & nihil commune cum reliquis excellentiis habet. Quare si supremum imperium afferat cum proximè à diuina sublimitate absit, quod nulli alteri conuenit, obseruantiam omninò peculiarem, & sibi debitam postulabit. Inde varij cultus apud varias gentes Regibus impensi, qui perpetuò quos summos existimabant fuere neque aliis quam Regibus destinati, nisi fortè sua etiam numina similibus veneratæ sint, non vacat, quæ passim obuia occurrent persequi. Moneo dumtaxat omnia diuina in principum obsequium vsurpata, quantum fas erat homini mortali immortalem æmulari. Quis nescit Cyro & posteris Persarum Regibus datam adorationem. προσκύνησιν, ignem Prælatum & lucernam Romanis Imperatoribus; Thuribulum. Indiæ Monarchæ, per Regis nomen salutem ac sceptrum quasi numen quoddam sanctè iuratum; fontes & flumina illorum poculis destinata, subditorum obsequium, à Christianis etiam Imperatoribus deuotionem appellatum, vt omitam solium, vestes & alia insignia ac pompam quibus suam supra cæterorum mortalium sortem celsitudinem

nem testarentur, quamquam pleraque eiusmodi inania forent, & malè sanorum capitum deliramenta; qui suæ originis obliti nescirent se esse mortales. Eos ridet Plutarch. & comparat imperitis statuariis, qui putant ingentes Colossos visum iri, si finxerint eos magnis passibus ambulantes extentos & patulo hiantes ore, sic aliqui grauitate vocis, oris asperitate, moribus acerbis, insolitis titulis maiestatem imitari se putant. Hæc nibilominus pompa augustior deneganda non est, vt ex ipsis scripturis docet Menoëb. *lib.* 2. *Hileropol. cap.* 23. In its enim spectatur aliquis gloriæ fulgor, & maiestatis.

26 Neque ad pium duntaxat Principem hactenùs disputata pertinent, nam cum bæc dignitas in malo atiam Rege fulgeat, expulsa quamvis virtute, extincto populi amore extincta fere respirandi libertata, libidinibus, auaritia & crudelitate corrupta Republica, eadem obseruantia coli debet, huius enim cultus titulus vnus est, maiestas imperij. Moustra humani generis reueriti sunt prisci Christiani ex Apostolorum, aliorumque Religionis nostræ antistitum iussis, quod in eiusmodi Imperatoribus ex omnium libidinum & flagitiorum colluuione compositis, Dei Maiestatem relucentem intuerentur. Lauteatis iconibus Principum obuiam prodibant effusæ Ciuitates, cum cereis & incensis; non cera perfusam tabulam, sed Imperatorem bonorantes inquit. Nicæna Synod. 11. Quidni etiam maiestatem diuinamque sublimitatem in cerea vilique ac pœnè deturpata eius effigie quales mali Principes sunt, reuereamur. Num ex ebore tantum, aut auro, vel solius Phydiæ & praxitelis manu sculpebatur Iupiter, an honorem defetimus materiæ, an arti, an potiùs exemplari quod in sua imagine cernimus. *Phydia manus*, inquit Tertull. *lib. de Resurrect. carn. cap.* 6. *Iouem olympium ex ebore molitur, & adoratur. Nec iam bestia, & quidem insulcissima Deus est, sed summum sacu li numen, non quia Elephantus, sed quia Phydias tantus.* Quia nimirùm Dei formam indidit vilissimæ materiæ. Amasis Ægyptius obscuro loco natus, vbi venisset ad Regnum è matula aurea symulacrum Osiridis finxit, & adorandum populo proposuit. Deus e matula Regem fecit, aut verius improbus Princeps spurcitiis omnibus se se commaculauit, illi tamen honorem præstes oportet: quæ superius attuli de obseqnio impiis Principibus debito, obseruantiam quoque aduersus illos exigunt, vt facilè colligas quo spiritu ducantur sectarij, dum spurcissimas iniurias in augusta capita, & hominum culmina procaciter despumant Lutheras dentes, pediculos, scurras leuissimos, maximos fatuos, pessimos nebulones, decies improbiores Turca, bestias appellat, quibus non absimilia tudit Caluinus & alij apud Coccium. *tom.* 5. *lib.* 8. *art.* 15.

Non est cur patiar relabi occasionem disputandi, quam eximia obseruantiæ prærogatiua Regibus Christianissimis debeatur: si enim fons & origo reuerentiæ dignitas est ac eminentia, cum teste Gregorio maximo, sanctissimoque Pontif. qua Reges homines de vulgo excedunt dignitate, eadem ipsos Reges superet Francorum Rex, supremum quendam obseruantiæ apicem illis deberi necesse est, quod cœlo delapsa lilia testantur: Nihil enim illis magnificentius ad gloriam, nihil sublimius ad maiestatem, cùm Salomonicæ pompæ fastuosissimum apparatum, teste Christo superent & nulla magis to nobilissimum templum, cuius formam Deus ipse descripserat, quam liliorum, signis ornaretur. Quare Paul. pontif. *Ep.* 9. *ad Pipinum.* Enm excellentissimum Regum compellat, cui primò geniture prærogatiua primum locum in Ecclesia Romana constanter detulit: huic prætereà maiestati augustissimæ radius quidam ex sacra Sacerdotij dignitate affunditur, quamvis enim vt ait Synesius. *Ep.* 57. exolauerit priscæ ætatis consuetudo, quæ eosdem Reges ac Pontifices creabat, & Deus hæc vitæ genera separarit, vnum eorum sacris applicuerit, alterum ad imperium & regimen constituerit, & πολιτικὴν ἀρετὴν ἱερωσύνῃ συνάπτειν, τὸ συνάπτειν ἐστὶ τὰ ἀσύγκλωστα, virtutem politicam cum Sacerdotio coniungere, est connectere quæ inter se necti nequeunt, amico tamen fœdere aliqua ex parte in Regibus Francis coâluisse videntur, non vt Pontificum munia subeant & cum Ocbosia suffitum offerant, thuribulum præhendant, sed vt ipsi sacri, sanctique sint, eximantur à laicorum turba quantum licèt non sacerdoti, & proximè ad diuiniora accedunt. Vnde solemnis eorũ inauguratio, qua cœlesti vnguntur olino, aliquam imaginem pontificiæ consecrationis exprimit, Dalmatica & linea veste Diaconi inter induuntur, Primas in principibus Ecclesiis sedes occupant. Denique Carolum maximum, Ludouicum pium, aliosque Christianissimos Reges, Sacerdotes vocatos certissima rerum veterum monumenta prodiderunt, quo etiam nomine Dauidis filios indigetatos reperimus vt non abertasse multum videantur Astrologi & dioini μαθηματικοὶ, qui planetas eximiam vim ad varios hominum conditiones efficiendas habere, axistimantes eidem Mercurio Sacerdotis rationem, & Regiam tribuerint. *Ptolom. lib.* 2. *Iudic.*

§. VII.

Varia Monarchiæ species.

Monarchiam siue Regnum βασιλείαν partitur Arist. *lib.* 3. *politic. cap.* 14. in quinque species pro diuerso imperandi modo. Primum est imperium quoddam militare, & perpetuum quod laconicum vocat, quia apud Lacedemones in vsu erat, designabant videlicet summum & perpetuum belli ducem apud quem non erat summa potestas, nisi extra finea Lacedemonios, est itaque στρατηγία αὐτοκρατόρων καὶ ἀΐδιος, ἢ διὰ βίου, duplex erat aliud hæreditarium κατὰ γένος, aliud optimum ex electione αἱρετὴν, apud Homerum Agamennon extra concionem ius vitæ & necis summam quæ potestatem habebat non in concione, in qua etiam aliquando graues iniurias patiebatur, secundum vocat barbaricum quod barbaris vsitatum, hæreditarium, & seruili simile, cum omnis potestas est pœnes vnum. 17
Hæ tamen Monarchiæ sunt κατὰ νόμον καὶ πατρικαὶ, ideóque sunt stabiles Græci & Europæi hoc seruile imperium ferre nequeunt, vt Barbari qui seruiliores sunt δουλικώτεροι. Hoc Reges duplicis generia facit, nam alios ciues suis armis φυλακὴ βασιλικὴ, vel axterni & alienigenæ τυραννικὴ. Tertium est Αἰσυμνητεία, Græcorum qua eligebantur cum summa potestate, vel in vitam vel in certum tempus, ad aliquod negotium vel plura. Sic Mytilenæi Pittacum elegerunt aduersus exules quorum dux Alcæus Poëta: quartum est heroicum, quod heroës obtinebant summo populi consensu propter singularia ipsis præstita beneficia, & res præclarè gestas, eratque eiusmodi & legitimum & aliquando hæreditarium, illudqua ad liberos transmittebant, eratque apud ipsos summa belli, Iudiciorum, & Sacrorum potestas; suscipiebant verò aliquando iurati, alias iniurati eratque iuramenti sceptri sublatio, ὁ δ᾽ ὅρκος ἦν τοῦ σκήπτρου ἐπανάτασις: solemne enim fuit iorare per sceptrum, sic Achill. apud Homer. *Iliad.* 1. Et Legatus oraturi sceptrum tollebant. Cessabat hic principatos partim Regibus illud dimittentibus, partim plebe detrahente, & alicubi sola,

facta

Sacra Regibus relinquebantur, alibi etiam belli Principatus extra Regiunem, quintum denique summa penes vnum, & simplex potestas παμβασιλειας vocat, sicut in re familiari est vnus paterfamilias, ita in Regno πάντων εἷς κύριος ἐστί. Quare ait vt œconomia est Regnum domus, sic regnum est Ciuitatis & gentis vnius vel plurium Regnum, ὥσπερ γὰρ ἡ οἰκονομικὴ βασιλεία τις οἰκίας ἐστίν, οὕτως ἡ βασιλεία πόλεως ἢ ἔθνος, ἢ πλειόνων οἰκονομία. Hanc tamen Philosophi diuisionem vt parum accuratam iure reijcimus, quia Laconici Duces & Aësimetæ Græcorum erant tantum Magistratus, sicut etiam Romani Dictatores, cum penes illis non esset summum ius, neque etiam successio & electio possunt facere diuersas species, sicut neque donatio, bellum, vis; & alij modi capiendi Magistratum; falsum denique est apud solos Barbaros Monarchiam regiam & summam vigere.

Quare cum Monarchia sit vnius dumtaxat dominium: si enim duo aut plures sint domini, fiet Oligarchia, sicut quando duo erant imperatores vnus orientis, alter occidentis, quamvis omnia edicta vtriusque imperatoris nomina præferrent.

Diuiditur itaque Monarchia commodè in Herilem siue dominatiuam, regiam & tyrannidem: Dominatiua quam, & *Seigneurialle*, dicimus, est ea in qua Princeps est solus omnium Dominus, ita vt etiam singula subditorum nomina illius propria sint, neque vt loquuntur solum dominium iurisdictionis, sed & proprietatis habeat, quale fuit Imperium Nembrodicum & etiam aliquando Persicum; Cum enim Persæ bellum indicerent, terram & aquam sibi postulabant, vt significarent se omnium esse Dominos, hodie Moschi & Tartari dicuntur Chlopes veluti mancipia, hinc quoque Turcas magnus Dominus appellatur, quia totum suum imperium iure dominij proprietatis retinet, subditique sunt velut eius dumtaxat redemptores, eorumque bona domini sunt, quæ ipsi Timar vocant, eodem iure Negrus in Æthiopia dominus est; Narrat Francis. Aluarez in historia Æthiopica vidisse se ea in Regione Fesser magnum Cancellarium tanquam mancipium.

18 Regia, Monarchia & παμβασιλεία, omnium quidem dominus est, sed dominio dumtaxat directo & iurisdictionis, non proprietatis, quamvis, & plura sint allodia, neque censum neque seruitutem vllam debent, & solam iurisdictionem vel Clientelare obsequium agnoscunt, sed de allodiis aliis & eiusmodi bonis fusius egimus oper. de vsur. & Commer. *lib. 4. cap. 4. art. 2.* Vide & Francisci Linderbrogi Glossarium *in Leges Antiquas v. Allode.* Rex igitur dominatur quidem, licet subditi propria sibi bona tum allodia, & omnis census immunia & libera siue allodia quandoque retineant: Quare Plin. iunior. in Panegyr. Traianum commendat quod non se tanquam Dominum præstaret, principis sedem obtines, ne sis Domini loco. Tyrannica demum Monarchia est in qua vnus ita imperat, vt subditis tanquam mancipiis vtatur, quod durum omninò, & Barbaricum imperiū est, & omninò Herile quod Arist. descripsit *lib. 3. polit. c. 14.* nosque satis superque quod ad nostrum institutum, diximus §. 3. & ferè ille modus dominandi in Herilem Vergit; quare de sola Monarchia & βασιλεία agendum videtur, de qua primò quærit Arist. *lib. 3. polit. cap. 15.* an melius sit secundum leges, an ab optimo viro gobernari ὑπὸ τοῦ ἀρίστου ἀνδρὸς ἄρχεσθαι ἢ ὑπὸ τῶν ἀρίστων νόμων, ratio dubitandi est, quia Leges non definiunt singularia, & in multis casibus molliendæ omninò sunt, sic apud Ægyptios si quid medici antè quatriduum moneant, suo periculo monent, monere autem siue κινεῖν, qua voce vtitur Arist. est Pharmacum purgans exhibere. Hanc quoque Legē tulit medicis Hippocrates *Aphor. 22. & 24. sect. 1.* Est igitur opus aliquo qui Leges pro authoritate interpretur, aliunde tamen melius omninò videtur regi ab eo qui nullis humanis affectibus & perturbationibus concitatur, eiusmodi verò lex est; quare *cap. 17.* ait Deo parere eum qui legibus paret; Belluæ verò quæ homini obsequium præstant. Quod id affirmat *lib. 1. Rhetoric.* controuersiam ita componit Philosophus, vt Lege simul & Rege opus esse velit, Lege quidem quæ vniuersalia definiat, & Regulas quasdam certas ac constantes pronuntiet; Reges verò aut aliquopiam, qui Leges interpretetur, atque circa casus singulares ipsarum defectus aut mentem exponat aut suppleat: Quærendum tamen restat, an hæc Legum interpretatio, & ad singulares casos accommodatio, atque supplementum vni vel pluribus committi debeat, vni nempè Regi, vel pluribus optimatibus; quod vltimum suadere videtur experientia; quoties enim de mente Legis controuertitur, sicut & in aliis controuersiis sapientius plures iudicant, quam vnus aliquis & lautius est conuiuium in quod plures suam symbolam conferunt, deinde multò difficilius corrumpitur multitudo, quam vnus: sicut flumen est copiosius aqua quā exigua eius copia, dumque vnus iudicat eo deprauato, totum iudicium corrumpitur, & difficile omninò plures simul iisdem prauis affectibus duci, ira, odio, & amore cōcitari. Neque dicas illos plures facilè inter se dissidere; nam si boni sunt quales esse oportet, vnius instar erunt, neque magis inter se quàm vnus cum se ipso dissidebunt, id ipsum ostendit ipsamet Regum institutio; idcircò enim instituti sunt, quia non erant initio plures virtute præstantes, maximè in angustioribus locis, præterquàm quod ad solam beneficientiam qua demeriti fuerant populum, ipsos elegerunt; beneficentia siquidem est viri boni opus. Quare vbi plures studiosi & benefici fuerunt, aliam politiam excusso iugo regio sibi præfecerunt; vbi verò illi quæstum facere cœperunt, nata sunt paucorum imperia & ὀλιγαρχίαι, quod diuitiæ essent in honore præcipuo; indeque tandem degenerarunt in Tyrannidas & Democratias. Denique Aristot. *ibid.* Monarchiam componit cum Aristocratia, & modo priorem præfert quod vnus sit ἀστασίαστος, quod vnus à se dissentire nequeat: plures verò στασιάζωσι dissideant & seditionibus sint obnoxij: alias tamen optandam magis Aristocratiam ibidem dicit: Vide & *cap. 16. & 17.* eiusdem *libri 3.* iam enim statuimus §. 1. Monarchiam esse omnium politiarum optimam & §. 2. hæreditariam & successione potius quàm electione deferendam, quamvis non diffiteatur videri Aristotelem in sententiam contrariam inclinare: repugnante Platone qui apertè Regum & antiquissimam & cæteris omnibus præferendam esse contendit.

Hæc porrò Monarchia iterum diuiditur in supremam & non supremam. Suprema dicitur Aristot. κύριον πολίτευμα & παμβασιλεία, Estque perpetua & absoluta potestas in Rempublicam, perpetua quidem quæ non possit reuocari, atque ex natura sua talis sit. 19
Quare neque Dictatores Romæ, neque Ephori Lacedæmone, nec Archontes Athenis, alijvè eiusmodi Magistratus alibi, Monarchæ supremi erant, vt quia & pendebant à populo, & licet conferretur illis ea potestas ad vitam, aut ad definitum tempus; reuocari tamen illa poterat, vbi iusta se dabat occasio: cum neque populus, nec quisquam alius qui eam contulisset, non ea se penitus abdicasset, vt nullo iure aut casu eam

eam vel resumere, vel Ipsa vti nunquam possent. Quare neque quos dicimus Regentes in Gallia, quamvis summo Imperio gubernent supremi Principes dici possunt. Cum illorum mandata nomine Regis ferantur: Quare & Theobaldus Campaniæ Comes, Regens Franciæ constitutus nominabat se procuratorem Regni Francorum.

Absolutam præterea potestatem istam esse oportet, quæ nulli alteri subsit, nisi vni summo Numini, & omnibus præsit, quibus & nouas Leges ferre possit, ipseque nullis humanis à se vel decessoribus latis teneatur, eâ ratione qua *cap. superiori quæst.* 2. Fusius fuit explicatum; non sufficit autem ad hanc potestatem absolutam, vt Princeps à populi Legibus eximatur, vti Pompeus rogante Gabinio Tribuno fuit exemptus, teste Plutarcho, *in eius vita*, immò Senatus eam immunitatem aliquando concedebat vsque ad Legem Corneliam, qua cautum est, ne id deinceps sine populo liceret. Nam L. X II. Tabul. cuius meminit Cicero. *Orat. pro domo sua*, ita habebat. *Priuilegia nisi comitiis Centuriatis ne irrogentur qui secus faxit capitale esto.* Debet igitur summus Princeps vi suæ Iurisdictionis omni alia prorsus eximi.

20 Sunt & alia quædam Iura, siue vt quidam vocant notæ supremi dominij, quæ enumerat Frideric. Imper. *capite vnico. Quæ sint Regalia libro secundo, feudor. titul.* 56. Quæ numerare potius quàm explicare placet ne longius digrediamur, sunt autem ista. Primò Armandiæ, siue Armanniæ publica, scilicet Armamentaria in quibus seruentur & fabricentur arma, primò quia vt ait Iustinian. *nou.* 63. Deus credidit principibus subditos vt ab illis seruentur illæsi & sine calumnia. Deinde Ius gladij apud Principes est ideò Iustinian. *nou.* 7. §. *fin.* Vbi de mandatis principium neque armis vti non militem... Permittes aliquem Valentin. Et Valens. A A. ad Bulephorum consul. Campaniæ vt refertur. *lib.* 11. *cod. tit.* 46. *l. vn. Nulli prorsus nobis insciis atque inconsultis quorumlibet armorum mouendorum copia tribuatur*, mouere autem arma, est armis vti sic dicimus mouere equos & Denique quia solius Principis est bellum indicere. Quare *l. Lex duodecim Tabul.* 3. *D. ad l. Iuliam Maiestatis*, dicitur eadem lege maiestatis teneri, qui iniussu principis bellum gesserit, delatúmve habuerit, exercitum comparauerit, quive cum ei in Prouincia successum est, exercitum successori non tradiderit, & sanè ex promiscuo vsu armorum facilè seditiones concitantur.

Secundò, viæ publicæ quas aut occupare aut mutare nulli licèt. Tertiò bona in via publica inuenta & sine domino à *Neruo...* *Espanes*, quæ proprie quidem de animalibus errantibus dicuntur, atque etiam de hominibus externis & Aduenis quorum nescitur origo. Homines *despaue*. Quartò bona sine legitimo hærede decedentium & vocatur. *Droit de desserence*, ita caducaria lege destituta hærede bona Principi sunt addicta, quibus adde bona quæ habentur pro derelictis. Quintò Flumina nauigabilia in quibus portus & riparica. Quare Persæ aquam & terram Regi afferebant. Sextò piscationes. Nam & Vlpianus eas inter publica vectigalia numerat. *L. inter.* 17. §. *fin. de verb. signif.* Septimò bona naufragorum. *Et v...* Normannia est Ius de Varechi, *droit de Varech.* Nisi Dominus intra Sex hebdomadas compareat; Sed de his omnibus plura diximus *tom.* 1. *de Vniuersa rerum humanarum negotiat.* Vbi de commerciis maritimis, dominio maris & fluminum disputauimus. Octauò solius quoque Principis est noua vectigalia imponere. Verùm de vectigalibus egimus fusius, *opere citato.* Nonò eiusdem est pretium monetæ imponere. *Mettre le pied à la Monnoye.* De monetis verò & eorum iure citato opere. Decimò Fiscus quoque regius est, & bona quæ illi addicuntur de Confiscationibus in citato opere *tom.* 2. Vbi de pœnis. Vndecimò omnis Iurisdictio à Rege & supremo Monarcha pendet, qui proinde omnes Magistratus creare & abrogare potest. Quare in Galliis omnia officia à successore confirmari debent, & sanè cum hac clausula conferuntur. *Pour en iouir tant qu'il nous plaira* ea generant. Quamdiu nobis ita placuerit. Omnes igitur etiam summi Magistratus à Principe sunt, qui nouos creare, veterum numerum augere, vel minuere pro arbitrio poterit. Duodecimò, ad ipsum omnibus prouocari potest, & ab illo ad nullum alium licet appellare: sapienter enim vlpian. *L.* 1. *D. A. quibus appellari non licet*; Stultum est illud sdmonere a Principe appellare fas non esse, cùm ipse sit qui prouocatur, nisi vt Machetas Philippo dixit à dormiente ad vigilantem aut à malè informato ad benè informatum, vt alij loquuntur patiuntur enim Principes causas iterùm in suum auditorium adduci. *L. vigesimooctauo* §. 1. *D. de minorib. & nou.* 113. *capite primo.* Quin & aduersus rescriptum obreptitium appellari potest. *L.* 1 §. 1. *D. de appellat.* quod verò addit *L. primum citata*, Vlpian. à senatu appellari non posse Principem, addit id oratione diui Adriani effectum. Itaque Senatus id non habet ex se se vt ab eo non possit prouocari etiam ad principem sed id obtinet indulgentia principis ne lites forent immortales: Nostri tamen principes etiam aduersus decreta, & aresta Senatus remedia quædam concesserunt, nempè Reuisionem, propositionem erroris, & supplicationem quæ contineat, nouas exceptiones & productiones prius omissas de quibus omnibus vide Papon. *in Notario libro tertiò cap.* 10. Decimotertiò, Legum latio vnius quoque Principis est, qui omnibus illas ferre potest, sine vllius alterius maioris vel minoris vel æqualis consensu, & quæ omnes vel tantum aliquem obliget. Decimòquartò, veniam Reis & damnatis facere. Decimoquintò, illegitimos legitimare. Decimosextò, restituere naturalibus, vt cum seruus restituebatur ingenuitate, quæ erat quædam *παλιγγενεσία.* Decimo septimò, mensuras definire. Decimooctauò, Salinæ & minetæ eius iuris sunt, sicut & maria ad Triginta leucas a litoribus, de quibus omnibus diximus. *tom.* 1. *de negotiatione vniuersa*, sicut de 19. Prærogatiua dandi Represalia siue permittendi populationem. Hostium propter reis prædâ ab ipsis captas 20. Solo supremo principi fas est se Dei gratia principem esse iactare, quasi à nullo alio suum principatum acceperit, nullumque sibi superiorem agnoscat. Quare Ludouicus X I. Francorum Rex Christianissimus Duci Britanniæ hac vti formula prohibuit, quamvis eiusmodi concepta verba ab ipsis inferioribus officialibus aliquando vsurpata fuisse nonnulli obseruent, 21. Obsignatio certa cera & calore præcipua fuit quoque Principum, Quare Ludouicus X I. Francus speciali prærogatiua permisit Renato Andegonensi Siciliæ Regi cera flaua obsignare, *die* 18. *Iuly anno.* 1468. Quod priuilegium à curia Parisiens. probatum fuit. Verùm de Bullis & obsignationibus imperatoriis & siue cereis, siue aliis notis purpureis & cinnabari plura dedimus. *tom.* 1. *de vniuersa negotiat. libro primò cap.* 5. *articul.* 1. *num.* 22. Nouum Idioma in acta publica inducere solus summus Princeps potest, vigesimotertiò de nomine

maiestatis Principibus Rege inferioribus non communicando diximus §. 8. *Superiori*: Quod verò contendunt aliqui sacræ maiestatis titulum soli Imperatori concedendum, falluntur cum supremi Reges nihil imperatori debeant, & sanè ipsi electores imperij in literis quibus ad libertatem Mansfeldio parandam Regem Christianissimum vrgebant, sexies illum nomine sacræ Maiestatis interpellant & Reges Christianissimos Augustos & Imperatores suis in ditionibus ab omnibus passim nominatos esse, non foret operosum ostendere, sed id relinquo iis qui de Regum nostrorum maiestate & priuilegiis scripserunt, vigesimo quartò quascumque ditiones & bona donet Rex in Gallia semper in illis Regia iura seruata esse. Et excepta intelliguntur, quamvis eorum nulla facta fuerit mentio; itaque sæpius iudicatum fuit excipi nimirum. *Ressort souueraineté, Foy & Homage.* Supremum iudicium & ius fidemque clientelarem, atque hæ sunt communes supremæ Monarchiæ notæ, & Iura quas singillatim explicare hoc loco non est nostri instituti, eas indicasse sufficiat. Moneo dumtaxat multas, easque æquissimas causas impellere potuisse res publicas deferre principi, supremam & maximam potestatem, nulla exceptione limitatam, nimirùm vt maior sit Imperantis authoritas, maior obsequendi necessitas. Minor rebellandi facultas, penitior capitis cum corpore cohæsio, sanctior maiestas quibus omnibus salus & tranquillitas Reipublicæ imprimis continetur, videmusque omnium optimè institutam sacram Ecclesiæ Rempublicam inferiorem esse suo capite authoritate & maiestate. Non faciet igitur imprudenter Respublica si dederit tam amplum imperium principi, neque Princeps temerariò illud accipiet, cum vt monui, graues rationes, ad id plerumque vrgeant, neque idcircò subditi è Liberis serui euadent, aut principatus ad salutem institutus degenerabit in tyrannidem: Apparet enim suauissimam esse gubernationem Ecclesiæ Christianæ, in qua penes vnum caput totam Sacram Iurisdictionem in vniuersum, qua latè patet orbem, vbi de Religione rebusque diuinis statuendum est, residere fatentur aduersarij. Quàm verò diuturna sint imperia, quæ his legibus temperantur, neque fasces & sceptra submittunt ciuibus variarum Gentium testantur Annales.

Restaret aliquid dicendum de Principe & Monarcha sed non summo & absoluto, qui alteri
21 fiduciarius aut beneficiarius est, cuiusque potestas aut limitata est, aut restringi siue à populo siue ab alio quopiam superiori potest. Quare & ipse certis conditionibus circumscriptam habet potestatem, vel ratione rerum vel personarum, vel locorum vel modi imperandi, aliisque eiusmodi rationibus, quare illum Latini dicunt non optimo Iure principem. Verùm cùm de feudis fusissimè disputauerimus in opere de commerciis, nihil est quod nos ad alia properantes remoretur.

QVÆSTIO III.

De Iure Aristocratico & Oligarchico.

Diuisio Aristotelica partium politia, numero, 1.
Eiusdem alia subdiuisio, n. 2.
Quid sit Oligarchia, *ibid.*
Varia eius species, n. 3.
Aristocratia & eius species, n. 4.
Modus conseruandi Oligarchiam, n. 5.

QVoties non vnus aliquis Rempublicam gubernat, sed plures eam moderantur, pro diuersitate eorum qui regunt Ciuitatem, necesse est multiplicari politiarum species, vti sapienter ostendit Arist. *libro tertio politic. capite tertio.* Quandoquidem politia est Magistratuum descriptio seu ordinatio τῶν ἀρχῶν τάξις. Quare primum describit Arist. varias Ciuitatis partes & ciuium ordines, cum alij sint locupletes, alij egeni, alij medij, alij agricolæ & alij opifices. Ex nobilibus verò, alij τῶν γνωρίμων, alij sint ex diuitiis sufficientibus ad alendos equos, πρὸς ἱπποτροφίαν, alij ex genere, alij ex virtute, quibus *cap.* 4. addit, quartum ex doctrina & eruditione, quo eodem capite denuò partes ciuitatis enumerat & octo facit, quas deinde *libro septimo, ad sex contrahit:* Sunt verò Agricolæ qui alimenta ministrant opifices, mercatores & tabernarij, Mercenarij, vt baiuli, milites, Iudices qui cuique suum Ius reddunt, suntque velut anima Reipublicæ, diuites qui suis sumptibus munera publica gerebant apud Græcos, qui eiusmodi sumptus λειτουργίας vocabant, & hanc partem nominat Aristot. τὸ ταῖς οὐσίαις λειτουργοῦν; denique sunt Magistratus, eam partem vocat. τὸ δημιουργικὸν, καὶ περὶ τὰς ἀρχὰς λειτουργοῦν, & necessarios esse Reipublicæ, τοὺς λειτουργοῦντας τῇ πόλει ταύτην τὴν λειτουργίαν λειτουργεῖν: igitur est publicum ministerium obire & ipsa λειτουργία, est ipsum publicum ministerium, ex hac partium Ciuitatis diuersitate diuersas politiæ formas colligit exemplo variarum partium animalis, aliæ enim sunt materiales, specificæ, quæ certam speciei formam respiciunt; Nam diuersa organa postulent actiones diuersæ, aliæ sunt materiales partes sola indiuiduali ratione differentes, & hæ omnes in diuersis animalibus diuersæ, pedes in homine, alæ in aue, pinnæ in pisce, & illæ ipsæ etiam partes in variis animalibus diuiduntur; Nam in homine sunt bini pedes, in feris, & aliis quaterni, atque alij fissi, alij solidi, ex quibus omnibus varia animalium genera distinguuntur, de quibus idem Aristot. *libro primo & secundo de differentiis partib. & morib. animal. capite primo* & *libro primo de partib. animal. & libro septimo de histor. animal.* Hanc verò comparationem animal. Cum Ciuitate instituit idem Arist. *libro de comm. motu. animal. cap.* 10. Vbi ait Animal esse πόλιν εὐνομουμένην. Ciuitatem bonis moribus constitutam; hoc posito distinguit *capite tertio libro tertio.* Ex vulgi sententia duo Reipublicæ siue politiæ genera, Oligarchiam paucorum dominationem, & Democratiam siue popularem ad quas cæteræ formæ reducantur, Aristocratia ad paucorum dominationem & Oligarchiam, ad Democratiam politia communi nomine dicta sicut duo tantùm Principes venti Auster; & Aquilo Fauonios ad Boream inclinans. Vulturnus seu Eurus ad Austrum & in harmoniis omnes ad Doricum, vel phrygicum spectent; Ipse verò potius ait vnam esse tantum Reipublicæ formam optimam velut harmoniam perfectam, & reliquas esse παρεκβάσεις deflexiones, populares quidem esse, eas quæ remissiores & molliores sunt, quas vocat ἀνειμένας καὶ μαλακάς, Oligarchias enim esse heriles & contentiores συντονωτέρας καὶ δεσποτικωτέρας, Deinde
cap.

capite quarta Confutat quod aliqui ex sola multitudine imperantium, & paucitate Oligarchiam & Democratiam distinguebant, quasi Oligarchia foret simpliciter, vbi pauciores imperarent, Democratia vbi multi, Nam si essent mille & tercenti in Ciuitate, ex quibus mille diuites imperarent, esset ipsa Oligarchia & tamen multitudo imperaret, & si pauci egeni regerent non esset Oligarchia. Itaque Democratia est cum penes liberos summa est administratio; Oligarchia cum penes diuites, qui ordinariè pauci sunt quod ipsum probat, quia si ex procetitate & pulchritudine conferrentur Magistratus, vt quondam in Æthiopia, non esset tamen Oligarchia, licet pulchri sint pauci, nam etiam egeni possunt esse pulchri & proceri. Colophone ante bellum aduersus Lydos maior pars ciuium diues erat, non tamen erat Democratia, neque Appollonia in mari Ionio, erat Oligarchia & si pauci ingenui & liberi, qui primi eo Colonias duxerant, imperabant, aliis paucis non liberis. Democratia igitur est cum liberi & pauperes qui vulgò plures sunt summam rei obtinent; Oligarchia cum diuites & nobiliores, qui ferè numero pauciores sunt, imperant.

2 Statutis his duobus politiarum generibus, illa iterum subdiuidit *cap. 4.* ex diuersitate partium Ciuitatis, quas vti diximus octo constituit, ex quibus partibus maximè sunt oppositi diuites & egeni cum in vnum & eundem diuitiæ & egestatis simul conuenire nequeant, sicut cæteræ partes quas enumerauit, quidni enim idem sit & miles & consultor. Ex harum igitur partium exsuperantiis politias constituit, sunt quæ multitudinis, vel paucorum imperantium. Democratia nimirùm & Oligarchia, de Democratiæ variis speciebus dicemus. *q. seq.*

3 Oligarchiæ verò species sunt primò cum ex tam ingenti censu conferrur administratio, vt ad illam egeni nequeant attingere, secundò cum mediocriter diuites ad illam eliguntur, ita vt si desior, alij quoque inter illos coaptari possint. Si verò ex omnibus æqualiter eligantur, modo sint optimi, erit Aristocratia de qua mox, quod si ex solis diuitibus Oligarchia, tertiò cum filius succedit patri in magistratu, quartò cum illud tertium contingit & Magistratus imperant, sed non secundùm Leges sed pro arbitrio quæ est quædam tyrannis: Contingit autem vt aliquando, politia sit quidem secundùm Leges, ideóque popularis & tamen à paucis administretur, vel è contrario & vice versa, quod maximè fit imptimis mutationibus politiarum, non enim statim & subitò immutantur, sed sensim. Huius porrò diuisioois Oligarchiæ rationem ostendit. Quia cum prima specie in qua mediocriter diuites dominantur, qui eligunt sibi similes, illi autem cum multi sint, dominantur secundum Leges, cum neque tam amplas habeaot facultates vt otiari σχολάζειν possint, neque tàm exiguas vt à Ciuitate victum quærant, secundò species dum pauciores diuites qui ampliores habent, facultates, dominantur: Cum enim illi plus valeant, potiora habent & Magistratus eligere curant, qui eandem viam insistant: quia tamen non ita copiis abundant vt sine lege imperare possint, similes Leges ferunt, dum verò sensim potentiâ crescunt, fit tertium genus, quod tamen ex Lege iubet filios succedere patribus & vbi & amicis, & diuitiis aucti sunt ad Monarchiam accedunt, & tunc peoes homines non Leges, dominatio est.

4 Altera summa species gubernationis paucorum est Aristocratia quæ constat ex viris simpliciter ἁπλῶς, & non ad aliquem tantum propositum finem bonis, siue ex suppositione, ἐκ τῶν ἀρίστων ἁπλῶς κατ' ἀρετὴν καὶ μὴ πρὸς ὑπόθεσιν τινα ἀγαθῶν ἀνδρῶν, in hac sola politia contendit Aristoteles simpliciter esse bonum virum, qui est bonus ciuis, eius autem sunt quoque variæ species, primò est in qua Magistratus leguntur simili ratione diuitiarum & virtutis, secundò in qua habetur ratio diuitiarum virtutis & populi, quia leguntur etiam qui sunt ex plebe, vti fiebat Carthagine, est quæ mixtura quædam Aristocratiæ & popularis, tertiò est in qua solum attenditur virtus & populus; Quare è plebe etiam leguntur modo sint optimi in Lacedæmone.

Modum verò conseruandi Oligarchiam tradit Arist. *lib. 6. cap. 6. & 7.* Et primò quidem modis contrariis quibus status popularis Constituatur, quia omnes ferè species Oligarchiæ sint oppositæ speciebus Democratiæ, vt constabit inferius, secundò species vltima Oligarchiæ, quæ proxima tyrannidi videtur maiorem attentionem & custodiam desiderat, sicut corpora morbida, & iam corrosa & fatiscentia vix patua errata ferre possunt, tertiò Democratiam tuetur vbertas, copia & multitudo, cum viribus polleat, potest opponere se imperantibus, paucioribus verò dominatio cum multitudine illa careat seruare debet rectam ordinationem, quartò cum ad bellum alij sint equites, alij pedites, alij leuis, alij grauis armaturæ, alij classici milites, vbi solum pingue est alendis equis, ibi ea constitui potest Oligarchia, qua ex solis ingentibus diuitiis constat, illi enim dumtaxat sufficiunt alendis equis, & si dubioprocul præualebant multitudine: vbi autem abundant grauioris armaturæ equites ad secundam speciem Oligarchiæ facilis via est, quia pedites & equites eiusmodi sunt potius locupletum quàm egentium: Vbi denique vel ferentarij vel nautici abundant, ibi est commodior status Democratiæ, cum enim illi sint plures, talis multitudo ordinabilis non est, cum sequatur primum impetum, & pugnam facilè contra deteriores. Huic tamen malo occurritur, primò equestri exercitui & equitatui grauiori, tantùm admisceatur Leuioris peditatus, quantum opus est, ne tanta turba existat, vt possint in equites insurgere, contingit enim in seditionibus leuiores pedites præualere quod magis sint expediti, secundò Milites secundum ætatem distribuantur, itavt filij parentibus succedant; Iuniores ad leuem armaturam exerceantur, vt saltum, cursum, deinde Athletis ad opera facienda vtantur, quod iuuabit tum ad beneuolentiam eorum, de quibus solliciti sunt comparandam, tum vt Iuuenes ad omnia fiant exercitatissimi. Quintò aliquid administrationis plebi communicetur, vel cum iis qui diuites censi sunt, vel cum iis qui ab illiberalibus artibus iamdiù abstinuerunt, vt faciebat Thebis, vel in Massilia, habito iudicio de iis qui ad rempublicam accedere digni sunt, sextò præcipuis dignitatibus grauiora onera, & sumptus attribuantur, vti populus tam graues dignitates non ambiat, sed compatiatur eas suscipientibus. Vtpotè ingentem mercedem sibi collatæ dignitatis persoluentibus. Denique dum adeunt eiusmodi dignitates, iustitiam, publica conuiuia, sacra solemnia, ludos aliáve eiusmodi, vel opera publica moliantur, vt dum plebs vrbem ornari videt, sibi de tali statu gratuletur, illaque sint perpetua monumenta oominis horum Magistratuum. 5

Ex his colliges primò Aristocratiam & Oligarchiam non differre solo numero imperantium, qui in vtraque illa politia pauciores sunt reliqua plebe, sed qualitate quod in Aristocratia soli boni & optimi, in Oligarchia soli diuites dominentur, vt Athenis triginta vt vocabant tyranni qoos 6

Thrasibulus deuicit, & Romæ decem præpositi corrigendis prauis moribus, qui tandem vi & factionibus dominatum occuparunt. Quare Oligarchia perpetuò in malam partem accipitur, sicut Aristocratia in bonam, quæ tamen nunquam alicubi fuisse videtur, neque vix contingere potest, siue electione, siue sortibus, siue vtroque illo modo isti optimi præficiantur, itavt nullus alius admittatur, cum & sors incerta admodum sit, & electio pendeat à suffragiis, & pauci omninò sint optimi, quæ neque sibi ipsis suffragabuntur, neque aliorum suffragium ferent, qui sibi similes & non optimos eligent.

Colliges secundò. Quænam fuerint olim, hodie quæ sint politię Aristocraticæ, quod fusius disputat Bodin. *lib. 2. de Republ. cap. 6.* Vbi de Venetiis Genuensibus, Lucencibus Geneuensibus, Heluetiis, ipsoque Imperio Romano Hodierno, quod & Aristocraticum esse pluribus contendit, nostrum non est de eiusmodi dissidiis arbitrari.

7 Colliges tertiò cum Aristotele *lib. 4. cap. 13.* Ius quo regitur Oligarchia & quo nobiles & opulenti aduersus tenuiores, & plebeios vtuntur, vt ipsos opprimant sibique solis dominatum retineant, quod Ius reipsa iniquum prorsus est, Aristoteles vocat *σοφίσματα καὶ κατασκευάσματα*, quibus decipiunt populum primò quidem circa concionem *περὶ ἐκκλησίαν*, necessitates enim veniendi ad comitia, paucis iisque ditioribus imponitur & si absint mulctantur tenuioribus, arbitrarium est adesse vel abesse, qui secum benè agi putant, dum à suis rebus & opificiis non distrahuntur, intereàque diuites totam comitiorum potestatem ad se trahunt. Secundò idem faciunt *περὶ ἀρχὰς* circa Magistratus, quos diuitibus non licèt vel recusare, vel eiurare licèt tamen tenuioribus, tertiò *περὶ δικαστήρια*. Iudicia, quæ diuites interminata grauissima pœna exercere tenentur non egeni, quartò. *περὶ ὅπλων*. Si enim arma non habeant diuites plectuntur, quintò *περὶ γυμνασίαν*. Ad quam obligantur diuites, atque ita tenues corpora sua exercere negligunt.

QVÆSTIO IV.

De Iure Democratico.

Quid sit Democratia & eius species, n. 1.
Probatur eius diuisio, n. 2.
Democratiæ finis, n. 3.
Leges, n. 4.
Quomodo Iustitia in ea ponatur, n. 5.
Democratiæ Agricolonum pecuariorum, n. 6.
Forensium opificum, n. 7.
Quid illam conseruet, n. 8.
Mixta Democratia, n. 9. 10. & 11.

1 DEmocratiam non penes multitudinem definit Arist. *lib. 4. cap. 4.* Sed quod in ea egeni & liberi dominentur, licet pauci sint, quod alij vulgò reijciunt: Est enim dominatio popularis in qua totus populus dominatur: Quare ibid. Arist. vt diuersas species Democratiæ nobis assignet, diuidit imprimis populum in artifices, Agricolas, Caupones, Mercenarios, Nautas, milites, piscatores qui multi sunt Tarenti & Bysaotij, Remiges Athenis, Mercatores in Ægina & Chio traiectores & portitores in Tenedo. Denique nobiles vel genere, vel virtute, vel doctrina, qua posita diuisione. Prima species Democratia est; in qua omnes æqualiter seu egeni, seu locupletes dominantur, ita vt neutri in alios collectiuè sumptos, habeant summam potestatem, sed omnes sint similes & æquales, in qua maximè æqualitate. Videtur consistere libertas, & omnes Incolæ Ciuitatis siue inquilini, siue Aduenæ honorum & magistratuum sunt participes, nec maiori in pretio sunt diuites, quàm pauperes.

Secunda species est in qua Magistratus deferuntur ex censibus *ἀπὸ τῶν τιμημάτων*, quamvis sint exigui & tenues & ij ciues qui nullam rem habent, magistratum non obtinent.

Tertia in qua omnes ciues qui sunt *ἀνυπεύθυνοι*, cui nihil obiici iure potest, suntque immunes ab omni obligatione, vt infamia exilio, aliisque, ob quæ Ius Ciuitatis amiserint in ea deriuantur; ita tamen vt Lex perpetuò dominetur. Quarta species in qua omnes veri ciues non nothi non imperfecti, aut ascititij sunt idonei ad gerendos Magistratus, modò tamen Lex semper dominetur. Quinta species in qua multitudo dominatur, non Lex cuius loco sunt, populi decreta *ψηφίσματα*, fouetur hæc politia à Demagogis siue oratoribus. Blandiuntur enim populo, omnia ad populum de Magistratibus rogantur; dicunt meliùs esse totam domum quam partem, ipsique vicissim Magnificam, à populo, cum ad illum omnia prouocent, & se habeant vt adulatores *κόλακες* in tyrannos, quare populus est supremus Princeps, isque vnus & Monarcha; quare dubitat Philosophus, an de hac multitudine loquutus fuerit Homerus, dum damnauit Polichiromiam, hic enim est tantum vnus dominus. Negat tamen Arist. hanc esse politiam, cum in ea non dominetur Lex, sed populi decreta: quia oportet Leges non modo ciuibus, sed & magistratibus singulis imperare. Vnde si democratia politia est, hæc species non erit Democratia, cum ne quidem sit politia.

Harum verò specierum Democratiæ sufficientiam 11
probat, *cap. 6. eiusdem lib. 4.* Quia vel omnes populi partes dominantur vel aliquæ tantùm. Cum ergo Agricolæ, & mediocriter diuites regunt, ea administratio est secundùm Leges. Cum enim Agricolis otiari non liceat, & debeant ex opere rustico victum quærere, non nisi perpaucas & necessarias habent conciones; quare Leges dominari patiuntur, admittuntur autem ad conciones qui habent aliquos reditus, quia sine illis non licèt otiari, atque hæc est prima species.

Secunda est in qua omnes nisi excludantur ratione generis, quod vel altero parente nati sint, gubernant, sed si cum non habeant redditus sufficientes, Legem gubernare sinunt, quod contingit etiam ob eandem causam in tertia specie in qua omnes modo liberi sint imperant. Quarta nascitur ex multitudine qua abundant ciuitates: Cum enim in ea præualeant, & sint multi mediocriter diuites, qui otiari possunt, immò & ipsi egent cùm vectigal ex communibus Ciuitatis redditibus pendatur, & aliunde non distrahantur cura rei familiaris, frequentes conciones habere possunt, & omnia per decreta & statuta agere, & aliam Legem agnoscere nolunt, quàm populi ipsius voluntatem.

Hæc omnia Confirmat Philosophus *lib. 6. politic. cap. 1.* Vbi iterum assignat diuersas Democratiæ formas propter popularium diuersitatem. Et dissimilitudinem, ex quibus nascuntur variæ comparationes & formæ. Deinde quia cum diuersa sint instituta prout illa variè inter se coniunguntur, & miscentur, diuersa quoque democratiæ forma exurgat necesse est, quare de illis coniunctionibus & temporationibus

deinceps

deinceps disputat, quas vocat *συναγωγὰς, καὶ συνδιασμοὺς, συνθέσεις, μίξεις.*

3 Statuit igitur imprimis *cap.2. huius libri 6.* finem Democratiæ esse *τὴν ἐλευθερίαν* libertatem, cuius vnum indicium est vicissim parere & imperare, æqualia enim habere numero non dignitate ius populare est, quidquid maiori parti visum est, id ratum habetur, quia vnusquisque ciuis æquale ius habere debet, hinc fit vt egentes qui plures sunt, plus habeãt authoritatis, alterum libertatis indicium est, viuere ad libitum *τὸ ζῆν ὡς βούλεταί*. Hinc sequitur *ἀναρχία*, siue vt ipse loquitur *τὸ μὴ ἄρχεσθαι* non parere, siue velle nemini parere, sed quia id fieri nequit saltem vicissim parere.

4 Ex hoc constituto fine colligit Democratiæ Leges & instituta. Primò omnes Magistratus ex omnibus legere. Secundò omnes vnicuique & vnumquemque vicissim omnibus imperare. Tertiò Magistratus sorte eligi vel omnes, vel eos saltem qui multa non indigent peritia, *ἢ ἀποκληρωτοὺς ἢ ἄλλοις δεομένους ἐμπειρίας*, aut sortibus agendum, aut aliud quid tale faciendum. Quartò Magistratus non ex censu, aut non nisi ex minimo conferri. Quintò nulli licere bis eundem gerere Magistratum, aut nonnisi prauos præter bellicos. Sextò breui tempore circumscribendus est.

Magistratus quantum licebit. Septimò omnes iudiciis præesse, aut ex omnibus, aut de rebus omnibus, aut de maximis & ad summam rei pertinentibus, vt de rationibus reddendis de Reipublicæ administratione, & cæteris eiusmodi. Octauò penes concionem esse summam potestatem omnium, penes verò Magistratum, nonnisi paucissimarum & minimarum rerum, aut saltem non maximarum. Nonò consilium habere & senatum, sed cui non sit posita merces, alioquin populus omnia ad se euocabit. Decimò principibus Magistratibus concioni & populo, aliqua saltem cõuiuia instruere liceat. Vndecimò in Oligarchia sunt genus, diuitiæ, disciplinæ: At verò Democratiæ insunt ignobilitas, paupertas, sordidæ artes. Duodecimò nullus sit perpetuus Magistratus, aut si quis ex antiqua disciplina, talis sit relictus eius potentiam circumcidere oportebit, & qui suffragiis dabantur sorte creandi. Decimotertiò penes nullos esse rerum potestatem, sed penes omnes ex æquo pro numero non dignitate, sic enim vti monuimus, videtur maximè seruari æqualitas libertas quæ einsmodi politiæ finis est.

5 Quia verò difficilè admodum videtur ius in hac omnimoda æqualitate seruare, cum ne quidem satis appareat, quomodo possit illud ipsum æquale obtineri, v.g. in dandis honoribus oportebit ne tantum conferre quingentis diuitibus, quantum mille pauperibus, itavt isti mille tantàm habeant potestatem quantam quingenti diuites? An verò aliqui ex mille eligendi & ex quingentis qui inter se eandem seruent proportionem ac priores; popularis enim status id iustum putat quod pluribus videtur: Oligarchici autem id solum quod diuitibus etiamsi paucioribus. Verùm si pauci præferantur, euadet tyrannis; qui enim reliquis omnibus erit opulentior, ille ex horum placito debebit solus imperare: Si verò plurium iudicium præualeat facilè paucis diuitibus iniuriam inferent eorum bonis publicandis: Resp. Aristot. *lib. 6 c. 3.* Primò quidem id iustum in eo regimine censeri, quod pluribus visum fuerit. Secundò cum duæ sint partes ciuitatis diuites & pauperes, quod illis pluribus consentientibus videbitur, videlicet pluribus diuitibus & pluribus etiam pauperibus id iustum erit. Tertiò si autem aliud quibusdam diuitibus videatur aliud aliis, & quibusdam item pauperibus, quibusdam non v.g. sint decem diuites, & viginti pauperes, & vnum videatur quinque diuitibus. Et sex pauperibus: oppositum verò quindecim pauperibus, & quatuor diuitibus tunc determinandum erit præcisè, non secundum numerum sed aliquam aliam excellentiam, vel virtutis, vel desiderij & zeli boni communis, & quod videbitur parti quæ excellit, hac collatione facta, iustum erit. Si autem æquales in virtute inueniantur, tunc vel sorte, vel ex aliquo alio determinandum erit, cuius partis iudicio standum sit: Minus verò incommodum fuerit, rem committere soró, quam diuitibus omnia permittere.

Considerauerat Democratiæ varias species Arist. 6
lib. 4. c. 4. ex diuerso eius regimine *cap. verò 4. lib. 6.* considerat secundum personas quibus constat. In alio enim loco sunt Democratiæ Agricolarum, aliæ pecuariorum, aliæ forensium opificum, aliæ militum, aliæ in qua omnes ciues sunt æquè capaces administrationis, quæ consideratio politiæ videtur quodammodo materialis. Nam debet prætereà suam habere peculiarem administrationis formam, in qua vti sæpiùs diximus est essentia politiæ; quærit igitur Arist. illo *c. 4. lib. 6.* quænam ex omnibus eiusmodi Democratiis censenda sit optima, & illi quidem in qua plurima multitudo agricolarum est, primas tribuit, & omnium antiquissimam & maximè diuturnam esse testatur. Primò quia cum absit ab vrbe non est frequens in concionibus. Secundò, quia cum assiduè in opere faciendo versetur ob inopiam, non appetit alienum. Tertiò iucundius est agrum colere quam magistratum gerere, vbi maximè non licet ex Magistratu magnum quæstum facere. Nam vulgus lucri cupidius est quam honoris *οἱ γὰρ πολλοὶ μᾶλλον ὀρέγονται τοῦ κέρδους ἢ τῆς τιμῆς* quod ex eo apparet, quod olim tyrannidas, & nunc Olygarchias æqualiter ferant, modo non prohibeantur ab opere, & nihil eis tollatur, deinde satis sibi honoris putant, si suffragiis ad creandos Magistratus gaudeant, & eos rationem reddere cogant: Immò Mantyneæ, non est penes multitudinem nisi consultandi potestas, penes verò aliquos tantum ex multitudine lectus ius creandi Magistratus. Quartò quia sic boni viri præsunt Reipubl. tuti à periculo peccandi, & sine imminutione virium ac commodorum multitudinis; quia licet in hac Democratia omnes ciues Magistratus eligant, ab eis rationes reposcant & iudiciis præsint, aliqui tamen electi vel ex censibus maximis, vel certè non electi ex censibus, vel quia idonei ad munus iudicantur, Magistratus gerunt atque ita iustè imperabunt, cum obnoxij sint reddendæ rationi *τὸ γὰρ ἐπανακρέμασθαι, καὶ μὴ πᾶν ἐξεῖναι ποιεῖν ὅτι ἂν δόξῃ συμφέρον ἐστίν· ἡ γὰρ ἐξουσία τοῦ πράττειν ὅτι ἂν ἐθέλῃ τις, οὐ δύναται φυλάττειν τὸ ἐν ἑκάστῳ τῶν ἀνθρώπων φαῦλον*; pendere enim ex aliorum iudicio atque authoritate, & quidquid velis facere non licere, vtile est, nam quidlibet agendi potestas, id quod in vnoquoque homine mali inest, vitare non potest.

Ad hanc porrò politiam valent hæ Leges. Primò ne liceat maiorem agrum quam à Lege præfinitum possidere. Secundò ne liceat antiquas possessiones quæ prima sorte obtigerunt vendere. Tertiò ex Oxili Regis Lege ne liceat agrum in pignus pro mutuo dare, aut accipere. Quartò Aphytæi si agrum excedentem haberent, dabunt colendum pauperibus, itavt illi in censum cum diuitibus venire possent.

Secundà Democratia bona est pecuariorum, quod 7
illi ad Agricolas accedant, & extra vrbes etiam degant, ac in concionibus sint infrequentes, sunt etiam exercitati vt & sub dio degere & Republicæ vtiles esse possint.

Tertia est in qua est turba opificum forensium deterrima est, quia ex multitudo vrbis ignaua est, & in

concionibus assidua; quare vbi eiusmodi hominum multitudo est, non debent cogi sine turba rustica & agresti comitia.

Quarta species Democratiæ in qua omnes Ciues sunt capaces administrationis, non conuenit cuilibet Ciuitati, sed propriis legibus stabiliri debet, primò igitur solent qui præsunt ad corroborandum populum contra diuites magnam Ciuium turbam aggregare, tum legitimos tum spurios, tum altero tantum parente Ciue natos, sed assumere dumtaxat oportet, donec multitudo diuites non multum superet si enim nimium excedant, omnia turbant & diuites irritantur vt grauatè Democratiam ferant, secundò quod Clysthenes Athenis vsurpauit, & alij quidam Cyrenes, nouæ tribus sunt faciendæ & veteres amplificandæ: Tertia sacra priuata in pauca & communia contrahenda, quarta Curandum maxime vt omnes inter se permisceantur, quinta pristinæ consuetudinem dirimantur, sexta seruorum licentia, puerorum & mulierum si nimia non sit vtilis erat, septima sinere quemlibet suo arbitrio viuere ἥδιον γὰρ τοῖς πολλοῖς τὸ ζῆν ἀτάκτως ἢ τὸ σωφρόνως, iucundius est multitudini intemperanter quàm modestè viuere.

Denique sic concludit Philosophus ὀλίγον μὲν γὰρ πονηρὸν παρορᾶται, πολὺ δὲ γινόμενον, ἐν ὀφθαλμοῖς μᾶλλον ἐστίν. Paruum malum non videtur, genitum verò & auctum semper in oculis est, ideóque minimæ quæque labes sunt attendendæ serio, alioquin non deprehenduntur donec excreuerint, ipsosque vel cæcorum oculos configant.

8 Quare proximo c. 5. monet Legislatorem ne dumtaxat attendat quid valeat ad optimam Democratiam constituendam, sed quid ad eius conseruationem maximè conducat, cuiusmodi sunt ista, primò ne in iudiciis reorum bona addicantur populo aut diuidantur, sed potius communi fisco: sic enim & mulctabuntur rei & multitudo minus facilis, & impulsa erit ad condemnandum, nihil inde Lucri habitura, secundò iudicia publica pauca sint pœnis in temerè accusantes constitutis, tertiò in omnes Ciues beneuolem se præstare, & maximè non ducere hostium loco, eos qui regunt, quartò vbi concionibus habendis vestigalia constituta non sunt, infrequentes & ipsæ quoque sunt iudicia pluribus quidem de rebus instituantur, sed paucos dies teneant, ne diuites sumptus timeant, si nullam inde mercedem accipiant vt & egentes, deinde diuites nolunt multos dies abesse à suis familiis, sextò vt suppetant vectigalia, non sunt diuidenda populo ea quæ sumptibus & impensis supersunt, septimò videndum ne turba sit nimis egens, ipsaque egestate ad facinora instigetur: Itaque vel ex parte vectigalium ipsis attributa vel agros emant, vel mercaturam exerceant, aut saltem curialibus ad opera exercenda distribuantur, vti fit Athenis. Tarentini verò iumentis & possessionibus cum egentibus communitatis multitudinem sibi concilant, octauò Magistratus alij sortitione alij suffragio creentur.

Hactenus de simplici & absoluta Democratia, &
9 aliis administrationibus etiam simplicibus, præter quas est aliqua alia administratio & politia, quam mixtam vocat & admodum probat Arist. *l. 4. c. 8. & 9.* vbi de illa agit & quidem *c. 8.* definit illam μίξιν ὀλιγαρχίας, καὶ δημοκρατίας, obseruatque imprimis eas administrationes quæ magis ad Democratiam inclinant, vocari communi nomine politias, quæ verò ad Oligarchias, Aristocratias appellari, cuius vltimæ appellationis causam reddit, primò quia doctrina & nobilitas sæpius comitantur locupletiores, est autem Oligarchia diuitum regimen, vti diximus, secundò Locupletes abundant rebus illis, ob quarum carentiam solent sibi iniuriam alij inferre, vnde hos viros bonos appellant; & denique ostendit fieri non posse, vt Ciuitas à solis optimis Regatur: Io Aristocratia enim sunt leges optimæ, & εὐνομία; Io Oligarchia verò sunt non optimæ, vtpotè in non optima regiminis forma, obseruatque duplicem εὐνομίαν, vnam qua legibus scriptis pareatur, alteram qua leges benè scribantur. Vtraque autem illa εὐνομία in optima Republica requiritur; alterutra enim insufficiens est: Cum igitur Aristocratiæ finis sit virtus, Oligarchiæ diuitiæ, Democratiæ libertas istæ omnes miscendæ sunt, vt ex illis vna perfecta & absoluta politica tandem exurgat.

Modum porrò quo fiat hæc mixtio tradit *cap. 9.* 10
proximo cum ea, quæ tum in Democratia, tum in Oligarchia constituta sunt, simul sumuntur verbi gratia, in Oligarchia diuitibus iudicandi munus non obeuntibus mulcta irrogatur, pauperibus verò nulla datur merces. In Democratiis è contrario pauperibus merces decernitur, si nulla diuitibus irrogatur mulcta mixtio fiet & politia, si vtrumque illud seruetur, pauperibus nempè decernatur merces & diuitibus mulcta, secundò Mixtio fit cùm aliquid medium inter statuta Democratiæ & Oligarchiæ sumitur, verbi gratia, in Oligarchiis eis tantum ciuibus, quibus sunt magni Census, patet aditus ad conciones, in Democratiis aut nulli Census, aut non nisi perexigui ad id requiruntur, sumatur itaque aliquid medium inter hos Census, tertiò vt aliquid ex vtraque administratione & lege sumatur, & non omnia vt fiebat in priori modo, v.g. Magistratus in Democratiis creantur sorte, in Oligarchiis electione, in illis non habetur ratio, census in his habetur, sumet politia ex Oligarchia vt magistratus conferuntur electione, ex Democratia vt non habeatur in eiusmodi creatione ratio census.

Tunc verò erit perfecta mixtio, quando vtriusque miscibilibus licebit illi nomen tribuere, ita vt Democratia & Oligarchia dici queat vti contingit in Spartana, quam Democratiam dicunt, primò quia pauperum & diuitum liberi eodem modo instituuntur, secundò quia in aliis etiam ætatibus nulla re est illustrior diues, quàm egenus: Tertiò eadem omnia etiam in conuiuiis quæ Sisitiæ dicuntur, quartò eadem veste omnes vtuntur, neque alia diuites quam à pauperibus parabili, quintò Senatores legit populus, Ephoratus autem est particeps eandem Spartanam politiam Oligarchiam dicunt, primò quia Magistratus electione fiunt, & nullus sortitione, secundò vitæ & exilij potestas pœnes paucos est. Monet præterea Philosophus ad hanc perfectam mixtionem oportere in politia sua temperata vtrumque extremum videri in esse & neutrum, secundò vt per se suis viribus seruari possit & non tantum extrinsecus.

Denique perfectæ Reipublicæ, siue simplicis, siue 11
mixtæ forma & status, ex ipsomet fine Ciuitatis definienda erit, quia Reipublicæ administratio siue politia, est vita Ciuitatis ἡ γὰρ πολιτεία βίος τίς ἐστι πόλεως, atqui ea vita optima dicitur quæ virtuti non impeditæ congruit: virtus autem consistit in mediocritate, vti dictum fuit in Ethicis; Ergo vita optima est in mediocritate, ita ratiocinatur Aristot. *l. 4. c. 11.* Vnde sapienter colligit, optimam politiam in mediocritate quoque consistere. Quare tripartitò diuidit Ciuitatem, alij enim sunt ditissimi, alij egentissimi alij medio modo se habent, maximè in isto bonum Ciuitatis consistit, quod ex eo ostendit, quod isti facilè obtemperent rationi, non diuites, aut pauperes: Illi enim fiunt petulantes, isti fraudulenti; Iniuriæ autem omnes fiunt aut à petulantia, aut à calliditate, illi

Magistratus

Magiſtratus non amant, iſti non conſulunt illi, imperium ferre nolont, quod & à puero diſcunt in ludis literariis: iſti nimiùm humiles & abiecti, ita tanquam Herile iugum patiuntur. Illi obedire neſciunt, ſed imperare, ſolúmque vt ſeruis Domini; iſti imperare neſciunt, ſed ſeruiliter obedire: itaque fiet ciuitas ſeruorum non liberorũ, 2. ſocietas ciuilis ad amicitiam pertinet, at ſi erunt contemnentes,& inuidentes, ac proinde inimici, tertiò Ciuitas conſtare debet ex natura ſimilibus & æqualibus, hoc autem maximè fit ex mediis, quartò fauet illud phocylidis.

Πολλὰ μέσοισιν ἄριστα, μέσος θέλω ἐν πόλει εἶναι.

Eſſe volo ciuis medius, namque optima multa ſunt mediis.

Debet igitur media illa pars ciuitatis plus poſſe, quam ambæ cæteræ, vel ſaltem quam alterutra extremarum, quintò eiuſmodi ciuitas minus erit obnoxia ſeditionibus, quia vbi latè patet difficilior eſt coniunctionis diſtractio. Idcirco in maximis ciuitatibus pauciores ſunt ſeditiones; in paruis autem frequentiores, quia facilè licet omnes ciues diuidere, vt omnes ſint aut diuites aut egeni, & tunc nihil relinquitur medium: ſextò optimi quique Legiſlatores è mediorum ciuium numero fuere. Solon, Lycurgus, Charondas, ſeptimò huius mediocritatis defectu fiunt aut Democratiæ, aut Oligarchiæ, cum facilè vna pars alteram ſuperet; octauò denique huius politiæ dignitas non malè probatur ex eius raritate, eum infrequens admodum ſit; cùm via vnus fuerit in tota Græcia Legiſlator, qui hanc formam intenderit. Ex quibus omnibus tandem concludit Ariſtot. eam eſſe nobiliorem Reipublicæ formam quæ magis ad hanc politiam mixtam acceſſerit, imperfectiorem verò, quæ longius ab ipſa abfuerit.

QVÆSTIO V.

Conſectaria.

Ex doctrina quam hactenùs tradidimus, de natura politiæ & multiplici eius diuerſitate.

Ius politicum, n. 1.
Eius poteſtas, n. 2.
Quid ad politia conſeruationem agendum, n. 3. & 4.

1 COlligimus imprimis ius politicum, quo ſingulæ eiuſmodi politiæ reguntur, quodque illis conſtituit tanquam earum forma, vti ſæpiùs monuimus, diuerſum quoque eſſe, cum diuerſæ politiæ vno & eodem iure regi nequeont, ſicut neque diuerſa animalia, eadem anima informari, cùm varias ciuitatis partes idem Ariſt. diuerſis animalium partibus, quæ diuerſo motu cientur comparet *lib. 4. politic. cap. 4.* vti nuper referebamus. Multum igitur intereſt noſſe cuiuſque politiæ naturam, & partes quibus componitur; ac demum finem in quem tendat, vt cognoſcamus quo iure regatur, aut regi debeat, & quid in illo probandum, improbandúmve ſit.

2 Colligimus ſecundò. Quænam ſint totius iuris politici partes, ſiue materiam, ſiue munera malueris appellare, in qua videlicet totum occupetur, quod vno quidem verbo dici poteſt, in conſtituenda & conſeruanda politia, atque in ſingulis & omnibus eius partibus ordinandis, vt omnes inuicem arctiſſimè colliguntur, quod vinculum & vnio præ variis partium illarum inter ſe connexione, dependentia, ſubiectione, muneribus, & officiis diuerſum omninò eſſe oportere: Quare licet in vniuerſum aliquid omnibus politiis commune hac in re conſtitui poſſit, attendendæ tamen ſunt ſeorſim ſingulæ politiæ, & earum diſtinctæ partes conſiderandæ erunt, vt quod cuique commodum erit conſtituatur obſeruetúrve.

Imprimis igitur quæ ad conſeruationem *πολιτειῶν* 3 politiarum in vniuerſum faciant, aduertat de quibus *Ariſt. lib. 5. politic. cap. 8.* hæc tradit, primò vt quæ perniciosa ſunt, & timeantur & ſciantur. Contrariorum ſiquidem contraria & oppoſita eſt efficientia *τῶν γὰρ ἐναντίων τὰ ἐναντία ποιητικά.* Secundò ne parua negligantur, & ne etiam in re parua peccetur; ſic enim ſerpit conſuetudo violandarum legum, ſic parui ſumptus, tandem familiam exhauriunt, & non apparet ſtatim commutatio, quia ſimul non effunditur vniuerſa, ipſaque mens decipitur prauo quodam ſyllogiſmo, ſi vnum quodque paruum eſt, ergo & omnia: totum denique & omnia non ſunt parua, ſed ex paruis componuntur; ipſo itaque ſtatim initio cautio adhibenda eſt.

Tertiò ne nimium popularibus modis & ſermonibus fides habeatur, quartò. Nonnullæ politiæ diutius durant, non quod ſint ſua natura ſtabiles vt Oligarchiæ, ſed quia qui ipſas adminiſtrant rectè & prudenter ſe gerunt, tum erga Ciues expertes regiminis tum erga Collegas in regimine.

Quintò vbi plures adminiſtrant multa inſtituta popularia ſunt vtilia, v. g. primò Semeſtres eſſe Magiſtratus, ſecundò omnibus ad Rempublicam pateat aditus, ſic enim in Dynaſtias incidunt Oligarchiæ. Cùm ſemper inter rectores ſint aliqui oratores, & aſſentatores populi, ſextò aliquando terrere Ciues vt ſibi caueant, neque diſſoluant tanquam nocturnam vigiliam, Reipublicæ adminiſtrationis cuſtodiam, & quæ longius diſtare videntur ob oculos tamen ponere, ſeptimò nobilium contentiones legibus coërcere & præcauere *ὡς τὸ ἐν ἀρχῇ γιγνόμενον κακὸν γνῶναι, οὐ τοῦ τυχόντος ἀλλὰ πολιτικοῦ ἀνδρός*, octauò vbi ex prædefinitis cenſibus dantur magiſtratus, ſi creſcat res nummaria, opus etiam eſt præteritos cenſus intendere, vel remittere vel quotannis in minoribus Ciuitatibus, in quibus etiam quotannis ciues cenſentur, vel in Paulò maioribus tertio, aut quinto quoque anno.

Nonò in omni politia nullum ſupra modum honoribus afficere ſed potius paruos & diuturnos honores, quam magnos & breues conferre *διαφθείρονται γὰρ καὶ φέρειν οὐ παντὸς ἀνδρὸς εὐτυχίαν*, ſecundas res ferre non eſt cuiuſvis hominis, decimò. Si cui tamen nimij collati ſint honores, non ſunt illi ſimul vniuerſi tollendi, ſed ſenſim, vndecimò. Ita Leges conſtituere, vt nemo in Ciuitate poſſit longè ſuperior eſſe aliis, ſiue diuitiis, ſiue amicorum turba, ſiue qualibet alia grandi prærogatiua: quare duodecimò. Vbi ſunt nimiũ potentes, peregrinari iubeantur aliquo honorifica peregrinatione, vt nobili de cauſa ſubmoueantur ciuitate, decimotertiò. Sit aliquis cenſor qui exploret eos qui inutiliter viuunt ad Reipublicæ adminiſtrationem, & qui etiam in vita priuata res nouas quærunt, decimoquartò. Cauere ciuitatis partem ferocientem ex proſperitate fortunæ, imperia contrariis tradere, aut ſaltẽ partes ambas commiſcere, decimoquintò. Non liceat Magiſtratibus è Republica quæſtum facere, maximè in Oligarchiis nam multitudo dolet, ſe & vtilitate & honore ſimul priuari: ſic enim fiet ſimul Ariſtocratia & Democratia, primum quidem quia ſolis nobilibus conferentur Magiſtratus, quos Egentes nollent, cùm nullum inde lucrum referant, & tenui rei ſuæ dome-

sticæ vacare malint; Nobiles verò quia non indigent publica pecunia, gerent illos. Cùm tamen omnibus præesse liceat, erit Democratia, decimosextò ne expiletur ærarium, ideóque pecunia publica tradatur præsentibus omnibus Ciuibus, rationum exempla per tribus & curias reponantur seruanda, decimo septimò. In Democratiis si locupletum diuitiæ minuendæ videantur, id non fiat eorum agris fundisque viritim distributis, sed potius illis munera publica sumptuosa, sed non vtilia demandentur vt ludi publici, lampadum præfecturæ, decimooctauò. In Oligarchiis habeatur cura egentium, illis demandentur quæstuosi Magistratus, grauius animaduertatur in locupletes, si quando lædant egentes, quàm si illi se inuicem læderent, hæreditates potius ex genere, quàm ex dono capiantur, neque vnus plures adeat, sic enim facilius egentes euadent copiosi, decimononò. In Oligarchiis & Democratiis, iis qui non sunt participes administrationis, aliarum rerum æqualitas conferatur; ea verò imperia in quibus totius Reipublicæ consistit authoritas, iis solis committentur, qui Rempublicam administrant, 20. Efficiat politicus, vt illa multitudo quæ Rempublicam saluam vult plus possit, quàm quæ non vult, vigesimu primò. Medium vbique seruetur, nam etiam ea quæ popularia sunt, Democratias perdunt, & Oligarchias, etiam ea quæ videntur apta Oligarchiæ, si nimia sint, vt nasus qui a recto deflecterit ad simum aut ad vncum fertur, sed si nimium extendatur, ridetur, vigesimosecundò. In Democratiis dum Demagogi oppugnant locupletes, Ciuitatem quæ vna esse debet in duas scindunt; quare debent videri dicere pro Locupletibus, & in Oligarchiis pro populo, & non iurare, vt aliqui faciunt, se animatos fore in populum, sed contrarium omninò simulare & iurare: Quæ postrema verba, an è doctrina Christiana sint, alibi disputamus, vigesimotertiò. Omnium maximè necessaria est puerorum institutio vt assuescant legibus, quales sint in Democratiis, & Oligarchiis μεγίστου δὲ πάντων τῶν εἰρημένων πρὸς τὸ διαμένειν τὰς πολιτείας, ὃ νῦν ὀλιγωροῦσι πάντες τὸ παιδεύεσθαι πρὸς τὰς πολιτείας omnium maximè vtilium ad stabilitatem politiarum, est instituere pueros secundum politias. Denique minimè existimandum est seruitutem quandam esse viuere secundum Reipublicæ formam & instituta, sed potius salutem οὐ γὰρ δεῖ οἴεσθαι δουλείαν εἶναι τὸ ζῆν πρὸς τὴν πολιτείαν ἀλλὰ σωτηρίαν.

4 Neque in his dumtaxat in vniuersum constituendis & temperandis occupatur totum ius politicum, sed ad plurima singularia descendit, quodque in illis ex æquo & commodo Reipublicæ seruandum sit præscribit: Nimirùm circa Religionem tuendam, leges, Magistratus, arma, diuitias, fœdera, curam corporum, institutionem animarum, ciuitatum ædificia iudicia, consilia, siue senatum, matrimonia, commercia & alia, quæ in singulis politiis certo iure agitantur. De quibus singulis disputare impræsentiarum, esset vniuersam disciplinam politicam alieniore loco tradere, amplissimam dumtaxat iuris politici materiam indicasse sufficiat, vt ex illa ad non minus diffusam iuris Canonici similem & iisdem ferè contentam capitibus materiam proximè dilabamur.

5 Colliges tertiò ex hactenus de multiplici iure politico disputatis quid de quibusdam politiarum iuribus sentiendum sit, quid probandum, improbandúmve in illis videatur, quod præstitit ipsemet Aristot. *lib. 2. politic.* Vbi politias à sapientissimis quibusdam Legislatoribus olim institutas expendit, quod ne in illis minus probet aperit, quo exemplo nos quoque sequentibus Capitibus de celebrium politiarum iure quidpiam afferemus.



CAPVT X.

De veteribus celebrioribus politiis ipsarúmque iure.



T quæ hactenus de Vario diuersarum politiarum Iure, eiusque æquitate, vel iniquitate tradidimus, manifesta fiant, præcipuas aliquot veterum politias expendere oportet, quod fecit ipsemet Aristot. *lib. 2.* politico. vt inde colligat quænam sit omnium præstantissima, quæ alia esse non potest, quàm ea in qua omnia præsto sunt, quæ ad vitam beatissimam desiderantur maximè ex animi sententia μάλιστα κατ' εὐχήν.

QVÆSTIO I.

Veteres Politiæ minus notæ.

Platonis & Socratis politia reiicitur, num. 1. 2. & 3.
Phalea Calcedonius, n. 4.
Hipodamus Milesius, n. 5.
Spartana Politia, n. 6.
Licurgi Leges, n. 7.
Politia Cretensis, n. 8.
Carthaginensis, n. 9.
Atheniensis, n. 10. & 11.
Eius Leges, n. 12.
Solon, 12. & 13.
Alij Nomothetæ, ibid.
Philon. Leges, n. 14.
Pittac. n. 15.
Andromedis, n. 16.
Clitophon. n. 17.

ORditur igitur à politia quam Socrates & Plato induxerunt, ex eo enim quod Ciuitas sit quædam communitas κοινωνία τις, existimarunt illam optimam fore politiam & ciuitatem, quæ magis esset vna, eam verò summam vnitatem, & coniunctionem obtineri non posse, nisi per vnitatem omnium bonorum, vxorum, liberorum & cæterorum omnium; tunc enim Ciues omnes arctius inter se coniunguntur & vniuntur, cum omnes vtuntur omnibus vt suis. Cuius argumentationis Socraticæ fallaciam demonstrat Arist. *lib. 2. politic. cap. 2.* Cum summa Reipublicæ perfectio non modo non consistat in omnimoda vnitate, vel vnione, sed illa potius destituatur, alioquin redigeretur in domum, cuius vnitas perfectior est, immò & in vnum hominem, qui magis vnus est quàm domus, cuius tantum pars quædam est, atque ita & Ciuitas & politia interiret, cum ipsa sit essentialiter s
multitudo

multitudo hominum ordine, statu, vitæque instituto dissimilium: Deinde *αὐτάρκεια* reperiri nequit in diuersorum bonorum cumulo & copiæ, quæ per summam vnitatem Socraticam perit. Neque omnia erunt omnium in illa phantastica vnitate nisi in confuso, & collectiuè tantùm, non verò singulorum & distributiuè, quare neque illa communis cura, amor, & concordia quam fingebant illi politici emerget, quæ enim res communis est pluribus, negligi solet, & plures famuli deterius interdum seruiunt, quàm si pauci fuerint, inquit Arist. *cap. 3. ὥσπερ γὰρ ἐπιμελείας τυγχάνει τὸ πλείστων κοινὸν ὡς οἱ πολλοὶ θεράποντες ἐνίοτε χεῖρον ὑπηρετοῦσι τῶν ἐλαττόνων.* Adde turpem illam communitatem, consanguineorum & propriæ sobolis agnitionem tollere, cognitionem omnem, confundere attendix, incestus, flagitia, aliáve crimina causare, quæ non fierent, si se personæ inuicem agnoscerent, immò eiusmodi scelera impunita sint oportet, cùm agnosci nequeant, nisi distinctè parentes fratres, sorores, cognatiuè dignoscantur distinctius. Quare perturbatissimæ omninò est Platonica vxorum, liberorúmque communitas, & rerum omnium confusionem in politiam inducit.

2 Iam verò quod attinet ad omnium bonorum communitatem, ab eodem Platone inuentam illam eo *lib. 2. politic. cap. 5.* reijcit Arist. Cum & discordiæ ac litium parens sit, cum vnus è bonorum communione plus capit, aut plus vel minus laborat, & cum vix pauci homines in societate viuere possint, vt apparet in eiusdē itineris sociis, & in nostris famulis à quibus leuiter offensi excandescimus, & quia facilius offendimur ab iis quibuscum perpetuò versamur, quid fiet in societate & communione omnium hominum? Bona igitur aliquo modo *πῶς* communia esse oportet, vt sunt amicorum non simpliciter & absolutè *ὅλως*, sed propria. Nam omnimoda illa communitas quamvis possibilis foret, priuaret homines voluptate, quam quisque ex rerum suarum dominio & proprietate percipit, & temperantiæ liberalitatisque officia impedit. Cùm temperantia imperet abstinere ab aliena vxore, & liberalitas propriæ bonæ non communia largiatur: Est verò iucundissimum aliis benefacere, *τὸ χαρίσασθαι καὶ βοηθῆσαι φίλοις ἢ ξένοις ἢ ἑταίροις ἥδιστον ὃ γίνεται τῆς κτήσεως ἰδίας οὔσης*, vt igitur Musicam & Harmoniam destruit, qui illam ad vnam vocem reducit, & *τὴν συμφωνίαν* facit *ὁμοφωνίαν ἢ τὸν ῥυθμὸν βάσιν μίαν*, sic qui nimis faciunt vnam ciuitatem & politiam, illam destruunt: Cùm ex dissimillimis hominibus primis, mediis, infimisque certo ordine constituatur quare & multiplex est; cum sit essentialiter multitudo *πλῆθος*, & quodammodò vna, nempè *διὰ τὴν παιδείαν* disciplinam, & institutionem iura & leges.

3 Neque hanc dumtaxat vxorum, liberorum, & bonorum omnium communitatem reprehendit Arist. in politia Socratica, & politica, sed & alia perplura, atque imprimis quod Magistratus perpetuos esse voluerint, quæ seditionum causa esse solet, cum durum sit iisdem perpetuò obsequi. Hanc verò perpetuitatem voluisse Platonem ex eo colligit quod dixerit aliquos ex auro conflatos esse ad imperandum, alios ex argento qui ministri esse possint, alios denique ex ære & ferro, nempè populares, mercenarios, opifices Agricolas ad obsequendum ficto, quod verò à natura datum est, perpetuum est, oportet verò Magistratus aliquando mutari, & ciues bonorum, honorúmque publicorum vicissim esse participes.

Arguit secundò Socratem quod totam quidem Ciuitatem faciat esse beatam, partes verò ipsius seorsim sumptas, vt Agricolas, custodes, ipsosque adeò Principes spoliet beatitudine; neque fieri possit vt ciuitas beata sit cuius partes beatæ non sint.

Arguit tertiò, Platonem quod in libris de Republica plurima necessaria de ciuium disciplina & studiis prætermiserit, plurimaque parerga suis libris inseruerit. Tum socraticam diuisionem, qua *πλῆθος τῶν κοινωνούντων* multitudinem incolarum diuidit in Principes siue Rectores siue Magistratus, & in adiutores siue milites & demùm in Agricolas, opifices & mercatores, quæ tria personarum genera Plato vocat *βουλευτικὸν, ἐπικουρικὸν χρηματιστικόν*, non probat, quartò libros Platonis de Legibus, & cum aliis de Republica componit, in iisque omnibus & suos næuos & plurima inter se non satis consentientia notat, & quamplurima alia, tandemque concludit Platonicam politiam abesse longiùs ab optima, cum ad democratiam & tyrannidem pessimas politias accedat, & tota ad Oligarchiam inclinet, quia plerumque Magistratus penes ditiores constituit, Magistratus verò maximos penes ditissimos, quod ex *lib. 6. de legib.* intellige.

Vbi à Socrate & Platone discesseris nominatissimus politicus fuit Phaleas Chalcedonius: in eius tamen politia tria quædam arguit Arist. *lib. 2. c. 7.* atque imprimis quod bonorum modum definierit non verò liberorum & Ciuium numerum, vnde fiat vt alij bonæ sint habituri, alij iis careant, quod iniquum foret, arguit quod bonorum adæquationem voluerit ad seditiones coërcendas; cum tamen ea bonorum æqualitas non possit non esse iniqua, cum qui plura ferunt onera, pluribus bonis indigeant, & ea adæquatio bonorum non coërceat seditiones sed institutio & disciplina. Quare monet æquandas potius esse cupiditates quàm bona, *μᾶλλον δεῖ τὰς ἐπιθυμίας ὁμαλίζειν, ἢ τὰς οὐσίας.* Nam & fortes & nobiles de honoribus contendunt, si vel eos pro suo meritò non obtineant, vel iis indigni exornentur. Quare queritur Achilles se Vlisse fortiorem, paria tamen cum illo præmia tulisse ab Agamemnone *Iliad. 1.* 4

Ἐν δὲ ἰῇ τιμῇ ἠμὲν κακὸς, ἠδὲ καὶ ἐσθλός,
Fortis & ignauus parili afficiuntur honore.

Pluraque alia addit Philosoph. quibus ostendat æquationem bonorum & honorum non semper esse, omni ex parte, & absolutè iustam & laudabilem; arguit prætereà Phaleam quod de præsidio aduersus exteros nihil dixerit, rémque militarem & bonorum abundantiam, quæ duo ad Rempublicam necessaria sunt, prorsus neglexerit.

Reiecto Phalea Chalcedonio, Hippodami Milesij, qui Euriphontis filius fuit, instituta expendit Philosophus *cap. 8. lib. 2. polit.* aitque eum Ciuitatum & vrbium diuisionem reperisse Piræum, muro cinxisse & primum eorum qui Rempublicam non administrarunt: de politia tamen scripsisse quod eius ambitioni tribuere videtur, quod vellet in totius naturæ explicatione eruditus videri, & qui in reliqua vita, ambitione quadam, rebus supernacaneis, & exquisitis deditus. Nam capillitio promissis denso & exquisitè composito, cultu totius corporis sumptuoso, veste magnifica, sed calida & pellita, etiam solestialibus temporibus. Hic igitur Philosophus instituta politica dedit, quæ recenset Arist. *cap. 8. lib. 2. politic.* arguítque, quod Agricolas & opifices fecerit Reipublicæ partes, & veros Ciues atque proinde idoneos, qui magistratibus & honoribus publicis ornarentur, quod indecorum videtur, maximè cum eos armis priuauerit Hippodamus, qui prætereà cum voluit illos suos sibi agros habere, & colere non militibus ac proinde ipsos reddit inutiles ciuitati. Reprehēdit prætereà tripartitā Agri diuisionē 5

quam

quam fecit hippodamus: Io facrum qui ad Deorum cultum, publicū, siue Cōmunem ad alendos milites, ptiuatum, qui ad ipsos Agticolas pertineret, non assignat autem hippodamus quinam publicum agrum excolent, non quidem ipsi milites, quos non vult esse Agricolas non opifices, qui suis vacant officiis; non etiam ipsi Agricolæ, suos enim habent agtos excolendos. Voluerat quoque hippodamus sententiam in foro non ferri, διὰ ψηφοφορίας per calculos sed per tabellam πινάκιον, in qua scriberetur absolutio vel condemnatio, vel moderatio Iudicij. Hanc tertiam tabellam arguit Arist. quia per illam Iudicij moderationem tollitur discrimen inter Iudicem & arbitrum, induciturque magna sententiarum confusio. Arguit denique quod vellet hippodamus præmia & publicos honores decetni iis, qui aliquid vtile Reipublicæ inuenerint: hinc enim calumniarum causam existimat oriri, dum ab aliis vetera, ab aliis noua reprehenduntur, daturque occasio mutandæ politiæ dum decernitur præmium noua instituta inuenientibus; cùm enim noua recipiuntur vetera abrogati necesse est. Cum tamen periculosa sit veterum institutorum mutatio, eaque occasione de legum mutatione disserit Philosophus, tandémque concludit nullas Leges, licet leue aliquod incommodum afferant, mutandas esse vel abrogandas, & nisi sint penitus solidæ & barbaræ.

6 Expensis priuatis institutis eorum quæ de politia scripsisse cum aliqua laude visi sunt, de gentium variarum politiis agendum est, ex illis nominatissima fuit Spartana in qua tamen Arist. *lib. 2. politic. cap. 9.* reprehendit imprimis quod peregrinos ad opificia, & artes mechanicas cogerent; Ilotas verò & seruos ad Agricultutam & alia ministeria, hos verò ex vicinis vrbibus dedititios in seruitutem accipiebant, inde seditiones cùm Lotæ in Dominos sæpius insurrexerint sicut penestæ Thessalorum, quod apud Cretenses non contingit ex causa sine dubio contraria, quia non admittunt in clientelam è vicinis vrbibus inter se se pugnantibus.

Secundò, arguit quod Lacænæ mulieres licentius, agerent, ideque otiebatur intemperantia, luxuria, & auaritia, quod etiam ex Zenophonte licet agnoscere, dum scribit Lycurgum voluisse mulieres lacænas ita educati, vt non assuescerent tractandis lanificiis, aliisve operibus muliebribus: hæc enim à seruis & ancillis exercenda esse, sed pugnis, palæstris & gymnasiis etiam nudas cum viris exercere congressionem cum militibus qui eas ambirent; permisit, modo id clam fieret. Viris quoque imperant Lacedæmone mulieres, quod etiam solemne fuisse apud gentes bellicosas quas idcirco γυναικοκρατουμένους appellat, iure obseruauit, exceptis tamen Celcis & Germanis, & de Gallis quidem tradit Cæsar ipsos in mulieres ius vitæ & necis tanquam in seruos habuisse. Excipit prætereà gentes quæ infandæ veneri, quam τὴν πρὸς τοὺς ἄῤῥενας συνουσίαν vocat indulgebant, quales erant Thebani & Cretenses, illos enim masculam venerem coluisse refert Sextius. Ratio vero propter quam gentes bellicosæ ferè pateant mulietibus, est quod viris perpetuo bello detentis, & à domo absentibus vxores domesticum imperium occuparunt, quod Lacedæmoniis qui aduersus Argiuos, Arcades & Mesenios bellum gerebant contigit. Deinde cùm viri fortes propter copiam sanguinis spirituum, & caloris innati in venerem procliuiores sint, illam etiam colunt: Et sanè illam armatam consectarant Lacedæmonij, quod affirmat Pausanias *lib. 3.* & Laërtius *lib. 1. Instit.* neque audacia fœminarum profuit Lacedæmoniis etiam in bello quod aduersus Thebanos gerebant, in quo omnia clamoribus inconditis & eiulatibus sicut cæteræ mulieres perturbarunt.

Arguit Tertio Philosophus possessionum inæqualitates, quarum maior cessit mulieribus, aut etiam paucioribus viris; Cum enim Lege cautum esset emere ab altero, aut vendere quod habeas, quamvis licitum foret donare, vel testamento relinquere, quod vitari volebant emptione, idipsum donatione & testamento eueniebat, & cum plures mulieres hæredes fierent, è quinque partibus totius Regionis duas obtinebant, quartò ingentes & nimias dotes mulierum reprehendit, indeque æque atque permissis donationibus & testamentis exhaustam esse Lacedæmonem, factumque vt quæ Regio quondam mille quingentos Equites & peditum tria millia alebat, ne mille quidem siue Equites siue pedites tunc alere posset. Quare ne vnum quidem vulnus propter hominum paucitatem ferre potuit, & primis quidem Regibus imperantibus plurimi externi donati sunt Ciuitate ad reparandum Ciuium (qui bellis exhausti fuerant) numerum, itavt aliquando decem millia ciuium superarint, consultius tamen fuisset facultatum & possessionum æquatione ciuitatem hominibus implere.

Quintò non probat affectatam liberorum procreationem, quam proposita munerum immunitate, qui enim tres liberos suscepissent à ciuitatis custodia eximebantur, & à cæteris etiam oneribus, qui quater parentes forent: ex illa verò liberorum multitudine, & ciuium numero, necesse omninò est in regione distributa plurimos fieri pauperes.

Sextò circa Ephoros arguit, quod cum ille Magistratus summæ potestatis foret, cui etiam ipsi Reges subiicerentur, è plebe tamen eligerentur, atque adeò plerique egeni, qui facilè pecunia corrumperentur & malè Rempublicam deinde tractarent, & cum iudicandi de rebus maximis habeant potestatem, ex propria mente & sensu iudicant, satiusque foret per literas & leges iudicare. Denique Ephori cupiditatibus & voluptatibus dediti erant; ita tamen cæteris duri & asperi vt tolerari non possent.

Septimò, damnat γερουσίαν Senatum, quod γέροντες Senatores perpetui essent, & ad decrepitam ætatem, cum mens & prudentia langueant ea ætate; est enim vt corporis, sic & mentis Senatus, ἔστι γὰρ ὥσπερ καὶ σώματος καὶ διανοίας γῆρας, plurimáque alia circa Ephoros, Senatores, atque etiam Reges instituta, non probat.

Octauò, conuiuia publica & φιδίτια amicitiæ causa instituta reijcit, ex eo quod ex priuatorum bonis, non ex publico vti apud Cretenses fierent, nonò Classis Spartana perpetuam præfecturam reiicit, vt causam discordiarum, eo quod alterum veluti Regnum esset, decimò Lycurgi consilium omnia ad virtutem bellicam referentis reijcit, tum quia militaris ars est vna duntaxat pars virtutis, tū quia inde sequebatur imperij prorogatio continua: Denique quamdiu pugnabant Lacedæmones, florebant, cum verò domi sederent cum pacis artes ignorarent, superbia, luxu; seditionibus inter se se contendentes peribant; Deinque cum nullum esset institutum publicum ærarium ad belli sumptus, publicam inopiam, & ptiuatam auaritiam fouebant.

Præter ista quæ notauit in spartana politia Philosophus, reprehendunt & alij in Lycurgi legibus, quas 7 refert Plutarchus in eius vita, quod sublato auri & argenti vsu, ferreum nummum induxerit, & ferrum ex quo percussus fuerit aceto extinxerint, vt mollius redditum nulli alteri vsui esset. Cum enim numus sit rerum aliarum pretium, vbi paulò pretiosiores erunt, plurimum ferri opus erit, eóque pondere importuna

portuna erant commercia, maximè cum externi adde rumum duplicem habere valorem vnum naturalem petitum ex ipsa numi substantia, alterum impositum ea lege, qui non debet imponi pro arbitrio, sed proportione quadam ad materiam; inde malè damnavit omnes artes, quæ ea auro argentóve quidpiam conflarent, omnésque eiusmodi artifices alio amandauit, non sine ciuitatis damno. Sapienter quidem virgines otiosas esse noluit, sed imprudenter palæstra, disco, iaculo, saltu, etiam nudas exercere voluit, vt robustiores ad ferendos partus euaderent, cum sic potius proli gignendæ ineptiores fiant, quidquid iam nubiles, raptu nubere, & sine dote voluit, cum raptus pugnet cum libero consensu, qui matrimonia conciliat & raptæ eiusque parentibus vim, & iniuriam faciat, & quamvis vim factam vxori facilius aliquando coërceri possint, à viris, liberis tamen inde susceptis & alendis fit iniuria, solúsque vir ad onera matrimonij ferenda obligabitur, quis etiam probet sponsam non posse aspicere, antequam ex ipsa pater fieret, quod per multos annos durare poterat, cælibatum puniebat arcendo cælibem à publicis spectaculis, & honore, quo iam senex à iuuenibus coli debebat, cogebat, hyeme nudam forum circuire, quàm verò ridiculum fas esse seni, iuuenes probos ad vxorem liberorum causa inducere, & quod ea eiusmodi adulterio nasceretur, tanquam suum partum agnuscere; neque æquior fuit in alendo quàm in suscipiendo partu, qui in certo loco publicè exponebatur, & si grandiorem factum cæteri probarent, vnâ ea nouem millibus sortium, in quam diuisus fuerat Vrbanus ager, illi ascribebant; sin minus reiiciebant tanquam Reipublicæ inutilem, quæ lex omnem parentum in liberos humanitatem extinguebat, neque magis probanda erat quæ circa puerorum institutionem edixerat, & furti licentiam factam, vnam cuique vestem permisit, neque vnam Lautius... & cultius altero vestiri. Omnia denique vt modo monebamus ad artem bellicam retulit, cæteris vrbe eiectis, neque viri neque fœminæ nomen inscribi, nisi in bello fortiter se gessissent, eadem de causa, pueros in agrum deduci, ibique dura quæque perpeti, neque nisi viros iam factos in vrbem redire, peregrinari alio vetuit ciues & peregrinos aliunde in vrbem delatos, nisi ipsi vtiles essent expulsi contra omnê humanitatem, quis probet iuramento addixisse ciues omnes, ne quidquam in suis legibus mutarent, donec ipse qui ad oraculum Delphicum proficiscebatur rediret in patriam. Sed profectus in Cretam ibi perpetuò vixit, iussitque moriens vt sua ossa in mare proijcerentur, ne si fortè Spartam refferrentur, Spartani existimarent se iuramenti Religione solutos, leges mutare impunè posse.

8 Spartanæ politiæ Cretensis affinis fuit, iisdemque fermè vitiis laborauit, quod obseruat Arist. *lib.* 2. *politic. cap.* 10. Nam primò Minos eorum Legislator masculum concubitum permisit, vt sublato ferè mulierum vsu, & liberorum procreatione pauciores essent ciues, iisque tenuis, & modicus ager sufficeret, secundò quod Spartanis erant Ephori, idem Cretensibus Cosmi, qui tamen è certis tantùm familiis eligebantur, non promiscuè ex vniuersa plebe vti Ephori. Cosmos verò vel vi & facto impetu eijciebant Cretenses, quod erat factiosum, vel illis permittebant, vt se pro arbitrio abdicarent, quod improbat Arist. cum ea ratione politiæ gubernatio ab eorum voluntate penderet. Senatores suos æquè ac Spartani perpetuos & à reddenda ratione immunes esse voluerunt; vnde plura importabantur mala. Denique potentiorum petulantiam, quæ ciuium multitudinem distrahit, & iudicia, neque pœnas subire velint, eáque de causa digladientur inter sese; miseram illam Rempublicam reddere notat Arist. ita vt factio quædam & *δυναστεία* potius sit quam politia, quod si nihilominus perstet id non ex optima politia consequitur, sed ratione situs & loci, cum enim à continente diuisi sint, sibi facilè cauent ab hostibus interiecto mari distantibus, & illorum serui facilè in officio continentur, in dominos enim conspirare non possunt cum hostibus plurimùm remotis, vti faciunt Ilotæ aduersus Spartanos propter hostium vicinitatem.

9 Celeberrimis illis politiis accerset Carthaginens. Arist. *lib.* 2. *polit. c.* 11. licet enim sit popularis, perseuerat tamen *ἐν τῇ τάξει πολιτείας* in ordine politico, sine seditionibus & tyrannide, quod est argumentum optimæ institutionis. Habebant porrò Carthaginens. suas sodalitates, & collegia Magistratuum Ciuium, opificum & Mercatorum, sicut Spartani sua Phiditia habebant; item Ephororum loco centum quatuor viros, illis imperio & potestate pares, sed non creandi modo. Habebant Regem & *γερουσίαν*. Spartæ tamen Reges ex vna heraclidarum familia creabantur iure hæreditario; Carthagine verò ex pluribus familiis virtute clarissimis. Quare monet Philosophus magna imperia plebeis & humilibus committenda non esse, cùm sæpius noceat vt in Ephoris Spartanis superiùs vidimus. Improbat autem Aristot. quod Carthagine quædam instituta forent Oligarchica, vt electio quatuor virorum à centum viris, & quod ijdem semper essent centum viri, qui deinde fiebant quatuor viri, atque ita perpetuabantur Magistratus, quædam etiam erant nimis Democratica, cum populus posset probare, vel improbare Senatusconsulta: Improbat etiam quod vni eidemque plures simul Magistratus committerentur, cùm satiùs multò sit vnum Magistratum ab vno geri, & singulos à singulis in magna præsertim ciuitate, quæ viris idoneis abundat. Qua de re iterùm agit *lib.* 4. *politic.*

10 Atheniensium politia & ius Atticum primo loco numerandum fuerat, primi enim Athenienses inter Græcos populos sibi ipsi ius constituerunt, teste Æliano, *lib.* 3. *cap.* 38. *vari. hist. δίκας τε δοῦναι καὶ λαβεῖν εὗρον πρῶτοι*, hæ verò actiones quibus homines inter se disceptarent, non nisi ex legibus compositæ sunt, erant enim solemnes ne populus eas pro arbitrio mutaret, dicebantúrque legis actiones. Constabat igitur ius Atheniensium legibus & plebiscitis, quibus tota ipsorum politia continebatur.

11 Leges porrò primùm à Regibus latæ sunt; deinde ab Archontibus quibusdam, quorum primus Legislator Draco, qui fuit Archon. Anno 1. Olympiadis tricesimæ nonæ, leges ab eo latas *θεσμοὺς* dixerunt, quod obseruat Ælian *lib.* 8. *cap.* 10. *Hist. varia*, ipsumque Etymologicum; quia verò penè peccata omnia capitis supplicio puniebat iure; Herodicus apud Aristotelem dixit eiusmodi leges non fuisse hominis sed Draconis *τὰ ἀνθρωπίνου νόμους ἀλλὰ Δράκοντος*, quare tacito omnium consensu rescissæ sunt, donec Solon. vt loquitur Hieron. in Chronico Draconis legibus antiquitatis extra eas quæ ad sanguinem pertinebant sua iura constituit: id verò contigit anno tertio quadragesimæ sextæ Olympiadis, vbi post Philombrotum creatus prætor pacis & legum arbiter designatus fuit, quod ait Sosicrates apud Diogen. Laërtium; Ælianus quoque *lib.* 8. *variar. cap.* 10. scribit Solonem non fuisse sorte captum Archonta, sed ab Atheniensibus electum sicut Plutarch. *καὶ τὸν Σόλωνα τῆς πολιτείας διορθωτὴν καὶ νομοθέτην ἀπέδειξαν*. Collapsa tamen subinde est illa disciplina & politia Pisistradidarum scelere, quam iis eiectis instaurauit Clisthenes, legesque suis ciuibus scripsit,

scripsit, quod produnt Isocrates *in Areopagiticis*. & Plutarchus *in pericl.* Exactis itaque tyrannis, restituta sua legibus authoritas, & plurimæ de nouo latæ Diocle, Aristophonte & aliis deinceps Archontibus rogantibus, in quibus nominatissimus Legislator fuit Demetrius Phalareus apud Plutarch. *in Aristide.* Suidas quoque Æschylum & Thalitem inter Atheniensium Legislatores nominat.

Initio quidem non scribebantur leges propter literarum ignoratiam, sed ne darentur obliuioni decantabantur, quod aliqui sibi videntur probare es Arist. *sect.* 19. *probl mat.* 15. sed sanè id non habet Arist. sed quærit dumtaxat cur cantilenæ dicerentur leges, cum Antistrophis non canerentur, sicut alij cantus & odæ choricæ, quod ipsum quærit Plutarch. *lib. de musica* vbi veluti commentarium Aristotelis agere videtur: quærit enim cur quædam cantilenæ leges dicerentur, Respondétque non licuisse olim cuique pro libidine fidibus canere, aut rithmos cantumque transferre, sed accommodatam legibus tensionem seruabant, legesque vocabantur illæ Cantilenæ, quia præscriptum quasi lege, cautúmque erat, ne quis pro qualibet vnam speciem, formamque tensionis lege sancitam transgrederetur: quare licet harmoniæ quædam similes aliis essent, statæ, tamen erant & determinatæ, quibus solis vti liceret. Has porrò leges ibi enumerat Plutarch sed es iis non rectè demonstratur vt vides, leges olim fuisse decantatas, non verò scripto traditas & propositas: Certum dumtaxat videtur leges quondam mandatas fuisse versibus, sicut & historiam, aliaque tum naturalia, tum moralia, ac proinde passim cantari solita. De historia quidem constat ex Bardis Gallorum, quo nomine Strabo *lib.* 4. comprehendit etiam Vates & Druidas; quare tria Bardorum genera distinguit, quorum alij vniuersali nomine Bardi, alij Vates, alij Druidæ dicerentur: Bardi verò erant *ὑμνηταὶ καὶ ποιηταὶ*, Vatea verò *ἱεροποιοὶ καὶ φυσιολογοι*, Sacerdotes, & naturę contemplatores; Druidæ verò docerent Philosophiam moralem. De germanis testatur Tacit. Annales ipsos carminibus exaratos, Eginardus in vita Caroli Magni eiusmodi quædam Barbara, & antiquissima carmina, quibus veterum actus & bella canebantur, scripsit, memoriæque mandauit. Similia de Gothis Iornandes & de Danis Saxo Grammaticus tradunt: Certum denique est plures Poëtas historiam scripsisse, quod & idem de præceptis moralibus licet affirmare, quibus ne longiùs digrediamur, omissis venio ad leges & politica. Terpandum Antissæum, qui primus modos poëmatibus adiecit. Lacedæmoniorum leges numerosis versibus scripsisse testatur Clem. *lib.* 1. *Stromat.* *τὺς Λακεδαιμονίων νόμυς μελοποιεῖν*, prodit quoque Hermopp. *lib.* 6. *de Legislatoribus*, Charondæ leges in conuiuiis à Thuriis solitas cani vniuersimque scribit Martian. Capella *lib.* 9. Græcarum Vrbium moltas leges: docetáque publica ad Lyram recitasse, ipsum porrò Solonem leges suas versibus explicuisse tradit Plutarch. in eius vita, & primos illius carminis versus istos refert.

Πρῶτα μὲν εὐχώμεσθα Διὶ Κρονίδῃ βασιλῆϊ,
Θεσμοῖς τοῖς δὲ τύχην ἀγαθὴν καὶ κῦδος ὀπάσσαι.
Hic primùm oremus Rex vt saturnius hisce
Legibus adspiret velit & concedere laudem.

Cum igitur leges sicut & alia superius numerata versibus consignarentur, mirum non est illas fuisse cantatas, atque ita memoriæ insculptas, subinde tamen inscriptas columnis fuisse leges vt omnibus publicè præstarent, æquè certum videtur, illudque inuentum fuisse Corybantum tradit Theopompus *ἐν τῷ περὶ εὐσεβείας*. his verbis *τῶν Κορυβάντων ἐστὶν εὕρημα ἐν ἀξοσι λίθοις, ἐν αὐτοῖς νόμυς ἀναγράφειν.* Solon. verò leges suas in ligneas tabulis perscripsit, quas *Αξόνας καὶ Κύρβεις* nominarunt, & primum posuerunt in Acropoli: Deinde Ephialtes in curiã & forum transtulit, atque in pritanæo, quod erat in foro collocauit Axonum frequentia videri sua ætate refert Plutarch. & ex iis nonnulla recitat: Suidas in æde martis Deum seruatas vult leges, in Regia porticu dixit Aristoteles agens de Republica Atheniens. *ἐν τῇ στοᾷ τῇ βασιλείᾳ*, Erant verò eiusmodi Axones vndique scripti, hoc ordine primus versus a sinistra ad dextram, secundus a dextra ad sinistram, tertius rursùs a sinistra ad dextram, quartus à dextra ad sinistram, atque cæteri deinceps mutatis vicibus eodem ordine.

Non est porrò animus tam alieno loco ius atticũ, & 12
leges quibus continetur, explicare, sed solũ quid in ea politia veteribus celeberrima Aristot. alijque reprehenderint, ex diuersarum siquidem politiarum vitiis quænam futura sit optima, facilè fuerit iudicare; & cum diuersas easque nominatissimas referamus hoc loco, si nuda relatione contenti earum peccata non iudicemus, videbimur earum instituta probare, quamuis pleraque vel iniqua, vel non satis æqua existant.

Laudat igitur Aristoteles *lib.* 2. *politic. cap.* 11. Solonem quod Oligarchiam & paucorum tyrannidem sustulerit, & nouis institutis Rempublicam ex Oligarchia, Aristocratia, & Democratia temperari Oligarchiam quidem retinuit creando Senatum Areopagiticum selectum ex viris qui iam aliquo magistratu functi fuissent, Aristocr. designãdo Magistratus per suffragia non sortitione: Democr. cum populo iudicia restituit. Ex hoc tamen postremo instituto Solonem eumdem damnat, quod nimiam populo circa iudicia ferenda potestatem tribuerit, vnde fiebat vt Demagogi, pericles. Ephialtes aliique principum authoritatem minuerent, Areopagi impeterent, & populi potentiam amplificarent, atque ita Democratiam inueherent, cum tamen Solon. infimæ plebi nullam ferè potestatem communicasset, sed Populus victoria nauali de Medis & Persis ad Salaminam relata superbiens summam rerum omnium authoritatem sibi sumpsit, & Democratiam induxit.

Arguunt & alij Solonem, quod omni honore priuarit eos qui in seditione nullius partes sequuti fuerint, eo quod publicam vtilitatẽ suis rationibus posthabuerint: id verò quis ferat fœminas quæ viros gignendis liberis parùm idoneos sortitæ essent, quem vellent ex eius propinquis admittere permisit, luctus in alieno funere sustulit contra naturalem pietatem, permisit filio subsidia, & alimenta patri egeni denegare, à quo non esset arte aliqua vtili institutus; dotes pecuniarum fœminarum sustulit, liberos nothos à cura parentes alendi exemit, Principem ebrium deprehensum morte mulctauit; aliaque per plura quibus vel pietas vel iustitia lædebatur instituisse dicitur: vide porrò totum ius Atticum, eiusque varias leges à quocumque latæ fuerint Samuëlem petitum illustri commentario recensentem.

Fuerunt & alij laudati Nomothetæ, qui variis poli- 13
tiis iura præscripserunt, eorum ferè dumtaxat nomina recenset Arist. *lib.* 2. *politic. sub finem*, instituta porrò ipsorum non refert; quare neque de illis iudicium ferre nos possumus; ij verò sunt Zaleucus qui locris ad occidentem incolentibus quos Græci *ἐπιζεφυρίους* dicunt, leges tulit Charondas Cataneus ciuibus suis & aliis Chalcidicis circa Italiam & Siciliam iura, dedit.

Onamacritus primus dicitur fuisse solers in scribendis legibus *περὶ νομοθεσίαν*, mansit in Creta in eaque propter diuinandi scientiam *κατὰ τέχνην μαντικήν*, Locrus tamen

tamen fuit eius amicus, & ſodalis fuit Thales, Thalis autem auditor Lycurgus & Zaleucus Zaleuci Charondas ex aliquorum ſententia, quod & inconſideratè dicitur, & ipſorum tempora atque ætates repugnant.

14 Philolaüs & ipſe inſignis Nomotheta Thebanorum, quamvis ipſe Corinthus foret, erat ex Bachidarum Senere, ſed cum Dioclis qui vicit Olympia amator eſſet, ille autem Inſanum matris Alcionæ amorem deſtitutus vrbem reliquiſſet, Thebas vna ambo profecti ſunt, atque inibi mortui horum ſepulchra ita poſiti ſunt, vt vnum ex altero conſpici poſſit, ita tamen vt ex dictis ſepulchro Corinthius ager videri nequeat propter odium calamitatis in eo acceptæ; poſſe tamen ex Philolai tumulo. Thebanis portò leges ſcripſit Philolaüs, imprimis de procreatione liberorum *περὶ τῆς παιδοποιΐας*, quas vocant *νόμους θετικούς* legi poſitiuas voluit quoque bonorum & hæreditatum quæ cuique obligaſſent numerus ſeruaretur: Itaque eius propria fuit bonorum & rei familiaris inæqualitas *ἡ τῶν οὐσιῶν ἀνωμαλότης* Charondæ quoque propriæ fuerunt falſorum teſtimoniorum actiones & iudicia *αἱ δίκαι τῶν ψευδομαρτύρων*. Primus enim de illis ſcripſit, & accurata, ſubtilique legum ſcribendarum ratione cæteris Legiſlatoribus cultior politiorque eſt, *τῇ δ' ἀκριβείᾳ τῶν νόμων ἐστὶ γλαφυρώτερος καὶ τῶν νομοθετῶν*.

15 Pittacus fuit etiam legum conditor, ſed non politiæ *νόμων δημιουργὸς ἀλλ' οὐ πολιτείας* eius propria lex fuit, vt qui ebrius alterum pulſiſſet grauiores daret, quàm ſi ſiccus eò quod ſæpius ebrij & temulenti pulſent, quam alij ideóque pœna coërcendi ſint, itaque non ſpectauit in ea lege rationem ignoſcendi, ſed vtilitatem publicam.

16 Vltimo loco recenſet Ariſtot. Andromædem Rhegium Chalcidenſium Traciorum Legiſlatorem, eius leges de cædibus & de puellis orbis, ad quos veniret omnis parentum hæreditas.

17 Zenophon quoque politicum agit, eiúſque ſolius lectionem ſufficere poſſe homini politico, dixit Dio Chryſoſtomus *orat. de dicendi exercitio*. Scripſit verò *Κύρου παιδείαν*, & vt vocat Cicero in Bruto Cyri vitam & diſciplinam, non, vt quidam malè exiſtimarunt, ad hiſtoriæ fidem, ſed vt ait Tull. *ad Q. fratrem*, ad effigiem iuſti imperij & Auſon. *in oratione qua Gratiano pro conſulatu ſibi dato gratias* agit Zenophontem alloquens, ſic ait; *Tu qui ad Cyri virtutes exequendas, votum potius quàm hiſtoriam commodaſti, cum diceres non qualis eſſet, ſed qualis eſſe deberet.* Ioſeph. Scalig. *in prolegomenis de emendatione temp.* ait nihil in vniuerſa Cyropœdia veri eſſe præter nomina, Babyloniam captam & Cræſum victum, ait verò in eo opere iuſtum imperium expreſſerit Zenophon. vti dicebat Tullius, diſputari poſſet. Nam Eraſmus in vita ſancti Hieronymi vult Zenophontem Vafrum quendam & *ἀγκυλόμητιν* expreſſiſſe, potius quàm verè prudentem ac ſalutarem Principem. De Zenophontis portò ſuauiſſimo ſermone ſæpius agit Tull. *nam 1. de orat.* ſcribit ſermonem ipſius fuiſſe melle dulciorem, muſaſque eius ore loquutas videri & *lib.* 2. eiuſdem ſuauitatem merè commendat. Quare Muſam atticam dictum monet Laërtius *in eius vita*, & atticam Apem in Collectaneis Suidæ: Vide de eius charactere Dionyſ. Halicarnaſſ. *in preceptis de oratione nuptiali*, & Dionem Chryſoſt. *orat. de dicendi exercitio.*

QVÆSTIO II.

De Iure Romano.

HOc ius adeò illuſtre eſt, vt quoties de Iure ciuili & politico agitur, neque additur nomen cuius ſit Ciuitatis, Rom. intelligatur, ſicut cum Poëtam dicimus, ſubauditur apud Græcos Homerus, apud Latinos Virgilius vti monet Iuſtinian. *Inſt. de iure naturali*, nimirùm propter excellentiam qua cæteris eminent, quod & obſeruat Seneca *lib.* 8. *Epiſt.* 1. & proclus ad *lib.* 2. *Platonis de Repub.* aliquando appoſitionem articuli *ἄρθρου πρόθεσιν* ſignificare, vnum aliquid per excellentiam *καθ' ὑπερβολὴν*, vt cum dicimus *ὁ ποιητής*; Damus enim honorem ei qui ſummus eſt *τῷ ἀρετάτῳ*, rationem reddit Galen. *lib. quod animi affectus ſint.* conſentanei temperaturæ, quia quæ in quoque genere ſumma ſunt ſolent generis nomine donari, affertque exemplum Homeri & Sapph. ille enim Poëta iſta poëticis nomine deſignatur, quod ipſum habet Quintilian. *lib.* 5. *cap.* 8. vbi de enthymemate, cum igitur ius Romanum inter omnia ciuitatum aliarum iura emineat, mirum non eſt, ſi nomine Iuris ciuilis abſolutè poſito ſignificetur. De huius portò iuris præſtantia audi *l. Craſſum* apud Tullium *lib.* 1. *de oratore* §. 44. *Percipietis etiam illam ex cognitione iuris lætitiam & voluptatem, quod quantum præſtiterint noſtri maiores prudentia cæteris gentibus, tum facillimè intelligetis. Si cum illorum Lycurgo & Dracone & Solone noſtras leges conferre volueritis. Incredibile eſt enim, quàm ſit omne ius ciuile præter hoc noſtrum inconditum ac penè ridiculum, de quo ſoleo in ſermonibus quotidianis dicere, cùm hominum noſtrorum prudentiam cæteris omnibus & maximè Græcis antepono.* Ius itaque ciuile Romanorum ſiue Quiritum, propter ſui præſtantiam ius ciuile dicitur, nullo alio addito, quo certæ cuiuſdam ciuitatis ius deſignetur; ius quoque commune nominatur. 1

Cùm enim Roma toti ferè orbi imperarit, illum ſuis etiam legibus obſtrinxit, ſuoque iure voluit vti: De hoc itaque iure pauca quædam in vniuerſum notanda videntur. Eius autem originem & proceſſum deſcribit Pompon. *in l.* 2. *D. de origine iuris*, quamquam non ita exactè ad fidem hiſtoriæ, vti contendit Hotman. *in Epitome huius tituli*, & *lib.* 10. *obſeruat. capite primo.* atque alibi, neque inſolitum eſt Iuriſconſultis in hiſtoriis falli, vti ex ipſo Vlpiano & Cicerone errantibus oſtendit Coraſ. *in l.* 2. *De origine iuris numero trigeſimo ſecundo.* Nos qui iuris ciuilis 2

 Yy interpre

interpretem non agimus hoc loco, Pomponij verba non expendemus accuratius, satisque nostro instituto fuerit breuem quandam iuris Romani notitiam tradere ex allato Hotmano *lib.* 10. *obseruation. cap.* 1. quod ferè exscribimus paucis quibusdam additis. Sic igitur habet.

Prima Romani iuris origo fluxit ex legibus regiis, hoc est ex iis, quas Reges populi. Rom. primis Reip. temporibus conscripserunt, earum pleræque à Sec. Tullo scriptæ sunt, vt Halicarnassæus & Tacitus testantur; omnes autem à Sex. Papirio Iurisc. in volumen vnum collatæ sunt, quod ius Papirianum appellatum fuit. Sed exactis Regibus, lege Tereutia omnes ferè abrogatæ fuerunt, & in earum locum 12. tabularum leges subrogatæ, quæ maxima ex parte ab Atheniensibus & Lacedæmoniis sumptæ, & in duodecim Æneas tabulas relatæ, atque insculptæ, summam in Rep. Romana auctoritatem habuerunt, de quibus scitum est illud Ausonij.

Ius triplex, tabulæ quod ter sanxere quaternæ
Sacrum, priuatum, populi commune quod vsquam est.

Tripartita: enim earum fuit distributio, de iure Sacrorum de publico & de priuato. Tertia iuris Romani pars ex legis actionibus accessit, quas Iurisconsulti, qui temporibus illis ferè Pontifices fuerunt, directis, hoc est certis ac solemnibus verbis composuerunt. Formulas enim omnium rerum, quæ vel publicè vel priuatim gerebantur, confecerunt. Eáque pars iuris ex illorum qui scripserunt nominibus appellata est: veluti ius Flauianum, ius Ælianum. Hinc apud Varronem Hostilianæ & Manilianæ actiones, quæ omnes ad vsum fori & vitæ communis pertinebant; quarta pars in eorumdem Iurisconsult. *θεωρία* siue *[illegible]*, hoc est prudentia, disquisitione & inuestigatione veri, & quasi Scholasticis disputationibus, posita fuit: quas illi passim visiones appellant, *l.* 49. *§. in omnibus, D. man. d. l.* 8. *§.* 2. *ad Vellei.* Vnde prudentes dicti, & eorum ars Iurisprudentia, quæ in iusti, atque iniusti scientia posita est. Et quia de iusto atque iniusto consulebantur Iurisconsulti: eorumdemque interpretationes, prudentium responsa dicebantur, quorum stetit authoritas à 12. tabulis perfectis, vsque ad Imp. Philippum, hoc est, annos circiter septingentos. Cum mirificè plerumque inter ipsas concertationes vigerent: præsertim ob duas sectas, Sabinianorum scilicet & Proculianorum. Fuerat Q. Tuber. publici priuatíque iuris peritissimus. Is duos discipulos habuit Atteium Capitonem, & Antistium Labeonem, qui dissidium in hanc disciplinam inducere cœperũt. Nam cum Atteio Massurius Sabinus: Labeoni Nerua pater successisset, acceptam à præceptoribus discordiam vehementer auxerunt: quam postea eorum discipuli, Sabini quidem Cassius, Neruæ autem proculus cõperduxerunt, vt duæ iam tum familiæ contrariæ, ex eorumdem nominibus appellatæ ac propagatæ sint. Nam qui Cassium sequebantur, Cassiani, qui Proculum, Proculiani dici cœpere. *l.* 2. *§. post hanc. D. de orig. Iur.* Quinta pars accessit ex legibus populi Rom. quarum quæ à Maioribus Magistratibus ferebantur proprio nomine leges quæ à minoribus plebiscita dicebantur. Harum similiter tripartita fuit distributio. Nam aut de iure Sacrorum, aut de publico aut de priuato ferebantur. Sexta pars ex Prætorum Vrbanorum Edictis fluxit, quæ primis temporibus publicè in albo, id est tabula dealbata proponebantur: vt scirent Ciues quemadmodum quisque prætor anno suo iusdicturus esset. Nam cum annuum tantùm Magistratum gererent, edictum eorum annua lex dicebatur. Tota porrò eorum Iurisdictio his tribus continebatur verbis, Do, Dico, Addico, ac certis tantùm diebus pro tribunali in sella eburnea sedentes ius dicebant, siue reddebant, vnde illud Ouidij de iis diebus.

Ille nefastus erit, per quem tria verba silentur
Fastus erit, per quem lege licebit agi.

Tandem Lege Cornelia cautum fuit, vt prætores ex Edicto perpetuo ius dicerent: quod Asconius *in orat. pro Cornelio* & Dio. *lib.* 36. testantur. Ad extremum Adrianus Cæsar cum Saluio Iuliano Iurisc. edictum perpetuum conscripsit atque in illud vniuersum ius contulit, quod nonaginta nouem comprehendit libris. Itaque ex eo deinceps Prætores omnes ius dixerunt, *l.* 2. *C. de vet. iur. Enucl.* Septima fuit accessio, Rep. ad Cæsares translata, ex Impp. constitutionibus, quæ ab Augusto initium cœpere: quarum multitudo, cùm ad Diocletiani tempora in immensum excreuisset, tandem imperio Constantini magni in duos Codices collatæ sunt, quorum alter Hermogenianus, alter Gregorianus, ex Compositorum nominibus, appellatus est, Octauo Theodosiano Codici debetur: in quem Theodosij Imp. mandato, omnes Constantini magni & insequentium Impp. constitutiones relatæ sunt, anno Christi 418. quo tempore Iurisprudentiæ studium tribus potissimùm in Vrbibus florebat: Romæ, Constantinopolitani, & Beryti Syriæ oppido: In quibus iuris antecessores magno adolescentium concursu, eam disciplinam profitebantur. Status hic Romani iuris fuit Iustiniaoo Imperante. Nam & si Constantinus Romani imperij sedem Byzantium transtulerat, quam idcircò nouam Romam, & ex illo suo nomine, Constantinopolim appellauit, & quia in Oriente Græca lingua vtebantur, multò maximam Latinarum actionum ac formularum partem sustulerat. Vetus tamen Iuris Ciuilis appellatio retinebatur: Cùm Imp. Iustinianus suasore atque impulsore Triboniano, capitali homine, & facinoroso, cætero qui bonarum omnium artium imperitissimo vniuersam illam iuris formam hoc ordine interpolare cæpit. Nam primùm omnium partim ex tribus illis, quos antea nominaui, Codicibus: partim ex superiorum Impp. constitutionibus Codicem vnum composuit, cúmque ex suo nomine Iustinianicum appellari iussit. Secundo loco ex veterum Iurisc. scriptis quæ innumera fuerunt, summam quaodam arbitratu suo per 16. Iurisperitos, triennij Spatio, componi, cúmque Digestorum vel pandectarum nomine inscribi imperauit. Digesta quidem quia veterem, vt sibi videbatur confusionem in ordinem redegerat. Pandectas, quia quæ ad ius ciuile pertinent, omnia complectebatur: quod factum est anno Christi 533. Tertiò sub anni tertij exitum, institutiones quæ iuris elementa continerent, per tres Iurisperitos conscribi, simulque Codicem amplificari, & emendari iussit, ne quid in eo à Pandectarum & Institutionum libris alienum relinqueretur, qua de causa dictus est Codex repetitæ prælectionis: quo vno iam in foro & scholis vtimur. Quartò cum leges quotidiè nouas Triboniani consilio promulgaret quibus non modò ius antiquum, verùm etiam suum illud recens immutabat; quarum edi librum imperauit, in quem nouæ illæ constitutiones sensim, vtquæque promulgabatur, nullo ordine conferrentur: qui propterea Νεαραί, hoc est, nouellæ, inscriptus est. & Patrum atque auorum memoria dicebatur Authentica: quibus ferè gestis rebus, morati inter homines Iustinianus deficit Anno Christi ꝋ LXVII.

Quod porrò attinet ad leges Regias, quas Romul. Numa, alijque subinde Reges tulerunt, vide Plutarch. in Romul. Dionys. Halicarnass. *lib.* 2. Ex quibus aliisque eas collegit Azor. *tom.* 1. *lib.* 6. *cap.* 62. *cap.*

verò

verò sequenti 63.caponit legem 12.tabularum io quam etiam Bald. Rurus Hotman. & alij commentarios ediderunt.

5 Circa Codices qui constitutionum priocipalium collectionem habent,primi fuerunt Hermogenianus, & Gregorianus circa tempora Diocletiani & Maximiaoi, vel magni Constantini editi sunt. Quis verò prior compactus fuerit incettum est & temporum iniuria nobis interciderunt. Illis verò vsus est Augustin. *lib. 2. ad pollentium de adulterinis coniugiis cap.* 8. vbi Antonini constitutionem circa adulteria refert integram & Gregutiano, quam Iustiniani Codex omisit. Vsus quoque est eodem Codice Author collationis legum Mosaïcarum, botum quoque breuiario vsi etiam alij: incertum verò est an hi Codices priuata an publica authoritate collecti fuerint, solitos enim esse Aduocatos sibi similes Codices concinnate affirmat Ægnieta Hermogenianus; itaque Codex ab Hermogeniano Iurisconsulto, qui iuris Epitomen Sex libris edidit congestus fuerit, etiam priuata authoritate,sed deinde publicè receptus fuit,& quidam Eugenius Hermogenianus PP. Diocletiano & Maximiano imperantibus, quod ex actis Sabini tradit Baron. *an.* 301. *n.* 18. Gregoriani verò Codicis author fuerit Gregorius, qui imperante magno Constantino *ann.* 336.fuit PP. eius meminit *l.5.C.Theodos. de Am. & Trib.l.2.C.eodem de contrahenda empt.& l.1.c.Iustin. de naturalib. liber.* Ea quibus confirmatus Epocha à nobis assignata: quandoquidem isti Codices complectantur constitutiones Imperatorum ab Adriano ad vsque Diocletiani Tetrarchiam, anno Domini 295. Tusco & Amulio coss. in C. Hermogeniano refertur *l.2. c.de calumniatoribus*, ex eoque adducitur à veteris consultationis authore.Ex Gregoriano citatur ab Authore collationis legum Mosaïcarum *tit. de inceptis nuptiis* Lex Diocletiani quæ habetur *in C. Iustin. lib. 5. tit. 4. de nuptiis*: quare antè Diocletianum collectus non fuit eiusmodi codex, & ad Constantinum,eiusque liberos peruenisse plurimi demonstrant, quæ collegit Iacobus Gotofredus *in Prologom. ad C. Theodos.* nouissimæ editionis *cap.* 1. vterque verò initium ducit ab Adriani edicto perpetuo, quod Romanæ Iurisprudeotiæ forma quædam fuisse videtur,Hermogenianum Ethnicum fuisse indicat, ostendit idem Author. *Prolegom.Theodosian.cap.1.cit.*

6 His Codicibus successit codex Theodosianus, qui Christianorum Principum constitutiones collegit (authore Theodosio iunoire) à quo & Theodosianus dictus fuit anno 438. vbi nuper monuimus. Rationes verò quibus adductus est Theodos. ad Noui Codicis scriptionem ipsemet explicat. *Nouella* 1. qua ipsum confirmat,prima fuit vt studium ciuilis scientiæ excitaret, facillimúmque redderet, cum vt ait *in tanto lucubrationum tristi pallore, vix vnus aut alter receperit soliditatem perfecta doctrina*, Cuius mali causam refert in immensam librorum copiam, in molem constitutionum diualium, quæ velut sub crassæ demersæ caliginis, & obscuritatis vallo sui notitiam humanis ingeniis interclusit, in actionum diuersitatem difficultatemque causarum, in Iurisperitorum seueritatem mentitam,dissimulatam scientiam,& formidanda responsa, velut ab ipsis adytis expectarentur: Atque hæ etiam erant, opinor, causæ querelarum quas faciunt Marcellinus *lib.* 30. de mentita illa Iurisconsultorum seueritate, ipsorumque inscitia,ac legum contrarietate. Vnde ad infimam plebem reiectam fuisse ait Mamertius pro consulatu Iuliani, ad seruos eam scientiam fuisse deuolutam *iuris*,inquit. *Ciuilis scientia, qua Manlios, Scæuolas, hermos in amplissimum gradum dignitatis extulerat libertorum artificium dicebatur*, & Asterius Amasenus Episcopus *hom. 7. de seruo Centurionis apud Photium* narrat seruum quemdam Scytham emptum à Ciue Antiocheno; Iurisprudentiam deinde fuisse professum factumque νόμων διδάσκαλον: Librorum verò huius scientiæ mole tantam fuisse testatur Eunapius io vita Ædesij, vt plures Camelos onerare posset, ὡς ἂν ἄχθος καμήλων πολλῶν. Vt his igitur in commodis occurreret Theodosius iunior codicem istum constari mandauit, vti fatetur *Nouella* 1. qua huic operi authoritatem facit. Quamobrem inquit detersa nube Voluminum,in quibus multorum nihil explicantium ætates attritæ sunt compendiosam diualium constitutionum scientiam ex D. Constantini temporibus roboramus, & paulò superius. *Verùm exegimus negotiam temporis nostri, & discussis tenebris compendio breuitatis lumen legibus dedimus.*

Ad hoc porrò opus conficiendum elegisse se ait viros nobiles exploratæ fidei & famosæ doctrinæ, quos ibidem octo numerat, ex quibus erant tres illustres, & quinque spectabiles. In illis primus nominatur Antiochus exconsul & expræfectus prætorio ad quem inscribuntur duæ eiusdem Theodosij leges, *nempè l.6.C. Theod. de collatione Donator.* anno 430.*& l.5. C.eod.* de his qui ad Eccles.*confug.*anno 431. eiusdem meminit.Marcell. in Chronico 4. an. Domini 448. & Suidas Ἀντίοχος & v. Λεόντιος, & v. Θεόδοσιος: voluit autem Theodos. istas. Leges quæ laterent in lucem proferre, easque atque cæteras interpretatione sua purgare, & compendiosa breuitate referre, non verò mutare; & denique Authorum nomina atque inscriptiones retinere, ne ipsis sua gloria periret, atque ita factum esse testatur ipse Theodos. *nouella* 1. Quamquam, inquit, nulli tertò principum æternitas sua detracta est,nullius latoris occidit nomen,imò lucis gratia mutati, claritudine consultorum Augusta nobiscum societate iunguntur,manet igitur,manebitque perpetuò & muta gloria conditorum, nec in nostrum titulum demigrabit, nisi lux sola breuitatis; & quamvis nostris auspiciis totius operis instauratio deberetur, attamen magis imperatorium, magisque credimus gloriosum,si fugata inuidia,perennitatis iure memoria remaneret auctorum, nobis ad fructum bonæ conscientiæ, abundéque sufficit, reuelatis legibus, inuenta maiorum obscuritatis iniuria vindicasse.

Ita concinnatum Codicem probauit Theodosiua constitutione data ad florentium PP. orientis, qua sic cauit primum nulli post Kalen. Ianu. concessa licentia ad forum & quotidianas aduocationes ius principale deferre,vel litis instrumenta componere,nisi ex his videlicet libris,qui in nostri nominis vocabulum,& sacris habentur in Scriniis.Secundò omnem aliam constitutionem siue in Occidente à Valentiniano,siue à se ipso in Oriente latam vim legis obtinere: falsitatis nota damnandis, quæ ea tempore definito Theodosiano non referuntur in Codice, excipit tamen quæ habentur apud militum sancta principia, vel de titulis expensarum, aliarúmque rerum gratia, quæ in Regestis diuersorum officiorum relata sunt, tertiò iubet Florentio vt edictis propositis in omnium populorum,in omnium prouinciarum notitiam, scita Maiestatis Augustæ faciat peruenire: Hæc porrò promulgatio Codicis non modo in Oriente facta est,sed etiam in Occidente à Valent.vt constat tum ex *nouella* 2.Theodosij & 35. in qua tum ipsummet codicem tum nouellas post ipsum, per decennium latas confirmantur in vtroque Imperio, vt sicut vterque orbis indiuiduis ordinationibus regitur, iisdem

quoque legibus temperetur inquit Valentinian. *in nouelln* 35. adducta vbi quoque sic ait gloriosissimus principum Dominus Theodosius Clementiæ meæ pater Leges à se post codicem numinis sui latas, nuper ad nos sicut repetitis constitutionibus cauerat, prosequente sacra præceptione direxit: vocat verò Valentin. Theodos. patrem, quia ab illo Cæsar. deinde August. dictus, atque in Generum, fuerat assumptus deinde idem Valentinian. codicem Theodosianum interdum allegat vt *nouella sua* 10. Cum, inquit Lex diui Honorij ad Palladium PP. missa in Theodosianum redacta corpus hanc copiam talibus legatur dedisse personis & *Nouelln* 12. *de Episcopali iudicio.* Quoniam constat Episcopos *& presbyteros forum legibus non habere*, nec de aliis causis secundum Arcadij, & Honorij diualia constituta quæ Theodosianum corpus ostendit, præter Religionem posse *cognoscere.* Ex quibus aliisque similibus: vides codicem Theodosianum vsu vtroque in imperio vsu receptum: ipsis etiam Imperatoribus Authoris.

7 Ab illis tamen exploratæ fidei & famosæ doctrinæ viris quos in Codice Theodosiano concinnando laborasse testatur ipsemet Theodos. *nouella sua* 1. peccatum variis modis fuisse viri deinceps eruditi obseruarunt. Nam. Primò plures constitutiones omiserunt, quas alij scriptores memorant, vt eam cuius meminit Ambros. *epist.* 32. dum causam reddit Valentiniano Imperatori, cur cum Auxentio Arriano in consistorio certare recusat: *Nec quisquam*, inquit, *contumacem iudicare me debet, cùm hoc asseram quod Augusta memoria pater tuus*, is erat Theodosius qui vt monui Valentinianum sibi in generum assumpserat *non solum sermone respondit, sed etiam legibus suis sanxit, in causa fidei, vel Ecclesiastici alicuius ordinis, eum iudicare debere, qui nec munere impar sit nec iure dissimilis. Hæc enim verba rescripti sunt; hoc est Sacerdotes de Sacerdotibus voluit iudicare.* Quin etiam si alias quoque argueretur Episcopus, & morum esset examinanda causa, etiam hanc voluit ad Episcopale Iudicium pertinere: omisere quoque isti collectores constitutionem Iouiniani quam habet Theod. *lib.* 4. *cap* 4. *hist. Eccles.* qua restituit edictum magni Constantini de largiendo frumento Ecclesiis sublato à Iuliano, & quia fames non patiebatur totam cunferti Iouiniani largitionem, Trientem præberi iussit, omisere quoque legem Valentis de non comedendis vitulis, cuius sic meminit Hieronym. *lib.* 2. *in Iouin. in Ægyto & Palæstina propter boum raritatem nemo vaccam comedit Taurorumque carnes & boum vitulorumque assumunt in deliciis. At in nostra prouincia scelus putant vitulos deuorare; vnde & Imperator Valens. nuper legem per Orientem dederat, ne quis vitulorum carnibus vesceretur, vtilitati agriculturæ prouidens, & pessimam indiuisantis vulgi emendans; Consuetudinem pro altilibus & lactentibus vitulos consumentis*, aliam quoque Valentiniani & Theodosij legem de clericis ad sæcularia iudicia non pertrahendis, refert Gratian. 1. *p. q.* 1. *cap.* 4. Honorij quoque integram ferè constitutionem adducit idem *Gratian.* 79. *dist. cap.* 2. quam in Theodosiano Codice minimè reperies.

8 Præter hanc diualium constitutionum omissionem arguunt in istis collectoribus, nimiam in suis exceptis breuitatem quæ tenebras offundit, earumdem importunam & frequentem repetitionem, contrariorum & inuicem pugnantium adductionem, alieno tempore & loco consignationem per summam incuriam earumdem à se inuicem distractionem & diuulsionem, aliáque similia, quæ fusius obseruata & exemplis adductis probata habes in Prolegomenis *ad c Theodos. capite secundo.* Sed maximè displicet quod plures impiorum principum leges, easque impias congesserint vt Constantini magni de licito haruspicinæ vsu *lege* 1. *cap. de paganis*, Valentiniani senioris de cuiusque Religionis libertate, & haruspicinæ tolerantia *leg.* 2. 3. *& 9. c. de malefic. & mathemat.* Legem verò Valentiniani Iun. *l. vlt. de fide Cathol.* pso Ariminensi Synodo referunt. Leges quoque Arcadij 1. 4. 5. *& 6. C. de his qui super Religionem aduersus Christian.* latas & Catholicis contrarias, quæ omnia à Theodosij iunioris mente quam longissimè aberant, insulsè suo operi inseruerunt.

Codici Theodosiano successit Iustinianus, quem 9
de suo nomine voluit appellari eius Authos Iustinianus, in quo non eas tantum constitutiones in ordinem & compendium digessit, quas post editum dicem Theodosianum, tum ipse Theosius, tum alij consequentes Imperatores sanciuerant, sed etiam ex tribus superioribus Codicibus Gregoriano Hermogeniano Theodosiano, atque ex Nouellis subsequentium principum quæ ad sui temporis vsum facere videbantur, colligi, & suo inseri codici voluit; ita tamen vt cum in aliis tribus codicibus similes, atque interdum contrariæ constitutiones refferrentur: Iustinianus curauit ex suo tolli contraria, similia, superuacua & inutilia omnia, quantum fieri potuit. Curam totius operis Triboniano, aliisque viris eruditissimis dedit, & tandem ita confectum codicem ædidit bis; & primum quidem antè digesta & institutiones, de eáque editione sunt duæ constitutiones initio operis positæ, de nouo codice faciendo, & confirmando, sed ea editio cum minus accusata videretur abolita est, factáque est alia noua emendatior, de qua habetur Iustiniani constitutio de emendatione codicis, &c. diuisa est in 12. libros quasi in 12. tabulas, inquit Hermen. ea est qua vulgò vtimur, & quæ post editionem Digestorum & institutionum promulgata, confirmata & edita fuit. In ea Iustinianus multas constitutiones, quæ erant in priori, limauit, detraxit, mutauit, aliàs tum suas tum aliorum principum addit; & prætereà decisiones Iurisconttouersi numero quinquaginta, apposuit, atque ita priorem suum codicem emendauit, expurgauitque, & hunc posteriorem repetitæ prælectionis appellauit: scribit autem quod repetita prælectio probauit, satis esse validum satisque formosum. Additque secundas editiones à veteribus fuisse appellatas repetitas prælectiones exemplo Vlpiani ad Sabinum: prælectiones enim vocabant lectiones, quibus præceptores viua voce, vel scripto discipulis vias discendi præmunstrabant, vt obseruat Cuiacius, qui hinc etiam colligit 4. *ad African.* veteres Iurisconsultos variasse Papinianum *lib.* 6. §. 3. *D. de seru. export. l. vlt.* §. 3. *c. de furtis* Iulianum *l.* 19. *in fine D. ad Velleian.* & Scæuolam *l.* 55. §. *vlt. D. de acquirendo rerum domin.* quod autem ait Iustinian. se addidisse suas quinquaginta decisiones, Alciatus aliique interpretantur illis Iustinianum emendasse. Ius vetus selatum in Digestis easque dignosci ex Coss. Lampadio & Oreste, vel post eorum consulatum semel & iterum vel Iustino III. vel Iustiniano IV. & Paulino. Cuiac. verò existimat *in præfat.* eum plerisque constitutionibus emendasse ius vetus, quod erat certum, at verò decisionibus certum fecisse, quod erat controuersum, cùm hæc vna constitui possit differentia inter decisiones & constitutiones, inter quas discrimen ponit Iustinian. in illa constitutione de emendando codice Iustin. eas quæ vix ab eruditissimis internosci possunt singulas recensuit Ioan. Bellonisius *ad cap*

Romana. de foro competenti in 6. & deinde francisc. Ragoellus proprio illis adiecto comm:otario explicuit proprio opere.

10 Quod verò attinet ad nomen codicis, quod suæ diualium constitutionum collectioni indidit Iustinian. æmulatus hac in re Theodos. Gregor. & Hermogen. qui similes collectiones eodem nomine donarant id factum ex veteri more docet Cuiac. alijque prudentes, siquidem sua responsa chartis aut membranis solebant conscribere, principum verò constitutiones & Rescripta codicibus & pugillaribus chartaceis, ligneis, æneis, eburneis, perscribi mos erat; quos postea in scriniis memoriæ & dispositionum seruabantur, vnde factum vt liber constitutionum codicis potius quàm membranarum nomen obtinuerit. Dicebant siquidem antiqui, Codices plures tabulas coniunctis, vt obseruat Nonius ex Sallust. *lib. 4. histor.* Ex Vatrone *cap. 3. de vita p. Rom.* inde in Tyberi naues codicarias appellatunt. Seneca tamen *lib. de breuitate vitæ cap. 13.* vocat caudicarias, nimirùm codex dicitur quasi caudex, sicut dixere caulem, pro colem, Sauricem pro Soriæ inquit seruius *in 3. Georgic.* Et plurium tabularum contextus Caudex ab antiquis nominabatur, vti monet Seneca *l. c.* qui inde Claudium qui primus Romanis Nauem conscendere persuasit, caudicem vocatum notat, eius meminit Sueton. *in Tyber. cap.* 2. dicti quoque sunt Caudicarij qui Caudicariis nauibus frumentum aduceherent. De his Caudicariis meminit *l. 2. c. Theod. de pistoribus & l. 9. eod. Cod. de Suar. & l. 1. ibid. C. de Canon. frum. V. R.* de his Caudicariis tres inscriptiones refert Gotofred. *in l. 2. citatam.* ita sanè dicti sunt à caudicibus & Caudicariis, vel Codicariis nauibus Tyberi impositis, ad frumenti Canonem inuehendum; aliqui tamen legunt apud Senec. Naues *Caudicatas* pro *Caudicarias* & pro Claudios Caudex, Caudax, aut etiam audax, quidquid verò sit, certum est antiquos olim scripsisse in tabulis è caudice sectis cera inductis, & primò quidem esse scribebant, quod testatur Varro apud Chorisium *lib. 1.* vbi Titinnius *Velim ego esse arare campum cereum*, deinde commodior visa est styli Ænei vsus. Ex his verò liber dictus est Codex, quod tamen nomen libro constitutionem singillatim tributum est, quod vt monui solerent leges & constitutiones in tabulis ligneis æreis, eburneisve perscribi, & præstare. Ex Codice dicti quoque Codicilli, qui sunt tabulæ minores, quibus etiam post inuentam chartam commodi causa vtebantur: qua voce deinde hodiéque vtuntur, quibus continetur supplementum & additamentum testatoris in testamento deficientis, suntque quasi parua testamenta: vnde Moscopulus περὶ χρεῶν Κωδικέλλ@, ἢ διόρθωσις τῆς Διαθήκης, atque hactenùs de nomine Codicis: tantæ verò fuit hactenus Iustinianeus authoritatis, vt illo vtantur ipsi Turcæ Iudices, teste Leunclanio *in præfat.* Paratitlorum.

11 Non contentus Iustinian. diualium constitutionum absoluta collectione voluit quoque antiquam prudentiam Iurisconsultorum atque ita vt ipse loquitur, ius vetus purgare & certum finitum constituere, atque in controuersiam siue enucleare. Modestinus enim casus iam definitos & certos vocat enucleatos; Erat porrò ius illud vetus responsa & interpretationes Iurisconsultorum veterũ, qui ab Imperatoribus cõdendi iuris, respondendi, scribendi, cauendi, interpretandi potestatem acceperant, quia verò eiusmodi responsa, pleráque confusa & obscura erant, atque interdum contraria & ingenti voluminum mole comprehensa. Quare Sidoni. *lib. 4. ep. 1.* Iurisconsultum obscurum vocat vbi consule Sauaronis eruditum commentarium Iuuenali quoque Satyra 1. *v.* 128. Apollo dicitur Iurisperitus, eo quòd, inquit vetus interpres, tam deuia Iurisperitorum Responsa sint, quam Apollinis, illum autem Λεξιαν nominabant, magno igitur animo voluit Iustinian. totum ius antiquum per mille & quadringentos penè annos confusum & per tot volumina diffusum libris quinquaginta à Treboniano, & illustribus togatis antecessoribus quos illi dederat συμ-γόυς comprehendi, retentis & veterum Iurisconsultorum nominibus & detractis omnibus antinomiis atque recissis superfluis, & legum instar authoritatem habere: hæc cogitatio Iulium Cæsarem quondam occuparat: de eo enim Sueton. *cap. 44. destinabat ius ciuile ad certum modum redigere, atque immensa, diffusaque legum copia, optima queque & necessaria in paucissimos conferre libros cogitarat*; & Cicero cuius librum de iure ciuili in artem redigendo citat Gellius *lib. 1. capite vigesimo secundo.* Id verò tandem ad exitum perduxit Iustinianus & Digestum ac Pandectas nominauit, quæ omnia constant ex eius constitutione recitata *in c. de veteri iure enucleando. Nomen,* inquit, *libris imposuimus digestorum seu Pandectarum qui omnes disputationes in se habent legitimas, & quod vndique fuit collectum, hoc in sinus recèperunt in centum quinquaginta penè millia versuum totum opus consummantes.*

Ineptit verò Accursius dum Pandectas deducit à Pan. quod est totum & doctos doctrina, cum certum sit oriti à πᾶν, id est omne & verbali δέκτ@ à δέχομαι, id est complector; quare Gellius *lib. 13. cap. 9.* Tullius Tito Græco titulo Pandectas inscripsit, tanquam omne rerum atque doctrinarum genus continentes, similisque inscriptionis meminit *lib. vlt. cap. vlt.* inter Varios titulos quos alij suis operibus apposuerunt, & Plin. *in præfatione naturalis historiæ* inter inscriptiones illecebrosas, & magna promittentes, propter quas Vadimonium deseri posset, hanc numerat. Digestorum nomen apertum est. Digerere enim est ordinare diuidendo. Cicero *lib. 1. de oratore. Si quis nunc ius ciuile in sua genera diuidat, quæ perpauca sunt* & in vetrem. *Habeo, & istius Patrui eius accepti tabulas quas elegantissimè legi & digessi*: Id verò in laudato opere præstitit Iustinian. quod & alij Iurisconsult. tentarant. Nam Saluius Iulianus nonagintanouem libros Digestorum scripsit. Alphenus *lib.* 40. Celsus *lib.* 39. Vlpius Marcellus XXXI. Serbidius Scæuola XXXX. Erennius Modestinus *lib.* 12. Cur verò Digesta & Pandectæ designentur, hac nota ff. plurimi disputant, consentiuntque ex Librariorum imperitia id factum. Alciat. *lib. 3. dispunct. cap. 16.* Corrasius in Miscellineis & alij, Res est leuioris momenti, quàm vt nos teneat diutius notat Cuiac. *in præfat. ad Codic.* Mathæum quendam Monachum scripsisse hoc opus Digestorum bis editum fuisse, primùm quidem breuius, deinde auctius redditum fuisse paraticlis, & paraticla esse ἀναπληρώσεις, siue repletiones eorum, quæ cuique titulo Digestorum deerant in priori editione, siue scholia. Refellit hoc commentum Cuiac. cum constet ex ipsa Iustiniani constitutione vnam tantum fuisse huius operis editionem & paraticla nihil aliud esse quàm breues & subtiles titulorum interpretationes, & quasi monitoria, siue claues eorum, quæ singulis titulis continentur: verùm de paraticlis alibi latius; Latinè verò totum hoc opus editum fuit sicut & Codex, nullæque leges Græcis verbis illi insertæ sunt, contra quam existimarit Bodin. *libro tertio de Republica capite sexto*, quem refellit Iustiniani constitutio, qua prohibet Imperator commentarios iis legibus annectere, nisi tantùm velint eas in Græcam vocem transformare sub eodem ordine, ea-

demque consequentia sub qua voce Romana positæ sunt: hoc est quod Græci κατὰ πόδα dicunt. Et sanè Gregorius Nyssen. in laudatione Origenis de legibus Romanis, quas plurimum commendat loquens, sic ait, Εὐφραδέντες (νόμοι) παραδοθέντες τῇ Ῥωμαίων φωνῇ, enarratæ traditæque sunt voce Romana an verò Tribonianus aliíque eius adiutores præstiterint omnia; quæ commendat Iustinian. & quam multa peccarit quotidie expendunt nouiores Iurisconsulti in suis commentariis, ex quibus nos vbi se dabit occasio nonnulla munebimus. Obseruo dumtaxat cum Mornac. *in l.1.cap.de veteri iure enucleando.* §. 1. hoc, opus per annos amplius quadringentos in variis Bibliothecis secundum varias sui partes, eásque truncas & mutilas delituisse donec tandem circa annum 1130. Vernerius siue vt Accurtius nominat Irnerius collecta illa membra & frustra edidit persuasitque Lothario II. Imperatori, vt ex illis causæ omnes in Iudiciis imperialibus definirentur tam fœlici, successu, vt relictis sensim aliis legibus, ius istud commune diceretur & seruaretur, extabat quidem, vt aiunt, integrum operis Archetypum in Melfitana vel vt alij volunt Byzātina Bibliotheca, sed omninò neglectum propter Basilica à Leone Philosopho. Imperatore vulgata circa annum 895. sed tandem editum est anno 1540. à Lælio Taurello, qui multa emendauit & suppleuit ex codice à Cosma duce florentino ipsi præstito, de eo codice florentino sibi à Laurentio, deinde duce permisso plura Angelus Politian. *cap.* 41. *Miscellaneorum.*

13 Vbi Iustinian. Sacratissimas vt ipsemet loquitur in *præfat. institut. ad iuuentutem* Sacratissimas constitutiones antea confusas in luculentam erexit consonantiam, & suam extendens curam ad immensa prudentiæ veteris volumina opus prius desperatum adimpleuit, in Codice & digestis Triboniano, Theophilo, & Dorotheo, viris illustribus antecessoribus mandauit, institutiones componere, vt liceret iuuenibus prima legum cunabula non ab antiquis fabulis discere, sed ab imperiali splendore appetere, & nihil inutile, nihilque perperam positum, sed quod in ipsis rerum obtinet argumentis acciperent: quare hos institutionum libros deinde vocat totius legitimæ scientiæ prima elementa: in quibus breuiter expositum est, & quod antea obtinebat, & quod postea desuetudine inumbratum ab imperiali remedio illuminatum est: Quare hic liber tum Romanorum Legislatorum, tum Iustiniani inuenta complectitur: tum quæ olim in vsu erant, & quæ postea desueta, atque ab vsu remota Iustinianus in vsum reuocauit: Theophil. pro desuetudine inumbratum diait ἀσυνήθεια, insuetudine quia eum nunquam in vsum inductum esset, obscurum & ignotum manebat, Principis deinde imperio inductum est in vsum, atque adeò illuminatum. Hos porrò libros magna ex veterum iurisprudentium scriptis colligi mandauit Imperator maximè ex Caij institutionibus, quem quia suum appellat Iustinian. Cum sit Caij nostri *in hac præfatione & in §. Item Lex l. de public. iudic.* existimant illum vixisse Imperante Iustiniano, qui & eo plurimùm vsus fuerit. Verùm cum eidem Caio: ibidem Iustinia. rerum quotidianarum libros tribuat, significat Caium esse illum ipsum cuius quatuor institutionum, & septem aureorum, siue quotidianarum libri sæpius commemorantur in Pandectis, qui se Hadriani vixisse tempore fatetur *l. vtrum. 7. D. de rebus dub.* Vbi ait sua ætate Serapiam Alexandrinam mulierem ad diuum Hadrianum perductam esse cum quinque liberis, quos vno fœtu enixa erat, cum tamen quod vltra tres nascitur, ferè portentosum videretur: Cur autem Iustinian. dicat *Caij nostri* varias causas affert Hotman. sed vt fatetur incertas, sunt igitur Iustiniani institutiones Græcis ἰνστιτοῦται προσάγματα εἰσαγωγαὶ ad ius Romanum.

His operibus confectis coactus fuit Iustinian. pro variis rerum momentis, quæ occurrerunt nouas constitutiones sancire & promulgare, quæ nouellæ nominatæ sunt νεαραὶ διατάξεις vel νέος νόμος νεαρὰ νομοθεσία, vel cum neutro νεαρά. Ratio nominis est, quia post codicem repetitæ prælectionis promulgatæ sunt, quo etiam nomine sunt appellatæ quæ post primas editæ sunt *l. 34. Cod. de inofficioso & in nou. 66.* Eadem ratione constitutiones Theodosij Valentiniani, Martiani, Leonis, Maioriani, Seueri nouellæ vocatæ sunt, quia post codicem Theodosij editæ sunt, sicut etiam quæ post Basilica sunt latæ à Leone Philosopho, Michaële, Romano, Alexio, & aliis idem Nouellarum nomen sortitæ sunt: Dixi verò constitutiones tantùm quæ post repetitam prælectionem promulgatæ sunt, nouellas hodie nominare, quæ enim nondum retracto codice appellationem eam meruerant, retractata repetitáve iam codicis editione, eam amiserunt, quia iam in vnum corpus codicis coïerunt: quæ verò post codicem emerserunt, non sunt in corpus illud retrahendæ, è quo nunquam exierunt inquit Cuiacius, sed quasi posthumæ codicem certæ rupturæ illum, quo sunt amissæ. Hinc vides falli Cedrenum dum ait in Iustiniano nouellas vocari, quod noua atque à veteribus dissidentia iura contineant τοὺς παλαιοὺς νόμους πάντας ἀνέτρεψε, τοιούτους μετέβαλλεν, ἃ δὲ νεαρὰς διατάξεις ἐκάλεσε. Obseruat porrò Gotofred. Græco sermone editas fuisse, earumque duas præcipuas editiones haberi, vnam Holoandri, alteram Scrimgeri. Nam editio Henrici Agylæi implet tantum Lacunas Haloandrina, & ex Scrimgeriana. Latina qua nunc vtimur, interpretatio antiqua est, & ab homine Græco vti existimat fusius Cuiac. *lib. 8. obseruat. cap. vlt.* vbi eius eruditionem & Religionem commendat, & à calumniatoribus tuetur, qui typographorum errores illi imprudenter affingunt, in quibus est Molina. *de vsuris q. 1. n. 67.* qui Latinismi imperitum interpretem nominat. Gotofredus existimat Varios fuisse interpretes veteris editionis, eo quòd aliquando eadem constitutio sibi dissimilis legatur confusè, & nulla certa methodo aut ordine sunt editæ, Pandulphus tamen præcius ad certæ methodi ordinem eas reducere conatus est. 14

Hæ nouellæ vulgò quoque dicuntur authentica, & liber authenticorum. Est verò authenticum originale quod propter authoritatem quam habet, authenticum dicitur, αὐθέντης enim est author, αὐθεντία authoritas in Philoxeni glossis αὐθεντικῶς nuntiari dicitur, Ciceroni quod certo & noto authore dicitur, Αὐθεντία authoritatem meam accommodo: Basil. ἀποςαλῆναι τινας ἐξ αὐθεντίας περὶ τὸ πρᾶγμα in eo negotio Paul. 1. *ad Timoth. cap. 2. 12.* non permittit mulieri dominari in virum, hoc est authoritatem sibi in illam, vsurpare οὐδὲ αὐθεντεῖν ἀνδρὸς, est etiam αὐθέντης, qui est propriæ potestatis; ideóque dominus & author & αὐθεξούσιος, inde quoque factum vt esset idem, qui sua manu quidpiam facit v. g. cædit & pugnat, idémque quod homicida αὐτόχειρ & αὐτοεις Sophocli, quod obseruauit quoque Scaliger in notis ad Barbaricæ manilij sphæram, vbi reprehendit Iulium firmicum qui *lib. 4. c. 15.* vertit authorem, vbi homicidam dicere oportuerat, faciet auctores audaces periculosos; Græcè enim Legebatur ποιεῖ αὐθέντας, παραβόλους παρακινδυνευτὰς & Gaza verò libro de mensibus notae 15

veteres

veteres vocem *ἀνθέντη* ſemper vſurpaſſe pro *ἀντόχειρ*, qui tamen antè mille annos ſcripſerunt vſos eſſe pro authore : Verùm quidquid ſit de hac poſteriori iſta ſignificatione , prior illa de authore & authoritata certa & commuois eſt, indeque ſina dubio dicta ſunt inſtrumenta & ſcripta authentica , quæ certam & iuſtam habent authoritatem , qualia ſunt Archetypa, & vt vocamus originalia, quare Paulus *l.* 2. *D. de fide inſtrumentor. Quicunque à fiſco conuenitur non ex indice & exemplo alicuius ſcripturæ , ſed ex authentico conueniendus eſt* : ita ſi contractus fidei poſſit oſtendi, alia ſcriptura calumnioſa ibidem dicitur, quum habere vim in iudicio non conuenit. Vlpian. Exemplum teſtamentis diſtinguit ab authentico. *l. fin. D. Teſtamenta , quemad. aperi.* Si quis fecerit teſtamentum, quod ſi authenticum patefactum eſt, totum apertum eſt. Hinc quoque dicuntur authenticæ rationes. *L. Pomponius* 8. *D. famil. Erciſc.* autheoticæ tabulæ. *L. cætera* 4. *in fine D. eodem.* Vlpianus ſcribit hæredem debere exemplum date , tabulas verò authenticas ipſum retinere, aut in æde deponere, & Diocletian. *L. ſancimus* 3. *cap. de diuerſis Reſcript. Sancimus* ait *authentica ipſa atque originalia Reſcripta, & noſtra etiam manu ſubſcripta , non exempla eorum inſinuentur.* Cum igitur authenticum ſit , quod habet certam & indubitatam authoritatem , ipſumque adeò apographum inſtrumentum ; quærendum reſtat cur nouellas ſimpliciter & abſolutè vocarint authentica Iuriſconſulti , eoque nomine illas allegent Reſpondet Alciat. *lib.* 2. *parerg. cap.* 46. Iulium patritium & exconſulem , compendio & non inelegante ſtylo tranſtuliſſe nouellas, luxuria Aſiatica diffuſas , quem tamen librum poſteriores Iuriſconſulti tanquam ſpurium reiecerunt , & Accurſius Barbaram Bulgari tempore factam tranſlationem interpretari maluit, quod ei videretur vberior & authenticam vocauit, quia ex ipſo originali ad literam traducta eſſet , inquit Alciatus.

Has nouellas numero 168. à Triboniano compoſitas dixit. Hermenop. *lib.* 5. *tit. Ariſt.* Blaſtares & & Cuiacius , alij malunt à variis idque Balduinus è ſtylo ; conicit idem cenſet Giſanius. *in Æconomia Iuris* , & Broëus poſt Alciatum , aliquanto poſt Iuſtiniani obitum in vnum volumen congeſtæ ſunt à priuato quodam nullo temporum ſeruato ordine , quæ deinde in Epitomen redactæ & latinitate donatæ ſunt à Iuliano antecesſore conſtantinopolitano, vti iam monui à Cuiacio *lib.* 8. *obſeruat. cap.* 40. Plurimum commendato , is alius fuit ab eo cui ſuos libros nuncupauit Priſcianus , contra quàm exiſtimarit Hub. Galtzius , *præfatione in editionem Brugenſem nouellarum*, qui & ei tribuit tria Epigrammata Græca, quæ leguntur in Anthologia. Hæc Epitome Mantuæ reperta eſt ſub titulo Ioanuis Conſulis de variis quæſtionibus ab Ambroſio Camaldulenſi, vt in eiuſdem Ambroſij vita teſtatur Auguſtinus , monachus quoque Camaldulenſis , edita deinde fuit à Nicolao Boërio cum legibus Longobardorum: fuit & alia nouellarum tranſlatio vberior quæ vulgata eſt & authentica, à qua nomen authenticorum nouellis tributum monebat Alciatus, eiuſque authorem facit Bulgarum Piſanum Iuris-conſultum, ſed malè, nam Bulgaro antiquiorem fuiſſe illum interpretem contendit Cuiac. *lib.* 3. *obſ. cap.* 36. idque demonſtraturum Autonium Conſ. virum acutiſſimum & doctiſſimum ſperat , quique id præſtitit cum oſtendit Gregorium Pontificem maximum Locis à Gratiano & Raynando relatis , atque etiam ſanctum Iſidorum in libro Canonum eius interpretis verba recitare , ex quibus patet eam verſionem non multò poſt Iuſtiniani tempora factam fuiſſe quod & Balduin. *in præfatione Scholiorum ad nouellas*, ſuſpicatur, hæc porrò tranſlatio in libros, conſtitutiones & capita diuiſa erat , quod colligitur ex Gratiano *C. illicita* 23. *quæſt.* 3. Tituli nouellis præfixi non ſunt à Iuſtiniano eiúſve authoritate , quare alij tribuunt Iuliano , alij vetuſto interpreti alij holoandro, alij Scrimgero , alij alus. Hæc porrò vetus interpretatio iamdiu viguit in Scholis. Nam in Bibliotheca Cluniacenſi Odo qui vixit anno 839. ait Abbauem patrem ſuum memoriter tenuiſſe nouellam , ex qua parentum qui ad eum vndique confluebant , lites dirimeret. Meminit quoque nouellarum S. Bernardus *in lib. ad Eugen.* Et Concilium pariſienſe apud Iuonem in panormia; ex ea denique tranſlatione Irnerius, vel quis alius deſumpſit particulas quas Fœderici Imperatoris authoritate codici inſeruit.

Præter nouellarum libros ſunt Eparchica quæ continent generales formas ſiue edicta præfectorum prætorio. Ea verò vim Legis habere conſtat ex *L.* 2. *c. de officio præfect. prætor. L. apertiſſimi* 16. *c. de Iudic. L. pen. c. de fideiuſſoribus* : Arguit verò ſapienter Cuiac. *lib.* 6. *obſeruat. cap.* 10. Eos qui *ἐπαρχικὰ* prouincialia interpratantur & *ἔπαρχον* præſidem prouinciæ , cum conſtet ipſum fuiſſe præfectum prætorio, quod oſtendit ex Hermenop. qui plurima ex *ἐπαρχικῶν* libris deſcripſit & inter cætera quædam , *περὶ ἐργυλαβείων* in quibus *ἐγκαλεῖσθαι δεῖ τῷ ἐπάρχῳ ἐγκαλεῖσθαι τῷ ἐπάρχῳ , μετὰ διαγνώσεως τοῦ ἐπάρχου* , planè oſtendunt *ἐπαρχικὰ* eſſe libros continentes formas & edicta prætorum, ſententiam quoque ab eodem Harmenop. *lib.* 6. *tit.* 54. relatam ex Eparchicis deſumptam ait, ex eodem quoque Eparchi libro aduocatos creari à præfecto prætorio dixit. Balſamo. *in Monocan. Photij tit.* 8. *cap.* 13. Hinc verò ſapienter colligit *l. c.* Cuiac. cum *ἐπαρχικὰ* quædam referantur inter Iuſtiniani Nouellas , non eſſe nouellas omnes Iuſtiniani , licet à Iuſtiniano comprobentur : ſic nouella 166. *περὶ ἐπιβολῶν* eſt ex Eparchicis , cum eius author dicat ſe miſiſſe ex ſuo officio Nicomedem , officium verò eſt præfecti prætorio non imperatoris. Nouellam 168. 161. 165. Ex Eparchicis eſſe, ibidem contendit Cuiacius. 16

Præter *ἐπαρχικὰ* fuere vti annotat Cuiac. *lib.* 6. *obſeruat. cap.* 10. Citato libri alij nuncupati *ῥωμαϊκὰ* magiſtri , ſiua paterni diſtincti titulis & capitibus ex quibus pleraque deſumpſit Hermenop. qui idem vſus aſt libro inſcripto *μικρὸν κατὰ στοιχεῖον*. Eſtqua quaſi paruū manuale titulos alphabetico ordine diſpoſitos habens , cuius authorem aliqui faciunt Romanum Iuniorem, filium vel potius nepotem Romani Lacapeni ex Conſtantino porphyrogenita progeniti eum codicem & habuiſſe ſe dicit Cuiac. & Budæum vidiſſe fuiſſéque in more poſitum , vt omnes ferè cauſarum patroni ac Rhetores manualia Iuris Orientalis ſibi conficerent , & codicillum eiuſmodi quaſi viæ comitem haberent , teſtatur Paulus Ægyneta in præfat. 17

Inter omnes verò epitomes & collectiones iuris Romani celeberrimum eſt opus *βασιλικῶν* in ſex *τεύχη* ſiue partes & volumina diſtinctum, vnde à quibuſdam dictum eſt *ἑξάβιβλος* & ſexaginta libris comprebenſum. Quara & *ἑξηκοντάβιβλον* nuncuparunt : Ex omnibus verò legibus , Reſponſis Iuriſconſultis conſtitutionibus , aliiſque eiuſmodi conflata fuit hæc *βασιλικῶν συμπλήρωσις*. Eius authorem faciunt alij Baſilium Macedonem Imperatorem; ita Balduinus & ipſe Leo Philoſophus. *Nouella.* 71. Vti refert Cuiac. *lib.* 17. *obſeruat. cap.* 31. Alij eius liberis Conſtantino ſiue Alexandro & Leoni Philoſopho , alij ipſi Leoni Philoſopho ſiua ſapienti , alij ineptiſſimè iſtorum Impe- 18

ratorum auo vt ait Cuiac. *libro 6. obseruat. cap. 9.* Quæ dissidia rerum ipsarum distinctione non difficile fuerit componere.

Basilius Emin. Macedo videtur primus hoc opus tractasse teste Cedreno. Nam ipsemet in præfactione συναγωγῆς narrat se τὰ ἐν πλάτει κείμενα sive διατάξεις βασιλικὰς in titulos XL. siue, vti mauult Cuiaci, LX. digessisse & ex illis perpurgatis Epitomen siue πρόχειρον in titulos XL. distributum expressisse & in procemio ἐκλογῆς remittit ad ἀνακάθαρσιν τοῦ πλάτους, quam ipse cōfecerat. Hoc tamen πρόχειρον τῶν νόμων, titulis quadraginta, siue sexaginta Digestum aliquando Basilij & filiorum Constantini siue Alexandri, & Leonis nomine modo vnius tantum aut trium simul nomine inscriptum fuisse obseruat. Marquardus Freherus *in Chronologia Iuris*, & ex variis codicibus notat Ioseph Maria Suaresius Episcopus Vasionensis in notitia Basilicorum ad Vrbanum VIII. Præfixa nouissimæ editioni Basilicorum, vbi etiam reiicit quod illud Basilij πρόχειρον esse illud harmenop. dicunt quia harmenopulus ipse ex Basilio & Leone, ex Cosma magistro & Romano suum illud πρόχειρον collegisse fatetur; Basilij præterea prochirum titulis quadraginta, vti obseruat Cuiac. *cap. cit.* Finiebatur, Harmenopuli verò longè plures continebat.

Basilio parenti Imperatori successit Leo filius cognomento Philosophus siue sapiens propter eruditionem non vulgarem qua maiestatem Imperatoriam ornauit eius operum Indicem texuit Baron. anno 912. ex codice Vaticano Græco: & deinde multò accuratiorem Philippus-Labe. *tom. 2. de scriptoribus Eccles.* Ex variis authoribus collegit. Imperare cœpit anno 886. quo pater eius Basilius Macedo viuere desiit, ipse verò Constantinopoli anno 911. die septimo Iunij obiit. Hic igitur inchoatum à parente volumen διατάξεων βασιλικῶν summo studio perfecit, vt refert Cedrenus, vsusque est opera sabbatij protospatharij, vti tradit Mathæus Blastares, id factum anno 886. Volunt magno consensu Michael psellus, Michaël Attaliota. Harmenop. Balsamon. Blastares & Cuiacius. Idem ipse Leo edidit Iuris Epitomem quæ meras definitiones & Iuris Regulas contineret, & in Bibliotheca palatina seruari testatur Freherus, ab eodem etiam concinatum prochirum quæ instar institutionum foret, affirmat Antonius Augustinus in notis ad aliquot nouellas: est & in Bibliotheca Parisiensi Regia λεόντος ἐκλογή, quam laudat L'Æbœus eaque misit in lucem, est quoque Basilicorum sinopsis siue βασιλικῶν ἐκλογὴ Tarenti in Calabria reperta à Ioanoe Sambueo viro Pannonio, & Latina facta atque edita à Leunclamo anno 1575. Basileæ quæ omnium manibus teritur Leonis filius Constantinus porphirogenitus, horum Basilicorum nouam ἀνακάθαρσιν siue repetitam prælectionem edidit quare à βασιλικῶν author existimatus est à Luitprando, & Gentiano Hetueto. Theodorus verò Balsamon. passim hanc ἀνακάθαρσιν laudat, negandum saltem non est Constantinum porphyro genitum. Vltimam manum libris Basilicorum addisse, ad quos etiam componi curauit prochyrum sioe institutionem, nisi potius prochyra quæ Basilius & Leo composuerant recenseri voluerit, quare illius nomen pluribus exemplaribus inscriptum est; sed ea variè, concisa & interpolata, atque perturbato prorsus ordine ab orientalibus edita reperiuntur, sanè in Synopsi Basilica plurima malè legit, iam pridem arguit Cuiaci. *libro 18. obseruat. cap. 37. & 38.* Præter librum Basilicorum edidit Leo plurimas constitutiones nouellas νεαρὰς διατάξεις, quæ tamen vti probat Cuiaci. *lib. 17. obseruat. cap. 31. & 32.* Vim non obtinuerunt nisi quæ de his rebus sunt, de quibus nihil ante fuerat constitutum veluti de epochis maritimis nouella 57, 102. 103. 104. περὶ ἱερολογίας, Nouel. 89. περὶ ἐκτυφλώσεως Nouel. 92. & de spatio quo domum ædificatam in agris, abesse oporter ab aruo vicini Nouel. 71. qua de re quod constituerat Basilius & non erat relatum in libros Basilic. & pro lege non obseruabatur, sed aberrabat a Corpore Iuris Leo prædicta. *Nouella* 71. Sic seruari iussit vt ir latitudo terræ hoc ferat inter eam domum, & ad finem agrum tantum intersit, quantum duo teli iactus spatij conficient, sine minus quantum vnus, obseruat porrò Lincæus in *eadem Nouella* 71. pro εἰς ἀποκληρώσεως in veteri codice legi εἰς ἀποκλήρωσιν quod est εἰς ἀφωρισμένον, in partem aliquam ab aruo aut vinea separatam. Nam & ἀποκληρῶσαι duobus locis dixit. *Nouel.* 5. pro partem alicui addicere & supponere, quædam similia notat Cuiac. tandemque concludit Leonis constitutiones obtinere quæ Ius vetus explicant, *vt nouella* 77. aut supplent *vt nouel.* 5.

Præter illustres istas & Imperatorias Iuris Romani collectiones & Epitomea ac prochita fuerunt, & alia subinde conscripta, nam Michaël Attaliota Iudex scripsit prochirum, quod nominatur πόνημα, seu πραγματικὴ anno 1071. siue vt alij volunt 1077. Edidit illud Latinè & Græcè Leunclanius *tomo. 2. Iuris Græco Romani*: Eodem ferrè tempore Michaël Psellus legum synopsim versibus scripsit, quam ac se vidisse & magnifacere testatur Anton. Augustin. *lib. 4. emendatio. cap. 3.*

Laudatum est harmenopuli prochirum ann. 1143. Conscriptum & sæpiùs editum tum Latinè, tum Græcè.

Affert quoque Anton. Augustin. in notis ad nouellas Iosephi Tenodij πρόχειρον βασιλικῶν κατὰ στοιχεῖον & Indicem βασιλικῶν κατὰ στοιχεῖον. Est & Antiochi Balsamonis prochirum simile prochiro Michaëlis Attaliotæ, de quo nuper de his & similibus vt de collectione & prochiro photij, vide laudatum Suaresium in notitia Basilicorum; prætereo lubens recentiorum Græcorum scripta huc pertinentia, quæ Leunclanius in suo opere Iuris Græco Romani edidit. Pauca si quidem ista ad rudem quandam Iuris Romani & politiæ notitiam sufficiunt nostro instituto.

QVÆSTIO III.

De Iure Gothorum, aliarumque quarumdam gentium Septentrionalium.

Nationum diuersarum in Romanorum imperium irruptio, n. 1.
Gothorum iura & politia, n. 2. & 3.
Quatenus vsi Romano iure, n. 4.
Alarici codex & Theodosij, n. 5.
Gothica Lex sola, n. 6.
Burgundiorum Lex à Gondebardo, numero 7.
Alemmanorum Leges, n. 8.
Boiaiorum Leges, n. 9.
Rupariorum, n. 10.
Saxones, n. 11.

Longobardi

Longobardi, n. 12.
Aliæ nationes, n. 13.

1 GOthos, Vandalos, Suevos, Alanos, aliosque nonnullos populos è Septentrione in Romani Imperij prouincias se se infudisse, illasque terrore complesse, atque victricibus armis peragrasse, & ad extremum variis in locis incolis domitis, aut expulsis status sedes fixisse. Certum omninò est Burgundiones, gens è pluribus nationibus in vnum contracta ad Ararim, & Rhodanum in Gallia constiterunt, Gothi post Italiam: Narbonensem Galliam, & Tarraconensem Hispaniam inuaserunt, iis misti Alani in Tarraconensi, in Bætica Vandali, ipsius Hispaniæ feracissimas terras, & ne monumentum victoriarum periret, armis infessas Gothalaniam, & Andalusiam appellarunt, nec Britannia, quamquam propemodùm ab orbe diuisa, eladium expers fuit Scotis, & pictis latè grassantibus, Regnoque sedem inter Oceani fluctus ponentibus. Denique Franci qui ad Rheni oras qua Germaniam alloit positi Franconiam & Saxoniæ partem, ad Alb. vsque obtinebant imbecillitatem Romanam, suam rati opportunitatem, & exemplo, Burgundionum incensi, quibus iam tuta sedes in Gallia, statuerunt ad quærendum Regnum opimasque terras Rhenum transmittere inquit, Ioannes de Bussieres. *Historia Francica lib. 1. num. 2.* Quibusnam verò è Regionibus singulæ hæ nationes in Imperium Romanum irruperint, quibus moribus & ingenio essent, quibus legibus & institutis regerentur, quibus armis & præliis sedes sibi & quæsierint & occuparint, atque suum Imperium Romanorum fracto, vel imminuto constituerint, nostrum non est hoc loco disquirere; neque id inter tot opinionum tenebras facilè foret, cùm rerum vetustas & eorum temporum iniuria certam fidem scriptioni deroget, id tamen quantum licuit diligenter præstitit Mariana Histor. Hispan. *lib.* 4. Ioannes Isaacius pontanus *lib. 2. Rerum Danicarum*, aliisque permulti tum Historici, tum Geographi quos consolas, obuij enim sunt, nos quærimus dumtaxat, qualis fuerit eorum institutio politica, quod Ius, quæve leges & mores, vbi statutas sedes in Romanis prouinciis collocarunt, an Romanas leges tenuerint aut immutarint, vel corruperint, an patrias seruauerint, an nouas condiderint, vt Europæarum gentium varias politias habeamus, & non vnam dumtaxat Romanam, exemplo Aristotelis, qui diuersas Græcorum politias & expendit & retulit.

2 Ordior à Gothis qui amplius & diuturnius imperium non æmulum, sed etiam infessum Romano constituerunt, in Hispania quidem amplius tercentis annis, in Gallia alligeti ad Pyrenæos fortissimos pugnacissimosque populos, & denique Italiam & insulas ad Orientem positas sibi subdidere, licèt verò in Ostrogothos & Visigothos diuisi fuerint, mira tamen inter tot populos locis distantes consensione, eodem animo & eadem conspiratione, constitutis sibi peculiaribus Ducibus ac Regibus imperarunt.

Hanc gentem ex Scandia quem Basiliam seu Baltam antiqui nominabant prodiisse, verius videtur Marianæ *lib. 5. cap. 1.* Qui eam collocat in terrarum tractu latissimo supra Germaniam, supraque Sarmatiam, & ei Prouinciæ ad Orientem solem coniunctam cui firam marchiæ nomen est, circumfusis aliis ex partibus mari Baltico, atque glaciali peninsulæ forma multo longiore spatiis, quàm lata in Gothiam Sueriam diuisæ, & Norruegiam cui Lapia coniuncta est. Ad occasum enim vbi sinus Codanus panditur (incolæ Sutonicum vocant) atque ad eam Scandiæ partem, qua breuissimos in Combricam, Chersonesum Daniamque traiectus est, minor peninsula maioris pars efficitur cui Gothiæ nomen est duobus potissimum nominibus olim diuisa in Ostrogothos ipsorum lingua oostra Orientales, & Visigothos Occidentales; Reliquam Scandiam perpetui montes secant. Suecia ad austrum relicta mitiori cœlo: ad Septentrionem, Norruegia maiori frigoris sæuitia vastatur: vsque eo vt importatum vinum vi frigoris continuò atescere feratur hæc Mariana quæ ibidem qua occasione, quibúsve modis post variam & incertam mentem, ferox ista gens in Romanum Imperium se effuderit, & tandem Hispaniam, Galliamque Narbonensem aliasque prouincias occuparit, quæve subinde bella fuerint consequuta prosequitur.

3 Nunc de eius Iure & politia paucis agamus, solemnis & perpetuus fuit ille mos victoribus, vt deuictas nationes in sua Iura, mores & leges propriis abiectis transire cogerent, nempè & victi. Se ipsos quodammodo dediscerent; Et sanctiore eum victoribus fœdere commiscerentur eodem disciplinæ vinculo colligati, qua de causa Hanno Crotoniatus ad deditionem compellere conatus, iis conditionibus vt Brutiorum Coloniam eo deduci paterentur, eaque tatione antiquam frequentiam vrbs vasta, ac bellis deserta reciperet ab omnibus præterquàm à perfuga Aristomacho relectus est, morituros, inquit Liuius *lib. 24.* Se affirmabant citius, quam immisti Brutis in alienos ritus mores, leges, ac mox linguam etiam verterentur, quod tamen faciendum illis erat, Brutiorum enim pœnorumque. Victorum Leges & Iura seruare cogerentur: Hunc ipsum fuisse Romanorum morem vt gentibus subiugatis suas leges imponerent, testatur Augustin. *lib. 5. de ciuitate cap. 17.* Vbi demonstrat suauius & fœlicius eam legum, & morum concordiam & communitatem fieri potuisse meliorique successu quàm ingenti bellorum strage, sed quia nulla esset gloria triumphantis pugnandum fuit vt vincerent, & armis extorquere placuit, quod communi consensu & concordia potuerat obtineri: Prudentius *lib. 2. contra Symmach.* Obseruat eam maximè ob causam Deum Romanis Imperium orbis contulisse, vt omnes gentes etiam Barbaræ legibus iisdem viuerent in vnamque societatem conuenirent, ac demum vna Religione vincirentur Christiana.

Vis dicam quæ causa tuos Romane labores
In tantum extulerit? quæ gloria fortibus aucta
Sic cluat, impositis vt mundum frenet habenis
Discordes linguis populos & dissona cultu
Regna volens sociare Deus, subiungier vni
Imperio, quidquid tractabile moribus esset
Concordique iugo retinacula mollia ferre.
Constituit, quo corda hominum coniuncta teneret
Religionis amor, nec enim fit copula Christo
Digna nisi implicitas societ mens vnica gentes.
Sola Deum nouit concordia, sola benignum
Ritè colit tranquilla Patrem, placidissimus illum
Fœderis humani consensus prosperat orbi,
Seditione fugat, sæuis exasperat armis
Munere pacis alit, retinet pietate quieta
Omnibus in terris, quas continet Occidualis
Oceanus, roseoque aurora illuminat orta
Miscebat Bellona furens mortalia cuncta
Armaratque feras in vulnera mutua dextras
Hanc frænaturus rabiem, Deus vndique gentes
Inclinare caput docuit sub legibus iisdem
Romanósque omnes fieri quos Rhenus & Ister

Quos

Quos Tagus Auri fluus, quos magnus inundat Iberus
Corniger hesperidum, quos interlabitur, & quos
Ganges alit tepidi lauant septem ostia Nili
Ius fecit commune pares, & nomine eodem
Nexuit, & domitos fraterna in vincla redegit
Viuimus omnigenis in partibus, haud secus ac si
Ciues congenitos concludat mœnibus vnis.
Vrbs patria, atque omnes Lare conciliemur auito.
Distantes Regione plaga, diuisaque ponto
Littora, conueniunt nunc per vadimonia ad vnum
Et commune forum, &c.

Hoc igitur gentibus omnibus communi mote Gothi incitati diuulsas ab imperio Romanò Prouincias, sibi firmiori quodam fœdere conciliaturi, suas Leges illir imposuere, & suis moribus abdicatis Romanir institui voluerunt. Quare disciplinam omnem tum Sacram & Religiosam, tum ciuilem immutare conati sunt. Religionem quidem cum ipsi Ariani essent, vtpotè sub valente Ariano Imperatore Christianos facti Arianismum contra Romanam Religionem ruiti sunt, & omnibur viribur propagarunt & nouam disciplinam Ecclesiasticam induxerant. Quare sæpius de Gothica precum ratione abroganda disputatum fuit, quod tandem in Concilio Toletano Vrbani secundi Pontificir Legati authoritate coâcto, cui Tolosanus & vicini Episcopi interfuerunt, factum esse narrat Mariana. *lib. 9. cap. 16.* Et post duelli & ignir probationes contra pietatis regulam tentatas, controuersia sic composita fuit, vt in antiquia vrbir templis, quæ Mozatabum vulgò dicebantur vetus precandi ratio retineretur, in reliquis templis, quæ denuò Toleti sacrata erant constitutum, vt ex Romano ritu rem diuinam procurarent, & diuinas laudes, status, dici, temporibus decantarent.

Profanam verò disciplinam Romanam ita mutarum Gotbi, ita vt etiam suor proprios Characterer Latini reiectis vsurpari vellent, eos Vsilas Gothorum Episcopus priusquam venirent in Hispaniam excogitarat & inuenerat primus, sed vt ibidem narrat Mariana in Concilio Legionensi an. 1091. Præside Rainerio ex Cluniacensi Monacho, Presbytero Cardinalis à Pontifice Vrbano II. Legato & Bernardo Archiepiscopo Toletano & primate, constitutum est ne in publicis tabulir amplius vsus esset Gothicis literarum Characteribur, & pro iir Gallici, sunt substituti, addit extremo capite citato Mariana Gothos, Longobardos Vandalos, Sclauos, Francosque proprios singulas nationes Charactetes à Latinir forma discrepantes quibus vtebantur.

De legibus verò Romanis abdicatis ab ijsdem Gothis testatur Sidonius *lib. 1. Ep. 1.* Agens de Seronati aduersùs facinoribus hoc ipsum illi exprobrat. Leges Theodosianas calcans, Theodoricianasque proponens; nimirùm cogebat Leges Romanas Theodosiano codice comprehensas abijcere, & Gothicas à Theodorico vel latar vel probatas amplecti, diu ante Ataulphus, Gothorum Rex, quamuis consilium de extinguendo Romano nomina Placidiæ vxoris hortatu deposuisset, fatetur tamen apud Osium *lib. 7. cap. 19.* Gothos suos legem Romanam non tulisse, neque vllir omninò legibur parere potuisse, propter effrænatam Barbariem, cum tamen sine legibus Respublica stare non possit. Legem itaque Romanam Gothis Imperantibur siluisse significat Claudian. *l. 2. in Russin. Maræns captiua pellito Iudice leges.* Quare verùm esse non potest quod aliqui affirmant ad Eurici Regis ætatem, qui primus Leger Gothis tulit, Romanas ex Isidoro Viguisse, Creatus ille Rex est anno 467. Theodorico patre extincto, ipsique patricidij merces Regnum fuit. Ataulphus verò Duce Gothorum Alarico in extrema Italia defuncto, fœdus cum Honorio pepigit, ex quo Gothorum copiæ ex Italia deductæ in Galliæ, Hispaniæque finibus consederunt, & Regni sedem Narbone collocarunt anno 415. pluribur annis antè Euricum, quo tempore vt testatur Autulphur non patiebantur leges Romanas, immò vt ait Isidorus neque certas & statutas ipsi habebant, sed moribus regebantur cùm verò plures prouinciæ Legis Romanæ retinentiores essent; id tandem illir indultum est vt illi Legem Romanam seruarent, & Gothi Gothicam quod ex litteris Regir Theodorici apud Cassiodor. constat: *Nam lib. 3. Epist. 17.* Ad Prouincialer Galliarum rescribens libenter parendum est Romanæ consuetudini, cui estis post longa tempora restituti, quia gratus ibi regressur est, vbi prouectum, & vestros constat habuisse maiores, atque ideò in antiquam libertatem Deo præstante reuocati vestimini moribus togatis, hoc est Romanis, exuite Barbariem, abiicite mentium crudelitatem, quia sub æquitate nostri temporis, non vos decet viuere moribur alienis. *Et Ep. 43. eod. lib.* qua iubet. Fugitiua mancipia pluribus dominir restitui, quia ita Lex Romana iubebat, sic scribit Delectamur iure Romano viuere, quos armir cupimur vindicare, &c. Quapropter cum Deo propitio Gallius exercitus noster intrauerit, si qua mancipia seruitium declinantia, ad alios se, quàm quibur debebant competere, contulerant, prioribus Dominis Iubemus sine aliqua dubietate restitui. Quia nimirum ita iubebat Ius Romanum; Legum porrò Romanarum quas variis in negotiis seruari præcepit Theodoricus apud Cassiodorum, longum indicem texuit Gotofredus *in Prolegomen. ad Codicem Theodosian. cap. 3.* Ipseque Theodoricus in fine sui edicti quod 154. Capitibus constat, testatur se illud magnam partem ex veteribus collegisse; quæ inquit ex nouellis legibur, ac veterir Iuris sanctimonia pro aliqua parte collegimus. Quare Gelasius Romanorum Pontifex sic scribit Theodorico. *Certum est magnificentiam vestram Leges Romanorum principum, quas in negotiis hominum custodiendas esse præcepit, multò magis circa Reuerentiam Beati Petri Apostoli pro sui fœlicitatis augmento velle seruari, sic* refert, *Iuo 4. Panorm. capite* 180. Et Gratian. *distinct.* 10. *capite certum* 12.

Denique Alaricur postremus Gothorum Tolosæ Rex, cum Aquitanos septimanor Aruernos, aliosque sibi subditos populos sapienter omninò, vt dissidij inter sibi subditor variarum nationum populos, occasionem omnem præscinderet, constituit Communia Iura, quibus omnes causas & lites disceptari voluit, & quænam ex Iure Romano seruari deberent, ideoque Codicem siue collectionem legum Romanarum, ex quibus agere fas esset, fieri mandauit quod inquit legibus Romanis nimis addictus videter, atque Gothor suos ægrè ferre Externir illis legibus sua negotia tractari, & gentium à se deuictarum institutis quodammodo subiici, quod Iure habebatur, iniquum meliori deliberatione corrigimur, vt omnis Legum Romanarum & antiqui Iuris obscuritas in lucem intelligentiæ meliorir deducta resplendeat, & nihil habeatur ambiguum. Vnde se diuturna aut di-

uersa

uersa Iurgantiam impugnet, obiectio, ad hoc opus adhibuit Sacerdotes & nobiles viros, illudque prudentium electione collectum venerabilium Episcoporum vel Electorum Prouincialium roborari voluit adsensum, atque deinde scriptum pro distringendis negotiis destinari, vt iuxta eius seriem vniuersa causarum sopiatur intentio: nec aliud cuilibet aut de legibus aut de iure liceat in disceptationem proponere, nisi quod directi libri & subscripti viri spectabilis Aniani manu ordo complectitur. Quare monet Timotheum *v. 5.* comitiem prouideat, vt in suo foro nulla alia Lex: neque iuris formula proferri & recipi præsumatur, si secus factũ fuerit, id sui capitis periculo, aut fortunarum dispendio futurum. Quæ omnia habentur in commonitorio ipsius Alarici, siue vt alij legunt in exemplari authoritatis Alarici: Ex quibus colligimus imprimis hanc collectionem & codicem vim edicti ac legis omninò habuisse, quod inscriptio duplex illi præfixa docent: Codices enim aliqui M. Sc. Sic habent, In Nomine Christi incipit authoritas Alarici Regis: Codices verò editi Exemplar authoritatis, commonitorium Timotheo *vers.* 5. Comiti: Authoritas verò idem est quod sanctio & præceptio, qua ipsa voce vtitur ibidem Alaricus, & in ea significatione vsurpatur sæpiùs idem nomen Authoritatis tum in ipso Codice Theodosiano *l. vin. de Centurionibus lib. 4. de Cohortalibus leg. 31. de petitionibus.* Et alibi, tum ab eiusdem æui scriptoribus Symmacho. *lib.* 1. *Ep.* 1. *&* 12. *lib.* 10. *Ep.* 83. Victor. Vticens. *lib. 3. de persecut. Vuand.* Cassiodoro passim atque alijs; Idem omninò significat commonitorium, nam est quodlibet mandati genus in Scripturam reductum, licet à priuatis aut à Principe detur, siue est libellus quo velut memoriali monitorio negotium aliquod committebatur, vt patet ex Suida, & in glossis Cyrilli & nomicis τὸ Κομμονιτώριον ἐπιστολὴ ἀπεσταλμένη εἰς χώρας, vel ἐπιστολὴ ἀπεσταλμένη μετὰ προστάξεως, ὑπομνηστικὸν, ἐπιστολὴ προστακτικὴ, commonitorio igitur aliquid implendum mandatur Ammian. Marcellin. *lib. 28. commonitorium repertum est manu scriptum Hymetij petentis, vt obsecrata ritu sacrorum solemnium numina erga se Imperatoris deliniret*, Scribebat ille ad Amantium Haruspicem. *in Cod. Theodos. L. 10. de Curiosis*, iubentur mitti curiosi in diuersas Regiones & Prouincias commonitoriis competentibus atque mandatis instructi, *& l. 27. c. Theod. de erogatione militaris Annonæ*, negatur annonam protectoribus & domesticis in prouincias missis deberi vltra annum nisi commonitorio reparata; quod nos dicimus. *Rafraichir sa commission.* Authoritate igitur Alarici Visigothorum Regis hæc collectio facta est ex Theodosianis Legibus, adhibitis in consilium Episcopis & Regni optimatibus, huiusque codicis exemplaria, munita subscriptione Aniani viri spectabilis, ad vniuersos sui Regni comites mitti voluit, vt secundùm ea causæ omnes disceptarentur, vt dicitur in hoc commonitorio ad Comitem Timotheum: sic verò habet subscriptio in Vulgatis Codicibus. *Anianus vir spectabilis ex præceptione D. N. Gloriosissimi Alarici Regis hunc Codicem de Theodosianis Legibus atque sententiis Iuris, vel diuersis libris electum. Aduris anno 22.* Eo regnante edidi, atque subscripsi. & M. Sc. Regio clarius. *Anianus vers. 5. hunc codicem legum iuris secundum authenticum subscriptum, & in Thesauris editum subscripsi & edidi sub die 3. Nonas Februarij A. 22. regnante domino nostro Alarico Rege, ex præceptione Domini nostri gloriosissimi Regis Alarici ordinante viro magnifico & illustri Goiario Comite.* Erat porrò ea solemnis formula. *Edidi atque subscripsi & Recognouimus.* Vir autem magnificus & illustris Goiaricus quo ordinante Anianus codicem edidit & subscripsit, non fuit huius collectionis author; sed vel palatij comes, vel vt nos hodie dicimus Cancellarius, cuius muneris erat dare quæ edenda & subscribenda essent: Anianus verò qui edidit & subscripsit, neque etiam ipse collector fuit, neque interpres, quod postremum tamen aliqui censent ex quibusdam Sigeberti verbis, sed tantummodo Recognitor subscriptor & editor, vnde non leuis suspicio est ipsum fuisse functum munere Referendarij apud Alaricum, eius enim erat & supplicum vota Regi referre eiusque responsa referre, atque eius annulo quem habebat obsignare, quod Bignonus ostendit *ad lib. 1. Marculphi* probatque ex Gregorio Turon. *lib. 5. cap. 3. cap. 42. & lib. 10. cap. 19.* Sigeberto *ad ann.* 637. Et Aimon. *lib. 4. cap.* 12. Eratque quondam vnus dumtaxat Referendarius, qui sine dubio munus hodierni Cancellarij gerebat, subinde plures extitêre. Referendarij in aula Francica, qui libellos supplices & diplomata subscribenda Regibus offerrent, quorum hodie munere funguntur libellorum supplicum magistri: Dicitur porrò codex iste Alarici iussu editus atque subscriptus. Aduris anno 22. Alarici. Aduris autem est in nouem populania, vbi non quidem confectus est hic liber. Sed editus dumtaxat atque subscriptus ab Aniano. Vbinam verò collectus fuerit non liquet. Malè enim Tholosæ id factum colligunt aliqui, quod in fine commonitorij hæc Legantur, *Data sub die 3. Nonas Februarij anno* 20. Alarici Regis Tolosæ: Neque enim significatur locus editionis, aut collectionis huius codicis, sed Regni & imperij Alarici qui erat Tolosæ Rex. Hic porrò codex dictus fuit Breuiarium Aniani Lex Romana, & scintillæ codicis Theodosiani, quod postremum obseruat Sirmondus præfatione in *Appendic. codic. Theodosiani*, additæ sunt interpretationes legibus huius codicis Alarici iussu. Id enim habetur in commonitorio. *Clariori* inquit, *interpretatione composita*, & in ipsa inscriptione. *Lex Romana, &c.* Et sicut præceptum est explanata circa istas interpretationes, hæc sapienter obseruat Gotofred. *Prolegom. 6. ad c. Theod.* 1. Illas non reperiri in omnibus M. S. Codicibus 2. duas aliquando interpretationes eidem legi subiici, è quibus posteriores breuiores & elegantiores ferè sunt tertiò, aliquando istæ interpretationes tanquam codicis Theodosiani pars & legum nomine atque authoritate citantur, quod notat. Sanr. *in Epist. 1. lib. 2. Sidonij.* Et ita quæ allegat Iuo Carnotensis. *Ep.* 212. Quæ ex legibus Theodosianis sumpta sunt, & ex Iulij pauli. *Sententiarum lib.* 5. Quod obseruauit Iuretus *in eam Iuonis Epistolam.* Idem quoque fecit Gratian. *2. quæst. 6. c. propè superfluum* 22. Concilium quoque Nannetense *c.* 19. Allegat legem Theodosianam, *nulla ratione fœmina amplius quàm suas agendi causas habeant potestatem*, Quæ tamen sunt verba non ipsius legis sed eius interpretationis *lib. 5. c. de cognitionibus.* Eiusmodi citationum rationem reddit Iuretus, quod solerent Librarij sæpius solas interpretationes & Scholia exscribere, quod in veteribus quibusdam Iuris Codicis membranis constat, Immò illis Scholiis consulum nomina & diem subscribebant, atque ita fucum fecere lectori minus cauto. Adducit præterea Gotofred. *Prolegom. 6. citato.* Præfationem cuiusdem Monachi qui Breuiarium eiusmodi interpretationum collegit, eas Anton. Augustin. *De nominibus Pandectarum*, non ineptas esse existimauit denique in hac interpretatione plurima laudanda obseruat Gotofred. *l. c.* Nam 1. addit sed non inutiliter

aliqua

aliqua quæ in textu non continentur, quod exemplis confirmat 2. Addit legum rationes non semel 3. Exprimit casus conuersos, qui in ipsa legis sententia continentur, & tamen ibi non exprimunt dissensum, 4. Alicubi adduntur definitiones, descriptiones, explicationes quarumdam vocum, 5. Affert admodum appositè exempla, species & casus, sextò remittit ad Ius & veterum Iurisconsultorum Responsa maximè ad Pauli & sententias ad nouellas, & adalias Leges, septimò cum aliquas Leges sine interpretatione relinquat, eius omissionis rationem reddit, octauò ex æui sui vsu verùm sensum desumit. Nouella in hoc interprete desiderantur, qui quia & quædam non intellexit, idcóque vel ineptè, vel minus commodè explicuit, atque hactenus de Codice Theodosiano iussu Alarici Breuiato, quo Romani in Aquitania Nouem populonia & Gallia Narbonensi qui sub eius imperio viuebant regerentur.

6 Cæso Alarico inpugna Vocladensi. A Clodouæo, qui primus Francorum Regum optima spolia legit, Aquitania & pars Narbonensis Victori cessit, septimania in Visigothorum manibus mansit, in eaque diutius Lex Romana contenta Breuiario Alarici viguit, donec Chindusmundus eiusque filius Reccedeuindus, abolita lege Romana & alia quacumque externa codicem legum Visigothicarum edidit, ex illoque omnia definiri iussit, *Legu Vuisigoth. lib.* 2. *tit.* 1. *l.* 1. 5. 7. Et tandem Egica Rex vltimam manum Legum Gothicarum Codici adhibuit & confirmari à patribus Concilij Toletani XVI. Voluit anno 696. Vt constat ex alloquutione Regis ad Synod. *Cuncta quæ in Canonibus vel legum edictis deprauata consistunt aut ex superfluo vel indebito conecta fore patescunt accommodante Serenitatis nostra consensu in meridiem lucida veritatis reducite, illis procul-dubio legum sententiis reseruatis, quæ ex tempore diuæ memoria prædecessoris nostri domini Cindas Vuintbi Regis vsque in tempora domini Vambanis Principis ex ratione deprompta ad Sinceram Iustitiam, vel negotiorum sufficientiam pertinere noscuntur*; Atque ita perfectus est legum Codex Vuisigothorum quem primus edidit P. Pithænis. Latinè quidem primo promulgatus est, deinde à nescio quo in linguam quam vocant Romanam translatus, eaque versio ab Alfonso Villadiego edita fuit, & ab eo commentariis illustrata, in qua tameo alio ordine quædam Leges interdum recitantur, & quædam ex Hispanicis Conciliis præmittuntur, & etiam immiscentur, quæ in prima editione Latina non habentur. Huius porrò Codicis non in Hispania modo & Gallia Narbonnensi, sed etiam alibi tanta fuit aothoritas, vt Carolus magnus. Quædam inde in sua capitula inseruerit, vt *lib.* 6. *tit.* 260. & *libro tertiò & in additio.* 3. *titul.* 1. Vocatur à Ioanne VIII. R. P. Liber legis Gothicæ apud Iuon. *part.* 3. *cap.* 98. Ab aliis dicitur forum Iudicum, & Liber Iudicis à Raymundo Berengario Comite Barcinonensi in exemplari in Curialium vsum, ab ipso edito; has deinde Leges posteriores Hispaniæ Reges auxetuor, emendarunt, distinxerunt & tandem Alfonsus circa annum Christi 1241. Ius Romanum in partitas suas digeri curauit. Atque Hactenus de Iure Gothico, quod magna ex parte etiam hodie in Hispania viget, venio ad Iura aliarum gentium, quæ simul cum Gothis io Romanum Imperium irruperunt, & in eo sedes collocarunt, suisque legibus Ius Romanum corruperont.

Plin. *libro* 4. *cap* 14. Facit quinque Germanorum genera, primum sunt vidili siue vt alij legont vandilici vandili, vandali. Quorum pars sint Burgundiones, de quibus sic scribit Orosc. *lib.* 7. *cap.* 32. Burgundionum quoque nouorum hostium nouum nomen, qui plusquam octoginta millia, vt ferunt armatorum, ripæ Rheni fluminis insederunt. Hos quondam subacta interiore Germania à Druso & Tyberio adoptiuis filiis Cæsaris per castra dispositos, aiunt in magnam coaluisse gentem; atque etiam nomen ex opere præsumpsisse, qoia crebra per limitem habitacula constitura Burgos vulgò vocant, eorumque esse præualidam & perniciosam manum Gallias, hodiéque testes sunt in quibus præsumpta possessiooe consistunt. Hæc igitur gens ex plurium nationum colluuione contracta à Constantio Cæsare pacem & sedes impetrant apud Heluetios, & versus Rhodanum anno Christi 413. Et Regnum Burgundionum, constituuoi, quod deinde variis prouinciis auctum est, vbi ab Vlpato Hunnorum Rege oppressi, appellato Deo Christianorum, eiusque Salubribus aquis mundati congressi statim cum Hunis eorum 30. Millia victores perimunt. Fixis igitur in Gallia sedibus Guodébaldus ipsorum Rex de optimatum suorum sententia Leges in æuom mansuras & in perpetuum conseruandas vt ipse loquitur in præfatione, præscripsit libro qui sub die 4. Kalend. Aprilis editus est Lugduoi, easque tam à Barliis hoc ast Burgundionibus, vt ipse deinde explicat, dum eos ferè perpetuò in suis legibus Barbarorum nomine designat quam Romanis Iudicibus & Comitibus in omni negotiis seruari voluit; In his verò legibus plurima sumpta sunt ex Iure Romano, cum iisque conuenit omninò liber Papinian. Responsorum ex Iure Romano, quem idcircò nonnulli existimant Gundebaldi mandaro collectum fuisse. Sigismundus deinceps Burgundionum, & ipse Rex suggerente Gencsto Valensi Episcopo edictum edidit de Collectis, quod in lucem eduxit Sirmondus in quo statuit, vt inter Romanos in eo negotio seruarur Lex Romana, Inter Burgundiones verò, & Romanos Lis finiatur secundùm legem à se præscriptam: Idem prætereà Sigismoodus in additamento legum Burgundion. *tit.* 1. *cap. vlt.* De seruitutibus luminis vel aëris constituit, vt inter priuatorum Fabricas decem pedes, inter publicas quindecim dimittant secundum legem Theodosij: Ea tamen Theodosij Lex neque eius Codice, oeque alibi reperitur.

Leges Alemannorum Boioariorum siue Baiariorum à Theodorico Francorum Rege compositas esse ostendit istarum legum prologus infra adducendus. 8
Sunt verò Alemanni ἀλαμανὸς Stephano, Rheno fluuio à Gallis Alpibus ab Italis discreti, cum traiecto Rheno mutare sedes cogitarunt, vt se viros fortes ostenderent, se se Alemannos quasi, *Als manner* appellauere, ita Bratus Rhenanus in Tacitum alij deducunt à Manno Teutonis filio ex eodem Tacito. Germani Honoris causa, & in memoriam sui Authoris Mannum appellant virum fortem & strenuum. Alij deducere malunt à colluuione hominum omnis generis, alij ab ἀλημῖναι, quod errare figoificat, alij denique à Lemano-lacu quod supra illum habitarent. Ammian. Marcell. *libro* 17. Ait illos Salinarum & finium causa sæpiùs iurgasse, quidquid de eo Ethymo statuas, certum est eos ingenti multitudine transmisso Rheno cum Francis dimicantes à Cludouæo inuocante Deum Clotildis vxoris suæ, iogenti prælio fusos ipsorum

Rege

Rege cæſo ad Tolbiacum in agro Colonienſi, Victoris appellaſſe Clementiam reditum in patriam impetraſſe, ſeque in poſterum Franco Vectigales Conſtituiſſe in monumentum Victoriæ, Clodouæus autem voti in pugna emiſſi reus impietatem eiurauit, & ſacra Christiana ſuſcepit. Nihil itaque mirum ſi gens barbara à Francis domita, iliiſque vectigalis facta, ab iiſdem leges acceperit. Legis Alemannicæ à Clothario præſcriptæ hæc inſcriptio legitur. *Incipit lex Alamannorum, quæ temporibus Clothary Regis vna cum principibus ſuis*, id ſunt 33. Epiſcopis & 34. Ducibus & 72. Comitibus, vel cætero populo conſtituta eſt. In ea per prima 24. Capita quamplurima in fauorem Eccleſiæ præſcripta ſunt, vt appareat à Christianiſſimo Rege ſancitam fuiſſe.

9 Boiarij vel Boij & Baiauarij dicuntur eſſe Norici vel Bauari, & ipſi à Francis Regibus iura & leges acceperunt, vti habemus ex Prologo ad ipſas, quem integrum reddo. *Theodoricus Rex Francorum cùm eſſet Catalaonis, elegit viros ſapientes, qui in regno ſuo legibus antiquis eruditi erant. Ipſo autem dictante iuſſit conſcribere legem Francorum & Alamannorum, & Baiariorum vnicuique genti quæ in eius poteſtate erat ſecundum conſuetudinem ſuam, addidit, quæ addenda erant, & improuiſa & incompoſita reſecauit, & quæ erant ſecundum conſuetudinem Paganorum, mutauit ſecundum legem Christianorũ & quidquid Theodoricus Rex propter vetuſtiſſimam Paganorum conſuetudinem emendare non potuit, Childebertus Rex inchoauit, ſed Clotharius Rex perfecit. Hæc omnia Dagobertus Rex glorioſiſſimus per viros illuſtres Claudum, Chadum, indomagum, & Agilulfum renouauit, & omnia vetera legum in melius transtulit, & vnicuique ſcripta tradidit, quæ vſque hodie perſeuerant:*

Hoc decretum eſt apud Regem & Principes eius,
Et apud cunctum populum Chriſtianum, qui
Infra Regnum Meruingorum conſiſtunt.

Huic deinde Baioariorum legi Dominus Carolus Imperator octo primum capitula, & ſubinde quatuordecim addidit, exiſtit quoque Taſſilonis Boaiorum Ducis, qui ſæpius contra Karolum rebellauit, ab eóque tandem victus manus dedit, de quo Aimonius aliique, Edictum additum legi Baioariorum xx. capitibus comprehenſum. Ripuariorum leges à Francis quoque regibus eorum dominis ſancitas olim fuiſſe, dubitare non licet.

10 Sunt verò Ripuarij qui Regionem Ripuariam incolebant, ea verò quantum ex veteribus colligere licet ad Rutam fluuium qui inter Moſam, & Rhenum fluit. Inde Rutæmunda Ciuitas, inde quoque Ripuarius Fagus, Ripuaria Prouincia, Ripuarius Homo, Ripuaria lex, dicuntur, & Ribuarij & Riparij, an verò à Ripis fluminum ductum fuerit hoc nomen, Leuis quæſtio eſt. Gunther. Ligur. *lib.* 1.

Saxones & quorum Ripuaria nomine tellus
Vueſfaliaque vrbes.

Et *lib.* 6.

Ripuaria Cæſar in arua.

Hunc Ripuariæ Regionis ſitum eruditè ex veteribus annalibus, & hiſtoricis oſtendit Fridericus Lindeborgius *in ſuo Gloſſario ad leges antiquas* de Ripariis, Ripenſibus & Ripariis millibus, qui ad Ripas Danobij aduerſus Imperij Romani hoſtes Sarmatas, alióſvè excubabant vide Cauſabon. *in vopiſcum.*

R. P. Ioſeph. Gibalini de Scient. Can.

Saxonibus Fuſiis, reliquiſque Tranſalbianis populis 11
leges dediſſe Haraldum volunt aliqui, quamvis eas alij dicant antiquiores exiſtere, atque ante Caroli magni ætatem, quidquid ſit de earum legum authore certum eſt ex *lib.* 4. *Decret. c.* 1. Saxonicam legem à Francica diuerſam extitiſſe. Vnde orta quæſtio de validitate, matrimonij inter Francigenum virum, & mulierem Saxonicam, cum vir diceret ſe mulierem illam duxiſſe Saxonica lege non Francica, quam tamen contendebat eſſe de ſubſtantia matrimonij hanc legem Saxonicam, & alias vicinarum nationum confirmauit Carolus magnus ſua conſtitutione, cuius hæc verba leguntur apud Frideric. Imperat. vti refert Lindeburgius *in Prolegom. ad ll. antiquas*, *prout cunctis placuit prudentioribus Regni noſtri legem Saxonum, Noricorum Sueuarum, Francorum, Riburriorum, Salicorum ſicut mos & poteſtas Imperatorum eſt, & omnium anteceſſorum meorum ſemper fuit, diſtinxi, diſtinctam ſub authoritate Regia, & Imperatoria ſtabiliui.*

Longobardi qui Vinículi quondam dicebantur à 12
longiori Barba nominati ſunt, qua de re antiquam fabulam leges apud Ioann. Scoppam Miſcellin. *lib.* 1. *cap.* 9. quomodo verò in Italiæ parte, quam Galliam Ciſalpinam vocabant Regnum ſibi conſtituerant, accipe à Ioanne de Buſſieres, *qui Hiſtoria Francica lib.* 1. eleganter rem totam paucis complexus eſt; Longobardi, inquit, Alboïno Duce ab extrema Dania ſine Noruegia cum iuuentutis flore tranſgreſſi Germaniam in Pannonia conſiderant, Cunimundo Gepidarum Rege profligato, inde à Narſete Iuſtiniani bellicoſiſſimo Duce ad pellendos ex Italia Gothos euocati, præclariſſimam nauarant operam aſſerto Græcis Regno Italiæ, repetita poſt mercedem captam Pannonia: At poſtmodum Narſes à Sophia Iuſtini Imperatoris vxore contumelioſè habitus, vindictæ ardens ſupra Seminã. Nam Eunuchus erat, cum Gothos iam deletos excitare non poſſet, Longobardos quorum audaciam & fortitudinem antè perſpexerat, iam non auxiliares, ſed futuros Italiæ Dominos arcanis nuntiis euocauit. 11. Relicta Hunnis Pannonia, ingenti numero Saxonia, aliiſque ex Alemania populis ſecum eductis, in Italiam iampridem Barbarorum Coloniam irrumpentes Regnum in Ciſalpina Gallia condiderunt, Prouincia de ſuo nomine dicta Longobardia, & progrediebantur vlterius, niſi Albanus à Cunimund, vxore in vltionem contumeliæ cœſus, infirmo adhuc & nutanti imperio raptus, Clepho ſucceſſore ſimiliter cœſo inhibuiſſet Victorias. Si quidem Longobardi, Regum loco quibus ſumma erat in ſuos poteſtas, committentes ſe Ducibus, quorum potentia certis limitibus, bello & pace conſcripta, vt priuato cuique conſulebant, ſic publicæ rei gentiſque gloriæ afferebant, Iis Ducibus in Franciam irrumpentes à Francis ſemel & iterùm cæduntur. Deinde in Italia regreſſi claſſim oppidum non longè à Rauenna occupant, validóque ibi locato præſidio Romam obſident, ſed miſſo in Vrbem frumento ab Imperatore Tyberio obſidionem ſolunt; Tyberio ſuffectus eſt Mauricius, qui cum Francis in Longobardos conſpirauit, quare rebus ſuis metuentes Regem ſibi eligunt, quem Antharim Sigonius nominat, qui Childebertum quidem primo fudit, fugauit, deinde nouam expeditionem parantem iniquis pollicitationibus & conditionibus pacem ab illo impetrauit, poſtquam Ticini 5. Septembris veneno extinctus ſucceſſorem habuit Ageulphum, qui pacem diuturnam ſtabiliuit cum Francis Ex Gregor. Turon. *lib.* 10. *cap.* 3. & Redintegrato bello à Mauricio, per Exarchas plurimas Vrbes, interque illa Patauium cœpit: Agilulpho ſucceſſit Adonaldus

cum pessima matre Theodelinda, illi parum prudenter Clotarius remisit tributum annuum quod Francorum Regibus pendebat Longobardorum Rex nomine præsertim prouinciatum ad radices Alpium. Adonaldo mentis inopi facto successit Ariobaldos, Ariannus, non sine magnis totius regni motibus, illi sine prole mortuo sufficitur publicis comitiis Rothariis siue Rotharicia, & ipse Arianus, qui tamen Orthodoxos passus est libere suam Religionem colere; idcóque in qualibet Diœcesi duo erant Episcopi, Catholicus vnus, Arianus alter: Hic verò tandem Longobardis anno 77. ab ipsorum in Italiam ingressu Legea scripptas dedit & Papæ promolgaoit, hunc Codicem siue Edictum. Deinde Grimoaldus Rex anno 6. Regni sui mense Iulio Indictione XII. in quibusdam emendauit, & reuocauit. Tum Lintprandus primo sui Regni anno multò plura illi edicto adiecit, & deinde consequenter, Reges, ipseque Carolus magnus & successores nonnulla addidere, quæ omnia tandem tribus libris digesta & titulis distincta fuerunt. Edita ab ignoto hactenùs auctore.

Extant & aliæ leges ac constitutiones, siculæ nimirùm & Neapolitanæ & feudales Friderici iussu, quæ omnium teruntur manibus.

13 Aliarum verò legum nomina duntaxat habemus. Nam Sueuos aliis vsos fuisse ait Vuidekindus *lib. 1. Historic.* Leges gentis Selauicæ laudantur sæpiùs in Annalibus fuldensibus. Legum Palatinarum id est Regiarum, meminit Lambertus Sasnab. in Historia.

Atque ex his omnibus vides diuersa fuisse iura & politias singolarum ferè nationum, quas singillatim persequi nostri instituti non est, sufficitque hæc pauca in vniuersum attigisse, Neque quis obiiciat nos extra lineam saltasse, cum de iure Canonico & Ecclesiastico disputemus non de politica. Nam & plura ex iure politico sumit aliquando Ecclesiasticum, quod etiam priùs illud vbi de peccato agitur emendat: Deinde politicum tuetur Ecclesiasticum, quod etiam variis gentium moribus & legibus, vbi neque fidei neque sanctitati, neque libertati Ecclesiasticæ incommodant, sed potius fauent, quales sunt pleræque nominatæ hactenus Leges, quæ à Francis Regibus diuersis illis gentibus latæ, vel confirmatæ sunt; Quare illarum quandoque authoritate nos ipsi in hoc opere non inutiliter vtemur.

QVÆSTIO IV.

De Iure Francico.

Lex Salica vna tantum, n. 1.
Explicatur Eginarthus, n. 2.
An Lex Salica vera, n. 3.
Terra Salica quid, n. 4.
Quid Lex Salica de regno, n. 5.
Continuo vsu seruata, n. 6.
Iure humano vti etiam Franci, n. 7.
Codex Theodosianus in Gallia, n. 8.
Capitula Regum, n. 9.

1 FRancorum duas quondam Leges & iura, sicut & duo Regna fuisse, contendit Hotman. *lib. 5. de antiquo Iure Regni Gall. capite* 20. Vnum fuit vltra Rhenum ad flumen Salam; vnde Salij & Salij Franci appellati, quorum & Regnum & iam propè nomen obsoletum est, alterum in Gallia quod hactenus perseuerat, quod & Franco-gallum & homines Francogallos nominari vult, eadem ratione duas Francorum fuisse Leges, Salicam vnam, quæ ad Salios, Francicam alteram quæ ad Francogallos pertinebat, idque probat ex Eginar. *in vita Caroli magni*, vbi sic habet, *post susceptum imperiale nomen, cùm aduerteret multa legibus populi sui deesse. Nam Franci duas habent leges plurimis in locis valdè diuersas, cogitauit quæ deerant addere, &c.* Has duas Leges interpretatur Hotman. Salicam & Francicam, alij verò duplicem faciunt Legem Salicam, trans-Rhenanam & Cisrhenanam.

Sed vtràmque hoc commentum non fuerit difficilè confutare, nam vt à duplici Lege Salica incipiam, nemo nescit Legem Salicam primùm transrhenum conditam à proceribus Francis, opera quatuor virorum ad hoc electorum Vuisogasti, Baldogasti, Salogasti, & Vindogasti, qui per tres mallos (id est comitia) conuenientes omnes causarum origines sollicitè discurrendo tractantes, de singulis iudicium decreuerunt, quod iudicium & decretum Lex Salica nominatum fuit, vel à flumine Sala & regione circumpositá, quæ terra Salica dicebatur vel à Salogasto, vno ex quatuor eius conditoribus vel à Sale & prudentia quæ condita est, vel vt censent Pithæus & Sauaro quod Franci Salij dicerentur, quod saltu & pedum acumine pollerent. Vnde Sidonius. *Carm. 7. Auiti Panegyrico*, Vbi.

Sauromata Clypeo, salius pede, falce gelonus. Verum eo ipso loco Salicos à Francis distinguit Sidonios, cum scribit. Vincitur illic.

Cursu Herulus, Chunus Iaculis Francusque natatu Sauromata Clypeo, sed quæcumque sit nominis legis Salicæ origo, ea in comitiis Salizensibus primum per Francorum proceres promulgata fuit anno 422. Et deinde per Faramundum Regem cum iisdem Francis & vniuersi totius populi cætu, hoc est in publicis amplissimisque comitiis anno 424. Confirmata & sancita; atqui illa ipsa Lex à Clodouæo Christianissimo emendata, & aliquot articulis auctior anno 490. Et Regni sui V. Promulgata fuit in aquis Granensibus; & denique in Comitijs Theodonis villæ confirmata Childebertus & Clotharius eidem Legi quædam capitula addiderunt atque multò post ipse Carolus magnus, quæ omnia prosequitur Goldastis. *tract. de lege Salica.* Atque alij ex Sigeberto in Chronico anno 422. Otto Frisingen. *lib. 4. cap. pen.* Constatque ex ipso Prologo Legis Salicæ & capitulis, ex decretis Childeberti & Clotharij Legi Salicæ additis, vbi & ipsius Legis Salicæ meminere. *Et persecutor causa de consimilibus tres, & de Electis alijs tres dabit qui Sacramenta confirmarent per placita, quod Lex Salica habet fuisse completum.* Habemus quoque capitula quæ eidem Legi magnus Carolus imperator anno 803. Imperij verò anno 3. & eius filius Ludouicus Imperator adijci iusserunt, ex quibus omnibus constat illam ipsam Legem Salicam quæ in Germania sancita & obseruata fuit, in Gallia quoque à Francis domita, sancitam quoque & seruatam fuisse: ad ipsa etiam Caroli magni & filij eius Ludouici, tempora post quæ sensim eius obseruatio desiit substitutis eius capitulis. Vnde Hincmari querelæ *Epist.* 55. *numero* 55. Ex editione Sirmondi: *Quando enim sperant aliquid Lucrari, ad legem se conuertunt, quando verò post legem non æstimant acquirere; ad capitula*

confugiunt ;

confugiunt : sicque interdum fit, vt nec capitula pleniter conferuentur, sed pro nihilo habeantur, nec Lex, per hanc legem non nisi Francicam, quæ ipsis erat Lex Salica intelligere possumus. Vides igitur non fuisse duas leges Salicas vnam Trans-rhenanam, & Citrhenanam alteram, cum Trans-thenana, Imperante Clodoueo, & eius successoribus ad Ludouicum pium Imperatorem obseruata fuerit, vt ostendimus, quamvis sateamur eam fuisse sæpiùs emendatam auctam & explicatam. Inde enim non benè infertur tanta diuersitas, vt duæ Leges distinctę dici Valeant, vti in pluribus aliis Contingit. Nam Lex Longobardis à Rhotari ipsorum Rege primum scripta, deinde à Bachsi in conuentu omnium principum emendata, ampliata & in sex libros digesta, non est tamen gemina Lex, sed vna Lex etiam Gothica à tot Regibus Gothis & Hispanis correcta emendata variis additionibus & interpretationibus, vna est, & non plures. Ipse denique Carolus magnus qui Longobardis à se deuictis ita propria iura seruata voluit, vt tamen Francica adimaecrit dicitur à Sigonio *lib. 4. de Regno Italiæ*, dedisse illis legem Salicam : *Carolus magnus* inquit, *in Italiam intulit legem Salicam :* Erat autem Salica idem quod Francica. Ipseque Carolus in constitutione sua quam refert Miræus. *Codice donat. piar. cap.* 11. Vbi malè illam suspectæ fidei putat, cum Frideric. I. & II. Imperatores eam agnouerunt, vti munebamus q. superiori ex Lindebergio. *In Prologom. ad ll. antiquas ;* Ipse inquam Carolus vnam agnoscit legem Salicam, cum ait legem Saxonum Noticorum, Sueuorum, Francorum Ripuariorum, Salicorum distinait, distinctam sub authoritate regia & Imperatoria stabilui communi consilio totius Galliæ à me renouatam & in melius auctam. Post prolog. etiam Legis Salicæ sic legimus. *Anno ab Incarnatione Domini nostri Iesu Christi DCC. XC. VIII. Indictione sexta Dominus Carolus Rex Francorum inclytus hunc libellum tractatus legis Salica scribere ordinauit.* Ex quibus tandem omnibus vides vnam dumtaxat legem Salicam siue Francicam agnitam fuisse à veteribus, illaque Francos omnes tum Orientales, tum Occidentales siue in Germania, antiquis suis sedibus, siue in Gallia, vbi illam occuparant, vsos esse, & malè omninò Hotmanus ex illa sedium & Regnorum distinctione distinctas fuisse Leges Colligit, simili enim argumento cum Franci in quatuor aliquando Regna, & Reges sub prima Meroningiorum stirpe diuisi essent, liceret inferre quatuor distinctas Leges Salicas & Francicas, quarum vna in vno Regno aliæ in aliis seruarētur. Cum tamen videamus candem legem & Salic. Francic noua Reg. à Francis Bellica fortitudine acquisita, fuisse inductam vti referebamus de Carolo magno, qui domitis Longobardis in Italiam legem illam induxit ex nuper laudato Sigon. *lib. 4. de Regno Italiæ.*

2 Denique Eginatthi verba, quæ controuersiæ isti caosam dederunt. *Nam Franci duas habent Leges pluribus in locis valdè diuersas.* Non significant diuersas fuisse Leges Salicas, sed præter Salicam alias valdè diuersas pluribus in locis quæ occupabant seruare, cùm deuictatum à se Prouinciarum Iura & Leges non abrogassent, sed victis populis, atque imperio Francico iam subditis, & de victoris nomine Franeis antiqoaiura permisissent, vt Romanis & Longobardis. Vnde tamen dissensio nascebatur interdum, cum dubitaretur secundum quam Legem Salicam, an veterem apud deuictam prouinciam illius retinentissimam, iudicandum esset, qoam dissensionem sustulit Carolus paucis capitulis, quibus perperam prolata correait, & discrepantia vniuit : Sic enim loquitur Eginarthus. *Post susceptum Imperiale nomen, cum aduerteret Carolus multa legibus populi sui deésse. Nam Franci duas habent leges pluribus in locis valdè diuersas, cogitauit quæ deérant addere, & discrepantia vnire, praua quoque ac perperam prolata corrigere* : Sed in his nihil aliud ab eo factum est quàm quod pauca capitula, & ea imperfecta legibus addidit ; igitur Eginathus Carolum cogitasse diuersitatem illam Iuris & legum, quibus tot populi, qui eius imperio subctant tenebantur, fœlici quadam consensione tollere emendando & addendo, detrahendo, distinguendo explicando, quæ discrepantiam inducebant, id tamen non perfecisse sed pauca dumtaxat, eaque imperfecta capitula addidisse : Hanc porrò diuersitatem legum quam in suis populis tollere cogitabat Carolus, ex eo profectam dicit Eginarthus quod Franci duas haberent leges pluribus in locis valde diuersas : nomine autem Francorum intelligit vt vides populum Carolo subditum, quibuscumque in locis & prouinciis cum in illis omnibus dominarentur Franci, qui pro diuersia Regionibus in quibus imperabant variè nominabantur verbi gratia Franci, Romani, Lungobardi Salij, vt statim ostendam, in omnibus eiusmodi locis duas habebant Franci Leges quas sequerentur, nimirùm sibi propriam Salicam siue Francicam, alteram corom populorum in quibus victores habitabant. Nam Reges Franci quod iam monuimus dicemusque post modum fusius, subiugatis à se populis antiquas sibique proprias retinere permiserunt ; Itaque Franci pluribus in locis duas easque valdè diuersas Leges habebant, vti dicebat Eginathus verbi gratia, in Longobardia Salicam & Longobardiam. In prouinciis Gallicis Romano Imperio quondam subditis Salicam, & Romanam. In Saxonia, Norica, Sueuia, atque aliis in locis Saxonicam, Noticam, Sueuicam, & alias aliarum nationum, & prætetea suam Francicam, quæ te ipsius Caroli constitutionem superius referebamus. Qua testatur Imperator se omnium earum nationum Legem distinxisse, recouasse & in melius renouasse, & communi Consilio & generali conuentu totius Galliæ confirmasse ; Ipsoque Eginarthus omnium nationum quæ sub ipsius dominatu erant, Iura, quæ scripta non erant describere, ac literis maodare iussit, hoc est in capitula & meliorem ordinem digesta, pluribusque additis ac detractis renouauit, atque dissensionem & discrepantiam, vt loquebatur Eginarthus vniuit, nimirùm cum lege Salica composuit, quod in lege Longobardica factum ostenditur. *Ex lib. 3. eiusdem legis tit.* 31. Ipse Carolus : *Generaliter omnes admonemus vt capitula quæ præterito anno Legi Salicæ cum omni consensu addenda esse censuimus, Iam non vlterius capitula sed tantùm Leges dicantur, imò pro lege Salica teneantur.* Dederat igitur Carolus Longobardis à se deuictis Legem Salicam sed illis accomodatam, eaque de causa plura capitula eidem Legi Salicæ adiecerat, quibus sanè illam Longobardis aptabat, quæ pro ipsa Lege haberi voluit, non sustulit igitur Carolus suo Edicto Legem Longobardicam ; neque Salicam, sed vtramque reliquit, ita explicatam additionibus & detractionibus, vt omnis inter eas dissensio tolleretur, neque cogi possent Franci se deuictorum Lege & iure regi, neque Longobardi se nouis & insuetis legibus inuitos adstringi, & importuno dominorum Iugo tanquam mancipia premi, plurima quoque Carolum præter Ius Romanum constituisse quibus illud auxit, suppleuit, & immutauit, constat ex eius capitularibus, quod idem fecit in Saxonum, Noricorum, Sueuorum aliarum-

que nationum, quarum Leges ordinauit, iussit & confirmauit. Nam illis ea lege Francica nonnulla capita inseruisse dubium esse nequit, quod exemplo maiorum Clodouæi, Childeberti aliorumque fecisse certum est: verè itaque dixit Eginarthus Francos Imperante magno Carolo duas diuersas Leges plurimis in locis habuisse, Salicam nimirùm siue Francicam, & eam quæ locorum in quibus dominabantur, & habitabant domestica & propria erat.

Ex quibus tandem omnibus probatum manet vnam tantum fuisse legem Salicam: & Eginarthi verba nihil ad eius diuersitatē inducendam facere verùm.

3 Restat grauior obiectio, quæ Legem Salicam vel fictam vel corruptam, & adulteram esse demonstrat. Nam præcipuum eius caput quo agitur de regia successione & Regni hæreditate à qua fœminæ repelluntur, in tota ea Lege non reperitur, cuius tamen contrarium vulgò iactatur, ex eoque Legis Salicæ iure reiectus est à Philippo Valesio Eduardus Angliæ Rex, qui Francicum imperium iure materno ambiebat. Cum enim anno 1318. Carolus pulcher Philippi pulchri filius vxorem prægnantem reliquisset, illaque post paulò filiam enixa esset, Eduardus Anglus Rex ex Isabella Philippi pulchri filia & Caroli Regis sorore natus, hæreditatem Suiti Regni ad se pertinere contendebat, cui Philippus Valesius Regis Caroli pulchri frater patruelis antiquam legem Salicam, quâ mulieres à Regni hæreditate arcerentur obiecerat. Cuius Legis hæc verba Gaguinus recitat. *Nulla hæreditatis portio de terra Salica ad mulierem veniat, sed ad sexum virilem tota terra hæreditas perueniat.* Quam terram Salicam Franci Iurisconsulti eam dicunt, quæ solius Regis est, & à Lege Alodij distat, quæ subditos comprehendit, quibus datur per hanc Legem rei alicuius liberum dominium, non exclusa principis maiestate. Verùm nihil est in tota lege Salica quā habemus, quod de publico Imperij & Regni Iure aut hæreditate, sed de priuata tantum successione loquitur & maximè titulus 62. Ex quo desumpta sunt verba allata inscribitur de Alode, quod non feudi sed patrimonij iure possidentur à priuatis: constituit igitur Lex vt in terra Salica: quæ nempè legibus Salicis regitur, filij in hæreditate succedant non filiæ, quod si deinde inter nepotes aut pronepotes post longum tempus de Alode terræ contentio excitetur, non per stirpes & capita diuidatur. Quid verò hic aut alibi in tota ea Lege de Iure Regni agitur, an non in Lege Ripuariorum idem statuitur *tit.* 56. *Dum virilis Sexus extiterit, fœmina in hæreditatem Auiaticam non succedat.* Idem & apud Anglos cauetur *tit.* 7. Apud quos tamen Iure Regni non arcentur fœminæ: nihil etiam est cur in Lege Salica, quæ omnem portionem de terra Salica ad viros dumtaxat in Alodijs peruenire iubet, terram Salicam regiam terram, aut hæreditatem interpretemus, non vox illa in antiquis donationum Chartis sæpiùs vsurpatus longè alio sensu, quàm de Regia terra, aut hæreditate vti refert Linderbrogius *in Glossario ad l. l. antiquas.* Nam Carolus magnus Eccl. Tigurinæ donat in homines duos mansos, & dimidium præter terram Salicam, & in aliis Chartis ab eodem Linderb. relatis fit mentio non modo terræ Salicæ, sed etiam domus Salicæ, & decimæ Salicæ.

4 Quid verò esset terra Salica non satis constat, non malè tamen colligit idem Linderbrog. terram Salicam esse illam, quæ deuictis hostibus Regi militibusque à Saliis assignata erat. Nam etiam apud alias gentes agri ex hoste capti, si non relinquebantur veteri possessori, partim publico partim veteranis militibus in præmium militiæ diuidebantur, quod à Gizericho factum testatur Procop. *libro* 1. *de bello.* Vvandal. optimos enim agros Africæ à dominis ereptos Vvandalis distribuit, qui adhuc Procopij ætate dicerentur κλῆροι βανδίλων, sic in edicto Hunerici apud victorem Vticins. *lib.* 1. Sortes Vvandalorum & *lib* 10 *leg. Visigoth. tit.* 2. Sortes Gothicæ & Romanæ: Salij igitur sapienter constituerunt terram quam armis occuparant, & quæ militibus in præmium fuerat assignata ab alio quàm virili sexu, etiam hæreditate possideri, æternum militiæ benè gestæ monumentum foret familiæ, cui primum fuerat assignata, vocaruntque terram præcipuo nomine Salicam, quia Saliorum virtute & fortitudine ab hostibus extorta fuerat. Non erat itaque terra Salica, certa quædam Regio à cæteris distincta, sed fundus quilibet vbicumque bello comparatus, & militibus iure publico assignatus, sed quid ea Lex ad Regni hæreditatem, nisi dicas ipsum Regnum & imperium à Saliis & Francis bellica virtute comparatum, terram Salicam eximia quadam dignitate dictam esse, quam semel collatam vni alicui noluerint in sexum imbecilliorem hæreditate transmitti, ne quod Regnum militari gloria partum fuerat, fœminea mollitie periret, quæ fuit ratio propter quam feudorum hæreditates ex antiquo Iure feudali liberis posterisque virilis sexus tantummodo deferuntur, neque mulieres ad eas admittuntur, vbi autem in ea stirpe ad quam feudum versatur mares defecerint, tum ad alteram stirpem feudum reuocatur: Quæ verò feuda deprauato iure ad mulieres deferuntur, ea non propriè feuda, sed feudastra potius appellanda esse contendunt, qui de feudali iure scribunt, quod & alias ipsi obseruauimus, *in opere nostro, de vsuris & commercijs secunda parte in qua de varijs præstationibus disputauimus.* Fatemur igitur quod afferebat obiectio, nihil in tota lege Salica quam hodie præ manibus habemus reperiri, quod ab hæreditate Regni mulieres arceat, quod & nobilissimi Franci scriptores, in ijsque eruditus vir à Puteo in opere de regiis iuribus fatetur.

Dico tamen continuo vsu & more à Saliis vsque ad nostram ætatem seruatum fuisse, vt à Regni successione mulieres remouerentur: Quare hæc Lex Salica est mos à Saliis inductus & nunquam violatus; neque mirum est nos hunc Salicum morem, Legem Salicam nominare, non modo quia mos vsu longiori firmatus Lex dicitur, eiusque vim omnem obtinet, sed quia diutius Salij legibus scriptis caruerunt, & solis moribus ac consuetudine regebantur, donec Pharamundo Rege creato & Gallias aggressuri, ne in varias dispersi prouincias facilè à pristina disciplina discederent, voluerunt scribi Leges quibus vbique in dijudicandis controuersiis vterentur: Quare mirum videri non debet, si in illa Lege quam Salicam nominarunt nihil de Regni successione constitueretur, cùm ea Lex conderetur dumtaxat ad fori causas & iudicia definienda, vt suum cuique Ius seruaretur; Denique diutius Lex Salica nomine moris significabatur, quoties alteri legi Romanæ verbi gratia, componeretur, dicebaturque quidpiam fieri secundum morem & legem. Nam mos ille significabat vsum & legem antiquam Francorum, Lex verò significabat Legem Romanam vti post-paulò fusius demonstrabo. Lex igitur quæ continuo vsu semper viguit, & à Saliis perpetuo more inducta fuit, quamuis non scriptis mandata, iure-merito Lex Salica nominatur, vt eius vsum ab ipsis vsque Saliis repetendum esse & non aliqua noua Lege scripta inductū significetur. 5

Tota itaque difficultas ad Legis huius caput 6
adstruen-

adstruendum in eo consistit, vt perpetuum illum & nunquam interruptum morem de remnuendis fœminis à successione Regni doceamus, quod percutienti nostras Annales liquidò constabit. Nam anno 562. Childebertus Clodou. Primus filius Parisiorum Rex decessit nulla relicta prole: Eaclusisque duabus eius filiabus Clotharius eius frater in Regnum successit, quod obseruauit etiam Agathias *lib.* 2.

Clotarius quatuor filios babuit, qui Regnum partiti sunt, nulla relicta eius portione sorori suæ Clodesindæ Albion. Longobardorum Regi desponsatæ t Chaubertus Parisiorum Rex ann. 577. nulla sucepta prole virili, regnum suis fratribus reliquit. Gontreannus Aureliamensium Rea vnicam filiam Clodieldem superstitem reliquit, illique successit, nepos Childebertus Sigeberti Austrasiæ Reges filius, ipseque Sigebertus cum Irigondam & Closindam filias suas duobus Vvisigothorum Regibus collocasset, solus Childebertus toti paterno Regno successit, Chilpericus Suessionensium Rea Clotarij I. filius filiam vnicam Rignacem, in Hispania collocatat. Quare Chilperico defuncto Regnum Austrasiæ & Aurel. ad Clotharium II. infantem quadrimestrem delatum est. Vides in prima Meroningiorum Stirpe, licet inter plures fratres aliquando Regnum divideretur, nullam vnquam habitam fuisse rationem filiarum, & si quando, nulla superesset Regi defunctu proles mascula, fœmineam reiectam fuisse Regnumque ad cognatos transiisse. Quod idem io secunda stirpe Carolingiorum æquè apertum est. Nam Caroli magni filia quamvis plures nulla Regni eius parte sunt aspersæ, & Ludouicus pius totum cœpit; Pepinus rex Italiæ & Caroli filius habuit sibi successorem vnicum filium, quinque filiabus exclusis. Ludouicus filiæ suæ nullam aliam hæreditatem reliquit, quam Abbatiam io commendā eiusque filiæ proles mascula, nihil sibi in Regnum ex iure materno vindicare potuerunt. Lotharius Imperator filius pij primogenitus habuit ea filio suo Ludouico, item Imperatore nepotem Ludouicum & neptem Ermengardem nuptam Bosoni Regi Prouinciæ; Verùm pulso Ludouico Caroli Calui auunculi armis iudicatum stirpem masculinam Lotharij desiisse, atque adeò totam Ludouici pij successionem inter Luduuicum Germaniæ Regem & Carolum Caluum diuidendam esse Carolus Caluus Iudithan filiam Anglo despondit, illaque nihil in Francia obtinuit, & Carolo patri in Francia successit Ludouicus Balbus, & Carolus in Aquitania. Hæc denique matium reiectis fœminis in Imperio Gallicano successio in vltima quæ nunc fœliciter imperat Capec. Horum stirpe multo illustrius apparet: Nam Philippus pulcher defunctus anno 1314. tres mares & vnam filiam reliquit, maior Liberorū Philipp. Hutinus successit parenti, sed obiit vna tantum filia Ioanna Nauarræ Regina & Philippo Ebroicensi Comiti nupta quæ à regno Galliæ eaclusa fuit; quia verò Ludouicus decessit vxore grauida, dum curator ventris dandus esset Baronum iudicio, ea cura data est non Comiti Ebroicensi defuncti genero, sed Philippo longo, Ludouici fratri & futuræ prolis auunculo, qui & in Regno successit prole extincta, neque vlla habita ratio est Philippi Ebroicensis Philippus deinde longior decessit anno 1321. relictis tribus filiabus Ioanna Eudou. IV. Duci Burgundiæ, ex regio sanguine principi, Margar. Ludouic. Flandrensium Comiti, & Izabella Comiti Dalbon. desponsatis, quibus tamen omnibus exclusis, Carolus pulcher Philippi longi frater Regno suffectus est; Ipse postea Carolus obiit anno 1327. superstite vnica ipsi filia Blanca Philippo Franco Aurelianiens. Duci nupta,

Imperium verò Philippo Valesio, qoi tertio tantum gradu ex genere paterno Carolum attingebat, quamvis illi repugnare videretur, tū Blanca viribus & ditionibus potens, tum Carolus Nauarrus, qui tamen Carolum quinto gradu paterno attingebat, materno verò tertio dumtaxat, quia ex genere paterno remotior erat à Carolo pulchro quàm Philippus Valesio, ex materno verò quamvis Regio & Fracico nihil prorsus iuris obtinebat. Quare id temporis importunè admodum Edoardus III. Anglus Regnum ambiebat, eo quod filius foret Isabellæ filiæ Philippi pulchri. Nam licet stirpes fœminea ius regno dedisset, remotior tamen illa fuisset, quandoquidem tres vltimi Reges matris Edoardi fratres & filios, & ex iis plures nepotes reliquerāt, qui tamen nihil sibi iuris in regnum quæsierunt, cum probè scirent ea materno iure illud acquiri non posse: Carolo VIII. successit an. 149. Ludouic. XII. qui illum septimo dumtaaat gradu attingebat, quamvis superessent duæ sorores Caroli & filiæ Ludouic. XI. & quamvis alteram ea illis filiabus duxisset ipse Ludouic. XII. ea tamen repudiata Annam Britannam sibi despondit, quo facto significauit se iure proprio & non vaorio Regnum capessiuisse. Ludouico deinde XII. Francisci primus quinto gradu ab eo distans successit, remotis Ludouici filiabus. Carolus IX successores habuit Henricum III. fratrem, qui dimisso Regno Polonico ea de causa Galliam repetiit, & tamen Carolo super-fuerat filiola; Henrico denique successit Henric. IV. ab eo pluribus gradibus dissitus iure suo non vxoris Margaretæ sororis Henrici III. Cum eius matrimonium solutum fuit; neque inde vlla lis de Regno mota ipsi fuerit ab æmulis, atque hactenus de iure Salico siue ex lege ipsa Salica, siue ex ipsis Constantibus moribus, ab ipso vsque primo & antiquo Saliorum vsu repetitis.

Præter ios Franciæ siue Salicæ Legis, ios Romanum habuisse Francos testatur Agathias *lib.* 1. *de rebus Iustinian.* Dum dicit Francos etiam Romana politia vsos fuisse in contractibus, & rebus Eccles. Quod intelligendum est de prouinciis ab Imperio Romano auulsis, quæ iam legibus Rom. Assuetæ. nouas & incognitas ægrè tulissent: Quare Franci quamvis domini, illis antiquas quibus addicti erant Leges permiserunt; omnino ne ab Imperij Romani iugo liberarentur, in nouam & æquè grauem seruitutem inducant; & quia Lea Salica breuior esset: Ideóque crebris additionibus, auctam fuisse à variis Regibus diaimus, Iure Romano vti sapienter Francos omnes, tum antiquos & Salios, tum Franco Gallos siue Franco-Romanos voluerunt, atque hac in te Franci Roman. ipsos æmulati sunt; non enim semper Prouincias deuectas nouis legibus premebant, sed aliquot fœderatos & liberas Ciuitates propriis Legibus viuere patiebantur, vt in Gallia sæpius visum fuit apud Cæsar *lib.* 7. *de bello Gall. cap.* 16. in colloquio quod habuit cum Ariu. dicens non Licere ex L. Hedua summum Magistratum eacedere ex finibus, ne quid de Legibus & eorum iure diminuisse videretur; vide quoque Plinium *lib.* 4. *cap.* 17. vbi plures ciuitates in Gallia suæ libertati relictas à Romanis numerat, veluti Neruios, Suessiones, Vlbanenses, Leucos, nonnullos etiam fœderatos, in iisque Lingones Rhemos, Carnutos, Æduos; Massilienses autem suam Remp. & leges tuitos fuisse constat. Nihilominus tum reliqua Gallia, tum istæ ipsæ Prouinciæ liberæ relictæ sensim Rom. Legibus assueuerunt: quare pleræque ita omninò viuebant, dum à Gothis, & Francis occupatæ, qui vt iam monui deuictis à se vsum Romanarum legum, quibus addicti erant permiserunt, maaimè in Aquitania & Gallia Narbonensi

R.P. Ioseph. Gibalin. de Scient. Can.

Zz 3 qua

qua de causa Alaricus Tholosæ Rex Codicem Theodosianum anno 22. Regni sui in Epitomen redactam promulgari curauit, sed Alarico cæso à Clodouæo occupato regno, eadem nihilominus Romana & Theodosiana lex à Clodouæo & eius successoribus iisdem Prouinciis permissa quoque est; quod & ab aliis quoque principibus factum est, vt à Burgundionibus. Nam Gundebaldus voluit & Romanam legem & Burgundicam, quas in suis legibus conciliarat obseruari. Quod cap. superiori retulimus.

8 Et sanè tantæ fuit authoritatis Codex Theodosianus ab Alarico promulgatus, vt omnes ferè Principes illum à suis subditis, saltem vbi domestica lex sileret obseruari præceperint, quod de Edilberto Rege Cantij testatur Beda. *lib. 2. cap. 5. histor. Angl.* sed præsertim in Gallia non modo Narbonensi, & in Aquitania, sed in aliis quoque Prouinciis seruatum eundem Codicem, ac proinde Romanam legem, Victorum Francorum indulgentia primum, deinde ipso continuo vsu constat. Nam in Conciliis Gallicanis, & decretis Ecclesiasticis authoritatem habuit ille codex, maximè liber XVI. quod obseruat Hincmar. *in opusc. Capitulo* 50. Concil. Aurelian. V. *can.* 7. vocat legem absolutè & velut κατ' ἐξοχήν. Nicola. 1. ad consulta. Bulgarorum venerandam Legem. Additio 4. ad Capitula Ludouici *cap.* 102. omnium humanarum legum matrem.

Atque vt euidentius antiquam legum Romanarum & Francicarum siue Salicarum confusionem in Gallia doceamus, hinc factum imprimis est, vt Francia Romana & Gallica Francica diceretur Luitprandus Ticin. *lib.* 1. *cap.* 6. Romanam enim Franciam appellabant, tum quia Romanis parebant, tum lingua Romanorum vtebantur, tum legibus & Iure Romano vtebantur, quare vniuersa Regio Cisligerin. Romania, vel Romana terra, siue Gallia Romana dicta Fortunatus de Chariberto Rege.

Hinc Cui Barbaries, illinc Romania plaudit.

Et in vita Odiliæ Virginis *temporibus Childerici Imperatoris Romania & Francia terra.* Rhegino *lib.* 1. *Chronic. ann.* 939. Interim Ludouicus Rex Galliæ Romanæ filius Caroli 2. ipsi principes Franci sese Romanæ terræ Imperatores dicebant, vt modo de Childerico II. referebamus & apud Andream à Quercu *tom.* 1. *histor. Franc. in Excerptis vita sancti Martini Abbatis.* Rex Dagobertus Francorum & Romani populi sese principem vocat Clotherius in constitutione sua anno 560. *tom.* 1. *Concilio Galliæ inter Romanos negotia causarum Romanis Legibus præcipimus terminari.* Marculf. *lib.* 1. *formula* 8. de Ducatu patritiali, & comitatu iubet Francos, Burgundiones Romanos rectò a. tramite legem & consuetudinem eorum regere Gregor. Turonen. *lib.* 4. *histor. cap.* 41. Guntranno Childerico & Sigeberto Regibus de Andarchio Arueno fœlicis Senatoris seruo agens, ait enim de legis Theodosianæ Libris, artéque calculi plenè eruditum fuisse, affert eam in rem Altaserra de Rebus Aquitan. *cap.* 8. testamentum M. S. Aredij Lemouicensis Episcopi quod *testamentum nostrum si casu iure ciuili, aut pratorio aut cuiuslibet legis nouella conscriptione veteris valere non poterit, ad vicem Codicillorum, & omnium scripturarum qua firmitate consistum valere iubemus.* Nicetij Lugdunensis Episcopi testamentum post dies quos lex Romana sanciuit, in foro delatum, turbis circumstantibus à Iudice reseratum, recitatumque est. Apud Surium 2. April. eadem ætate testamentum Comitis Francici subscriptionibus & sigillis testium subscriptum munitúmque ex iuris Romani Lege habemus, apud Greg. Tur. *lib.* 1. *de mirac. S. Martini cap.* 51. Imperante Dagoberto Sadregisili Ducis Aquitanorum à quibusdam sceleratis interfecti, filij cum necem paternam non vindicassent vti poterant in publico Francorum conuentu, secundum Leges Romanas, quæ sanciunt à paterna eos decidere hæreditate debere, qui noluerunt interfecti necem vindicare, omnibus p r .n s spoliati sunt bonis, atque hæreditate relicta Gregor. Turon. *lib.* 4. *cap.* 8. Vide & Surium in vita S. Proiecti Episcopi Aruerni & in vita S. Boniti, eiusdem quoque Ecclesiæ Episcopi.

Sub Ludouico pio septimani aduersus Bernardum Ducem legem Rumanam, septimani quidam aduersus Bernardum ipsorum ducem attulerunt apud Anonym. *in eius vita* Carolus Caluus *in suo Capitulari* 35. *c.* 20. iubet legem Romanam valere & iudicia terminari in regionibus in quibus ea seruari, nec inquit *antecessores nostri quodcumque capitulum statuerunt, nec aliquid statuimus* vide alia quædam apud Altaserar *lib.* 3. *de rebus Aquitan. cap.* 9. Ludouic. pius constitut. ann. 825. vt cunctus populus Romanus interrogaretur, quâ lege vellet vt ea qua professus esset viuere velle, vteretur; Carolus Caluus *cap.* 28. *Synodi apud Pistas,* definiuit vt qui legem Romanam viuerent, nihil aliud ab ipsis peteretur, & secundum illam iudicia fierent Consule Ciromium *lib.* 5. *obseruation. iuris cap.* 4. Vbi etiam ostendit Carolum magnum legem Romanam fouisse, & quæ ex *lib.* 6. *cap.* 269. adducuntur in contrarium falsò inserta esse, cùm soli quatuor primi libri fuerint Caroli: Cætera verò ab inani compilatore suggesta fuisse: In capite verò 7. docet ex formulis Marculfi & incerti Authoris à Clodouæo ad Carolum magnum Legem, & ius consuetudine & more perpetuo coniungi per legem & Ius Romanum, per morem aut consuetudinem Salicam intelligi.

Denique sub Capetianorum stirpem quibusdam Prouinciis vt Aquitania & Occitania ius Rom. in aliis vt Francia quæ est inter L. gerim & Sequanam, ius consuetudinarium seruatum esse pluribus ostendit Altaserra, *lib.* 3. *rerum Aquitanic. cap.* 10. indeque orta illa distinctio prouinciarum, quæ iure scripto vel communi vel Romano, & earum quæ moribus consuetudine vel alio iure regerentur, quarum sæpiùs meminere posterioris æui scriptores, vt Rigord. *de gestis Philippi Augusti* 1211. & alij. Vide quoque Ciromium *lib.* 5. *obseruat. iuris Canonici cap.* 7. In rebus Ecclesiasticis ius Romanum inualuisse in Gallia testatur Concilium Aurelianense 1. *Can.* 3. & refertur 17. q. 4. *cap. id constituimus* 36 *id constituimus obseruandum quod Ecclesiastici Canones decreuerunt, & lex Romana constituit vt ab Ecclesiæ atriis, vel domo Episcopi reos abstrahere omninò non liceat* & Concil. Turon. 11. *capite* 51. *nequis Virginem Deo sacratam, qua in honorem Christi vestem mutauit sibi in coniugem funere præsumat, quia etiam lex Romana constituit, vt quicumque sacratam Deo Virginem, vel viduam fortasse rapuerit, si postea eis de coniunctione conuenerit, capitis sententia feriantur.* Quid testamento Remigij referi Flodoard. *histor. Remens. lib.* 1. *c.* 18. *Ego Remigius Episcopus Ciuitatis Remorum sacerdotij Compos, testamentum meum condidi iure pratorio, atque codicillorum vice valere præcipi, si iuris aliquid videbitur defuisse.* Rationem reddit Adrenald. Floriacens. *lib.* 1. *de miracul. S. Bened. c.* 25. quod Salicæ legis Iudices, Ecclesiasticas res sub Romana Lege discernere non possent. quare Carolo magn. de coniuratis in Leonem III. post habitam decies quæstionem, secundum Legem Romanam Capitis sententia damnauit, ita Aymon. *lib.* 4. *c.* 28. & 90. Immò Francos lege Romana vsos in contractibus, & ritu nuptiarum referebamus ex Agathia, quod ex variis testamenti tabulis & nuptiarum probare facilè foret.

His omnibus aliisque eiusmodi obstare videtur Homeri III.

Homori. III. *qui cap. super specula 28. de priuileg.* prohibet, ne Parisiis & locis vicinis ius ciuile doceatur, eò quod in Francia & aliis vicinis Prouinciis Laici Romanorum Imperatorum legibus non vtantur, Resp. nunquam Parisiis lectum fuisse ius Romanum, eò quod in illa esset sedes Regia, ne tamen iuris illius memoria intercideret Academia, quæ ius illud doceret institutam fuisse Aureliæ, atque quibusdam aliis in vrbibus, quarum priuilegia Reges ipsi confirmarunt, ipsaque suprema Curia, ita tamen vt legis authoritatem non habeat, & sanè vbi ad definiendas controuersias nihil Prouinciali lege definitum est, ad Romanum quasi ad Sacram aram itur, quod mouet Mornac. *ad l. 1. C. de veteri iure enucleando, & ad l. omnes populi D. de iustitia & iure*, vbi enim non constat de consuetudine loci, in quo agitur, ad vicinas Ciuitates recurrendum erit, & si de ea quæstione nihil fuerit agitatum, ad ius Romanum recurritur.

Præter ius Roman. quod in pluribus Prouinciis viguit, habuimus capitula Caroli magni, Ludouici pij, & Caroli Calui, qui iuri Romano quædam addiderunt, aut illud temperauerunt, collegit ea Ansegisus & plurima sine delectu, atque confusè addidit ea Gallicanis Canonibus, pœnitentialibus libellis, ex SS. Patrum sententiis, Iuliani antecessoris Constantinopolitani nouellis, Alarici breuiatio, Aniani interpretationibus, & demùm ex Vvisigothorum Longobardorúmque legibus. Denique Benedictus Leuita addidit alia, de quibus testimonia habes in præfatione istorum Capitulorum, quare hîc addere nihil attinet; habemus quoque Caroli Calui Capitulare Iacobi Sirmondi opera editum.

His omnibus accessere ordinationes, siue constitutiones Regiæ & variorum principum, quæ subinde mutatæ ac variatæ sunt, & passim omnibus notæ.

Atque hactenus de iure positiuo, tum diuino, tum humano, venio iam ad nobilissimum alterum Ius, quod partim diuinum, partim humanum, &c.

INDEX



INDEX
IN QVO PRIOR NVMERVS Paginam, secundus quæstionis numerum indicat.

A

Abstractio.

R.P. Ioseph.Gibalin de Scient. Can.

Amor.

AAa Appro

Index Materiarum.

AA a 2 Clerici

E

Ecclesia.

Ecclesiæ Diuisio.

Ecclesiasticus.

Electio.

Energumeni.

Eparchica.

Epiikia.

Episcopus.

Episcopalis.

Epocha.

Error.

Errora

Index Materiarum.

Index Materiarum.

Interpres.

Index Materiarum.

Iustitia

Iustitia.

Iusti.

Iuris-Prudentia.

Iuuenis.

L

Laicus.

Lex.

Lex diuina.

Lex æterna.

Lex Euangelica.

Lex dicitur testamentum.

Legis Euangelicæ materia

Legis Euangelicæ Præcepta.

Legis Euangelicæ obligatio.

Legis duratio.

Legis perfectio.

Lex

M

BBb 2 Et

R

Ratio.

Rationalis.

Regius.

Regula.

Regularis.

Religio.

Religiosi.

Reprobus.

Rr



Virtus

Index Materiarum.

FINIS.

